SPECULUM CARMELITANUM, SIVE HISTORIA ELIANI ORDINIS FRATRUM...

Daniel : à#Virgine Maria




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
43
17

SPECVLVM CARMELITANUM.

TOMVS I.


SPECVLVM
CARMELITANVM
Authore R.A.P.F. Daniele
à Virgine MARIA Ord.
Carmelit. Exprouinci
ali et historio-grapho
ANTVERPIÆ
A° MDCLXXX

SPECULUM CARMELITANUM,

SIVE

HISTORIA ELIANI ORDINIS

FRATRUM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ
DE MONTE CARMELO,

IN QUA

A S. PROPHETA ELIA ORIGO,
PER FILIOS PROPHETARUM PROPAGATIO,
PER ESSENOS, EREMITAS ET MONACHOS
DIFFVSIO ET CONTINVATA SVCCESSIO,
EX VETVSTIS, FIDEQVE DIGNIS AVCTORIBVS
EXPONUNTUR:

FRATRVM B.V. MARIÆ TITVLVS,
Multiplex Perſecutio, Mariana Protectio, à Pontificibus Confirmatio, Regulæ Expoſitio, S. Scapularis Privilegia, Sanctorum Acta, Viri Illuſtres, aliaque
PROPONVNTVR:

Contra Impugnatores Defenſoria, Informationes, Apologia, Propugnacula & Armamentaria
OPPONVNTVR.

TOMVS I.

PER R. ADM. PATREM
F. DANIELEM A VIRGINE MARIA
Carmeli Flandro-Belgici Ex-Provincialem
& Hiſtorio-graphum.





ANTVERPIÆ,
Typis Michaelis Knobbari, ſub ſigno S. Petri Anno MDCLXXX
Cum Gratia & Privilegio.

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
PALUTIO
CARDINALI
ALTERIO
S. R. E. CAMERARIO,
ORDINIS CARMELITANI
PROTECTORI.

EA est, EMINENTISSIME PRINCEPS, Familiæ ALTERIÆ præstitorum Carmelitano nostro Ordini beneficiorum copia & magnitudo, ut, quod olim Romanorum nonnemo Cæsari dixit: *Effecisti hoc uno beneficio, Cæsar, ut vivendum & moriendum mihi sit ingrato*: Majori modò jure id Ordini nostro dicendum sit. Si enim à redhostimento gratitudo pensatur, spem omnem amittimus, æternumque nobis *Vivendum & moriendum est ingratis*. Eò enim Domus ALTERIÆ crevit altitudo, ut nec suo è vertice suspicere Carmelus possit. Reges supra ascendit & Regna; evecta Imperatorum supra Coronas & Sceptra, proxima Deo. CLEMENS DECIME, Tua tam altum Sancta, dicam, humilitas, an humilis Sanctitas? exaltavit. Portentum! Eligi ad altissima, & ad infima te demittere! Creari Pontificem, & in-

dignum Te testari! Verè dignus fuisti, quia indignum te reputasti. Dignus, quem ad Petri Cathedram Cardinales rapuêre magis & pertraxêre, quàm deduxêre. Tam altùm evectus, in subjectum Carmeli Ordinem oculos demisisti, quemque eras solitus vocare *Tuum*, *Tuum* esse, ostendisti. Quàm *Tuum* vocabas, dum adhuc ÆMILIVS ad S. Martini in Montibus Cœnobium nostrum solebas divertere, quasi in Carmeli secessu, nonnihil ab ingentium curarum mole respiraturus! Quæ Tua erat ibi locorum S. Silvestri habitatione celebrium æstimatio! Quæ marmoreæ ipsius Cathedræ veneratio! Quis plurium inibi quiescentium Sanctorum Pontificum, aliorumque cultus! Quæ invisentis humiles Fratres dignatio! Quæ alloquentis humanitas! Gratam servat locus memoriam, cumque ingenti Gratitudinis recolit affectu. At in Petri sublimatus Cathedram, quàm *Tuum* Tibi esse cordi Carmelum ostendisti! Quàm Tuam in illum CLEMENTIAM effudisti! Antiqua illius confirmasti Privilegia, nova dedisti: Indulgentiarum Thesauros impertisti: Sanctorum Cultum amplificasti. In promovenda verò *S. Scapularis* devotione quàm te exseruisti? Vt alia ne commemorem, *Solennis Commemorationis* Officium, ad omnes, qui in Regis Catholici Ditionibus Canonicas tenentur ad Horas, legendum extendisti. At, suos dum & habet Momos pietas, superciliosо hæc extensio displicuit Aristarcho. Per Cuniculos impetiit, nisus, si non evertere, at avertere, sub magni latens umbra Nominis. Sed bene, quòd non serviat Momis Ecclesia, neque, quod semel statuit,

tuit, mutet ex facili. *Clementina* tenuit Constitutio, valet hodieque extensio, manet recitandi obligatio. Hocq; quantum quantum est, CLEMENTIS DECIMI totum beneficium est. Ab ALTERIANIS fuit iste STELLIS *influxus*. Et alius item favor fuit. Constans est plurium vox Pontificum, ab ELIA hæreditariam quòd Ordo teneat successionem. Quàm suos sæpè hic illisit, fregitque dentes invidia? Crudum illi nimis, nequit concoquere, ELIAM fuisse *Marianum*; MARIÆ arsisse ELIAM amoribus: ad prævisum MARIÆ exemplum vovisse ELIAM vota: verbo, ELIAM Carmelitarum esse *Patrem*, sed Matrem priùs MARIAM esse: illumque quidquid habet & dicitur, à MARIA, perque MARIAM dici & habere. Nil à ratione absonum, nil à fide dissonum. Tenet Traditio: favent Pontifices, S. Rituum habet Congregatio: Magni nominis docent Doctores. Vt ne alios, (qui & graves & plurimi) quàm Societatis ad vocem, docent *Suarez, Salazar, Sanchez, Salianus, Platus, A Lapide, Flores, Chrysogonus*, aliique. His doctus nixusque Pontifex, ut ne sine nomine QVEMDAM Carmelitano quis obtrudat *Patrem* Ordini, ELIAM in Officii Canonici Missæque Collecta seu Oratione PATREM NOSTRUM nuncupari & invocari constituit. Non Albertum agnoscimus Patrem: non Aymericum, Bertholdum aut Brocardum pro Patre veneramur: uni ELIÆ Ortum & Institutionem, uni ELIÆ Exordium & Fundationem imus adscriptum. Venit in lucem *Speculum*, lux futurum. *Speculum*, ex vetustissimorum Scriptorum fide illud deducens & illustrans Exordium. *Speculum*, quod suum illos dedo-

ceat

ceat errorem, qui CVIDAM adſcribentes ignoto, ipſi jactabant nuper Pontifici, Quòd *Carmelitarum Exordia deducerent ex Scriptorum vetuſtiſſimorum fide.* Venit hoc in lucem *Speculum*; ſed ſub *Tuarum* influxu, luce, ſplendore STELLARVM. *Influxu*, qui ſiniſtrum omne averruncet omen: *Luce*, quæ offundendas diſſipet invidiæ tenebras: *Splendore*, qui adverſantium perſtringat obtutus hoſtium. Felix augurium! Fauſta ſors, ſub tuis in lucem ire SIDERIBVS! Non opus deſcribere multis ea verbis; ſatis pro omni laude eſt, ALTERIA dicere. *Candida* ſunt, *Lactea* ſunt: & hoc ſatis.

LACTEA *pinxerunt Heroum* SIDERA *Vates.*
Ex his ALTERII *ſtemmatis* ASTRA *reor.*

Viam novimus *Lacteam*, eſſe ipſo SIDERVM, ut canit Ovidius, *Candore notabilem*: *Viam* novimus *Lacteam*, *iter* dicere *Superis ad Magni tecta Tonantis.* Sed eat cum ſuis Naſo fabulis: ALTERIIS vera eſt *Via Lactea.* Ad celſa honorum, ad Munium officiorumque ſublimia, ad dignitatum altiſſima, *Lactea* ALTERIIS *Via* eſt: ad Infulas, ad Purpuram, ad Tiaram *Via.* Fuit hoc Vrbano VIII de IOANNE BAPTISTA ALTERIO judicium. *Lacteâ* euntem innocentiæ *Viâ* ad Purpuram evexit. Quàm verò in Purpura *Candida* emicuit innocentia! ut ad Tiaram votis fuerit expetitus omnium, ni paucis ante Innocentium X abſtuliſſet mors hebdomadis. Tua Te interea *Candidum* adeò exſerebat Integritas, ut miratus illam Alexander VII voluerit eſſe purpureum, inter Cardinales allectum. At in ÆMILIVM DE ALTERIIS, *Lacte* ipſo magis *Lacteum*, ita conſpiravêre *Sidera*, tota *Lactea* adeò feſtinavit *Via*, ut,

Cardi-

Cardinali creato, Spiritus S. Vaticana impulerit Comitia, Purpureum Galerum Pontificiâ Tiarâ prævertere. Prævertêre, proteſtantique illâ indignum, *Lacteâ* illam modeſtiâ deprecanti, piâ quàdam violentiâ impoſuêre. Quàm fulſiſti junctus SIDVS SIDERI! Quàm CLEMENTIS imbibiſti *Clementiam!* Quàm ALTERIORVM SIDERVM, urbi & Orbi benignos ſentire dediſti *Influxus!* Quàm quaquaversùm ſapientiæ, prudentiæ, benignitatisque ſparſiſti *Radios!* Quàm micas *Lacteis* adhuc *Splendoribus!* Quid miramur? *Lucere*, SIDERVM eſt: *Lactea* ſimul eſſe & benefica, ALTERIORVM. Venit ad SIDVS *Speculum*, ut lucem accipiat: ad *Lacteum* venit, ſuæ ut committat *Lac* veritatis: venit ad ALTERIVM, ut ſperatum inveniat Patrocinium. Carmelitano ecce Ordini in *Speculum* ſimul & Speculam Tuus te CLEMENS dedit. In *Speculum*; ut ſpeculemur dotes Innocentiæ *Lacteas*, & imitemur: in *Speculam*; ut totus ſub Tuis *Protegatur* Ordo SIDERIBVS. Pſeudi inſurgent ſpeculatores in *Speculum*, pſeudis armati ſpiculis: interpolatis *Vitriaci*, quaſi in Vitreum, pugnabunt verbis ut armis: Sed, quamvis à ſe Vitreum, Vitroque fragilius; Tua ſtabit ſub PROTECTIONE omnia contra tela omni adamante robuſtius. Spei hujus fiduciæque pleni, illud Spiritus ſancti occinimus: *Stellæ manentes in Ordine & curſu ſuo contra Siſaram pugnaverunt*. Omninò. Vnum ſatis eſt, ALTERIAS *manere* STELLAS in Ordine: ſatis eſt, in ſolito Ordini *manere Curſu*: unum ſatis eſt, *Lucere*. Timete Siſaræ, clavos timete & malleos; ALTERIA pugnant *Lucendo* SIDERA. Ecce *Speculum*; illis *Lucet*: ecce Ordo; illis

Lucet. Tantùm? Pugnat illis *Speculum*, vincit illis & Triumphat Ordo. Hinc totus toto cum *Speculo* Tuis offertur, dicatur, datur Ordo SIDERIBVS. Hoc suscipe ergò *Speculum*, quod non muneris offerimus nomine, dum dignum offerre munus, opis numquam est nostræ: in novum dicamus obærationis testimonium, in signum æternumque Symbolum, quòd nec vivere velimus, nec mori ingrati. Igitur EMINENTIA TVA digno redhostire impares munere, quod unicum possumus, precibus Sacrificiisque eniti contendemus apud Deum, ut TE TVOSQVE benignis *Siderum Influxibus*, id est, Cælestibus pariter & terrenis cumulare pergat Benedictionibus; donec post diu tritam *Lacteam* Virtutis *Viam*, dierum plenus longitudine, junctus æterno ipsi *Sidus* Soli, FULGEAS SICUT STELLA IN PERPETUAS ÆTERNITATES. Ita vovet

EMINENTIÆ TVÆ

Æternùm devotus

CARMELVS FLANDRO-BELGICVS.

ALMÆ, SANCTÆQUÆ SOCIETATI IESV MARIANVS ET ELIANVS ORDO CARMELI.

QVàm vellemus, Sancta Sanctorum Mater, quamque vovemus & etiamnum optamus, ut Sanctus ille sancti Patriarchæ Abrahæ ad Loth consensus & amor mutuus viguisset inter nos usque inviolabiliter, *Ne, quæso, sit jurgium inter Me & Te, & inter Pastores meos & Pastores tuos*, FRATRES ENIM SUMUS. Est enim meminisse voluptas, quàm unanimes unà ambulavimus in domo Domini· quàm in vinculo pacis, in unitate Spiritus, quasi cor unum & anima una, convivebamus. Juvat meminisse, quæ studiorum fuerit, animorumque conjunctio. Juvat gratanter meminisse, quàm vestra nobis data, id est, Reverendissimo Generali nostro anno MDCLXIII oblata, gratantique ab Ipso, Præcipuisque Flandro-Belgicæ nostræ Provinciæ astantibus animo acceptata, amorem spirabat spondebatque Mnemosyne. Adhuc in Solis Lunæque imagine loquitur.

Quàm bene conveniunt, Gemini, *duo sidera*, Fratres!
Alter ab alterius quàm bene luce micant!
Sunt Gemini *plus quàm* Fratres, *duo sidera*, JESUS,
Et semper JESU *juncta* MARIA *suo.*
Et Gemini sunt, quos JESUS, *quos Sacra* MARIÆ
Nomina, quos mores, quos bene junxit AMOR.

Mansimus *Gemini*, mutuus, Sanctusque mansit *Amor*, quoad pomum discordiæ Martialis ille *Martius* attulit: quoad *Aprilis*, nulli Sanctorum ferendam, aperuit, ostendit, evomuit injuriam. Obviam *Martiali* venit *Martio* ARMAMENTARII prima Pars; Martiali quidem nomine, sed pacem ferens, docensque pacem. Aperienti nimiùm injurias *Aprili*, secunda ARMAMENTARII opposita pars est; at non nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ opposita. Filiorum tuorum unus impetiit, *P. Daniel Papebrochius*; Meorum unus Scuta opposuit *Franciscus Bonæ Spei*. Quàm dispar causa, modusque dispar! Tuo *Papebrochio*, ut ne erraret, ut ne cespitaret, prælaturus facem, *Franciscus* meus respondit: Spretâ ille face, neglecto, an & spreto, *Francisco*, in totam MARIÆ familiam, totum in Carmeli Ordinem invectus, totum nisus est evertere. Adeoque neglexit, an & sprevit, *Franciscum*, ut toto illo infami (nec putem alio quod nuncupare Ipsa possis nomine) Commentario, ne meminerit quidem. Sensit Ordo, doluitque vulnus. Quid tamen? *Papebrochio* neglecto in totam Armaretur *Ordo* SOCIETATEM? Absit. Nolumus à malo vinci, sed vincimus in bono malum. Sanctam suspicimus, colimus,

veneramur SOCIETATEM. Non debet Mater iniquitatem sui portare Filii. *Papebrochius* peccavit; suum ante oculos *Papebrochio* ponimus peccatum. Injurias intulit *Papebrochius*; illarum ab eo petimus palinodiam injuriarum. Hoc petimus, quod ipsa TU, Cordati omnes & Eruditi, quod ipsa & petere & injungere debet justitia. Tu vive, vige, flore, SOCIETAS *Sancta*; nulli aliorum invidens Flori. Negatos detractosque Carmelo cura Flores restitui: cura, ut ACTA SANCTORUM suum quærant, dent, alant, promoveant Cultum Sanctis. Quæ si fiant, Sanctè Sanctus à Carmelo dabitur & fovebitur amor: animorum, studiorumque vigebit conjunctio: Carmelitani cessabunt, silebuntque Calami, ac *Salutabimus*, cum Apostolo, *Invicem in Osculo Sancto.* Pax indè obviet, undè bellum incepit: quodque peccans spondet in omni se facturum Tomo & protestatur Filius, tandem, Tibi, Sibi, Mihi, totique facturus satis Mundo, exequatur. Utque exequatur, luci proximus opportunitatem Majus dat, daturus ACTA SANCTORUM *Ordinis Carmelitani.* Opportuna ad V Maji occurrit vulgatissima S. ANGELI Vita, Tuo illi suspecta Filio. Sive enim dabit illam; opportunitatem habet, suos ut revocet errores & emendet: sive illam non dabit, dare tamen suis potest theta erroribus. Occurrit ad XVI Maji S. SIMONIS *Stochii* vita. Quàm illa, suis ut stet promissis, campum aperit? Sextum habet Ordinis Generalem: & Chronotaxim Generalium instituisse arguitur non bonam. Non posset ipsa opportunitas locum offerre opportuniorem, suis ut præstet fidem protestationibus. Si abnuat, pertinaxque stet pro ratione voluntas; suis detrahit fidem Libris, Tibique non bonam inurit notam. Vale, Fave SOCIETAS SANCTA, & cura, ACTA SANCTORUM ita scribi vulgarique, ut Charitas Christiana, pietas Religiosa, ædificatio Proximi, honor tuus, major Dei gloria, toto magis pateat & florescat Mundo.



SPECU-

SPECVLO
CARMELITANO
IN LUCEM EUNTI
EXEGETICON.

QUid mihi livor edax ELIÆ tollis honores?
Abnuis & cœptæ Relligionis opus?
Quid decore ELIAM spolias? Quid ab Ordine Sanctos,
Et Monachos calamo desipiente rapis?
Quid blateras, Scriptô velut orbatissimus omni
Ordo sit, ac verâ destituatur ope?
Quid, quasi sint vappæ, quasi germen inutile fungi,
Carmeli irrides, ludificasque viros?
Prodit, ais, NEMO a, firmatque exordia *Nemo*:
Principium ex cerebro tu paris indè tuo.
Ecce tibi SPECULUM. Speculare, an *Nemo* Ribotus b,
Hildesheim c, Grossi d, Bacho e, Vineta f, Scropus g?
Num *Nemo*, qui bina ARMAMENTARIA cudit h,
In quæ nil calamus, quod tuus hiscat, habet?
Num *Nemo* DANIEL i, vir servantissimus æqui,
Cujus habes Nomen, cætera nullus habes?
I, lege, volve libros. Non est sincerior illo:
Et miræ plausum simplicitatis habet.
Quem pietas, quem cana fides, candorque bearunt.
Ne dubites, loquitur plura relictus odor.
Nemo Leo k, Brunus l, Munoz m, Magnusque n Lesana?
Et capit à *Veteri* o qui sibi nomen *Aqua*?
Wastelius p, NEMO, candore, fideque triumphans,
Qui vos Vindiciis concutit usque suis?
Bostius est q *Nemo*, magnique r Leërsius oris?
Mantua s, quem celebras, *nemo* Poeta tuus?
Non sunt NEMO. Sile, *Papebroeck*, resipisce, nigrumque
Da theta in Scriptis, si sapis, ipse tuis.
Pone tibi SPECULUM. *Speculo* emendatus abibis,
Dum, disces tantos, totque præisse Viros.
Num placuisse illis forsan mendacia, dices?
Totus & *Eliacus* ista quòd Ordo probet?
Totus? ut Andreas t, Stochius v, Sorethus w, Alanus x,
Et cujus soli non proba vita tibi y?
Albertus z, Francus a, cuique est insculpta MARIA b?
Pazzis c, & Hispani gloria Tresa d soli?
Non ita desipies. Utinam tu talia scriptis
Ex vero possis dicere abesse tuis!
Quis pudor, *Albertus*, Solymæ qui præfuit urbi,
Dicere, quòd nullo cultus honore fuit e?
Ducere & in testes *Laterano* ex Ordine f Patres,
Testes, perfidiam qui docuêre tuam g?
Quis pudor, historiam h (quam tot scripsêre i, cuique
Ipsi Pontifices, ipsaque Roma favet k;
Consiliis quam Sancta suis k Ecclesia firmat)
Dicere, COMMENTUM l est, fabula, gerra, doli?
Quis pudor, ELIAM Carmelo auferre Parentem,
Ipsius & QUEMDAM m subdere velle loco?
Indignor referens. QUEMDAM? *Sine nomine* QUEMDAM,
Carmelitarum dicere velle *Patrem* m?

a. PAPEBROCH. Commentar. ad vitam B. Alberti 8. April. n. 142. *Dum prodit* NEMO *&c. faciamus Historiæ Carmelitanæ* Initium *in Bertholdo &c.*

b. *Hic pag.* 7. c *pag.* 146. d *p.* 131. e. *pag.* 160. f. *pag.* 202. g. *pa.* 172.

h. *Franciscus Bonæ Spei*, *cujus* ARMAMENTARII *Synopsis pag.* 330. ARMAMENTARIUM II *integrum pag.* 791.

i. *Digestor & Illustrator* SPECULI: *cujus* PROPUGNACULUM *pag.* 742.

k *Multis scriptis clarus.* l *Hic pag.* 207. m. *Edidit Propugnaculum* ELIÆ.

n. *Auctor Annalium Carm.* o. *Paleonydorus, hic pag.* 220. p. *Auctor & felix vindex Ioannis XLIV.*

q. *pag.* 27. *&* 75. r *pag.* 364.

s *Bapt. Mantuanus pag.* 195.

t. *Hic tomo II. pag.* 235. v. *Ibid. pag.* 412. w. *Ibid. pag.* 597. x. *Tomo IV. Annall.* y. S. ANGELI, *cujus vitam reprobat Papebrochius. Vide* Propugnaculum *tomo I. pag.* 788. z. *Tomo II. pag.* 624. a. *pag.* 797. b. *pag.* 165. c. *pag.* 440. d *pag.* 677. e. Hunc virum...... neque Canonici Regulares, quorum professus est Institutum, neque Vercellentes, quibus Episcopus præfuit, colunt. *Papebr. Commentar. num.* 4.

f. Neque ullus Alberto cultus inter Canonicos Regulares defertur, uti adhuc nuperrimè quærentibus nobis responderi curavit totius Ordinis in Romana Curia Procurator Generalis. *Ibid. num.* 38. Sæpiùs interrogati pergunt negare Canonici Regulares quidquam se nosse de Officio S. Alberti. *Ibid.* g. FALSI *convincentes DD. Canonicorum istorum testimoniales litteras vide hic Tomo I. pag.* 750. *& p.* 869.

h. *De primo à Carmelitis in Carmelo* B. V. MARIÆ *structo Sacello.* i. *Quam probati tradunt plurimi Scriptores.*

k. *Quam sacra Rituum confirmat Congregatio.* l. *De ea sic Papebrochius:* Placet illis mirificè COMMENTUM quoddam de prima B. V. MARIÆ Ecclesia *&c. Commentar. n.* 56.

m. QUIDAM in montem appellens *&c. ibid. num.* 46.

Quis

Quis pudor, Auctores, tot qui præiêre, negare,
Proque illis unum substituisse *Phocam* n?
Suspectumque *Phocam* n Batavis qui excusus in oris,
Ac Graiæ fors quid nescio mentis habet.
An non, Bellarmine doces, ne fidito Graiis?
Commaculant, rodunt, falsificantque libros o.
Tolle *Phocam*, Papebroeck: non tanti Græculus unus,
Auctores ut tot, qui præiêre, premat.
Fide Tuis potiùs. Non vis? sed cœca voluntas
Distrahit, & Socios despicis ipse tuos?
Quàm malè distraheris! Non est via libera: non sunt
Omnia judicio subdita, crede, tuo.
Quàm timeo, ne Pontificem asperneris & ipsum!
Quàm timeo, ad summum ne tuus error eat!
Ut timui, evenit. Nihili diplomata pendis:
Dicis, & hæc multum falsificantis habent p.
Quid Leo Quartus q? ais. Nihil est, auferte Leonem:
A Quarto numquam Bulla Leone fuit q.
Papa quis orsus ita? est? Ficta hæc *exordia* q: numquam
Ista aliquid veri Bulla Leonis habet.
Heu! quò Pontificum devenit summa potestas,
Judicium illius si *Papebrochus* habet?
Pontifices sed eam, qui successêre r, probarunt;
Sicque suum robur Bulla Leonis habet.
Quæ si vera, tua est, *Papebrochi*, fabula nulla,
Provenit à Quodam nec meus Ordo tuo.
Ne preme, Musa, virum. Scis, quos vicinia jungit,
Perfidiæ sumant quàm sibi fulcra suæ s.
Ne preme, Pontifices alios errasse, docere t:
Ne preme, præscriptas non bene iisse vias v.
An premerem? Pudet & tetigisse. Ignoscite, tracti,
Quò præit, sequimur: scimus, iniqua via est.
Sed cur sic præit? Si non, præiisse, pudendum est,
Et minus opprobrii causa sequentis habet.
Vitriacum citat? Est *irrefragabilis*, inquit w:
Contra Elianos hic satis unus, ait.
Hei mihi! *Vitriaco* nimiùm malè peccat in ipso x
Quæ citat, in libro non habet ille suo x.
Sæpe ita *Stramineis* munitur & impetit armis,
Scriptoresque *nihil dicere* y, robur habet.
Post quoque bis senum retrahit *Cognomina* z Seclum,
Prodat ut errores sic magis ipse suos.
Et cur sic retrahit? Neget ut Cognomina Fratrum,
Queîs dudum exornat nos *Marianus* amor a.
Omnia quid memorem? Lapides & b Saxa revellit,
Nec sinit in tumulis ossa quieta suis.
Currit & ad Thuscos, conscribentemque *Polonum* c:
Et *Thomam* ab antiquo dimovet indè loco.
Hic suus Ughellus, suus hic Petraccius adstant:
Conveniunt Scriptis ille, nec ille suis c.
Et miratur adhuc Armamentaria? Tantùm
Hæc scuta oppositis opposuêre dolis.
Et jactabundus scribit de fructibus; *annos* d
Et *quinque* in nugis se posuisse suis?
Quin etiam votis excurrere longiùs optans,
Delicias e queritur non habuisse suas.
Quid? Num deliciæ verum postponere falso?
Non sunt hæc animo deliciosa bono.
Istaque ad incudem f revocavi sæpiùs, inquit:
Atque *Sodalitii* signa probantis habent g.

n. *Ex Ms. invento, ut dicitur, in Insula Chio, latinè verso, Amstelodamum missò, ibiq; impresso sub ficto nomine.* Ibidem.

o. Erat consuetudo Græcorum ferè ordinaria corrumpendi libros. *Bellarm. hic pag. 866. vide & Bolland. in præfat. generali ad Ianuarium c.4. §.11.*

p. *Vide Papebr. in suo Commentario n.101. 102. 103. 107.*

q Convincendæ imposturæ sufficiunt tria prima verba, *Leo Papa Quartus*. Quis enim eo tempore sic exorsus est Pontifex? *Ibid. n.103. Retunditur hic tomo I. pag 858.*

r *Sixtus IV, Gregorius XIII, Paulus V, Clemens X. Vide hic tomo I. loco citato.*

s *Monet* Armamentarium II. *hic pag. 859. n.3168.*

t *Papebr. Commentar. n.106. 107.*

v. *Quasi in gratiam Generalis Carm. Sixtus IV. confirmasset aliqua non vera.* Ibidem.

w. Irrefragabilem hujus meæ assertionis testem adduco Jacobum de Vitriaco. *Papebroeck Tomo II. April. Propyl. part.2. n.31.*

x *Ostenditur*, Papebrochium *Vitriaci textum falsificare.* Armamentarium II. *n.3774. hic pag. 1030.*

y. *Ab aliorum silentio Argumentari* Papebrochio *solenne. In Comm. nu. 57. 58. 59. Et Propyl. citati n.31. Confutat* Armamentarium *multis locis.*

z. Insolens seculo VIII aliqua usurpare cognomina. *Propyl. n.18.* Ante seculum XI nil tale invenias. *Ibid. Refellitur hic tomo I. pag. 775. n.2928. & pag. 992. & 993.*

a Qui B. V. Mariam *de Monte Carmelo* cognominaverit, nemo puto invenietur ante seculum XIII. *Propyl. loco citato. Refutatur hic pag. 994. & seqq.*

b *Papebrochii tricæ quoad lapidem sepulchralem Boppardiensem hic à pag. 1010. ad 1050. dispelluntur.*

c. *Item de Fundatione Carmeli Florentini Impostura de F. Polono per ipsum Petraccium detecta. Ac de Ughelli litteris à pag. 952. ad 1010.*

d. Annis quinq; nihil majori contentione egi &c. *Comment. n.85.*

e Nobis in tam vasto opere non licet usque ad DELICIAS exspatiari. *Propyl. n.13.*

f Hunc tractatum interpolatis vicibus octies decies've *ad incudem* revocavi. *Comment. n 143.*

g Eundem multo pluribus, quàm aliàs Societatis nostræ leges exigunt, Censoribus domesticis externisque dijudicandum *subjeci. Ibid.*

Ut

Ut ne quis casu velit effluxisse videri:
Ut ne *Conscriptos* quis latuisse *Patres*.
O bene! Convincunt ARMAMENTARIA falsi:
In *Speculo* DANIEL destruit illa suo.
Quid tamen ista juvant? Manet obduratio, nilque
ipsum sollicitat restituendus honor.
Attamen Henschenius spondet, Bollandus *b*, & ipse,
Quod prompti errores sint revocare suos.
Spondent *i*, non faciunt. Erroribus additur error,
Quamque prior, peius ultimus error habet.

b. Si rem quamcumque peccavi, à quocumq; cognovero veritatem, continuò retractabo. *Bolland. protest. ad Ianuar.* Si uspiam hallucinati, admoneat nos quivis amator Veritatis atq; ILLICO corrigemus. *Hensch. & Pap. protest. ad April.* Errata pertinentia ad Chronologiam, Topographiam, Actaq; ipsa, ... moniti, CONTINUO RETRACTABIMUS. *Ita addunt in protest. ad Mart.*

i. *Non faciunt hactenus in Carmeliticis, docti quamvis, monitiq;.*

F. VALENT. A S. AM. *Carm.*

DE SPECVLI AVCTORE,

Priùs, quàm lucem illud aspiceret, è vivis erepto.

QVàm dolui, geminum dum Sidus *perdidit Ordo*,
SPEM *quando mors* BONAM *tulit!*
Dum jacuit DANIEL, *repetito vulnere, funus*,
Rursùm recruduit dolor.
Quàm bene Cimmerias abigebat uterque tenebras,
Inscitiæque nubilum!
Quàm bene livoris frangebat uterque sagittas!
Calumnias & hostium
Quàm bene uterque dabant extinctas! Sidus *uterque*;
Vterque & Arma, *uterque* lux.
Hic radios, *simul ille suôs spargebat: & illo*
Micabat Ordo lumine.
Hic dabat Arma, *simulque* ARMAMENTARIA; *contra*
Queis Ordo stabat Æmulos.
Ille etiam dabat Arma *&* PROPUGNACULA; *cunctos*
Queis Ordo vicit Æmulos.
Ambo jacent: gaudent hostes, animosque resumunt,
Et bella rursùs apparant.
Ite, timete hostes. Nescitis, Sidera *quòd sint?*
Immota fulgent Sidera.
In Carmelæo fulgent duo Sidera *Cælo*,
Suetasque funguntur vices.
Dat SPECULUM radios, DANIEL lux *permanet. Ipse*
FRANCISCUS Anchora *Ordinis*
Spes*que manet, Tutorque sui. Quid frenditis? Ite*,
Donec manebunt Sidera;
Lunaque, Solque suos donec per inania Currus
Regent, & Influxus solo
Diffundent; Radiis *hæc* Sidera *bina micabunt*,
Dabunt & Influxus suos:
Semper erunt provisa ARMAMENTARIA *ab* Armis:
SPECULUM*que semper* lumine.

F. GRAT. A S. ELIA *Carm.*

IDEM AD AVCTORES
ACTORVM SANCTORVM,
HUJUSQUE SPECULI.

Sanctorum Decus, Acta sanctitatis
Auferri tineis, malisque blattis,
Gaudebat DANIEL. Modestus ille,
Ille candidus, ille falsitatis
Expers omnis, & hostis invidorum.*
Felices calami, laborque felix,
Beati calami, laborque sanctus:
Felix *Henschenius*, Comesque felix,
Dicebat toties. Vacare Sanctis,
Est sanctè studio vacare Sancto.
Sanctos scribere, Sanctitatis afflat
Inspiratque animos, facitque Sanctos.
Favere omnibus, invidere nulli,
Adesse omnibus, nocere nulli;
Sanctorum tenor est, modusque vitæ.
Favere omnibus, instruunt legentes,
Hortantur taciti, invidere nulli.
Felix *Henschenius*, Comesque felix,
Est sic scribere vita Sanctitatis.
Ast dum rodere vidit ille Sanctos,
Et vidit titulos negare Sanctis,
Pseudi & stigmate notare Sanctos;
Est, dixit, studium, laborque *Pseudus*,
Vindictæ labor est, & invidentis.
Hinc cœpit meliùs vacare Sanctis,
Et Acta omnia vindicare Sanctis,
Et suos titulos probare Sanctis,
Et *Pseudi* titulos negare Sanctis.
Egitque hoc studio, modoque Sancto:
Non nimis rigidè, nimisque durè,
Non torvè nimis, aut nimis malignè.
Sed usus calamo sereniore,
Conscripsit calamo benigniore:
Scripta perlege, SANCTIORE scripsit.

REVERENDO ADM. PATRI
P. DANIELI A VIRGINE MARIA
Speculum Carmelitanum componenti.

DVm nimis obscuræ Carmelides esse videntur
  Historiæ, nec eas vulgus agreste capit,
Plurima de nostro sunt excita lumina seclo,
  Digna lavare luem, sive levare diem.
Talis, Joannes Baptista LESANA probatur,
  Qui totam Eliacâ luce replevit humum.
Alter, Franciscus BENE-SPERANS, Lucifer ortus,
  Omnigeno patrium sparsit in orbe jubar.
Hos sequeris, *Daniel*, nisi malis forte præire;
  Danti aliis *Speculum* nempè præire licet.
Sicque tuum nobis *Speculum* tribuendo, sequaces
  Indè omnes multum lumen habere queunt.
O quot in hac glacie, vel in æquore deligo gemmas,
  Quas ibi divitias, deliciasque tuor!
Quàm bene res veteres, juvenesque hic cerno, micantes
  Et sine tabe libros, & sine labe viros?
Omnia prudenti constare videntur amussi,
  Quam labor & vigiles composuêre manus.
PAPÆ! si patulis hic talpa vacaret ocellis,
  Forte aliquâ tantas parte stuperet opes.
Zoilus huc ideò valeat spectator adesse;
  Namque illo forsan proficiet *Speculo*.
Quod si despiciat tam grata trophæa, manebit
  Filius Invidiæ, Nicticoraxque simul.

F. PHIL. à VISIT. *Carm. Gallo-Belg.*

FACVLTAS
Reverendissimorum Generalium.

Nos Fr. HIERONYMUS ARI *Astensis S.T.Magister, ac humilis Prior Generalis, Commissarius, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum* Beatissimæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

AVctoritate nostra, & præsentium tenore, ut liber, cui titulus est *Speculum Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo, exhibens antiqua monumenta & Vetustiorum Scriptorum libros, Tractatus, Apologias, de ejusdem Ordinis Prophetica institutione, hæreditaria successione, & Mariana protectione: nec-non Acta Sanctorum, & Catalogum virorum eruditione Illustrium, operâ, ac studio R.A.P.*DANIELIS A VIRGINE MARIA, *Prioris Provincialis Provinciæ Flandro-Belgicæ ejusdem Ordinis,* à Rev. Adm. P. Leone à S. Joanne, nostro Assistente Generali probatus, typis mandari possit, licentiam concedimus, dummodò à Rev. Adm. P. Francisco Bonæ Spei Exprovinciali dictæ nostræ Provinciæ pariter probetur, & serventur alia servanda. Horum fide datum Valencenis 15. Julii 1663. Subscriptum erat:

Fr. HIERONYMUS ARI *Generalis Carmelitarum.*

& infrà:

Fr. SEBASTIANUS FANTONUS CASTRUTIUS *Provincialis Hiberniæ, & Secretarius Ordinis.*

Locus ✠ sigilli.

Fr. MATTHÆUS ORLANDUS *S. T. Magister ac humilis Prior Generalis, nec-non Commissarius & Visitator Apostolicus Fratrum* Beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

AVctoritate nostra, præsentium tenore permittimus, ut typis mandetur liber, cui titulus est: SPECULUM CARMELITANUM, sivè *Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo*, exhibens antiqua monumenta, & vetustiorum Scriptorum libros &c. nec-non Acta Sanctorum, Catalogum Virorum Illustrium, &c. opera ac studio Rev. Adm. P. DANIELIS à V. MARIA concinnata, à RR. A. PP. *Leone à S. Ioanne* Ex-Assistente Generali, & *Francisco Bonæ-Spei* Ex-Provinciali approbata; dummodò etiam accedat consensus aliorum, ad quos de Iure spectat. Datum in Visitatione nostra Apostolica Massiliæ die 26. Julii 1669.

Fr. MATTHÆUS ORLANDUS *Generalis, & Visitator Apostolicus Carmelitarum.*

Fr. ÆMILIUS JACOMELLI *Provincialis Scotiæ, Secretarius Ordinis.*

Locus ✠ Sigilli.

Reverendissimus P. FRANCISCUS SCANAPIECUS *Successor præfati, ad Episcopatum Cephaludensem assumpti, eamdem Facultatem ratificavit.*

Fr. Æmilius Iacomelli *Sac. Theologiæ Magister, ac humilis Generalis Vicarius Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo.*

DIlecto nobis in Christo Fratri Adm Reverendo P. DANIELI à VIRGINE MARIA Provinciæ nostræ Flandro-Belgicæ nuper Provinciali salutem, & Spiritus sancti directionem. Munus Historiographi nostræ Religionis à tribus nostris Prædecessoribus Tibi demandatum, Auctoritate nostra, harum serie etiam Tibi committimus; & simul injungimus, ut SPECULUM Ordinis nostri, exhibens antiqua monumenta, & vetustorum Scriptorum Libros, Tractatus, & Apologias de ejusdem Ordinis Prophetica Institutione, hæreditaria Successione, & Mariana Protectione, nec-non Acta Sanctorum, Catalogum Virorum eruditione illustrium, &c. tuâ Operâ, ac studio concinnata, & à pluribus Theologis nostri Ordinis recognita, & approbata, quàm primùm typis evulges, dummodò alii, ad quos pertinet, etiam consentiant. Datum Romæ in Conventu nostro sanctæ MARIÆ Transpontinæ die decima quinta Ianuarii 1677.

Fr. ÆMILIUS JACOMELLI *Generalis Vic. Carmelitarum.*

Fr. ANTONIUS MARIA TUSCHI *Secretarius Ordinis.*

Locus ✠ Sigilli.

APPROBATIONES ASSISTENTIVM ET R. A. P. BONÆ SPEI.

EGo infra-scriptus testificor, me ex commissione Reverendiss. P. N. Generalis HIERONYMI ARI, recognovisse vetusta sacri Ordinis nostri monumenta, sub titulo *Speculum Fratrum B. V.* MARIÆ *de monte Carmelo &c.* quod studio & operâ non parum laudandâ R. A. P. DANIELIS Flandro-Belgicæ Provinciæ nostri Ordinis iterum Provincialis, in novam redit lucem, cujus quidem collectionis utilitas in hoc potissimùm sita est, ut qui ex nostris, vel exteris interrogant de diebus antiquis, & nostræ Carmeliticæ historiæ, tùm vetustate, tùm veritate, habeant in promptu, quod verè, sincerè, eruditè, & candidè respondeant, etiam in progenie altera. Horum fide datum in Carmelo nostro Bruxellensi die 1. Septembris an. 1663. Subscriptum erat:

Fr. LEO *Primus Assistens Generalis Ordinis Carmelitarum.*

Cum,

CUm, ut L. Annæus Seneca lib. 1. naturalium Quæstionum cap. ultimo refert, SPECULA eo potissimùm fine olim à majoribus nostris adinventa sint, ut homo semetipsum videre, & cognoscere, & quæ in se emendanda sunt, corrigere posset; ac proinde Socrates quoq; Philosophus *Speculo* ad morum disciplinâ, formandosq; animos usus fuisse legitur. Quippè qui discipulis suis suasisse fertur, crebrò ut semet in *Speculo* contemplarentur; ut si quis eorum pulchritudine suâ sibi complacuisset, curaret, ne corporis dignitaté morum dehonestamento pollueret; Qui verò minùs in se visendam formam inspectasset, in id naviter conniteretur; ut virtutis splendore inopiam formæ collustraret, atq; ingenio damna corporis ac naturæ rependeret. Cùm, inquam, id ita se habeat, nequaquam mirum videri debet, quòd olim Admodum Rev. vita & conversatione venerabilis, sui Ordinis ardentissimus amator, custosque egregius, Pater *Philippus Riboti* natione Hispanus, patriâ Catalanus, & Gerundiæ, vulgò *Girona*, natus, sui Ordinis in Provincia Cataloniæ Provincialis, inter alia, quæ pro ædificatione Fratrum suorum non contemnenda scripsit Opuscula, hoc quoque præclarum volumen, quod generali vocabulo, SPECULUM ORDINIS, nuncupatur, imò & MAGNUM SPECULUM ORDINIS, ad differentiam alterius, quod *Parvum Speculum* Ordinis dicitur, in lucem ediderit: Idemque *Speculum* Rev. Adm. P. DANIEL A VIRGINE MARIA ejusdem Ordinis nostri in Provincia Flandro-Belgica sæpiùs olim dignissimus Provincialis, post elapsa ferè à prima *Speculi* hujus editione tria secula, post plures hactenus à se magna cum nominis sui gloria, pro honore Ordinis sui dilatando, editos libros, tanta cum industria, ac cordis solicitudine in hac sua decrepita, & ex detritis planè corporis viribus infirma ætate, à nævis, quibus scatebat, detergere, expolire, notis suis doctissimis illustrare, plurimisque, qui ad idem *Speculum* in totalem sui perfectionem redigendum desiderabantur, Tractatibus, proprio labore ac studio elucubratis, plusquam in duplum adaugere dignus fuerit. Præterquàm enim quòd uterque, id est tam Author, quàm Auctor & illustrator, per hosce in hoc *Speculum* adhibitos labores, Zeli sui spiritualis fervorem erga familiam Carmelitani Ordidinis ostenderint, posterisque nominis sui memoriam commendarint, insuper ad finem, propter quem *Specula*, ex mente Socratis, & Senecæ Christianorum propemodùm Philosophorum, olim instituta fuisse noscuntur, assequendum, conniti voluêre, nimirùm ut omnes, quotquot *Speculum* hoc flagranti, & profectûs spiritualis cupido animo inspexerint, pulchramque ac venustam pervetusti Ordinis nostri faciem, nullâ prorsus senili rugâ etiamnum notatam, sed potiùs juvenili propemodùm vigore vernantem conspexerint, si Seculares sint, in amorem, & admirationem: si Religiosi, cujuscumque demùm Ordinis extiterint, in eorum, quæ in hoc *Speculo* exhibentur sanctissimorum exemplorum imitationem, & perfectionis studium: Si Prælati, in condignam Ordinis nostri æstimationem, & favorem: Si amici Ordinis fuerint & patroni, in concepti affectûs stabilimentum, novumque robur: si denique hostes, & adversarii ejusdem sacri Ordinis hactenus extiterint, ad deponenda odia antiqua, inque mutuam reconciliationem, fraternæque & Christianæ Charitatis fœdus amplectendum, efficaciter rapiantur & exstimulentur.

Non sum equidem nescius dari & *Specula* fallacia, ut in quibus caput in imo, pedes verò sursùm apparent, teste Varrone: dari & monstrifica, qualia sunt, ut author est Plinius, quæ Smyrnæ in templo dicata cernuntur. *Vidi ego quoque* (inquit doctissimus Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ V. *Speculum*) *apud Abrahamum Ortelium Cosmographum Antverpiensem, Specula, quæ os contemplantis (naturâ licèt formatum quàm optimè) mirè in arctum diductum, horrendè verò in altum extenderent. Et vicissim alia, quæ labia compressa, sine modo utrimque in latera diducerent*, &c. Sed cave sis, ne tale fallax, aut fraudulentum, vel contra Sanctæ & Orthodoxæ fidei, SS. Patrum, & Conciliorum, Christianæque Charitatis, aut bonorum morum leges efformatum hoc SPECULUM esse arbitreris: quin potiùs mihi, id tibi integerrima fide asserenti fidem indubitatam adhibeas, quòd postquàm utrumque hujus Speculi Tomum studiosissimæ, seriæque considerationis oculo accuratè perlegi, nihil hujusmodi nævorum, sive fidem, sive bonos mores labefactantium in iisdem deprehenderim. quin potiùs Dei Opt. Maximi gloriam & honorem, Ecclesiæ Sanctæ Romanæ Catholicæ utilitatem, Monastici Statûs antiquitatem, & excellentiam, cunctorumque fidelium profectum & ædificationem, ex iis, quæ utroque hoc Tomo continentur, maximopeiè promotum iri, planè mihi persuasum habeam, ac proinde utrumque Tomum præfatum tutò ac securè typis mediantibus publicam lucem aspicere posse censeo, ac sentio. E Carmelo nostro Coloniensi hac die 10. Augusti Anni 1677.

Fr. JACOBUS EMANS *Ordinis Carmelitarum in Universitate Coloniensi SS. Theologiæ Doctor & Professor ordinarius Senior.*

EX commissione speciali Reverendissimi P. HIERONYMI ARI, Generalis totius nostri Carmelitarum Ordinis, accuratè evolvi librum, cui titulus: *Speculum Prophetici Ordinis B. V.* MARIÆ *de monte Carmelo*, auctore R. A. P. DANIELE A VIRGINE MARIA, Provinciæ nostræ Flandro-Belgicæ iteratò Provinciali, ac ejusdem Ordinis Historiographo, antiquo-novum & benè tersum, in quo videre est ita clarè, & distinctè Eliani Instituti in Lege antiqua enascentis, & in nova adolescentis, antiquissimam faciem, suis veterum, ac recentiorum quorumdam domesticorum ac forensium Scriptorum ad vivum deductam lineamentis, ut facile sit cuivis illius speculatori, fucatas & fictas nonnullorum aliorum conspicere delineationes, quas ut quisque non minùs utiliter, quàm commodè conspiciat, & à veris discernat, illud prælo dignissimum judicavi. Bruxellis 23. Januarii, Anno 1666. Subscriptum erat:

Fr. FRANCISCUS BONÆ SPEI, *ejusdem Provinciæ Exprovincialis & Lovanii iterùm Sacræ Theologiæ Professor.*

FACVLTAS

Reverendi Admodum P. Provincialis.

F. MICHAEL A S. AUGUSTINO, *humilis Prior Provincialis Fratrum Ordinis* Beatissimæ V. MARIÆ de monte Carmelo *Provinciæ Flandro-Belgicæ.*

AVctoritate, qua fungimur, tenore præsentium facultatem concedimus, ut liber, cui titulus SPECULUM HISTORIALE *Ordinis Beatissimæ V.* MARIÆ *de monte Carmelo* &c. concinnatus & elucubratus operâ & studio R. Admodum P. DANIELIS A VIRG. MARIA, Exprovincialis & Historiographi ejusdem Ordinis, in lucem edatur, dummodò à duobus è nostris S. Theol. Professoribus examinatus & Approbatus fuerit, aliorumque, ad quos spectat, consensus accesserit. Datum in Carmelo nostro Gandavensi die 23. Novemb. 1679.

F. MICHAEL A S. AUGUSTINO
Provincialis Carm.

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis,

R. P. Sebastiani à S. Paulo *S. Theol. ante-hac Lovanii Professoris Ord. FF. B. V. MARIÆ de monte Carmelo.*

EX commissione R. A. R. Provincialis, librum, cui titulus, SPECULUM CARMELITANUM *sive Historia Eliani Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo* à R. A. P. DANIELE A VIRG. MARIA, Ord. FF. B. Mariæ de Carmelo iteratò Exprovinciali,

ac

ac ejusdem Ord. Historiographo, curiosissimè elaboratum, attentè legi. *In quo*, quidquid ad Carmeli antiquitatem, Sanctitatem, ac decorem spectat, irrefragabili reperi auctoritate munitum. Et signanter hæreditariam Carmelitarum ab ELIA Propheta successionem, non modò à Carmeliticis assertam comperi authoribus; verùm etiam ab omnium ferè Ordinum Doctoribus ac historiographis celeberrimis, videlicet, Benedictinis, Cistercienfibus, Dominicanis, Franciscanis, Augustinianis, Minimis, Hieronymianis, ac Patribus Societatis plusquàm vinginti duobus ex nobilioribus, præter alios externos ultrà centum & quadraginta præclarissimos. His, aliisque cujusvis ferè generis monumentis ac testimoniis, duodecim summorum Pontificum accedit authoritas. Et quamvis id tanquam fidei punctum non definiant; piæ tamen isti traditioni talem addunt firmitatem & robur, ut Joannes Carthagena sustineat intra humani testimonii limites, nullum majus aut firmius proferri posse testimonium. Similiter è Societate Doctissimi Patres Sanchez, Suarez, Salianus, Cornelius à lapide, Petrus Poyræus, Josephus Andres, & alii nonnulli, Carmelitanam advertentes historiam tot summorum Pontificum roborari auctoritate, illam ut fide humanâ dignissimam suscipiunt. Imo Ildelphonsus de Flores ejusdem Societatis præclarissimus SS. litterarum Interpres nefas ducit nonnihil sacræ Carmelitarum familiæ de vetustate detrahere.

At omnibus hisce tanti ponderis neglectis testimoniis, imò arroganter spretis, *P. Papebrochius* Societatis JESU Sacerdos, vindictæ quodam agitatus spiritu, tanto furore ac insolentia in sacram Carmelitarum Religionem invehitur, in illius antiquitatem, Sanctitatem, ac venerandas traditiones effutiendo calumnias, contumelias, subsannationes, sarcasmos, satyras, nec-non injurias, ut adversarium ac hostem infestiorem ac insolentiorem Carmelus habuerit hactenus nullum. Tanta autem illius, præ cæteris ejusdem Societatis viris longè excellentioribus, adversùs Carmelitanam historiam, adversitas, indignatio, & vindicta, aliundè suam non sumpsit originem, quàm ex prima ARMAMENTARII *R. P. Francisci Bonæ Spei* parte: in qua circa Ordinis historiam, accuratam illi dedit informationem, demonstrando aliunde ad oculum, modeste tamen & religiosè, illum inter *Sanctorum Acta mensis Martii*, à veritatis tramite nonnihil declinasse. Hoc Socium istum adeò graviter offendit, ad vindictam excitavit, tantoque accendit furore & livore, ut ab illo tempore jurasse & statuisse videatur, non modò velitari; sed spretâ veritate, justitiâ, & charitate, contrà Carmelum calumniis & falsitatibus decertare, illiusque Sanctos, ac viros doctrinâ celeberrimos, nonnisi scurrilibus nominibus ac injuriis lascescere, subsannare ac calumniari, dum illos pseudos, impostores, fabulatores, nugivendulos, noctuas, vespertiliones effronter vocare non veretur. At inter tot tantasque injuriosas ac scandolosas censuras Ordini à *P. Papebrochio* illatas, dum illas in hoc SPECULO citatas offendi, optimè animatus ac consolatus fui, illas videndo adeò evidenter & efficaciter refutatas: Ita ut difficile passim mihi fuerit, infelicem istum socium non annumerare iis, quos magnus Gregorius acriter redarguit l.26. Moral, cap.7. dicens: ARROGANTES *viri habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo* MENTIANTUR; *& cum non possint reprehendere justè, quæ sunt, reprehendunt* MENTIENDO, *quæ non sunt.* Et sanè non immeritò, cùm plurima, quæ Carmelitanæ affingit historiæ, tam clarè falsa esse convincantur, ut illorum falsitatem ignorare non potuerit, cum fateatur se duodecim annis illi dedisse operam.

Antiquissima autem nec-non hactenus indubitata Ordinis monumenta, quæ levissimis suis conjecturis ac inanibus speculationibus antiquare nequit, petulantissimis ac irreligiosissimis sarcasmis, satyris, absque ullo idoneo testimonio, arroganter tanquam non verosimilia, per unum, *non puto, non videtur, non legitur, fortè*, & hujusmodi negativa, in dubium trahit & explodit: quasi pro solida probatione omnibus sufficere debeat, quod Socius ille pro suo insulso beneplacito temerè asserere & effutire ausus fuerit. Si quos verò pro se citet authores, illorum textum mutilat, falsificat, illique addit & demit, quæ suis imposturis ac figmentis aliquam judicat posse fidem conciliare. Ad quæ, aliasque ejus astutias, dolos, flaccidumque argumentandi modum, quo Carmelitanam adeò firmiter undequaque fundatam impugnat historiam, R. A. ac Exim. P. Mag Henricus Hilden Ord. prædicatorum SS. Theol. Doct. ac professor in universitate Coloniensi Ordinarius ac publicus, maturè ex una parte *P. Papebrochii* consideratis argumentis, & ex altera, R. P. Francisci Bonæ Spei solidissimâ ac irrefragabili illorum refutatione, tam inermi adversarii impugnationi, ac inglorio conatui intimé condoluit, majorisque illum censuræ judicavit reum, quàm olim meruerint dormitabundæ puellæ, quæ *Matth.* 25. fatuæ appellantur. Et reverà sanum illi, Carmelitanam impugnanti historiam, non videtur fuisse sinciput, cùm in tantum supercilium insulsè erigere audeat, ut se suprà summos Pontifices judicem constituere non vereatur, dum Sacr. Rit. congregationis non curat decre-

ta, historias in illis contentas & ab eadem prævio examine sæpiùs recognitas ac pro veris pieque credendis confirmatas, irreverenter ut fabulas & commenta explodendo. Quin imò antiquas Pontificum Bullas in favorem Carmelitici Ordinis olim gratiosè concessas, & ut veras à Sixto IV. Gregorio XIII. Paulo V. Clement X. & nuperrimè Innocentio XI. confirmatas, non modò impetere, sed etiam imposturæ, absque ullo idoneo teste, temerè arguere non pudet; & sic summos Pontifices, qui à nemine in terris judicantur, tanquam impostores indirectè dijudicare præsumit. Verumtamen an tam insolentes ac scandalosas, adversus Sacrosanctam Sedem Romanam latas, *P. Papebrochius* cum suo juramento de reverentia S. Sedi exhibenda, reconciliare possit censuras, sic demonstret se illud servasse integrum & illæsum, lector ipse sit judex, solum juramentum illius modò considerandum propono: sic protestatur & jurat cum P. Henschenio *in præf. ad tom. I. Aprilis*, dicens: *multò sanè æquius est, nos S. Sedis Apostolicæ judicio ac decretis obtemperare: nam Cælites omnes. Deumque ipsum testamur, nos eandem Sacrosanctam Sedem, ut veritatis (quæ unicè proposita esse historiam scribentibus debet) magistram revereri, neque ab ejus scitis, jussisq; vel latum unguem declinare velle.*

Non erat profectò hujus speculi authori difficile, demonstrare *P. Papebrochium* in istud juramentum turpiter impegisse: poteratque alias satis graves illi pariter infligere censuras, nec-non sacrasmos, satyras ac subsannationes, quas in Ordinem Carmeliticum effutit, in ipsum potiori retorquere jure; & multò plura in ipsam Societatem, pro quibus quotidiani contrà illam libelli subministrant materiam abundantissimam. Noluit tamen juxta monitum Apostoli ad Rom. 12. vinci à malo, sed in bono malum vincere; ac proindè pro singulari sua religiosa modestia ac innata mansuetudine, modestè pariter ac religiosè, immodestas illius ac irreligiosas refutat imposturas, falsitates demonstrat, & scommata dissimulat: ità ut vel in minimo charitatis Christianæ leges aut religiosæ modestiæ non transgrediatur limites. Hinc cùm aliundè nihil, quod orthodoxæ fidei aut bonis moribus sit contrarium, contineat, in lucem prodire poterit. Ita judico & censeo, humillimè lectorem rogans, ut mihi ignoscat, si præter ordinarium approbationis stylum in *P. Papebrochium*, contrà charitatis leges, invehi videar. Salutare, mihi credat, erit illi alexipharmacum, & omninò necessarium: siquidem eâdem dumtaxat mensurâ, quâ mensus est, illi remetitur; ut sic petulantem suum imposterum in scribendis discat cohibere calamum, illumque juxta hanc universalem legem, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, dirigere satagat: ne, si quod vult dicat, quod non vult, posteà audire cogatur. Dabam Bruxellis in Carmelo nostro idibus Septemb. anno MDCLXXVIII.

F. SEBASTIANUS à S. PAULO *S. Theologiæ ante-hac Lovanii Professor Ord. FF. B. V. MARIÆ de Monte Carmelo.*

FR. MARCUS à RESURRECTIONE DOMINI S. Th. in alma Vniversitate Lovaniensi Regens emeritus, Ordinis Fratrum B. *MARIÆ Virginis de monte Carmelo*, ex commissione R. A. P. *Michaelis à S. Augustino* ejusdem Ordinis Provincialis, legi Opus, cui titulus SPECULUM CARMELITANUM &c. à Rev. A. P. *Daniele à Virgine MARIA* Ordinis nostri Historiographo, Ex-Provinciali, Definitore ac S. Theol. Professore, multo labore concinnatum, variis doctissimisque notis illustratum, in quo, dum nihil Orthodoxæ fidei, aut sanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium offenderim, sed ea abundanter, quibus novissimorum *Eliani* simul & *Mariani* Ordinis nostri hostium tela retundi, ejus antiquitas solidè stabiliri, ac eis semper objecta, & numquam soluta, antiquitatis Traditio, evidentissimis probari potest testimoniis, in plenam eorum satisfactionem & totius orbis instructionem, illud prælo & luce publicâ dignissimum ac aptissimum censui Bruxellis hac 24. Novembris anni 1679.

F. MARCUS A RESURRECTIONE DOMINI
qui suprà.

Ut huic

VT huic legendo me dedi Speculo, Sapientem, de quo Ecclesiastici 39, certò inveni. Ait quippe, *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit.* R. P. DANIEL ille *Sapiens.* Quàm antiquorum omnium Carmelitana in historia *sapientiam exquisivit*, qui è pulvere, è tinearum blattarumque dentibus tot antiquos de Eliano bene meritos Ordine Auctores eruderavit, & novam protraxit in lucem? *Sapientiam*; ne vana sequeretur & nullo nixa fulcro. *Sapientiam*; ut audiens sapientes evaderet sapientior. *Sapientiam*; ut Carmelitana errones in historia in rectam reduceret viam, illuminaret caligantes, retunderet & molliret obstinatos. *Et in Prophetis vacabit.* DANIEL vacavit. ELIÆ *Propheta* Sanctissimi vitam meditans, & elucidans, vacavit. ELIAM Prophetico MARIAM Spiritu cognoscentem, prædicentem, ejusque amore exardescentem, ac in Virginitate imitatorem asserens & stabiliens, vacavit. Per Prophetam *Eliseum*, Filiosque Prophetarum Propheticum firmans propagatum Institutum, vacavit. VACAVIT IN PROPHETIS. Et qui sic perdius vacavit & pernox, quàm uberes debuit proferre fructus? *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, dum ab illo CARMELI prodiit VINEA. *Volavit in Libanum, tulit* variis cum aromatibus *medullam Cedri*, dum PHOENICEM SECULORUM dedit in lucem. *Doctus verè scriba, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Sunt in uno hoc SPECULO *Nova*, sunt *Vetera.* Patent invidiæ *Vetera*, & quia à nostris sunt remotiora temporibus, quibusdam videntur Aristarchis injuriæ opportuniora. Talis veterum osor Witcleff fuit. Primus in Carmelitanam antiquitatem dentes acuit. Frendens loquitur apud Waldensem: *Carmelitæ cum ante Incarnationem Domini fundati, & Beatam Virginem Patronam habeant singularem, patet eorum excellentia supra cunctos. Nam, ut fingunt,* ELIAS *fundavit eos in monte Carmelo tamquam Filios Prophetarum. Sequitur. Fratres etiam Beatæ Virginis debent dici. Hæc VVitcleff.* Hunc secuti ducem Hæretici novissimi majori etiam odio in antiquitatem Monastices sunt debacchati. Nec hoc mirum; mirum foret, si non impeterent. At mirum, P. *Danielem Papebrochium* S. J. sic impetere: *Placet illis* (nobis Carmelitis) *Mirificè* COMMENTUM *quoddam de prima B. Virgini* MARIÆ *Ecclesia, jam indè à temporibus Apostolorum in Carmelo ædificata, à qua factum sit, ut jam tunc, qui degebant ibidem Eremitæ, vocarentur Fratres* S. *MARIÆ de monte Carmelo.* Sic Marianum ille fabulosum censet titulum. Quid de Eliano? Adhuc magis, atque adeò ut Fundatorem Ordinis velit esse unum QUEMDAM. Veniat, sistat se quoque ante SPECULUM; videatque Auctorem SPECULI non vaniloquiis aut meris insistere conjecturis: non uti & niti Sarcasmis, Satyris, fabulis, calumniis, ineptiis, aliisque quisquiliis, ad quæ insignis ipse adversarius, præ rationum inopia, refugere debuit. Videbit, historiam Carmelitanam ejusmodi fultam esse momentis, ut in humanæ credibilitatis fastigio locanda videatur. Videbit, Romanos non abire, sed accedere Pontifices. Videbit S. Rituum Congregationis approbatam firmatamque calculo. Videbit, sic approbatam, *Ad* COMMENTA, *ad fabulas, ad impudentes hyperbolas, ad apocryphas scriptiones, ad malè consultas traditiunculas, ad imposturas, ad temerè traditarum per manus fabellarum nugas*, ut ineptè blatit, non esse relegandas. Videbit, non *Asperum aculeis senticetum* esse; sed tersum, læve, lene, lucidumque SPECULUM. Videbit, præcipuos Carmelitici Ordinis aliosque Scriptores, non ut *Pseudos, impostores, ignorantes, fabulatores; non ut Commentorum, fabularum, novarum ac vacillantium narratiuncularum figulos*, esse traducendos, taliumque inurendos notâ Scommatum. Videbit, ARMAMENTARIUM CARMELI, non exsibilandum esse Sarcasmate, libelli indigitans facile perituri nomine, cum dicto: *Peribit libellus iste, nostra autem opera permanebunt.* Lepidi librorum æstimatores, chartarum molem, non molem attendentes rationum! Non struem chartaceam, sed numerum efficaciamque argumentorum attendimus Carmelitæ. En libellus ARMAMENTARIUM, cum SPECULI, si Diis placet, libello, spissis vestris Tomis repobitur. Armamentarium, cujus Auctori in edito à me *Religionis clipeo*, hocce dederam elogium: *Theologus & Historicus profundissimus,* TRIUMPHATOR HENSCHENII ET PAPEBROCHII *Iesuitarum,* NOVISSIMORUM *Ordinis nostri* HOSTIUM. Sensisse scio, indignatos esse, questosque: at nullos curat incus strepitus. Ecce Tibi, Papebrochi, alter item Triumphator, quemque encomio non verebor exornare simili:

Rumpatur, quisquis rumpitur invidiâ.

R. A. P. DANIEL *Historiographus Verax, solidus, solers & accuratus,* TRIUMPHATOR HENSCHENII & PAPEBROCHII *Iesuitarum,* NOVISSIMORUM *Ordinis nostri* HOSTIUM.

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.

Corrodat: non enim nisi veritate triumphante triumphant. Ut non abs re hocce Speculum ustorio illi simile videar posse dicere, quo Romanorum Syracusas obsidentium classem Archimedes incendit & exussit. Lucet, uritque *Speculum*, collectisque solidorum

 argumen-

argumentorum radiis, leves *Stramineaq;* Papebrochii ratiunculas & conjecturas redigit in favillas. Quàm enim in Stramineo, id est, negativo est multus ille argumento? Quàm sæpè uno *Puto*, uno *Dubito*, uno *Videtur*, aliisque pugnat plerumque magis plumbeis? Pugnantem negativis Witclessi Magistrum, sic noster excipit Waldensis? *Hic locus est, quo ad erubescendum invitemus Wilhelmum nostri Witcleff Magistrum, dicentem, Beatum Petrum numquam fuisse Romæ, nec ibi prædicasse, ideoq; nec ibi fuisse Episcopum, sed Paulum magis. Scriptura, inquit, Sancta non doces hoc in Actibus, sed Legenda quadam Apocrypha, & omnium mirabilium hoc admirandissimum esse fatetur. Mira certè protervia, quòd seductus est ad tantum, ut cæcam ratiunculam suam proponat tam extensæ famæ omnium seculorum, quæ successivè duravit.* An hic aliter? Quæ firmat Traditio, quæ Pontificum ac S. Rituum Congregationis stabilit Auctoritas, pro quibus Vetustissimorum stat fides Scriptorum, futilibus, Stramineisque impetere conjecturis, futile nimis est & Stramineum. Est, ut statim aiebat Waldensis, COECAM RATIUNCULAM *suam præponere tam extensæ* FAMÆ OMNIUM SECULORUM, *quæ successivè duravit.* Aggredere, mi Socie, hostes alios: quære aliud tibi mustaceum, undè laureolam eruas? si quid est reliquum tibi bilis, *Effunde* (Psalm. 78.) *Iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Effunde in Novatores, in Monasticæ Osores vitæ, in involantes Ecclesiæ hæreditatem. Stulto enim hic labore consumeris, dum

Bella geri placuit, nullos habitura Triumphos.

En SPECULUM absque hæresis macula: en SPECULUM absque ulla contra bonos mores labe: SPECULUM Vetustissimorum lucens radiis Auctorum. SPECULUM, quod ipse (dum Anonyma admodùm dilaudas sæpe alibi Scripta) ipse inquam laudabis, & luce præloque dignissimum judicabis, uti judicavi, judico, censeo. Dabam in Conventu nostro Gelriensi quarta Decembris 1679.

F. ALEXANDER A S. TERESIA *Carm.*
S. Theologiæ ante-hac Professor.

APPROBATIO

Censoris Ordinarii

ANTVERPIENSIS.

INfrascriptus perlegi Librum, cui titulus SPECULUM ORDINIS *Beatissimæ* V. MARIÆ *de monte Carmelo*, Auctore R. P. F. DANIELE A VIRG. MARIA ejusdem Ordinis Exprovinciali in Provincia Flandro-Belgica. Item alterum librum cui titulus, SPECULUM RELIGIOSI MONASTICI STATUS, &c. Ejusdem Auctoris à Superioribus ejusdem Ordinis examinatos & approbatos. In quibus nihil reperi, quod Fidei Orthodoxæ aut bonis moribus adversetur, sed multa pia, erudita, ac præclara doctissimè pertractata, quare eosdem typis dignos ac evulgandos censeo. Datum Antverpiæ die 6. Decemb. 1672.

AVBERTVS VANDEN EEDE,
I.V. Licentiatus, Protonotarius Apostolicus,
Canonicus & Archidiaconus,
Librorum Censor.

SVM.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

CAROLUS Dei Gratia Hispaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis SPECULUM *Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo &c.* Auctore R. P. *Daniele à Virgine* MARIA ejusdem Ordinis Provinciæ Flandro-Belgicæ Ex-provinciali editum, præter voluntatem *Michaelis Knobbari*, proximis decem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has nostræ Germaniæ Inferioris Ditiones importet, venaléve habeat: qui secus faxit, confiscatione librorum & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIV Decembris MDCLXXII.

Signat

LOYENS.

MEMORIA
AVCTORIS HVIVS SPECVLI.

AVes, Candide Lector, quis, quantusque SPECULI *Auctor* fuerit, paucis expressum? SPECULUM fuit. Luxit, quamdiu vixit, manetque vel mortuus SPECULUM. Timanthem nosti? Velim posse imitari, plusque, quàm verbis exprimo, indicare. Conor jam paucis, facturus pluribus in vita, quam meditor.

Venerabilis P. DANIEL A VIRGINE MARIA, natione Flandro-Belga fuit, Patriâ Hammensis (est *Hamme* non ignobile sub Teneramunda municipium, uno ab illa lapide dissitum) piis & honestis natus Parentibus, annumque MDCXVI. VII Idus Junii natalem habuit. Cereæ ad omnem virtutem indolis, virtutibusque à puero datus & educatus in Carmelo Gandavensi fuit. In quo, ubi per ætatem licuit, ut *Elianus* esset ac *Marianus* Candidum suscepit anno MDCXXXI habitum, votisque se devinxit. Veste candidus, candore eminuit De virtute in virtutem progrediens, pietatis lucens omnibus *Speculum*, anno MDCXL Sacerdos consecratur. Non poterat sub modio lux latere, ad candelabra evehenda. Fuit evecta. Primum ecce Novitiatus. Attollitur, factus anno MDCXLII Magister Novitiorum. Duobus indè pòst annis in Suppriorem assumitur, simulque Theologiæ Lectorem Mirum hic *Speculum* fuit Sic totum doctrina habuit, ut totum pietas possideret: sic Schola assiduum; ut non haberet Chorus absentem. Gradus fuêre. Anno MDCXLIX in Priorem Bruxellensem electus, Cœnobium dein Mechliniense Prior rexit. Verè prior fuit, virtutum *Speculo* prior omnibus. Dumque nullâ non digna dignitate virtus est, ad omnem ascendit, dignus omni. Dum anno MDCLII Reverendissimus Generalis Philippinus Belgium visitat, in unitarum adhuc Belgii Provinciarum Provincialem eligitur. Tum arsit, luxitque *Speculum*.

Quod dum dico, Timanthem meditor, imitorque. Utque magis id faciam, facit iterata anno MDCLXIII ad idem munus assumptio. Par in eo priori, quòd præsente & præsidente Generali Ordinis altero, Reverendissimo HIERONYMO ARI fuerit assumptus iterùm; in eo major, quòd invitus. Sed ne in obedientia non *Speculum* esset, obedivit. Quid dicam, Provinciæ fuisse Definitorem sæpiùs? Dum obiit, erat. Quid laudem, anno MDCLIX à & pro Reverendissimo Generali in Provincialis Capituli Præsidem fuisse delectum? Munus nullum, officium aut dignitas fuit nulla, quin obierit, omnibus par, dignus pluribus, ad regimen factus. Talem conscientiæ puritas, morum gravitas, oris suavitas, vultus majestas, mentis sagacitas, verbo, talem vitæ Sanctitas fecerat. Quàm nedum amans, sed cultor castitatis exactus? Quàm in omni conversatione mansuetus? Quàm in omni regimine zelosus & prudens? Quàm in omni dignitate humilis? Quàm Domesticis gratus & exteris? Quàm semper & in omnibus Religiosæ memor & retinens paupertatis? Quàm mortificationis & orationis ad ultimum usque spiritum amator & exercitator indefessus? A Timanthe deficio, quæ dici non possint modò, sed debeant, non exprimo; vix adumbro. Nemo illo veracior, nemo sincerior, nemo candidior. Virtutum SPECULUM fuit, passimque ab omnibus, qui noverant, VIR SANCTUS habebatur.

Pro strictiore Ordinis observantia, seu Reformatione, introducenda quantus fuit, in retinenda quantus? Si murum dicam, fuit; fecitque super eum propugnacula, ipse tale. Si ostium appellem, fuit; compegitque illud tabulis cedrinis. Murus adamantinus, cedere nescium, vi nulla infringendum ostium. Abstinentiâ, in infirma semper valetudine fuit mirabili: charitate in Deum & proximum incredibili: pro Dei, Deiparæ Matris, Sanctorumque Ordinis honore promovendo ac contra æmulos vindicando, vigiliis, studiis, laboribus is fuit, ut nec adumbrare meus calamus possit. Sed nec proposita brevitas sinit. Dum sævit, in ferali illo Antverpiensibus Autumno, mortalitas, proximi cum arsit, ursit & abstulit Charitas. Perdius & pernox adeò ad infirmos vocabatur & ibat, ut sustinendo non esset labori. Dum sublevando prompta aliorum succurrebat Fratrum alacritas, una infirmorum clamantium erat vox, *Sanctus veniat Pater.* Dum se impendit, & superimpendit, infirmitatibus, quæ fuêre ferè continuæ, exhaustus, morbo obrutus fuit, assuetæ adeò retinens orationis, ut illius non nisi cum vita finem fecerit. Quoad vires sinebant, in genua fusus super lectulum reperiebatur, ut à Fratribus capiendæ nonnihil quieti debuerit cohiberi. Sicque non desinens esse SPECULUM, inter Fratrum suspiria & preces IX Kalendas Novembr. anni MDCLXXVIII Sanctè, uti vixit, obiit, ingenti relicto sui desiderio, odore Sanctioris vitæ majori, victurus cum Deo æternùm, nomenque ejus gloriosum in *Speculo* & vita in SPECULUM.

AD LECTOREM.

ECce tandem prodit in lucem SPECULUM CARMELITANUM, à tanto jam tempore expectatum, tot votis undique expetitum. Unum doleo, dum legi & relegi impressum, reperisse tam multis errorum ubique maculis aspersum, imò nec sine vitiis in ipso contextu. Quid facerem? iis omnibus congerendis, & singulis emendandis, non poteram diuriùs immorari, dum erat festinandum: consultò prætermisi, ne indignanter nimis ferre viderer oscitantium Typothetarum negligentiam, nec parùm deberem excusare Auctoris absentiam, occupationes graviores & infirmitates corporales fere continuas.

tinuas. Quocircà verbo solùm, Lector benevole, rogatum te volo, & monitum, ut ubi videris erratum, benignè interpreteris, ne perversum generet sensum.

Quid in toto hoc opere sit effectum, exponitur in Præfatione generali & Apparatu prævio. Cur verò seriùs editum, verbo jam dicam. Ab annis circiter quinque, cùm haberet Auctor in promptu, ut SPECULUM in publicum proponeret, adversarium detexit infestissimè adorientem, qui scriptis insolenter Carm. Ordinis Originem & successionem hæreditariam ab ELIA impetiit, & Historiam universam in dubium trahere est molitus. Vidit mecum *N. Daniel* Acta Sanctorum Aprilis, vixdum in vulgus data, iisque insertos duos Commentarios refertos falsitatibus & probris, quos dum cœpit legere, & in iis vix reperiens verbum, quod non præferret manifestum evidentis imposturæ indicium, altùm suspiravit. Illane Societatis JESU Synceritas? Illene verus istorum Patrum Spiritus? Illine sunt Commentarii ad majorem Dei gloriam, ad Acta Sanctorum illustranda, ad charitatem promovendam digesti? Ne tamen V. Pater ulteriori lectione magis commoveretur & contristaretur, volebam subtrahere, sed non acquievit, donec solus semel & iterùm perlegisset! Tunc dixit, absit, mi Pater, non me contristavit ea lectio, quinimò lætor perlegisse contentum in probrosissimis istis Commentariis, quia vix unum punctum in iis inveni, quod non sit mihi facile falsitatis aut vanitatis convincere. Dolebat equidem datum in Ecclesia scandalum, & Ordini nostro impressam in Actis SS. indelebilem infamiæ notam. Ita, intimè sensit Venerabilis Pater, mansuetus totus, candidus & syncerus; qui, etsi Religiosos Ordines omnes, Societatem JESU præ reliquis habuit semper in amore & maximâ æstimatione. Testis esse potuerit V. P. Bollandus, testes PP. Henschenius ejusque Socius Papebrochius, quibuscum erat familiarissimus, sic ut abdita pectoris, & sæpè sæpiùs exquisita Ordinis monumenta aperiret. Sed ut prævidit ex istis scriptis malum hoc Ordini impendens, nec potuisse deprecari, tunc cœpit videre non sic esse fidendum, nec quidquam deinceps communicandum.

Ut vidit jam se deceptum, & ab adversario apertè Ordinem Carmelitanum graviter læsum, de præcautione deinceps adhibenda seriò monitus, ultimas has litteras scripsit die 17 Maji 1676. in hæc verba. *Cùm R. V. non tantùm in Breviaria, seu Sanctos Auctoritate Pontificum in illis contentos, & historias illis insertas, sed & in alia quævis antiqua monumenta ac Bullas etiam Pontificias Ordini concessas tam amarulento stylo invehatur, neutiquam intentio Superiorum meorum est, ut alterius aliqua scripta communicem R. V. cui appretor scientiam Sanctorum.* Alibi etiam scriptum hoc inter alia multa reperi, sub protestatione signatum die 8 Aug. 1675. *Quid opus erat contentionum istarum seminario in vestris* ACTIS? . . . . *Quoad me, sicut veritati parceret, qui diceret me ista in vita* S. Alberti, *ante impressionem vidisse & probasse (quod quidem aliquos sparsisse intellexi) ita hisce declaro, haud verum esse, in vita* S. Cyrilli *aut* S. Bertholdi NON ESSE LITTERULAM QUAM NON APPROBAVERIM. Sic veritatem testatam voluit posteris, veracissimus ipse & Candidissimus Pater. Ad certamen itaque coactus, cùm jam in lucem daturus erat SPECULUM ORDINIS, in quo digerendo & illustrando conquisitis undique monumentis vetustissimis, tot in vita annos impenderat, de illo validè muniendo, antequam è manibus demitteret, fuit non parùm solicitus: quamobrem, ne tam validis arietibus quassatum periclitaretur, Propugnaculum superstruxit, & alia multa parabat pro III Tomo, si non morte præoccupante (heu! Carmelo Flandro-Belgico quàm sensibili) fuisset impeditus. Quidquid interim in toto hoc opere contentum, ex ipso auctore integrè de verbo ad verbum hîc habes, ut reperi, sic ferè impressum. Consultò additum est ARMAMENTARIUM *Bonæ Spei*, non jam in Synopsi (ut ex I. P. contraxerat Auctor) sed integrè; ut contra insultantium tela haberetur in promptu.

SPECULUM ergo accipe sic instructum, *Non ex traditiunculis malè consutis, levissimeque fundatis conjecturis*, sed assertum solidis argumentis per totum, & munitum, ut vides, contra impetuosum nimis aggressorem. Operæ pretium esse censuerunt Viri inter Carmelitas & exteros cordati, ac veritatis studiosi, utrumque Papebrochii Commentarium integrè hîc attexere, ut vel ex eo evidenter appareat, quàm justa sit Ordinis Carm. adversus eum querimonia: quia tamen longum nimis, & jam serius erat, breviter contractum & excerptum aliquid dabo: at verò invitus, fateor, & dolens; *Dubitabam enim, utrùm salvâ Religiosâ modestiâ & charitate liceret tam insignem fœditatem redarguendo denudare; sed locus tergiversandi nullus, cogitavique* (ut ipsis PAPEBROCHII verbis Propylæi Part. 2. num. 11. dixerim) *Paucorum culpam non posse trahi in alicujus integri Ordinis infamiam. Imò hinc potissimùm censui incipiendum, ut Viri inter* Jesuitas *cordati ac veritatis studiosi; hoc tam claro exemplo admoniti exuant præjudicium de suorum quorumdam fidelitate conceptum, quod eos non patitur de re quapiam credere, quæ favere videtur* constanter traditæ *Certitudini* SUCCESSIONIS ELIANÆ

LIANÆ. Accipe ergò breviter contractum & excerptum aliquid, dum sat erit aliquid, juxtà S. Irenæum dicentem: *Neque totum mare epotandum est, ut constet ejus aquam salsam esse; sed sufficit, vel tantillum ex ea degustare.*

ELENCHVS
Errorum aliquot & Falsitatum Papebrochii.

Arrogantes viri habere hoc proprium solent, ut dum in nimia INVECTIONE *prodeunt, etiam invehendo* MENTIANTUR: *&, cùm non possint reprehendere justè, quæ sunt; reprehendunt* MENTIENDO, *quæ non sunt.*
S. Gregor. lib 26. Moral. cap. 7.

I.

PRotestatur Papebrochius, se nolle præjudicare ELIANÆ *Successioni*, neque impugnare velle. *Commentarii sui n.* 42.

Ego quidem præfatus sum, nolle me processionem Ordinis ab ELIA vocare in controversiam, & idem rursùs profiteor. *Ibid. n.* 47.

Intentionis meæ non est, Carmelitarum ab ELIA processionem hoc argumento negare. *ibid. n.* 59

Quo nunc facto (*examine*) adhuc censemus, à ferenda sententia abstinere nos posse, in gratiam Ordinis nobis DILECTISSIMI. *ibid. n.* 71.

Equidem professus sum ad VIII Aprilis in B. Alberto, & iterum hic protestor, nolle me prætensam Ordinis ab ELIA Propheta successionem attingere, nedum impugnare. *Tom.* II. *April. Propyl. Part.* 2. *n.* I.

II.

In Epistola Dicatoria Tomi I Aprilis Clementi X sic imponit: *Se Fratrum Carmelitarum exordia deducere ex Scriptorum Vetustissimorum fide.* Loco citato.

III.

S. Albertum Patriarchā Ierosolymitanum negat extra Carmeli Ordinem esse cultum. Sæpiùs interrogati pergunt negare Canonici Regulares, quidquam se nosse de Officio S. Alberti. *Commentar. n.* I. Neque Canonici Reg. quorum professus est Institutum; neque Vercellenses, quibus Episcopus præfuit, colunt. *ibid.* Neque ullus Alberto cultus inter Canonicos Regulares defertur, uti adhuc nuperrimè quærentibus nobis responderi curavit totius Ordinis in Romana Curia Procurator Generalis. *ibid.*

IV.

De cultu S. Alberti sic adhuc habet: Cultus apud COPTOS. *In Appendic. tomi* I. *April. pag.* 910.

V.

Pergit: Quisquis igitur Lectionum istarum Sacræ Congregationi offerendarum auctor fuit, hunc oportet eas somniantem scripsisse: certè non nisi somnians vidisse potuit Canonicorum Officia propria, in quibus ipsas legerit. *Commentar. n.* 38. Non modò fidem nullam, sed pœnam gravissimam commeruit, qui talia obtulit Sacræ Congregationi, tamquam à Canonicis Lateranensibus ex indulto Pontificio recitari solita. *Ibidem.*

VI.

Nisi aliquid dandum Traditioni putavissemus, potuerimus cum Viris quibusdam eruditis dubi-

I.

VOcat Ordinem *Exiguum semen decisum ex vasta aliqua & annosa arbore, ab* ELIA *plantata, & Legi gratiæ per Apostolos inserta, feliciusq́ revirescens, Orientem implevisse Monachis; donec inutiles Rami ab Ecclesiæ agro unà cum* SUO TRUNCO *per* SCHISMA *excisi, nominis tanti jus amisère.* Papebroch. Commentar. n. 42.

Dum prodit NEMO, *nec prodicurum quemquam persuadet irritus hactenus scrutantium labor, & in scrutinio deficientium*; FACIAMUS *historiæ Carmelitanæ* INITIUM *in Bertholdo.* Ibid. n. 143.

Hoccine est, nolle præjudicare Elianæ successioni, neque impugnare velle? *Hoccine est*, Processionem Ordinis ab ELIA nolle vocare in controversiam? *Hoccine est*, Non esse intentionis, Carmelitarum ab ELIA processionem negare? *Hoccine est*, à ferenda sententia abstinere in gratiam ORDINIS ipsis DILECTISSIMI? *Vbi mens? ubi sensus?*

II.

Qui illi & ubi Scriptores vetustissimi? *Non sunt loquelæ. An unus incertus & suspectus Ioannes Phoca* Scriptores vetustissimi? *Præter hunc hactenus* PRODIT NEMO, *contra Torrentem* Vetustissimorum *in Speculo productorum.*

III.

FALSITATIS *convincunt authenticæ* DD. *Abbatum Congregationis Lateranensis testimoniales litteræ. Quas integras adducit* Speculum, *semel.* n. 2835. *Iterum* n. 3186 *Signatas à Notario Apostolico.* num. 2836. *Confirmatas ab Officiali Antverpiensi.* num. 2837. *Alia item ex Austria & Polonia de eodem cultu attestatio.* n. 2838.

In memoriam revocet suam ante Martium Aprilemq́ Protestationem; an facit, quod protestatur? Deum, justitiamq́, ante oculos habeat, paretq́ palinodiam.

IV.

An non Scomma? An Idoli habet loco? Infamia Ægyptii (Copti) *colebant Idola canum, felium, &c. Hoc vult?*

V.

Credimus, an, qui errant, ipsi sibi somnia fingunt? Somniantem hic somniat Papebrochius, *cui bene vigilans* R. P. Seraphinus à JESU *facit satis, se Generalis Secretarium ex ipso & cum ipso Generali Lectiones istas, quas in Canonicorum Officiis propriis vigilans legerat, S. Congregationi vigilanter obtulisse, & obtinuisse. An gravissimam meritus ob id pœnam? laudem potiùs. Quid, qui accusat alium* FALSI? *Pende Lector, & vide in* Speculo n. 3186.

VI.

Tribuit Traditioni. Eas, lausq́ fieri. Dubitare videtur. an in rerum fuerit natura. Ad VI *Martii in vita S. Cyrilli*

tare, utrum aliquando fuisset Bertholdus iste in rerum natura. *Commentar. n.* 70.

VII.

De primo à Carmelitis B.V. MARIÆ structo in Carmelo Sacello, *ita scribit*: Placet illis mirificè COMMENTUM quoddam de prima B. V. *MARIÆ* Ecclesia, jam indè à temporibus Apostolorum in Carmelo ædificata, à qua factum sit, ut &c. *Commentar. n.* 56. De Ecclesia, quæ ibi in Deiparæ honorem fabricata fuisse FINGITUR. *Ibidem n.* 57.

VIII.

Pontificum suspectas habet Bullas, *signanter Leonis IV*. Convincendæ, imposturæ sufficiunt tria prima verba, LEO PAPA QUARTUS. Quis enim eo tempore sic exorsus est Pontifex? Commentar. *num.* 103. *Sixtum verò Pontificem illam confirmantem, arguit à Generali Ordinis inductum & delusum* &c. *Ibid. n.* 106. *&* 107.

IX.

Pingit ELIAM. *Vestem dat ex serico circulatam, undulatam, Pontificalem, Archiepiscopalem*, &c. *Ait*: Insignem novi habitus prærogativam, quâ non tantùm à vulgo Eremitarum distinguerentur Carmelitæ, sed supra omnes extollerentur. *Commentar. n.* 121. *Vide & n.* 123. *& seq.*

X.

Insolens Seculo VIII aliqua usurpare cognomina. *Propyl. n.* 18. Ante Seculum XI nil tale invenies. *Ibid.* Qui B. V. MARIAM de monte Carmelo cognominaverit, nemo PUTO invenietur ante Seculum XIII. *Ibidem.*

XI.

Irrefragabilem hujus meæ assertionis testem adduco Jacobum de Vitriaco. *Propyl. part.* 2. *n.* 31.

XII.

Plura hic per Satyram. *Falsificat* textum Guilielmi de Sanvico. *Tomo* I. *Speculi n.* 3378. Fatetur *mendacium* Bergomensis, & tamen sequitur. *n.*3344. Contradictionis *& Falsitatis* convincitur. *n.* 3384. Manifestæ iterum *Falsitatis. n.* 3493. Credit *Falsa* relationi unius Petraccii. *n.* 3535. 3540. *& seq.* Quo *Falsitatis* convictô, & ipse involvitur. *n.*3544. *Falsificat* attestationem Ughelli. *n.* 3614. Eodem ex ore calidum efflat & frigidum. *n.* 3566. Quot illius censuræ, tot indicia contra ipsum veritatis. *n.* 3626. Vide Indicem.

villi Sanctum *asserit*, *seu* Cælitibus *adscribit*. *An* Cælitibus adscripti, *qui numquam in rerum natura*?

VII.

Historiam tradunt graves Auctores plurimi: favet Traditio, & approbat S. Rituum Congregatio. An Ecclesia Commenta *probat & fabulas*? *Sed suum habet in* Armamentario *Scutum*. Joannes Rho S I. *Quis audeat nigrum illis Theta præfigere, quæ Summorum Pontificum non semel probavit auctoritas? Qua confidentia hominis illa damnantis, contra quæ ne quidem liceat disputare?* In Achat. contra Pseudo-Constant.

VIII.

Erubescit charta & atramentum. Evincendæ potiùs Censoris illiteraturæ aut procacitati sufficiunt *&c. ait, plenéq; refellit Armamentarium*, *hic n.* 3169. 3170. *& seq.* Sixtum verò IV, Gregorium XIII, Paulum V. Clementem X debet similiter dicere falsarios. *Vide n.* 3170 *Impingit in Breve Clementis X. n.* 3101.

IX.

Tali ELIAM *indutum veste S. describit Scriptura? Tali incessit S. Ioannes Baptista?* Fabulator! *Aliter Paulus, de* Melotis *&* Pellibus Caprinis. *Retunditur Scomma, &* Canisii *ad* Gythræum *adducuntur & applicantur verba*. n.3340 &c. Vide etiam n.2376. & seqq. Item n. 3171. 3175.

X.

FALSITAS! *Ostenditur usus cognominum à Christo nato, imò & ante natum*. n. 2928. & 2943. Item à n. 3636 ad 3640. *Vbi de Titulo Fratrum B. V. MARIÆ, quem impetit.*

XI.

Irrefragabilem adducere & Falsificare? *Audax, fœdumq; facinus!* Falsificare, *ostenditur*. n. 3774.

XIII.

Per Satyram de *Fabulis*. Ejus triginta duæ in Ordinem Carm. *Fabula*. à *n.* 3446. *ad* 3478. Approbata in Breviariis & Missalibus &c. explodit ut *Fabulas*. *n.* 3413. *& seqq.* Opponit *Fabulosa. n.* 3478. *Fabulosam* adducit revelationem. *n.* 3421. Calumniosè comminiscitur. *n.*3334. FINGIT titulum *Fratrum B.V. MARIÆ de monte Carmelo* tempore S. Brocardi fuisse ignotum. *num.* 3353. *Fingit* horrorem ingrediendi antiquitatem Carmelitanam. *num.* 3538. Fingit fabulator fabulam. *num.* 3548. Vide Indicem.

CONCLVSIO.

Hæc degustando *Papebrochii* mari fatis. Vel una quàm probat falsum nimis & amarum guttula? Neque insulsa quidquam dulcorare gloriatio potest, quam ad calcem Tomi I. Aprilis in Appendice pag. 910, cum suo *apud Coptos*, jactabundus adjicit. *Simile judicium, postquam impressus hic Commentarius erat, de eo tulerunt viri in dignitate tam Ecclesiastica, quàm Religiosa constituti, & eruditionis notâ celebres, ex Italis, Francis, Anglis, Germanis ac Belgis, rogati eum totum accuratè legere; cum* PARATI *essemus, etiam post impressionem*, MUTARE *vel* OMITTERE, *si quid displicuisset. Sed negarunt omnes, quidquam mutandum vel omittendum, mirificè probantes singula, nobisq; testimonium dantes, quòd solidissimè adstrueretur, quidquid hic affirmatur.* An verè? Dum sua incrustare gypso novit, omnes apud doctos indoctosque gloriolæ captat aurulas, crediderim homini, palpari cupido, palpum esse factum, non æquum undique judicium.

Quæ æquitas, non auditâ parte alterâ, damnare? Iniquitas potiùs. Adeste animis, Viri in dignitate tam Ecclesiastica quàm Religiosa, constituti, & eruditionis notâ celebres, *Itali, Franci, Angli, Germani ac Belgæ*, ecce ad vos SPECULUM. Speculemini, & videte, an non oculis ipsam Papebrochii falsam intuebimini amaritudinem. Gustate iterum & dispicite, an sit sensus, ubi est amaritudo? Non est, inquit Sapiens. Parte ergò auditâ alterâ, æquâ lance pendite, & justum judicium judicate.

Tu, quoque, *Papebrochi*, dum de corrigendo non desperas palato, quam nosti, medicinâ corrige. VERITAS est, cujus in protestatione tua sic asseris necessitatem: *Quæ unicè proposita esse historiam scribentibus debet.* Quàm nostis illam corrigendo necessariâ palato? *Si rem quamcumque peccavi, à quocumque cognovero veritatem*, CONTINUÒ RETRACTABO. Ita Magister vester Bollandus in iterata ante Ianuar. Protestatione. *Si videamur uspiam hoc in genere hallucinati*,

nati, admoneat nos quivis Amator Veritatis, atque ILLICÒ CORRIGEMUS. Ita vos in Protest. ante Aprilem. *Si qua Errata pertinentia ad Chronologiam, Topographiam, Actaq; ipsa imprudentibus exciderint, moniti* CONTINUÒ RETRACTABIMUS. Ita additis *in Protestatione ad Martium*, Monuinus, dictis scriptisque docuimus; illud ILLICO, illud CONTINUÒ exspectavimus, & non venit. In procinctu, ut prodeat, Majus est: Flores dare Majus solet; exspectamus, si protestationum vestrarum laturus flores sit, *Si flores fructum parturient*, fructum Veritatis & Charitatis in CHRISTO IESU.

PROTESTATIO
AVCTORIS.
Juxtà Decreta felic. record. Vrbani VIII.

CUm felicis recordationis Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniversalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migrârunt, gesta, & miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquàm eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. sic declaravit, ut nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penes auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, observantiâ, & reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid hoc Tomo refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quô ea solent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodò exceptis, quos eadem Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit. Et cùm interdum titulus *Sancti*, aut *Beati*, aliquibus Dei servis in hoc Tomo attributus sit, qui nondùm solemni ritu Beatificati, aut Canonizati sunt, aut pro talibus in Ecclesia recepti, id phrasi communi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, vel longæ consuetudini indulgendum duxi, aut illustrium quorundam Scriptorum auctoritatem secutus fui: in quibus interim nullatenùs intendo alicui cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut Martyrii inducere, seu augere, nec quicquam ejus existimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquandò ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusâ hac meâ lucubratione, obtinent. Sic sanctè profiteor, & protestor.

PRÆFA-

INDEX

Tractatuum, Librorum, Capitum, & Summariorum, quæ in *Speculi Carmelitani* Tomo I. continentur.

APPARATUS

AD SPECULUM CARMELITANUM.

SPECULUM RELIGIOSI MONASTICI STATUS,

Totius Monastices variam adumbrationem & delineationem ab exordio mundi, Originem quoad substantialia à S. ELIA Propheta, consummationem in perfectione à Christo Domino, & deinceps miram per totum orbem propagationem repræsentans.

TRACTATUS I.

De Religioso Statu in genere, ejus quidditate, ac multiplici & varia adumbratione, seu delineatione in quatuor prioribus mundi ætatibus.

TRACTATUS II.

Prima origo Religiosi Monastici Status, quoad substantialia, per magnum Prophetam ELIAM, sub quinta mundi ætate: Patrum, Doctorum, Scriptorū illustrium Asiæ, Africæ & Europæ, cujusvis ferè nationis, de Monachatu ejusdem S. Prophetæ, & Primatu Monasticês conspirantia asserta.

S. PROPHETÆ ELIÆ

Primi Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & istorum omnium Auctoris, Institutoris, Fundatoris, ac Principis, præcipuæ prærogativæ, & gesta, in 41. Imaginibus expressa.

Ex Scripturis sanctis, Patribus & Doctoribus, ac Scriptoribus præcipuis illustrata.

nati, admoneat nos quivis Amator Veritatis, atque ILLICÒ CORRIGEMUS. Ita vos in Protest. ante Aprilem. *Si quæ Errata pertinentia ad Chronologiam, Topographiam, Actaq; ipsa imprudentibus exciderint, moniti* CONTINUÒ RETRACTABIMUS. Ita additis *in Protestatione ad Martium*, Monuinus, dictis scriptisque docuimus; illud ILLICO, illud CONTINUÒ exspectavimus, & non venit. In procinctu, ut prodeat, Majus est: Flores dare Majus solet; exspectamus, si protestationum vestrarum laturus flores sit, *Si flores fructum parturient*, fructum Veritatis & Charitatis in CHRISTO IESU.

PROTESTATIO

AVCTORIS.

Juxtà Decreta felic. record. Vrbani VIII.

CUm felicis recordationis Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniversalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migrârunt, gesta, & miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquàm eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. sic declaravit, ut nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penes auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, observantiâ, & reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid hoc Tomo refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quô ea solent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodò exceptis, quos eadem Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit. Et cùm interdum titulus *Sancti*, aut *Beati*, aliquibus Dei servis in hoc Tomo attributus sit, qui nondùm solemni ritu Beatificati, aut Canonizati sunt, aut pro talibus in Ecclesia recepti, id phrasi communi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, vel longæ consuetudini indulgendum duxi, aut illustrium quorundam Scriptorum auctoritatem secutus fui: in quibus interim nullatenùs intendo alicui cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut Martyrii inducere, seu augere, nec quicquam ejus existimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquandò ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusâ hac meâ lucubratione, obtinent. Sic sanctè profiteor, & protestor.

PRÆFA-

INDEX

Tractatuum, Librorum, Capitum, & Summariorum, quæ in *Speculi Carmelitani* Tomo I. continentur.

APPARATUS

AD SPECULUM CARMELITANUM.

SPECULUM RELIGIOSI MONASTICI STATUS,

Totius Monastices variam adumbrationem & delineationem ab exordio mundi, Originem quoad substantialia à S. ELIA Propheta, consummationem in perfectione à Christo Domino, & deinceps miram per totum orbem propagationem repræsentans.

TRACTATUS I.

De Religioso Statu in genere, ejus quidditate, ac multiplici & varia adumbratione, seu delineatione in quatuor prioribus mundi ætatibus.

TRACTATUS II.

Prima origo Religiosi Monastici Status, quoad substantialia, per magnum Prophetam ELIAM, sub quinta mundi ætate: Patrum, Doctorum, Scriptorū illustrium Asiæ, Africæ & Europæ, cujusvis ferè nationis, de Monachatu ejusdem S. Prophetæ, & Primatu Monasticês conspirantia asserta.

S. PROPHETÆ ELIÆ

Primi Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & istorum omnium Auctoris, Institutoris, Fundatoris, ac Principis, præcipuæ prærogativæ, & gesta; in 41. Imaginibus expressa.

Ex Scripturis sanctis, Patribus & Doctoribus, ac Scriptoribus præcipuis illustrata.

TRACTATVS III.

TRAC-

TRACTATUS IV.

De Magni Prophetæ Eliæ discipulis, & posteris, Religiosæ monasticæ vitæ exercitatoribus, ac continuatoribus, in sexta mundi ætate, usque ad Christi Salvatoris adventum.

TRACTATUS V.

De Essenis Monastici Instituti cultoribus, continuatoribus, & Propagatoribus, sub veteri (in sexta mundi ætate) & nova Lege, SS. Eliæ, ac Elisei posteris.

TRACTATVS VI.

De Religiosa Monastica Eremitica Eliana vita, à S. Joanne Baptista exercita, à Christo Domino in perfectione consummata, verbo & exemplo commendata, & exindè jugiter continuata, ac propagata.

PARERGON.

TRACTATVS VII.

Liber de Institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ejusque Auctor Joannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus, auctoritati suæ asserti.

TRACTATVS VIII.

De Religioso Monastico Statu Seculo IV. & V. ac de Ordinibus *S. Antonii, S. Basilii* & *S. Augustini.*

FUNDAMENTA IV.

CARMELITANÆ HISTORIÆ.

SPECVLI CARMELITANI

PARS PRIMA.

LIBRI DECEM

De Institutione, & processu Ordinis Prophetici Eliani, Beatissimæ Virginis Mariæ *de Monte Carmelo, & de peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum.* Per Philippum Riboti *Magistrum in Sacra Pagina, Præfati Ordinis Provincialem in Cathalonia, Anno Christi MCCCLXX. scripti, & digesti.*

LIBER PRIMUS.

De Institutione Ordinis Monastici in Lege veteri, ac de quatuor gradibus, quibus ad perfectionem vitæ Religiosæ pervenitur.

LI-

LIBER SECUNDUS.

De magno Propheta ELIA, primo Monasticæ vitæ auctore, & exemplari, ejusque discipulis, ac posteris.

LIBER TERTIUS.

De Carmelo, & aliis locis, in quibus cultores Propheticæ Monasticæ Religionis primitùs conversati fuerunt.

LIBER QVARTVS.

De ascensu S. Prophetæ ELIÆ in Paradisum, successore illius Eliseo, & hujus regimine, ac præservatione Carmelicolarum à captivitatibus Judæorum.

LIBER QVINTVS.

De identitate Ordinis hujus sub Lege veteri, & nova: ac qualiter ejus alumni baptizati, & fidem Euangelicam amplexati fuerint, atque eamdem prædicaverint.

LIBER SEXTUS.

De Virgine Deipara, ejusque puritate ab originali peccato, olim in typo nubeculæ S. Prophetæ ELIÆ, & per eum suis discipulis, revelata: cui proptereà peculiariter famulati, & ab ea intitulati fuerunt: & de aliis eorum nomenclaturis.

LIBER SEPTIMUS.

De habitu hujus Ordinis, ejusque significatione, & qualiter, ac cur variatus fuerit.

LIBER

LIBER OCTAVUS.

De Regula Ordinis: per quos scripta, approbata, confirmata, & moderata fuerit.

ADDITAMENTUM

LIBER NONUS.

De novissima Ordinis hujus multiplicatione in Terra Sancta, & ejus indè transmigratione in Europam, atque inibi propagatione.

LIBER DECIMUS

De protectione, exemptione; & multiplici approbatione hujus Ordinis.

AP-

APPENDIX

Ad volumen decem Librorum præcedentium in qua exhibentur antiqua quædam Ordinis monumenta, Illustrantia, & confirmantia hactenùs dicta.

SPECVLI CARMELITANI
PARS SECUNDA.
LIBRI SEV OPVSCVLA XII.

De Antiquitate, Ortu, progressu, ac variis eventibus Ordinis Eliani Beatissimæ Virginis MARIÆ *de monte Carmeli.*

PRÆFATIO.

LIBER I. PARTIS II.
VIRIDARIVM

Ordinis Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo per JOANNEM GROSSI Priorem Generalem ejusdem Ordinis.

VIRIDARII PARS PRIMA.

De Institutione, & successione Ordinis tam sub veteri, quàm nova Lege, ac Prioribus Generalibus.

VIRIDARII PARS II.

De sanctis Patribus, & devotis, atque Scriptoribus nonnullis Ordinis Gloriosæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmeli, auctore eodem *Ioanne Grossi.*

LIBER II. PARTIS II.

DEFENSORIVM

Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmelo per modum dialogi, Auctore *Joanne Hildesheimensi*, discipulo sancti *Petri Thomæ* Patriarchæ Constantinopolitani.

LIBER III. PARTIS II.

COMPENDIVM

Historiarum & jurium pro defensione Institutionis, Confirmationis, & intitulationis Ordinis B. Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

Per Joannem Bachonem: *Qui ejusdem Ordinis Provincialis in Anglia, celeberrimæ opinione doctrinæ claruit temporibus Joannis XXII. Summi Pontificis, & Ludovici Bavari Imperatoris.*

TRACTATVS

De Institutione Ordinis Carmelitani ad venerationem B. Virginis Deiparæ.

Auctore eodem Joanne de Bachone.

LIBER IV. PARTIS II.

INFORMATIO

Circa originem, intitulationem & confirmationem Ordinis Fratrum Beatæ Virginis MARIÆ de monte Carmeli ad Dom. Petrum Corsinum Cardinalem immediatè, & per eum ad Summum Pontificem, Auctore *Bernardo Olerio* ejusdem Ordinis Generali.

LIBER V. PARTIS II.

Reverendissimi P. THOMÆ BRADLEY *Angli, Episcopi Dromorensis, & Legati Apostolici*

CHRONICON

De Institutione, successione, intitulatione, & propagatione Ordinis Fratrum B. Virginis Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmelo.

Informatio, & Supplicatio ad Summum Pontificem Eugenium IV.

Per eumdem Auctorem *Thomam Bradley*.

TRACTATUS

De Fundatione, intitulatione, antiquitate, Regulâ, & confirmatione Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, Semperque Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

Auctore eodem Reverendissimo Patre ac D. Thoma Bradleyo *Episcopo Dromorensi.*

LIBER VI. PARTIS II.

APOLOGIA

BAPTISTÆ MANTVANI Contra detractores Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmeli ad D. Sigismundum Gonzagam S. R. Eccl. Cardinalem, ejusdem Ordinis Protectorem.

LIBER VII. PARTIS II.

CHRONICON

Ordinis B. V. MARIÆ de monte Carmeli, Auctore *Ioanne de Vineta* S. Theologiæ Magistro, quondam Provinciali Franciæ.

LIBER VIII. PARTIS II.

TABVLARE

Ordinis Fratrum Deiferæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo Auctore *Petro Bruno* Gandavensi.

LIBER IX. PARTIS II.

SPECVLVM HISTORIALE

Declarativum status Ordinis Fratrum B. Virginis MARIÆ de monte Carmelo Auctore *Ioanne de Malinis.*

LIBER X. PARTIS II.

FASCICULUS TRIPARTITUS

HISTORIARUM

Prophetici, & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, *Authore Joanne Palæonidoro.* Ex impressis exemplaribus tertia editio.

LIBELLUS PRIMUS.

De instituti Prophetici *Eliani* Carmelitani Origine, propagatione, & continuata Successione usque ad Christi Salvatoris adventum.

LIBELLUS SECUNDUS.

De processu Ordinis hujus in novo Testamento usque post annum Christi millesimum centesimum.

LIBELLUS TERTIUS.

De Ordinis instauratione post ann. Christi millesimum centesimum transmigratione in Europam, inibi propagatione, ac variis eventibus, & successione Priorum Generalium.

CAP.

LIBER XI. PARTIS II.

SPECVLVM HISTORIALE

Sectatorum SS. Prophetarum *ELIÆ* & *ELISEI*, de institutione, & peculiaribus gestis, ac viris illustribus sacri Ordinis Beatissimę Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmelo. *Auctore Arnoldo Bostio* Flandro, Gandavensi.

LIBER XII. PARTIS II.

IOANNIS TRITHEMII Abbatis Spanheimensis, Ordinis S. Benedicti

LIBER.

De ortu, & progressu, ac laudibus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperq; Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

SYNOPSIS I.

Auctoritates, & Asserta illustrium Scriptorum

De primatu S. Prophetæ ELIÆ in Monastica conversatione, ac de Patriarchatu ejusdem in Ordine Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo,

Digesta per P. F. DANIELEM A VIRGINE MARIA.

SYNOPSIS II.

Conclusiones, quæ sunt instar Scutorum, quibus tutò excipiantur quævis in Carmelitanam historiam evibrata tela

Ex Carmeli Armamentario Parte 1. Auctore R. Adm. *P. Francisco Bonæ Spei*, Ordinis FF. Beatiss. Virg. MARIÆ de monte Carmelo, in alma Vniversitate Lovaniensi S. Th. Professore emerito, iteratò Provinciali Provinciæ Flandro Belgicæ.

SYNOP-

SYNOPSIS III.

Scrupuli quorumdam alii, Carmelitanæ historiæ objecti, amoventur. Conclusio fundatissima de S. Prophetæ ELIÆ Primatu in Monastica vita, & Patriarchatu in Ordine Carmelitano.

SPECVLI CARMELITANI
PARS TERTIA.
DE PATRONATU ET PATROCINIO
Beatissimæ Virginis MARIÆ *in dicatum sibi specialiter Ordinem Carmelo.*

Libri, seu Tractatus *Balduini Leersii*, Atrebatensis: *Arnoldi Bostii*, Flandri Gandavensis: Ex vetustis Mss. exemplaribus, nunc primùm editi:

Quædam etiam ejusdem subjecti ex Ven. P. Joanne Bapt. de Lezana *Procuratore Generali, &* Reverend. P. Theodoro Stratio *Priore Generali, Ordinis præfati, delibantur.*

PRÆFATIO.

LIBER I. PARTIS III.
COLLECTANEUM
EXEMPLORUM, ET MIRACULORUM.

Qualiter gloriosissima Dei Genitrix Virgo semper MARIA Carmelitarum Fratrum patrona singularissima, & singulare refugium, Ordinem suum, & Fratres provexit, protexit, ampliavit, exaltavit, quotidiè honorat, & custodit. *Authore Balduino Leersio Atrebatensi,* Ordinis ejusdem Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

LIBER II. PARTIS III.

ARNOLDI BOSTII,

Flandri, Gandavensis, *Theologi, Philosophi, Oratoris, Poëtæ præclari,* De Patronatu & Patrocinio Beatiss. Virg. *MARIÆ* in dicatum sibi Carmeli Ordinem.

CAP. IX.

LIBER III. PARTIS III.

MARIA PATRONA

De singulari SS. Virginis Mariæ Patronatu & Patrocinio in sibi devotos;

Specialiter in Carmelitici Ordinis Fratres & Sodales, qui sub S. Scapularis vexillo ipsi deserviunt: Summorum Pontificum, & gravium Doctorum auctoritatibus comprobato.

Per R. Adm. P. M. Io. Bapt. de Lezana Matritensem, dicti Ordinis Procuratorem Generalem, S. Cong. Rituum, & Indicis Consultorem, Benefic. Examinatorem, ac publicum Sap. Rom. Lectorem.

LIBER III. PARTIS IV.

INSTRVCTIO

PRO FRATRIBVS CARMELITIS

Antiquæ observantiæ Regularis, quò, sciscitantibus de Indulgentiis Confratrum Scapularis, & visitantium Ecclesias sui Ordinis respondere sciant.

A Reverendiss. P. Magistro F. Theodoro Stratio, *Priore Generali ejusdem Ordinis digesta, & ordinata.*

LI-

LIBER V. PARTIS III.

S. SCAPVLARIS

Beatissimæ Virg. Mariæ de monte Carmeli Origo, antiquitas, & privilegia

Historico-Theologicè explicata, & illustrata per P. F. D. à V. M.

LIBER VI. PARTIS III.

GRATIÆ, ET ADMIRANDA

Mediante sacro Scapulari, aut ad invocationem Beatiss. Virg. Mariæ de monte Carmeli, prestita,

Ex authenticis actis juridicarum informationum, & approbationum, probatisq; Auctoribus collecta, ac digesta, per P. D. à V. M.

Præfatio utilis, & delectabilis, variæque eruditionis, ac pietatis.

COROLLARIUM I.

Ex

COROLLARIUM II.

REGVLA

ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

De Monte Carmeli, Mysticè, & litteraliter exposita.

EXPOSITIO ANALOGICA MYSTICA

EXPOSITIO PARÆNETICA

EXPOSITIO PARÆNETICA

REGULA

TEXTUS PRIMUS.

TEXTUS SECUNDUS.

TEXTUS III.

TEXTUS IV.

TEXTUS V.

TEXTUS VI.

TEXTUS VII.

TEXTUS VIII.

TEXTUS IX.

TEXTUS X.

TEXTUS XI.

TEXTUS XII.

TEXTUS XIII.

TEXTUS XIV.

TEXTUS XV.

TEXTUS XVI.

TEXTUS XVII.

TEXTUS XVIII.

TEXTUS XIX.

APPENDIX.

RIVULI

RIVVLI
PERVTILIS DOCTRINÆ

PROPVGNACVLVM
CARMELITANÆ HISTORIÆ

Et pro ejus defensione Dissertationes.

PROPUGNACULI CARMELIT.
PARS PRIOR.

DISSERTATIONES
Circa controversias nonnullas antiquiores.

PROPUGNACULI CARMELIT.
PARS ALTERA.

DISSERTATIONES
Adversus censuras recentiores.

DISSERTATIONES
Circa Carmelitanas Historias aliquot inter præcipuas.

DISSERTATIONES
Circa habitum S. ELIÆ & Carmelitarum superiorem, olim pallium nunc cappâ, nuncupatum.

ANACEPHALÆOSIS,

TELUM

PHARETRA II.

PHARETRA III.

INDEX
HISTORICVS, ASCETICVS, ET MORALIS.

LECTORI.

CARMELITANUM prodit SPECULUM laboris hujus scopus. At quia datum nondum luci (mirum!) cuidam fuit scopulus, visum fuit *Religiosi Status Monastici* SPECULO indigere. Damus, & *Carmelitano*, præmittimus. Istud necessitas, hoc Ordo postulat. Monendus ergò es,

Indicis hujus numeros, solius esse hujus Religiosi Monastici Speculi *numeros marginales.*

A.

D.

E. Ele-

E.

F.

Fi-

L.

M.

Q.

R.

W.

Z.



SPECU-

SPECULUM

Ordinis Fratrum B.^{mæ} Virginis MARIÆ, DE MONTE CARMELI,

COMPLECTENS,

IOannis XLIV. Antistitis Hierosolymitani, B. Cyrilli Constantinopolitani, Guilielmi de Sanvico, Siberti de Beke, Philippi Riboti, Ioannis Bachonis, Ioannis de Hildensheim, Bernardi Olerii, Ioannis Grossi, Thomæ Bradley, Ioannis de Vineta, Balduini Leersii, Arnoldi Bostii, Ioannis Palæonydori, Baptistæ Mantuani, Ioannis Trithemii Abbatis, atque aliorum quorumdam veterum Auctorum libros, tractatus, apologias, nec non monumenta antiqua selecta:

IN QVIBVS REPRÆSENTANTVR

MOnasticês totius varia adumbratio, substantialis origo, & incrementa; peculiariter autem præfati Ordinis institutio à Sanctissimo Propheta Elia; & perennis propagatio per Filios Prophetarum, Rechabitas, Essenos, Monachos, & Eremitas, in Carmelo, Syria, ac aliis Christiani Orbis partibus; Patronæ quoque peculiaris protectio, Scapularis sacri Privilegium singulare, Regulæ expositio litteralis & mystica, Actaque Sanctorum diffusè exarata, nec non Præsulum, & cæterorum illustrium gesta.

PRÆFATIO GENERALIS.

OPERIS TOTIVS RATIO, PARTITIO, ORDO, ET METHODVS.

LECTORI BENEVOLO.

EN hîc reseratam januam, seu fenestellam, ad introspiciendam operis hujus structuram: da oculorum levem operam, & priusquam ad operis hujus lectionem accedas, quæ ex usu sint scivisse, disces, nempè causas scriptionis, & totius operis schema, rationem, symmetriam, ac methodum: quæ præcognita viam sternent ad subsequentia. *Ianua seu fenestella ad inspiciendam operis hujus structurã.*

§. I. *Rationes & causæ operis.*

1 S. Augustinus *lib. 7. de Civitate Dei cap. 4.* scribit: *In Vico argentario, unum vasculum, ut perfectum exeat, per multos artifices transit, cùm ab uno perfecto perfici possit. Sed aliter non putatum est operantium multitudini consulendum, nisi ut singulas artis partes citò ac facilè discerent singuli, ne omnes in arte unâ tardè, & difficilè*

 cogerentur

Opera illustria plerumque fiunt à pluribus, & ab uno perficiuntur.

cogerentur esse perfecti. Istud; licèt in dispari subjecto, nostro tamen proposito eatenùs congruit, quòd plerumque, non ab uno aliquo, non à duobus, sed à pluribus res una perficitur; ita in scientiis, & artibus, & in historiis. Et quidem quantùm ad historias, hic nudam tradit historiam succinctè; iste aliquantò plenius; ille Historiæ veritatem contra obtrectatores, aut impugnatores vendicat, apologetica scripta condendo; alius tandem ex omnibus præcedentibus medullam quodammodò delibando, & tamquam ex acervo farinæ furfures secernendo, similam solam exhibet; alius ipsos præcedentium labores in unum collatos, & notationibus illustratos, producit. Sic post plurimorum in Ecclesiastica Historia operas Cardinalis Baronius illam ad apicem perfectionis evexit. Sic in Historia, de Actis Sanctorum, post Metaphrastem, Lipomanum, & alios plurimos Scriptores, & Collectores, P. Laurentius Surius Carthusianus, præcedentium; omnium (quantùm potuit reperire) lucubrationes de Sanctis collegit, & conjunxit: quod opus perficere magno animo, & molimine aggressus est P. Joannes Bollandus Societatis Jesu, & prosequuntur socii ipsi adjuncti. Sic & variæ eruditionis, ac pietatis præclara scripta vetusta Patrum hinc inde recondita & ignota, tamquam numquam fuissent, aut nonnisi nomine tenùs cognita, collegerunt, & ediderunt: primò quidem Margarinus de la Bigne Sorbonicæ Parisiensis Scholæ percelebris Doctor, ac deindè eruditissimi Theologi Colonienses, in memorabili, & vasto opere inscripto *Magna Bibliotheca veterum Patrum*. Ita quoque quod in Ecclesiastica universali præfatus Cardinalis Baronius, in Carmelitana Historia præstitit Pater Joannes Baptista de Lezana, qui post plurimorum vetustorum & recentiorum scripta circa Ordinis hujus Originem, processum, eventus varios, viros illustres, tamquam apis argumentosa, ex omnibus mel veritatis colligendo, confecit Annalium tomos aliquot. Mihi verò ab annis supra triginta animo impressum insedit, monumenta vetustiora historiæ Carmelitanæ à viris illustribus olim elucubrata, de Ordinis origine à S. Elia, deque sacri Scapularis privilegiis, nec non de Actis Sanctorum ejusdem Ordinis: quæ extant hinc inde in scriniis, seu bibliothecis latitantia, & tenebris oblivionis quodammodò immersa, investigare, in unum volumen digerere, & notationibus illustrare: atque inter varias occupationes, horis successivis* studia mea eò potissimè hactenùs, juxta ingenii & virium mearum imbecillitatem, direxi.

* al. subcesivis

Speculi Carmelitani scribendi rationes & motiva; ut contra hæreticos demonstretur Monasticès antiquitas, & sanctitas;

2 Causæ, seu rationes quæ ad hoc opus suscipiendum, promovendum, & perficiendum impulerunt, sunt istæ: imprimìs declaratio veritatis, quibusdam non satis perspicuæ, de antiqua Ordinis hujus in veteri Lege, per S. Prophetam Eliam institutione, & hæreditaria, ac indesinenti successione: pro stabilimine, & propugnatione (contra impugnatores hæreticos) antiquitatis, & sanctitatis Religiosi Monastici Instituti: si enim evidenter demonstretur, & stabiliatur firmiter, S. Prophetam Eliam fuisse Eremitam, & Monachum, atque Eremitarum, ac Monachorum primum Principem (pro-ut eum passim nominant Patres, & Doctores) & Spiritus S. instinctu, atque expresso Dei mandato instituisse Ordinem Propheticum, Monasticum, cujus alumni (dicti Filii Prophetarum, Esseni, Essæi, & successivè alias nomenclaturas subeuntes) in observantia Vitæ Monasticæ, seu Eremiticæ, juxtà formam ab ipso Elia præmonstratam, jugiter perstiterint, tùm in veteri Lege, tùm in nova continuati semper per varias temporum vicissitudines, & propagati; indè manifestâ sequelâ infertur (contra Witcleff hæresiarcham, & alios ejus asseclas Novatores, falsò calumniantes vanitatis & novitatis Ordines Religiosos) Monasticum Institutum, sanctum, altissimis sic defixum fuisse radicibus in Ecclesia, tum veteris, tum novæ legis, quòd nec per Tyrannorum rabiem, nec ipsorum hæreticorum furorem, umquam subripi, aut evelli potuerit. *Quare summam laudem merentur, qui tenebrarum filiis hanc Religionis lucem à tempore Eliæ exortam, suis scriptis ornatam proponunt*. Ita Carthagena, & Laurentius Beyerlinck (a).

(a) Apud Matth. à S. Joan. in hist. Paneg. p. 1. c. 26.

& ut Carmelitæ ferventiùs æmulentur virtutes sui Patriarchæ S. P. Eliæ.

3. Deindè magnus fuit stimulus ad suscipiendum hoc opus, ut dum firmiter stabilitur, & patenter demonstratur, magnum Prophetam Eliam Ordinis hujus esse fundatorem, illius alumni alacriùs & ferventiùs satagant ejus vitam, & virtutes imitari. Sanctorum etenim Patrum, & Institutorum, cujusvis Religionis exempla à Deo nobis proposita sunt, velut viva vitæ Sanctæ exemplaria, ac velut imagines quædam vivæ, ad imitationem proposita, sicut

ſicut S. Baſilius appoſitè, & præclarè monet: (a) *Quemadmodum pictores cùm imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar reſpicientes, lineamenta inde ad ſuum opificium transferre contendunt. Sic oportet, eum qui ſtudet ſeipſum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad ſanctorum hominum vitas, velut ad ſtatuas mobiles, & actuoſas, oculos intendere: atque illorum bona, ſua facere*: nempè eos identidem inſpiciunt, & *faciunt ſecundum exemplar, quod* in illis à Deo *monſtratum eſt*. Iſtis ſuppar eſt exemplar vitæ Sanctorum ejuſdem Ordinis, qui ſuos Patriarchas ponè ſequentes, perfectionis, & ſanctitatis culmen poſt illos conſcenderunt. Et iſtud peculiare etiam fuit motivum, ad inſerenda quoque huic operi Acta Sanctorum ejuſdem Ordinis.

(a) Epiſt. 1. ad Greg. Nazianz.

& aliorum Sanctorum Ordinis,

4. Prætereà illa etiam invitavit ratio ad hoc opus, quæ & Philippum Riboti ad volumen decem librorum (quod hic proximè ſequitur in prima Speculi Carmelitani parte) *Cauſa*, inquit, *præcipua edendi hoc volumen fuit, diſperſio ſententiarum, & auctoritatum, quæ dum in uno codice ſimul collectæ non legebantur, quælibet ſe ſola noſtræ Religionis Inſtitutionem, & proceſſum incompletè deſcribebat. Cùm autem in hoc volumine, ſub compendio, in libris diſtinctis, per ordinem compinguntur, originem dictæ Religionis, & Inſtitutionem, converſationem quoque, & proceſſum, atque ſtatum, ſatis perſpicuè pandunt.* Eô etiam motivô Arnoldus Boſtius confecit Speculum Hiſtoriale, de quo hic infra in parte ſecunda ſub finem: id & meum eſt intentum, ut præcipua quæ de Ordine hoc dici, aut expeti à quopiam poſſunt, in uno Volumine, ſeu Opere, ſimul juncta reperiantur; utpote omnia, inter ſe quamdam habent connexionem, ſeu relationem, imò & dependentiam, ut conſideranti facile eſt advertere.

motiva alia ad hoc opus,

5. Denique ad hunc laborem movit, ut præclaræ vetuſtorum, nobiliumque Scriptorum lucubrationes de Ordine hoc, atque illius Sanctis, & viris illuſtribus, deque Patronatu Beatiſſimæ Virginis Mariæ in hunc Ordinem, pleræque hactenùs aut latentes in ſcriniis, & periclitantes de omnimodo interitu, aut certè paucis cognitæ, de caligine, morſuque blattarum erutæ, publicæ fiant, & à quibuſvis appetentibus obtineri queant. Hac enim ratione perutilem operam credo navare; dum apud nonnullos tenebris quaſi involuta veritas illa de Ordinis hujus antiquiſſima Inſtitutione, & jugi, ac numquam interrupta ſucceſſione, luci clariori reddetur, aſſereturque dignitati: ne deinceps externi aliqui circa Carmelitanas hiſtorias tantoperè hallucinentur: Et ut Ordinis hujus alumni intuentes vetuſtam ſuam originem, ſuperædificatam ſuper fundamentum Prophetarum, & hujus rei tantam *habentes impoſitam nubem teſtium* (b) atque conſiderantes ſancta priſcorum Patrum ſuorum geſta, & glorioſas virtutes, nec non potentiſſimæ Patronæ, & Matris ſuæ patrocinium multiplex, & benevolentiæ effuſa viſcera, iſtorum incitentur, & ſatagant inſiſtere veſtigiis, & huic reddere dignum obſequium; ne filii parentibus ſint degeneres, nec Clientes Protectrici ſuæ ingrati, atque inofficioſi: Aſt huic devotè famulantes, iſtoſque ſtrenuè æmulantes, illorum protectione muniri in terris, & conſortiis ſociari in cœlis promereantur.

(b) ad Heb. 12.

6. Porrò quantæ utilitatis, & ideò quàm laudabile ſit veterum illuſtrium Auctorum ſcripta latentia, ac potiſſimùm Acta Sanctorum, in publicum producere, atteſtantem audiamus Joannem Molanum, illuſtre Univerſitatis Lovanienſis decus: is in *tractatu de Martyrologiis* (c) ſcribit: *Gratiſſimam Catholicis, & qui pietatem amant facere operam, qui nondum impreſſa præclara Sanctorum geſta bibliothecis inveſtigare volent, & prælo dare.* Ita ille. Gratiſſima quoque opera veri-amatoribus eſt, etiam alia monumenta; & vetuſtas hiſtorias inquirere, ac publici juris facere. Sic igitur vetuſtiora de Ordine Monumenta, & ſcripta, Actaque Sanctorum, quaſi ruinis obruta, & altâ oblivione ſepulta, è rudoribus ac tenebris eruta, in lucem vendicare, omnis mea ſolertia, & ſtudium in hoc opere laboravit. An non utiliter in Ordine ad fines jam prætactos, Chriſtianæ mentis Lector arbiter ſit.

(c) cap. 20.

§. 2. *Subjectum Operis, & partitio.*

7. SUbjectum igitur Operis hujus SPECULI CARMELITANI, (poſt Apparatum, & in eo compendium ſtatûs Religioſi) in prima, & ſecunda parte, ſunt ſcripta præcedentium antiquorum Patrum, & Auctorum, ac vetuſta monumenta Ordinis Carmelitani, de ejuſdem primaria inſtitutione,

Speculi Carmelitani subjectum, seu contenta in eo;

ac perenni hæreditaria successione, fundata in auctoritate sacræ Scripturæ,& Patrum, ac universali traditione Ordinis. Inter ea principem obtinet locum Liber *de Institutione primorum Monachorum* scriptus circa annum Christi 412 per Joannem Hierosolymitanum Antistitem, partim ex sacra Scriptura, partim ex traditione seniorum quibuscum à puero vixerat, qui & ipsi à majoribus eadem per manus acceperant, partim ex iis, quæ per experientiam ipse didicerat, sicuti in libri contextu, sub initium,& in sequentibus ipse indicat. De isto libro, ejusque auctore, plura in sequentibus. Istum ponè subsequuntur vetustiores, & præstantiores de Ordine Scriptores S. Cyrillus Constantinopolitanus, olim Generalis Ordinis, incola Carmeli, Guilielmus de * Sanvico etiam Carmelicola, Sibertus de Beke * eruditione in Ordine illustris: qui, & cæteri, iisdem insistunt fundamentis, sacræ videlicet Scripturæ, Patrum,& traditionis. Hinc patet quanta sit certitudo, seu probabilitas dicendorum; utpote in quibus omnibus non novitates, sed approbata in sacris litteris, & Patribus, totius vitæ Monasticæ primaria exemplaria, Ordinis Carmelitani origo, & per bina millenaria & sexcenta secula, ac suprà, continuata propago, & status varii traduntur, & illustrantur. Cùm autem, testante morum præceptore Senecâ, in cognitionem totiùs adducamur, faciliùs per partes, opus hoc, prodit distributum in Tomos binos, & illi distinctas habent partes, ac libros, seu tractatus.

* al. Samuco.
* al. Beka.

in Tomo 1. contenta:

8. Tomi primi prima Pars exhibet volumen decem librorum, ex vetustiorum de hoc Ordine Scriptorum præfatorum (Joannis XLIV. Antistitis Jerosolymitani, S. Cyrilli Constantinopolitani, Siberti de Beka, & Guilielmi de Sanvico) operibus, concinnè contextum, & digestum anno salutis nostræ 1370. per Philippum Riboti. Inscribitur passim, Decem libri *de Institutione & peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum*, & à nonnullis nuncupatur *Speculum Ordinis*. Illud prodit magnô studiô à mendis litterariis, quibus exemplaria Venetiis anno 1507. excusa scatebant, perpurgatum, ex vetustis MSS. Codicibus, Gandensi in membrana exarato, & Mechliniensi inter se, & cum impresso Veneto, accuratè collatis. Post singulos libros notationes obscuriora illustrantes subjiciuntur. Secunda complectitur libros, tractatus, Opuscula Joannis Trithemii Abbatis Germani, Joannis Bachonis Angli, Joannis Grossi Generalis Tholosani, Joannis de Hildensheim Westphali, Bernardi Olerii Generalis Hispani, Thomæ Bradley, seu Scropi Episcopi Dromorensis in Hibernia, Baptistæ Mantuani Generalis Itali, Arnoldi Bostii Flandri, Joannis Palæonydori Batavi, atque aliorum quorumdam *de Antiquitate, ortu, progressu, ac titulo Ordinis Prophetici Eliani Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli*. Tertia Pars comprehendet perelegantem librum ejusdem Arnoldi Bostii *de Patronatu B. Virginis in suum Ordinem Carmelitanum* (scriptus is fuit anno 1479) & *Collectaneum exemplorum* Balduini Leersii (qui obiit Atrebati anno Domini 1483) librum V. P. Joannis Baptistæ de Lezana, cui titulus: *Maria Patrona*. Reverendissimi P. Theodori Stratii Generalis *instructionem de Confraternitate sacri Scapularis, & Indulgentiis Ordini concessis*, cum subjunctis notis, atque copiosum tractatum de nomine, antiquitate & privilegiis ejusdem sacri Scapularis Partheno-Carmilitici, de admirandis beneficiis eô mediante præstitis, deque maternali Virginis Matris in hunc Ordinem amore multipliciter exhibito. Miscellanea tum subsequuntur, videlicèt *Regulæ expositio*, ac quædam alia: & ista omnia constituunt primum Tomum.

Tom. 2.

9. Tomus secundus parte quarta continet *Acta Sanctorum*, imprimis S. P. N. Eliæ exemplaris perfectissimi Carmeliticæ perfectionis: deinde subsequuntur vitæ, & Acta Sanctorum, & Beatorum aliorùm, ordine mensium, & dierum, quibus coluntur: denique partem illam finiunt Tractatus bini de Sanctis antiquis, sub veteri, & nova Lege, S. Eliæ posteris, seu æmulatoribus. Parte quinta in aliquot discretâ libris, producuntur liber Arnoldi Bostii, *de viris illustribus Ordinis hujus*, & ejusdem tituli Joannis Trithemii Abbatis: consequenter commemorantur *Antistites, ex hoc Ordine assumpti*, & deindè *Religiosi, ac Moniales, vitæ sanctimoniâ, aut præclaris virtutibus insignes*. Utrumque Tomum præcedit Index librorum, & capitum, atque Index rerum claudit. Ante tomum primum, in Apparatu (qui proximè sequitur) præmittitur Speculum Religiosi Monastici status, totius Monasticês variam adumbrationem, & delineatio-

delineationem ab exordio mundi, originem, quoad substantialia, à S. Elia Propheta, consummationem in perfectione à Christo Domino, & deinceps miram per totum orbem propagationem repræsentans: cur autem, ratio mox reddetur §. 6. iterumque in Speculi istius prologo. Et ista de totius operis hujus subjecto. Ex dictis sperare liceat, hoc opus & antiquitatis honore esse venerabile, & multiplici rerum varietate delectabile. Passim etiam (peculiariter Tomo 1. Parte 1. Libro 1. Tomo 2. Parte 4. per totam, & alibi) Spiritualia documenta, Moralia Instituta, Regularia præcepta, atque exempla, quæ animum ad pietatem, & Dei amorem efficaciter promoveant, inserta sunt. Et hinc cum oblectamento conjuncta quoque utilitas.

§. 3. *Methodus servata in hoc opere.*

10 ORdinem in omnibus servandum, certamque methodum, & rationem, nos suô Deus exemplô in mundi fabrica, & gubernio instruit, miro ordine Orbis universi machinam construens, & conservans, atque *omnia in mensura & numero, & pondere disponens* (a) (sicut pleniùs declarabitur §. 6.) Ordo igitur cœlos, elementa, & totum universum; & Hierarchica ordinata disciplina Ecclesiam conservant. Ita & Scriptores in suis operibus certum ordinem, Symmetriam, & methodum sibi præfigere, & sequi debent. Ordo in hoc opere servandus quo ad suas partes jam statim indicatus. Methodus nobis præfixa erit, & observabitur ista, ut ante Auctorum vetustorum libros, seu tractatus, præmittatur notatio prævia, in qua de ipso Opere, deque ejus Auctore, qualis, & quando claruerit, agetur. Ad finem autem capitum plerumque, charactere distincto, & aliquantò minore (pro majori distinctione) subsequentur annotationes, obscuriora, aut quæ difficultatem aliquam habere videntur, explicantes, & illustrantes. Vt autem faciliùs Lector advertat, ad quem locum spectant eæ annotationes, singulis præfixæ sunt litteræ A. B. C. &c. eædem sunt in contextu orationis impressæ. Quæ ex sacra Scriptura, aliisque libris citantur, ea, quo ex loco sumpta sunt, indicantur, vel in ipsa serie narrationis, vel (ne Authorum molestum præ longitudine catalogum texamus in ipso textu) quandoque in margine adnotantur. Præterea ad Lectorum commodum, compendia eorum quæ tractantur in margine apponuntur.

Ordo in rebus omnibus amabilis:

(a) Sap. 11.

Ordo servatus in Speculo Carmelit.

§. 4. *Inscriptio operis, & ejus ratio.*

11 SPECVLVM inscribitur totum hoc opus; tum quòd etiam olim volumen continens vetusta Ordinis monumenta sic fuerit nuncupatum; tum quod in eo, tamquam in Speculo, reluceant Ordinis primæva per S. Eliam institutio, & ab eodem hæreditaria continuata successio, propagatio, Regulæ traditio, approbatio, ac varia confirmatio, & eventus varii, incendia, lanienæ, Ordinisque è Terra Sancta translatio in Europam, & inibi multiplicatio, viri sanctitate illustres, aut singulari doctrinâ conspicui, ratio quoque nomenclaturæ à Super-benedicta Virgine Deipara Maria, & patrocinium multiplex ejusdem.

SPECULUM *cur intitulatur hoc opus,*

12 Sequitur in titulo operis: ORDINIS FRATRUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. Ratio istius tituli præcipuè à Sacello Deiparæ in Carmelo, temporibus Apostolorum constructo, & dicato, à Romanis Pontificibus pluribus confirmati, redditur in opere hoc, variis locis, Tomo 1. (b) & etiam 2. quæ videri poterunt; ideò opus non est, diutiùs hîc immorari. Quantum ad istud DE MONTE-CARMELI: sic in genitivo casu legitur in sacra Scriptura (c) *Montem Carmeli, Monte Carmeli:* & in antiquioribus Bullis, in Bullariis Ordinis MSS. & impresso Venetiis anno 1507. in Speculo Ordinis, in quo impresso, & in antiquis MSS. similiter constanter legitur, *de Monte Carmeli*. Apud paucos antiquos, & varios recentiores legitur (nec etiam inconvenienter) *de Monte-Carmelo*; atque ita arbitrarium est: in hoc opere plerumque servabitur usus Scripturæ sacræ, Pontificum, & Scriptorum veterum, *de Monte-Carmeli*.

(b) n. 240. & 529. ac seq. & alibi sæpè.

(c) lib. 3. Reg. c. 18. & lib. 4. c. 2. ac 4: de monte Carmeli, *legitur in sacr. Biblus, & antiq. scriptis.*

§. 5. *Ratio ortographiæ, & cur in hoc opere subindè auctoritates eædem reciprocentur.*

Ortographiæ ratio varia, & arbitraria in variis.

13 QVoad ortographiam, seu rectè scribendi rationem, varius apud varios, nec unus idemque, nec constans, nec generalis, inter præstantiores Scriptores usus est in non paucis verbis seu dictionibus: en aliquot exempla: *Ierosolyma, Irusalem, Iericho* constanter legitur in Bibliis sacris, saltem recentioribus emendatis, & in Officiis divinis: apud Scriptores quandoque etiam sic, & subindè cum præposita littera H. *Hierosolyma*, &c. Ita quoque in Bibliis, & passim Scriptores recentiores, *Elias, Eliseus, Ieremias* &c. sed apud veteres sæpè etiam cum H. De una eademque urbe Lusitaniæ: *Olysippo, Olisipo, Vlyssippo, Vlyssipo, Vlixbona, Lisbona, Lisboa.* sic & in aliis. En obiter alia quædam similia passim obvia: *Auctor, author, autor*: & indè *auctoritas, authoritas* &c. *Saculum, hæreditas*: apud alios simplici *e, hereditas, seculum* &c. *Littera*, apud alios, *litera.* Quantùm ad voculationes, seu vocum, & accentuum notationes, variatio etiam magna cernitur. Justus Lipsius, Ioannes Bollandus, & quidam alii, constanter omnia ablativa in à, etiam cum prævia præpositione *in à* &c. scribunt cum accentu sic *à*: Ità quidem Lipsius * *in vitâ*, & sic passim alibi: similiter P. Bollandus: *in Ecclesiâ Romanâ*: Ità ille in Præfatione generali ante tomum primum Ianuarii §. 2. & sic in tomis octo usque ad tertium Martii sub finem, ubi *in nullâ sui parte corruptum.* Cardinalis autem Baronius, & discipuli, ac successores P. Bollandi (in Actis Sanctorum Aprilis) & alii plures, nulla ablativa in a (etiam absoluta absque *in, ab* &c.) cum notula, seu accentu scribunt. Cùm igitur præfata, & non pauca alia, nullâ certâ lege regantur; propereà in hoc opere scrupulosè illis non attendetur, nisi plerumque in illis, quæ dubium habent sensum, sic *doctè, pessimè, demissiùs, unà, verùm, cùm*, & alia similia cum accentu passim signantur: quod etiam plerumque in hoc opere observabitur, distinctionis gratiâ, ob quam plerumque etiam in ablativis absolutis sic notabitur â. Dignitatum nomina *Episcopus, Rex, Dux* &c. apud varios litteris initialibus majusculis, apud alios minusculis scribuntur: atque etiam ita id velut arbitrarium videtur.

* in epistola ad Ioannem Woverium de epitaphio suo, in principio operum ejus Antv. an. 1637.

Auctoritates, & rationes eadem cur in variis locis subindè eadem reproducantur, & reciprocentur in hoc opere:

14. Denique animadvertendum, quòd in hoc Speculo, variis in locis quandoque eædem adducantur auctoritates, & fundamenta: ratio hæc persuasit, id haud inconveniens, sed expediens fore in hoc opere, in quo subindè impugnandi hæretici, monasticès, & antiquitatis, ac sanctitatis illius impugnatores, & non infrequenter etiam satisfaciendum argumentis Scriptorum orthodoxorum, circà originem primam, ac hæreditariam successionem Ordinis Carmelitani, a S. Propheta Elia, circà ejusdem varium habitum, circa Sanctos, aliasque Carmelitanas historias. Etenim frequenter à diversis moventur controversiæ circà eadem, sed mediis diversis; eapropter, ut cuique satisfiat distinctiùs, oportuit sæpiùs assertorum Carmelitanorum, & solutionis objectorum adversùs illa, testes eosdem, eademque fundamenta reproducere, & quæ hinc indè ante, aut pòst, præcesserunt, aut sequùntur, seorsim, prout occasio exigebat, visum est subindè necessarium, simul in uno loco conjungere; ut Lectoris consulatur commodo, & temporis lucro; ut percipiat argumentorum vim, nec cogatur hinc indè auctoritates citatas perquirere, sed eas junctas, uno veluti obtutu, seu continuatâ lectione contempletur.

ut Lectoris commodo consulatur.

§. 6. *Cur* SPECULO CARMELITANO *præmittatur* SPECULUM STATUS RELIGIOSI, *in compendio contractum.*

(a) Sap. 11.

Ordinem in rebus omnibus Deus commendat:

15 DEus sapientia æterna *omnia in mensura, & numero, & pondere disponit* (a) (sicut paulò ante dicebatur) id est, in modo, specie, & ordine, apposité, singula sic inter se ordinavit, ut inter ea summus sit ordo; & indè decor, concordia, ac harmonia. *Hæc tria*, ut S. Augustinus libro *de Natura boni cap.* 3. ait: *modus, species & ordo, tamquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis: & ita hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt.* Rationem à priori dat Plato *dialogo de natura*, quod *fas non erat, nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus*: pulchritudo autè consistit in justa ratione, & proportione, putà in mensura, numero & ordine.

Id

Id nos, quantùm possumus, imitari decet, ut omnia nostra membra, actiones, gestus, in mensura, numero, & ordine disponamus: atque in cunctis agendis ordinatè procedamus. Hinc principes scientiarum in illis tradendis ordinatè procedunt; & quidem ad ordinem attendentes, sic tradunt scientias, & earum principia, ut à generalibus incipientes descendant ad particularia. Ità quoque convenienter in historiis; propterea hîc ante tractationem de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani, prævie nonnulla de Religioso Monastico statu in genere delibanda videntur; & inde descendendum ad hunc Ordinem in particulari. Et ante SPECULUM ORDINIS CARMELITANI spectandum exhibetur, SPECULUM STATUS-RELIGIOSI in genere, in compendio contractum, seu in brevi velut schemate delineatum.

Ordo rebus omnibus decorem conciliat.

SPECULUM STATUS RELIGIOSI, cur præmittatur SPECULO CARMELITANO.

16 Accedit, quòd in Speculo Carmelitano frequenter occurrat occasio agendi de statu Religioso-monastico in genere; & quòd S. Propheta Elias Monachus primus, princepsque monachorum, etiam sit Patriarcha, ac Fundator Ordinis Carmelitani; quippe qui primus hominum in paupertate voluntaria, castitate perpetua, ceterisque monasticis virtutibus, vitam solitariam, Religiosam, monasticam ducere cœpit; primùm quidem in solitudine Carith, deinde in deserto montis Horeb, ac tandem stabiliter in Carmelo, ubi discipulos suos congregavit, qui deinde ad solitudines circa Jordanem, atque alia loca propagati fuerunt, & jugiter successerunt. Eo igitur ipso quo Institutor est Ordinis sui Carmelitani, etiam primus extitit exercitator, & Auctor Monasticês. Rationes aliæ traditi hîc Compendij historialis, de varia adumbratione, delineatione, origine, perfectione, ac propagatione Monasticês, panduntur hic proximè in operis istius (SPECULI STATUS RELIGIOSI-MONASTICI) prologo.

17. Et hæc sufficiat prævia Lectoris instructio de utroque Speculo: ante cujus contemplationem meritò, & ex debito, in spiritu humilitatis, affectu filiali, invocanda Mater nostra Amabilis; ut in hoc opere arduo (verè etenim *res ardua vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem* (a) & in non paucis, ubi scriptorum, aut monumentorum inopia est, de abditis, & veluti ab occultis, veritatem trahere; ac in lucem producere) in hoc itinere tam longo (historiæ Carmelitanæ, ultra bina millenaria, & sex secula extensæ) auspicem, ducem ac moderatricem se exhibeat: id fiducialiter sperare licet (etenim

Vult DULCIS: REGINA *potest*: *debetque* PATRONA) (b)

ut cedat ad majorem Dei, Filij, suumque honorem, atque ad nostram ædificationem, progressum in virtutibus, & incrementum gratiæ, germinantis in vitam æternam. Amen.

Opus hoc arduum, & cur.

(a) Plin. in Præfat. ad Vesp. Imper.

Invocatio Matris amabilis Mariæ.

(b) Ita Arn. Bost. de Patron. B. V. M. in prologo.



AP-

APPARATUS
AD SPECULUM CARMELITANUM.

Apparatûs necessitas, & utilitas: cur hoc loco copiosus.

(a) Arist. in *problem.*

18 SCientia quælibet, juxta philosophum (a) fit ex prænotionibus, quibus intellectus humanus juvatur; ut in ejus adyta introducatur. Hinc passim libris præfigi solent prolegomena, quæ sunt instar Isagogês, ut mens ad materiæ pertractandæ notitiam præparetur, & quasi ingrediatur. Idcirco ante ingressum in Carmelitanam historiam præmittitur Tractatus hic præliminaris, qui non incongruè videtur nuncupandus APPARATUS: sicut enim ad bellum gerendum necessaria, dicuntur *Apparatus bellicus*; sic ad tradendam Carmelitanam historiam requiritur omninò *Apparatus historicus*. Cùm autem bellum infertur offensivum, quò gravius istud, eo etiam pro defensione Apparatus Bellicus debet esse copiosior: Carmelitana historia extensa est ultrà bina annorum millenaria, & sex secula (etenim hoc anno post Christi nativitatem 1677. fluxerunt ab anno ante ejusdem nativitatem 926. quo Elias in Carmelo Ordinem plantavit, anni bis mille sexcenti & tres) intereà multiplices, & graves persecutiones pertulit Carmeli Ordo, in suo ortu, in incrementis, & propagatione usque in præsens (inter adversitates, & tribulationes jugiter Dei protectione, & Matris suæ amabilis patrocinio, ac S. Patris Eliæ meritis & precibus singulariter protectus). Ità quidem, ut veraciter etiam illi competat istud Davidicum (b): *Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ.* Et illud (c): *In tribulatione dilatasti mihi.* De octo persecutionibus generalibus Ordinis hujus agetur in Speculi Carmelitani tomo 2. ad diem XIV. Novembris: de aliis etiam sermo erit in eodem tomo hinc indè. De multis etiam mentio est in tomo primo. Et de persecutionibus ipsius Ordinis ista hìc obiter.

Præfationes, & prolegomena cur libris præfiguntur.

cur ea Apparatus historicus congruè nuncupentur.

quare hic copiosus,

Persecutiones graves Ord. Carm.

(b) Ps. 128.
(c) Psal. 4.

& historia ejusdem:

cujus in Europa impugnator primus Ioan. Witcleff.

19. Quantùm ad Ordinis historiam (de qua hìc) primus in Europa eam impugnasse noscitur nominatim Joannes Witcleff, hæreticus, & hæresiarcha, ab Ecclesiâ anathematizatus, qui, veluti homo insanus, & amens; inter pestifera dogmata amarulentam in Ordines Religiosos monasticos, suis erroribus se opponentes, bilem effudit affatim, eos assimilans Judæ proditori, & ipsi satanæ, seu diabolo, his verbis (d). *Ista secta nolunt de secta Christi, & ejus regula contentari, sed unam novam in multis frivolam, & legi Christi contrariam machinantur: ideò non solum videntur esse Satanas, sed ipse diabolus tamquam Iudas.* Ità ille apud Waldensem in *Doctrinali antiquitatum fidei* tomo 3. (qui est *de Sacramentalibus*) titulo 9. cap. 89. ubi, & tomo 1. libro 3. articulo 1. cap. 4. & alibi Waldensis ipse ex Scripturis sanctis, & Patribus, declarat Monasticês seu Religiosi monastici status originem, antiquitatem, & sanctitatem à S. Elia *Principe monachorum*, qui hujus conversationis (monasticæ) *auctor, Scripturarum auctoritate* comprobatur à S. Hieronymo, S. Isidoro, & aliis. Atque ità à veritate quàm maximè alienum (sicut in sequentibus luculentius demonstrabitur) quòd Monastices, seu Ordines Religiosi *sint secta nova, frivola &c.* sicut criminatur Witcleff. Carmelitarum autem suis falsis dogmatibus obsistentium fuit etiam infestissimus hostis; idcircò primus in Ordinis originem à S. Elia Propheta, ac titulum à SS. Dei Matre Maria (binas primarias Ordinis prærogativas) invectus fuit his verbis; *Carmelitæ inquiunt cùm ante incarnationem Domini fundati, & Beatam Virginem patronam habeant singularem, patet eorum excellentia supra cunctos. Nam, ut fingunt, Elias fundavit eos in monte Carmelo, tamquam filios Prophetarum. Sequitur, Fratres etiam Beatæ Virginis debent dici.* Ità ille, circa annum Christi 1350. circa quem virus suum pestiferum per Angliam sparsit, & ad Bohemiam usque per suum discipulum Hieronymum Pragensem transfudit. Ille igitur primus, & antesignanus fuit, qui in Europa scriptis Carmelitanam originem à S. Elia, & titulum à B. Virgine Maria impetere cæpisse noscitur in Anglia: ubi mox asseclas plures habuisse constat ex solemni decreto Cantabrigiensis Universitatis, cujus initium est: *Vniversis S. Matris Ecclesiæ filiis præsentes litteras inspecturis Ioannes de Donewico Cancellarius Vniversitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam. Cùm nuper à nonnullis Vniversitatis prædictæ studentibus Institutio, Intitulatio, & Confirmatio Ordinis Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli nimis præsumptuosè revocabantur in dubium; undè discordia, ac rixa quamplurima inter Scholares ejusdem Vniversitatis fuerant suscitata, nec non magna perturbatio invalescebat in eadem.* Eâ occasione in judicio contradictorio hæc solemniter facta fuit decisio: *Nos verò Cancellarius memoratus, attendentes præmissa consona esse juri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà cum nonnullis aliis munimentis & scripturis antiquis, de consilio, & consensu discretorum, & Iurisperitorum dictæ Vniversitatis nobis assistentium in ea parte, & per eamdem deputatorum, dictum*

(d) de diabolo c. 2.

& mox post eum alii plures;

quibus se opposuit Cantabrigiensis Vniversitas:

ctum Ord. Fr. B. Mariæ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum: & titulo B. Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitũ; ac Fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa, exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, & successores, causa cognitione, & juris ordine in ea parte de jure requisitis, ad plenum reservatis, reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his scriptis: inhibentes &c. Dat. Cantabrigiæ 23. die mensis Februarii an. Dom. 1374. Decretum istud integrum, & etiam alterum, habentur hîc infrà in Speculi Carm. tomo 1. sub finem (a).

(a) n. 517. & seq.

20. Anno sequenti (1375) in Generalem Ordinis electus Bernardus Olerius, per Petrum Corsinum Episcopum Florentinum, ac deindè Cardinalem Summo Pontifici obtulit *Informationem*, in cujus initio hæc leguntur: *Quidam quærentes quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi, in aliquibus partibus populum Dei informarunt, quòd Ordo non habeat Beatam Dei Genitricem in Patronam specialem: & quòd in jure communi minimè sit confirmatus; & proindè nec Fratres ejusdem Ordinis, Religiosi sint dicendi. Ratione cujus infamationis Fratres ipsius Ordinis plura patiuntur opprobria, & derisiones, ad scandalum populi, & ad inquietudinem animarum suarum.* Anno 1380. Bartholomæus Cardinalis tituli S. Marcelli pro parte totius Ordinis Carmelitarum ad supplicationem Nicolai de Luca Procuratoris Generalis, obtulit (pro remedio) Summo Pontifici Urbano VI. libellum supplicem hujus tenoris: *Pater Beatissime, quia Ordo Fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli, tam de jure positivo, quam per sanctos Romanos Pontifices diversos fuerat ab antiquis temporibus confirmatus, & Gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus; quidam tamen iniquitatis filii, & alumni, spiritu invidiæ, & malitiæ agitati, non obstantibus confirmatione, & intitulatione prædictis, eidem Ordini detrahere non desistunt, dicentes, nec ipsum Ordinem, nec Fratres ejusdem Ordinis esse, vel fuisse jure positivo confirmatum, seu confirmatos. nec ipsos esse Fratres Beatissimæ Genitricis Dei.* Plura circa hæc videri poterunt in Speculi Carmelitani tomo eodem (b) ubi etiam de remedio à Pontifice adhibito, nempè *omnibus Christi-fidelibus, qui Ordinem ipsum, & Fratres ejusdem Ordinis, Ordinem, & Fratres Beatiss. Mariæ Genitricis Dei vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum concedere gratiosè, perpetuis temporibus duraturam.* Quam eamdem Indulgentiam confirmarunt ejusdem Successores.

Apostolicæ etiam Sedis postulatum præsidium,

& ab ea remedium adhibitum.

(b) Specul. Carm. to. 1 n. 2032.

21. Sæculo sequenti Thomas Bradley Anglus, posteà Episcopus Dromorensis in Hibernia, in *Informatione ad Eugenium IV. Pontificem* (quæ habetur *in Speculo Carmelit. to. 1. n. 817.*) ferè eadem testatur, quæ in prædicta Supplicatione, de impugnatione præfatorũ. Eâ occasione Apologeticos Tractatus scripserunt plures: aliqui inseruntur *to. 1. Speculi Carmelitani*, videlicet *Defensorium* Joan. Hildesheimensis, *Informatio* præfati P. Generalis Bernardi, *Informatio*, seu *supplicatio* prænominati Thomæ Bradley, Apologia Baptistæ Mantuani. Igitur sicut Ordinum Religiosorum in genere, ita Carmelitanæ antiquitatis, & historiæ in speciali publicus impugnator fuit in Europa Witcleff, cujus veneno infecti plures, ejusdem pestifera dogmata dilataverunt. Et quidem quantùm ad Religiosos Ordines monasticos tam contumeliosè à Witcleff habitos, hæretici sequentes, *ut Monasticen vituperent, portentosa mendacia quotidiè de Monachis fingunt, & quacumq; oblatâ occasione in Monachos invehuntur, atque eos in odium vulgi rapiunt, & primarios Antichristi satellites vocant*, uti testatur Cardinalis Bellarminus *in Præfatione libri de monachis.*

Witclefi asseclæ hæretici portentosa mendacia de monachis fingunt.

22. Impugnationes illæ antiquitatis, & processûs Ord. Carm. à S. Elia, & intitulationis à SS. Virg. Maria, à Witclefo inchoatæ, continuatæ deindè sunt longo temporis tractu. Intereà Summi Pont. benè informati, sic de Ordine hoc scripserunt in Bullis suis: *Carmelitarum Ordo per Eliam, & Eliseum in monte Carmeli inchoatus*: ita Alexander V. Anglus natione, in Bulla, cujus initium est: *Universis, & singulis Christi-fidelibus* &c. *Tenore cujusdam* &c. data an. Chr. 1409. die 7. Decembris. In ea inserit, & approbat Bullam Joan. XXII. nuncupatam *Sabbatinam*, cujus initium est: *Sacratissimo uti culmine*, in quâ eadem inseruntur. Nil clarius dici potest: *per Eliam, & Eliseum inchoatus.* Bulla utriusq; traditur in Carmelitani Speculi tomo 1. (a) Haud minus perspicuè loquuntur Pontifices alii, & quidẽ Sixtus IV. in Bulla, dicta, *Mare Carmelitarum*, sub initium: *Dum attentâ meditatione pensamus*, &c. *Sacrum Ordinem B. Mariæ de monte Carmeli, à Sede Apostolicâ, pluribusque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum, quem ejusdem gloriosiss. Dei Genitricis semperque V. Mariæ, speciali titulo voluit insigniri.* Et ista de Ordinis multiplici approbatione, ac intitulatione: sequitur deindè de ejusdem à S. Elia origine & successione: *Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Itâ Sixtus IV. in Bulla nuncupata *Mare Magnum Carmelitarũ* data an. Chr. 1476. & in altera, confirmatoria Indulgentiarum Ordinis data anno 1477. confirmata à Julio II. iisdem utente verbis, in Bulla, cujus initium est. *Ad Sacrum* data an. 1504. Innoc. VIII. in Bulla, cujus initiũ est: *Dum attenta*, data anno Domini 1484. iisdem ferè utitur verbis. Ita quoque Gregorius XIII. in Bulla: *Ut Laudes*, data an. 1577. Eadem in diversis Bullis, seu Litteris Apostolicis, tradit Clemens VIII. cujus verba adducentur in sequentibus.

Pontifices de Carmelitano Ordine à S. Elia, Alexander V. & ante eum Ioan. XXII.

(a) n. 2162. & seq.

Iulius II.

Innocentius VIII.

Greg. XIII.

23. De Raphaëlis Volaterani, Sabellici, Zuingeri, Ioannis Heroldi, Polydori, & aliorum hallucinationibus circa Carmelitanam historiam peculiariter tractat, & eas refellit P. Petrus Wastelius lib. 1. Vindiciarum (b) ubi, inter alia de nonnullis istorum meritò scribit: *Mirabile est, quòd viri, etiam in primis illustres inter Scriptores, sic de Virginis familia errent crassè, ut, vel referre tantum pudeat quod in libris suis ipsi exararint*, nempè confundentes

(b) sect. 5. art. 1.

Hallucinationes variorum in Carmelitana historia:

B Hono-

Honorium III. cum Honorio IV. Albertum Patriarcham Hierosolymit. cum Alberto Siculo: Alia eorum *figmenta* & *somnia* ibidem demonstrat. Hoc autem sæculo novæ exortæ sunt opiniones,& contradictiones adversùs *Historiam Propheticam*, & in ea contentas assertiones de *monachatu S. Eliæ, & posterorum ejus*. Disceptationes illæ annis plurimis continuatæ sunt in Hispania; donec tandem finis impositus fuit à Sapientissimo Senatu sanctæ generalis Inquisitionis per decretum suum an. 1639. & 1641. confirmatû peremptorio decreto an. 1673. de quo plura in sequentibus. Denique ab annis paucis primariæ historiæ Carmelitanæ magno molimine impetitę fuerunt. Prima vitæ S. Eliæ,& Carmelitanæ historiæ,est de *visione virorum candidorum*,in nativitate S. Eliæ,tradita à pręclaris, & multis,Patribus, ac Scriptoribus: interim ab aliquo recentiore proscribitur, ut commentum,*à fabulatoribus non admodùm vetustis*: sic quoque aliæ Carmelitanæ historiæ non paucæ primariæ censurantur.

Controversia recentiores circa S. Eliæ monachatû, & historias primarias Carmelitanas;

24. Itaq; scribens historias Carmelitanas non immeritò sibi applicare potest istud S. Pauli Apostoli (a): *Ostium mihi apertum est magnum*, atque istud: *& adversarii multi*. Ostiû magnum ad historiâ extensam per bina annorum millenaria,& sex secula, atque ultra: & interea adversarii multi. Unde liquet, quòd necessarius sit apparatus bellicus,& assumenda arma; arma non ferro munita,sed auctoritates,& rationes adversariorû tela retundentes:& quandoque faciendę veluti velitationes, non ad offendendum, sed ad defendendum: nec mittimus tela, sed in nos missa, cum moderamine,repellimus.

(a) 1. Cor. 16.

necessitas Apparatûs copiosioris pro historia Carmelit. defensione.

S. P. Elias sui Ordinis sæpè oppressi præpotens conservator, & ejusdem potentissima protectrix Mater amabilis sacra Virgo Dei Genitrix Maria.

25. MEmoratu dignissimû,pro consolatione professorum, & amatorum Ordinis Carmelitici,ab æmulis impetiti, aut in quacumq; tribulatione constituti, ad pietatis profectû non parùm conducens, hîc in limine perutiliter proponendû videtur. Jacobus Salianus Annalista veteris Testamenti in epitaphio S. Eliæ (b) hæc inter alia ibi de eo tradit: *Magnum illud Prophetarum lumen Elias Thesbites &c. lectos Prophetarum,& Religiosorum in Carmelo,totaq; Chananitide, manipulos, sui æmulos,atque imitatores, instituit, ad cælestem vitam,mundo ignotam, ac contemptam traducendâ adduxit,tot seculis, suarum precum,quasi facularû ardore,calefecit,& ad hanc diem tot inter rerum, locorum,temporumque varietates,constantes reddidit,magni sui Patriarchæ sectatores.* Quod dicitur: *Tot seculis suarum precum, quasi facularû, ardore calefecit*: id confirmatur quoque revelatione ipsius Dei Matris Ordinis Patronæ facta S. Petro Thomæ (postmodû Patriarchæ Constantinopolitano) pro suo Ordine hoc graviter tunc afflicto intensiùs oranti festo Pentecostés,tempore Clementis Papæ sexti, his alloquentis,& consolantis verbis: *Confide, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usq; sæculi est perseveratura: Elias namque ejus institutor jam olim etiam à Filio meo id impetravit.* Igitur *magni sui Patriarchæ precibus* Ordinem hunc conservat,& protegit,& protexit hactenùs Divina providentia,etiam inter gravissimas persecutiones. Insignis apparitio S.P.N. Eliæ expansis brachiis supra Capitulû,quod Vallisoleti celebrabatur an. Chr. 1587, describetur hîc infrà tr. 3. cap. 33. De Divina providentia peculiari erga hunc Ordinem plura videri poterunt in Spec. Carm. parte 1. lib. 10. c. 5. (a) parte 2. lib. 2. c. 4. & 5. (b).

(b) in Annal. ad an. mundi 3139

Duratio, seu conservatio perennis Ord. Carm. precibus S. P. Eliæ;

(a) vid. n. 474.
(b) vid. n. 659. & 661

26. Sed potissime Ordinis protectio illa specialis attribuenda est Ordinis Matri amabili,Patronæ potentissimæ Mariæ, sicut plenissimè & ad oculum demonstrat Arnoldus Bostius in pio,ac eleganti libro, *de Patronatu B. Virginis*,ubi(inter alia)sic c. 1. auspicatur: *Non est ignota domui suæ rerum veritas: pleni sunt Patrum nostrorû annales,& historiæ; qualiter ab initio,& per incrementa temporû, Carmelicolas unicè semper adoptarit Virgo super omnes amans, amabilis,& amata.* Et cap. 4. *Maria verò cæli Reginæ dignissima singulariter beneplacitû est in populo suo, Carmelitano catu.* Et infrà: *Cæli Regina superexaltissima Virgo Maria, universalis Christianorum omnium Mater, communis omnium hominum portus,& refugium; peculiariter Fratrû Carmelitarum Mater est, atq; Patrona. Dicam igitur:*

sed ea potissimè adscribenda protectioni B. V. M.

peculiari Carmelitarum Matri, & Patronæ:

Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo
Confovet,& placidè pennula tensa tegit;
Sic lenitate potens, affectu dives opimo
Carmelum pavit ubere, lacte, sinu.

Liber ille impressus extat in Speculo Carm. to. 1. (c) & illum præcedit ejusdem subjecti liber: COLLECTANEUM EXEMPLORUM, ET MIRACULORUM: *Qualiter gloriosiss. Dei Genitrix V. semper Maria Carmelitarum Fratrum patrona singularissima,& singulare refugium, Ordinem suum, & Fratres provexit, protexit, ampliavit, exaltavit, quotidiè honorat, & custodit.* Ut obiter pauca atringantur, tempore Honorii Papæ III. cùm nonnulli apud eum instarent pro Ordinis totius extinctione, Pontifici mater Dei apparuit, & imperiosè mandavit Ordini præstari favorem, & auxiliû:& significavit, Dei judicio eâdem nocte duos adversarios præcipuos subitâ morte plexos, dispari exitu, sed decessu pari. Historia ex domesticis, & exteris plenius in sequentibus tradetur. Aliquantò post,cùm Saracenis,& Paganis Terram S. totam devastantibus, & occupantibus, Carmeli Ordo ex Carmelo,& tota Terra S. eradicaretur,& in Europam translatus, ibi propagari inciperet, ac gravissimæ contradictiones ingruerent, & progressum impedirent, quanto affectu præamabilis Mater patrocinata fuerit, videre licet in Spec. Carm. to. 1. eodem, parte 1. lib. 9. c. 3. & 7. (d) Quomodò etiâ in occasionibus aliis frequentissimè ordinem afflictû potenter protexerit, videre licebit in Speculi illius tomo eodê parte 3. per totâ. Propterea olim, per plura secula, Festo *Commemor. solemnis* hæc ad Missam, & vesp. legebatur Orat. *Deus, qui excellentiss. V. & M. Maria titulo Ord. humilem tibi electû singulariter deco-*

(c) n. 1524. & seq.

protectionis istius exempla aliquot.

(d) vid. n. 417. & 438 & 440. & 442 & 445 & alibi,

deco-

decorasti, ac pro defensione ejusdem miracula suscitasti &c. Et ista hic obiter.

27. Quantùm ad historiam Ordinis oppressam ab æmulis, seu aliis ex ignorantia, quandoque etiam cùm gravior procella exorta fuit, subsecutum fuit patrocinium efficax: id ut etiam exemplis aliquot patefiat; quandò præfatus Witcleff & alii in Ordinis historiam, in Carmelitanam antiquitatem, & originem, & ejus titulum debacchari cœperunt, præsertim in Anglia; cùm ibidem nonnulli invidiosè impeterent nomenclaturam illam Ordinis, *Fratres B Virginis Mariæ* (sicut jam ante audivimus) Divina, & manifesta adfuit vindicta in obloquentes, & imago Deiparæ Cestriæ in Ecclesia S. Werburgæ, tempore solemnis processionis, cum digito innuendo, eisdem Carmelitis, cunctis audientibus, dixit. *Ecce Fratres mei, Ecce Fratres mei, Ecce Fratres mei dilecti, atque praelecti.* Historiam *ex gestis illius Ecclesiæ* tradit in Chronico Carmelitano Thomas Bradley, seu Scropus, eruditione, & pietate clarus, Episcopus Dromorensis in Hibernia, atque etiam alii: videatur in *tomo 1. Speculi Carmelitani* (a). Ad hoc propositum ista scribit Aubertus Miræus: (b) *Strenuam ergò primi Christi sementi, & Virginis laudi cùm Elia posteri operam navarent, illustrissimum cognomentum adepti sunt, ut* VIRGINIS FRATRES *appellarentur. Quem sanè honorificum titulum clementissima Regina, & visis, & miraculis, uti rem invidiosam, propugnavit, multisque aliis prærogativis gentem auxit: inter quas superhumerale, seu Scapulare, temporis processu B. Simoni Anglicano donatum, mirificè elucet.* Præfatum autem *titulum* FRATRES BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI *Summi Pontifices non modo confirmarunt, sed & Indulgentias peculiares iis, qui eo titulo, vel Ordinem vel Fratres singulos nuncuparent, concessêre.* Ità legitur in Officio *Commemorationis solemnis Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmeli,* auctoritate Pontificum concesso, & approbato, de quo mox plura.

Nomenclatura FRATRES B. V. MARIÆ, *duplici miraculo confirmata.*

(a) n. 790.

(b) lib. de Orig. & increm. Ord. Carm. in prologo.

28. Prætermissis vetustioribus, quæ largâ manu subministrant Balduinus Leersius in *Collectaneo exemplorum*, & Arnoldus Bostius in libro *de Patronatu B. Virginis*, ac Lezana in opere ejusdem tituli, hic infrà in *Speculo Carmelitano* (c) volupè erit, delibare etiam quædam recentiora. Sub initium hujus seculi XVII. anno Christi 1609. in Lusitania gravissima tempestas irruit in privilegia sacri Scapularis Mariani-Carmelitici, per annos aliquot continuata; sed ea miro eventu tandem sedata fuit, & finem accepit per decretum Sacr. Inquisit. generalis Romæ, Pauli V. Pontificis auctoritate editum, & promulgatum. Historia pleniùs refertur in Speculo Carmelitano. (d) Post annos aliquot Theologus quidam in Gallia calamum strinxit adversùs Scapularis Mariani Carmelitici privilegia; sed ecce mox varia defensionis præsidia: imprimìs in Gallia variis in locis Scapularis sanctitas, & virtus declarata fuit variis signis, & beneficiis suprà naturam: unius obiter meminisse sat erit, ex testimonio Presbyterorum Missionariorum Patrû Congregationis Oratorii, litteris tradito à P. Joanne le Jeune. (a) sic ex Gallico Latino reddito: *Anno 1656. die 7. Septembris, apud Santones, inter hæreticos, mixtos Catholicis, exortum fuit magnum incendium, quod nullo molimine extingui poterat, sed ulteriùs grassabatur. Hortatu unius Patrum Missionariorum adolescens pius, illis Patribus serviens, Scapulare suum injecit inter flammas, quæ statim in altum elevatæ fuerunt, & tum descendentes, extinctæ mox fuerunt: Scapulare autem inviolatum ab igne postridiè inter cineres & quisquilias repertû fuit. Calvinistæ ibi præsentes & admirantes casum, mussitantes dicebant: Iuvenis ille est magus. Catholici autem Deum laudabant, Scapularis virtutem venerantes.* Ità ille ex testibus de visu: etiam ibidem alia quædam commemorat: videatur in Speculo Carmelitano, tomo 1. (b) Nec tantùm in Gallia, sed & in Italia, Hispania, Germania, Polonia, & Belgio similia acciderunt hoc seculo, descripta à P. Theophilo Raynaudo, *tomo 7. operum ejus*, in libro *de Scapulari Mariano parte 1. cap. 6.* nec non à D. Bartheloto Magno Vic. Abbatiæ S. Petri Senonensis in Burgundia in *Compendio Mirabilium Scapularis* Gallicè edito, & excuso, primùm Tullis anno 1645. deindè Bruxellis an. 1652. & ab aliis: videatur in Speculo Carmelitano. (c) Sub idem tempus res accidit singulariter memorabilis in Alexandro VII. Summo Pontifice, qui suo exemplo testatus est, quo in pretio habendum Scapulare B. Virginis Mariæ. Id sic refert P. Hippolytus Maraccius libro de *Cæsaribus Marianis*, in *Dedicatoria* ad ipsummet Alexandrum Papam, ad quem ista: *Cum sacrum illum Habitum, Scapulare Carmeliticum nuncupatum &c. jam olim devotissimè suscepisses; & die Mercurii Beatæ Virgini Carmelitanæ sacro, Tibique propterea devoto, supremus Ecclesiæ Hierarcha fuisses renuntiatus: pietatis Virgineæ retinentissimus, pro Carmelitarum lege, ac more, abstinentiam à carnibus, in summa licèt corporis debilitate, & Pontificiæ inaugurationis labore, intactam, ut anteà, eo die servare, ac illibatam custodire volueris.* Idipsum luculentius descriptum, & aliorum testimoniis comprobatum videri poterit in Speculo Carmelitano. (d) In Gallia etiam plures permoti adversùs Theologum istum, doctissimi viri, strenui pugiles, Ioannes Cheron Burdegalensis, Thomas Aquinas Aquitanus, Philibertus Fezayus Professor Aquensis, Irenæus à S. Jacobo Rhedonensis in Ordine nostro insignes; ac ex Jesuiticea inclyta Familia Rev. P. Theophilus Raynaudus contra ipsum libris, seu Tractatibus in lucem editis, egregiè scripserunt; ipsius falsa dogmata confutantes. Ita P. Lezana (e). Tandem ea ipsa quæ Theologus ille & nonnulli in Lusitania in dubium revocabant, asserta, & stabilita jam antè auctoritate Sacr. Rit. Congr. præfatæ, subscribentibus Eminentiss. Cardinalibus Bellarmino, Pinello, & de Torres; rursùs auctoritate Sum. Pont. Cle-

(c) tomo 1. parte 3.

Scapularis B. V. M. privilegia impetita:

(d) tomo 1. parte 3. lib. 5. c. 17. n. 2212. & seq.

(a) in Missionario parte 4. Serm. 118.

defensa insigni miraculo:

(b) n. 2367.

& etiam pluribus aliis:

(c) tomo 1. lib. 6. quasi per totum, sparsim.

Alexandri Papæ VII. insigne pietatis exemplum.

(d) tomo 1. n. 2272. & seq.

Scapularis propugnatores insignes.

(e) Annal. tom. 1. ad an. 1322. n. 15.

Ecclesiæ sensus circa S. Scapularis dignitatem, & virtutem,

Clementes X. & Sacr. ejusdem Congregationis, Eminentiss. Card. Carpineo subscribente, approbata, & stabilita fuerunt, inserta Officio Commemorationis solemnis, in quo ista leguntur: *Insigne sacri Scapularis, quod B. Simoni Anglico præbuit, ut cælesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur.* Et aliquantò post: *Non in hoc tantùm seculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis Beatissima Virgo insignivit, verùm & in alio (cum ubique & potentiâ, & misericordiâ plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorii expiantur, solari, ac in cælestem patriam obtentu suo quamociùs piè creditur efferre:* Ista uberiùs declarantur, & confirmantur in Speculo Carmelitano, tomo 1. parte 3. lib. 5. cap. 11. & seq. Ista simultanea quasi concurrentia controversiarum circà sacrum Scapulare, & signa, seu beneficia supra naturam, ac variæ defensionis præsidia illa subsecuta, an non ex singulari Divinæ providentiæ dispositione, meritis ipsius Matris amabilis, quæ Scapulare tradidit, exoratâ, sinimus piæ considerationi Christi-fidelium.

circa liberationem è purgatorio.

S. Petrus Thomas, quod Ordinis Carmelit. non Minorū, miro casu manifestatum.

29. Singulare etiam id est, quod hoc quoque seculo contigit circa S. Petrum Thomā: quem non fuisse professorem Carmelitici Ordinis (sed Minorum) cùm in Sacr. Rit. Congregat. gravis mota esset controversia; indictis precibus, & jejuniis à Reverendiss. P. Generali veritas mox ità patenter, ut dubium nullum superesset, manifestata fuit, per casum ità singularem, ut Ven. P. Joan. Baptista de Lezana, qui præsens fuit, testis oculatus, quandoque assereret: Quòd licèt in sacris litteris nil de Divini Numinis providentia haberetur, eam se hoc eventu evidenter satis percepisse, & indubitanter credere: atq; si atheus fuisset, ejus consideratione ad fidem convertendum. Casus ille videri poterit in Vinea Carmeli (a) ac in Speculo Carmelitano. (b) Denique recentissimè, anno 1673, cùm adhuc in Hispania vigerent oppositiones à nonnullis circa vota, & monachatum S. Eliæ, ac discipulorum ejus in veteri Lege, peremptorio S. Inquisitionis decreto, de quo in sequentibus, finis impositus fuit. Biennio post, cùm in Belgio, à nonnullis, Ordinis antiquitas, & ortus à S. Elia, historiaque Sacelli in Carmelo, olim Sacræ V. Mariæ dicati, & historiæ præcipuæ aliæ Carmelitanæ non levibus censuris impeterentur, præsto fuit efficacissimum præsidiū Apostolicæ Sedis, & Sacr. Rit. Congregationis; dum post alias anteriores approbationes Officii Commemorationis solemnis B. V. M. de monte Carmeli (subscribentibus præfatis Cardinalibus Bellarmino, ac etiam Pinello, & deindè de Torres) rursùs an. 1674. & 1675. ex peculiari mandato SS. Dom. Clementis X. eadem Sacra Congregatio Officium hoc ipsum recognovit, & solemniter approbavit

(a) n. 1294.
(b) tom. 1. num. 706. & seq.

Carmelitanæ historia primaria impugnata:

S. Inquisitionis,

Et Ecclesiæ præsidio defensa.

(subscribente identidem Eminentiss. Card Carpineo) ac per regna, & provincias omnes Regis Hispaniarum, nec non Imperatoris, ipse SS. Dominus recitari mandavit hoc ipsum Officium, in quo hæc, inter alia, leguntur: *Cùm Sacrâ Pentecostes die Apostoli, cælitùs afflati, variis linguis loquerentur, & invocato augustissimo Iesu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisei institerant, & Io annis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ, atquè probatâ, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculari quodam affectu Beatiss. Virginem (cujus colloquio, & familiaritate feliciter frui potuêre) adeò venerari cæperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem * nubeculam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.* Ubi Ordinis à S. Elia institutio, & successio, ac Sacelli in Carmelo constructio, perspicuè traduntur. Et illa omnia in sequentibus illustrabuntur, & confirmabuntur. Porrò ista concurrentia acerrimę impugnationis præfatorum, & eodem omninò tempore, Apostolici istius prędidii iterati, an non piè censenda (sicut etiam anteriora) ex singulari Divinæ providentiæ dispositione, Matris amabilis exoratâ precibus? Id piæ æstimationi relinquimus.

* al. nebulam.

30. Ex dictis hactenus, Carmelitæ omnes erga SS. Ordinis Matrem, & Patronam, & S. Patriarchā Eliam, suis meritis, suarumq; precum jaculis tam frequenter, tam efficaciter, tam promptè patrocinantes; in omni tribulatione, & angustia, ac afflictione spem maximā concipere possunt, & debent: si tamen Matri, & Patri, velut boni filii, haud degeneres existant, & pro beneficiis grati, beneficia, & protectionis subsidia alia, fiducialiter postulaverint, postulentque (cùm probatio dilectionis exhibitio sit operis) non tantùm verbo (precibus) sed & facto (virtutum utriusque imitatione) ut verè genuinos se filios comprobent; summa enim religionis & venerationis, est, *imitari quod colimus.* Itaque Carmelita quilibet, Matrem amabilem suam, suumq; Patrem Eliam cordis affectu vero prosequens. Ex OPERUM STUDIIS MANIFESTET INTIMA MENTIS (b). Atque ita in omni afflictione, filiali affectu, fiduciâ pleno, cum S. Simone nostro dicere licebit:

Carmelitæ quâ ratione fiducialiter confidere possint patrocinio Matris & Patriarchæ sui.

(b) Ita Arn. Bostius de Patron. B. V. c. 1, §. 2.

Ave Stella matutina
Peccatorum medicina,
Mundi princeps & Regina. &c.
Tu nos semper auve piâ,
Dulcis exaudi Maria. (c)

Et ad pium, potentemque, Patrem Eliam:

Nos numquam auxilium destituat Pater,
Optatusque tuus perpetuò favor. (d)
O Pater, salve, placidus tuosque
Excipe alumnos. (e)
Nos tui præsens clypeo favoris
Ac tuâ magnâ bonitate fretos,
Supplices dextrâ famulos benignâ
Protege semper (f).

(c) Antiph. festo Com. sol. ad Benedict.
(d) in Hym. Eccl. auct. approbato, ad Laud. Fest. S. Eliæ.
(e) in Hym. ad 1. Vesp.
(f) in Hym. ad 2. Vesp.

SPEC.

SPECVLVM RELIGIOSI-MONASTICI STATVS,

Totius Monasticês variam adumbrationem & delineationem ab exordio mundi, originem quoad substantialia à S. Elia Propheta, consummationem in perfectione à Christo Domino, & deinceps miram per totum orbem propagationem, repræsentans.

Cur SPECULO CARMELITANO *præmittatur* SPECULUM STATÛS-RELIGIOSI-MONASTICI, *rationes aliquæ traditæ sunt hic suprà in Præfatione generali §. 6. aliæ quædam subsequuntur: est autem etiam istud velut* APPARATUS *ad subsequentia, qui cur copiosus esse debeat, jam ante declaratum est.*

Causæ & Vtilitas Operis hujus, SPECULI STATUS RELIGIOSI-MONASTICI.

Historia est Speculum eventuum quibus erudimur.

31. SPECVLVM *temporum præteritorum, & omnis generis eventuum, quibus erudimur alienis exemplis, & prudentiores reddimur*, meritò nuncupatur Historia; propterea, & lectu jucunda, & scitu utilis; nam dum lubet scire, quæ ante nos ab aliis gesta sunt, simul docemur ea, quæ à nobis gerenda sunt; ut proindè jure, Eloquentiæ Princeps hoc eam extollat elogio: (a) *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Hinc antiquissimæ gentes tanti momenti esse duxerunt majorum res gestas, & eventus singulares perpetuæ memoriæ commendare, ut ad hujusmodi opus præstantiores suos adhibuerint: prout de Ægyptiis, Chaldæis, & Hebræis tradit Josephus Judæus. Hoc ipsum Romani ab ipso Urbis exordio accuratissimè præstiterunt. Idem quoque in Ecclesia Christi ab ejus propemodùm cunabulis solertissimâ fuit procuratum industriâ. Etenim in id opus delecti fuêre septem Notarii, qui gesta Martyrum sollicitè perquirerent, accuratissimèque scriberent: subsequentibus quoque temporibus alii atque alii successerunt Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, aut continuatores. Quin & singula penè Regna, ac Provinciæ, imò & urbes pleræque majores, & Religiosi Ordines, suas habent proprias Historias à viris præstantibus exaratas: idque non sine notabili Ecclesiæ utilitate; ut proindè antiquitatis Ecclesiasticæ diligens scrutator, & illustrator Aubertus Miræus (b) tractans de Historia Ordinis Franciscani: *De Seraphici*, inquit, *Ordinis Franciscani Origine, ac progressu amplissimum volumen conscripsit Franciscus Gonzaga, ejusdem instituti Minister generalis, post Episcopus Mantuanus. Cujus exemplum utinam cæterorum Ordinum Religiosorum Præfecti, bono Ecclesiæ publico, æmulentur.*

(a) Cicero lib. 2. de Oratore.

historia quanto in pretio apud omnes Gentes,

etiam in Ecclesia Christi,

& in Ordinibus Religiosis;

(b) in Chr. rer. toto orbe gest. ad an. Chr. 1226.

ideò utiliter scribuntur:

Historia universalis statûs Religiosi utilissima,

32. Ita quoque ad Ecclesiæ totius splendorem, & ad plurimorum utilitatem autumandum, non minùs, imò multo magis cedere Historiam Universalem status Religiosi, & præclarorum gestorum, ac virtutum exempla conglobata resplendentia in illo eminenti statu; nam, asserente S. Ambrosio (a) *Has Angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus crebris conciliare atque orare Dominum student, lectione vel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum, sibi invicem vitam præbent & custodiam.* Conformiter scribit S. Hieronymus (b) *Certe*, inquit, *flos quidam, & pretiosissimus lapis, inter Ecclesiastica Ornamenta, monachorum, & Virginum chorus est.* Religiosa Monastica Vita à non paucis vocatur *Vita Angelica.* Undè Dorotheus vetustus Pater (c) scribens de magno Propheta Elia, illius vitæ primo Auctore, & Exercitatore, tradit, quòd *unam Angelorum & hominum vitam ostenderit.* Similitudo illa hominibus accedit potissimè ex observantia trium votorum Religioso monastico statui essentialium, Castitatis, Paupertatis, Obedientiæ: etenim sicut *Angeli neque nubunt, neque nubuntur*: (d) Sic nec Religiosi per votum castitatis. Et veluti Angelis aliæ non sunt divitiæ, nisi ipse Deus, sic Religiosis *pars sua Deus*, (e) abdicatis terrenis omnibus per votum paupertatis. Et sicut Angeli omnes sunt *administratorii Spiritus* (f) accincti ad suscipienda, & implenda Dei jussa magnâ cum celeritate (ideo cum alis pinguntur) sic Religiosi per votum obedientiæ ad Superiorum suorum implenda mandata, & Regularia Instituta parati assistunt. Insuper *Angeli* jugiter, & *semper vident faciem Patris* (Dei) *qui in cœlis est.* (g) Ita Religiosi satagunt cum S. Apostolo Paulo dicere, & implere istud (h) *Nostra autem conversatio est*

(a) Epist. 25

Religiosi monastici status excellentia,

(b) Epist. ad Marcellam,

(c) in Synopsi Proph.

Angelica veluti vita,

(d) Mat. 19

(e) Psal. 72.

(f) Hebr. 1.

(g) Mat. 18.

(h) ad Philip. 3.

in cœlis: Et cum Principe Religioſorum omnium magno Propheta Elia, ejuſque duplicis Spiritus hærede Eliſeo: *Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum ſto.* (a) Denique (præter alia) Angelorum exercitium continuum eſt, cantando, & Deum laudando, inceſſabili voce dicere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* Ita Religioſorum præcipua occupatio eſt (juxta iſtud Pſalmiſtæ. (b) *Septies in die laudem dixi tibi*) Divinis vacare laudibus, Sed iſta hic obiter de Ordinibus monaſticis, deque Religioſis, in quibus trium votorum, & Regulæ obſervantia viget.

(a) 3. Reg. 18.

(b) Pſal. 118.

dum viget trium votorũ & Regulæ obſervantia,

33. Itaque perutilem Eccleſiæ, & plurimis, navare operam cenſui, ſtatum illum ſublimem à ſua origine uſque in præſens, oculis omnium exponendo; ut Religioſus quilibet ſtatum ſuum magnifaciat, & exempla omnigenæ virtutis à præcedentibus accipiat, & æmulari ſatagat. Hinc eſt, quòd ab annis ſupra triginta, unà cum Hiſtoria Ordinis Carmelitani dicta Speculum Ordinis Carmelitarum, etiam firmiter animo inſederit, conſcribere Historiam Generalem, Religiosam Monasticam, nuncupandam Speculum status-Religiosi, ab origine mundi variè præſignati, delineati, expreſſi, à Chriſto exerciti, & in perfectione conſummati, jugiterque uſque in præſens multipliciter propagati; repræſentans quoque viros illuſtres, exempla virtutum heroicarum, & uberrimos fructus, qui per eos in Eccleſiam promanarunt. Primarius etenim in hoc opere ſcopus iſte fuit de Religioſo Monaſtico ſtatu hiſtoriam texere, & potiſſimè illud ordinare ad exercitationem virtutum, ut videlicet Religioſi perſpicientes ſui ſtatus perfectionem exercitam à præſtantiſſimis hominibus, atque etiam ab ipſa æterna Patris Sapientia Chriſto Domino, ejuſque Apoſtolis, magni facientes ſuam ad illam vocationem, alacriùs exequantur, quæ ſuæ ſunt obligationis, & attendentes Fundatorum ſuorum ac Patrum & Religioſorum præcedentium virtuoſa exemplaria, illis ſe conformare ſatagant.

ideo perutilis eſt, hiſtoria monaſticæ ſcriptio.

ut indè Religioſi excitentur ad fervorem,

34. Prætereà ex hoc opere hætetici convincendi, & veritatem ipſam (ſuamque falſitatem) manifeſtè perſpecturi (niſi radiantibus veritatis manifeſtæ ſplendoribus oculos mentis pertinaciter occludant) dum Religioſum Monaſticum ſtatum inſectantur, & calumniantur, tamquam *novellum & vanum*, nec ante Antonium & Hilarionem extitiſſe (cujus oppoſitum, luce meridianâ clariùs pateſcet in ſequentibus) & *ut Monaſticen vituperent, portentoſa mendacia quotidie de Monachis fingunt, & quacumque oblatâ occaſione in Monachos invehuntur, atque eos in odium vulgi rapiunt, & primarios Antichriſti ſatellites vocant, non eò certè ſpectant, ut Ordines ſolum hominum Religioſorum dificiant, monaſticenque de medio tollant, ſed ut Eccleſiam totam hac ratione perturbent, ac lædant, eamque (ſi fieri poſſit) à fundamentis evertant.* Ita Cardinalis Bellarminus libro *de Monachis* (c) Et iſtud Hæreticis ferè omnibus commune eſt, ſemperque fuit: *Neque verò novum eſt hoc Hæreticorum adverſus Monachos bellum, neque recens mali dæmonis artificium per Monaſticæ vitæ oppugnationem Eccleſiam Univerſam petere. Sicut enim quotquot fuerunt unquam pii Scriptores, tum ſermonibus, tum ſcriptis libris hoc genus vitæ laudibus in cœlum tollere conati ſunt, ſic nulli ferè unquam hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint.* Ita Bellarminus *ibidem*, id Patrum auctoritatibus, & exemplis comprobans & declarans, qualiter dæmonis adminiſtri hæretici omni tempore ad Eccleſiam perturbandam primùm, ac præcipuè in Monaſticam Diſciplinam, tamquam Eccleſiæ arcem, ſe armaverint, & debacchati fuerint. Hoc hæreticorum virulentum odium, & hanc acerbitatem non modo non mitigatam, ſed magis provectam uſque ad præcedens, & præſens ſeculum, teſtantur ſatis crudelia edicta, & crudeliora facta in Religioſos exercita in Anglia, Batavia, & aliis partibus, ad quas hæreſûm virus penetravit.

& hæretici convertantur, aut confundantur.

Hæretici omnis monaſticitàs & Religioſorum oſores,

& oppugnatores.

(c) In Præfat.

35. Iſtorum omnium prodromus fuit Eunapius Sardianus ethnicus, qui ob demolitionem templorum idolis dicatorum irâ percitus adversùs monachos, qui loco ſacerdotum idolorum ſubſtituti erant, ipſos monachos acerbiſſimis contumeliis, atque blaſphemiis inſectatus eſt. Iſtius autem ethnici, monachorum hoſtis, *verba, à noſtri temporis hæreſiarchis magno accepta ſunt plauſu, & litteris fermè aureis exarata pro titulo affixa ſunt poſtibus ſuorum commentariorum, quibus monaſticam vitam impugnant.* Itá Cardinalis Baronius. (a) Et paulò infrà: *Ad unius rabidi canis vomitum reſorbendum magnâ ſe aviditate convertunt; ſic quidem è quorum partibus ſtent, perſpicuè cùm verbis tùm factis ſignificantes; ut nulla alia de iiſdem ſit ferenda ſententia, niſi quam ſibi ipſis ſtolidè irrogarunt, nempè ut partem cum blaſphemis Ethnicis ſortiantur* (Meritò addit:) *duplo tamen ac quadruplo graviùs illis plectendi, quòd majori peccavêre nequitiâ;* videlicet Ariani, Donatiſtæ, atquè alii ſequentes, uſquè in præſens ſeculum. Sed præcipuus hæreticorum hujus ſeculi, & utriuſque præcedentis prodromus fuit Joannes Witcleff, qui non ut homo ratione utens, ſed veluti furia debacchatur in Monaſticen, & Ordines Religioſos, quòd ſint *ſatanas*, *ipſe diabolus, tamquam Iudas*. Quædam ex eo adducta ſunt hìc ſuprà. (b) Iſtius autem, & ſequacium impietatis tenebræ percellentur clariſſimis ſplendoribus ſanctitatis magni Prophetæ Eliæ, & Chriſti Præcurſoris Joannis Baptiſtæ Principum eremiticæ monaſticæ converſationis, ac Eſſenorum, aliorumque hæreditariâ ſucceſſione ſequacium monachorum vitæ ſanctiſſimæ.

(a) in Annal. ad an. Chr. 389.

(b) num. 19

36. Quinimò hoc unico manifeſtatæ Religioſi-monaſtici ſtatûs antiquitatis & ſanctitatis argumento, validiſſimo, omnes hæreticorum machinas arietari, & falſitatis convinci arbitrandum: & id ſic paucis declaratur.

Religioſi-monaſtici ſtatûs hiſtor. hæreticorum dogmata falſa arietat.

Religiosi-monastici Status hist. hæreticorum dogmata falsa arietat,

claratur. Hæreticis ferè omnibus id (ut jam dictum est) commune est Religiosam Monasticam vitam vituperare, & angue pejus odisse, castitatis, paupertatis, & obedientiæ observantiam, tamquam Sathanæ retia maledico ore & calamo proscribere. Sed illorum impietas manifestè conspicitur in Speculo hoc, dum illam vitam exhibet, & apertè ostendit à Patriarchis & Prophetis adumbratam, & variè delineatam, à sanctissimo Propheta Elia, Deo inspirante, inchoatam, & ab ipso ejusque discipulis (summam castitatis quoque, obedientiæ, & paupertatis observantiam colentibus) ab ipso etiam Christo, verbo, & exemplo tria illa commendante (ut propterea *Euangelicorum consiliorum* nomenclaturam promeruerint) ac ab ipsis Apostolis *omnia* (divitias, uxores, voluntatem propriam) *relinquentibus*, & post ipsos à viris præstantissimis, qui hactenus in Ecclesiâ claruerunt, exercitam, atque ita opere ipso, & insuper verbo & scripto miris encomiis collaudatam. Cùm enim habetur perspicuè traditum, & firmiter stabilitum, quòd Propheta sanctissimus Elias, utriusque paginæ sacræ attestatione celebratus, istud vitæ genus auspicatus fuerit, suisque tradiderit discipulis, & ab illis propagatum, semperque continuatum id fuerit usque ad Joannem Baptistam, ejusdem vitæ sectatorem: ac deinceps in nova Lege per Christum, & Apostolos verbo, & exemplo hoc ipsum fuerit commendatum, & in perfectione consummatum: atque deindè per SS. Antonium, Basilium, Augustinum, Benedictum, Bernardum, aliosque viros sanctissimos in universo mundo multiplicatum; indè habetur & antiquitas & sanctitas Monastici Instituti in genere, & consequenter omnium Ordinum Religiosorum.

37. Eâdem ratione evertuntur quoque alii hæreticorum errores circa Altaria, Sacrificia (plerique enim, aut certè plurimi fuêre Sacerdotes, plures etiam Episcopi) circa jejunia, ciborum delectum, & abstinentiam, cœlibatum, cultum Sanctorum, & imaginum, cæteraque Christianæ pietatis instituta à præfatis omnibus observata, & opere ipso, scriptisque propugnata. Si enim isti sancti, aut viri perfecti, Deo grati (quod hæretici negare non possunt) sancta quoque, perfecta, Deoque grata vitæ ipsorum conversatio, Vita Religiosa Monastica, castitatis, paupertatis, obedientiæ cæterorumque Religiosorum Monasticorum Institutorum observantia, ab ipsis opere & sermone multipliciter probata. Denique Religiosi Monastici status antiquitas, & sanctitas objecta, & clarè proposita oculis Christi-fidelium omnium, illos corroborabit in fide, & animabit ad pietatem, cunctarumque virtutum exercitationem, resplendentem in Sanctissimis Religiosis plerisque.

& Catholicos in fide, ac ad pietatem roborat:

Et hæc fuêre motiva incitantia, & impellentia ad hoc opus: cujus gratiâ, de Religioso Monastico statu, quosvis auctores, & Ordinum Religiosorum historias perscrutanti, & excerpenti, quæ intento servirent, multa mihi jam dudum est congesta materia. Interea properanti in hoc, atque etiam in alio præfato *Speculo* (nempe *Carmelitano*) objectæ sunt remoræ, occupationes variæ, cum studiis in tanti molíminis operibus binis haud facile sociabiles. Accesserunt denique corporis imbecillitas & infirmitates, spem minuentes, utrumque, illud Speculum juxtà præconceptam idæam consummandi. Hinc est quod tardiùs ad prælum parata, atque debitè adornata esse potuerint, ut publico præsententur conspectui. Cùm igitur *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ,* (a) ne (præoccupante forsan morte) annorum plurimorum labor omninò forsan infructuosus sit, Speculum istud status Religiosi in compendium contractum (ut saltem ex prætactis utilitatibus aliquæ proveniant) præmittitur Speculo Carmelitano, in quo expeditiùs progredi licuit; eò quòd domestica notiora, & ad manum sint. Atquè ità loco magni, & ampli operis pridem concepti, & provecti, hîc prodit ejus compendium, distributum in aliquot Tractatus, in quibus Monasticès, seu Religiosi-monastici status varia adumbratio, & delineatio, ac deindè illius substantialis fundatio; & deniquè ejusdem per Christum in perfectione consummatio, & per ac post SS. Apostolos propagatio succinctè exhibentur.

& illa fuere incitamenta ad historiam monasticam conscribendam.

(a) Sapientiæ 9.

cujus epitome hic traditur,

TRACTATUS I.

De Religioso statu in genere: ejus quidditate, ac multiplici, & varia adumbratione, seu delineatione in quatuor prioribus mundi ætatibus.

CAPUT PRIMUM.

PROTESTATIO, *& Declaratio circa sequentia, peculiariter circa statum Religiosæ monasticæ vitæ sub Lege veteri.*

38. Tractaturus de Religioso Monastico statu sub veteri, & nova Lege, cupiens omnimodè inhærere doctrinæ & sensui Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, nec usquiam à sanctis Summorum Pontificum legibus, decretis, Conciliorum, Catholicorum Patrum scitis, recedere, præmittendam censui Protestationem, atque unà declarationem circà ea quæ hîc consequuntur, peculiariter quoad hoc, quòd IN LEGE SCRIPTA MAGNUM ILLUD PROPHETARUM LUMEN ELIAS, ANTESIGNANUS FUERIT RELIGIOSÆ MONASTICÆ VITÆ, IN OBSERVANTIA PAUPERTATIS, CASTITATIS, ET OBEDIENTIÆ.

Religiosus monasticus status qualis in veteri Lege, & qualis in nova:

Id

Id sic limitandum declaro, ut RELIGIOSUS STATUS IN LEGE NATURÆ INTELLIGATUR ADUMBRATUS: IN LEGE SCRIPTA PER NAZARÆOS, ET SAMUELEM MAGIS DELINEATUS: PER S. ELIAM EXPRESSUS, ET IN OBSERVANTIA CASTITATIS, PAUPERTATIS, AC OBEDIENTIÆ SUBSTANTIALITER INCHOATUS: SED PER CHRISTUM IN PERFECTIONE CONSUMMATUS. Conformiter isti doctrinæ Thomas Waldensis (a) docet, quòd Christus Dominus, omnimodam præcedentium Monachorum perfectionem, atque virtutem invenit, & non ab alio didicit. & quæ in qualibet postmodum Christiana regula refulsit, eam adauxit, suaque auctoritate probavit, ita scribens: *Ipse in se perfectiones Religiosorum invenit, ipse eleemosynas, prædicationes verbi, orationes prolixas, hymnorum cantus, hospitalitatem, silentium, vitæ rigorem, extensas vigilias noctu, opera ipse pietatis invenit, & omnes futurorum Religiosorum perfectiones: ut extrà eum nullus facere quidquam possit, sed totum ab ipso accipiat, quod pro modulo vitæ suæ judicat profuturum: Ioanne, tunc Religioso, eremita, asserente:* DE PLENITUDINE EJUS, NOS OMNES ACCEPIMUS. (b)

(a) in Doctrinali fidei, tomo 1 de Sacramental. tit. 9. cap. 83.

omnis ejus perfectio à Christo.

(b) Joan. 1.

39. Prætereà sicut fuit causa meritoria justificationis antiquorum Patrum, sic & meritoria & finalis, ac exemplaris fuit Monasticæ perfectionis, pro omni tempore, tam in veteri quàm in nova: etiam fuit efficiens perfectionis, excellentiæ, & prærogativarum ipsius: nimirùm quòd nunc in ejus professione obtineatur integra remissio omnium criminum, & peccatorum; ut proindè à Patribus & Doctoribus baptismo penè comparetur, & secundum baptisma nuncupetur. Deindè jam obtinetur per eam influxus multò uberioris gratiæ: insuper sponsalia contracta, & etiam matrimonium ratum dirimit. Prætereà nunc Superioribus Monastici Instituti plerumque Sacerdotibus, competit potestas Clavium. Etiam professio Monastica & vota nunc habent annexam solemnitatem, quæ non erat in Lege veteri: estque vinculum eorum adeò firmum, ut matrimonium contrahendum reddant non tantum illicitum (sicut in Lege veteri) sed & invalidum. Præter illas etiam aliæ possunt assignari prærogativæ Monachatûs sub Euangelio, quæ non erant in Lege veteri: & hæc inter duas extremas (quarum una aliquid minus, altera quidpiam nimium Monachatui sub Lege veteri tribuisse censetur) media est, & tuta sententia.

Religiosi Monastici status perfectiones in Lege nova, quæ non in veteri.

40. Hîc opportunè notandum, quòd quantùm ad vota, & Monachatum sub veteri Lege, anno Domini 1639. in Hispania fuerit mota non levis controversia, de qua P. Lezana Tomo 1. Annalium in Apparatu capite 4. (cujus iste est titulus: *Hunc Ordinem Propheticum in Religionem veteris Legis, qualis in eo statu esse poterat, ab Elia excitatum fuisse*) & P. Philippus à SS. Trinitate in Historia Carmelitani Ordinis, typis edita Parisiis an. 1656. sub initium, & P. Franciscus Bonæ Spei in Armamentario Carmeli, excuso Antuerpiæ anno 1669. etiam sub initio (a). Tandem verò in Supremo S. Inquisitionis tribunali die 9. Decembris ejusdem anni, coram Illustrissimo Archiepiscopo Inquisitore Generali, aliisque Judicibus, in illo supremo Senatu Fidei censoribus, editum fuit decretum, in quo, post magnam gravissimorum Theologorum consultationem, & re maturissimè in judicio contradictorio examinata, sequentes propositiones approbantur, & imprimi permittuntur. Prima: *Quòd in Lege scripta, fuit votum castitatis & virginitatis perpetuæ.* II. *Quòd in Lege scripta fuit votum obedientiæ perpetuæ.* III. *Quòd in Lege scripta fuit votum paupertatis voluntariæ.* IV. *Quòd in Lege scripta fuit verus Monachatus & Religio.* Additur autem in præfato Decreto, ista sic approbari: *Dummodò declaretur, non fuisse Monachatum in Lege scripta cum solemnitate, & perfectione, & cum potestate clavium, sicut in Lege gratiæ: Quia istius, in tota sua perfectione, auctor & institutor fuit Redemptor noster Iesus Christus; & illius in Lege scripta fuit causa exemplaris, & meritoria.* Et ista denique confirmata fuerunt in eodem supremo senatu anno 1673.

(a) in Synopsi punct. 5. & in Præfat. de Pharetris pag. 117.

Monachatus verus, & vota religionis in Lege veteri scripta.

41. Conformiter isti doctrinæ dicimus, veri luminis, & Solis justitiæ (qui Christus est) luciferum præambulum extitisse magnum Prophetam Eliam, eumque Monasticum, & Religiosum statum, anteà, ab origine mundi, sub meris umbris, & figuris latentem, primùm præmonstrasse, atquè Numinis instinctu, vitæ Eremiticæ, & Monasticæ Antesignanum, & primum Auctorem extitisse, ac ipsum, ejusque discipulos Filios Prophetarum, veri nominis Monachos veteris Legis fuisse. Itaque S. Elias Christum in Monastica disciplina præcessit quidem tempore, at non causalitate: & id spectat ad dignitatem, atque excellentiam Christi, ut scilicet *de plenitudine ejus omnes acciperemus*, non tantum in nova, sed & veteri Lege. Sicque fatemur, ad Euangelicam Legem spectare, statum perfectorum Religiosorum; nimirum, sicut antiqui Patres salvati sunt merito Christi, sic & in veteri Lege Monachatus habuit causam meritoriam, finalem, & exemplarem ipsum Christum (qui eumdem deindè etiam ad majorem perfectionem sustulit) S. verò Propheta Elias Monachatum instituendo, dumtaxat fuit causa efficiens, & secundaria: prima tamen, & exemplaris respectu ceterorum omnium hominum, & Fundatorum Monasticæ conversationis. Quòd autem S. Propheta Elias veri nominis monachus, princepsque monachorum fuerit, ex Scripturis sanctis concorditer tradunt Patres, & Doctores illustres, quorum testimonia adducentur in sequentibus.

Religiosi Status Sol Christus, lucifer præcedens S. Elias.

CAP. II.

CAPUT II.

Quid Religiosus, *quid* Monachus & Eremita: *quid* Status, & *in quo* Religiosi Status *sita essentia.*

42. Juxtà methodum in tradendis scientiis, & historiis scribendis observari solitam (quâ generalia præmittuntur particularibus, ut ex istorum prænotione in horum notitiam faciliùs inducamur) antequàm de Religioso Statu & vita monastica tractetur in particulari, differendum est quid *Religiosus*, quid *Monachus*, & in quo Religiosi Status sita essentia. Istorum enim neglecta, aut ignorata cognitio, id de quo agitur, obscurum relinqueret: eorum autem notitia claritatis multum adferet. Sic & in Philosophicis & Scholasticis, ex ignoratâ, aut non debitè explicatâ rei de qua agitur substantiâ, & nominis notione, frequenter contentiones multiplicantur, atque abyssum unius dubitationis, majoris alterius difficultatis abyssum invocare videmus, quoties à soliditate definitionis, sive quidditativæ, sive descriptivæ illius rei, de quâ est controversia, non sumitur exordium.

Scientiarum & historiarum tradendarum ratio:

43. *Status*, strictè loquendo, *est conditio vitæ immobilis, per quam altari obstricti sumus:* hoc enim nomen quamdam firmitatem denotat. *Religio*, undè derivatur nomen *Religiosus* hîc accipitur *pro peculiari quadam formula, & professione, per quam homo ex libera sua electione penitùs obsequio Divino mancipatur.* Hæc supponit omnia, ad quæ obligat communis Religio Christiana, & propriè includit aliqua alia, quæ maximè ad perfectionem conducunt. Undè peculiari ratione vindicat sibi nomen *Religionis*. Hujus professores propriè dicuntur *Religiosi*, quasi *toti Divino cultui addicti, & præ cæteris fidelibus arctiùs Deo relegati. Religiosus* itaque dicitur à *Religione: Religio* autem derivatur à *religo* secundùm S. Augustinum (a) & Lactantium (b) atque ita nomen *Religiosus* competit peculiariter iis, *qui novâ & strictiori religatione præ cæteris fidelibus Deo alligantur*, nempè triplici Euangelicorum consiliorum nexu; aut, ut aliquandò eidem S. Augustino (c) placuit à *reëligo*, eò quòd Religiosus reëligat semitam ad majorem perfectionem, & conjunctionem cum Deo, quam cæteri fideles per eorumdem consiliorum observantiam: aut à verbo *Relego*, ut qui omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, diligenter pertractent, & tamquàm relegant. Sive à verbo *Relinquo*, ex Massuria Sabino; à quo verbo *Religio*, virtus est, quâ quis secernitur à creaturis, cuncta mundana relinquens, & Deo specialiter mancipatur.

Status quid sit: Religio quid: Religiosus, quid:

(a) lib. 1. retract. c. 13
(b) de vera sap. lib. 4. c. 28.
(c) lib. 10. de Civit. Dei c. 4.

Religio, & Religiosus undè derivantur.

44. S. Thomas (d) tractans de Religione in illa significatione dicit *Religionis* nomine, secundùm receptam apud Ecclesiasticos Scriptores loquendi consuetudinem designari quemdam perfectionis statum; quo quis se totaliter, & sua Divino cultui deputat. *Et ideo antonomasticè Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant Divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Undè Gregorius dicit super Ezechielem:* (a) *sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant.* Ibi consequenter dicit, ad illum statum requiri paupertatem voluntariam, castitatem perpetuam, & obedientiam ex voto, quia *homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere: quia non est tota simul, sed successivè agitur. Vndè non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem* (b) conformiter scribunt passim Theologi alii: & quidem Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei* (c) tractans de Religionis, ut hîc accipitur, essentia: *Religio Christi*, inquit, *perfecta, est specialis, & stricta regula charitatis, voti solemnis emissione professa, vel æquivalenter.* Quid autem sit *æquivalenter*, ibidem superius declarat. Hactenùs dicta de significatione, & quidditate nominum istorum *Religio & Religiosus Status*, ut meliùs intelligantur, ulteriùs cum pio, & erudito Hieronymo Plato animadvertendum *Religionis* vocabulum duplicem habere notionem. Interdum enim *virtutem quamdam* significat, *quæ justitiæ pars est*, interdum verò *statum in hac virtute fundatum.* Itaque naturâ virtutis cognitâ, faciliùs etiam ipsius status natura cognoscetur. *Religionis* ergo, *quæ virtus est*, ex Theologorum sententia, *illud proprium est, ut Deo cultum reddat, illi debitum majestati, tùm ob ejus præstantiam, atque excellentiam, tùm ob beneficia, quæ accepimus, & perpetuò accipimus.* Atque hic quidem cultus cùm partim sit interior in animo, partim etiam exterioribus quibusdam officiis contineatur, ceremoniarum, rituum, sacrificiorum, & reliquorum hujusmodi, utrumque hæc virtus complectitur, & utrumque exequitur. Qui igitur in his muneribus versantur, seque huic rei totos impendunt, ii *Religiosi* appellantur.

(d) 2. 2. quæst. 186. art. 1. in corpore.

(a) Homil. 20.

Religiosi antonomasticè qui.

(b) 2. 2. q. 186. art. 6. ad 2.
(c) Tom. 1 lib. 3. art. 2. c. 17.

Religionis vocabulum dupliciter sumitur.

45. Ad statum autem Religiosum hoc insuper requiritur, quòd ità se certis operibus Divini officii, quæcumque ea sint applicet, ut se à reliquis omnibus, quæ impedire possint, removeat, ac segreget: idque Apostolus confirmat, cum ait, (d) *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Hæc autem Divini famulatûs impedimenta, quæ ex seculo proveniunt, si rectè attendamus, tria sunt præcipuè: primum *divitiæ*, deindè *voluptates* corporis non solùm illicitæ, ac Dei præceptis interdictæ (id enim jam ad peccatum pertinet) sed etiam conjugii lege restrictæ: denique *propria voluntas*, cui si fræna laxentur, licentior facta in omnem nos ambitionem, & dominandi cupiditatem inducit. Quare hîc tria tollenda iis, qui se Deo ritè, & integrè mancipare student. Tolluntur autem

Religiosus Status debet segregari præcipuè à tribus:

(d) 2. Timot. 2.

idque per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

autem per tria opposita, *divitias* per *paupertatem*; *conjugium* per *continentiam*; *voluntatis licentia* per *obedientiam*. Ex quibus jam ea, quam quærimus, *religionis descriptio* elucescit. *Est enim status quidam ad Christianam perfectionem tendens, idque per tria vota, Castitatis, Obedientiæ, Paupertatis:* Consistit autem *Christiana perfectio, in Dei amore, ejecto omni amore, tum nostri ipsorum, tum aliarum omnium rerum creatarum.* Ad hanc autem perfectionem tendere debet Religiosus; non ad eam pervenisse, aut in ea versari: non enim necesse est Religioso, ut jam perfectus sit; neque id ille profitetur; sed si aspiret, si conetur, officio satis est. *Status* appellatur; quia nihil magis necesse est, quàm ut genus hoc vitæ, stabile sit, & fixum, ac perpetuum, & immobile. Igitur non religiosa tantum opera Religiosum faciunt, nisi duo insuper accedant: Primum, ut certâ promissione, ac voto ad ea opera ità obligetur, ut jam illi integrum non sit vel cessare, vel etiam velle cessare. Deindè ut hæc ipsa obligatio non ad certum, ac definitum tempus, sed ad totam vitam suscipiatur: quæ duo cùm concurrunt, tum quasi ex firmitate, & stabilitate, *Status* appellatur. Ità eruditè Platus (a).

Perfectio Christiana in quo consistat.

STATUS *denotat vitæ conditionem fixam, perpetuam:*

ad Statum religiosum duo requisita.

(a) de bono Stat. Relig. lib. 1. c. 2.

46. Religiosi etiam ab Apostolis *Monachi* vocati sunt (teste Dionysio) *à vita indivisibili & singulari, quâ in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur.* (b) Itaque ex communi usu passim *Religiosus*; & *Monachus* pro eodem supponuntur, quamvis nomen *Religiosus* magis latè pateat, & competat omnibus, qui se totos Divino cultui addixerunt, tùm iis, qui ferè solummodo vitæ contemplativæ, & propriæ saluti incumbunt (sicut Benedictini, Cistercienses, Carthusienses &c.) tum illis, qui vitam mixtam ex contemplatione, & actione, seu cura salutis animarum profitentur, sicut Ordines Mendicantes, & Societas Jesu. Nomen autem *Monachi* strictè loquendo deditis vitæ contemplativæ magis jam appropriatur, juxta eos qui nomen *Monachus* ab *unitate*, sive *unione* à *Monos* dictum arbitrantur, sive, ut loquitur S. Dionysius, *à vita indivisibili & singulari* in qua Deo uni sunt intenti. Quamvis tamen etiam sic propriè Religiosis Mendicantibus competere possit: qui opera vitæ activæ (confessiones audire, prędicare, infirmos invisere, & similia) primariò faciunt intentione uni soli Deo placendi. Alii nomen *Monachi*, etiam à *Monos*, derivantes, per *unitatem*, seu *unionem* intelligunt unitatem conversationis, & instituti vitæ: ut *Monachus* dicatur *homo in tali unitate & communitate cum aliis ejusdem instituti, ut cum illis omnibus unum cor habens, unum solum hominem faciat*, juxta illud Psalmi 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum*, in quem S. Augustinus sic, inter cætera: *Ecce quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Iste dulcis sonus monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum. Ex voce hujus psalmi appellati sunt &* MONACHI. Ibidem scribens contra Manichæos, & Donatistas, objicientes, & sciscitantes, ubi in Scriptura nomen *Monachi* sit repertum, respondet. *Qui nobis dicunt, ostendite ubi scriptum sit nomen Monachorum, dicant: quare non appellemus Monachos, cum dicat Psalmus: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum? Monos enim unus dicitur, & non unus quomodocumque: nam & in turba unus est, sed unus cum multis, unus potest dici, monos non potest, nisi unus solus: monos enim solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verè, quod scriptum est: una anima, & unum cor, multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur monos, id est, unus solus.* Hæc Augustinus (a). Illi igitur, qui sic in communitate vivunt, ut idem profiteantur institutum, & vitæ rationem æmulentur eamdem, *Monachi* ex Scriptura meritò nuncupantur, atque ità etiam competit Ordinum Mendicantium professoribus.

(b) de Eccles. Hierarch. c. 6.

Religiosi quinam nuncupandi Monachi.

nomen Monachus undè derivetur.

(a) in Psal. 132.

47. Ex istis habetur, quòd nomen *Monachus, & Religiosa Monastica vita* in Scriptura peculiariter commendetur, sicuti & in istis Psalmi 67. *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Ubi Septuaginta: *Homines unius modi & ritus.* Alii secundùm Alardum in Cassianum (b). *Solitarios* legerunt. In Hebræo juxta Hieronymum habetur: *Dominus inhabitare facit Monachos in domo.* Ad quæ attendere idem videtur Hieronymus cùm epist. 13. scribit: *Filii Prophetarum, quos Monachos; in veteri Testamento legimus.* Ita Michaël Munioz *in propugnaculo Eliæ* (c) Nomen *Eremita* propriè acceptum, competit illis, qui cùm se totos Divino cultui addixerint, in eremis, seu desertis, sive locis solitariis arctiorem ducunt vitam, contemplationi præcipuè vacantes; & sic ferè idem est, quod *Anachoreta*, id est secessor, & solitarius. Nominis utriusque rationem reddit S. Isidorus (d) *Anachoretæ sunt, qui post cœnobialem vitam deserta petunt, & soli habitant per deserta: & ab eo, quòd ab hominibus procul recesserunt, tali nomine nuncupantur. Eremitæ hi sunt, qui & Anachoretæ, ab hominum conspectu remoti, eremi, & desertas solitudines appetentes.* Et ista quidem de vocibus istis, & rei per eas denotatæ quidditate, dicta sufficiant, nunc etiam de aliis quibusdam nomenclaturis, & re per illas significata.

(b) Collat. 16. cap. 3.

(c) lib. 1. tit. 1. c. 1. art. 1.

Eremita ferè idem quod Anachoreta.

(d) lib. 7. Etymol. c. 13.

CAP. III.

CAPUT III.

Religiosorum, & Religiosæ monasticæ vitæ varia nomenclatura, ejusque explicatio.

Etymologia & notiones vocabulorum militer explicantur.

48. RELIGIOSORUM, ac *Religiosæ monasticæ vitæ* varia est & multiplex nomenclatura, & tituli plures, quorum explicatio hanc habet utilitatem, quòd indè in clariorem statûs hujus cognitionem introducamur; non enim à vero alienum est, quòd communiter dicitur, *nomina quandoque convenire rebus suis.* Hinc doctissimus Romanorum Varro, & sanctus Præsul Hispalensis Isidorus, atque alii, operæ pretium se facturos rati sunt, inquirendis, & literis consignandis etymologiis; nam frequenter abdita natura, aut proprietates in tegumentis latent vocabulorum, quorum proindè explicatio rem ipsam, aut quidpiam quod juvat habere perspectum, cognitum reddunt: ex istis etiam omnibus titulis tàm multis, tàm honoratis, tàm antiquis, etiam facilè eruitur excellentia, & antiquitas Religiosi Monastici instituti.

Religiosi, strictè dicti variis nominibus nuncupati:

49. Jam antè egimus de istis nominibus, seu titulis, *Religiosus*, & *Monachus*, (quæ his temporibus præcipuè usitata sunt) atque etiam de illis *Eremita*, & *Anachoreta.* Præter illa, olim etiam aliis plurimis nominibus Religiosi, & Religiosa monastica vita designantur: in veteri Lege S. Propheta Elias, S. Elisæus, & eorum discipuli, ac posteri nuncupati fuerunt *Prophetæ*, & *Filii Prophetarum*, de quibus S. Hieronymus (a): *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus*: sic & alii plures (& hinc eorùm Institutum dictum fuit *Prophetica vita.*) De ista nomenclatura peculiariter agetur in *Speculo Carmelitano, Tomo 1. parte 1. libro 2. cap. 2. & 3.* (b). Plura de illis videri poterunt apud P. Lezana *tomo 1. Annalium, in Apparatu c. 4.* ubi etiam explicantur isti tituli in veteri Lege usitati *Homines Dei*, seu *Viri Dei*, *Rechabitæ*, *Enosæi*, *Cinæi*, *Nazaræi*, *Assidæi*, *Eunuchi spirituales.* Postmodùm etiam appellati fuerunt *Rechabitæ*, & universaliùs *Esseni*, seu *Essæi*: & iste titulus etiam in nova Lege perstitit seculis aliquot prioribus: sed de illo peculiariter agetur hic infrà. Tunc quoque, in primis post Christum seculis Religiosi dicti fuerunt *Therapeutæ*: & quidem S. Dionysius (c) *Therapeutas* eos ab ipsis Apostolis nominatos fuisse tradit in *Ecclesiastica Hierarchia cap. 6.* ita scribens: *Perficiendorum autem omnium altior ordo, monachorum est sacra dispositio, omni quidem mundata purgatione, universali virtute, & perfectissimâ propriarum actionum castitate. &c. & à sacra eorum scientia proportionaliter in consummatissimam ascendens consummationem. Indè divini duces nostri nominationibus eos sacris dignati sunt, alii quidem* THERAPEUTAS, *alii autem* MONACHOS *ipsos nominantes, ex Dei puro ministerio & famulatu, & non partita, & singulari vita, tamquam vivificante eos inseparabilium sacris complicationibus in Deiformem unitatem, & amicam Deo consummationem.* Et ista ex translatione antiqua Joannis Scoti Benedictini, discipuli Ven. Bedæ, quam commentariis illustravit Dionysius Carthusianus.

(a) S. Hier. epist. ad Rustic.

(b) vide n. 60. & seq. num. 66. & seq.

(c) de Eccl. Hier. c. 6.

Therapeutæ olim dicti Religiosi, seu Monachi: cur sic dicti.

50. Quoniam opera sancti istius Patris Dionysii magnæ in Ecclesia sunt auctoritatis; quippè quæ ab annis circiter mille agnovit, & in veneratione habuit Concilium tertium Constantinopolitanum, ut notat Sixtus Senensis, (a) & S. Thomas Doctor Angelicus frequentissimè suis operibus flosculos indè innectit; sublimi autem, & difficulter intellectû eloquio scripta sunt; ideò alterius etiam translationis textus lectoribus gratus & utilis erit. Sic igitur præfata traduxit Ambrosius Camaldulensis: *Porrò initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo, monachorum est sancta distinctio, expiatione omni, totâ virtute, atque exactissimâ suarum operationum castitate mundata &c: ad exactissimam perfectionem divinâ ratione subvehitur. Vndè sancti præceptores nostri, divinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim* THERAPEUTAS, *id est,* CULTORES, *à syncero Dei famulatu atque cultu, partim* MONACHOS, *ab individua & singulari vita appellantes, ut quæ illos sanctis divisibilium complicationibus, in divinam, & Deo gratam monadem, perfectionemque promoveat.* Præfatus Dionysius Carthusianus in priorem translationem commentans, hæc, inter alia, proposito nostro congruentia scribit: INDE DIVINI NOSTRI DUCES] *id est, hac de causa, beatissimi Apostoli* [NOMINATIONIBUS EOS SACRIS DIGNATI] *id est, monachos judicaverunt, dignos appellationibus specialibus, illorum spiritualitati congruentibus* [ALII QUIDEM THERAPEUTAS] *id est, Dei cultores, seu placatores* [ALII AUTEM MONACHOS IPSOS NOMINANTES EX DEI PURO MINISTERIO ET FAMULATU] *id est, aliqui vocaverunt eos cultores & famulos Dei, eò quòd cum præcipua puritate, atque assidua deservitione colant Deum, ejus venerationi, laudi, speculationi, quantùm possibile, totis præcordiis sunt indesinenter intenti, jugiter custoditi, ac summâ solicitudine præcaventes, ne majestatem & sanctitatem ejus in aliquo inhonorent &c. Quoniam singulari devotione, & cordis integritate, recollectione, & simplificata unione, suo obsequuntur Creatori, non distracti, hinc indè, nec circà plura soliciti & turbati, sed in Deum reducti, stabiliti ac syncerissimâ adhæsione sancti amoris unum cum illo effecti. Nil creatum curantes, aspicientes nisi in Deum, secundùm Deum, & propter Deum, videlicet in quantùm utile & necessarium eis est ad Dei obsequium, amorem & unionem.* O utinam in nobis omnibus, tantis nominibus res ipsa quoque correspponderet!

(a) in Bibli sanc. l. 2. lit. D.

Religiosorũ, seu Monachorum perfectorum insignis descriptio:

51. Monachi etiam non infrequenter leguntur nuncupati *Cœnobitæ* à Græco nomine *Cœna*, quod est *commune*, & *bion*, quod vitam significat; quia videlicet vitam communem agunt: atque ita nomen istud

Cœnobitæ cur dicti Religiosi.

propriè convenit iis, qui in monasteriis simul vivunt: qui autem solitariam vitam agunt in contemplatione, *Anachoretæ*, seu *Eremitæ*, sicut jam antè dictum est. *Philosophos* apud antiquissimos scriptores, præsertim Græcos, frequenter cognominatos Religiosos, seu Monachos reperimus, & vitam monasticam *Philosophiam*. Hinc Philo scribens de Essenis, seu Therapeutis (veri nominis Monachis, sicut ex dicendis hic infrà propatulum fiet) *Versantes*, inquit, *sacra volumina, dant operam Philosophiæ, quam per manus à majoribus acceperunt*. Ita quoque Sozomenus in Ecclesiastica historia (a): *Tùm ii, qui monasticum vitæ genus excolebant, præ omnibus Ecclesiam illustrare, religionemque Christianam piis suis vivendi institutis magnoperè dilatare visi sunt. Talis siquidem Philosophia à Deo nobis concessa, res sanè perquàm utilis est.* Et infrà: *Initium hujus optimæ Philosophiæ quorumdam opinione ab Elia Propheta, & Ioanne Baptista fuit.* Conformiter scribunt Eusebius (b) Photius (c) Nicephorus (d) Gregorius Nyssenus (e) Chrysostomus (f): unde Nilus librum de Monastice inscripsit, de *Christiana Philosophia*: & S. Gregorius Nazianzenus in *orat. de laudib. D. Basilii*, eum *Philosophum*, ipsiusque modum vivendi *philosophiam*, atque Eliam, & Joannem *summos Philosophos* vocat. Item *Orat.* 13. *post reditum* ait: *Elias in Carmelo perlubenter philosophabatur, & in solitudine Ioannes.* Plura quoque tàm in ipso, quàm in aliis Patribus circà hoc. Dicunt verò aliqui, ideo monachos *philosophos* compellari; quia quemadmodum apud Ethnicos Philosophi erant severioris disciplinæ homines, contemptores divitiarum, & sapientiæ studio dediti, sic monachi inter Christianos. Sed cùm *Philosophus*, idem sit ac *amator*, seu *sectator sapientiæ*, cùm perfectissima sapientia, quæ in Dei supernaturali cognitione, & Christi sequela consistit, solùm inter Christianos monachos reperiatur, potiori jure, quàm Ethnici vocari debent *Philosophi*, si ad nominis etymologiam attendatur. Ita Lezana, *in Apparatu ad Tomum 2. Annalium cap. 4.* ubi de isto, & aliis præfatis nominibus, seu titulis accuratè tractavit.

Philosophi *frequenter nuncupati Religiosi & vita monastica* Philosophia.

(a) lib. 1. c. 11. (seu 12)

(b) lib. 2. Eccl. hist. c. 17.
(c) in Bibl.
(d) lib. 2. c. 16.
(e) orat. 7. in cap. 4. Cantic.
(f) lib. contra vitup. vitæ monast.

52. Etiam alii tituli, seu epitheta ibi adferuntur, videlicet *Asceta*, & eorum conversatio *Ascesis*, seu *Ascetica vita* dicta, ac Monasterium *Asceterium*: id est, locus exercitationis spiritualis: *Icheta*, id est, *Supplices*, sub quo nomine Philo de illis librum suum de Essenis, seu Monachis sui temporis inscripsit de *Supplicum virtutibus*, seu de *vita contemplativa*. Dicuntur autem *Supplices* à præcipuo munere, *quod est, orare, & Deum laudare*, inquit Cardinalis Bellarminus (g). Addit Boulduceus (h) vocatos *Ichetas*, id est, *Supplices, & decumbentes: quod à Patre suo Elia Propheta 3. Regum 18. versu 42. ab Hebræis derivatum didicerant.* Dicto autem loco (*cap. 18. libri 3. Regum*) S. Elias describitur supplici & humillimo corporis situ, pronus in terram, capite inter genua posito, Deum orasse.

Religiosi etiam dicti Ascetæ, *&* Supplices,

(g) lib. de Monach. cap. 1.
(h) De Ecclesia ante Leg.

Quandoque etiam Monachi nuncupati leguntur *Bucolini*, & etiam *Nonni*, ac Moniales *Nonnæ* (quod nomen in Belgico idiomate in hodiernum usque diem est in frequentissimo usu). Subindè etiam Monachi compellati sunt *Eliotæ*, seu *Heliotæ*, quia ab Elia Patriarcha originem ducunt. Unde Doctor Joannes Basilius Sanctorus Hispanus auctor, in suo *Prato spirituali part. 2. lib. 5. cap. 2.* de Monachis Carmeli loquens, quos Christi fuisse tempore describit, *Eliotas* cognominatos esse inquit. Ita Lezana ibidem. Hinc Joannes Moschus (a) monasterium in partibus Jordanis (ubi S. Eliæ discipuli, Filii Prophetarum ædificabant sibi casulas herbis agrestibus victitantes) nuncupat *Monasterium Heliotarum*, & cap. 62. ac sequent. agit de Stephano *presbytero monasterii Eliotarum*. Sed nunc de istis satis, deinceps in rem ipsam ingrediemur, & Religiosam Monasticam vitam ab origine mundi, per omnes ætates, variè adumbratam & delineatam, ac tandem substantialiter expressam, & deinceps semper continuatam, ac mirè propagatam declarabimus.

Nonni,

Eliotæ.

(a) In vitis Patrum l. 10. c. 134.

CAPUT IV.

Sex mundi ætates in veteri Testamento: & in singulis semper aliqui specialiori ritu, à communi plebe distincto, Deum colentes: Religiosi statûs sub Lege veteri, & gratiæ varia consideratio.

53. CHronologi & Historici passim sub veteri Testamento assignant sex intervalla, seu partes, sive diversas ÆTATES (novi autem Testamenti tempora per secula discriminant). PRIMA ÆTAS est ORIGINARII MUNDI, ab Adamo ad diluvium: tamquam *Infantia Ecclesiæ, & populi Dei*. SECUNDA DILUVII, à Noë post diluvium, ad nativitatem Abrahæ: *velut Pueritia populi Dei*. TERTIA PATRIARCHARUM, ET VARIARUM GENTIUM, ab Abraham usque ad exitum ex Ægypto: *quasi Adolescentia Ecclesiæ Dei*. QUARTA JUDICUM ET HERÔUM, LEGISQUE SCRIPTIO, ab exitu ex Ægypto usque ad quartum Salomonis annum, quo jacta fuêre fundamenta templi: *velut Iuventus populi Dei*. QUINTA REGUM, ET VARIORUM MUNDI PRINCIPATUUM, à quarto Salomonis anno, usque ad primum captivitatis Babylonicæ: quæ fuit *tamquam virilis ætas Testamenti prioris*. SEXTA CAPTIVITAS (quæ & Ethnicis Monarchiæ, & ingentium imperiorum origo) *ejusdem Testamenti velut canities*, à Captivitate Babylonica (quæ duravit annis septuaginta) usque ad nativitatem Christi. Et hæc juxta Gilberti Genebrardi, præstantis Chronographi, computum. Jacobus Salianus, & Augustinus Torniellus tempus Legis veteris etiam in sex ætates dispertiunt:

Ætates mundi sex in veteri Testamento.

dispertiunt: differunt autem plerumque quoad initium, & finem cujusvis ferè ætatis. Nonnulli sic istas ætates determinant. Prima à creato Adamo usquead Diluvium. II. à Diluvio usquead Abraham natum. III. ab Abrahamo usquead initium regni Davidis. IV. à Davide usquead captivitatem Babylonicam. V. Indè usquead Incarnatum, seu natum Christum. VI. à Christo usquead finem mundi. Juxta hunc computum Christus natus est in principio ætatis sextæ: juxta priorem verò, in fine ætatis sextæ. Sunt qui aliter definiant istas ætates: sed de istis sermo longior extrà propositum hìc foret. Itaque abite nunc ista; ad rem ipsam nostram veniamus, quâ causâ, & fidei struendæ, & ordinis congrui servandi hęc præmissa: ipsius igitur Genebrardi vestigia tenentes in ista ætatum partitione, paucis declarabimus per omnes illas ætates aliquos specialiori ritu, & formâ cultui Divino dicatos fuisse, qui cæteros verbô & exemplô instruerent, eorumque fuerit peculiaris vivendi modus, qui Monasticam vitam præfiguravit, seu expressit.

in illis omnibus aliqui specialiori ritu Deum colentes:

54. ÆTAS PRIMA (ab Adam ad Noë anno primo post diluvium) mundi primordia *Filios Dei* nuncupatos, illustrissimos Dei cultores, à reliquâ hominum prole sejunctos conspexére. Præcipui inter eos fuére Seth, Enos, Cainam & Henoch, speciali ritu, & formâ Deum colentes, atque ità Religiosam Monasticam vitam, rudibus licèt lineamentis, adumbrantes, prout latiùs infra *cap* 5. ÆTAS II (à Diluvio usquead Abraham) cùm jam *Filii Dei* nuncupati ab instituto suo (quod humanum est, & fuit semper) deviassent, & moribus in deteriora lapsis, sine consideratione aliqua in omne genus flagitiorum effusi mortales iram in se Numinis vertissent, ac proptereà aquarum eluvione periissent; unus è Sethi sanguine Noëmus supererat, qui justitiæ, & perfectionis meritô apud Deum gratiam invenerat, quia in ejus obsequio præstabat, & ad totius generis humani reservatus fuit Seminarium cum uxore sua, tribus filiis, eorumque uxoribus. Et ille perfectioris vitæ studio incumbens, Divino se devoverat obsequio: quod idem præstitit filius ejus Sem, & post hunc Arphaxad, & Heber.

in lege naturæ Religiosum monasticum institutum adumbratum,

55. ÆTAS III. (ab Abraham ad exitum ex Ægypto) habuit clarissimos viros, singularissimos Dei cultores, pietatis atque religionis Zelatores, Patriarchas Abraham, Isaac, & Jacob. Tales quoque fuére Melchisedech, Job, Jethro socer Moysis, & Cinæi: qui omnes in variis Religiosi Monastici Instituti virtutibus propriis effulserunt, atque ità illud adumbrantes. ÆTAS IV. (ab egressu ex Ægypto usquead Salòmonem) haud minùs fœcunda varios protulit specialiori modô, & ritu ab aliis distinctô, Dei cultores, Religiosi seu Monastici Instituti, temporibus sequentibus futuri, veluti perfectiora quædam delineamenta. Ejusmodi imprimìs fuére *Nazaræi*, quorum vitæ ratio, & instituta, simillima erant Religiosæ Monasticæ vitæ, præsertim tempore Samuelis, atque ità eam expressius delineabant, nondum tamen substantialitèr exprimebant, defectu perpetuæ castitatis, & omnimodæ abdicationis rerum temporalium.

sub lege scripta clarius delineatum,

56. ÆTAS V. (à Salomone usquead Babylonicam captivitatem). Tunc instar auroræ solis præambulum luxit magnus Propheta Elias: quem veri nominis fuisse Monachum, Monachorumque & Eremitarum primum Principem in veteri Testamento Monasticæ professionis fundantem primordia, consentit auctoritas Patrum venerabilium: quorum testimonia proferentur in sequentibus. Itaque in Lege naturæ Seth, & præcipuè Enos atque alii religiosum Statum *adumbrarunt*: eumdem in Lege scripta Samuel, & Nazaræi clariùs *delineaverunt*, & ELIAS in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ *expressit*, *inchoavit*. Sublime igitur istud vitæ genus, quod S. Elias auspicatus fuit primus, perfectione superavit Instituta Samuelis in observantia castitatis, & voluntariæ paupertatis, atque obedientiæ, idque ex aliquali voto, ut ex sequentibus patescet. ÆTAS VI. (à Babylonica captivitate ad Christum) Ea posteros habuit ELIÆ & Elisei ejusdemque Instituti Monastici sectatores in Carmelo, aliisque Terræ sanctæ eremis, etiam tempore captivitatum Judaicarum, ut posteà videbimus. Etenim plerosque qui post Samuelem & Eliam *Prophetæ* vocabantur, Ordinis seu Instituti Prophetici ab ipso Samuele inchoati, & ab Elia trium votorum, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis observantia decorati, luculenter demonstrat Tomus primus Annalium Ordinis Carmelitani per totum. Porrò sub ea tempora, qui anteà *Filii Prophetarum* & *Rechabitæ* dicebantur, etiam nuncupari cœperunt *Esseni*, seu *Essæi*, quos sinceræ fidei, veros Religiosos & Monachos Eliani Instituti sectatores, & continuatores fuisse, atque inter eos degentem *in spiritu & virtute Eliæ* Elianæ vitæ in se perfectissimam idæam expressisse Joannem Baptistam, declarabitur in sequentibus.

ac tandem substantialiter inchoatum.

57. Et ista juxta communem temporis, & ætatum sub veteri Testamento distributionem hìc dicta sufficiant. Nos verò convenientius proposito nostro (quod est hoc loco tractare de Religioso Statu sub Lege naturæ & Mosaica) tempus universum ab origine mundi usquead Christi nativitatem ad tres status, seu intervalla, sive ætates distinctas contrahemus, declarando varietatem Religiosi Status sub qualibet. Prima est *tempus Legis naturæ*: sub ea status Religiosi fuit mera adumbratio. Secunda *ab initio Legis scriptæ usque ad magnum Prophetam Eliam*: & tunc major fuit Status Religiosi expressio. Tertia *ab ipso S. Elia*, à quo, Deo mandante, fuit inchoata castitatis, paupertatis & obedientiæ, cæterorumque monasti-

corum Institutorum observantia; deindè continuata per ejus discipulos Filios Prophetarum, Essenos &c. ac instaurata per Joannem Baptistam. Illa fuit Religiosi Status quasi infantia, & pueritia.

58. Thomas Waldensis, dogmatum Ecclesiæ insignis defensor, & hæresum Wiclefi, ac aliorum expugnator, in præclaro Opere nuncupato DOCTRINALI FIDEI Libro tertio, articulo 1. capite 10. ostendit Religionem peculiarem, Divini cultui singulariùs dicatam, in ritibus, & cæremoniis dissimilem, ac diversam, attamen quoad substantiam eamdem fuisse in Lege naturæ adumbratam, in Lege scripta sub Prophetis inceptam & professam, & in Lege gratiæ sub Christo ab Apostolis omninò perfectam ac in omnimoda perfectione consummatam, ac deindè per universum Orbem propagatam: Ibi igitur sic: *Et quamvis isti Religiosi peculiares, quos induxi à primævo tempore Legis gratiæ usque ad tempora nostra nobis in omni substantiali professione sunt conformes: prædictu tamen sanctis Patribus de tempore Legis naturæ & Mosaicæ in multis videntur esse dissimiles: eò quod quidam paupertatem istam tenentes uxoribus utebantur; quidam uxoribus utentes, & paupertatem tenentes, & degentes sub obedientia, vino abrenunciabant, & domibus: quod nos omittimus; & cæteri omiserunt, & cætera talia, quæ nec tunc sine causa fiebant, nec jam sine causa dimittimus.*

Statûs religiosi discrimen in veteri, & nova Lege:

Et post alia tandem concludens, ait: *Sed hoc ergò satis est, probasse scilicet à primævo tempore fuisse Religionem quamdam peculiarem, segregatam a vulgo, sicut arctioris Professionis, ità longè meriti altioris, laudatam à Deo, probatam à sancto vulgo, exercitatam à Sanctissimis Patribus, professam à Prophetis, continuatam ab Apostolis, institutam sub Euangelistis: ex cujus fonte demum rivi Religionis ejusdem inundabant alluvione sincerissima per tres Orbis partes, Asiam, Europam & Africam, sanctissimis attestantibus sine omni chronographo Doctoribus supradictis.* Hæc ille: Inter quæ, præter alia, notatu digna, illud non prætermittendum, quod eam Religionem, quam *professam à Prophetis* dicit, vocat etiam *continuatam ab Apostolis* (sicut infrà pleniùs tradetur) institutam Christianæ fidei documentis, sub Euangelistis, præsertim S. Marco, prout latiùs, ubi de Essenis.

59. Igitur quemadmodùm diem præcedunt diluculum, atque aurora, & deindè sequitur lux prima matutina, quæ successivè augetur usque in meridiem: ità Religiosum Monasticum Institutum præcesserunt illius adumbratio, & quædam delineatio, tùm subsecutus est ejusdem ortus seu origo per magnum Prophetam Eliam, & instauratio per S. Joannem Baptistam, ac denique consummatio in perfectione per Christum Dominum, ac propagatio per SS. Apostolos, & alios post ipsos. Ista in Epistola de vita solitaria, ad Fratres de Monte Dei S. Bernardus (seu quicumque ejus est auctor) sic elegantèr exprimit, agens contra quosdam Religiosum Monasticum Institutum tamquam novellum cavillantes: *Sed hæc novitas, inquit, non est novella vanitas. Res enim est antiquæ Religionis, perfecta, fundata in Christo pietatis, antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei: à tempore Prophetarum præmonstrata: jamque nova gratia sole exorto, in Ioanne Baptista instaurata & innovata: ab ipso Domino familiarissimè celebrata.* Et infrà: *Post Passionem vero Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effusi ejus sanguinis recenti memoriâ, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritûs sectantibus, & in spiritualibus exercitiis & in contemplatione Dei pingue ocium altero ad alterum zelantibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulum, Macarium, Antonium, Arsenium, & alios quàm plures in sancta hujus conversationis republica consulares viros, egregia nomina in Civitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentes de victoria hujus seculi, & principis hujus mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini Dei sui. Sileant ergo qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potius arguendi vetustatis & vanitatis.* Ista ut meliùs percipiantur Religiosum Statum hominum peculiari ritu & modo Deo dicatorum, sub diversis differentiis juxta varias mutationes, præfigurationes, & incrementa, perfectionem, propagationem, multiplicationem, considerabimus.

Statum Religiosum præcessit ejus adumbratio, sicut ante diem aurora.

60. *Imprimìs* Religiosus Status in Lege naturæ quodammodò fuit adumbratus peculiaritèr per SS. Patriarchas Seth, Enos, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, & Jacob: qui licèt pro ratione istius temporis, requirentis generis propagationem, matrimonii vinculis adstricti fuerint, peculiariori tamen ratione & ritibus Deo se dicabant, & quasdam observantias, sicut modo Religiosi, practicabant. Sub Lege Mosaica Religiosæ Monasticæ vitæ major fuit expressio, præsertim apud Nazaræos (quorum institutum viciniùs accedebat ad Statum Religiosum) & sub Samuele, qui *Cuneos Prophetarum*, hoc est Conventus, seu congregationes hominum Religiosorum psallentium Domino instituit: non tamen cum observantia paupertatis, & castitatis. Tandem magnus Propheta Elias Dei jussu à turbis hominum secedens, vitam Religiosam, eremiticam, Monasticam in omnimodâ rerum omnium abdicatione, castitate, & obedientiâ, ex aliquali voto, ducere cœpit (in istis autem substantialis ratio Religiosi Monastici Status sita est: atque ità veri nominis *Religiosus*, & *Monachus* fuit sicut passim à Patribus nuncupatur) & eamdem vitæ rationem Eliseo, cæterisque suis discipulis tradidit, & isti aliis ejusdem Propositi sequacibus: qui & suos in eadem vitæ ratione successores in Carmelo, circa Jordanem, & in aliis locis habuerunt: & in illis locis continuati fuerunt usque ad Christi adventum. Et ista est varia consideratio Religiosi Status sub veteri Lege.

Status Religiosi varia adumbratio, origo, incrementa:

61. In nova Lege Christus Dominus purissimus Virgo, natus in stabulo, in vita non habens ubi caput reclinaret, mortuus nudus

ejus propagatio, ac multiplicatio sub nova Lege.

nudus in cruce, conditus in alieno sepulchro, atque ità paupertatem summam, atque etiam obedientiam usque ad mortem amplexus Religiosam Monasticam vitam in perfectione consummavit, sicut declaratum est capite primo, & in sequentibus confirmabitur. Post Christi in cœlum ascensionem Apostoli, & cum eis, ac post eos viri Apostolici eamdem vitæ rationem servantes propagarunt, præsertim S. Marcus circa Alexandriam: & indè institutum hoc traductum fuit per Ægyptum & alias Regiones, jugiter continuatum, ac multiplicatum, & tribus prioribus seculis post Christi in cœlos ascensionem indivisum quodammodò, seu non distinctum, atque ità multiplicatum, & jugiter continuatum usque ad seculum quartum. Seculo quartò, sedatis gravissimarum persecutionum procellis, & præstitâ Ecclesiæ pace, Religiosum Monasticum Institutum, anteà quodammodò indivisum, & quasi unicum, & ejusdem rationis, deindè in plura germina excrevit, & magnoperè multiplicatum, & propagatum fuit, per S. Basilium, S. Augustinum, & potissimè per SS. Antonium, Hilarionem, Macarium, & alios. Seculo sexto, & deinceps, Religiosa Monastica vita maximum in Europa habuit incrementum per S. Benedictum, ac deindè seculo undecimo per SS. Bernardum, Norbertum, Brunonem, Romualdum, & quosdam alios Fundatores Ordinum Monachalium.

62. Denique sub initium seculi decimi tertii S. Dominicus, & S. Franciscus suos instituerunt Ordines novos Mendicantes, quibus, ex eremis evocati, auctoritate Sedis Apostolicæ, adjuncti fuerunt Carmelitæ, & Eremitæ Augustiniani. Post duo ferè secula S. Franciscus de Paula Ordinem Minimorum invexit, etiam sub nomine Mendicantium. Seculo autem proximè elapso præfatis accesserunt Societas Jesu, & PP. Capucini, ac Carmelitæ Discalceati, qui omnes ex proprio instituto etiam animarum saluti incumbunt, unà cum Congregatione Oratorii, iisdem temporibus institutâ. Pro majori claritate haud abs re erit ista sigillatim aliquantò uberiùs declarare, & ab initio Religiosi Monastici Instituti adumbrationem, clariorem expressionem, tandemque substantialem institutionem, in perfectione consummationem, successionem, propagationem prosequi.

CAPUT V.

In Lege naturæ semper aliqui inter fideles, specialiori ritu & formâ Dei cultui dicati homines, Religiosam Monasticam vitam adumbrantes. Sub prima, secunda & tertia mundi ætate.

63. Quamvis mox à condito Orbe varia fuerint Divini cultus inter fideles vestigia, specialiter tamen religiosiori devotione resplenduit Seth Adæ filius natus anno mundi 131. *qui primam veluti lineam, etsi umbrosam, status in Orbe futuri designavit* ut loquitur Lezana (a). Ita ut à singulari pietate, ac sapientiâ cognominatus fuerit *Deus*, prout tradit Suidas apud Cornelium à Lapide (b) fuitque dupliciter Pater illorum qui in Scriptura *Genes. 6.* vocantur *Filii Dei*, qui erant homines specialiori modo, & ratione, cultui Dei, & obsequiis, Religiosorum instar, devoti. Ita Lezana loco citato ex sententia præcipuorum Patrum & Interpretum. Hinc Boulducus, (c) tradit *à Seth institutam, & à filiis ejus mirificè propagatam, ac illustratam sanctissimam filiorum Dei, utpote Prophetarum, Doctorum, ac Religiosorum virorum, Sodalitatem.* Hujus autem filius præcipuus fuit Enos, qui peculiarem, & sublimiorem illum Dei cultum magis promovit, ut satis innuitur in istis verbis Genesis quarto: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Non quia id ante ipsum in usu non fuerit; quis enim credat, Adam etiam post pœnitentiam virum justum, Abelem Sanctum, & piissimum, Dei invocationem cuilibet homini tantopere necessariam, neglexisse? sed sanè, ideò de ipso dicitur, cœpisse *invocare nomen Domini*; quia id cœperit palam, & excellentiùs, quàm vulgus hominum, videlicet, certas ceremonias, & precum formulas adhibendo. Ita passim Interpretes in illum locum. Torniellus de ejusdem Institutis accuratè indagans, & per plura edisserens, sic ad propositum scribit: *Possumus satis verisimiliter contestari, tunc primùm (sicut posteà circa initia reparati Orbis, in primitivâ scilicet Ecclesiâ multò perfectiùs factum est) institutos fuisse spirituales quosdam Conventus, & quasdam devotas precationes, puta psalmos, aut hymnos, in summi Dei laudem, certis temporibus, & locis, piè cultis, communiter recitando.* Atque hujusmodi cultûs Sectatores illius tempestatis fuisse *Religiosos quodammodò*, possumus asseverare. Ab isto Enos *Filii Dei* nuncupati, etiam dicti fuêre *Enoscai.* Ejusdem peculiaris istius, & Religiosioris Instituti seu sodalitatis fuêre Caïnan filius Enos, de quo *Genesis* 5. & Henoch pronepos Caïnan, de quo etiam Genes. 5. legitur, *& ambulavit Henoch cum Deo.* Et Ecclesiast. 4. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.* Quod Henoch dicitur *cum Deo ambulasse*

(a) tom. 1. Annal. in Appar. c. 1.

(b) in Genes. c. 4. v. 25.

(c) De Eccles. ante Legem l. 1. c. 4. §. 1.

Cultores Dei specialiori ritu, in prima mundi ætate, Statum Religiosum adumbrantes.

lasse, magnam ejus indicat perfectionem: nam illis temporibus idem id erat, ac *adhibitis quibusdam cæremoniis totum se Divino servitio solemniter, & perpetuò devovere*, ut habet Boulducus (a) Et isti claruerunt *in prima mundi ætate*.

(a) lib. 1. c. 18.

64. Ex Sethi sanguine Noëmum iisdem instituisse religiosioris vitæ studiis, habetur ex istis Genes. 6. verbis: *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulavit*. Domini videlicet obsequio se vovens, uti jam dictum est de Henoch. Quin & castimoniæ religiosæ figuram, & quodammodò exemplum se præbuit; etenim (ut illustris notæ Scriptores tradunt) providus futuri Dominus Deus, quàm gratam, ratamque foret habiturus aliquandò castimoniam, præsagâ, præviâque demonstratione ipso diluvii tempore voluisse videtur ostensum mortalibus; ejus namque jussu factum esse autumant, quòd secretis invicem sexibus, ingressus est Noë, Sem, Cham, & Japhet filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam (b). Si quidem D. Hieronymus, antiquitatis indagator accuratissimus, invehens adversùs Jovinianum, hominem Monasticæ castitati infensissimum, Arcam illam, juxta Apostolum Petrum, typum Ecclesiæ fuisse contendit, in qua octo animæ salvæ factæ sunt: Quam ingrediens Noë, & filii ejus, ab uxoribus separantur: quando verò egreditur in terram junguntur paria: ad præfigurandum Religiosum, ac deindè Matrimonialem statum. Facit hîc ad sensum nostrum Iacobus Middendorpius Academiæ Coloniensis Procancellarius, & Rector (c) inquiens: *Quia novi Orbis instaurator, & parens esse debebat, qui veteram Religionem, & priscam Religiosorum Sethiorum pietatem, continentiamque filios & posteros suos doceret, idcircò admirabili Deus consilio usus est, quando in salutarem illam navim ingredi jussit viros à mulieribus separatos*. Etiam *castitatem* quasi *votivam* in Patriarcha Noë deprædicat S. Ioannes Chrysostomus (d): cùm enim retulisset historiam Moysis, præfatumque secundi mundi propagatorem, trecentos & quinquaginta annos generali cataclysmo supervixisse, subjungit: *Neque hoc putes absque causâ assignasse Scripturam: sed vide & hoc loco justi continentiam: quia tantâ cum frueretur ubertate, & prosperitate, superviveretque tanto annorum numero post egressum ab Arca, noluit ultrà indulgere puerorum procreationi. Nec enim commemorat Scriptura illum alios præter tres istos pueros habuisse*. Noëmi vestigia subsecutus est ejus filius Sem. Propterea enim benedictionem illam à parente promeruit (e). *Benedictus Dominus Deus Sem*: qui à Tostato, & aliis nonnullis, existimatus fuit Melchisedech (aliis tamen verisimiliùs aliter sentientibus) ejus autem filius Arphaxad, & ejus Nepos Heber (à quo juxta nonnullos nomen *Hebræi*) inter eximios divini cultus propagatores censentur. Sed eâ ætate præstantissimus claruit Melchisedech Rex Salem (hæc est Hierosolyma) *Sacerdos Dei altissimi*, à quibusdam *sine Patre, sine Matre, sine Genealogiâ* reputatus: qui à Suidâ appellatur: *Vir Religiosus ex Gentibus* cujus gesta, & encomia illustrant passim Interpretes, *in cap. 4. Genesis*, & in *Psalmum* 109. atque in *Divi Pauli Epistolam ad Hebræos c. 5.* Eum nonnulli probabiliter censuerunt fuisse fundatorem Collegii Prophetarum (id est Deo pariter laudes concinentium, specialiorique ritu servientium) in Valle Raphaim. Ita ex Boulduco Lezana. Id indubitatum est, eum peculiari, à ceteris distincto ritu verum Deum coluisse; ut proptereà Christus ipse dicatur: *Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech* (a) & isti in *secunda mundi ætate* viri clarissimæ pietatis.

in secunda mundi ætate:

(b) Genes. c. 7.

(c) lib. 1. Monast. hist. c. 1.

(d) Homil. 29. in Genes.

(e) Gen. 9.

(a) Psal. 109.

65. Istos *in tertia mundi ætate* proximè secuti sunt specialissimi cultores Dei, & pietatis, ac Religionis zelatores, Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob; quos in variis Monastico Instituto propriis virtutibus eximios fuisse facile est de singulis demonstrare. Et quidem Abrahamum ad summæ perfectionis studium (quod est *coram Deo ambulare*) Deus ipse indicavit, dicens. *Ambula coram me, & esto perfectus*. (b) Ejusdem (inter cæteras virtutes) obedientia promptissima, & ardua, notissima est. Paupertatem etiam aliqualiter exercuit, quando jussu Dei, *egressus fuit de Terra sua, de cognatione sua, de domo Patris sui*: (c) Ratione utriusque istius, quòd *ambulaverit coram Domino* (id enim præstantissimum est Monachorum exercitium) & quòd ipsius exemplo exeamus *de terra & cognatione*, ac vocantem sequamur Deum. Magnus Antonius in Epistola ad suos Arsenioitas, Abrahamum appellat *Progenitorem Monachorum*. Sed de isto magno Patriarcha, ejusdemque non absimilibus filio Isaac, & nepote Iacobi hic in plura sermonem diffundere haud opus est; nostri enim calami non egent præconio, cùm eorum singularis devotio, virtutes, & gesta, Canonicarum Scripturarum sat commendentur testimonio. Ex istorum etiam posteris haud umquam defuêre; qui Patrum vestigiis inhærentes peculiariori cultu, & ritu Deum venerarentur. Tales item illis temporibus, etiam inter Gentiles, deprædicantur Iob vir Sanctissimus, & incomparabilis, nec non & Iethro, Moysis socer, habitus à Waldensi *in Doctrinali fidei* (d) & aliis tamquam caput *Iethræorum, & Cinæorum*. *Cinæi* autem (de quibus *Iudicum* dicitur *Filii autem Cinæi, cognati Moysi, Ascenderunt de Civitate palmarum*) sic dicti à *Cin* filio *Iethronis*, aliàs *Hobab*, nuncupato, iidemque sunt cum *Iethræis*, quos Waldensis dicto loco *Religiosos* dicit illorum temporum, videlicet tamquam adumbrantes primordia Religionis, per Eliam clariùs exprimendæ, & per Christum perficiendæ, modo jam ante in Protestatione explicatò. Isti enim constituebant Congregationem quamdam hominum, vitæ Religiosæ formam sectantium: qui (instar Religioso-

sub tertia mundi ætate.

(b) Genes. 17.

(c) Genes. 12.

etiam inter Gentes.

(d) lib. 3. art. 1. c. 5.

gioforum) nullibi habebant locum, fed varias habitationes, non in unâ alterâve Provinciâ, tribu, aut Civitate morabantur, fed in plures distracti, & divisi erant mansiones. De illis, ficut & de Rechabitis, ejusdem Societatis, plura videri poterunt apud Waldensem ac Bolducum *de Ecclesia ante Legem*, & Lezanam (a).

(a) Tom. 1. Annal. in Apparatu.

CAPUT VI.

Sub Lege Mosaica Religiosi Monastici Status, major expressio, in quarta mundi ætate.

Religiosus Status clariùs expressus in 4. mundi ætate.

66. INter eos, qui fub Lege fcripta *in quarta mundi ætate*, Religiosum Monasticum Statum fpecialiùs præfignarunt, meritò recenfendi *Nazaræi*, quorum Institutum, & ceremoniæ fimillima erant Monasticæ vitæ; nam Deo confecrabantur, & ejus obfequio omninò dicabantur, idque etiam voti nexu addito: à vino, & omni, quod cum eo propinquitatem habet, abstinebant; & propterea apud Ieremiam *in Threnis Capite* 4. hoc elogio decorantur: *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores.* Hinc varii è Patribus Religiosos *Nazaræos* nuncupant; quorum votum, confecratio, & ritus defcribuntur Capite 6. Numerorum, ubi hæc, inter cætera: *Vir, five mulier, cùm fecerint votum, ut fanctificentur, & fe voluerint Deo confecrare; à vino, & omni, quod inebriare poteft, abftinebunt.* Id eft, cùm voverint votum Nazaræi, ut feparent fe à communi hominum confuetudine, & vivendi ratione. Nazaræi apud Iudæos erant viri Religiofi, qui ut liberius vacarent Legi, & meditationi rerum Divinarum, aliorum commercio fe abdicabant, vel femper, vel ad tempus, & Domino fe totos dedebant. Ita Cornelius à Lapide in illum locum. De illis agens Hugo Cardinalis (b) ait: *Isti Prophetæ viri Religiofi erant, dicti* NAZARÆI, *qui non habebant vinum, & vacabant femper, canentes hymnos, & pfalmos.* Idem Cardinalis (c) agens de Nazaræorum voto fcribit: *In voto eorum erant multi articuli Religionis*, inter quos refert, *quòd amplexibus mulierum non vacabant.* Quòd eorum aliqui castitatem fervaverint, & quidem ex voto tradunt Patres, & Doctores alii plures: difertè quidem S. Chryfoftomus (d) *Nazaræi fecundùm legem nuncupabantur, qui castitatem Deo infigni voto mancipabant.* Conformiter fcribit Damafcenus (e) *An non denique lex ingens votum castitatem nuncupat?* Idem docent S. Epiphanius, & S. Auguftinus, & cum illis Cornelius à Lapide *in Caput quartum Threnorum*, circa præfata verba: *Candidiores Nazaræi ejus nive*, ubi hæc: *Nazaræi, id eft, feparati, confecrati, & coronati erant*, qui fe *Deo devovebant, vino & ficerâ abstinendo, comam non tondendo. Num. 6. multi etiam à mulieribus fe continendo, ut ait Epiphanius hæref. 29. & S. Auguftinus ferm.* 107. *de tempore.* Sic & Claudius Efpencæus (a) *Nazaræi quoque castitatis Deo magno infignique voto confecrati, ac mancipati.* Alios affertores voti castitatis in Nazaræis videri poterunt apud Lezanam (b) Affertores voti Nazaræorum etiam funt Liranus, Abulenfis, & alii plures.

per Nazaræos:

(b) in lib. 1 Reg. c. 19. v. 20.

(c) in c. 6. Numer.

(d) Homil. 4. in vigil. Epiph. to. 2.

(e) lib. 4. fidei Orthod. c. 25.

(a) de Continentia l. 1 c. 1.

(b) Annal. to. 1. in Appar. c. 4. n. 21.

præfertim tempore Samuelis.

67. Nazaræi isti peculiari ratione ad Religiofum Inftitutum quam-proximè accedebant tempore Samuëlis Prophetæ: qui *cuneos*, id eft, Conventus, feu Collegia virorum Deum laudantium Orationi, Pfalmodiæ, ac Sacrarum litterarum ftudiis vacantium inftituit; qui vocabantur *Prophetæ*, hoc eft jugiter Deum laudantes, *Prophetæ* enim nomen, licèt paffim accipiatur pro iis *qui occulta pandunt, feu futura prædicunt*, fat frequenter etiam denotat *Divinarum laudum Cantores, qui etiam adhibitis inftrumentis Muficis pfallebant, & cantabant:* Subindè quoque fumitur pro homine pio, justo, & fancto, Dei cultui, fpecialiori modo, addicto, vitam à mundo alienam agente, cum Deo converfante, & qui propterea veluti Divinæ voluntatis interpres, opere, & fermone, precibus etiam, & quandoque fignis, ac miraculis alios in via Dei inftruit, docet, & ædificat. Ita Lezana (c): id multorum Auctoritatibus declarat, & confirmat manifefto teftimonio facræ Scripturæ lib. 1. Reg. cap. 10. ubi poftquam Samuel Saülem unxit in Regem, dixit illi: *Poft hæc venies in collem Dei ubi eft ftatio Philiftinorum, & cùm ingreffus fueris in urbem, obvium habebis gregem Prophetarum, defcendentium de excelfo, & ante eos pfalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipfofq; prophetantes.* Et infrà (d) dicitur quòd cùm perveniffet Saul ad prædictum collem: *Ecce cuneus Prophetarum obvius ei, & infiliit fuper eum fpiritus Domini, & prophetavit in medio eorum. Grex* enim feu *cuneus Prophetarum*, aut *Prophetæ* isti non erant aliud, nifi viri fapientes, ac veluti Religiofi, Dei laudibus infiftentes. Propterea in illum locum fcribens Petrus Comeftor, hiftoriæ Scholafticæ compilator, ait: *Nota, quòd Samuel primò inftituit Conventus Religioforum, jugiter pfallentium Domino, & dicebatur Conventus eorum* CUNEUS, *quafi* COÜNEUS. *Et dicebantur* PROPHETARE, *id eft, jugiter Deum laudare, & fortè aliqui quandoque prophetabant ex eis.* Similis locus eft capite 19. ejufdem primi libri Regum, ubi refertur, quod apparitores miffi à Saul ut raperent Davidem, *qui cùm vidiffent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ftantem fuper eos, factus eft etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipfi.* Idem eveniffe ipfi Saüli dicitur ibidem, ut nempè *prophetaret cum cæteris* (Prophetis) coram Samuele, & caneret fpoliatus veftibus fuis. In priorem locum circa verba illa: *Et prophetare cœperunt etiam ipfi*, Abulenfis (e) commentans ait, *fcilicet isti qui miffi erant à Saüle cœperunt canere laudes Dei, ficut omnes alii Prophetæ.* Ibidem alia plura habet ad propofitum atque inter cætera:

(c) Annal. to. 1. in Appar. c. 5.

(d) verfio.

cujus temporis erant CUNEI *id eft, Conventus Deo laudes canentium.*

(e) quæft. 31.

cætera: *Fiebant diversa Collegia per terram Israël, & in quolibet eorum multi viri, qui specialiter vacabant contemplationi in comparatione ad alios homines, sicuti nunc sunt Religiosi in comparatione ad populares: Et isti in illis Collegiis vacabant studiis sapientiæ & doctrinæ & disciplinæ Legis, & addiscebant facere cantica Divinæ laudis, & illa faciebant.*

68 Istis autem, veluti Magister & Prælatus Samuel vivendi normam, & modum tradebat, & eos per singulos annos visitabat; *Samuel ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala, & Masphat.* (a) Quod Samuel istorum Superior fuerit, ex variis Scripturæ locis elicitur, & quidem ex *Capite* 19. *libri primi Regum versu* 20, legitur de Samuele: *stantem super eos*: id est, ut Liranus exponit, *præsidentem eis*, vel, ut Carthusianus, *præsidentem eis, ac dirigentem*. Sanctius in illum locum scribit: *Samuelem illius Religiosi cœtus fuisse parentem, & fortasse primum, qui Religiosos viros in unum coëgit, & illorum societati præfuit. Id indicat illud*: STANTEM SUPER EOS: *quod nihil est aliud, quàm illi psallentium, seu vaticinantium choro fuisse præpositum.* Quærit Lezana, (b) an isti sub Samuelis disciplinâ dici possint *Religiosi*? respondet, sic à pluribus nuncupatos fuisse. Sed veritas est, inquit, non nisi largo & lato modo tales dici posse; cùm nullatenùs affirmari possit sine trium votorum observantiâ (quæ Eliæ tempore cœpit) Religiosum Statum consistere. Quidam enim illorum sub obedientiâ degentes, & paupertatem tenentes, uxoribus utebantur, alii in castitate temporariâ, seu etiam perpetuâ viventes, proprio se non abdicabant; atque omnia illa, in quibus Religiosi Statûs essentia consistit, non simul reperiebantur, videlicet voluntariæ paupertatis, castitatis perpetuæ, & obedientiæ observantia: quas demùm omnes simul primus amplexus fuit S. Propheta Elias. Hinc Ægidius Camartus libro *de gestis Eliæ*: (c) *Dicendum*, inquit, *Prophetas*, qui *unà cum Samuele degebant, non se adstrinxisse legibus cœlibatus; plurimi enim illorum uxorati erant: quin & ipse Samuel, cujus filios legimus; Elias verò continentiæ statum & sibi, & suis indixit.* Et paulò ante dixerat, *ex mente omnium, qui de rebus Monasticis scripserunt, Eliam primum fuisse qui Essentialia Religionis opere adimplevit.* Quod hic consequenter declarabitur.

(a) l. 1. Reg. c. 7.

(b) Annal. to. 1. in Appar. c. 3.

isti tamen strictè loquendo non erant Religiosi.

(c) Cap. 6. sect. 8. pag. 278.

TRACTATUS II.

Prima origo Religiosi-Monastici Statûs, quoad substantialia, per magnum Prophetam Eliam, sub quinta mundi ætate: Patrum, Doctorum, Scriptorum illustrium, Asiæ, Africæ, & Europæ, cujusvis ferè nationis, de monachatu ejusdem S. Prophetæ, & primatu Monasticês conspirantia asserta.

CAPUT PRIMUM.

S. Propheta Elias Religiosæ Monasticæ vitæ primus exercitator, auctor, fundator: ubi, quando, quomodo.

69. MAgnus Propheta Elias respectu Religiosi Monastici Instituti fuit quasi stella Matutina, & instar Auroræ, lucis præambulum, luxit, dum vitam Religiosam Monasticam, seu Eremiticam, primus hominum inchoavit, & instituit, quam Christus, vera lux mundi, & Sol Iustitiæ in perfectione consummavit. Pulchritudo Auroræ magna est, sed à Sole est, licèt illa Sole prior conspicua. Sic Elias tempore præcessit Christum, à quo Religiosa Monastica vita, omnem suam habet pulchritudinem, & decorem. Elias itaque Propheta anno mundi ter millesimo centesimo vigesimo tertio, ante Christum nongentesimo trigesimo (juxta computum Iacobi Saliani, Annalistæ veteris Testamenti, Ioannis Baptistæ de Lezana, & aliorum) *surrexit quasi ignis*, (a) videlicet, quàndo sic primùm introducitur (b). *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto.* Passim à Patribus nuncupatur *Prophetarum Princeps*, de quo hæc inter cætera, S. Ambrosius ait: *Elias cœlestem vitam in corpore, & supernæ usum conversationis exhibuit in terris.* Et S. Isidorus libro *de Patribus veteris Testamenti*, scribit: *Elias Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus.* Et Dorotheus auctor Synopsis Prophetarum (quæ extat *tomo* 7. *Biblioth. Sanctorum Patrum* editionis Parisiensis): *Hic primus ex hominibus est, qui hominibus cursum ad cœlum submonstravit, primus ex hominibus unam Angelorum & hominum vitam ostendit.* Dicitur *primus cursum ad cœlum submonstrasse*, propter Religiosam Monasticam vitam ab eo inceptam. Constat enim ante ipsum plures sanctè, sed non

S. Elias Propheta primus, hominum Religiosam Monasticam vitam inchoavit.

(a) Eccli. 48.

(b) c. 17. l. 3. Reg.

(c) lib. de Elia c. 2.

ad vitæ Monasticæ normam vixisse. Undè & aptè subditur primum eum *unam* & eamdem *Angelorum, & hominum vitam* ostendisse: Nam reverà Monastica, vita Angelica vita est, ut communiter tradunt sancti Patres. Id Arnoldus Bostius libro *de Patronatu B. Virg. cap.2.* sic clariùs exprimit: *Vir ante Euangelia Euangelicus, ante Apostolorum tempora Apostolicus, mundi ac rerum fugacium contemptor, sectator æternorum cupidissimus: Virgo, Monachus, Eremitaque primus*: & Alcazar in caput XI. Apocalypsis: *Vita Euangelica exemplum eminet in Elia; quippe non Virginalu solùm pudicitia, sed vita etiam Religiosæ fuit, & parens, atque auctor cœlestis illius vitæ.*

70. Plures alii eadem confirmantes adducentur in sequentibus: sufficient hìc paucula ex Elianæ historiæ illustratore inter præcipuos Ægidio Camarto Generali Minimorum, doctrinâ, & pietate præclaro, in libro *de rebus gestis Eliæ Prophetæ* (a) sub isto titulo: *An Elias reliquos veteris Testamenti prophetas superaverit?* ubi ista: *Elias id habet præeminentia supra illos, quòd non solùm virginitatem excoluit, sed & prætereà auctor fuerit, cur plurimi discipulorum ei se penitùs addixèrint. Collegia enim quæ instituit viris in cælibatu degentibus referta erant.* Et ista Patrum testimoniis confirmat: deindè obiicit: *Dices, jam à tempore Samuelis talia erant Prophetarum collegia, ut ex historia libri Regum constat, quarè in hoc genere Elias non excellit Samuelem. Dicendum Prophetas qui unà cum Samuele degebant non se astrinxisse legibus cælibatus: &c.* (videatur sub finem capitis præcedentis) & paulò antè: *Elias verò illibatum virginitatis florem custodivit. Is autem thesaurus adeò magnus est, ut ob hanc causam Elias miris laudibus ex communi Patrum sententia celebretur:* ceteras ejus virtutes eminentes sic compendio complectitur S.Ambrosius: (b) *Victor, passionum,* inquit, *nec ullis captus illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem cælestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei,* vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectâ virtutis ubertate formaverat; & ideò non legimus de eo, sicut de ceteris, quià deficiens mortuus est.*

(a) cap. 6. sect. 8.

(b) lib. 1. de Cain cap. 2.

* ELIAS idem quod DOMINUS DEUS.

Dei mandato secedit in solitudinem.

71. Igitur Spiritûs sancti instinctû, & Dei mandato, communem hominûm conversationem fugiens, in desertum se contulit, & in eremo solitariam Monasticam vitam in paupertatis, castitatis, & obedientiæ observantiâ ducere cœpit. Id Sacrarum testimonio Scripturarum demonstratur; legimus enim de eo *lib. 3. Regum cap.17.* Quòd mandaverit illi Deus: *Recede hinc* (scilicet à rebus caducis mundi, & transitoriis) *& vade contra Orientem* (id est contra originalem tuæ carnis cupidinem) *& abscondere in Torrente Carith* (degens in aliquâ Speluncâ, à mundi hujus curis, & ab hominum turbis sequestratus) Isti Divino mandato mox obtemperavit, relictis mundo, & omnibus, quæ in eis sunt, ut ibi sequitur. *Abiit ergò Elias, & fecit juxtà verbum Domini.* Sèd dè istis plura in sequentibus. Hinc Patres S. Hieronymus, S. Isidorus, atque alii asserunt *Scripturarum auctoritate Eliam principem Monachorum: & auctorem esse conversationis Monasticæ*, ipsumque, & ejusdem instituti sequaces, *Veraciter Monachos.* Propriè tamen, strictèque loquendo, Deus ipse, mandans Eliæ recessum à turbis, & præscribens modum vitæ solitariæ, auctor est Religiosi status: Elias autem, ejusdem cultor primus. Tunc igitur Deo seipsum obtulit, ejusque obsequio totaliter mancipavit, mentem, sensum, linguam, vitam, Deo immolando, & consecrando; ita ut semper eum præsentem mente habere, amare, laudare, revereri, & ipsi per omnia placere, ejusque honorem zelare satageret. Id satis manifestant ab ipso reciprocata verba: *Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum sto*: & illa ardentissimum spirantiâ zelum: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.*

Scripturarū auctoritate est auctor & princeps monachorum.

qui Deo se totaliter consecravit.

72. Institutum itaque Elianum Religiosum Monasticum sub veteri Lege (conformiter imperfectioni istius temporis juxta declarationem à nobis hic ante factam) superavit illud quod à Samuele fuit inchoatum: superavit, inquam, in observantiâ paupertatis, & castitatis: quas, qui, unà cum obedientiâ, amplectebantur, veri nominis Monachi erant veteris Legis, prout tunc esse poterant. Etsi enim in collegiis illis per Samuelem institutis Divinæ laudes (uti jam diximus) resonarent, & omnes Præfecto alicui obedientiæ vinculo quadamtenùs inter se uniti essent, deerant tamen ibi cœlibatus, & bonorum communio, ut jam antè dictum. Ista autem omnia simul complexus fuit Elias (sicuti ex sequentibus patescet) & ideò primus Monachus, & princeps Monachorum celebratur ut tradit Waldensis *in Doctrinali fidei* (b) ubi ista: *Quamvis ab antiquo fuerint instituti, qui à vitâ, & conversatione populi segregati ad Divinas laudes, & preces fundendas Divino cultui extiterant mancipati; numquàm tamen fuerunt usque ad Eliam publicè, & regulariter congregati, qualiter ab Hieronymo Epist. 13. ad Paulinum, & Isidoro lib. 2. de Eccles. Officiis cap. 16.* ELIAS PARENS MONACHORUM *celebratur. Et mansit hæc Religio Prophetarum continuò usque ad adventum Christi: & deinceps facti sunt Principes Religiosæ vitæ Christianæ.* Animadvertendum tamen, aliquos S.Eliæ discipulos, ac posteros, (præsertim ex iis, qui *Rechabitæ* dicebantur) fuisse matrimonii vinculo adstrictos: & illi non, strictè loquendo, *Religiosi*, sed *quasi Religiosi* erant; ut hoc tempore Tertiarii Ordinum Religiosorum. Quòd, & qualiter ipse Elias, celsum istud vitæ genus, Spiritus S. instinctu, instituerit, & Eliseum ex agriculturâ evocatum, nec non alios plurimos, sibi sociaverit, atque in agmine illo primævo recensuerit, & quòd istis successerint alii, atque alii, usquead Christi adventum, & deinceps,

Eliam inter & Samuelem discrimen.

(a) Tom. 1. lib. 3. art. 1. c. 4.

Religio à S. Elia instituta, continuata.

luculenter descriptum videbimus in sequentibus.

Monasticês cunabula CARITH, & CARMELUS: 73. Monasticês per magnum Prophetam institutæ & fundatæ locum, tempus, aliasque circumstantias, etiam convenit scire. Quantùm ad locum, *Carith & Carmelum*, fuisse cunabula Monasticês, perspicuè eruitur ex Scripturis sanctis, Patribus, aliisque Scriptoribus: & quidem Carmelum potissimè ipsum incoluisse, habetur ex *libris, tertio, & quarto Regum: libro 3. cap.* 18. legitur S. Elias Achabum his allocutum verbis: *Congrega ad me universum Israël in monte Carmeli . . . Misit Achab ad omnes filios Israël, & congregavit Prophetas in monte Carmeli.* Ibi consequenter refertur miraculum istud stupendum, de igne ad preces S. Eliæ descendente, & devorante holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam. Et hæc in Carmelo. Eodem capite sub finem: *Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Libro autem 4. *Regum cap.* 1. refertur historia Ozochiæ ægrotantis, & mittentis in Carmelum ad S. Eliam tres quinquagenarios Principes: & duobus ex illis, & quinquagenis qui erant cum eis, ab igne de cælo descendente consumptis. Nam ut rectè Fernandez *de visionibus veteris Testamenti* (a) circa illa verba: *Sedentiq; in vertice montis, ait &c. ubi omnes Interpretes per montem accipiunt Carmelum. Et cum dicitur* SEDERE, *non intelligitur simplex habitatio, sed permansio habitationis ex more linguæ* &c. Et ista de Carmelo, & ejus incola S. Elia hìc sufficiunt; nam de Carmelo, & ejus situ, & successione discipulorum, ac posterorum S. Eliæ in eodem, frequens recurret tractatio in sequentibus in Speculo Carmelitano præsertim *tomo* 1. *parte* 1. *libro* 3. *cap.* 3, 4. & 5. (b) & *tomo* 2. *ad diem XX. Iulii*, ubi de Patriarchatu S. Eliæ, *cap.* 2. Quòd autem primitùs in solitudine, seu torrente Carith inceperit vitam solitariam, habetur ex ante dictis, & confirmabitur ex jam dicendis.

(a) in præfat. de 9. vers.

(b) nu. 98. & sequent.

quo anno mundi. 74. Quoad tempus, anno à creatione mundi ter millesimo centesimo vigesimo tertio ante Christi adventum nongentesimo trigesimo, anno regni Josaphati Regis Judæ tertio, regni Achab Regis Israël septimo (juxta computationem præfatorum Saliani, Lezanæ, & aliorum) *factum est verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith, qui est contra Iordanem.* Quæ in libro *de institutione primorum Monachorum cap.* 2. sic explicantur: RECEDE HINC, *scilicet à rebus caducis mundi, & transitoriis*: ET VADE CONTRA ORIENTEM: *id est contra originalem tuæ carnis cupidinem*: sicut jam antè cœptum dici, & pleniùs exponetur in sequentibus. Tunc igitur sanctus Dei Propheta solitariam, monasticam vitam, Dei inspiratione, cognoscens, illam in se quodammodò adumbravit, & delineavit suo exemplo. Anno autem à creatione mundi ter millesimo centesimo vigesimo septimo, ante Christum nongentesimo vigesimo sexto (juxta supputationem ejusdem Saliani, & aliorum) Sacro-sanctus Dei Propheta Elias discipulos suos ad montem Carmelum convocavit, & tunc perfectum substantiale initium dedit Religioso monastico statui, ac pariter Ordini suo Prophetico, Carmelitico, sicut in libro *de institutione primorum Monachorum* cap. 19. refertur his verbis: *Reversus itaque jussu Dei Elias de spelunca montis Horeb in terram Israël, confestim instar auræ tenuis sibilavit, id est convocavit suos discipulos, & cæteros Dei servos, ad Deum deinceps in regno Israël securè colendum.* Et paulò post: *Anno quidem decimo* (juxta Salianum undecimo) *regni Achab Regis Israël, ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem, elegit præ aliis eremis, Carmeli montem, tamquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo colendam melius, & exercendam.*

75. Scriptores nonnulli Carmelitani Ordinis originem ac institutionem referunt ad præfatum annum mundi 123. ante Christum nongentesimo trigesimo, quó, Dei jussu, relictis omnibus quæ habebat, abiit ad solitudinem Carith. Hoc eatenùs veritatem habet, quòd ipse vitam monasticam in se quodammodò tunc expresserit, & quòd sub illud tempus istos devotos viros, qui ejus se addixerant disciplinæ, instruere inceperit, Monasticam vitam veluti delineando, & adumbrando. Verumtamen ipsius prophetici Eliani Carmelitici Ordinis origo primordialis, & substantialis, desumenda potiùs ab anno mundi 3127. ante Christum 926. Ità P. Lezana *tomo* 1. *Annalium, ad istum annum*, atque alii historici Ordinis, conformiter Joanni Hierosolymitano Antistiti in præfato libro. Cui adstipulantur Iacobus Salianus in Annalibus (a) verbis infrà adducendis, & alii. Reversus itaque de Spelunca montis Horeb (ubi etiam divinæ vacans contemplationi in solitudine, post jejunium quadraginta dierum dignus effectus fuerat, Divina, quantum fas est homini, visione) Discipulos illos suos, & alios Dei servos, *Filios Prophetarum* nuncupatos, convocavit ad Carmeli montem, tamquam commodiorem ad Propheticam disciplinam, & vitam Monasticam in eo exercendam. Cum istis autem suis discipulis ipse eorum Magister, & Pater, in Carmelo potissimùm, & illi inter se *habitarunt in unum*, in observantia paupertatis, castitatis, obedientiæ, atque aliis Monasticis Institutis: quos secuti sunt alii, qui suos quoque discipulos habuerunt successores, & isti alios, continuato ordine, usque ad Christi incarnationem, & deinceps. Quæ omnia, & singula in sequentibus pleniùs sunt declaranda, & confirmanda ex Sacris litteris, ex Patribus, auctoritate Summorum Pontificum, & aliis rationum momentis.

(a) ad an. mundi 3127. ante Chr. 926. n. 23.

CAP. II

CAPUT II.

Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam S. Elias ex voto servavit.

76. ID habetur ex mente Patrum ipsum nuncupantium *virginem consecratum*, sicut mox audiemus: quinimò *quotquot de monasticis rebus scripserunt, asseruerunt Eliam omnium monachorum parentem fuisse, qui tria essentialia religionis vota primus ipse adimplevit:* ita Ægidius Camartus Generalis Minimorum. (a) Non quòd omnes disertè, seu expressè mentionem faciant votorum; sed tradunt, eum fuisse *monachum, veraciter monachum, principem monachorum* &c. quæ verificari nequeunt sine votis; cùm votum sit de essentia Religiosi, & status monastici. Alia quædam ad hoc intentum ex eodem recitata sunt capite præcedenti. Ità quoque Dominicus Gravina, in libro *de florenti Religionum Statu*, cui titulus, VOX TURTURIS, (b) ubi de Carmelo, & ejus incola S. Elia: *Elias solitariam, ab hominum consortio semotam professus est vitam, quem primum colendæ virginitatis auctorem Patres, & Doctores appellant, obedientiæ & paupertatis prototypum.* Concinit alter ejusdem Ordinis Vincentius Baron (c) *Elias vota fecit castitatis, & voluntariæ paupertatis.* Judocus Clichtovæus *in sermone, seu homilia,* cujus initium est: *Quum dixerint vobis filii vestri* scribens de origine Ordinis Carmelitani, à magno Propheta Elia, asserit, quòd *Virginitatis perpetuæ servandæ votum, atque propositum, ab Elia, primo ejus institutore, ortum habuit.* P. Cælestinus à monte Marsano Capucinus in libro cui titulus: *Clavis David*, sive *Arcana Scripturæ sacræ, observatione* 79. hæc de votiva S. Eliæ castitate tradit: *Ardentissimum Eliæ zelum, ut suam effectus causam, subsecuta est singularis, nondumque audita castitas; ipse etenim primus omnium mortalium votivâ se castitate insignivit.* Alii idipsum disertè adstruentes, in sequentibus adferentur.

(a) de Elia Thesb. c. 6. sect. 8.

Vota religionis primus implevit S. Elias;

(b) parte 2. c. 15.

(c) Tom. 2. Sermonū, serm. de S. Teresia.

77. Propter virginitatem, à S. Elia Deo per votum consecratam, Patres Eliam *Virginem consecratum*, aut *dedicatum*, vel *virginitatis Sacræ* aut *sacratæ auctorem* nuncupant. Sic Isidorus scribit *S. Eliam primum sacræ virginitatis integritati studuisse:* & Adelmus, seu Altelmus, de eo conformiter cecinit:

Elias vates, quem terna volumina Regum
Insignem memorant, &c.
Virgo Sacer fuerat, famâ per secula notus.

Istis indicatur, ipsum virginem ex voto fuisse; votum enim est, quod Deo sacrat, seu dedicat rem: sic enim Sanctimoniales ob votum *Deo sacræ*, aut *dicatæ*, stylo Ecclesiæ, dicuntur. Et illa est *una Angelorum hominumque vita*, quam primus exercuit & ostendit Elias, ut loquitur S. Dorotheus verbis hîc suprà adductis, & Jacobus Salianus, in Annalibus veteris Testamenti (d) *Lectos Prophetarum & Religiosorum in Carmelo, totaque Chananitide manipulos, sui æmulos, atque imitatores instituit, ad cælestem vitam, mundo ignotam, ac contemptam, traducendam adduxit,* scilicet in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ: & quidem peculiariter de ejus virginitate hæc antè (a) adduxerat: Virginitatem illibatam conservasse, graves imprimìs auctores testantur. Audi Hieronymum: *Si Ioannes Baptista,* inquit *venit in spiritu, & virtute Eliæ, & Ioannes Virgo est, utique non solum in spiritu ejus venit, sed etiam in corporis castitate.* Idem in *libello de custodia virginitatis* ad Eustochium significat: asserens eum ideo paradisi habitatione dignum. S. Chrysostomus annumerat Eliam & Eliseum iis, qui *in Dei judicio virginitate splendebunt.* Sanctus Ephrem Syrus (b) monachos hortatur ad virginitatis amorem exemplo Eliæ: *Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cælos cum Elia vehens.* Et in Sermone de Transfiguratione: *Aspexit,* inquit, *Virgo veteris Testamenti, virginem novi, Elias nimirum Ioannem, qui ascendit super currum ignis, illum qui recubuit super pectus flammæ.* Quòd autem virginitatem (eadem est ratio paupertatis, & obedientiæ) Deo consecraverit per votum, confirmatur ex eo quòd Patres S. Eliam referunt inter *Eunuchos qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*: Ita quidem. S. Epiphanius (c) *sunt Eunuchi .... Quinam igitur hi fuerint .... Apostoli ac Monasticam vitam degentes .... veluti Elias etiam in veteri Testamento.* Et alibi: (d) *Elias & Eliseus & Ioannes, & omnes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum, rectè secundùm Euangelicam Domini ordinationem seipsos propter regnum Dei castraverunt.* S. Anastasius Sinaita: *Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum, hi sunt præclari Apostoli, atque deinceps fuerunt Virgines, & Monachi, Ioannes quidem, & Iacobus filii Zebedæi, & post illos, quot millia Monasticam vitam agentia, sicut Elias, & Daniel in veteri Testamento, & alii multi.* Porrò ex doctrina Cardinalis Bellarmini *libro de Monachis c.* 23. *Ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum, non enim est Eunuchus, qui solùm continet se, sed qui non se continere non potest.* Ità quoque Franciscus Suarez, & alii Doctores Theologi, quos inter sic P. Petrus Wastelius (e) *Iam verò consensu omnium Patrum ipsa spiritualis eunuchizatio, sicut & docet comparatio utraque ad corporaliter eunuchos; votum significat continentiæ, per quod non datur liber transitus ad statum conjugalem.*

nuncupatur à Patribus virgo consecratus:

unam Angelorum hominumque vitam instituit:

(d) ad an. mund. 3139 ante Chr. 914. in Epitaphio S. Eliæ.

(a) ad an. mundi 3123 ante Chr. 930.

(b) Serm. ad Monach.

(c) hæresi 58.

(d) hæresi 63.

(e) lib. 1. Vindic. sect. 5. art. 8.

78. Vota castitatis, paupertatis &c. S. Eliæ etiam confirmantur hac ratione, in Sacris litteris fundatâ: vota in veteri Lege licita erant, multumque usitata, sicut constat ex plurimis locis. Deuteronomii capite 23. legitur: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Psalmo 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro* Eccles. capite 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim infidelis, & stulta promissio:* Sanctus autem Propheta Elias prophetico lumine mirificè à Deo illustratus, novit, quòd opus bonum

 ex

ex voto factum sit melius, & Deo gratius: cùm autem virginitatem perpetuam servaverit, ecquis dubitet, ipsum divini honoris flagrantissimum, divini beneplaciti perfectissimè adimplendi cupidissimum, castitatem suam perpetuam, nec non paupertatem, & obedientiam Deo consecrasse per votum? Hinc solidè sic argumentatur Ovandus: (a) *Notum erat Iudæis, tam ex Lege, quàm ex Prophetis, tam exemplo Iacob Genes. 28. quam multorum, quòd vota Deo placebant, & quòd idem opus factum ex voto erat laudabilius, utpotè procedens ex voluntate magis firmata in bono: notum etiam erat eis, Deo placere virginitatem, & castitatem; alioquin non illam servassent.* Indè & ex aliis principiis infert, illos ex voto castitatem (eadem est ratio paupertatis, & obedientiæ) servasse. Conformiter scribit insignis Homiliographus Joannes de Carthagena (b). *Tandem Eliam, ejusque successores, tàm paupertatis votum, quàm reliqua substantialia Religionis emisisse vel illa una ratio nervosè satis suadet: quòd si Elias, ejusque successores monachorum institutum amplectentes, Deo se consecrarunt, castitatem, paupertatem, & obedientiam colentes, certè cùm prædicti Patres non ignari essent, fore Deo gratissimum, longèque magis meritorium, propositum suum voto firmare (hoc enim ut suprà præmisimus, in veteri Lege notum, compertumque fuit) & præterea cùm apertè scirent, plurimùm valere hanc votorum emissionem, ad voluntatem nostram, quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, & in officio continendam: non est dubium, quin hoc votorum adminiculo ad prædictos fines juvarentur. Accedit ad hæc, illius Societatis viros selectos ex grege Iudaico, sapientiâ, & acumine ingenii, cæteram plebem longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non poterat, & multo minus Eliæ & Eliseo vitæ Monasticæ Ducibus, qui ex ferventi cum Deo colloquio, & lectione scripturarum, divitias, & uberrimos thesauros, qui in votis Monasticis latebant, facilè cognoscere potuerunt: quarè existimo Scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse, viros illos Divino lumine ductos, institutum Monasticum tribus votis firmasse, maximè cùm Elias speciali Dei revelatione Monasticæ professioni initium dederit, ut testatur S. Isidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 15. Sozomenus &c.*

(a) in 4. Sentent. distinct. 3. q. 8.

(b) lib. 17. Homiliar. homil. 2. ad object. 2.

& ejus discipulos, ac posteris,

ideo Monasticum institutum tribus votis firmarunt:

79. Etiam ex D. Thomæ, Francisci Suarez, & aliorum illustrium doctrina eruuntur vota S. Eliæ, atque discipulorum ejus filiorum Prophetarum, circa observantiam castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Etenim perpetuam virginitatem illibatam servavit S. Elias, ità quoque discipuli ejus, de quibus S. Hieronymus ad Eustochium: *Virgo Elias, Virgo Eliseus, Virgines multi filii Prophetarum.* Sed juxta doctrinam S. Thomæ (c). *Non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Quià, ut benè Suarez (d): *Cùm hoc sit de re valde difficili, & de se non necessaria, sed voluntaria, nisi aliquo morali vinculo firmata sit, facilè fluctuabit.* Unde ut ait idem Suarez: (e) *ex iisdem locis, & verbis quibus Christus Dominus paupertatem consuluit, votum hoc etiam consuluisse colligendum est. Quia si paupertatem consuluit, ergo & perpetuitatem ejus, ergo & immobilitatem, seu firmitatem, propter quam votum adhibetur.* Complures alios, præter jam ante adductos, votorum monasticorum in veteri Lege assertores adducit P. Joannes de Sylveira, in Commentariis in Euangelia, (a) ubi deniquè ea confirmat hac ratione: *Quia communis est sententia, apud Suarez* (b) *Baptistam habuisse hujusmodi votum, quia vitam duxit perpetuò cælibem, & solitariam, & Patres eum monasticam vitam egisse docent; sed hæc omnia militant etiam in Elia: ergo idem dicendum est. Nec imperfectio Legis veteris obstat; quia multò illustrior est actus martyrii, quam emissio voti, & tamen ille extitit in Lege veteri; ergo etiam tunc fiebat votorum emissio. Et hanc sententiam de votis, ac Monachatu in Lege veteri liberè posse evulgari, judicatum est à supremo Senatu sanctæ Inquisitionis Madriti hoc præsenti an. 1639 die 9. Decembris. Et loquimur de votis secundùm se; nam solemnitas voti, sicut & excellens potestas clavium, propria est legis gratiæ, quibus modò, cùm omnimoda sua perfectione, ac integritate Statûs Religiosus est firmatus.* Decreti præfati supremi Senatûs S. Inquisitionis de votis Monasticis in veteri Lege, renovati, & confirmati denique anno 1673. etiam mentio fuit in antecedentibus, & redibit etiam posteà.

id stabilitur in doctrina S. Thomæ, & aliorum.

(c) 2. 2. qu. 186 art. 6. ad 2.

(d) de Relig. tom. 3. lib. 2. c. 3. n. 2.

(e) eod. to. 3. l. 8. c. 2. n. 14.

(a) tom. 1. lib. 2. c. 9. quæst. 10.

(b) tom. 2. in 3. part. disp. 24. sect. 6.

80. Qualia fuerint vota monastica, olim in veteri Testamento, & in primis post Christum seculis, an scripto, an dumtaxat verbis, an in actu æquivalenti, differunt auctores. Plerique scribentes de votis S. Prophetæ Eliæ, & aliorum in veteri Lege, supponere videntur, ea fuisse explicita, ut passim nunc fiunt. Idque confirmatur ex Essenorum in veteri Lege Monachorum, Eliæ & Elisei posterorum (ut ex dicendis patescet) juramento: quod ceu nunc professio monastica, fiebat oretenùs, & explicitè, ut habetur ex Josephi testimonio de Essenis; qui tradit tyrones inter Essenos per integrum annum probari solitos, eo autem elapso *magnis execrationibus adjurabantur, & Sacramentis, ac ritibus obligabantur.* Quibus sanè disertè satis explicata professio judicari videtur. An verò in veteri Lege (quin & in Nova primis aliquot seculis) professio scripto facta fuerit non usquequaque constat: videntur enim illi ritus, execrationes, & Sacramenta verbis, non scriptis facta fuisse. Sic & S. Dionysius Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. agens de Monachis primitivæ Ecclesiæ Christianæ scribit, Sacerdotem mystica invocatione absoluta, Tyronem seu Novitium ad se accedentem interrogasse, primùm *an renuntiet divisibilibus omnibus &c ubi verò ista omnia intentè promiserit, consignans eum crucis signo Sacerdos tondet.* Ex quibus apparet, tunc præter interrogationem Sacerdotis, & Novitii responsionem promissionemque, nihil aliud adhibitum. Alii verò censent, olim in veteri Lege professionis tacitæ usum dumtaxat, & vota monastica mentalia,

Vota S. Eliæ, & discipulorum, qualia:

mentalia, aut implicita fuisse in actu aliquo æquivalente, sicut olim in plerisque & adhuc modo in nonnullis Ordinibus Religiosis, castitatis & paupertatis vota virtualiter, & æquivalenter in voto obedientiæ includuntur, dum dicitur in formula professionis: *Promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, obedientiam secundum Regulam S. Benedicti* &c. Idem in variis aliis Religionibus practicatur, non factâ mentione castitatis, aut paupertatis. Plura circa hæc videri poterunt apud Benedictum Haeftenium, in Disquisitionibus Monasticis. (a) Posteà (b) refert, quòd in Ordinibus S. Benedicti, Carthusiensi, Cluniacensi, & aliis, *paupertatis*, & *castitatis*, votum palam (seu expresse) non emittatur. Itaque vota castitatis, & paupertatis implicite, virtualiter, & æquivalenter continentur in voto obedientiæ, nam ut ait S. Thomas: (c) *Votum obedientiæ continet sub se alia vota.* Porrò votà sic implicitè facta, esse verè vota, & sufficere, ut Religiosum, & Monachum constituant, ecquis in dubium revocare ausit? ne consequenter admittere cogatur, plerosque vetustiores Religiosos, etiam quosdam modernos, adhuc sic voventes, deficere ab essentia veræ Religionis, & Monachismi: quod temerarium est vel cogitare.

(a) lib. 4. tract. 5. disq. 4.
(b) eodem lib. 4. tr. 6. disq. 6.
(c) 2. 2. q. 186. art. 8. in corp.
Vota implicitè facta sufficiunt ad Status Religiosi essentiam.

81. Quis autem fuerit in veteri Lege actus æquivalens consiliis seu tribus votis monasticis, declarat celebris Doctor Bartholomæus Medina in prima secundæ (d) ubi cùm nonnulla dixisset de perfectione veteris Legis, subjungit: *Sed ex hoc non inferat Theologus, quòd viri justi, & Sancti in antiqua Legis statu non haberent ex instinctu Spiritus sancti consilia à Deo tum virginitatis, tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti, & forti amplectebantur.* Similem quoque instinctum Dei dicendi sunt habuisse, & ratione illius Religiosi fuisse, etiam in Lege nova S. Paulus Eremita, atque alii de quibus agit Franciscus Suarez *tom. 4. de Religione* (e) ubi docet istos *fuisse Religiosos apud Deum altiori ratione, specialiter approbata peculiari Spiritus S. instinctu: ut videtur significasse D. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 8. Vndè dicere possumus in eis fuisse statum Religiosum quasi eminenter, per abundantiam gratiæ confirmantis illos, quasi immobiliter in tali vivendi modo.* De isto autem Dei instinctu, qui voto æquivalens erat, præclarè tractat Thomas Waldensis *in Doctrinali fidei tomo primo lib. 3.* ubi ostendit in quo consistat essentia Religionis: *Religio Christi,* inquit, *perfecta, est specialis, & stricta regula charitatis, voti solemnis emissione professa, vel æquivalenter.* Quid autem sit *æquivalenter* ibidem superius sic declarat: *Quid autem dicitur esse illud quod æquivalet voto? dico, quòd est divinus instinctus immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis professor fuit Elias, talis etiam erat Ioannes Baptista: qui, quamvis non vovebant vocaliter aliquam regulam charitatis, habebant tamen instinctum Dei immobilitantem eorum affectus conversos in Deum. Et ille æquivalet voto; quià tota ratio est in non mobilitante affectum, ex se pronum perverti. Talem etiam instinctum habebat Christus, ex speciali illapsu Deitatis, unitæ, loco voti, sicut & claram visionem loco fidei, & immediatam intuitionem loco spei.*

(d) q. 108. art. 4.
(e) lib. 1. tr. 9. c. 2. n. 12.

82. Ex hactenùs dictis sufficienter stabilitum est, S. Eliam castitatem perpetuam, paupertatem, & obedientiam servasse ex voto. Sed an voverit explicitè, an in actu æquivalente, utrumque probabile est: Verumtamen fuisse expressa, & oretenùs facta, videtur sensus plerorumque, qui de votis monasticis sub Lege veteri scribunt, & persuadent jam ante dicta de Essenis, & ex S. Dionysio, de Monachis in primitiva Ecclesia. Quod autem sic facta non fuerint nemo evincet. Si quis objectet, id in Sacris litteris non exprimi: Quæro, ubi magis disertè adstruuntur, oretenùs & explicitè facta S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum, S. Pauli Eremitæ, S. Antonii, & aliorum Monachorum vetustiorum in primordiis Ecclesiæ? Plura videri poterunt ad hoc intentum in *Vinea Carmeli*, sub finem in Appendice (a). Quantùm ad vota S. Eliæ, & discipulorum ejus, quòd non fuerint solemnia, sed simplicia, nil obstat quò minùs sub veteri Lege constituerint veros Religiosos; solemnitas enim, ab Ecclesia introducta, ad essentiam non requiritur, sicut declaravit Gregorius XIII. in Bulla: *Ascendente Domino*, data anno Domini 1582. quâ etiam excommunicantur contrarium asserentes: ita quoquè Gregorius XIV. in Bulla: *Ecclesia Catholica* (b) utraque concessa fuit Societati Jesu.

(a) cap. 5. num. 1233. & seq.
(b) habetur in Bullario Rodericii Antuerpiæ impres. an. 1614.

CAPVT III.

Substantialia omnia requisita ad essentiam Religiosi, & Monachi, & cætera perfectissimæ Monesticês exercitia eminenter in S. Elia, primo Monachorum auctore, institutore, & principe.

83. QUid *Religiosus*, quid *Monachus* sit, & *in quo Religiosi Monastici Statûs sita essentia*, declaratum est supra *Tractatu 1. cap. 2.* nec opus est, hîc ulteriùs istis immorari contentiosè (talis enim dissertatio, juxta Apostolum (c) *languens circà quæstiones & pugnas verborum*) sed rem ipsam convenire SS. Prophetæ Eliæ, declarandum hîc suscipimus. Imprimis illa, quæ de substantia istius Statûs sunt, videlicet Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, aliquo voto firmatas, quibus homo se totaliter Deo consecrat, nonne supponunt Patres, & Doctores, dùm eum nuncupant *Monachum*, *veraciter Monachum*, & *Monachorum Principem?* sicut in sequentibus stabilietur. An non indè habetur, in illo omnia ad essentiam istius Statûs requisita fuisse? Et certè, quòd se totaliter

(c) 1. ad Timoth. 6.
Essentialia vota Monastica in S. Elia.

totaliter mancipaverit obsequio divino, *nihil sibi ipsi reservans, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, Omnipotenti Deo immolasse* ut loquitur S. Gregorius (a) jam videbimus. Et quidem quoad paupertatem, scilicet divitiarum, omniumque temporalium abdicationem voluntariam, *Elias ita indigus erat rerum omnium, ut nihil haberet suum*, inquit S. Ambrosius (b) Conformiter scribunt Patres alii plures, asserentes eum summam paupertatem amplexatum fuisse ex mentis opulentia. De ejus castitate virginali testimonia adducta sunt capite præcedenti: de ea variis locis scribit S. Epiphanius jam ante adductus, ac præterea *in Ancorato*, in hunc modum: *Elias erat in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.* Castitatem ejus virginalem (& S. Elisei, ac S. Joannis Baptistæ) pariter & paupertatem commendat S. Chrysostomus (c) *Quâ re differebant ab Angelis Elias, Eliseus, Ioannes, veri hi virginitatis amatores? ... Non parietibus, non tecto, non lecto, non mensâ, non alio ejus generis rebus indigebant, quin illis cælum erat pro tecto, solum pro strato, pro mensa solitudo.* Obedientiam exactam S. Eliæ ergà Deum testantur ista ejus verba: *Juxtà preceptum tuum feci omnia verba hæc.* Obedientiam, qualis in Superiore esse potest, ita perfectè servavit, ut meritò nuncupetur *Obedientiæ prototypon.* Quòd autem ista tria etiam voto firmaverit, habetur ex capite præcedenti.

(b) homil. 10. super Ezech.

(b) in Psal. 36.

(c) lib. de Virginit. cap. 79.

84. Exercitia S. Eliæ quotidiana quæ fuerint, sic declarat S. Antonius: *Tamquam quotidiè in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati ejus:* (d) Istud igitur ejus quotidianum & juge exercitium erat: nempe, Contemplatio Dei præsentis. Id quoque testantur ista ejus reciprocata verba: *Vivit Dominus, in cujus conspectu*, seu *ante cujus vultum sto.* Quid sit stare coram Domino, declarat S. Gregorius (e) *Ibi stamus, ubi mentis oculos figimus: undè Elias ait: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto: ibi utique stabat, ubi cor fixerat.* Ita quoque S. Chrysostomus (f) *Elias altior mundo, proximus cælo, Dei colloquio fruebatur.* Et Origines (g) *Elias*, inquit, *in corpore super terram, & Gabriel sine corpore in cælis; uterque similiter se assistere dixerunt in conspectu Dei, ubique enim est facies Dei.* Contemplationi sociabat orationem vocalem assiduam, ad quam nos exhortans S. Jacobus, exemplum adjicit S. Eliæ orantis (h) *Multùm valet deprecatio justi assidua:* consequenter introducit S. Eliam orantem, & oratione suâ cœlum claudentem, & reseraantem. Ita quoque S. Chrysostomus, ut nos excitet ad devotionem, & fervorem in oratione, ob oculos proponit S. Eliam orantem: *Beatus itaque Elias orans primùm quidem quæsivit solitudinem, deindè cùm posuisset caput inter genua, & seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces. Si vis autem eum etiam videre rectum stantem in oratione, vide eum rursus extensum in cœlum, & ita extensum, ut etiam ignem de cælo dejiceret. Ita etiam quando voluit suscitare filium viduæ, cùm totum seipsū expandisset, confecit eam resurrectionē: non interrumpens, neque oscitans, sicut nos, sed animi in orando alacritate incensus.* Ad concinendas etiam laudes divinas, Oratoriū, seu Semnion in Carmelo ædificavit: *Elias in monte isto* (Carmelo) *nedùm habitare elegit, verùm etiam domum orationi consecratam, appellatam Semnion, in eo ædificavit. Ad quod tribus vicibus quotidie conveniebant, Creatorem omnium litaniis, & orationibus suppliciter placandum.* Orationis utriusque comes erat mortificatio: *Elias vitia omnia compressit, ut angelicam potiùs vitam in terris duceret, quàm humanam... mentem regens, carnem subjiciens, & regiâ quadam auctoritate castigans.* Ita Ambrosius (a) Et idem alibi (b) *Elias Magister Elisei nonne Angelis ducentibus, raptus ad cælum est, & quadrigâ igneâ impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? victor enim extiterat non gentium barbararum, sed secularium voluptatum.* Et alibi de ejus jejunio (c) *Jejunus pluvias ore deposuit, jejunus ignes de cælo: jejunus curru raptus est ad cælum, & quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam.* Linguam quoque mortificavit per silentium: *Elias Propheta, qui silentium unà cum timore Dei diligens, assumptus est in cælum.* Ita S. Chrysostomus (d).

Exercitia monastica S. Eliæ.

(d) Ita S. Athanas. in vita S. Antonii.

Divina præsentia.

(e) lib. 2. sup. Ezech. Homil. 13.

contemplationis.

(f) Serm. de S. Elia.

(g) lib. 1. in Tob.

Orationis.

(h) Iacobi 5.

mortificationis.

(a) lib. 1. de Cain c. 2.

(b) Serm. 87.

(c) De jejunio, & Elia c. 2. *jejunii.*

(d) in c. 11. ad Hebr.

85. Divini honoris, & salutis proximorum zelo flagrantissimus, *interdum, divino jussu, & propter Dei honorem, & proximorum salutem, ad prædicandum, & docendum, descendebat*, inquit, Doctor Franciscus Suarez. (e) Elias Israëlis & Judæorum fuit custos, Propheta, Doctor, Protector, Apostolus, inquit Cornelius à Lapide (f) *Imò Eliam Doctorum omnium Aleph, seu mavis Alpha, id est, Principem meritò appellandum constat, tùm ex gestis coram omni Israële, quem convertit ad Dominum, tum ex gerendis.* Victus, & vestes S. Eliæ (pariter & S. Joannis Baptistæ, conversantis in spiritu, & virtute Eliæ) quales fuerint, declarat Theophanes Archiepiscopus Tauromonitanus (g) *Quibusnam coquorum artificiis instructis eduliis nutriebatur magnus Elias, cùm ageret vitam in montibus? nonne herbis, & aquâ? vel quâ vestimentorum varietate operiebatur? nonne ex caprinis pellibus melote confectâ, Regali purpurâ pretiosior illi erat, quâ etiam Iordanis fluenta divisit?* Victus igitur ejus in Carmelo erant herbæ, & aqua (sicut & discipulorum ejus propè fluenta Jordanis polenta, & herbæ agrestes.) Vestes autem ejus (sicuti etiam Ioannis Baptistæ) viles fuerunt, hinc Doctor Angelicus (h) differens, *Utrum liceat Religiosis vilioribus vestibus uti, quàm cæteri*, respondet affirmative, idque probat in argumento. *Sed contrà; sic: Sed contrà est, quòd ad Hebræos 11. Apostolus dicit: Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, Glossa, ut Elias, &c.* Probat ergò, *licere Religiosis uti vilioribus vestibus*, quia Elias talibus vestibus usus fuit. Ad ejusdem igitur exemplum similibus vestibus, melotâ, & zonâ pelliceâ usi fuerunt monachi

salutis proximorum:

(e) Tom. 4 de Relig. lib. 2. c. 10.

(f) in cap. 4 Malach.

(g) Homil. 43. in Euangel. Dom. edit. Paris. an. 1644. super Lucerna corporis est oculus.

victus ejus parcissimus,

(h) 2. 2. quæst. 187. art. 6.

vestitus humilis:

(a) de Instit. Mon. c. 2.

monachi veteres, sicut testatur Joannes Cassianus (a): *Hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis hujus fundavêre primordia, Eliam scilicet.* Cujus coloris fuerit vestis illa superior, seu pallium, explicat Palladius: (b) *Quilibet habeat melotem caprinam albam.* Et auctor vitæ S. Pachomii, in Regula ab Angelo ei tradita: *Habeant singuli melotem, id est, caprinam pellem confectam albam.* Et ista erat vestis superior (talis etiam fuit coloris pallium, seu vestis superior Essenorum, posterorum S. Eliæ, scilicet albi) inferior autem verisimiliter erat grisei nativi coloris, ex pilis camelorum, aut alterius animalis, sicut pleniùs declarabitur in Speculo Carmelitano *parte 1. lib. 7. cap. 3.* Ibidem *cap. 4.* agitur de ejusdem veste, *Superhumerali* vocata. Habitatio ejus in Carmelo, & in Horeb, erat Spelunca, aut quandoque etiam cœlum illi erat pro tecto, solum pro strato, pro mensa solitudo, sicut paulò antè ex S. Chrysostomo audivimus.

(b) in Lausiaca c. 38.

superior albi coloris,

86. Ulterior declaratio, quòd S. Propheta Elias sit PRIMUS AUCTOR, INSTITUTOR, FUNDATOR, PATRIARCHA, atque ita PRINCEPS RELIGIOSÆ MONASTICÆ CONVERSATIONIS, hic convenienter attexenda videtur. Titulos istos omnes ipsi tribuunt Patres, & Scriptores, adducendi in sequentibus: *Auctorem* appellat S. Isidorus: *Quis,* inquit, *hujus* (Monasticæ) *conversationis extitit auctor?* Respondet: *Elias.* Ita quoque alii. *Institutorem* nominat Rupertus Abbas: *Elias Thesbites . . . primus Auctor, & Institutor eorum, qui dicti sunt Filii Prophetarum, quos fuisse Monachos veteris Testamenti, consentit auctoritas Patrum venerabilium. Fundatorem* nuncupat Cassianus, verbis hîc paulò ante adductis, scribens, *Professionis hujus* (Monasticæ) *fundasse primordia Eliam, &c. Principem* asserit S. Hieronymus: *Habet unumquodque propositum Principes suos . . . noster* (Monachorum) *Princeps Elias.* Ita quoque S. Isidorus, & alii. Sed quòd res ipsa veraciter, & jure ipsi competat, aliquantò operosiùs hîc declarandum est. *Auctor* hoc loco idem est, quod *operis factor*: non quidem simpliciter *factor*, sed qui primus facit, & facere alios docet. Sic S. Elias *operis* monasticæ conversationis *factor*, factorque primus; nam primus, qui in eremum secedens, paupertatem voluntariam, obedientiam integram, castitatem virginalem, contemplationem jugem divinæ essentiæ, & præsentiæ, divino instinctu immobilitante affectum ejus, assumpsit: quæ omnia simul ante ipsum practicaverat nemo: posterisque à Deo in exemplum, seu exemplar, ut secundùm illud facerent, propositus fuit. *Institutor* ferè idem est, quod *Auctor*: sic universitatis & Religiosi Ordinis Auctor etiam dicitur Institutor. *Fundator* à *fundo*, id est, quasi *fundamentum jacio, ago, pono, constituo.* Sic dicitur quis *jacere fundamenta Reipublicæ*, hoc est, *Reipublicæ dare principium.* Monasticês fundamentum jecit, & principium dedit S. Elias, primus illam exercendo, & exercendi normam atque exemplar seipsum præbens S. Eliseo, & cæteris discipulis suis, ac posteris. *Princeps* propriè idem est, quod *primus, & quasi primum caput*, seu rei, artis, sive propositi cujuspiam *primus inventor, & factor:* talem esse S. Eliam, respectu Monasticês, jam audivimus. Nuncupatur quoque *Pater:* sic quidem à S. Eliseo: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus: ita S. Onuphrius: *Vitam beati Patris nostri Eliæ venerabiles Fratres meos audivi frequenter laudare:* sive: *audivi . . . de admirabili . . . Patre nostro Elia.* Ita quoque sæpè alii. Etiam *Patriarcha* dicitur, præsertim respectu Ordinis Carmelitani: à Molano (a) & in variis Martyrologiis: *S. Elias Propheta Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarcha.* Est autem *Patriarcha* nomen Græcum, idem quod *Princeps, caput familiæ.* Sic Abraham *Patriarcha* dicitur, & *Pater* Israëlitici populi. Quod respectu totius Monasticês non minori ratione *Pater, Patriarcha, Fundator* dicendus sit, quàm Ordinum Religiosorum particularium primi Auctores respectu suorum Ordinum (qui à suis filiis, seu Religiosis suorum respectivè Ordinum passim nuncupantur *Patres*, & *Patriarchæ*) declarabitur in Speculo Carmelitano (b.)

Auctor primus, institutor, fundator vitæ Monasticæ S. Elias:

(a) in Martyrologio ad XV. Kal. Jul.

(b) To. 1. parte 3. Synopsi 3. num. 1480.

87. Rationes itaque quasi à priori, cur præfati tituli omnes, & res per eos significatæ, verè, & propriè conveniant, sunt duæ istæ: una, quòd, sicut ex dictis habetur, ipse S. Elias primus mortalium se totaliter Deo consecraverit, & in holocaustum obtulerit, per omnimodam rerum omnium abdicationem; divitiarum, per observantiam paupertatis, voluptatum carnalium; virginitatis florem servans illibatum; & propriæ voluntatis, universa opera sua *juxtà præceptum Dei faciens.* Hinc est, quòd antonomasticè sit perfectissimus Religiosus & Monachus, nam (c): antonomasticè Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Altera ratio est, quòd eamdem vitæ Religiosæ monasticæ disciplinam tradiderit duplicis spiritûs sui hæredi S. Eliseo, ac cæteris suis discipulis: à quibus illa Monasticæ conversationis forma, continuatâ successionis serie, per subsequentes, variis nominibus insignitos, derivata est ad Monachos novæ Legis, sicut pleniùs declarabitur in sequentibus. Ex hactenus dictis, nonne manifestum est, *S. Eliam fuisse antonomasticè perfectissimum Monachum?* & ita conveniebat; cùm ipse à Deo electus esset primus Monachus, & princeps omnium; etenim primum in quolibet genere est mensura cæterorum. Et ista de monachatu S. Eliæ, & primatu ejus in conversatione monastica, convenienter auctoritatibus Patrum, & illustrium Scriptorum hîc consequenter stabiliuntur.

(c) S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 1

Antonomasticè Religiosi, qui: talis S. Elias.

Patrum, Doctorum, & Scriptorum illustrium Asiæ, Africæ, & Europæ; cujusvis ferè nationis conspirans consensus de Monachatu S. Prophetæ Eliæ, & Primatu in Eremiticâ, ac Monasticâ conversatione.

88 LEmmata antecedentia, videlicet, quòd *magnus Propheta Elias Religiosam-Monasticam vitam, quoad substantiam inchoaverit, & instituerit Dei inspiratione; atque ita ejusdem sit primus auctor, Fundator, ac Princeps, & consequenter veri nominis Religiosus ac Monachus* (non minus quam Aristoteles Princeps Philosophorum verè philosophus est, & Demosthenes ac Cicero principes Oratorum veri Oratores, atque ità de aliis, prout mox latius ex S. Hieronymo) cùm illustrari, ac stabiliri possint auctoritatibus Patrum, & Doctorum, atque illustrium Scriptorum, conveniens videtur, illas ordinatè hoc loco conjungere (quià, teste Philosopho: *Vis unita fortior est seipsâ dispersâ.* Undè appositè Satyricus:

Defendit numerus, junctaque umbone phalanges) Ut sic Monasticam S. Eliæ conversationem, ejusdemque in Monastico Instituto principatum, efficaciùs demonstrent, ac confirment: atque ex illis omnibus contra hæreticos, antiquitatem, & sanctitatem Monasticês impugnantes, manifestum fiat, firmissimis in Ecclesia tàm veteris quàm novæ Legis, radicibus, fundatam vitam Religiosam Monasticam, à Patribus magnoperè commendatam. Exordiemur à Scriptoribus Asiæ, ac imprimis Terræ sanctæ incolis, & Cappadocibus, seu Armenis: indeque progrediemur ad Afros, potissimèque Ægyptios, tum ad Europæos, procedendo à Scythia, & Bulgaria ad Græciam; deindè ad Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, tandemque ad Angliam.

S. Eliæ vitam Monasticam asserunt Patres Asiæ, Africæ, & Europæ:

CAPUT IV.

Asiæ Scriptores, Palæstinæi, Syri, & Cappadoces de S. Elia, solitariam, Religiosam, eremiticam, Monasticam vitam agente, inter mortales primo, atque ità principe.

In Asia:

in Terra-sancta,

89. ORbis terrarum regio nobilissima jure censetur ea quàm *visitavit Oriens ex alto*, pedibus calcavit, miraculis illustravit, suo sanguine rubricavit, atque sanctificavit. Hinc meritò TERRA-SANCTA nuncupatur. Ab ea igitur, & Scriptoribus, qui in illa vixerunt, scriptionis hujus exordium erit. Primus autem Religiosæ solitariæ Monasticæ conversationis Elianæ peculiariter in Carmelo, assertor, & testis est Auctor *Libri tertii, & quarti Regum.* Libro quidem tertio *cap.* 17. refertur, quòd, & qualiter Deus illi expresso mandato injunxerit: *Recede hinc &c.* atque ipse mox omnia reliquerit, & voluntariè pauperem vitam ducere cœperit, nihil præter melotem habens, per orationis, contemplationis, & Divinæ præsentiæ exercitia in desertis degens sicut pleniùs declarabitur in sequentibus. Ista autem est vita Religiosa, Eremitica: quam deindè tradidit Eliseo, qui relictis omnibus vocantem Eliam secutus fuit, & *unctione factus Propheta, & pallii iniectione Monachus*, ut rectè Sanctius (a). Utriusque autem ordinarium habitaculum fuisse Carmelum, ex *libris* 3. & 4. *Regum* habetur. Ejusdem vitæ instituta Elias tradidit quoque aliis plurimis, qui nuncupati fuerunt *Filii Prophetarum*: quos tamquam Pater, & Superior ante suum raptum visitavit. Istos autem multos numero fuisse, & conventualiter, vitam pauperem, castam, & obedientem duxisse, etiam habetur ex *libro IV. Regum*, & pleniùs ostendetur in sequentibus. Discipulorum, ac posterorum istorum Eliæ & Elisei continuatam successionem innuunt quoque Sacri, Propheticique Scriptores Isaias, & Michæas: Michæas quidem *cap.* 7. his verbis: *Gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu: in medio Carmeli* &c. Isaias autem: *Iustitia in Carmelo sedebit: & erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Reflectat verò Lector ad singula. *Habitantes solos*: additur *in saltu*: & nè de loco quis dubitet: *in medio Carmeli.* Sed de istis plura alibi. Etiam sacratissimi Euangelistæ Matthæus, & Lucas eadem confirmant, dum Joannem Baptistam (Monachum, Monachorumque & Eremitarum in Lege nova Principem à Patribus nuncupatum) *in spiritu Eliæ* ità vixisse testantur, ut etiam in persona crederetur Elias.

Scriptores sacri innuunt,

(a) in cap. 17. lib. 3. Reg.

90. S. Hieronymus Palæstinæus habitatione, Bethleëmitici soli incola fuit; ideò hic prodit primus, post Scriptores sacros (eorum celeberrimus Interpres) meritò doctrinæ, & sanctitatis illustris: is scribens *de institutione Monachi*, in *Epistola ad Paulinum Monachum*, & disserens non obiter, sed ex professo, de primis Monasticæ vitæ auctoribus primum Monachorum Principem & Auctorem disertè statuit *S. Eliam*: quem Monachi imitari debeant. *Habet*, inquit, *unumquodque propositum Principes suos. Romani Duces, imitentur Camillos, Fabricios; Regulos, Scipiones; Philosophi, proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici, Thucydidem, Salustium, Herodotū, Livium. Oratores, Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium: & ut ad nostra veniamus; Episcopi, & Presbyteri, habent ad exemplum Apostolos,*

S. Hieronymus disertè asserit, eum Monachorū principem:

& Apostolicos viros (quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum) Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulum, Antoniũ, Iulianum, Hilarionem, Macharium. Et ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis: Videlicet habet B. Hieronymi sententia, sicut duces illi, duces fuerunt; Philosophi, Philosophi; Oratores, Oratores; Poëtæ, Poëtæ; Historici, Historici; Apostoli, Apostoli; Episcopi, Episcopi; Monachi, Monachi; ac sicut monachus erat Hieronymus, sic & Monachus Elias, eorumque Princeps, sicut Principes fuerunt omnes in suo ordine Camillus, Pythagoras, Homerus, Thucydides, Lysias, Apostoli. Itaquè sicut Apostoli fuerunt verè & primi Episcopi, & Presbyteri, & ideò eorum Principes: Tullius & Demosthenes veri Oratores & præstantissimi, atque ità aliorum Principes: sicque de cæteris exemplis. Ità S. Elias primus & veri nominis Religiosus ac Monachus, & propterea Monachorum Princeps. Idem S. Doctor Rustico Monacho vivendi præscribens formam, in exemplum proponit S. Eliæ discipulos Filios Prophetarum, *quos Monachos in veteri Testamento legimus*, inquit. Alia ex eodem de Essenis (à Philone commendatis) SS. Prophetarum Eliæ, ac Elisei posteris, adferentur in sequentibus.

adstipulantur S. Ephr. 91. S. Ephrem Syrus, *in sermone ad Monachos*, Monachis Eliam, ceu perfectissimum Religiosæ Monasticæ vitæ exemplar proponens, sic eos (inter cætera) ad castitatem exstimulat: *Donum optimum Monachi virginitas, curru ipsum ad cœlum cum Elia evehens.* Et paulò infrà agens de vestibus Monachorum: *Ioannes Baptista tibi exemplo sit, Monache, capillis Cameli amictus, ut Elias te suâ pelle cooperiens caprinâ in cœlum introducat.* Idem S. Pater alibi ejusdem S. Eliæ exemplo Monachos à splendido vestium ornatu dehortatur: *Noli splendido vestium ornatu gloriari, memor quomodo ovinis pellibus indutus fuerit Elias.* *Antiochus,* Antiochus Palæstinus Lauræ Monachus *Homilia de inopia*, ait: *Qui nullum possidet peculium Monachus, aquila altivola est. Qui se exuit possessione facultatum, Eliæ comperitur esse imitator.*

Theodoretus, 92. Theodoretus Cyrensis Episcopus in Syria *libro de Vitis Patrum capite* 3. scribens de S. Marciano Monacho, Patre multorum Monachorum, eum summè laudaturus, eum SS. Elia, & Joanne Baptista, tamquam Monasticæ vitæ Principibus, confert his verbis: *Illum autem tempore celebratum Marcianum, quomodò pro rei dignitate admirabimur? Num videlicet eum simul conjungentes cum Elia & Ioanne & similibus, qui circuibant in ovinis & caprinis pellibus, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus, errantes in solitudinibus, & montibus, & speluncis, & foraminibus terræ.* Idem consequenter, *capite* 4. agens de Eusebio præfati Marciani Nepote, & discipulo, Monasticæ conversationis cultore insigni, refert, eum, amore solitudinis, constanter recusasse Monastici gregis suscipere curam, donec Ammianus ipsi proponendo Monastici Instituti Principes præfatos, hisce verbis: *Magnum Eliam, qui hanc vitam* (Monasticam) *persequebatur, jussit versari in medio impiorum: & secundum Eliam, tantoperè celebratum Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, misit ad ripas Iordanis, illic baptizare jubens, & prædicare. Quoniam ergo tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator; multos quoque tecum alios effice amatores: hoc enim est valdè gratum communi Domino,* sic eum ut oneri humeros submitteret, persuasit. Ad marginem ibi annotat Rosweydus: *Elias & Ioannes Baptista Principes vitæ Monasticæ.* *Salutem animarum procurare (exemplo S. Eliæ) Deo gratiss.*

93. Dorotheus, vetustus Pater, *in Synopsi Prophetarum* Eliæ encomia auspicatur ex eo, quòd primus ille Monasticam vitam exercuerit, & tradiderit: & sic peculiariori ratione *primus cursum ad cœlum hominibus submonstraverit.* Ità Lezana *Tomo* 1. *Annalium*, (a) ubi etiam annotat, controverti inter Scriptores nonnullos, quis iste Dorotheus fuerit, aliis Græcum, aliis Latinum, aliis Diocletiani Imperatoris temporibus vixisse, asserentibus. Josephus Antiochenus *in Speculo perfectæ militiæ Christianæ cap.* 12. hæc de solitariis Monachis, posteris Eliæ & Elisei in Carmelo, testatur: *Strenuissimi viri solitarii, contemplationique dediti SS. Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt.* Joannes Hierosolymitanus Episcopus XLIV. præ cæteris omnibus expressissimè & amplissimè historiam Institutionis primorum Monachorum in Lege veteri, & continuationis in nova ex sacris Codicibus, aliisque vetustis scriptis, ac traditione majorum, & diuturna experientia præcipuè indagavit, trutinavit, & scripto commendavit in libro *de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium,* in quo *cap.* 2. hoc statuit lemma: *Propheta Dei Elias Monachorum princeps primus extitit, à quo sancta primæva institutio exordium sumpsit:* & istud ibi consequenter ex Scripturis declarat, & confirmat. Et isti præfati omnes Terræ sanctæ incolæ. *Dorotheus, (a) in Appar. c. 5. n. 2. Iosephus Antioch. Ioan. Hierosolym.*

94. In Capadocia, S. Basilius laudans S. Gordium ex milite Anachoretam, ac demùm martyrem, ipsum in Monasticâ conversatione pro exemplari habuisse S. Eliam asserit. *Elia Propheta*, inquit, *secutus exemplum, &c. sese ab omni humanâ conversatione, ut Deum quæreret, & videret, abdicavit.* De loco, in quo potissimè habitavit, *ad Chilonem* scribit: *Carmelus, in quo Elias demoratus, perplacuit Deo* De ejus voluntaria paupertate, *in caput* 3. *Isaiæ*, ait: *Nonnulli sunt pauperes* BEATI *dicti, qui ardore tuendæ religiosæ pietatis omnia contempserunt, &c. cujusmodi Elias.* S. Gregorius Nyssenus, magni Basilii Frater, *Orat.* 15. in *in Capadocia. S. Basilius, S. Greg. Nyss.*

in *Cantica* S. Eliam Monachis tamquam exemplar propositum asserit: *Elias de Galaad fidei is instar exortus est, in horrido, squallidoque corpore, caprinis pellibus tectus ..... Quicumque igitur ad imitationem generosi in hoc Vate animi seipsos supra mundum hunc universum attollunt, egentes, pressi, afflicti; in montibus, antris, cavernis terra, quibus denique mundus non est dignus; hi verò gregatim circa universi hujus caput conspecti, Ecclesia gloria fiunt ad cœlestem gratiam, unà cum illo Galaadita conscendentes.* Et *Oratione* 7. circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, qua ascenderunt de monte Galaad,* explicat de S. Elia, Auctore, & Principe Monachorum. Et *in Oratione encomiastica de S. Basilio suo Fratre,* eum in Monasticâ vitâ comparat S. Eliæ: *An etiam,* inquit, *audebimus ad sublimem Eliam sermonem ascendere, & ostendere nostrum Doctorem sua vita instituto illius gratia assimulari?* S. Gregorius Nazianzenus Monachi vitam unà cum Basilio professus, frequenter in suis scriptis Eliam tamquam Monachorum Principem, & Carmelum, veluti Religiosæ Monasticæ vitæ palæstram, in memoriam reducit. Imprimis *Oratione* 5. in Monasticæ Eremiticæ vitæ commendationem: *Vt ab omni,* inquit, *negotio feriatus tranquillè philosopharer, mecumque ipse cùm spiritu colloquium haberem; Elia Carmelum animo agitabam.* Et Oratione 13. *Pulchra res solitudo, & quies: idque me docet Elia Carmelus.* Similia passim alibi habet. Idem in Oratione funebri S. Basilii: *Nobiscum in Pontum secessit, & Monasteriis qua ibi sunt præfuit, qua ipse admodùm dignè moderabatur, solitudinemque cum Elia, & Ioanne, qui admodùm Philosophi fuerunt, mirè amplectebatur.* Ibi Elias & Joannes dicuntur *Philosophi,* id est, Religiosi, Monachi. Et isti ex Asia sufficiant: nunc ad Africam transeamus.

Religiosi perfecti (sicut S. Elias) sunt Ecclesia gloria.

S. Greg. Nazianz.

CAPVT V.

Scriptores Afri, præsertim Ægyptii: & Europæi, in Scythia, Bulgaria, ac Græcia: de S. Elia Monachorum primo exemplari, & speculo.

95. AFRICÆ nominatissima regio est Ægyptus. Est autem Ægyptium Martyrologium, ob Orientalis Ecclesiæ reverentiam, magnæ censendum auctoritatis, sicut meritò notat P. Lezana (a) in quo de S. Eliæ monastica vita ista leguntur: *Sexta die mensis Tuba translatus est Elias Propheta &c. Hic Elias Propheta fuit primus in veteri Lege, qui deserta incoluit, & Monasticam in montibus egit vitam.* Porrò Ægyptus quondam produxit viros eruditione, & pietate præstantissimos, Monasticam Eliæ vitam adstruentes, necnon innumeros Monachorum cœtùs magnum Eliam habentium, & æmulantium tamquam conversationis suæ primum exemplar: quos inter primatum tenet magnus

In Africa scriptores de S. Elia.

(a) tom. 1. Annal. in Appar. c. 5.

præsertim Ægypto, assertores Monachatûs S. Elia.

Antonius, qui paucis magnâ laude commendaturus S. Paulum Eremitam, illum Eliæ, & Joanni Baptistæ comparat: *Vidi,* inquit, *Eliam, vidi Ioannem in deserto* (Ità S. Hieronymus in Vita S. Pauli) quasi diceret, vidi illum, qui vitam Monasticam eremiticam amplexus, adeò in ea profecit, ut primarios illius principes, quibus nulli excellentiores fuêre, perfectissimè in seipso expresserit: quod ex mox dicendis confirmabitur.

S. Antonius,

96. S. Athanasius sanctitate, & eruditione clarissimus *in vita ejusdem S. Antonii c. 3.* testatur de S. Antonio, quòd pro Monasticæ vitæ exemplari habuerit Prophetam Eliam: *secum reputans, oportere Dei famulum ex instituto magni Elia exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere.* Ex quibus evidens est, quòd S. Antonius pro norma, & regula viva Monasticæ conversationis sibi propositum habuerit S. Eliam, tamquam ejus, quem agnoscebat Monasticæ vitæ perfectionem, & primum omnium, & perfectissimè in se expressisse, fuisseque proindè monasticês Principem, & primarium exemplar. Idem S. Pater Athanasius *in Epistola ad Dracontium* Monachum (à Cardinali Baronio inserta Annalibus *a*) ipsum Dracontium exhortans ad suscipiendum Episcopatum, quem recusabat; quia Monachus erat, ipsi in exemplum proponit SS. Eliam, & Eliseum, Monachorum Principes, & exemplaria: *Neque tu solus,* inquit, *ex Monachis es constitutus, &c. Nosti enim Serapionem Monachum esse. & quot Monachorum Præfectum? Neque à te ignoratur, quot Monachorum pater fuerit Apollonius &c. habentes pro exemplari Eliseũ, & conscii quid Elias egerit;* nempè, relictâ quandoque solitudine susceperunt curam procurandæ salutis animarum. S. Macharius Abbas discipulus S. Antonii in *Sermone ad Monachos* (cujus auctoritas adducitur ab Arnoldo Bostio *libro de Patronatu B. Virginis Maria capite* 2. Joanne Palæonydoro *in Historia Carmelitana* libro 1. cap. ultimo, Francisco Suarez *Tomo* 3. *de Religione,* lib. 3. cap. 1. atque aliis). *Eliam & Eliseum, ac Filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos, imitari curate.* Et infrà: *Quorum exempla, fratres Charissimi, in Ordine Monastico quia sectari cœpistis, debetis sollicitè curare, ut ab eorum recto tramite, id est Monastica vita, nullatenùs recedatis.*

S. Athanasius,

Exemplar primum Monachorum S. Elias.

(a) ad an. Chr. 328. n. 23.

97. S. Augustinus, etiam Afer, natione Carthaginensis, Episcopus Hipponensis, Ecclesiæ jubar fulgentissimum, *Sermone primo ad Fratres* Eliam proponit tamquam Religiosæ Eremiticæ Monasticæ exemplar, ità scribens: *Pax vobis, Fratres; quoniam electi estis ante mundi constitutionem, ut in hac vasta solitudine sitis cum Elia.* Et ibidem infrà: *mox ad nemus cum Elia redire festinent.* Verumtamen an Auctor istorum Sermonum sit ipse S. Augustinus, an alius, non levis est inter Scriptores controversia, aliis negantibus, aliis adstruentibus: hos inter Petrus Maturus è Societate Jesu (b) *perversos Censores* appellans eos, qui sermones istos suppositìtios, & Augu-

S. Augustinus.

(b) in Notis ad S. Antonin. ad tit. 24. cap. 14. §. 2.

Augustino afflictos existimant. Sed hujus loci, aut instituti non est litem illam dirimere: sufficiat indicasse, eos, censendos venerandæ auctoritatis, cùm ut tales, etiam sub nomine Augustini, eos citent S. Antonius de Padua sæpiùs in suis Sermonibus, & S. Antoninus in suis operibus, atque alii illustres Scriptores. Quòd autem in institutione suâ Monasticâ respectum aliquem habuerit ad primum Monastici Instituti Fundatorem Eliam, satis indicat Paulinus *Epistola* 36. *ad Leontium* ità scribens: *Augustini vestigiis Propheticis, & Apostolicis disciplinis, ut sacro beatus Eliseus Eliæ, & illustri Apostolo Timotheus adhæseris.* Ubi notanda illa *Augustini vestigiis Propheticis, ut sacro beatus Eliseus Eliæ.*

In Europa Orientali assertores Monachatûs S. Eliæ Cassianus Scytha,

98. Quantum ad EUROPÆOS, in Scythia, Bulgaria & Græcia, Ioannes Cassianus, Scytha natione, hic primus prodit; quia Monasticarum rerum scriptor ex præcipuis: is clarissimè adstruit S. Eliam Monasticæ vitæ primordia fundasse, & ideò ipsum tamquam exemplar Monachis omnibus proponit in principio libri *de Institutis Monachorum* (a) ubi sermonem auspicatur in hunc modum: *Itaquè Monachum, ut militem Christi, in procinctu belli semper positum accinctis lumbis jugiter oportet incedere; hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento hujus professionis fundavêre primordia, Eliam scilicet, & Eliseum divinarum Scripturarum auctoritate demonstratur.* Alardus Gazæus, Ordinis S. Benedicti, in Commentario in Cassianum, ad illa verba: *Professionis hujus fundaverunt primordia,* subdit: *Professionis scilicet Monasticæ. Quâ ratione Divus Hieronymus passim eosdem veteris Testamenti Monachos vocat.* Verba S. Hieronymi hîc paulò ante adducta fuêre. Idem Cassianus *Collatione* 18. quæ est *de tribus generibus Monachorum*, agens de Anachoretico, dicit, quod *vastos eremi recessus penetrare non timeant, ad imitationem Ioannis Baptistæ, qui in eremo totâ permansit ætate, Eliæ quoque & Elisei, atque illorum, de quibus Apostolus ità memorat: circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis.* Dionysius etiam Scytha natione, sed moribus Romanus, ut scribit Cassiodorus, cognomento Exiguus, sed ingenió, & scientiâ verè magnus, *in vita S. Pachomii*, quam ex Græco in Latinum traduxit *capite* 1. refert magnum Antonium in vita Monastica sibi propositum habuisse S. Eliam, eumque tamquam Monasticæ conversationis primum & Principem æmulatum fuisse: *magni Eliæ, atque Elisei, nec non & sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens secreta interioris eremi studio sectatus est singulari, vitamque cœlestium in terris gessit amore virtutis.* Et illa confirmant proximè adducta ex S. Athanasio, afferente S. Antonium ex instituto magni Eliæ exemplum cepisse. Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus in caput primum S. Lucæ: *In virtute ac spiritu Eliæ venit Ioannes eò quod Eremita fuit etiam ipse, & frugalis vita.* De comparatione S. Eliæ, & S. Ioannis Baptistæ quoad vitam eremiticam, Religiosam, & Monasticam, & quòd uterque pari jure sit, & à Patribus dicatur Monachorum, & Eremitarum Princeps, aliquoties actum est in antecedentibus, & adhuc sermo recurret subindè. Idem Theophylactus in caput XI. ad Hebræos, Eliæ paupertatem & vitam solitariam Eremiticam commendat ad illa verba: *Circuierunt in melotis.*

(a) cap. 2.

Dionysius Abbas Scytha:

Theophyl. Bulgarus:

S. Ioan. Chrysost. Græcus:

99. S. Ioannes Chrysostomus ex Monacho Patriarcha Constantinopolitanus *Homilia* 64. *in Mathæum* tractans de Monachis, Monachalium vestium prototypos statuit SS. Eliam, Eliseum & Ioannem Baptistam: *Amictus autem ipsis fortitudini suæ conveniens circumjacet, nec enim effaminata ac enervæ per terram sibi vestes trahuntur, sed ità eis præparatæ sunt, ut beatissimis angelis illis Eliæ dico, Eliseo, Ioanni.* Ipse etiam Monachus (ut habetur ex Georgio Patriarcha Alexandrino, & Metaphraste, in vita ejus) Monachos suos peculiariter exhortabatur, *ut Sanctorum conversationem piâ æmulatione imitarentur, præcipuè quidem Eliæ, & Elisei Prophetarum.* S. Eutychius ex Monacho etiam Patriarcha Constantinopolitanus, in Monastica exercitatione SS. Eliam & Ioannem Baptistam tamquam primos vitæ eremiticæ, & Monasticæ auctores agnovit, & sibi propositos habuit veluti exemplaria. Ità refertur in ejus vita hisce verbis: *Monachi vestem induens, & re, atque habitu, & sermone philosophiam illam amplectens, quam ex utero matris adamaverat, imitatus est Eliam Thesbitem, & Ioannem Baptistam, qui exercitationis viam imitari volentibus ostendentes, solitudinem primi coluerunt.* Et per imitationem sanctissimæ vitæ Elianæ etiam in miraculis illi assimilari meruit, ut proptereà de eodem scribat vitæ ejus Auctor Eusthatius, quòd fuerit, *Quasi secundus quidam Elias.*

S. Eutychius Græcus:

100. Sozomenus, Græcus historicus vetustus, in *Ecclesiastica historia* (a) agens de conversatione, exordio, & auctoribus Monachorum de illis scribit in hunc modum: *Maxime verò Ecclesiam conversationis suæ virtutibus illustrissimam reddiderunt, & doctrinam Christianam extenderunt hi, qui Monasticam politiam exercuerunt.* Et infrà: *Optimam hanc Philosophiam orsus quidem est, sicut quidam dicunt, Elias Propheta & Ioannes Baptista.* Et *libro* 3. *cap.* 14. scribens de Monachis Ægypti, hæc de eorum vestitu testatur: *Pellibus quoque ad imitationem Eliæ Thesbytæ, ut mihi videtur, ob id, induti fuerunt; ut ex amictu pelliceo de virtute Prophetæ admoniti, fortiter contra venereas concupiscentias animarentur, zelòque illius, ac spe consimilium præmiorum, temperantiam alacriùs conservarent.* Et infrà: *Zonam etiam, & humerale habent.* De zona, & humerali S. Eliæ, quem etiam in istis Monachi veteres imitabantur, peculiariter agetur in Speculo Carmelitano (b) Nicephorus Callistus, etiam Græcus, similiter in *Ecclesiastica historia* (c) sub isto titulo: *De vita monastica, unde ea initium sumpserit, quid ea profiteatur, & quos habuerit auctores,* tractans de vita Monastica &

(a) lib. 1. c. 12.
Sozomenus, & Nicephorus historici Græci,

Zona exemplo S. Eliæ, cur veteres Monachi usi.

(b) tom. 1. lib. 7. c. 2. & 4.
(c) l. 8. cap. 39.

& ejus auctoribus, scribit: *Veluti arcana*, inquit, *& Divina quadam res, cœlitùs ad homines delapsa est hac Philosophia.* Et infrà: *Verumenimverò auctorem Divinæ istius Philosophiæ quidam laudant Eliam illum æmulatorem Zelotem, quidam verò Ioannem Baptistam.* Et *libro 9. cap.* 14. agens de vestibus veterum Monachorum, eas conformes fuisse Eliæ Prophetæ, tradit: *Indumentum*, inquit, *illis erat melota seu pellis ovilla: symbolum atque monumentum, ut opinor, generosi, & fortis illius Eliæ Thesbitæ.*

CAPVT VI.

Europæi Patres, & Scriptores, Latini, Itali, Hispani, & Franci, de S. Elia primo Monasticæ conversationis principe.

In Europa Latina,

de S. Elia vita Monast.

S. Ambros.

101. ITALIÆ, imò & Orbis, caput, Roma, ratione Apostolici culminis, & Sedis Pontificiæ, cui non modò hîc, sed ante omnes primus post Sacras litteras locus debebatur, in adstruendo Monachatu S. Eliæ, & Patriarchatu ejusdem in Ordine Carmelitano: ast opportunior locus tribuetur infrà cap. 9. Itaque imprimìs quid S. Ambrosius de Eliæ Monachatu sentiat, audiamus: *libro 9. Epistolarum Epistola* 82. quæ est ad Vercellenses, agens de Institutis Monachorum, eorum primos Auctores commendat Eliam, ejusque discipulum Eliseum, & (qui in ejus spiritu venit) Joannem Baptistam: *Hinc illi*, inquit, *processerunt viri, Elias, Eliseus, Ioannes Elizabeth, qui pelliceis tunicis & caprinis exuviis induti, inopes atque egentes, angustiis & doloribus afflicti in solitudinibus errabant, inter alta & condensa montium.* Ista ibi de magni Eliæ incolatu in eremis latiùs prosequitur, & tandem de ejusdem discipulis, eremiticam, monasticam vitam ejus exemplô agentibus subjungit: *Sed satis de Magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam prosequamur: quia in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempè Angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum student, lectione vel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum sibi ipsis invicem vitam præbent, & custodiam.* Istis & sequentibus graphicè describuntur exercitia Monachorum, quos Ambrosius *Eliæ discipulos*, Eliamque illorum *Magistrum* appellat.

S. Petrus Chrysol.

(a) Serm. 88.

Aurel. Cassiodorus:

(b) lib. 1. cap. 11.

102. S. Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas circa annum Christi 440. florens, de virtutibus Monasticis S. Eliæ, & S. Joannis Baptistæ scribit: (a) *Ioannes Eliæ venit in spiritu, & in ejus virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentia, & omnibus Eliam virtutibus repræsentat.* Aurelius Cassiodorus, vir clarissimus, ex Senatore, & Consule Romanæ Urbis Monachus, in *Ecclesiastica historia tripartita*, (b) tractans de Monachis, & eorum institutione, hæc de illis tradit: *Præcipuè verò insignissimam ecclesiam demonstraverunt, & dogma dilataverunt vitæ virtutibus, qui conversatione monachica illo tempore fruebantur. Vtilissima namque res ad homines venit à Deo ista philosophia.* (Nomine *Philosophiæ*, monasticês, & *Philosophi* monachi, apud veteres frequentissimè denotabantur, sicut supra declaratum est) Ibi consequenter præclara Monachorum instituta, & exercitia describit: paucula delibata hic sufficient: *Divinæ virtutis mentem habens semper contemplatur omnium creatorem, & eum nocte dieque colens, orationibus & litaniis placat indubitanter ... Patientiam, mansuetudinem, mediocritatem, in omni vita meditatur, & quantùm natura humana possibile est, Deo esse vicinum.* De istius vitæ auctore addit: *Hujus itaque elegantissimæ philosophiæ princeps quidem fuit, sicuti quidam dicunt, Elias Propheta, & Ioannes Baptista.*

103. Petrus Damianus, Ravennas, ex Ordine S. Benedicti, Cardinalis, Episcopus Ostiensis, *vir valdè sanctus & devotus*, ut de eo scribit Bellarminus *Opusculo* 15. *cap.* 2. agens de origine vitæ Monasticæ: *Hujus vitæ*, inquit, *normam, ut anteriora prætercam, Elias cœpit, Eliseus verò, aucto Discipulorum collegio, dilatavit.* Joachimus Abbas, Ordinis ejusdem S. Benedicti, ex Calabria oriundus variis in locis adstruit Eliæ Monachatum. Et quidem in caput 6. Apocalypsis, ad versum 5. *Per Eliam sicut & per solem designatur ordo Monasticus propter claritatem, & constantiam vitæ contemplativæ, quæ carnis dispositione non perditur sed augetur.* Et in caput 12. ad versum primum: *Quid est quòd Elias contra consuetudinem patrum uxorem & filios habere renuit? &c. aut quid est quòd Prophetarum filii ducentes in Iericho cœnobiticam vitam, Eliseum successorem Eliæ sibimet in patrem præficiunt? nisi id quod in millibus hominum cernimus consummari.* S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus eadem confirmat; cùm enim, tractans de Religiosorum statu, (a) præmisisset, quid *Religionis* nomine intelligatur, & quæ necessaria sint ad essentiam Status Religiosi, consequenter agens de his quæ competunt Religiosis, proponit: *Vtrùm liceat Religiosis vilioribus vestibus uti, quàm cæteri.* Respondet affirmativè, & probat *exemplo Eliæ, qui circuit in melotis* &c. Et *Vtrum Religiosis liceat secularia negotia tractare?* Respondet: *Adire palatia propter causas pias competit Religiosis.* Et ad hoc adducit *exemplum Elisei 4. Regum 4.* Itaquè ex mente S. Doctoris Elias, & Eliseus Religiosi, seu Monachi fuêre; nam alioqui istud ejus argumentum futile esset; posset enim quispiam opponere: Quorsum, S. Doctor, Eliam, & Eliseum in exemplum adducis? cùm Religiosi, seu Monachi non fuerint. Ità Lezana *in Annalibus* (b) S. Thomas alibi (c) ex, & cum S. Chrysostomo *Eliam Monachum* vocat. Ex dictis etiam infertur, quòd ex mente S. Thomæ Elias, & Eliseus ex voto servaverunt paupertatem, castitatem, & obedientiam, ad Religiosum statum requisitas,

Petrus Damianus.

Ioachimus Abb.

(a) 2. 2. q. 187. art. 2. & 6.

S. Thomas Aquin.

(b) in Annal. Carm. to. 1. in Appar. c. 4.

(c) 2. 2 q. 184. a. 8.

sitas, & sufficientes. Nam in utraque illa quæstione tractat de veris Religiosis, obstrictis Deo triplici illo votorum nexu: quod etiam ex ejusdem doctrina eruitur ibidem: cùm enim resoluisset, quòd necessarium sit, ut quicumque Religionis perfectionem profitentur, voto obligent se ad perpetuam obedientiam, continentiam, atque paupertatem; Objicit: *Vbi est exhibitio rei, non requiritur promissio: ergo sufficit ad perfectionem religionis, quòd aliquis servet paupertatem, continentiam, & obedientiam absque voto.* Respondetque: *homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere: quia non est tota simul, sed successivè agitur. Vndè non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Hinc infertur: Certum est, Eliam, & Eliseum totam vitam suam Deo exhibuisse in castitate, paupertate, & obedientia: ergo ex doctrina S. Thomæ *per voti obligationem.*

Bellarminus Card. asserit, Eliā principem Eremitarū, & Monachorum.

104. Cardinalis Bellarminus, eruditione, pietate, & purpurâ clarus *tomo 1. Controversiarum (de Monachis cap. 39.)* idipsum sic confirmat: *Scriptura vehementer laudat Eliam, & Ioannem, qui Eremitarum Principes fuerunt. Quocircà veteres Patres Eliam, & Ioannem Baptistam Principes Eremitarum faciunt*; & *cap. 5.* rescribens adversùs Centuriatores Magdeburgenses, Eliam cum S. Hieronymo, nuncupat *Principem Monachorum*, & Filios Prophetarum, ejus discipulos *Monachos*: ità autem scribit: *Habemus deinde in eodem Testamento veteri, Eliam, & Eliseum, ac filios Prophetarum sine uxoribus, & divitiis in hoc mundo vixisse. De quibus B. Hieronymus in epistola ad Rusticum, quæ est ordine quarta: Filii Prophetarum, inquit, quos Monachos in veteri Testamento legimus* &c. *Et epist. 13. ad Paulinum, de Monachis loquens: Noster princeps, inquit, Elias.*

Baronius Card.

105. Cardinalis alter, pari eruditione & pietate clarus, Baronius præfatis adstipulatur, cùm disertè adstruit, Monachos perfectissimos veteres, in primis post Christum seculis, vixisse *instar Eliæ*. Ita quidem, tractans de Religioso-Monastico statu, & de Monachis antiquis, scribit ad annum Christi 342. *Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus instar Eliæ, ac Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum.* Quid est *instar Eliæ*? id est, ad similitudinem Eliæ. Etenim *instar*, sicuti & *adinstar* æquiparationem, seu similitudinem denotat. Sic S. Athanasius testatur de S. Antonio, quod *ex instituto magni Eliæ exemplum capiens, ad illud speculum vitam suam composuit.* Idem legitur de S. Onuphrio, & de antiquis aliis Monachis, qui etiam in vestibus ipsum imitabantur. *Ad exemplum Eliæ Thesbitæ pellibus se induebant.* Ita Sozomenus, Cassianus, Nicephorus, & alii. Hinc Patres S. Macharius, S. Chrysostomus, & alii monachos hortabantur *ad imitationem S. Eliæ*; seu, ut Baronius ait: *instar Eliæ*; utpote Monasticæ vitæ primi exemplaris. Quoad Carmelitani Ordinis originem, sensum ejusdem Cardinalis, à nonnullis haud

tradit Monachos veteres vixisse instar Eliæ.

bene intellectum, rectè expositum videre licebit in *Speculo Carmelitano*, (a) & plenius in *Armamentario* Carmeli per P. Franciscum Bonæ Spei (b).

(a) to. 1. n. 1424. & seq.
(b) parte 1. n. 679. & 680. ac seq.

Hispani Scriptores de S. Elia principe Monachorum.

106. Hispaniæ singulare decus S. Isidorus, Hispalensis Episcopus, sanctimoniâ, & eruditione clarissimus libro *de vita & obitu Sanctorum capite 35.* insigni elogio Eliam commendat, in quo, inter cætera, hæc: *Elias Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus.* Et libro 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 15. (quod est de Monachis) *Vndè ad Monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis hujus conversationis extiterit auctor, cujus isti habitum imitantur, videamus. Quantùm enim pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi Princeps Elias, & discipulus ejus Eliseus fuerunt; sive alii Prophetæ qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Iordanis; hujus etiam propositi in Euangelio Ioannes Baptista extitit*; En igitur ex sententia S. Isidori Eremiticæ & Monasticæ conversationis initia, ac progressum à SS. Prophetis Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum, cum ipso Eliseo prope Jordanem casulas ædificantibus: qui ibidem, & alibi, continuati, perstiterunt usque ad tempora S. Joannis Baptistæ: & inde usquead SS. Antonium, Hilarionem, Macharium: prout pleniùs videbitur in sequentibus.

S. Isidorus.

Franciscus Suarez,

107. Franciscus Suarez, Societatis Jesu, percelebris Doctor, hanc de S. Eliæ anachoresi, & monastice statuit assertionem: (c) *Certum est Eliam vitam monasticam coluisse*; id cùm ex Scriptura verbis infra *tractatu 3. c. 5.* referendis, probasset, idipsum confirmat ex Patribus, *Patres*, inquit, *sæpè indicant Eliam vitam eremiticam fuisse professum: ad hoc enim alludens Hieronymus epist. 13. ad Paulinum dixit; Noster princeps Elias, noster Eliseus, &c. Significat autem id colligi ex Scripturis, cùm præmittit, & ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, &c. ubi Marian. Victor. Eliam* (inquit) *& Eliseum deserta, ac montes solitarios incoluisse, res est notissima.* Consequenter adfert etiam aliorum auctoritates, & tradit: *Verisimile est Eliam solitariam vitam egisse, etiam antequam mitteretur ad Achab.* Deinde prosequitur: *Ex discursu vitæ ejus à prædicta Dei vocatione, usquead translationem ejus, constat semper in desertis habitasse, solumque transitoriè ad negotium aliquod jussu Dei peragendum, ad communes hominum habitationes rediisse.* Hæc ibi Suarez: aliquantò post addit: *Ex altiori quoquè providentia missus est, ut separatus ab hominibus jugiter, & perfectè Deo vacaret, & mirabilem vitæ rationem inter homines inchoaret: quod autem satis fuerit illa vocatio, dicti Patres sentiunt, & indicat Ambrosius dictâ epistola ad Vercellenses prope initium dicens: Elias quem Dominus ad virtutis erudiebat perfectionem.* Consequenter cum Lirano, & Abulensi agit de commoratione ejus, & Elisei, ac Filiorum Prophetarum in Carmelo: ac tandem concludit: *Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant* locum

(c) de Relig. to. 4. tr. 9. l. 2. c. 10.

de eremitica monastica S. Eliæ vita:

in Carmelo unà cum discipulis;

locum aliquem operibus religionis & divini cultûs destinatum.

108. Joannes de Carthagena, Seraphici Ordinis Minorum Homiliographus insignis *libro 17. Homiliarum Homilia 1.* haud minùs perspicuè adstipulatur, ita scribens: *Eliam & Elisæum religiosæ vitæ principia dedisse, gravissimi auctores contestantur.* Et infrà: *Meritò veteres Doctores sanctum Patrem Eliam appellarunt totius vitæ Monasticæ Patrem, universorum Ordinum exordium, omnis Religionis vexilliferum, ac cœnobiticæ disciplinæ antesignanum.* Cùm ad idem intentum plura adduxisset, sic de ipso S. Elia, ejusque discipulis concludit: *Quarè existimo Scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse, viros illos, divino lumine ductos, institutum Monasticum tribus votis firmasse.* De votis Monasticis S. Eliæ copiosiùs tractatum est hîc suprà, *cap. 2.* Alia quædam ex eodem Carthagena adferentur *cap.8.* Hispaniex nationis, doctrinâ præcellentium matris præfœcundæ, aliorum etiam non paucorum similia de S. Eliæ monachatu, & in Ordine Carmelitano Patriarchatu adferri possunt: quorumdam adducentur cap.8. & 9. Sed multorum auctoritati æquivalet sanctæ Inquisitionis decretum, quod sequitur.

Ioannes Carthagena,

109. Pro coronide Hispaniex nationis, quoad assertionem monachatûs S. Eliæ, ac discipulorum ejus, nec non votorum in veteri Lege, præcipuæ auctoritatis habendum judicium sanctæ Generalis Inquisitionis in Hispania, non semel, sed iterum, iterumque, post plurimorum annorum disceptationem, in judicio contradictorio, approbantis & imprimi permittentis has, inter alias, propositiones: *Quòd in Lege scripta, fuit votum castitatis, & virginitatis perpetuæ. Quòd in Lege scripta fuit votum obedientiæ perpetuæ. Quòd in Lege scripta fuit votum paupertatis voluntariæ. Quòd in Lege scripta fuit verus Monachatus, & Religio,* cum declaratione adducta hîc suprà,(a) videlicet, istas propositiones ità intelligendas, ut scilicet denotetur non fuisse Monachatum in Lege scripta cum ea solemnitate, perfectione, & potestate clavium, prout in Lege gratiæ. Ità quidem approbatum in illo supremo tribunali anno 1639. die 9. Decembris, coram Illustrissimo Archiepiscopo Inquisitore Generali, aliisq; Iudicibus in supremo illo Senatu Fidei censoribus: & rursùs anno 1641. per Decretum, editum die 27. Septembris: ac deniquè iterùm an. 1673. per Decretum, cujus authenticum exemplar sigillatum, & signatum à D. * Rubalcaba Secretario præfati Concilii, ad nos misit Reverendiss. P. Silvester ab Assumptione Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Hispaniæ: estque ejus (ex Hispanico in Latinum traducti) hoc initium. *In Civitate Madritensi 25 Februarii anni 1673. Cùm Excellentissimus Dominus Episcopus Placentiæ Inquisitor generalis, & Domini Consiliarii suæ Majestatis, & sanctæ Inquisitionis Generalis vidissent actum probatum per Concilium nono Decembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni &c.* Et post alia sequitur utriusque præfati Decreti confirmatio: *Dixerunt, quòd deberent confirmari, & confirmarunt dictum actum, & Decretum Concilii datum nono Decembris anni 1639 & illud 27. Septembris an. 1641. in toto, & per totum, juxta & sicut in illo continetur.* Igitur tunc (anno 1673.) rursùs approbarunt, & *confirmarunt* præfatas propositiones Consequenter declaratur, quòd loco: *Elias fundavit Monachatum per expressum mandatum Dei,* dicendum sit, *per inspirationem Divinam.* Et quoad illam propositionem: *Elias non est de Synagoga veteri, sed de renovata in Christo,* scribendum sit: *Non de Synagoga veteri, sed de Ecclesia renovata in Christo.* Declarationes aliæ Decreti præfati anno 1639. confirmati dicto anno 1673. circa sanctitatem Eliæ parem S. Joannis Baptistæ, & Apostolorum, & de ejus apostolatu, ac potestate sub finem mundi, agitur in Speculo Carmelitano, tomo primo. Duo persuadent istius supremi Senatus Decreta illa suscipienda, & habenda tamquàm præcipuæ auctoritatis; unum quòd Senatus ille coälescat ex viris spectatissimis singularioris eruditionis & virtutis: alterum autem, quòd (sicut jam ante dictum est) Decreta præfata condita sint in judicio contradictorio, & post gravissimorum Theologorum consultationes.

S. Inquisitionis suprema in Hispania,

Decreta circa Monachatum & vota Legis veteris;

(a) nu. 40. pag. 16.

* L.do D. Diego Rubalcava Secretario del Consejo

confirmata peremptorio edicto an. 1673.

110. Gallia quoque Scriptorum, & virorum eruditissimorum semper ferax fuit: inter vetustiores est Sollius Sydonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, sanctimonia, & doctrinâ conspicuus, in carmine eucharistico ad Faustum ex Monacho Episcopum Regensem, inter Monastici Instituti Principes & heroës primum refert S. Eliam:

In Gallia Patres & Scriptores, de S. Elia principe Monachorum, Sydonius Apollin.

Quà nunc Elias, nunc te jubet ire Ioannes,
Nunc duo Macharii, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Hor; nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa,
Quam fecit palma foliis manus alma magistri.

Jacobus Sirmondus, Societatis Jesu Scriptor illustris, *in Notis ad illa Sydonii verba* scribit: *Dubium non videtur,* inquit, *quin Eliam Prophetam, & Ioannem Baptistam designet, quos instituti sui duces, ac Principes prædicant Anachoretæ, ut Hieronymus in vita Pauli testatur, & Socrates lib. 1. cap. 12.*

111. S. Hilarius Arelatensis Antistes, eodem tempore sanctitate & doctrinâ celebris erat. Is in vita S. Honorati sub initium satis indicat, eum pro vitæ Monasticæ exemplari suspexisse, & æmulatum fuisse S. Eliam, sic de eo scribens: *Ejus omnis vita illam Eliæ vocem habuit: Vivit Dominus, cui adsto hodie.* S. Odilo, etiam Arvernus, Abbas Cluniacensis in vita Majoli conformitèr scribit: *Cœpit,* inquit, *Monasticus ordo pullulare, &, ut verius dicamus, reviviscere, quem à beato Elia, & Ioanne Baptista novimus processisse.*

S. Hilarius;

S. Odilo:

112. S. Bernardus *in Epistola* seu *Sermone ad Fratres de monte Dei* (de quo hæc Bellarminus: (c) *non habet stylum, sed habet spiritum S. Bernardi*

(a) de Script. Eccles.

S. Bernard. S. Bernardi, *& dignissimus est qui legatur*) scribens contra quosdam qui Monasticam vitam novitatis insimulabant, ait: *Antiqua hereditas Ecclesiæ Dei, à temporibus Prophetarum præmonstrata, jamque nova gratia sole exorto in Ioanne Baptista instaurata, & innovata.* Per Prophetas intelliguntur SS. Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum, prout disertè Hieronymus, Isidorus, Cassianus, & alii jam ante relati. Dicitur: *In Ioanne Baptista instaurata, & innovata*; quia ipse *in spiritu & virtute Eliæ* à pueritia *in desertis*, ibi plures adscivit discipulos, vitam egit simillimam ei quam in Carmelo duxit Elias. Bernardus alter Cassinensis Ordinis S. Benedicti, in expositione Regulæ S. Benedicti: *Attende benè, quòd in veteri Testamento Elias, & Eliseus Monachorum inventores extiterunt.* Hugo de S. Victore, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, in Divinis Scripturis eruditissimus *Sermone 62. Institutionis Monasticæ* ista Psalmi 64. verba: *Pinguescent speciosa deserti* exponit de Eremitis, & Monachis; quos inter primos tamquam Principes & Coryphæos refert SS. Eliam & Joannem Baptistam: *Ex his speciosis deserti Elias extitit.* Et paulò infrà: *speciosa quoque deserti fuerunt innumerabiles Ægyptiorum Monachorum solitudines, ex quibus alii in aliis locis deserti habitabant centeni, ac milleni.*

Bernardus alter.

Hugo de S. Victore,

113. Gilbertus Genebrardus inter præstantiores Chronographos habitus, *libro primo Chronographiæ sub finem quintæ ætatis* hæc habet: *Religiosorum vita & vota, & instituta varia. Filii Prophetarum in Bethel, in Hiericho &c. Elias vir pilosus, zonâ pelliceâ accinctus, & Eliseus hanc vitam illustrarunt 3. Regum & quarto.* Eodem libro 1. ad annum mundi 3270. *Ei* (Eliæ) *post mortem* (intellige post raptum) *Synagoga, sive Sacellum in Carmelo monte, vulgato ipsius habitaculo, dicatum est, in quo vigebat Oraculum, de quo Suetonius in Vespasiano c. 5. Apud Iudæam Carmeli Dei Oraculum consulentem Vespasianum, ità confirmavêre sortes, ut quidquid cogitaret, polliceretur.* Ibidem ad annum mundi 3272. *Eliseus miris & inusitatis operibus insignis 4. Reg. 12. ad ejus ossium contactum suscitatur mortuus 4. Reg. 13. construxit cellas Propheteis in Hiericuntis solitudine: manavit institutum & loci religio ad posteros.* Circa annum Christi 1142. scribens de Carmelitani Ordinis initio, cùm Polydorum, illud ad tempora Aymerici circa ann. Domini 1141. referentem adduxisset, ejus sententiam corrigens, suam subjicit his verbis: *Eorum* (Carmelitarum) *origo altiùs repetenda est, nempè à Prophetis Elia & Eliseo, qui Carmelum Montem Terræ-sanctæ primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura Filios Prophetarum appellat.* Renatus Choppin, Iuris-consultus celebris, in opere *de jure Cœnobitarum libro 1. titulo 3.* scribit: *Elias Thesbites anachoretica vita in Carmelo institutor.* Eadem repetit aliis locis.

Gilbertus Genebrardus,

Renatus Choppin.

CAPVT VII.

Germani, Belgæ, Angli de S. Eliæ Monastice & primatu in ea.

114. RUpertus, Abbas Tuiciensis, juxta Coloniam, Ordinis S. Benedicti, *in Divinis Scripturis doctissimus*, ut de eo testatur Trithemius (a) illa Canticorum verba: (b) *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, exponit de S. Propheta Elia, qui erat de Galaad; & de gregibus Monachorum, quos ipse instituit. *Qui*, inquit, *greges caprarum? vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? utiquè greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quandò cæperunt homines ejusmodi esse, de qualibus Apostolus dicit: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis* &c. Et infra: *Dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, &c. Hæc dixit, & hæc fecit ille primus Auctor, & Institutor eorum, qui dicti sunt filii Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri Testamento consentit auctoritas Patrum Venerabilium.* Ioannis Trithemii, etiam Germani, Benedictinique Abbatis, sensus de monachatu S. Eliæ, ejusdemque Patriarchatu in Ordine Carmelitano, pandetur cap. sequenti.

Germani Script. de S. Elia, auctore primo Monasticês.

(a) lib. de Script. Eccles.

(b) Cantic. 4. & 6.

Rupertus, Abbas:

115. Guilielmus Eysengrenius, contra Centuriatores Magdeburgenses antegonista insignis, antiquitatem Monasticês ex antiquitate Ordinis Carmelitani demonstrat in sua Historia *centuriâ primâ* titulo: *De Religionibus, & Monastica vita cultoribus*, ubi inter alia hæc: *Elias Propheta primus Carmelita.* Et infrà: *En hæretice, Eliæ posteritatem dici Monachos Carmelitas.* Itidem sic ait: *Sanctus Eliseus Carmelita, Princepsque Eliadum.* Ægidius Gelenius in descriptione Coloniæ Agrippinæ *libro 3. Syntagmate XLIII.* scribit quòd ab Elia inchoatus *Ordo Propheticus, sub Rechabitarum, Assidæorum, & Essenorum continentium nomine (quos inter non pauci ex sanctis Propheteis, & propheticis viris claruerunt) perduransque usque ad tempora Christi & Apostolorum, à S. Ioanne Baptista ad Christi fidem comparatus, atque ab Apostolis baptizatus, unà cum ipsis, ac cæteris Christi discipulis per varias Orientis, & Occidentis Regiones ipso nascentis Ecclesiâ tempore transplantatus fuit.* Paulus Zehentner Societatis Jesu Theologus *in Promontorio Malæ Spei* (c) ad idem propositum tradit, quòd *Postquã Elias Propheta, Carmeli sedulus incola, terra & mortalibus subtractus fuit, curru è cælis misso in compendium itineris, quos secum ad societatem vitæ solitariæ adsciverat, tenaces arrepti semel instituti, eodem loco semper perstitisse usque ad ipsa Christi Salvatoris tempora.* Et aliquantò infrà: *Quòd voluntariâ paupertate, castimoniâ, obedientiâque sese Deo adstrinxerint in arctius ejusdem obsequium; auspicaturi simul & religiosæ vitæ exemplar, & daturi aliis pulchra imitationis occasionem.*

Guilielmus Eysengrenius:

Ægidius Gelenius.

Paulus Zehentner:

(c) lib. 3. §. 13.

Thomas à Kempis S. Eliam ut exemplar perfectionis proponit Religiosis.
(a) in Valle liliorum cap. 25.

116. Thomas à Kempis, piorum librorum notissimus scriptor, Religiosos ad rerum caducarum renuntiationem hortatur exemplo Eliæ: (a) *Beatus, qui odit hunc mundum, & quæ in mundo allicere possunt ad peccandum, & fugit cum Elia in desertum ad Monasterium.* Qualem S. Elias vitam egerit, ibidem refert: *Beatus, qui vigilat die ac nocte contra tentationes suas, & frequenter orat cum Elia.* Alibi autem (b) Religiosos omnes ad amorem voluntariæ paupertatis hortatur exemplo S. Eliæ, summam paupertatem profitentis: *Elias*, inquit, *jam venit: sed eamus, & videamus, ubi habitaret. Quod si paupertatem, & abstinentiam illius inspexero, Paupertas utique respondebit: Quia ego sum. Habitavit in tabernaculo paupertatis magnus ille Elias Propheta. Testantur corvi, qui eum pascebant: spelunca, in qua latebat: asperitas vestium, quæ eum tegebat: & Angelus Domini, qui subcinericium panem & aquam illi ministrabat. Quam bonum est nos hic esse.*

(b) in libello de trib. tabernac. cap. 2.

Ioan. Molanus.
(c) ad XV. Kal. Julii.
(d) ad eumdem diem.

117. Joannes Molanus, Lovaniensis Universitatis decus, in *Auctario ad Usuardi Martyrologium* his S. Eliam commemorat verbis (c) *Sancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ.* Joannes Gillemannus, etiam accuratus scriptor (teste Bollando, & aliis) in suo Hagiologio ferè eadem scribit (d). Alia quædam ex eodem adferentur capite sequenti: eo autem ipso quo est Patriarcha Carmelitani Ordinis, etiam est Monasticæ conversationis. Iud. Clichtoveus, Flander natione, patriâ Neoportanus, Doctor Theologus Parisiensis, in sermone, cujus initium est: *Quum dixerint vobis filii vestri*, hoc statuit assertum: *Qui primam Carmelitani Ordinis præstiterunt originem, ut Elias, & Eliseus ex Iudæis nati sunt.* Et ibidem tractans de Carmelo: *Quem*, inquit, *in Terra S. inter Phœniciam, & Palæstinam situm esse, D. Hieronymus super Isaiam auctor est. Siquidem hunc montem conscendisse legimus Eliam, primum Carmelitanæ Religionis Caput & Principem, ut eo in loco cælibem, castamque vitam duceret.*

Iudocus Clichtoveus.

Aubertus Miræus:

118. Aubertus Miræus, Antuerpiensis Ecclesiæ Cathedralis Decanus, studiosissimus Ecclesiasticæ antiquitatis scrutator, in libro cui titulus est: *Origo & incrementa Ordinis Carmelitani, ab Elia Propheta primùm inchoati*, sub initium, hæc inter cætera: *Anno ante Christi ortum circiter nongentesimo trigesimo Elias Propheta clarissimus in Carmelo, Syriæ monte, quem cultu suo fecit insignem, prima Instituti Monastici fundamenta jecit: quæ gravissimorum Patrum consensio est. Postquam enim, Dei jussu primogenitum suum, & ex asse paternæ laudis hæredem Eliseum, ex agricultura evocatum, sibi sociavit; plurimos alios excelsum & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos Filios Prophetarum appellatos Scriptura sacra demonstrat) in agmine illo primævo recensuit.* Quod ibi consequenter latiùs declarat, texendo seriem successionis hæreditariæ, haud interruptæ ab ipso Proto-parente Elia ad hæc usque tempora.

119. Cornelius à Lapide itidem Belga *in caput 7. Canticorum* ista verba: *Caput tuum ut Carmelus* S. Eliæ appropriat, eò quod ibi habitans Ordinem Monasticum inibi inchoaverit: *Christus*, inquit, *generale est caput, & commune, tam Ecclesiæ, quàm Synagogæ: particulare verò caput Synagogæ, ad Christum in fine mundi convertendæ, erit Elias: qui, uti olim in monte Carmeli, mirâ sanctitate, orationis efficaciâ, familiaritate cum Deo, & miraculorum gloriâ resplenduit, ibique religiosam familiam virorum Deo servientium, qui in libris Regum Filii Prophetarum vocantur, instituit.* Similia scribit ad *versum 42. capitis 18. libri tertii* Regum, tractans de Eliæ paupertate, castitate, victus parcitate, vestitûs hispiditate; ac discipulis, quos *jure veteris Testamenti Monachos* dicendos asserit: alia ex eodem adferentur in sequentibus. Jacobus Tirinus, etiam Belga, & è Societate Jesu, ferè eadem scribit *in caput 17. libri 3. Regum.* Heribertus Rosweydus, Scriptor illustris, ejusdem Belgii & Societatis, in *Notationibus ad Vitas Patrum* variis locis asserit *Eliam exemplum vitæ Monasticæ*: atque *Eliam & Ioannem Baptistam Principes vitæ Monasticæ.* Peculiariter id multorum Patrum auctoritatibus confirmat *in notatione ad Prologum vitæ S. Pauli Eremitæ* ad illa verba: *à Beato Elia, & Ioanne*, quibus subdit: *Hujus opinionis crebra apud sanctos Patres, & Historicos mentio, videlicet quòd à Beato Elia & Ioanne sumpserit initium vitæ Monasticæ.* Hujus viri auctoritas eò magis ponderanda, quòd Historiam Monasticã ipse peculiariter scrutatus fuerit, & illustrarit. Sed nunc denique è Belgio ultra mare ad Angliam transeamus.

Cornelius à Lapide:

Jacobus Tirinus:

Heribertus Rosweydus:

120. Ab Oriente exorsi, & ex Asia progressi ad Africam, ac indè ad Europam, hujus plerasque regiones præcipuas obambulando, tandem devenimus ad ultimas ejus versùs Occidentem, Britannicas Insulas, ubi primus nobis occurrit Monasticæ vitæ Elianæ patrocinator Venerabilis Beda, Ordinis S. Benedicti, eruditione & sanctitate celebris. Is in caput primum Euangelii S. Lucæ ad illa verba de S. Joanne Baptista: *Præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ*, istos inter se assimilans, scribit: *Conversatione prorsus simillimâ ambo deserta secuti, victu frugi, vestitu inculti, cinctu sunt despecti.* En vitam utriusque Eremiticam, Monasticam, de qua etiam libro *de templo Salomonis cap. X. Fuerunt alii, qui majori perfectione, relictis mundi negotiis, & assumptâ cruce suâ sequebantur Dominum, qui, ut Apostolus ait, ludibria & verbera experti* &c. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes* &c. *Hi qui ante manifestata tempora Euangelii, vitam duxêre Euangelicam*, videlicet S. Elias, S. Eliseus, & Filii Prophetarum (de quibus ibi S. Paulus: *circuierunt in melotis* &c.) qui ante Euangelium Euangelica consilia voluntariæ paupertatis, castitatis & obedientiæ amplexati fuerunt. Ista enim *Circuierunt in melotis . . . egentes* &c. intelligenda de S. Elia, & ejus discipulis voluntariam paupertatem sectantibus tradunt Theodoretus, Theophylactus, Haymo, S. Thomas, Cornelius à Lapide, & alii.

In Anglia.
Ven. Beda:

Angliæ

Thomas Waldensis: 121. Angliæ decus singulare Thomas Waldensis, Witcleffistarum, & aliorum hæreticorum eversor, adversus Witcleff monasticen & Ordines Religiosos sugillantem tamquam sectas novas, & frivolas (sicut plenius relatum est hîc suprà (a) rescribens, auctoritatibus Scripturarum, & Patrum, confirmat *S. Eliam esse principem monachorum*: ità quidem *to.3. tit.9. cap.* 89. eujus iste est titulus: *Ad contumelias Witcleff de novitate religionum*, de monasticés, Ordinisque Carmelitani origine hoc statuit, & firmat assertum: *à Prophetis SS. Elia & Eliseo priùs incepit: post Salvatoris adventum cum Apostolis in euangelio solicitissimè laboravit*: & *to.1. lib.3. art.1. cap.4.* sic tradit Monasticés originem, ac successionem ab Elia: *Zelans multiplicare religionem Prophetarum sanctorum, solicitè huic rei operam dedit: Eliseum primò instituens, & pallio suo induens, & demùm alios post eum magno numero, providens ab intento, ut sanctæ Religionis successio semper staret.* Et infrà: *Et mansit hæc Religio Prophetarum continuò usque in adventum Christi: & deinceps facti sunt principes religiosæ militiæ Christianæ, Quod luculenter declarat B. Hieronymus in epistola ad Paulinum.* Tandem concludit: *Sufficiat ergò religiosis fidelibus tales habere patronos, & sancti propositi fundatores: ut planè se monstret sanctarum scripturarum ignarum quicumque sic errat, ut dicat eos non esse jure fundatos.* Thomas alter, etiam Anglus natione, cognomine * Bradley, Dromorensis Episcopus in Hibernia, Apostolicæ Sedis Legatus in *Chronico* (b) *c.1.* de Elia principe Monachorum his adstipulatur verbis: *Elias, obtentu contemplationis Divinæ, & desideriô sublimioris perfectionis, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, & mundanis exuens, Religiosam, & prophetalem vitam Eremiticam primus hominum ducere cæpit, quam, Sancto dictante, & mandante Spiritu, instituit.* Istud Scripturarum, & Patrum testimoniis, confirmat. Ibidem infrà declarat, cur S. Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum *Duces Monachorum* dicantur: *Duobus autem modis dicuntur SS. Prophetæ Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum Duces Monachorum: primò, quià sunt primicerii omnium virorum Virginum, ut dicit Hieronymus in epistola ad Eustochium Virginem: secundò, quia sunt primicerii omnium Monachorum Eremitarum, sivè solitariorum, qui habitaverunt in eremo.* Quantum ad originem, & successionem Ordinis Carmelitani à S. Elia, plurimis æquivalet auctoritas Cantabrigiensis Universitatis, in judicio contradictorio per bina decreta, in quorum primo de Ordine Carmelitano, à S. Elia originem, & successionem habente, hæc, inter alia: *Auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà cum Chronicis, & Scripturis antiquis* &c. *Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisei; pronunciamus, decernimus, & declaramus.* Illud integrû, & etiam alterum, adferuntur in *Spec. Carm.* (c) Alterum decretum videatur hic suprà in Apparatu (d) Hoc ipso autem quo Carmeli Ordo, pariter etiam Monastica vita universim, à S. Elia initium habuit.

(a) nu. 19. pag. 8.

Thomas Bradley.

* al. Scropus.

(b) vid. in Spec. Car. to.1. num. 762.

Cantabrig. Universitas.

(c) n. 517. & 519.

(d) n. 19. pag. 8.

CAPUT VIII.

Ordinum Religiosorum Scriptores illustres, assertores monachatûs S. Eliæ, & ejusdem Patriarchatûs in Ordine Carmeli.

122. Assertores Monasticés, seu anachoresis Elianæ, & primatûs ejusdem in monastica conversatione, ac Patriarchatûs in Ordine Carmelitano, ex Ordinum præcipuorum scriptoribus pluribus aliquot dumtaxat retulisse satis hoc loco erit; tum vitandæ prolixitatis gratiâ, tum quòd in *Speculo Carmelitano* (a) plures adducantur, & ibi videri poterunt: variorum etiam verba adducta sunt jam antè, aut in sequentibus adferentur. *Monastices Eliana, & primatûs in ea assertores variorum Ordinum Religiosi.*

(a) tomo 1. num. 1239. & seq.

123. Canonicorum Regularium S. Augustini Hugonem de S. Victore hîc suprà audivimus de *S. Elia specioso deserti*, & similia ex Thoma à Kempis. Joannes Gilleman, de Sanctorum historiis bene meritus in *Martyrologio*, seu *Hagiologio* ad diem XXIX. Augusti agens de S. Joanne Baptista de illo, in cujus spiritu venit, ità scribit: *Hic vitam Eremiticam ab Elia Propheta institutam, adhuc puer assumpsit; vestium hispiditate, victûs parcitate, conversationis similitudine, parique mentis rigore Eliam semper exprimens*; & ad diem XIV. Junii: *Apud Samariam Palæstinæ, quæ nunc Sebaste dicitur, S. Elisei Prophetarum præcipui: qui primus post Eliam quadraginta & tribus annis sacræ Religionis Carmeli Pater extitit, & auriga*: & infrà: *Raptus magni Eliæ Prophetæ, Carmelitanæque Religionis Patriarchæ in cælum.* *Canonici Regulares.*

124. Ex Ordine S. Benedicti Ven. Bedam, & Petrum Damianum de eremitica S. Eliæ vita, & Rupertum Abbatem adstruentem *Eliam primum Auctorem Monachorum*, idque confirmantem auctoritate *Patrum Venerabilium*, & Gilbertum Genebrardum de Religiosâ vitâ, & Ordine Carmelitano ab Elia originem habente, jam ante audivimus. Joannes Trithemius Abbas ex eodem illustrissimo Ordine in peculiari libro *de ortu, & laudibus Ordinis Carmelitani cap.* 3. hæc habet inter alia: *Monastici propositi Princeps fuit Elias, & discipuli ejus: qui relictis urbibus sibi casulas circa Iordanis fluenta in deserto construxerunt*: Ibidem paulò antè: *De Monachorum Institutione dicit Hieronymus: Noster Princeps Elias est, Dux noster Eliseus &c. Erant isti viri de quibus dicit Apostolus: Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, egentes &c.* cap. 2. hanc statuit assertionem: *Elias Propheta Domini rectè, & catholicè Carmelitanæ Religionis fundator dicitur.* Istud confirmat ibi consequenter, & per totum librum. (b) Ex eodem illustrissimo Ordine alii plures in eamdem conspirant sententiam. Ji sunt Antonius Abbas Vercellensis in Cantica, Carolus Fernandez, Abbas Maurolicus, Leander Granatensis, relati ab aliis, Illustrissimus D. Caramuel cujus verba adferentur in *Ex Ordine S. Benedicti.*

(b) vid. Specul. Carm to.1 num. 1194. & seq.

(a) in Spec. Carm. to. 1. n. 1276. Ex Ord. Cisterciensi: (b) in vita V. M. Annæ à S. Barth. in sequentibus (a) Cisterciensis Ordo, Benedictini germen illustre est: ex eo Chrysostomus Henriquez, Ordinis illius Historiographus præfatis sic adstipulatur: (b) *Certum est, Ordinem Carmelitarum nomenclaturam accepisse à monte Carmelo, undè & originem trahit, & magnum Prophetam Eliam esse Patrem & Institutorem Religiosorum istius nominis.* Similia habet Sylvester Marulus ejusdem Instituti Cisterciensis *in Mari Oceano Religiosorum lib.* 4.

Ex Ord. Præmonstr. (c) de tripl. gen. Contempl. l. p. 3. §. 5. 125. Præmonstratensis candidi Ordinis scriptor antiquus Adamus (c) Eliam & Eliseũ velut perfectissima exemplaria abrenuntiationis seculi (quam perfecti Religiosi profitentur) exponit his verbis: *Pax tibi, vir Dei Elia: qui sanctam electorum perfectionem, perfectamque eorum in te sanctitatem ostendis; dum tanto studio maledictam & maleficam Iezabel, mundi scilicet hujus concupiscentiam, fugiendo declinas, & ad desertum, assumptis pennis columbæ, sub omni festinatione volas ... Pax itaque tibi, vir Dei Elia; qui zonâ pelliceâ renibus accingeris quià corporis castitate fulgescis.* Et infrà: *Pax tibi ô Elisee! qui sic Eliam sequeris, sic ejus ministrationi te dedis; ut patrem mundum, & matrem concupiscentiam, non per dilectionem, sed per abrenuntiationem deosculeris, mentis eis dorsum ex toto convertens.* Dionysius Mudzaert quæ tradat de libro Joannis XLIV. Patriarchæ Hierosolymitani (in quo peculiariter, de monastice S. Eliæ) annotatur in Vinea Carmeli. num. 209.

Ex Ord. Carthus. 126. Ex Ordine Carthusiensi Wernerus auctor *Fasciculi temporum*, de origine, & successione Ord. Carmelitici à S. Elia tractat variis locis: ità quidem (d). *Elias Propheta auriga Israël,* ET ORIGO RELIGIONIS CARMELITANÆ *Eliseo vivente rapitur.* Ad annum autem post Christum 1291. scribit, tum Ordinem perstitisse 2221. annis: ejus verba referentur in sequentibus. Ordinis ejusdem Ulricus de Herbipoli in libro *de Ordine Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmeli* rythmicè edito, hæc inter alia scribit.

(d) ad an. ante Chr. 923.

O Carmeli mons insignis,
Viam cæli monstras dignis:
Te Elias consecravit &c.

Et paulò antè

Castitatis qui insigne,
Paupertatis, ac benignè
Cælibatum nos instruxit. (e)

(e) Indè plura vid. in Spec. Carm. to. 1 n. 1308.

Ex Ord. Prædicatorum: 127. Ex Ordine Predicatorum audivimus S. Thomam, Eliam nuncupantem *Monachum*, & ex ejusdem principiis stabilitum ipsum monachum antonomasticè perfectissimum, in observantia votorum: de eodem, & discipulis, in magna paupertate, omniumque rerum abdicatione viventibus exponit ista S. Pauli verba: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes.* Dominicus Gravina, ejusdem Ordinis, conformiter scribit in libro *Vox turturis*, (f) ubi ista de Carmelo, & Elia, ejusque discipulis *Mons* (Carmeli) *verè celeberrimus, in quo fructuosus ille palmes Elias commoratus solitariam, ab hominum consortio semotam professus est vitam, quem primum colendæ virginitatis auctorem Patres & Doctores appellant, Obedientiæ & Paupertatis prototypum, quem Principem Monachorum Hieronymus vocat cum Eliseo, cum Filiis Prophetarum, qui habitabant in agris, in solitudine, & ædificabant sibi tabernacula circa fluenta Iordanis, ad quos allusit Apostolus: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Ibi consequenter, & rursùs *cap.* 27. varios Ordinis eventus, à primordiis Ecclesiæ ad hæc usque tempora prosequitur. Ex eodem Ordine asserti nostri fautores sunt Petrus Calvus in *Defensorio Religionum*, Ferdinandus de Castriglio, Franciscus de Aravio, relati ab aliis nostris Scriptoribus. De existentia Carmelicolarum in Ecclesiæ primordiis scribitur in Chronicis compendiosis Prædicatorum, ubi de JoanneTheutonico, & Hug. Cardinali, & in Historia ejusdem Ordinis per Jacobum Suzatum. Vincentius Baron ejusdem Ord. *to.* 2. *Homiliarũ* peculiariter tractat de origine Monasticès sub veteri Lege per S. Eliam, sic paucis multa complectens: *Elias tempore Legis scriptæ capit practicare eminentiorem perfectionem Euangelicam. Vota fecit Castitatis, & voluntariæ Paupertatis, & (ut ait S. Hieronymus) primus vexillum erexit vitæ Monasticæ.* Assertiones PP. Hyacinthi Boussemar, & Hieron. Wagner ejusdem Ordinis Prædicatorum, sunt istæ: *In antiqua Lege fuit vera Religio, cum votis essentialibus: non tam perfecta tamen, ac nunc in Lege gratiæ. Hanc in monte Carmelo, sancto dictante Spiritu, inchoavit, & fundavit Elias Propheta, verè primus Institutor & Patriarcha Ordinis religiosi. ... Enos adumbravit veram Religionem, Samuel delineavit, Elias inchoavit & fundavit, Christus perfecit.* (Conformiter doctrinæ hîc sup. (a) traditæ) Ista & alia ad præsens subjectũ, videri poterunt in Speculo Carmelitano. (b) Istis adstipulatur Eustachius de Rosario etiã Germanus in *Centuriis Concionatoriis* (c).

(f) parte 2. c. 15.

(a) nu. 38. & seq. (b) to. 1. num. 1564. (c) parte 2. Concion. de Fest. Commem. solem. B. V. M.

Ex Ord. Minorum: 128. Ex Ordine Minorum Nicolaus Liranus, Scriptor notissimus, de Elia, & discipulis ejus filiis Prophetarum, religiosè monasticè collegialiter viventibus, tractat variis locis, & quidem *in caput primum libri IV. Regũ*, explicans illa verba: *Factum est autem cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælũ: ibant Elias & Eliseus de Galgalis* &c. & sequentia, agens de circuitu S. Eliæ ante suum raptum, visitantis Filios Prophetarum, discipulos suos, hæc scribit: *In Bethel autem & Iericho manebant filii Prophetarum, ut patet in littera: & isti erant viri Religiosi simul collegiati: vacantes orationi & contemplationi ... Elias igitur ante translationem suam voluit videre loca ista: Galgalam propter loci sanctitatem: Bethel & Iericho, propter discipulorum suorum congregationem.* Quòd, & qualiter, isti collegialiter congregati à Samuele, posteà ab Elia instituti fuerint monasticè in observantia castitatis &c. declaratum est hîc suprà, *cap.* 1. *& seq.* & pleniùs de illis agetur *tract.* 4. *per totum.* Quàm arctã vitam isti duxerint, & Religiosis omnibus parcimoniæ exemplum præbuerint, declarat ad ista *cap. VI. lib. IV. Regum* verba: *Coque pulmentum filiis Prophetarum:* Subjungit Liranus:

Per

Per Prophetarum filios intelliguntur Religiosi ... Per hoc igitur quod factum fuit eis pulmentum, & non fit hîc mentio de aliquo condimento, significatur quòd Religiosi cibo parvo & vili debent esse contenti. Ioan. de Carthagena, ejusdem Seraphici Ordinis percelebris Homiliographus *lib. XVII. Homiliarum, hom. 1. 2. 3. & 4.* luculentissimè tractat de Monachatu S Eliæ, & primatu ejus in Monasticâ conversatione, de votis monasticis paupertate, castitate, & obedientia ipsius, & discipulorum, ac Ord. Carm. origine, & successione ab illo. In principio hanc statuit assertionem: *Prophetam Eliam primum sacræ hujus Carmelitanæ Religionis Institutorem fuisse (B. Virgine specialiter ad ejus conservationem posteà cooperante) primaque ejus fundamenta instar peritissimi architecti jecisse, probatione non indigebat, cùm tamquam rem notissimâ sancti Patres testentur, sacri Pontifices ei subscribant, ac diversarum traditionū monumenta confirment.* Ista autem luculenter & eruditè tradit, & quorumdam scrupulos removet, objecta diluit. Quia auctor percelebris, & notus, ac passim obvius, plura indè huc adducere haud opus est. Etiam ex S. Francisci Sobole numerosissima P. Cælestinus à monte Marsano Ord. Capucinorum, in libro cui titulus est: *Clavis David*, sive *Arcana Scripturæ sacræ* (a) hæc scribit de Elia: *S. Propheta Elias natione Thesbites, Prophetarum coryphæus, Anachoretarum in monte Carmelo, aliisque sacris Palæstinæ locis Religiosam vitam agentium supremus fuit Archimandrita ... Ipse etenim primus omnium mortaliū votivâ se castitate insignivit.* Ibi consequenter ista prolixè comprobat, & Ordinis successionem à S. Elia usque ad hoc sæculum contexit. Ex eodem PP. Capucinorum Ordine istis adstipulatur P. Procopius Brandeburgensis in suo *Mariali Dominicali* (b) excuso Salisburgi, recuso Monachii. Ordinis ejusdē eruditus Scriptor Iacobus Boulducus, in opere *De Ecclesia ante Legem.* (c) Cùm meminisset Carmeli & Oratorii, seu domûs orationis, nuncupatæ *Seunion*, ab Elia in Carmelo ædificatæ, agens de filiis Prophetarum, & Rechabitis, Eliæ, & Elisei discipulis, ac posteris, ait: *Quorum archimandritam posterioribus seculis fuisse Eliam, cui successit Eliseus, ambigendi non datur locus.*

Ex Ord. Capucinorū:

(a) observ. 79.

(b) Ser. 48.

(c) lib. 3. c. 16.

129. Ex Ordine Eremitarum S. Augustini Petrus Valderama in *Theatro Religionum* sermone de S. Elia, cui præfixus est titulus, *de magno Patriarcha Fundatore Ordinis nostræ Dominæ de monte Carmeli*; hæc habet: *Illustrissime Patriarcha, antesignane, & primum caput Religionum?* Ità quoquè Augustinus Paolettus in libro, cui titulus est: *Sanctuarium*: sub titulo: *In festo Prophetæ & Patriarchæ S. Eliæ, Institutoris Religionis Carmelitanæ*, sic, inter alia: *Elias caput, & Generalis Religionis Carmelitanæ, ex zelo divini honoris instituta.* Prosper Stellartius in opere *de tonsuris & coronis* gentiū, Judæorum, & Christianorum *lib. 2. c. 13.* cui titulum præfixit *De Elia Thesbite, Propheta, Religioso, Nazaræo, Piloso, Comato, Monachorum Patre, & Ordinis à se denominati fundatore; ejusq;* *discipulo Eliseo.* Ipsum S. Prophetam Eliam fuisse totius Monasticês Principem, & Carmelitanæ familiæ Patriarcham probat SS. Patrum, & Scriptorum plurimorū testimoniis. Scribit quoque ad intentum, alius Ordinis illius Baptista à Glano in *historia Pontificia*, ubi de Deodato ad ann. 615. & de Honorio III. ad ann. 1216. Basilius item Pontius *de Matrimonio lib. 7. c. 1.* & Leon. Coquius. (a)

Ex Ord. Eremitarum S. Augustini:

(a) apud Matth. à S. Joan. in Hist. Pa. neg. p. 1. c. 30.

130. Ord. Minimorum Generalis Ægidius Camartus, in opere inscripto *Elias Thesbites* (b) asserit, quòd Patres Græci, & Latini (quos recenset) *omnes unanimi consensu ex Scripturæ auctoritate Eliam Eremi incolam fuisse docent, & procul à matrimonio viventem in perpetua virginitate.* In eodem libro (c) tradit, etiam discipulos ejus plurimos, ipsius exemplo, & hortatione virginitatem coluisse, & illam aliis votis monasticis excoluisse, sicut ex eo traditum est hîc sup. (d) Ordinis ejusdē P. Philippus vander Beken, in libro *Zodiacus Religiosus*, (e) prolixè tractans de S. Elia, & Ordine ab eo instituto, sic auspicatur: *S. P. Elias Prophetarum Princeps, & Mariani Ordinis in Carmelo fundator*: mox sequitur: *Et tu Sacer Ordo Deiparæ Mariæ de monte Carmelo Religiosū nostrum Zodiacum illustres, veluti Monasticæ disciplinæ exordium, perfectionis Magisterium, ac omnis virtutis fulgentissimum speculum.* Et infrà: *Tuus institutor Elias velut ignis exortus est.* Ex Ordine Jesuatorum (à S. Joan. Columbino fundato) Paulus Morigia, in opere, *de origine Religiosorum*, Ordinum origines diligenter investigavit: is *libro* 1. differens de origine Carmelitarum, pluribus innixus auctoritatibus, Eliam ejus auctorem, & institutorem ostendit. Ejus testimoniū magni pendendum; tum quod specialiter istud investigaverit, & tractaverit; tum quod acris vir ingenii fuerit.

Ord. Minimorum:

(b) cap. 3. sect. 11.

(c) cap. 6. sect. 8.

(d) cap. 1. & 2.

(e) sub tit. SIGNUM NONUM SAGIT. ORDO CARM.

Ord. Iesuatorum:

131. Ex Ordine S. Hieronymi, Didacus Jepes Episcopus Turiasonensis in vita S. Teresiæ, (f) tractans de origine Carmelitani Ordinis, hęc de ea adstruit: *Parentes habuit Eliam, & Eliseum sanctos Prophetas: ac Matrem perpetuam Virginem sacratissimam: jacta fuerunt ejus fundamenta 923. annis ante Christi Domini nativitatem, atque ipsa conservata est Filiorum Prophetarum successione, cum magno rerum terrenarum despectu, cælestiumque, ac divinarum desiderio.* Michaël Palain, Gradensis, *Commentario in Euangelia*, (g) cum egisset de S. Elia, quem nuncupat *Doctorem*, de Ordine Carmelitarū subjungit. *Habuit Eliam, & Eliseum hæc sacra Religio Fundatores, & Principes.*

Ord. S. Hieronymi:

al. Yepes, (f) lib. 1. c. 1.

(g) in Tr. Append. de Joan. Castiano.

132. Ex Societate Iesu adduximus in antecedentibus Card. Bellarminū, nuncupantem Eliam *Principem Monachorum, & eremitarum*, idque confirmantem auctoritatibus Patrum, nec non Corn. à Lapide, Iacobū Tirinum, Paulum Schentner, de monastica eremitica vita S. Eliæ, & processu Ord. Carm. ab eodem. Capite sequenti adferentur Franciscus Suarez, Gaspar Sanchez (seu Sanctius) Iacob. Salianus. Conformiter scribunt Henricus Engelgrave in opere inscripto *Cælum Empyreum*, Iacobus Lobbetius in libro, *Gloria*

Ex Societate Iesu:

Patriarcharum, & alii, adducendi in Speculo Carmelit. (a) & præter istos alii tam multi, ut Thomas à S. Vincentio, Hispanus, Carmelita Discalceatus integrum Opusculum apologeticum pro monachatu S.Eliæ, & ejus Patriarchatu in Carmelitano Ordine confecerit ex solis auctoribus Soc.Iesu: duorum saltem, aut triū testimonia (præter jam ante adducta, & in sequentibus adducenda) hîc sufficient. Adrianus Adrianius, Belga, ex primis Soc. Iesu Scriptoribus librum elucubravit, typis editum Lovanii an. 1570. *De origine ac progressu vitæ monasticæ* in quo *cap.1.* ex Scripturis declarat *vitam communem conventualem Filiorum Prophetarum, discipulorum S.Eliæ & Elisei, simul in communi loco vescentiū, in magna paupertate, & parsimonia:* & illos nuncupat *Principes & Duces Monachorum.* Deindè agit de successione posterorum S.Eliæ, Filiorum Prophetarum, sub nomine Essenorū (quos rectè asserit eosdem, sicut plenius confirmabitur hîc infrà in Tract. V.) de quibus hæc inter alia: *Iudæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli, Hesseni appellati sunt, atque è vicinioribus Engaddi locis totam pervaserunt Ægyptum, quæ Schiti appellatur: sanctaq. suâ conversatione victoriam adepti sunt Euangelicæ veritatis; haud dubium post martyres ipsi Christianorum spiritales milites, ipsorumque fortissimi.* P. Nicolaus Lancicius, in libro *de rectè traducenda adolescentia c.19.* hæc habet: *Porrò primo loco inter Religiosos Ordines meritò (absit invidia) ponendus est Carmelitarum Ordo, quem suam originem à S. Elia Propheta ducere, & veteres & recentiores auctores asserunt,* & post adductas probationes subdit: *Hæc omnia judicio Sedis Apostolicæ firmata, nemo in dubium revocare debet* &c. P. Iosephus Andres, Hispanus, in libro cui titulus est: *Decor Carmeli, sive incluti Ordinis Carmelitani prærogativa in Synopsim redacta, ac multiplici Patrum, Doctorumque auctoritate firmata,* edito Cæsar-Augustæ an. 1669. in quo ita sub titulo: Decor Carmeli XXXIV. *Elias Propheta sanctissimus Ordinis Carmelitani parens, Institutorque clarissimus:* & titulo sequenti: *Quem* (Eliam) *Monastica vita Antesignanum Patrum & Doctorum asserta convincunt:* utrumque cumulatis auctoritatibus confirmat ibi, & in sequentibus, præsertim sub titulo Decor LXIII ex Scripturis sanctis, Sum. Pont. & sacræ Congreg. auctoritate, nec non Doctorum, & Scriptorum illustrium numerosa copia.

(a) to. 1. n. 1262, 1265. &c.

133. Ex Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei Hippolytus Maraccius in opere, Romæ excuso an. 1643. cui titulus est: *Fundatores Mariani,* cap.1. agit *De S. Elia Propheta Carmelitarum auctore:* quod luculenter demonstrat. Ex Congregatione Clericorum Regularium S.Pauli, vulgò Barnabitarum Florentius Schilling, Germanus, *in Mariali,* (a) hæc scribit de Carmelo, & Elia: *Excelsus est Carmeli mons, verùm excelsior in eo fundata Religio à SS.Vate Elia, Institutore, ac Generali omnium Religionum, eorumque Fundatorum.*

Ex Congreg. Cleric. Reg.

(b) Serm. de Scap. Carm.

134. Ex Congregatione Patrum Oratorii de Jesu, P. Joannes le Jeune, in opere inscripto *Missionarium* (a) tractans de Carmelitani Ordinis origine, sic eam *ex auctoribus antiquissimis* refert: (b) *Elias humillimam, & ferventem supra montem Carmelum effundens orationem, mandavit discipulo, ut respiceret versùs mare septem vicibus: in septima autem vice vidit nubeculam parvam, quæ accrescens attulit pluviam magnam. Elias tunc spiritu prophetico, & per Divinam revelationem cognovit, nubeculam illam esse typum Virginis nascituræ in septima mundi ætate, parva per humilitatem, sed veluti nubem fæcundam* (*Nubes pluant justum*) (c) *& ibidem instituit Ordinem sanctorum Eremitarum ad honorem istius Virginis incomparabilis.* Addit, eodem in loco post Christi ascensionem in cælum in honorem Matris Dei Capellam ædificatam fuisse. Ista autē plenius tradentur in sequentibus.(d) Et quidem quod S. Elias Virginis Deiparæ, & puritatis ejus *præscius, & imitator in spiritu* fuerit, disertè tradit vetustus Pater S.Methodius, in celebri homilia *de festo Purificationis,* seu *de Simeone & Anna*; unde aliqua adferentur in sequentibus (e) Quantùm ad domesticos Ordinis Carmelitici Scriptores, cùm externorum de Monachatu S.Eliæ, & Patriarchatu ejusdem in hoc Ordine, tam copiosus sit numerus, haud opus est domesticos huc advocare; satis sit, hîc suprà nonnulla audivisse ex Joanne Hierosolymitano (f) & Thoma Waldensi, (g) alii videri poterunt in Speculo Carmelitano to. primo (h).

Ex Congreg. PP. Orat. de Iesu.

(a) Le Messionaire de l'Oratoire.

(b) part. 4. Ser. CXVIII.

(c) Isaiæ 45

(d) tract. 3. (qui sequitur) cap. 12 & 17.

(e) tract. 3. seq. cap. 12.

(f) hîc sup. n. 93.

(g) n. 121.

(h) to. 1. parte 2. per totam.

CAPVT IX.

Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis, & sacr. Rituum Congregationis sensus circa S.Eliæ Monachatū, & Patriarchatū in Ordine Carmelitano.

135. Os et lingua Ecclesiæ an non meritò dicitur Romanus Pontifex? & quòd quodammodò *in ejus pectoris scrinio contineri* censeantur ea, quæ potissimè concernunt universam Ecclesiam? propetereà enim omnibus seculis ad ipsum, velut Oraculum, & arcem veritatis, in Ecclesiasticis controversiis gravioribus recurri solet. Istud autem, quod Summus Pontifex decernit, ab omnibus Catholicis reverenter ratum habetur. *Quod Sedes Apostolica approbat, approbatum est.* Ità decretum cap. 22. q. 1. *& quod à Romano Pontifice roboratur, ipso jure canonico approbatum censetur,* ut patet *extravag. de electión.* cap. *significasti XIX.* cap. *Si Romanorum.* Exempla ejus rei in Ecclesiasticis historiis ab exordio Ecclesiæ Christi usque in præsens plurima, & continuata sunt: sufficiant hic binæ recentiores: Apostolicæ Sedis auctoritate finis impositus fuit diuturnis contentionibus (sæpè non sine scandalis) circa mysterium Conceptionis Immaculatæ. Sic quoque Summi Pontifices cohibuerunt impugnatores votorum simplicium in Societate Iesu

Rom. Pont. est velut os, & lingua Ecclesiæ:

& velut arx veritatis, ac judex controversiarum Eccl.

ideo quod approbat, jure approbatum censetur;

Iesu, decernentes, *quòd per illa efficiantur veri Religiosi*. Ita Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: ASCENDENTE DOMINO, anno 1584. edita. Pari igitur ratione firma & rata habenda ea, quæ Apostolica Sedes tradit de S. Eliæ Monachatu & Patriarchatu in Ord. Carmelitano; eo autem ipso, quo in Carmelo vitã Religiosam Monasticam exercuit, & tradidit aliis, & isti sequacibus, primus, fuit Monachus, ac Monachorum Princeps.

igitur ut rata, & certa habenda, de S. Elia, à Rom. Pont. tradita,

136. Sed quid Pontifices de S. Elia? plures in suis Bullis, seu Diplomatibus Ordini Carm. concessis, sic loquuntur: *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes*. Ita Sixtus IV. in Bulla cujus initium est: *Dum attenta*, data an. 1476, Bulla illa extat in *Bullario Ordinis*, inserto *Speculo Ordinis* typis edito Venetiis anno 1507. nec non in *Bullario Roderici*, in Sixto IV. num. 37. iisdem terminis loquuntur Innoc. *VIII*. in Bulla confirmatoria Privilegiorum Ordinis, data an. 1484. tertio Kal. Febr. Julius II. in Bulla cujus initium est: *Ad Sacrum Ordinem*, data an. 1504 (habetur in dicto *Bullario Ordinis* impresso an. 1507) & Greg. XIII. in Bulla: *Vt laudes*, data an. 1577. habetur in *Bullario Roderici*. Ante istos Ioannes XXII. & Alexander V. explicatissimè in suis Bullis tradunt, *Ordinem Carmelitarum per Eliam, & Eliseum, in monte Carmelo inchoatum*. Clem. VIII. similiter in diversis Diplomatibus suis, apertissimis verbis, Patriarchatum S. Eliæ in Ordine Carmelitano, & hæreditariam successionem adstruit: imprimis in Bulla, *Apostolicæ dignitatis*, data pro PP. Discalceatis, in qua ista: *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei, aliorumque sanctorum Patrum, quorum hæredes sunt, vestigiis insistentes, incumbunt*. Ubi notanda ista: *Vestigiis insistentes SS. Prophetarum Eliæ & Elisei &c quorum hæredes sunt*. Et in Bulla, seu Apostolicis litteris ad Sciahabam Regem Persarum, datis 5. Octobris 1604. ad ipsum per aliquot Patres Carmelitas Discalceatos missis, in quibus hæc, inter alia: *Habuerunt olim Religionis hujus Professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoria proditum est, sui Instituti auctores sanctos Prophetas Eliam & Eliseum, omnibus nationibus & gentibus notos*. Notanter ait: *sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoria proditum est*. Igitur etiam inter Romanos Pontifices ista est traditio, quòd *S. Elias auctor* sit monastici, & peculiariter Carmelitici instituti. Ordinem namque suum in Carmelo fundando, eo ipso etiam Monasticen, seu Statum Religiosum Monasticum instituit.

quod ab eo Carmeli Ordo originem, & successionem habeat:

id perspicuè & expressè asserunt Pontifices plures:

137. Ista quantæ censenda auctoritatis, & qua veneratione suscipienda, expendunt, & ponderant Francisc. Suarez, Gaspar Sanctius, Jacobus Salianus, Ioannes Carthagena, Corn. à Lapide, Iacobus Tirinus, & complures alii: & quidem Sanctius, in Commentario super libros Regum (a) cum tractasset de S. Eliæ virginitate perpetua, discipulis illius, & Carmeli Ordine ab eo inchoato, inter varias rationes hæc una est: *Accedit ad hæc à Pontificum judicio gravissimum pondus, quô sacrũ hunc Ordinem ab Elia disciplina atque instituto exordium habuisse testantur. Ita sanè in suis Bullis Sixtus IV. &c. qui docent familiæ Carmelitanæ viros ab Elia & Eliseo hæreditariam successionem tenere. Hæc mihi gravissima sunt*. Ita quoquè Franciscus Suarez, (a) cum hanc statuisset assertionem: *Certum est Eliam vitam eremiticam coluisse*, quam deindè luculentiùs ex Scriptura, & Patribus confirmat, deindè peculiariter de Carmeli Ordine ab eodem instituto, illam Pontificum auctoritatem sic ponderat: *Est autem valdè recepta, & satis antiqua traditio, Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signatim ab Eliæ institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit: quam traditionem, ut veram suscipimus: præcipuè quia Summi Pontifices, Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius II. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini concessis de professoribus hujus sacri Instituti ità loquuntur: Tamquam Religionis speculum & exemplar charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum Eliæ & Elisei, & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes &c. Vndè Sixtus V. huic Religioni concessit, ut Eliam, & Eliseum tamquam suæ Institutionis Patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando: quod ipsa Religio studiosè servat, & in ipso officio nomen, & solemnitatem Patroni Eliæ tribuunt.*

quanti ponderis censenda tot Pontificum auctoritas,

(a) in c.17. libri 3.

expendunt Sanctius,

(a) de Relig. to. 4. tr. 9. l. 2. c. 10.

Suarez, & alii,

138. Iacobus Salianus (b) eamdem Pontificum auctoritatem pro coronide appendit. Ita quoquè Ioannes Carthagena (c) qui denique addit: *Quamvis autem prædictorum Pontificum testimonia non id tradant tamquam rem fide divinâ credendam; infra limites tamen humani testimonii, nullum majus, aut firmius proferri potest, quàm tot Summorum Pontificum testificatio*. Concinit istis Ildephonsus de Flores (d): *Et quidem vel unum ità scripsisse Pontificem suffecisset, nedum tot tamque doctissimos, ut nemo prorsùs de veritate ambigeret. Sed quantò id meritò affirmarint, opera pretium erit judicare.*

(b) in Annal. vet. Test. to. 4. ad an. mundi 3139. n. 44.

(c) lib. 17. Homil. homilia 1. ad object. 5.

(d) in Comment. ad c. 24. Eccli. parte 3. sect. 36.

139. Summo Pontifici suppar est Sacr. Rituum Congregatio, ab ipso Pontifice auctoritatem participans: est autem cœtus aliquot non minus doctrinâ, & morum gravitate, quàm purpurâ Eminentiss. Cardinaliũ, & aliorum adjunctorum selectorum assessorum, & Consultorum, ex institutione Sanctissimi & supremi Ecclesiæ moderatoris. Quanta sit in Ecclesia auctoritas, & quanti momenti, & ponderis censenda sint ista, quæ illa approbat, perpendendum ex fine, in quem Congregatio illa instituta & ex quibus hominibus constituta sit. Congregatio autem ista plura approbavit in Missis & Officiis divinis canenda & legenda, in quibus expressè, traditur, *à S. Elia institutum Ordinem Carmeli*, & illius sequaces, ac posteros perstitisse usque ad Christi Domini adventum, &

Congregatio Sacr. Rituũ quid:

quanta auctoritatis ab ea approbata:

approbavit plura officia canon.

tunc

in quibus S. Elias nuncupatur Ord. Carmeli institutor:

(a) to. 1. n. 1247. & to. 2. n. 1972. & seq.

tunc eos Euangelicam fidem amplexatos fuisse: & in variis expressè nuncupatur *Elias institutor Ordinis: & Religio à S. Elia instituta*, sicut videre licebit *in Speculo Carmelitano* (a).

Officia illa sæpè approbata fuerunt,

140. Pleraque autem officia illa, non semel atque iterum, sed sæpius examinata, recognita, & approbata fuerunt sub variis Pontificibus: & quidem an. Domini 1587. tempore Sixti V. Romani Pontificis, cùm PP. Carmelitæ Discalceati, relicto Breviario Hierosolymitano, in Carmelitano Ordine seculis multis usurpato, ex Apostolicæ Sedis indulto, acceptassent Breviarium Romanum, proposuerunt Summo Pontifici Sixto V. *Quòd ab antiquis temporibus in Ordine dies festi, in honorem B. Virginis Mariæ, & quorumdam Sanctorum, solemniter celebrari consuevissent*, supplicaruntque, *ut illas solemnitates, & officia propria retinere possent.* Pontifex autem Officia illa duobus Cardinalibus commisit revidenda, corrigenda, & approbanda, ut patet in Bulla Sixti V. cujus initium est: *Dilecti filii .... Eximium quod in vobis elucet* &c. data 27. Junii 1587. in qua hæc inter alia: *Quià vetus jam diu viget in vestro Ordine laudabilis consuetudo, dies festos in honorem B. Mariæ, & quorumdam Sanctorum solemniter celebrandi.* Officia autem festorum illorum per deputatos Cardinales revisa, & approbata, ab ipso Summo Pontifice fuerunt Apostolicâ auctoritate concessa his verbis: *Tam in Missa, quam in recitandis horis canonicis, diurnis, & nocturnis, modum, ac formam descriptam illi quaterno, seu libello, per Dilectos Filios nostros Antonium, Sanctorum Ioannis, & Pauli, Carrafam, & Vincentium, S. Mariæ in via, titulorum Presbyteros Cardinales montis Regalis nuncupatos, de mandato nostro reviso, correcto, & approbato, in hoc observetis, & nihil penitùs addatis, aut minuatis, plenam, & liberam licentiam, & facultatem auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus. ... Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Iunii 1587. Pontificatus nostri anno tertio.* Officia illa rursus recognita fuerunt sub Paulo V. anno Domini 1609. & sic Romæ, & alibi impressa. In fine subscriptum est: *Robertus, titulo S. Mariæ in via, Presbyter Cardinalis Bellarminus*, & inferiùs: *Dominicus Episc. Hostiensis, Cardinalis Pinellus*: & infra *I. P. Mucantius Secretarius Congregationis.* Sub Urbano VIII. Officia illa, & nonnulla alia, iterum recognita, & approbata fuerunt, per Decretum hujus tenoris: *Officia suprascripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum &c. ab Illustrissimo & Reverendissimo Cardinale de Torres recognita, & subscripta, & quorum aliqua aliàs, sub die 20. Iunii 1609. ab Illustrissimo & Reverendissimo Cardinale Bellarmino, de mandato Sacr. Rituum Congregationis revisa, & approbata fuerunt, eadem sacra Congregatio, ut ab universo Carmelitarum Ordine liberè, & licitè recitari, ac etiam, pro majori commoditate, imprimi possint, licentiam, & facultatem dedit, & concessit, die 12. Junii 1628.* subscriptum erat: *Cos. Cardinalis de Torres.* Et infra: *F. Fulvius Benig. Secretarius.* Locus ✠ SIGILLI. Inter Officia autem illa, toties examinata, & recognita sub variis Pontificibus, & eorumdem auctoritate approbata, sunt Officia propria (cum Octavis plenis) SS. PP. Eliæ & Elisei, tamquam Patrum, Auctorum, Institutorum, & Fundatorum Ordinis, à quibus Ordinis origo, & successio hæreditaria continuata tenetur.

recognoscentibus Cardinalibus, Antonio, & Vincentio Montis Regalis, de Torres, & Carpineo:

141. Officium autem in Ordine solemnissimum illud est, quod nuncupatur *Commemoratio solemnis B. V. Mariæ de monte Carmelo:* quod etiam non semel, iterumque, sed sæpius, auctoritate, & jussu Sum. Pont. examinatum, recognitum, & approbatum fuit solemniter, subscribentibus præfatis Eminentiss. Card. Bellarmino, & Pinello, ac deinde de Torres, & denique iteratis vicibus Carpineo: & istud Officium non tantùm pro Ordine Carmelitano, sed etiam pro omnibus regnis, & provinciis hæreditariis Imperatoris, ac Regis Hispaniarum approbatum, & recitari jussum est à SS. Domino Clemente X. & inde quædam desumpta dedimus hîc suprà in Apparatu (a). In illo Officio clarissimè traditur Ordinis à S. Elia successio usque ad S. Joannem Baptistam, ac Christi in cælos ascensionem, & Spiritus S. missioné, ac deinceps. Et ista, auctoritate Apostolicæ Sedis, à præstantissimis Cardinalibus, toties examinata, recognita, approbata, subscripta; Scripturarum sanctarum, Patrum, antiquorum monumentorum, & illustrium Scriptorum auctoritatibus conformia esse, perspicuè contemplari licet in *Speculo Carmelitano*, variis locis. (b) Ita quidem, ut fidenter dicere, asserere, & reciprocare liceat, Ecclesiasticam historiam vix ullam gravioribus niti fundamentis, quàm illa bipartita: S. ELIAS PROPHETA EST PATRIARCHA, AUCTOR, INSTITUTOR, FUNDATOR ORDINIS CARMELI, ET PRINCEPS PRIMUS CONVERSATIONIS MONASTICÆ.

(a) hîc suprà n. 29. pag. 12. col. 2.

& ista conformia sunt Scripturæ, & Patribus.

(b) tomo 1 quasi per totum; to. 2 n. 2003. & seq. & n. 2005. ac seq. n. 2007 & seq.

142. Ista autem omnia hic jam ante dicta, & consequenter dicenda, ac alibi adferenda de Monastice S. Eliæ, & ejus primatu in illa, pariter in statera rationis appensa, & & librata, an non ità perspicua, & certa censenda; ut si fortè cupiam persuadere veritatem illam non possint, *nec si solem in manibus gestet* (ut loquitur Lactantius Firmianus) *nec si sol eam suis exscripserit radiis, eam illi persuadere possit.* Ità scriptor quidam eruditus (c): Et istis hactenùs præmissis volupe erit & utile magni istius Prophetæ Eliæ, Monasticés totius Principis, primi, prærogativas, & gesta quædam præcipua contemplari. Vita autem ejus prolixior tradetur in Speculi præfati tomo 2. sub initium.

(c) Thom. Aquin. à S. Jos. in Dissert. de Patr. S. Eliæ parte 2. sect. 13.

S. PRO-

S. PROPHETÆ ELIÆ

Primi Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & istorum omnium Auctoris, Institutoris, Fundatoris, ac Principis, præcipuæ prærogativæ, & gesta, in 41. Imaginibus expressa:

Ex Scripturis sanctis, Patribus, & Doctoribus, ac Scriptoribus præcipuis illustrata.

TRACTATUS III. SPECULI STATUS RELIGIOSI.

143. INspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte, (a) in monte Carmelo. Religiosus, Monachus, Eremita, Anachoreta quilibet id sibi dictum meritò reputare potest de S. Elia Propheta Sacro-sancto: *Sacro-sanctum* nuncupant Metaphrastes, Aloysius Lipomanus, Laurentius Surius, *in ejus vita*, & alii; Deo enim seipsum totum, omniaque sua consecravit primus, corpus suum per castitatem virginalem, animam, & voluntatem, abdicatione propriæ voluntatis; bona omnia externa, cultu summæ paupertatis; *nihil sibi ipsi reservans, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, Omnipotenti Deo immolans* (b) & consecrans totaliter, & perfectissimè, ideò meritò dicitur *Sacro-sanctus*, estque hac ratione monachus antonomasticè perfectissimus; nam, juxta doctrinam S. Thomæ (c) *antonomasticè Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant Divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes.* Atque ita S. Elias exemplar est perfectissimum conversationis Religiosæ-monasticæ. Hinc magnus Antonius *secum reputabat, oportere Dei famulum* (Religiosum Monachum) *ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud Speculum vitam suam debere componere:* ita quoque veteres monachi alii. Vita ejus, & virtutes traduntur in Speculi Carmelitani Tomo 2. Ideò hoc loco exhibentur dumtaxat præcipuæ vitæ ejus historiæ breviter traditæ, & expressæ in 41. Imaginibus. Imagines enim, seu picturæ quam utiles sint, Sacro-sancta Synodus Tridentina (d) nos docet his gravissimis verbis: *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam:* & infrà: *Ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solùm quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit.*

(a) Exo. 25.

S. Elias nuncupatur SACRO-SANCTUS; *quia se totũ Deo consecravit.*

(b) ut loquitur S. Greg. hom. 20. super Ezech.

(c) 2. 2. q. 186 art. 1. in corp.

estque Religiosus antonomastice perfectissimus.

(d) sess. 25. de ven. SS.

Imaginum sacrarum utilitas & usus.

144. Propterea vetustissimus est in veteris & novi Testamenti Ecclesia, & à Patribus, & in pluribus aliis sanctis Conciliis comprobatus usus sanctarum imaginum, sicut luculenter tradit Thomas Waldensis adversùs hæresiarcham Witcleff rescribens in *Doctrinali antiquitatum fidei* (a) ubi docet, quòd olim etiam Judæi sacras haberent quoque imagines, videlicet duo Cherubini in Tabernaculo, Serpentem æneum, aliasque in templo Salomonico, & alibi historiam S. Eliæ Prophetæ, curru igneo, & equis igneis rapti in cælum; adscripto verisimiliter nomine ELIAS. Quam cùm Gentiles in pariete depictam vidissent, viciniâ decepti nominis, SOLIS, crediderunt Solis transitum per cælos esse designatum; & miraculum in ELIA divinitùs factum commutaverunt in argumentum erroris; etenim SOL Græcè Ἥλιος dicitur; hinc Sedulius

Quàm bene fulminei prælucens semita cæli
Convenit HELIÆ, *meritoque, & nomine, fulgens,*
Hâc ope dignus erat; nam si sermonis Achivi
Vna per accentum, mutetur littera, SOL *est.*

Et ista obiter de raptu S. Eliæ, olim in imagine, seu pictura expresso. Quantùm ad antiquissimum sacrarum Imaginum usum, & utilitates ex eis, plura videri poterunt apud eumdem Waldensem (b) qui consequenter ex S. Gregorio declarat, *quòd Imagines sint media delectandi in Deo, & Sanctis ejus. Vt dum picturam vides, ad illum animo inardescas cujus imaginem consideras: & per visibilia invisibilia demonstrantur.* Ità ibi Waldensis (c) ex Gregorio, & paulò infrà, ex eodem: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt.* Sic S. Anastasius, Martyr illustris, visis Martyrum imaginibus martyrii desiderio incensus fuit: De Julio Cæsare, vidente Alexandri Magni imaginem, & ingemiscente, nota est historia. Itaque Elianæ historiæ præcipuæ, & gesta, ex Scripturis sanctis, Patribus, & illustribus Scriptoribus tradita, & illustrata, etiam in imaginibus hic consequenter perutiliter oculis objiciuntur. Ad lectionem autem & contemplationem subsequentium movet, ac allicit etiam istud, quòd pleraque consistant in summo culmine certitudinis; utpotè in Scripturis sanctis, à Spiritu sancto dictata: mirâ etiam varietate oblectant, & instruunt.

ideo earum usus antiquiss.

(a) tom. 3. tit. 19. cap. CLI.

Solem curru vehi finxerint Gentiles.

(b) eodem tomo & titulo ac cap. & seq.

(c) eod. tit. cap. CLIII.

imago idiotis servit pro Scriptura.

Eliana historia certissima.



Hic ſtat, o viator, cœlitus ille divini honoris zelotes Elias, *qui ſurrexit quaſi ignis, et verbum ipſius quaſi facula ardebat*
Patriarcha eximius, Propheta ſanctiſſimus, Sacerdos ſummus, Monachus primus Monaſtices auctor, Deiparæ præc
cultor, et imitator. Futurus Chriſti præcurſor, Apoſtolus, et Martyr; quem tanquam mundi prodigium orbis
oraculum, gratiæ et naturæ monſtrum, vivum adhuc hodie terra poſſidet, cælum expectat, eccleſia colit, et
totus veneratur orbis.

CAPUT I.

Prærogativæ præcipuæ S. Eliæ Prophetæ.

(a) Eccli. 48.

Encomiastes S. Eliæ Spiritus S.

145. SPiritus sanctus (a) hunc in modum S. Eliæ præconia auspicatur: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*: sequitur: *Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi.* Ista, & alia, quæ sequuntur (b) dictata à Spiritu sancto, tam sublimia sunt præconia, ut de puro homine vix majora dici queant; propterea dicitur: *Quis potest similiter sic gloriari tibi?* nec additur ulla responsio; quia nondum talem viderat orbis; ideò Græcus textus habet: *Quantam gloriam consecutus es, ô Elia, mirabilibus tuis? & quis potest similiter ac tu gloriari?* Etenim *Elias Thesbites inter veteris instrumenti prophetas vitæ sanctimoniâ, invicti animi fortitudine, virginalis pudicitiæ castimoniâ, laborum tolerantiâ, dicendi libertate, maceratione corporis, paupertatis amore, solitariæ vitæ institutis, discipulorum multitudine, ac celebritate, indefesso orandi studio, atque orationis efficaciâ, divinæ gloriæ zelo, miraculorum splendore, rerum gestarum copiâ, postremo exitu mirabili longeq; mirabiliori regressu excelluit*, inquit Elianæ historiæ illustrator insignis Ægidius Camartus, Generalis Minimorum (c).

(b) Eccl. 48.

sublimia ejus præconia prædicant;

cælsarum virtutum ejus epitome;

(c) in libro: ELIAS THESBITES sive de rebus gestis Eliæ in præfat.

146 Nuncupatur CÆLICUS DIVINI HONORIS ZELOTES; flagrantissimum ejus zelum indicant ista ipsius reciprocata ad Deum verba (d) *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Hinc promeruit singularissimi triumphi prærogativam, de qua S. Ambrosius (d) *Elias propter zelum Dei, curru elevatus in aërem, cælestis Sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu.* Vocatur PATRIARCHA EXIMIUS, Patriarcha, Dux, Princeps Carmelitani Ordinis; quinimò Religiosorũ omnium. PROPHETA SANCTISSIMUS. De ejus sanctitate peculiariter, eruditè disserit præfarus Camartus (e) sub isto titulo: *An Elias reliquos veteris Testamenti Prophetas superaverit.* Respondet: *Quærimus an rectè concludere possumus ex iis quæ Scriptura tradit de Elia, & reliquis prophetis, ipsum eos omnes superasse. Et quidem affirmativè respondendum censeo. Talis enim est omnium Patrũ, quos quidem videre mihi concessum est, communis sententia, dum inquirunt quâ potissimum ratione Christus Dominus voluerit, ut in transfigurationis suæ gloria Moyses & Elias præsentes viderentur cum Apostolici ordinis coryphæis. Cui quæstioni respondent, id eâ ratione factum, ut Christus à lege quæ per Moysen, & à prophetis, qui per Eliam significabantur, testimoniũ accepisse crederetur, Moysen verò specialiter delegit quia inter legislatores primatum obtinet: Eliam verò quia prophetarum summus est. Talis est in epitome Patrum sententia.*

(d) Serm. 7.

cur dicatur zelotes:

(e) de gestis Eliæ cap. 6. sect. 8.

Propheta sanctissimus.

147. SACERDOS: S. Isidorus (f) eum nuncupat *Sacerdotem magnum*; S. Epiphanius, & alii tradunt, eum fuisse de tribu sacerdotali Aaron. MONACHUS PRIMUS, sicut habetur ex ante dictis, & confirmabitur in sequentibus. DEIPARÆ PRÆCO, CULTOR, IMITATOR: id uberius declarabitur infrà cap. 2. FUTURUS CHRISTI PRÆCO; nam sicut S. Joannes fuit præco Redemptoris; sic & Elias futurus est præco venturi Judicis: pariterque erit Christi Apostolus, & Martyr. MUNDI PRODIGIŨ, ORBIS ORACULUM, GRATIÆ ET NATURÆ MONSTRUM: quæ pervia sunt consideranti gesta ejus, & exitum mirabilem, ac regressum mirabiliorem. VIVUM ADHUC HODIE TERRA POSSIDET, CÆLUM EXPECTAT; nam *Elias non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, non corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo non est translatus.* Ità Tertullianus libro de anima c. 35. ECCLESIA COLIT, ET TOTUS VENERATUR ORBIS. De ejus in Ecclesia Græca, & Latina cultu ab antiquissimis temporibus, quędam adducentur in sequentibus, & plura in Speculo Carmelitano: satis sit, hìc audivisse, quæ Cardinalis Baronius, ad ista Martyrologii verba: *In monte Carmelo S. Eliæ Prophetæ*, annotat: (a) *Agunt & Græci de eodem hac die in Menologio; sicque colunt, ut abstineant à servilibus operibus.* Hinc in hymno Menologii Græcorum de eo canitur:

(f) de obitu Sanct.

præconia ejus alia:

(a) ad diem XX Julii.

> *Orbi terrarum beneficia tribuis,*
> *Et laudibus ubique celebraris.*

Et in hymno Ecclesiæ apud Latinos (b)

> *Audiat miras oriens, cadensque*
> *Sol tuas laudes, mare, terra, & aër.*

(b) ad 2. Vesp. officii S. Eliæ.

148. Patres, & Doctores etiam eximiam Eliæ sanctitatem eruunt ex istis Christi verbis (c) de S. Joan. Baptista: *Ipse est Elias*: quibus Christus Joannem assimilat Eliæ, & reciprocè Eliam Joanni, quó, teste ipso Christo, *major non surrexit inter natos mulierum*, inter cujus tot illustria encomia, tamquam clausula ponitur: *Ioannes ipse est Elias.* Christus autem Joannem vocat Eliam non in persona, sed ob similitudinem, & paritatem gratiæ. Ita S. Thomas in hunc textum, & S. Hieronymus in eumdem, ita scribens: *Elias ergò Ioannes dicitur, non secundùm stultos Philosophos, & quosdam hæreticos, qui metempsychosim (hoc est animarum transmutationẽ) introducunt, sed quia venerit in spiritu, & virtute Eliæ: sed & vita austeritas, rigorq; mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt. Ille in eremo, iste in eremo: ille zonâ pelliceâ cingebatur, iste simile habuit cingulum:* &c. Non mirum, quòd nomen Eliæ sibi acquirat Joannes, qui Eliæ omnes exercebat virtutes; sic & dicere solemus ad exprimendam virtutem bellicam, ac generositatem alicujus magni viri; est alter Alexander magnus, Iulius Cæsar, &c. sic & ad declarandã alicujus magni Doctoris sapientiam: est alter Aristoteles, Augustinus, vel Hieronymus; sic & ad significandum quantus, & qualis esset Ioannes, dicitur de eo, *Elias est:* Ita noster Ioannes de Sylveira in illum textum (d). *Quid magnificentius, quàm Eliæ nomen ita esse illustre, atque gloriosum, ut ejus imitatio ac nomen potuerint Ioannem Baptistam supremum Christi prodromum honorare.* Ita Alcazar (e).

(c) Matth. 11.

sanctitatis eximiæ Eliæ testimonium à Christo,

assimilatio Ioannem Bap. Eliæ.

(d) tom. 6. in Euang. Additamento in D. Matth. in cap. 11. quæst. 4.

(e) in c. 11. Apocal.



Viri niveum præſeferentes habitum ELIAM dum naſcitur ſalutant, matriſque uberibus in ig[illegible] alluunt, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrant, prout Sobachæ ejus parenti in ſomni[illegible] revelatur. *S. Epiph. l. de vit. Proph.*

CAPUT II.

In nativitate S. Eliæ viri albis amicti palliis pusionem salutantes, & ignem loco cibi ministrantes.

S. Eliam nascentem viri albi apparentes salutant:

149. S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus ante annos mille trecentos, in libro *de vita Prophetarum*, rem his tradit verbis: *Elias Propheta ex Thesbis erat . . . Quem cùm eniteretur parens ejus, ejusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niveum quemdam præferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant.* S. Isidorus Hispalensis istis conformia ante annos mille (circa ann. Christi 630. juxta Bellarminum) in libro *de ortu, & obitu Patrum* scribit: *Nascentem Eliam viri candidis utentes vestibus salutabant. Quem in igneis institis fascibus obvolvebant, atque pro cibo ignem ei, ad nutriendum, subministrabant.* Simeon Metaphrastes ante annos octingentos (circa ann. 859. ut scribunt Cardinales Bellarminus, & Baronius) in vita S. Eliæ sub initium, sic historiam illam commemorat: *Hic ergò vir Sacro-sanctus, & divinus, cùm esset ex tribu Aaron, & natus in Arabia, tempore ortûs sui, quo est in lucem editus, viros candidis vestibus indutos vidit ejus Pater, & eum in igne ligantes fasciis, & dantes flammam ignis, quâ vesceretur.* Aloysius Lipomanus Episc. Veronensis, & Laurentius Surius ad diem 20 Julii, in eadē vita S. Eliæ eadem referunt. Historiam eamdem recipiunt, & tradunt, Cassiodorus, Magister historiæ scholasticæ ad c. 2. lib. 4. Reg. Hugo Cardinalis, Petrus Canisius, Jacobus Salianus Annalista veteris Testamenti, in Annalibus: Cornelius à Lapide, Gaspar Sanctius, & alii plurimi, relati à P. Lezana, *to. 1 Annalium, ad ann. mundi 3123. ante Chr. 930.* De illa autem historia prolixiùs tractat Ægidius Camartus, in opere inscripto *Elias Thesbites, c. 3. sect. 16.* ubi copiosè & eruditè disserit, an tunc Elias pusio ab Angelis salutatus, & igne cibatus, ac igni, quasi fasciis involutus, fuerit sanctificatus? Historiam illam etiam refert vetustus P. Dorotheus, *in Synopsi Prophetarum*, quæ habetur in *Bibliotheca Patrū* to. 7. editionis Parisiensis. Verba ejus, cùm agit de ortu S. Eliæ, ista sunt: *Cùm nasciturus esset, pater ejus Sabacha, vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne, tamquam fasciis involvi, & flammâ ignis, veluti cibo ali.* Ægidius Camartus, Generalis Minimorum, variâ eruditione insignis, in opere præfato *Elias Thesbites, c. 3. sect. 16.* luculenter agens de illa visione, & disserens, an tunc Elias in utero matris adhuc, aut nascens, fuerit sanctificatus, sicut S. Joan. Baptista, & S. Ieremias Propheta, de isto Dorotheo ista tradit, quòd fuerit *Tyri Episcopus, quem historiæ tradunt, Diocletiani temporibus, & posteà Licinio persecutionem movente, in exilium, ob Christianæ fidei defensionem actum: unde posteà Constantini, atque Constantis auspiciis liberatus, ipse grandævus, atque annos centum & septem natus, martyrium sub Iuliano Principe subiit.* Cum retulisset, quosdam contendere, Synopsim illam esse recentioris Dorothei, subdit: *Nolim ego ea de re contentiosiùs disputare, sed tamen, quidquid sit, certum est, auctorem Synopsis venerandæ antiquitatis esse.*

igne cibant.

Historiam illam tradunt S. Epiphan. S. Isidorus, Metaphrastes, & alii plures illustres Scriptores.

in libris indubitatæ fidei:

150. Quòd liber *de vitis Prophetarum*, in quo historiam præfatam tradit S. Epiphanius, verè sit S. Epiphanii, confirmant Molanus, & Cardinalis Baronius, illius auctoritate sæpè utentes, in notationibus ad Martyrologium: & Cardinalis Bellarminus, libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, recensens eum inter opera S. Epiphanii, & addit: *De his operibus nulla est dubitatio.* Similiter quod liber præfatus, *De vita, & obitu Sanctorum*, sit S. Isidori, constat ex auctoritate gravissimorum Scriptorum, continuatâ ferè serie mille annorum; videlicet mox ab obitu S. Isidori, usquè ad præsens seculum: illi videri poterunt in principio operum S. Isidori * videlicet Braulio, seu Braulo, Episcopus Cæsaraugustanus, ante mille annos, Sigebertus Gemblacensis, Ioannes Trithemius, Cardinalis Bellarminus: qui omnes recensentes opera S. Isidori, inter ea indubitata, referunt Librum *de obitu, vel ortu Patrum*, in quo S. Isidorus historiam illam visionis præfatæ commemorat. Ita quoque de Metaphraste, Lipomano, Surio, Magistro historiæ scholasticæ, quòd opera, in quibus referunt illam visionem, sint genuina ipsorum, hactenùs dubitavit nemo. Historia illa etiam Apostolicæ Sedis auctoritate inserta est Divinis officiis, & quidem auctoritate Sixti V. per Bullam cujus initium est: *Dilecti Filii: Eximium quod in vobis* &c. datam 17. Iunii an. 1587. in qua approbat Officia propria revisa, &c. inter quæ est Officium S. Eliæ ad diem XX. Iulii, postmodùm etiam recognitum & approbatum anno 1609. & 1628. subscribentibus Cardinalibus Bellarmino, & Pinello, ac de Torres: in quo ad Matutinum Lectione IV. hæc decantantur: *Viri niveum quemdam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant: matrisque uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis, cibi loco, ministrabant.* Apparitiones, & visiones similes leguntur in Vitis multorum Sanctorum. S. Bernardi mater in visu conspexit catellum candidum & latrantem, se in utero habere. Vir sanctus interrogatus de visu, respondit: optimi catuli mater eris, qui domûs Dei custos futurus, magnos contra inimicos fidei pro ea editurus est latratus. S. Dominici mater, divinitùs illustrata, vidit se in utero gestare catulum, ardentem ore faculam ferentem, egressumque ab utero, totum mundum flammis ab ejus ore prorumpentibus, illuminatum. S. Alberti Drepanensis pater ex conjugis utero cereum mirificè radiantem prodire conspexit. Dissimile fuit visum matris S. Andreæ Corsini. Ejusmodi alia suppetunt plurima.

** impressionis Coloniensis an. MDC. XVII.*

Apostolicæ Sedis auctoritate inserta est Officio Canon.

Apparitiones in nativitate aliorum Sanctorum.



Profectus est ELIÆ parens in Jerusalem, visaque ad sacerdotes retulit Respondit autem illi Chrematismus (hoc est Oraculum, sive Responsor) Cave manifestum facias: erit quippe lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio, ac sententia brevis; & judicabit Israel cum in igne, tum romphæa *S. Epiphan. l. de vit. Proph.*

CAPUT III.

Pater S. Eliæ Oraculum consulit, de visionis præfatæ mysterio.

(a) lib. de vita Proph.

151. S. Epiphanius (a) id sic enarrat: *Profectus est itaque in Hierusalem genitor, visaque ad Sacerdotes retulit. Respondit autem illi Chrematismus (hoc est, oraculum, sivè responsor) Cave manifestum facias. Erit quippè lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio ac sententia brevis, & judicabit Israël, cùm in igne, tum rhomphæa.* Istis consonant ea quæ scribit S. Isidorus Hispalensis (b). Similia, & quasi eadem habent S. Dorotheus, Metaphrastes, Aloysius Lipomanus, Laurentius Surius, & alii (c). Ad hoc propositum Cornelius à Lapide (d) ista: *Surrexit Elias quasi ignis* exponens, scribit: *Tradunt*, inquit, *S. Epiphanius, Dorotheus & alii plures: Eliam flammâ fuisse enutritum in signum ardentis eloquii: non quòd verè flammâ fuerit enutritus (hoc enim est impossibile;) sed quod flamma lamberet ejus vultum, & os, in illudque videretur ingredi, illumque cibare, & pascere.* Et paulò ante: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula.* Græcè: *quasi lampas*, id est fax, candelabrum, lumen, *ardebat, & urebat.* Syrus: *Surrexit Propheta similis igni, & verbum ejus ardens quasi clibanus succensus.* Ibi consequenter declarat, cur S. Elias igni comparetur; nempè quia ardebat charitate Dei, & flagrabat zelo honoris ejus; hinc adeò ardentia fundebat verba, ut flammas eructare videretur. Ita quoque sub finem mundi, tempore Antichristi prædicatione suâ inflammabit corda auditorum, juxta illud Ps. 104. quod dicitur de Joseph: **Eloquium Domini inflammavit eum**; & Psal. 118. n. 104. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Tantâ enim efficaciâ, docendo, prædicando, arguendo, Elias destruet, & consumet errores Antichristi, ac si ignis caderet super eos, eosque destruens, consumens, ac in cineres redigens.

Viri candidi signum loco sibi ministrando S. Eliæ quid significaverint:

(b) l. de obitu Patrum.

(c) in libris ante citatis.

(d) in Eccli. 48.

S. Elias cur dicatur surrexisse quasi ignis.

152. Quid autem denotaverint viri albis induti vestibus puerum Eliam salutantes, exponit Joannes Hierosolymitanus Antistes (e) *Ante*, inquit, *filii sui Eliæ nativitatem vidit Sabacha in somnis viros candidos, qui ipsum salutabant. Quæ visio sibi præsignavit, quales ejus filius Elias imitatores suæ vitæ monasticæ habiturus esset. Cernens namque Sabacha viros candidos, vidit in spiritu Religiosos per Eliam instituendos. Quos ideò candidatos vidit, quia Eliam, velut monasticè vivendi exemplar, erant imitaturi, in candore nedum mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporali habitûs albi eos desuper tegentis.* Ita quoque Arnoldus Bostius his verbis (f) *Elias de tribu Aaron. Ante cujus ortum Sabacha pater ejus vidit, in somnis viros candidatos &c. successores viros candidatos fuisse novimus, & Carmelitas. Qui pollentes duplici candore, mentali scilicet illibatæ castitatis, & corporali pallii albi desuper eos tegentis, Sabacham patrem ejus sunt salutantes, dum vitæ Eliæ tramitem non deserentes, sed ipsum velut rectè vivendi exemplar imitantes, salutem animæ suæ sunt possidentes.* Istis consonat Abbas Trithemius (a) in hunc modum: *Legimus in historiis, quòd Sabacha pater Eliæ, nondum nati, viderit in somnis viros candidatos salutantes eum: per quos rectè Fratres Carmelitas accipimus, quos habitu, & conversatione candidos esse cognoscimus.* Generalis Minimorum Ægidius Camartus in libro *de gestis Eliæ c. 3. sect. 16.* copiosè ac eruditè discutit: *An Elias sanctificatus fuerit in utero matris?* Et post varia præambula sic (inter alia) ad propositum: *Certum est ab hac communi lege nascendi Ieremiam, Ioan. Baptistam, & aliquot alios Dei clementiâ liberatos, quibus Elias noster non immeritò accedere debet. Statuimus itaq; admodum veritati conforme, Eliam Prophetam in ipso matris utero sanctificatum, atque ab originali peccato purgatum. Eam verò propositionē suadebimus. Primò ex Epiphanio, Dorotheo, Ioan. Hierosolymitano, Metaphraste, & aliis, qui seriem generationis Eliæ, quam superius adduximus, tradiderunt. In ea enim tria potissimū notanda sunt. Primum, quòd Elias visus est Sabachæ patri, ab albicantibus Angelis salutari priusquā ex utero materno egrederetur: sunt autem albæ vestes innocentium indicium. Salutatio verò amicitiæ, & germanitatis indicium. Itaq; jam tunc Elias familiaris erat Angelorum, qui ex ipso habitu innocentiam, & puritatem protendunt. Alterum quod hîc considerari debet, est igneus cibus, quo Angeli visi sunt, Eliā pascere. Is autem ignis intelligi debet Spiritus S. qui jam tunc suis charismatibus Eliam adimplevit, nam familiare est Scripturis, Spiritum S. per figuram ignis adumbrare, qui videlicet sordes abluat, & animam suis donis informet. Sic Ioan. Bap. de Christo dicebat: Ipse baptizabit in Spiritu S. & igne. Itaque Elias necdum natus spiritualem ignem hausit, quô originalis sanguinis macula mundaretur. Tertium quod in hac historia advertere possumus, est ignea illa zona, quæ Eliæ lumbis, priusquā nasceretur, imposita est ab Angelis.* Ita Camartus, qui hoc ipsum latius prosequitur. Sed ista, ut verisimilia dumtaxat, Ecclesiæ judicio relinquenda. Ceterùm plures censent, eum ab adolescentia, seu à pueritia, sanctè vitam instituisse, & austerioris vitæ desiderio incoluisse solitudinem, ac verisimiliter Carmelū: & quidem quoad Carmelum, *hoc suadetur non solum, quia eum locum, pro sui, Elisei, & aliorum discipulorum mansione postmodum elegit, sed & quia in eum montem pro sacrificio faciendo, ut probaretur quis verus esset Deus, Regem, & populum 3. Reg. 18. tamquam in proprium, & sibi charum domicilium convocavit. Sic fermè Sanchez 3. Reg. 17. n. 9. cui opinioni favet Salianus.* Ita Lezana: (a) Istis etiam adstipulatur Franc. Suarez. (b) Verumtamen quia Dei jussu ab hominibus recessit ad solitudinem Carith anno mundi 3123. idcirco Joan. Hierosolymitanus, & alii, primordia vitæ Eremiticæ-Monasticæ ad illud tempus convenienter referunt; quia tunc id Dei auctoritate, & mandato factum fuit. Completa autem, & perfecta institutio, ac fundatio Religionis suæ in Carmelo ab ipso demùm facta fuit an. mundi 3127. sicut pleniùs tradetur in sequentibus.

(e) lib. de instit. prim. Monach. c. 47.

Viri albis induti significabant posteros S. Eliæ.

(f) in Breviloq. trip. p. 1. c. 2.

(a) de ortu, & laud. Ord. Carm.

S. Elias, an in utero matris sanctificatus?

à prima ætate vitam sanctam duxit, verisimiliter in Carmelo.

(b) Annal. to. 1. ad an. mundi 3123. n. 9.

(c) To. 4. de Relig. tr. 9. c. 10.

CAP. IV.



Dum Achab Rex Iſrael Dei cultum exterminaret, ac Idolo Baal ſacrificaret, *ſurrexit Elias Quaſi ignis, et verbum ipſius quaſi facula ardebat Eccl. 48. et ait: Vivit Dominus Deus in cuius conſpectu sto, ſi erit annis his ros, et pluvia, niſi iuxta oris mei verba*. 3. Reg. 17.

CAPUT IV.

Prima apparitio S. Eliæ Prophetæ, magno zelo Achabum Regem idololatram increpantis, & cœlum triennio claudentis.

S. Eliæ prima apparitio.

153. ET *dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* (a) Tunc igitur primùm *surrexit Elias Propheta quasi ignis*, & verè *verbum ipsius quasi facula ardebat* ad destruenda, & consumenda scelera Achabi, & Jezabelis, & Israëlitarum Idololatrarũ: quem in finem (ut castigati emendarentur) tunc *oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Prima autem ejus verba (tessera Eliana, sæpius ab ipso, & spiritûs duplicis ejus hærede reciprocata) fuerunt ista præfata: *Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto.* Quasi diceret: Ego semper mente Deum habeo præsentem, conorque illum amare, laudare, revereri, eique per omnia placere, tamquam coram eo, & in ejus conspectu stans semper, & ad ipsum cor dirigens; nam, ut S. Greg. lib. 2. in Ezechielem Homil. 13. *Ibi stamus, ubi mentis oculos figimus, undè Elias ait: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto: ibi utique stabat, ubi cor fixerat.* Ista autem prima apparitio S. Eliæ (jam tunc omnibus virtutibus eminenter instructi) contigit an. mundi 3123. ante Chr. ortum 930. Ita disertè tradit veteris Testamenti Annalista de Chronologia sacra optimè meritus Jacobus Salianus, nec non Lezana in Annal. Carmel. (b) Torniellus ad sequentem annum refert. Ideò autem tunc Deus Eliã misit ad Achab, ut ipsius, & Jezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimeret, & restingueret, ac Israëlem in vera unius Dei fide & religione conservaret. Illo igitur tempore ad Israëlitas in tot impietates prolapsos, aut potius in profundum iniquitatis cœnum volutatos sanctiss. Elias destinatus fuit, quando idolorũ cultus profundas egerat radices, & omnis generis malitiæ ac scelera accumulata fuêre (prout habetur ex sacris litteris) tempore Achabi: qui scelestissimo cum Jezabele inito connubio superiores Reges in impietate vicit, atque unà populũ in deteriora protraxit, Baälis cultum introducendo; eique templũ, & aram construendo & insuper plantando lucum, & ibi constituendo idolum, *Astaroth*, seu *Astarthem*, id est, venerem totius impudicitiæ abominabile simulachrum. Tali opus erat medico, quando mores in populo Israël erant corruptissimi, & scelera sceleribus jungebantur. Magnæ ægritudines & medicamine forti, & medico indigent sapienti. Hinc S. Greg. Nyssenus in vita S. Basilii: *Cùm Achab ille, muliebre mancipium, à patria Religione defecisset, fœminæ delictis inserviens, & in ejus gratiã idolorum cultum introducens, in eumdem errorem populum Israeliticum attraxisset: Deus Eliam ostendit virum, qui morbi magnitudini parem haberet curandi facultatem.*

(a) 3. Reg. 17.

Vivit Deus in cujus conspectu sto, tessera Eliana.

Stare in conspectu Dei, quid sit.

(b) ad istũ an.

Elias cur missus ad Achab.

Achab, & Jezabel impiissimi.

154. Causam eamdem primæ apparitionis, & missionis S. Eliæ assignant quoq; passim alii, quos inter Simeon Metaphrastes in vita S. Eliæ sic eam auspicatus. *Hic ergò vir Sacro-sanctus ... virtutẽ exercens ab adolescentia, & flammeam efficiens animam per ignem spirantẽ S. Spiritûs gratiam. Nemo autem omninò contradicet, eum virum fuisse tantũ, & talem, qui posset & flammam & rhomphæam, & ignem & aquã, aliaque admirabilia & habere apud se, & ad alios, cùm vellet, immittere. Horum autem singula explicabit oratio. Postquàm post Hieroboam, & eos, qui deinceps in Samaria consecuti sunt, Reges, Achab accepit imperium, vir moribus pravus, & ab impietate possessus, cui conjuncta erat mulier, quæ ei erat par improbitate, vel etiam superabat: mulieri nomen erat Iezabel. His enim iratus Deus universorum, tres annos & dimidium pluviam è cælo retinuit, imbris defectu terram exsiccans, & immittens famem omnium gravissimam. Hinc suum Prophetam honorans, cælum claudendi aut aperiendi, & pluviã continendi, aut demittendi ei dat potestatem.* Hactenùs Metaphrastes: Ipse etenim *Elias homo similis nobis passibilis; & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursùm oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* (a) Causam, seu motivum tanti prodigii meritis S. Eliæ præstiti sic explicat Abulensis: *Fuit autem motivum suum, scilicet quia Israëlitæ erant magni peccatores, & non corrigebantur, Deo dante eis prospera: ideò condolens cæcitati eorum, petivit, ut non plueret super terram aliquantò tempore, ut cognoscentes à Deo pœnam inflictam propter iniquitates suas, emendarentur.* Idem tradunt Patres, & quidem ita S. Basilius: *Elias cùm jejunasset, clausit cælum tres annos, ac menses sex. Etenim cùm videret multam insolentiam nasci è satietate, necesse erat illos per famem invitos ad jejunium adigere. Eoque peccata illorum jam in immensum excurrentia cohibuit, dum jejuniô, velut ustione aut sectione, progressum ad majora mala interrumpit.* Istis consonat S. Eucherius: *In terris homo loquitur, & imperio ejus cælestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturã unus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans aëra cælumq; concussit ... sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodò vel in salute hominum, vel in honore proficiat conditoris.* Qualis autem fuerit vita & conversatio S. Eliæ ante istam primã ejus apparitionem describit Salianus (b) *Vixisse eâ opinione sanctitatis, ut omnibus admirationi esset. Cui consentanea est illa animi præsentia, quâ Regem Achabum improvisus adiit, molestissimum illi, totique populo nuncium allaturus. Erat utique vir sanctissimus, jam ætate maturus, & vulgò sanctitate, ac professione religiosa, eximiisq; Dei donis Venerabilis. Qualem decebat eum esse, qui aliquandò tot insignium virorũ futurus erat magister, ac parens; quos solet Dominus maturè ad sanctitatem informare ac præparare.* Sic etiam Joan. Baptista, qui *in spiritu Eliæ* vixit à pueritia, *puer erat in desertis.* (c) Quædam ad hoc propositum dicta sunt capite præcedenti.

(a) Jacob. 5.

Pluvia in terra cessavit annis tribus cum dimidio ad preces S. Eliæ.

ut sic Achab & populus Israël ab impietate emendarentur.

(b) in Annal. vet. Test. ad an. mund. 3123 n. 10.

(c) Luc. 1.



Factum est verbum Domini 3. REG. 17. *ad Eliam dicens: Recede hinc,* id est extra possessiones tuas. *Et vade contra orientem;* id est contra propriam voluntatem. *Et abscondere in torrente Carith;* id est in solitudine, ubi nullæ mulieres. En mi lector perfecta monasticæ, ac religiosæ vitæ forma, à Deo ipso Eliæ tradita. *Ioan.* 44. *Patr. Ierof.* c. 3. 4. 5. *Lezana T. I. ann. ad annum* 926. *ante Christum*

CAPUT V.

S. Elias Propheta solitariam, Eremiticam, Monasticam vitam inchoat.

155. ANno à creatione mundi ter millesimo centesimo vigesimo tertio, ante Christi nativitatem nongentesimo trigesimo, juxta computum Saliani, Lezanæ, & aliorum (a) *Factum est verbum Domini ad Eliam dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith.* Quòd tunc vitam monasticam inchoaverit, disertè traditur in libro *de institutione primorum Monachorum c.2.* ubi ista: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum princeps primus extitit, à quo sancta primæva institutio exordium sumpsit. Ipse enim obtentu contemplationis divinæ, & desideriò sublimioris profectûs, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, religiosam & prophetalem vitam eremiticam primus hominum à proposito ducere cæpit, quam, sanctô dictante Spiritu, & mandante, inchoavit, & instituit. Quippè Deus ei apparens mandavit, ut communem hominũ habitationem fugeret, & se à turbis in deserto absconderet, atque deinceps in eremo monasticè, secundùm formam ei indictam viveret. Quod evidenti sacra Scriptura testimoniò comprobatur: legimus enim ita de hoc scriptum in libro Regnorum. Factum est verbum Domini ad Eliam dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes; corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Ita in dicto libro Ioannes Hierosolymitanus. Illa ibi consequenter sic exponit: *Recede hinc, scilicet à rebus caducis mundi & transitoriis: & vade contra Orientem: id est contra originalem tuæ carnis cupidinem: & abscondere in torrente Carith, ne in urbibus moreris simul cum turbis.* Capite eodem & sequentibus luculenter ista prosequitur idem auctor: videatur in Speculi Carmelit. to. 1. (b) Conformiter scribit Franciscus Suarez (c) *Certum est Eliam vitam eremiticam coluisse, ubi cum magna corporis austeritate, diuturnam animi contemplationem conjunxit.* Et paulò post: *Totum hoc colligitur ex Scriptura à cap. 17. lib. 3. Reg. usque ad c. 2. lib. 4. Cùm enim ante hæc loca, nulla facta fuisset mentio Eliæ, nec superioris vitæ ejus, neque ortûs, aut parentum illius, quasi ex abrupto introducitur Elias magnâ libertate prophetizans coram Achab: & statim subjungitur vocatio Dei illum vocantis ad solitariam, & eremiticam vitam. Recede hinc & vade contra Orientem & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi ut pascant te. Quem locum luculenter ad hoc propositum expendit Ioannes Hierosolymitanus libro de Institutione primorum Monachorum à cap. 3. usque ad 9.* Istis consonat Salianus in Annalibus (d) scribens *Eliam vitam ab hominum turbis secretam, & solitariam, Deoque familiarem (quæ usu ipso gratior quotidie, dulciorque reddebatur) adamasse: cujus cum tyrocinium aliquot annis egisset in terris, diuturnam professionem facturus, raptus est in cælum.* De ejus autem ibi devotione, & contemplatione tradit ista: *Eliæ cor ut in deserto ex ferventi charitate intra se concaleret, & in meditatione ejus ignis divini amoris exardesceret, gustabat frequenter ineffabilem Dei gloriam, & sedebat, id est, requiescebat, in torrente voluptatis divinæ, quo Deus potat diligentes se, dicente Propheta: Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ita ibi Salianus.

(a) hic supra tract. 2. cap. 1. num. 73. & seq.

Monastica vita à S. Elia Dei inspiratione inchoata an. mund. 3123

id Scriptura S. auctoritate stabilitur:

(b) nu. 22. & seq.

(c) de Relig. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 10.

(d) ad an. mund 3124 n. VI. VII. & VIII.

156. Igitur præfato tempore S. Elias, Dei mandato, è turbis hominum recedens ad solitudinem, ibi Spiritus S. instinctu vitam solitariam religiosam, monasticam ducere inchoavit; illam eamdem vitæ rationem deinde aliis, discipulis suis, tradidit. Propterea Patres disertè adstruunt *Scripturarum auctoritate Eliam principem Monachorum*, & illum *monasticæ conversationis esse auctorem, & fundatorem.* Ita quidem S. Hieronymus, (a) *Ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster* (Monachorum, qualis ipse erat) *Princeps Elias*: sic & Cassianus (b) verbis similibus adstipulatur, scribens: *Hujus monasticæ professionis fundasse primordia Eliam Divinarum Scripturarum auctoritate demonstratur.* Ita quoq; S. Isidorus, agens de monachis, & eorum initiis: *Quantũ attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi princeps Elias.* Hinc etiam Patres, & Doctores alii, ex Scripturis sanctis eruunt S. Eliam eremitam, & monachum, eorumq; principem. Sicut enim Apostoli à Christo vocati *reliquerunt omnia, & secuti sunt eum*; ita etiam Elias, audito Domini mandato: *Recede hinc; vade contra Orientem; abscondere in torrente Carith*, recessit à rebus caducis, & transitoriis mundi; *& omnia reliquit*, effectus ita voluntariè pauper, ut præter melotem nihil haberet, *ita indigus omnium, ut nihil haberet suum*, ut loquitur S. Ambrosius. (c) Sed de ejus voluntaria paupertate, perpetua castitate, prompta obedientia, cætérisque monasticis virtutibus alia habet lector hìc suprà, (d) & de illis uberiùs agetur in ipsius vita (e). Præfato igitur anno mundi 3123. ante Christum 930. S. Elias, Dei jussu, ex hominibus recedens ad solitudinem Carith, ibi Dei inspiratione, vitam solitariam, eremiticam, monasticam inchoavit, quam postea etiam tradidit quibusdam suis discipulis, quos unà cum aliis anno mundi 3127. in Carmelo stabiliter constituit, atque ita Ordinem ibi plenè inchoavit. Quamvis igitur jam ante à pueritia, verisimiliter in Carmelo, vitam sanctam, & solitariam ducere cæperit, sicut jam ante dictum est, quia tamen id factum non fuisse constat expresso Dei mandato, *Recede hinc* &c. sicut quando istud vitæ institutum à Deo fuit approbatum; utpote ejus mandato, seu instinctu à S. Elia exercitum; ideo convenientiùs initium vitæ solitariæ eremiticæ, monasticæ, à S. Elia inchoatæ, cum præfatis Ioanne Patriarcha, Saliano, Francisco Suarez, & aliis, refertur ad præfatum tempus, quando, Dei jussu, recessit ab hominibus ad solitudinem Carith.

(a) de Instit. Monachi.

(b) de Instit. Monach. l. 1. c. 2.

(c) in Psal. 36.

(d) n. 76. & seq.

(e) in Spec. Carm. to. 1. sub initiũ, num. 123. & seq.



lias ad torrentem Carith latitans, pios aliquot congregat viros, quos in monastica et religiosa vita,
xta formam a Deo receptam, instruere incipit. *Ioan. 44. Patr. Ieros. c. 10. Corvi quoque deferebant
lie panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi. 3. Reg. 17.*

CAPUT VI.

Conversatio S. Eliæ in solitudine Carith: pascitur à corvis: primos suos discipulos ibi instruit vitæ monasticæ rudimentis.

S. Eliæ conversatio sancta in Carith.

157. QUalem vitam S. Elias in solitudine Carith inchoaverit, & duxerit, traditur in præfato libro *de institutione primorum monachorum cap.* 9. ubi ista: *Elias itaque, auditâ à Deo præfatâ lege perveniendi ad perfectionem propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ, & perseverandi in eadem; consideravit quomodò non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: propter quod ex totis suis præcordiis studuit ad dictam perfectionem propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, & legem ad eam perveniendi, quam à Deo audierat, opere adimplere: sicuti de eo ita legimus scriptum in superiore lectione libri Regnorum: Abiit ergò Elias, & fecit juxta verbum Domini.* Ita ibi, & paulò infra: *Abiit ergo Elias: Quo abiit? Contra Orientem: hoc est contra originalem suæ carnis cupidinem. Quia enim in carne ejus non habitabat bonum, arbitratus fuit se esse debitorem non carni, ut secundùm carnem viveret. Si, inquit Apostolus, secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu factâ carnis mortificaveritis, vivetis. Ideò Elias, ut spiritu perfectè viveret, crucifixit carnem suam cum vitiis & concupiscentiis.* Et aliquantò post: *Abiit quocumque eum ferebat voluntas: scilicet Dei. Sequitur: Et fecit juxta verbum Domini, quia scilicet de terra, & cognatione, & de domo patris sui in solitudinem recessit, Deo pro ipso aliud melius tunc providente: ut scilicet à morte eriperetur, & ad perfectionem vitæ monasticæ traheretur.* Et post alia: *Sequitur: Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes manè: similiter panem & carnes vesperi. Quibus cibis Elias exinanitum corpus in deserto reficiebat, tantùm ne deficeret. Nec dubium, quin Deus panem, & carnes illas ministraret per corvos ei deferenda. Sic enim antequam ad torrentem Carith iret, prædixit ei Deus: Corvis præcepi, ut pascant te ibi.*

158. De ipsius conversatione, & exercitiis ibi in torrente, & solitudine Carith hæc habet Tostatus: (a) *Vir ille tam elevatæ contemplationis, & cognitionis Dei, non poterat esse otiosus. Nam sæpè Deus ei loqueretur; cùm Propheta esset: & quandò Deus non loqueretur ei, ipse contemplaretur, & aliquandò Angeli ei apparerent, ita ut nullum tempus ei sine opere laberetur. Et si dicas, quid agebat? Dicam quod illud agebat, quod nunc agit manens in Paradiso terrestri.* Et aliquantò post dicit, eum ibi apud Torrentem Carith fuisse, *quasi tribus annis.* Conformiter scribit Jacobus Salianus. (b) *Intima Dei familiaritate fruebatur, Deum sæpè loquentem audiebat, & ipse vicissim alloquebatur Deum, & in contemplatione divinæ sapientiæ, providentiæ, bonitatis, potentiæ, pulchritudinis, liberalitatis, immensitatis, justitiæ, misericordiæ, æternitatis, cæterorumque attributorum divinæ majestatis placidissimè acquiescebat. Multa quoque illi cum Angelis, quorum vitam, ac puritatem imitabatur in terris, familiaritas, ac consuetudo sermonum. Denique ea illi erat occupatio, quæ nunc est in secreto illo, ad quem raptus est, loco.* Intereà autem cùm in solitudine Carith moraretur, pios quosdam viros eò clam venientes instruxit in Religiosa-monastica vita, juxta formam à Deo illi traditam. Id ab eodem Saliano ibidem, & in præfato libro *de institutione primorum Monachorum* cap. 10. perspicuè sic narratur. *Denique Elias in monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito inchoaverat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit. Qui, ut Pater primus monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcircò ad eum, in solitudine torrentis Carith, tunc latentem, confugiebant; ne per regem Achab, & reginam Iezabel cogerentur, sicut & cæteri populares, adorare Baal. Viri quippe isti timore Dei repleti, cernentes Eliam, ita verbo Domini tunc continere cælum, quòd pluviam non dabat super terram, ad eum tamquam ad magnum veri Dei cultorem accedebant occultè in solitudine Carith, ut sub ejus doctrinâ in cultu veri Dei persistere possent, & idololatriam vitarent. Hos itaque Domini devotos viros Elias, secundùm formam à Deo ei traditam, habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros. Quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei psalmos, & hymnos cum instrumentis musicis canere.* Et post alia: *Elias monachos successores post se instituit, non tantùm ad vitam monasticam observandam secundùm formam à Deo sibi traditam; sed etiam ad hoc officium, ut scilicet prophetarent, hoc est, ut in psalmis & canticis & hymnis devotè Deo psallerent: & ut Deum non solum corde & ore, sed etiam cum instrumentis musicis laudarent. Et propterea appellati sunt prophetæ, id est, psallentes: & eorum vita dicta est prophetica.* Eadem tradit Salianus (a) qui, & alii rectè animadvertunt, quòd isti *occultè* ad Eliam accesserint; quia Achab & Jezabel ubique Eliam curabant inquiri. Itaque *ad torrentem manebat, Deo, & corvis notis, & religiosis, ut dixi, viris, qui minimè tenebantur homini revelare, quem Deus volebat abscondi.* Ita idem Salianus (b). Cur isti discipuli S. Eliæ, primitùs *Prophetæ*, id est, *psallentes* nuncupati, deindè dicti fuerint *Filii Prophetarum*, ratio redditur in præfato libro, *de institutione primorum Monachorum, cap.* 11. ubi ista: *Hi monachi, qui prius, ut prædiximus, vocabantur Prophetæ, postmodùm vocati sunt Filii Prophetarum: quia dictorum excellentium Prophetarum hujus Religionis erant discipuli, & in prophetica, ac monastica disciplina, sub regimine ipsorum, quasi patrum suorum constituti; & indè imitatores sanctorum morum, & virtutum illorum Prophetarum. Et sub hoc titulo, quo dicebantur filii prophetarum, fit sæpè in libro Regnorum de his monachis mentio.*

Marginal notes:
(a) in c. 17. l. 3. Reg. quæst. 21.
quæ ejus ibi fuerint exercitia.
(b) ad an. mundi 3124 n. V.
quosdam pios occultè ad se accedentes instruit.
(a) ad an. mundi 3124 n. X.
(b) Ibid. num. XI.
Filii Prophetarum cur nuncupati discipuli S. Eliæ.



actus eſt ſermo Domini ad Eliam dicens: ſurge & vade in Sarephta Sidoniorum: præcepi enim ibi mulieri iduæ ut paſcat te. Paſtus Elias ſubcineritio pane & vaſculo aquæ, *ex illa die hydria farinæ mulieris on defecit & lecythus olei non eſt imminutus*, quin & mortuum ejus ſuſcitat filium. 3. Reg. 17.

CAPUT VII.

S. Elias pascitur à muliere vidua: cujus hydria farinæ, & lecythus olei non minuuntur: filium ejus mortuum (primum ab orbe condito) oratione suscitat.

159. Historia illa in Scriptura sacra his narratur verbis (a) *Factus est sermo Domini ad eum dicens: Surge & vade in * Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies posteà. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, &c.* In præallatis verbis: *Da mihi paululum aquæ, & buccellam panis: mihi fac subcinericium panem parvulum*, notanda modestia, & temperantia S. Eliæ, petentis dumtaxat *paululum aquæ, & buccellam panis*, &c. pro sola necessitate, non sensualitate: eaque est cibi, potusve sumendi saluberrima in sacris Litteris nobis tradita regula, ut docet S. Augustinus (b) non sinere *se extra necessitatis metas rapi*. Jubet autem Deus Eliæ: *Surge, & vade in Sarepthа* &c. ut exiret extra Israëlis fines, & Achab persecutoris dominium, ad ditionem Sidoniorum. Elias allegoricè significat Christum, qui persecutionem patiens à Iudæis, Euangelium suum transtulit ad gentes, uti explicat ipse Christus Lucæ 4. Ita Cornelius à Lapide (c) & alibi (d) Elias enim erat typus & præcursor Christi, vidua Sareptana erat typus, & primitiæ Gentilium, quos Christus prætulit Iudæis civibus suis. Christus enim à Iudæis, obduratis, fidem, Ecclesiam, & gratiam transtulit ad Gentes.

(a) 1. Reg. 17.
* al. Sarepta.
S. Elias à Deo mittitur in Sarephtam, ad viduam,
cujus hydria farina & vas olei non minuuntur.
Cibi potûsve sumendi saluberrima regula.
(b) l. 10. Confess. c. 31.
Christus à Iudæis repulsus typus Elias.
(c) in c. 17. lib. 3. Reg.
(d) in c. 4. Lucæ.

160. De vidua illa in sacro Euangelio (e) hæc leguntur, prolata à Christo: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel: quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarū missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.* Cur autem ad viduam illam Deus miserit S. Eliam, differens Tostatus ait (f) Dicendum, quòd quamquam Elias iret, ut pasceretur ab ista muliere, magis tamen ibat ad pascendum eam, & in hoc Deus voluit benefacere isti mulieri. Istud autem voluit, quia ista mulier erat Deo devota, & voluit Deus ei benefacere. Nam *ex illa die Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus:* non per rarefactionem, sed additionem novæ farinæ, & olei continuam, ait idem Tostatus. Undè ex eo deinceps sustentata fuit vidua cum filio, quin & Elias ipse. Merebatur hoc fides & sanctitas Eliæ, item obedientia & eleëmosyna viduæ; quâ modicum farinæ quod habebat, dederat Eliæ. Ita S. Prosper, & alii. (a) Qualiter autem viduæ istius filium mortuum oratione suscitaverit, sic refertur: (b) *Factum est autem post hæc: ægrotavit filius mulieris matris familias, & erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergò ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, & portavit in cænaculum ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus; & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: & reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Ille primus est ab origine mundi à morte suscitatus. Erat autem Ionas Propheta, postea à Deo missus in Niniven. Ita censent S. Hieronymus *in prologo ad Ionam*, & alii mox nominandi, & plures alii relati à Lezana *Tomo 1. Annalium Carmelitarum*, (c) ubi rationibus in contrarium recentiorum quorumdam satisfacit. Cur autem S. Elias *expandit se, & mensus est super puerum*, rationes varias allegant interpretes. Allegoricam hanc tradunt S. Prosper, & alii (d). Ut Elias (sicuti etiam posteà illius exemplo Eliseus) suo gestu repræsentaret mysterium Incarnationis, quo Dei filius suam dignitatem commensus est, & quasi coæquavit nostræ humanæ naturæ, quam assumpsit, ut per eam nos peccato mortuos vivificaret. *Elias, & post eum Eliseus*, ait Prosper, *ut mortuum parvulum suscitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus Iesus seipsum exinanivit, formam servi accipiens: parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret istud corpus humilitatis nostræ conforme, corpori gloriæ suæ.* Quòd puer ille viduæ Sareptanæ, ad preces Eliæ resuscitatus, fuerit Ionas Propheta, expressè tradunt S. Epiphanius, S. Isidorus, Dorotheus, Rupertus, Haymo, Carthusianus in Ionam, & alii: quinimò scribit Liranus, (e) quòd *secundùm omnes Doctores Hebraicos, & Latinos, iste Ionas fuerit filius Mulieris viduæ, quem suscitavit Elias.* Ita Liranus.

(e) Luc. 4.
(f) in c. 17. l. 3. Reg. q. 24.
(a) apud Cornel. à Lap. in c. 17 lib. 3. Reg.
(b) 3. Reg. 17.
Mortuus primus ab origine mundi resuscitatus à S. Elia.
(c) ad an. mundi 3127 n. 12.
(d) apud Cornel. à Lap. in c. 17. lib. 3. Reg.
Ionas filius viduæ Sarept. à S. Elia suscitatus.
(e) in cap. 1 libri Jonæ.

CAP. VIII.



Venit Achab in occursum Eliæ, et ait illi: Tu-ne es ille, qui conturbas Israel? qui ferventissimo, quo in pectore æstuabat zelo, respondet: Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et sequuti estis Baalim. 3. REG. 18.

CAPVT VIII.

S. Elias Propheta à Deo missus ad Achab, flagrantissimo zelo divini honoris æstuans, eum impietatis arguit.

(a) 3. Reg. 18.

S. Elias à Deo mittitur ad Achab, nuntiaturus pluviam:

161. IN Scriptura sancta (a) ista traduntur, his, inter alia, verbis: *Factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio dicens: Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. Ivit ergò Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valdè. Nam cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua. Dixit ergò Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè possimus invenire herbam, & salvare equos & mulos, & non penitùs jumenta intereant. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram seorsùm. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tu es, Domine mi, Elias? Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic Domino tuo: Adest Elias.* Ait igitur Dominus ad Eliam: *Vade & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.* Posset Deus inscio, atque etiam invito, & renitente Elia, missis largè in terram sitientem imbribus exhilarare, & reficere deficientes homines. Noluit tamen, nisi conscio, ac penè consulto, & inspectantibus aliis, hoc ipsum à Deo impetrante, quo major illius esset apud omnes auctoritas, & talis existimaretur, qui posset, cùm vellet, claudere, & aperire cælos, & peccatores homines aut mediâ conficere, aut ad satietatem usque alimenti explere. Usque adeò Eliæ apud homines existimationi consultum esse voluit. Quare impertiri imbrem hominibus noluit, donec Elias appareret Achab, & illi contra omnium spem, cùm cælum adhuc ferreum appareret, pluviam promitteret, quo illo tempore nullum videbatur majus conferri posse beneficium. Aut etiam id agebat Deus, ut omnes ab Elia impensiùs orante, & à Domino impetrante, & quasi extorquente pluviam, vel inviti cognoscerent, à Deo priùs, cessante pluviâ, inductam esse famem; & posteà insperatò concessâ fuisse depulsam.

quam Deus noluit dare, nisi precibus Eliæ.

Abdias ex dispensatore Achab, discipulus S. Eliæ.

162. *Vocavitque Achab Abdiam.* Abdias ille dispensator Domûs Achab, qui clam *pavit Prophetas Domini*, ne interficerentur ab impia Jezabele, postmodum factus est discipulus S. Eliæ: sic tradunt S. Epiphanius in libro de vitis Prophetarum, Dorotheus in Synopsi, & plures alii; propterea cum S. Eliseo, tamquam suo condiscipulo, in eodem sepulchro conditus fuit, sicut in prologo ad Abdiæ prophetiam tradit S. Hieronymus: *Sepulchrum quoque ejus usque hodie, cum Mausolæo Elisei Prophetæ, & Baptistæ Ioannis, in Sabaste venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur:* Et aliis nonnullis interjectis: *hic igitur quia centum Prophetas paverat accepit gratiam Prophetalem: & de Duce exercitûs, fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe, Christi pascit Ecclesias.* Ille igitur *tulit centum Prophetas, & pavit eos,* id est, centum viros religiosos, qui abdicatis rebus terrenis, se addixerant disciplinæ S. Eliæ, commorantis in solitudine Carith, qui nuncupantur *Prophetæ*, non quòd omnes spiritu prophetiæ clarerent, sed quia pariter divinas laudes concinebant, *Propheta* enim ibi accipitur, ut idem sit quod *Psaltes*, sicut luculenter declaratur in libro de *institutione primorum monachorum* cap. 10. Ità quoque Liranus, Cajetanus, & alii. Plura de istis videri poterunt in Speculo Carmelitano. (a)

sepultus in eodem loco, ubi S. Eliseus, & S. Ioan. Bap.

(a) tomo 1. num. 39. & seq & 63. & 81.

163. *Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto quia hodiè apparebo ei. Abiit ergò Abdias in occursum Achab, & indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ. Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Israel? Et ille ait: Non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Sic rursùs Elias ab usitata sibi tessera, sermonem suum auspicatur: *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto.* Hinc patet, quòd quotidianum & juge S. Eliæ exercitium fuerit *quotidie talem se præbere, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus* (b). Cumque ad illum venisset Achab, sic in ipsum Eliam invehitur: *Tune es qui conturbas Israël,* videlicet tuo jussu continendo cælum, nè pluat? S. Elias divini honoris flagrantissimus, magna libertate, & constantia respondet: *Non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui.* Indidit Deus Eliæ frontem, sicut adamantem, & silicem (ut posteà Ezechieli) (c) ut duram, & adamantinam frontem adamantinæ inimicorum fronti adversam opponeret. Quare non minùs constanter respondet Regi, quàm à Rege in ipsum convitia jactantur liberè. Nec dubitat dicere, propter ipsius, ac parentis impietatem *turbatum esse Israëlem*, & ad extremum penè statum deductum; cùm veram religionem abjecerit, & gentilicos mores, & barbaram impietatem induxerit, & quòd, relicto veri Dei cultu, adhæreret Baal, & sic suo exemplo totum populum induceret ad idololatriam. Eaque erat causa siccitatis, & famis. Abulensis censet *Baal*, seu *Baalim* fuisse Deum sive idolum Sidoniorum, & Tyriorum, cujus cultum, instigante Jezabele, introduxit, aut quàm maximè promovit Achab. Sanchez in caput 7. libri 1. Regum ad versum 3. tradit nomen *Baal*, seu *Baalim*, fuisse nomen generale, seu commune idolis, & Diis Gentium.

S. Elias quasi fronte adamantina arguit impietatem Achab.

(b) vide hic suprà n. 84.

(c) Ezech. 3. v. 9.



*'ropheta, Baal 450. et Prophetæ Lucorum 400. invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem dicentes.
aal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet. Illudebat illis Elias. Et incidebant se iuxta ritum suum
ultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* 3 REG. 18.

CAPUT IX.

S. Elias Propheta mandat in Carmelo congregari 850. falsos Prophetas: qui Sacrificantes, & supplicantes Deo suo Baal, non exaudiuntur.

zeli flagrantissimi Eliæ gesta in Carmelo:

164. HEroicum flagrantissimi zeli opus aggreditur S. Propheta Elias. Cùm enim Israeliticus populus, præeuntibus impiis Achabo, & Jezabele, in abominanda latria provolveretur; ut eos ad Dei veri cultum revocaret, ipse unus solus octingentos quinquaginta falsos prophetas ad certamen provocat, sic Regem alloquens: (a) *Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me universum Israël in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. Misit Achab ad omnes filios Israël, & congregavit prophetas in monte Carmeli. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursùs Elias ad populum: Ego remansi Propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bovem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina Deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio. Dixit ergò Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures estis: & invocate nomina Deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui cùm tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt: & invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos: Et non erat vox: nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant* &c. *& incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis: donec perfunderentur sanguine. Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes.* Cur *in monte Carmeli congregari universum Israël, & prophetas* (pseudo-prophetas) 850. voluit Elias? Quia jam antè ibi degens, & orans, plurimas à Deo illustrationes acceperat. Etenim ipsum S. Eliam à pueritia, & adolescentia per surgentis ætatis gradus, fuisse ingressum palæstram virtutum omnium, & vitam solitariam auspicatum, & quidem verisimiliter in Carmelo; censent plures; & ideò Carmelum elegit. Aut igitur ea de causa Carmelum elegit, quasi futuri certaminis nobile stadium; aut quia prophetas veros, suosque discipulos ibi interfecerat impia Jezabel. Voluisse itaque videtur Elias auctorare ibi & commendare religionem veram, ubi effuso tot prophetarum sanguine, illam Jezabel exauctorare, & damnare voluerat; ut ibi impiorum prophetarum sanguinem profunderet, ubi piorum viderat esse profusum. Ita Sanctius in illum locum: qui & sequentia sic exponit: *Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequò claudicatis in duas partes.* Hoc autem est in duas partes claudicare, dum huc atque illuc nutante gressu corpus etiam totum, & præcipuè caput dextrorsùm, ac lævorsùm inflectitur. Tales tunc erant Israëlitæ, qui placere cùm studerent Iezabeli; neque à patria religione defecisse vellent, & à suis in caput suum justum odium conflare, à Baalis ara ad Dei se conferebant altaria; & ab iis rursùs se ad Baalis aras referebant.

(a) lib. 3. Reg. c. 18.

ibi curat congregari 850. falsos prophetas:

cum istis tot unus solus decertat pro veri Dei cultu:

cur ista in Carmelo:

165. *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Deus *exaudire dicitur per ignem*; sacrificantis, atque orantis vota, precesque, cùm misso desuper igne consumit, & resolutum in fumum, ac sursùm elevatum in odorem suavitatis admittit. Miraculo tali hæc lis de Deo vero decidenda erat, uti hic Eliæ suggessit Deus (sicut innuunt ista ejus verba: *Iuxta præceptum feci omnia verba hæc*) eo quòd Achab, Iezabel & Baalitæ in cultu Baal essent obstinati, nec ullas rationes in contrarium ad aures admitterent. *Transiliebant altare quod fecerant.* Saltabant ergò Baalitæ, inconditi, quasi amentes, cùm viderent Baal à se invocatum non respondere; hoc enim gestu significabant suum erga Baalem, ejusque altare studium, & devotionem, quasi qui cuperent ipsimet fieri victimæ, & in altari immolare se Baali, ideòque lanceolis se incidentes, sanguine suo altare cruentabant, ut sequitur. *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis*, ut Baali se, suumque sanguinem litarent, & offerrent, & sic eum flecterent ad respondendum. Nimirum dæmon æmulus Dei & invidus homini, divinis honoribus gaudet, ideoque humano sanguine sibi quasi Deo litari vult, itaq; simul homines sibi exosos excruciat, vulnerat, & sæpè necat. Hinc crudelissimi dæmonis sacrificuli illi non aliter in se, quàm in victimas sæviunt, cultris se incidunt, & secant, lanceolis se compungunt, donec suo toti sanguine commadeant. Miserabile planè spectaculum videre sacerdotes suo more infulatos, rubentes, atque stillantes sanguine, rugientes ad Deum inanimatum, & surdum, à quo nihilo magis excipiuntur clementer, & benigne, quàm à silice, aut à rudi, atque Sylvestri stipite. Istum autem crudelem sacrificandi ritum fuisse passim usitatum apud Gentiles habetur ex Apuleio, Luciano, Plutarcho, & aliis relatis à Sanctio & Cornelio in istum textum: satis erit audivisse paucula ex Lactantio (a). *Ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant; sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt.* Plura circa istam historiam videri poterunt apud præfatos Sanctium, & Cornelium.

Baalis sacrificuli transiliebant altare,

& cultris se incidebant:

crudelissimi dæmonis quodammodò victimæ.

(a) lib. 1. de falsa Relig. c. 21.



ccedens ELIAS Propheta, ait: Domine Deus Abraham, et Isaac, et Iacob: ostende hodie, quia
es Deus Israel, et ego servus tuus. Exaudi me Domine, exaudi me. Cecidit autem ignis Domini,
vorauit holocaustum, et ligna, et lapides, puluerem quoque, et aquam, quę erat in aquæductu lambens.
REG. 18.

CAPUT X.

Sacrificium à S. Propheta in Carmelo oblatum, igne cœlitus immisso absumitur: eo prodigio omnis populus Deum verum agnoscit, & veneratur.

166. POst inane Baalitarum sacrificium, (a) *Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat... Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, & composuit ligna: divisitque per membra bovem, & posuit super ligna, & ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò idipsum facite. Feceruntque tertiò, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductûs repleta est. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, ostende hodie quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus: & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine: ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Tunc igitur S. Elias Israëliticum populum universum ab idololatria, à cultu Baal ad Deum verum reduxit.

(a) lib. 3. Reg. c. 18.

S. Elias in Carmelo offert sacrificium:

id igne de cœlo consumitur:

indè populus ab idololatria ad Deũ convertitur.

167. Hinc S. Chrysostomus variis locis Eliam nuncupat *Israëlis aurigam, qui & fessos portaret, & ambulare non valentes celeri cursu per virtutis iter adduceret, qui cælorum rationem poneret in terris, atque ad unam divinæ bonitatis abyssum peccantes, pœnitentes, miseros, pauperes, divites toto conatu revocaret.* Item, quod *iram Dei avertit, & errantem populum à Dei cultura ad Dei latriam revocavit. Conjungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per Eliam una concordia inter Deum & hominem.* Similia scribunt passim alii Patres, & Interpretes: sic autem paucis multa complectitur Cornelius à Lapide (b) *Elias fuit dux, & antesignanus Prophetarum tum tempore, tum dignitate, tum sanctitate... Elias Israëlis & Judæorum fuit custos, Propheta, Doctor, Protector, Apostolus.* Cur autem *S. Elias fecerit aquæductum in circuitu Altaris, & tertiò quatuor hydrias aquâ impletas effundi super holocaustum, & super ligna* jusserit, hanc adfert rationem S. Chrysostomus (c) *Velim consideres, quare ab Elia hoc factum sit. Quoniam erroris mos est veritati propria vitia objicere... Propterea etiam in hac re sapienter se gessit Elias. Attende quæso. quod dicturus sum: vidi enim ipse, quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore altaris parte, & fovea quædam obscura: descendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti cælestem esse ignem illum existiment. Ne igitur & Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa nulla esse infrà altare foramina ostenderet: ubi enim foramen aqua invenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est. Implevit igitur altare.*

(b) in c. 4. Malachiæ.

S. Elias cur circa altare fecerit aquæductum.

(c) Homilia de S. Petro Apost. & S. Elia Proph.

Idolorum sacrificuli quomodò populum deciperent.

168. Porrò S. Elias antequam à Deo pluviam postularet, & impetraret, post annos siccitatis, sic ut *non plueri annos tres, & menses sex* (a) sacrificium in Carmelo obtulit, & cetera præstitit, Dei mandato: id ipse indicat his verbis, Deum alloquens: *Domine Deus Abraham... juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Ratiò autem fuit hæc, ut publicè animadversis miraculis, quæ ab Elia, aut à Deo fiebant ad preces Eliæ, vanitatem Baalis digito tangerent, & sacrificulos, tamquam verissimos impostores, ac Pseudoprophetas, merito supplicio afficerent, eoque sacrificio propitiato Deo, ipsi ad eum, relictis idolis, converterentur. Quòd si miracula illa abfuissent, pluviam Baali suo tribuissent, & in ejus cultu perseverassent obstinatiùs. Ita Salianus (b) *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Igitur cùm brevem Elias orationem habuisset, plenam tamen ardoris, & fiduciæ, delapsus est inopinatò à Domino ignis usque adeò vehemens, & acer, ut non solùm holocaustum, & ligna, sed etiam lapides *voraret*, hoc est, consumeret, & pulverem circumfusum, & proximum, etiamsi subtùs aquam esset in illa areola, seu fossa, de quâ nuper; imò & ipsam aquam omninò consumpserit. *Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam.* Prodigium hoc inopinatum, & tam evidens, commovit populum, qui, hoc grandi miraculo perculsus, corruit in terram adorabundus & supplex, & Hebræorum Deum, verum esse Deum professus est. In tanti miraculi memoriam altare istud in Carmelo conservatum fuit: & quidem illud, aut ejus partem, adhuc ibi perstitisse post mille ann. scribebat Balbinus in epist. ad Antoninum Imperat. in qua ista: *Mons est nomine Carmelus, in quo vetus Religio, & sanctitas antiqua est. Elias illic sacrificia semper Deo offerebat. Apparent etiam & nunc vestigia de ara sacrificiorum.* (Sacrificium S. Elias obtulit anno ante Chr. 927. juxta Salianum & alios: Epistola autem ista Balbini scripta est post Christi incarnationem annis circiter centum). Quodque etiam post annos bis mille & centum circiter adhuc extaret, testatur Benjaminus Tuldensis Judæus, in suo Itinerario, scripto circa annum Christi 1170. in quo hæc de Carmelo: *In summo verò montis dorso vestigium extat altaris diruti, & combusti in diebus Achab, cujus in Eliæ historia illustris fit mentio. Estque ara illius locus circularis quatuor ferè cubitorum diametro.*

(a) Jac. 5.

(b) ad an. mundi 3126 n. 9.

Altare in Carmelo à S. Elia constructum ibi perstitit multis annorum centuriis.



Ait Elias ad populum: Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. Erant autem numero 850. 3. Reg. 18.

CAPUT XI.

Dei zelo æstuans Elias pseudoprophetas 850. jubet occidi, ne ulterius populum à Deo ad Baal colendum pervertant.

169. *Dixitque Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* Igitur divini honoris, & salutis animarum populi Israëlitici zelantissimus Elias impostores illos sacrilegos, populum pervertentes, Dei mandato, seu instinctu è medio sustulit. Nam cum contra eos, velut impostores, animatus esset populus universus, nec Rex Achab, tanto attonitus, miraculo, contradiceret, & Deus ipse ad ultionem de scelerato sanguine sumendam eos animaret, Eliam maximè, cujus in pectore divinæ gloriæ fervebat zelus: is bene utendum occasione ratus, ad perdendos eos, qui populum universum sacrilegis mendaciis perditum ibant, dixit ad populum: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.* Ipsi autem justo dolore commoti adversùs eos, à quibus ad tantum errorem inducti, nutritique essent, certatim invaserunt eos. *Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* Dicitur autem Elias occidisse prophetas, quia jussit, ut occiderentur à populo: quomodò etiam dicitur illos duxisse ad torrentem Cison, quia fecit, ut comprehensi à populo ducerentur. Obedientes enim jussioni Eliæ, vel ipsorum impostorum odio, vel Eliæ ferventissimi divinæ gloriæ zelo succensi, timore perculsi, certatim invaserunt eos. Atque ita ipse S. Elias fuit veluti primus in veteri Lege fidei Inquisitor, vel (si titulus non arrideat) ut eximius ac acerrimus divini cultûs propugnator contra hæreticam, & idololatricam pravitatem, & in vindictam sanguinis Prophetarum, quem impia Jezabel his annis effuderat. Ita Lezana (a) Torrens ille Cison à monte Thabor descendit versùs Carmelum, ut notat Salianus ita scribens (b) Jam consecratus erat hic torrens celebri victoria quam dedit olim Deus Baraco, & Deboræ contra Sisaram, ut habetur in libro Judicum, (c) quæ etiam à Davide celebratur. (d) Nec quemquam moveat quòd hic torrens, juxta eam historiam, ad montem Thabor pertinere videatur, satis à Carmelo monte remotum, is enim indè effusus, penè ad radices Carmeli montis excurrit; ut videre est in tabulis Adrichomii. Ita Salianus. Adrichomius autem ad hoc propositum ista scribit: (e) *Carmelus maris, qui hebraicè dicitur Carmel, sive Charmel; mons excelsus valdè, & nemorosus.* Et paulò post: (f) *Hic ad torrentem majorem, qui contra Occidentem labitur, Propheta Elias 850. Prophetas Baal, quos divina justitia zelo accensus in monte Carmelo comprehenderat, ab Israëlitico populo adjutus, omnes occidit, eorumque cadavera in torrentem projecit.* Et infra: (a) *Cison torrens qui alias Cyson, Cisson, Hebraicè autem Chison dicitur, ex pede montis Thabor scaturit ... Tandem juxta Carmeli radices, à civitate Caipha contra Septentrionem, uno; à Ptolemaide autem versus Meridiem, tertio miliario, se in mare magnum exonerat.*

Propheta Baal, Dei instinctu, à S. Elia occidi jubentur,

ne ulteriùs populum perverterent.

Inquisitor fidei primus in Lege veteri S. Elias:

(a) tom. 1. Annal. ad an. mund. 3126. n. 4.
(b) ad eumd. an.
(c) Jud. 4. 7.
(d) Psal. 82. 10.
(e) sub tit. Issachar n. 19.
(f) n. 20.

170. Is fuit unus inter præcipuos ardentis zeli Eliani effectus, cùm sacrilegos istos populum dementantes, & à Deo avertentes, ac ad Baal colendum incitantes, occidi jussit; ne ulteriùs populum perverterent: *Elias zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis Sacerdotes, & quadringentos sacrorum nemorum, comedentes de mensa Iezabel, justâ sapientique indignatione in totius Israël utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit*, inquit S. Basilius (b) Ita quoquè S. Eliseus, Eliani spiritûs duplicis & zeli pro Dei honore hæres, pueris se irridentibus *maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Nemo ergo B. Eliseo ore vipereo derogare præsumat; quia hoc, quod de pueris illis factum est, non tam ipse propriâ virtute, quàm per illum Spiritus sanctus fecisse credendus est. Sed hoc, sicut dixi, pro grandi pietate, & ineffabili misericordia factum est, ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Iudæi nolebant credere, vel cum severitate vindictam irrogatam metuerent, & timentes mortem corporum vel sic salutem requirerent animarum. Quam rem non solum in veteri Testamento, sed etiam in novo per B. Petrum Apostolum in Anania & Saphira legimus fuisse completam. Sic quoque Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Phineës justâ contra publicè fornicantes, irâ, ut oportebat, usus, protinùs utrumque trucidavit.* Ita idem S. Basilius. (c) Plura ad hoc propositum videri poterunt apud Tostatum (d) has assignantem rationes occisionis Prophetarum Baal: *Primo quia ipsi merebantur mortem, cùm essent valde idololatræ, & non solum erant idololatræ sed etiam populum seducebant, inclinando ut coleret Baal, & idola alia, populus autem reliquus, licet coluisset idola, non tam graviter peccaverat, quia seductus à prophetis Baal, & Lucorum, faciebat hoc. Secundo quia mandato Dei egit hoc, nam Deus jussit Eliæ facere omnia, quæ suprà egerat, ut ipse dixit suprà in litera* (nempè his verbis, Deum alloquens (e) *Iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.*) *Tertio, quia egit istud ex zelo Dei, scilicet, motus contra idololatras; nam omnia quæ egit hic ex magno zelo erant, ut patet sequenti cap. scilicet: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Addit: *Dicitur hic, quòd Elias occidit istos prophetas, ex quo non concluditur, quòd ipse per se occideret illos, sed satis est, quòd dicatur, quòd jussit illos occidi à populo.*

(a) sub tit. Zabulon.

(b) Homil. 20. de invidia.

Pueri irridentes S. Eliseum, ab eo maledicti Dei instinctu:

& cur:

simile per S. Petrum in Anania, & Saphira.

(c) Homil. 20. de Invidia.
(d) in c. 18. lib. 3. Reg. quæst. 35.

(e) lib. 3. Reg. c. 18.

CAP. XII.



)rante Elia ad pluviam obtinendam; *ſeptima vice*; ecce *nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*
. *REG.* 18. Per hanc nubeculam revelatur Eliæ ſeptima mundi ætate naſcituram Virginem à peccato originali
mmunem, quæ virginitatem amplexata mundi pareret Redemptorem *Ioan.* 44. *Patr. Ieroſ* *c.* 39 *et* 40.

CAPUT XII.

S. Elias puritatis, & immaculatæ Conceptionis Deip. Virginis præscius, & ejusdem cultor, imitator, ac præco.

171. S. Methodus, Venerabilis Pater, Episcopus Tyri, martyrio coronatus temporibus Diocletiani, clarus scriptis nobilissimis (a) inter quæ est celebris homilia, nuncupata: *de Simeone & Anna, quo die in templo occurrerunt, & de sancta Deipara*, ubi ipsius sanctæ Deiparæ puritatis præsagum fuisse magnum Prophetam Eliam his adstruit verbis: *Puritatis etiam tuæ*, inquit, *Elias Propheta præscius, atque Imitator in spiritu cùm esset, vitæ illius ignifera sibi coronam colligavit, in hunc usque diem Divinô suffragiô morte superior declaratus. Te quoque, ejusdem successor Eliseus, à Sapiente Magistro his sacris initiatus, tamquam jam existentem, quæ tamen nondum existebas, præfigurans.* Latiùs illa traduntur à Joan. Hierosol. in libro *de institutione primorum Monach.* (b) ubi ista: *Elias ascendit in montem Carmeli . . . Ecce nubecula parva.* Quid per illam *nubeculam* tunc Eliæ revelatum fuerit, ibi sic explicatur: *Quid ergò Sacramenti rerum futurarum præter historiam visio intrinsecùs contineret, & quid magni mysterii Deus Eliæ, tunc stanti prono, per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire, non palam omnibus, sed secretè suis consortibus. A quibus traditum tenemus*, &c. Et infrà: *Revelavit Deus Eliæ, quòd quædam infantula, scilicet B. Maria, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare; quæ infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa de mari amaro orta; sine tamen aliqua amaritudine. Licèt namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis.* Ita præfatus Joannes Patriarcha: & paulò infrà: *Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa de qua per Moysen figuratè est scriptum. Ecce Gloria Domini apparuit in nube.* (c) Itaque quemadmodum nubes à mari oritur, valdè tamen distinctæ qualitatis ab ipso est: mare amarum, gravidum, & ponderosum, opacum, & sterilizans, nubes verò valdè est semota ab his imperfectionibus, dulcis, levis, lucida, & fæcundans. Sic Beatiss. Virgo, licèt orta de humana natura, tamen tota pulchra sine macula humanæ propaginis venustissima apparet. Ferdinandus Chirinos, seu Quirinus de Salazar, Soc. Jesu, ab eruditione & pietate singulariter commendatus in *Bibliotheca Hispana* (d) in *Defensione*, seu *Informatione pro immaculata Deip. Virg. Conceptione* sic exponit mysterium Nubeculæ istius: *Oriebatur scilicet, nubecula illa dulcis ab initio: & Maria (quæ dulcis ab Hieronymo, & aliis sæpè Patribus appellatur) dulcis ab ipso naturæ exordio, sine ulla peccati amaritudine extitit: Ascendebat illa levis: Et hæc nullo umquam criminis pondere gravata super omnes homines altiùs ferebatur.* Circa præfata verba: quod *quædam infantula nasceretur, quæ ex utero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur*, Laur. de Aponte commentans *in Sapientiam Salomonis* (a) Conceptionem immaculatam Deiparæ absque peccato originali comprobans ex Scripturis S. sensu Ecclesiæ, & Patrum, cùm adduxisset præfata verba: *Quæ infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde*, post ista verba *in suo ortu*, subjungit: *Ortum sumi pro principio, undè tantum est, ac si dixisset, in suo principio, esset munda ab omni peccatorũ sorde, quemadmodũ nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamẽ aliqua amaritudine. Quid clarius?* Id ibi latiùs confirmat.

(a) de quo Martyrol. Rom. & Card. Bar. ad diem 18 Septemb.

Puritatis Deiparæ præscius S. Elias.

(b) cap. 39.

Nubecula à S. Elia in Carmelo visa, typus Deiparæ, & Conceptionis immacul.

Conceptio immaculata Deiparæ revelata S. Eliæ.

(c) Exodi 16.

(d) per D. Nic. Antonium, Romæ excusa.

(a) cap. 1. num. 4. digress. 2. §. 3.

172. Nubeculæ præfatæ in Carmelo visæ à S. Elia ulteriorẽ explicationem tradit præfatus Joan. Hierosol. (b) ita scribens: [*Per nubem* V. Maria, sicut dictum est, designatur. Per *ventũ* verò Spiritus S. significatur: quemadmodùm per Prophetã dicitur: *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Igitur cæli, & nubes, & ventus fuerunt contenebrati: quoniam *virtus altissimi ita obumbravit* illi Virgini, quòd Dei filius, per operationem sancti Spiritûs, junxit sibi ex carne Virginis illius animatum corpus humanitatis, quasi umbraculum suæ divinæ lucis. Quemadmodum Gabriel Angelus illi Virgini ita prædixerat: (c) *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibĩ. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Et tunc *facta est pluvia* gratiæ *grandis*: quoniam (d) *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis, de cujus plenitudine omnes nos accepimus*:] Ita Patriarcha ille. Sacra Virgo Deipara etiam ex mente Patrum Hieronymi, Cyrilli, Ambrosii, Procopii, Cornelii à Lapide, & aliorum, est nubes illa, de qua (e) *Ascendit Dominus super nubem levem*: quæ nobis pluit Christum, & largitatem gratiarum. S. Hieronymus explicans istud Psalmi 77. *Deduxit eos in nube diei*, exponit de Beata Virgine: *Pulchrè*, inquit, *dixit* DIEI; *nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce*, ab ipsa sua Conceptione immaculata, absque peccati caligine, & gravitate, sicut jam ante declaratum. Dicitur etiam *Nubes levis*, quia super omnes res terrenas, quasi nubes, ait Procopius, eminebat, mundumque suo peccatorum fœnore & onere alleviabat: hæc nobis pluit Christum, & per eum interna mentis nostræ humectat, ac concupiscentiam restinguit. Ita S. Ambrosius (f) Porrò Nubeculam illam, in Carmelo visam à S. Elia ibi orante, fuisse typum B. Virginis, esse sensum Apostolicæ Sedis, eruitur ex illis verbis: *In eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nubeculam* * *Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerunt.* Ita legitur in Officio Commem. solemnis, sæpius auctoritate Ecclesiæ approbato (g). Plura de præfata Nubecula, & præsignata per eam Deiparæ conceptione immaculata, tradentur in Speculo Carmelitano. (h)

(b) lib. de instit. prim. Monach. cap. 42.

Nubes denotat quandoque S. Virg. Deiparam.

(c) Lucæ 1.

(d) Joan. 1.

(e) Isa 19.

(f) l. de instit. Virginum.

* al. nebulam.

(g) vid. hic suprà n. 29.

(h) to. 1. n. 215. & seq. & to. 2. n. 2635. & seq.



Elias Pergens in desertum obdormivit in umbra Iuniperi, et ecce Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge et comede: grandis enim tibi restat via: Et ecce ad caput suum subcineritius Panis, et vas aquæ. Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. 3 REG. 19

CAPUT XIII.

S. Elias fugit in desertum, ubi sub umbra juniperi dormiens, ab angelo excitatur, & cibatur: deindè jejunat 40. diebus.

173. T*Imuit ergò Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas* (a). Sed cur S. Elias timuit, & fugit in desertum? Causam hanc adfert S. Ambrosius (b) *Fugit Elias mulierem Iezabel, id est, effusionem vanitatis.* Et infrà: *Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantus, sed seculum. An mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: Recipe animam meam? tædium vitæ istius sustinens, non cupiditatem: sed fugiebat secularem illecebram, & conversationis maculosæ contagionem, & impiæ, ac prævaricatricis nationis sacrilegia.* Ita ferè etiam S. Basilius (c). Sequitur in sacro Textu: *Petivit animæ suæ ut moreretur. Tolle animam meam.* Igitur mortem non timebat, sed optabat Elias, & fugit, non quòd mortem timeret; sed econtrà à Deo mortem sibi precabatur: sed occidi timebat à Jezabele, ideò *ne videretur superatus, & victus a Iezabele, & cum ipso vera Dei religio Iezabel enim jactasset, se occidisse Eliam, & cum eo supplantasse Dei fidem, & cultum. Optat ergo à Deo sibi mortem immitti, ne illa à Iezabele inferatur non tam sibi, quam Dei cultui, & religioni.* Ita Cornelius à Lapide (d) Ibidem hanc adfert allegoricam rationem, Quòd Elias ibi repræsentaverit infirmitatem Christi paventis in horto, nec non fugientis seu se abscondentis, ne lapidaretur. Quòd Elias ideò fugerit, & occidi timuerit, ne eo occiso nullus zelator, qui se Baalitis opponeret, superesset: id confirmabitur capite sequenti: luculenter, & eruditè circa præfata disserit Tostatus. (e) *Perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, & sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi:* &c. *Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

(a) lib. 3. Reg. c. 19.
(b) lib. de fuga seculi c. 6.
Fuga S. Eliæ in desertum, ad montem Horeb.
(c) Homil. de S. Gordio Mart.
(d) in c. 19. l. 3. Reg.
(e) in c. 19. l. 3. Reg. q. 3. & 4.

174. Igitur *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* tunc jejunavit Elias. Totidem diebus jejunavit etiam Moyses, & posteà Christus; cujus imitatione Ecclesia instituit jejunium Quadragesimæ. De Eliæ jejunio multa scribunt Patres, & quidem magnus Basilius (f) *Iejunium Eliam magni illius miraculi spectatorem fecit, qui quum quadraginta dierum jejunio repurgasset animam, ita demum in spelunca, quæ est in Choreb, promeruit videre Dominum, quatenùs quidem homini videre datum est. Iejunans vidua filium suum restituit adversus ipsam etiam mortem robustus factus per jejunium. Vox ab ore jejuno proficiscens, populo transgressori clausit cælum, annos tres, ac menses sex. Vt enim indomitum obstinatorum, duraque cervice Deo rebellium, cor emolliret, voluit & seipsum eâ calamitate cum cæteris condemnare.* Similiter scribit S. Ambrosius (a). Quantùm ad ista S. Eliæ verba: *Petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Quærit Salianus (b) Quomodò potest quis optare sibi mortem, quam alteri desiderare non potest, cùm tamen majore erga seipsum amore, quàm erga cæteros affici debeat? Et respondet: Nimirum ex odio vitæ aut ærumnarum, quæ eam comitantur, impatientiâ, aut laboris tædio, nemo sibi, aut alteri mortem desiderare potest. At ex desiderio fruendi Deo, licet cum Apostolo Paulo (c) desiderare *dissolvi, & esse cum Christo*; & mortem in lucro ponere, subintellectâ conditione divini beneplaciti, & utilitatis proximorum, quæ fuit S. quoque Martini mens optantis mortem, sed non recusantis vitam, si populi saluti necessarius foret. Justum quoque esse idem desiderium ex zelo divinæ gloriæ, quam nolit videre proculcatam, hic exemplo est noster Elias, (d) qui ingenti dolore ac zelo accendebatur, cùm videret Domini prophetas ab impia Iezabele impunè trucidari; altaria divina disturbari, & pactum cum Deo initum sacrilegâ defectione antiquari.... Quamquam, ut eruditè vidit Abulensis (e) non est hoc propriè mortem desiderare, sed ex divino zelo usque adeò abhorrere mala quibus violatur divinum numen, ut cùm ea impedire non possis; nolis saltem videre, cariusque tibi sit mori, quàm viventem testem fieri injuriæ, & contumeliæ in Deum irrogatæ. Plura de istis videri poterunt apud Tostatum. (f) *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Hinc patet huic cibo, & pani admirandam à Deo inditam fuisse virtutem, ut Eliæ vires sufficerent ad iter agendum sine alio alimento per 40. dies & noctes. Undè Auctor Mirabil. S. Scriptur. *lib.* 2. 19. asserit, panem hunc mirabiliter factum manibus Angelorum, licèt Abulensis naturalem, & communem putet fuisse, cui Deus hanc vim ad confortandum Eliam indiderit, ut alio cibo non indigeret. Ita Cornelius à Lapide, qui & addit: Allegoricè per panem hunc Eliæ, Patres accipiunt Eucharistiam, cujus virtute per 40. dies, id est per totam vitam, quæ nobis est tempus jejunii & pænitentiæ, *ambulamus ad montem Dei Horeb*, ut scilicet videamus *Deum Deorum in Sion.* Ita Paschasius Radbertus. (g) Algerius, (h) Rupertus, (i) Hinc in festo Corporis Christi ad officium illa leguntur: (k) *Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem: qui surgens comedit, & bibit: & ambulavit in fortitudine cibi illius, usque ad montem Dei Horeb.*

Iejunavit S. Elias 40. diebus.
(f) Homil. de laud. jejunii.
Iejunii quanta vis.
(a) libro de jejunio, & Elia c. 2.
(b) in Annal. ad an. mundi 3127 n. 5.
Mortem sibi optare quomodò liceat.
(c) ad Philip. 1. v. 23. & seq.
(d) 3. Reg. 19.
(e) q. 4. in c. 19. 3. Reg.
(f) eod. loco.
Panis ab Angelo datus Eliæ, magnæ virtutis.
Eucharistiæ allegoricè significat.
(g) lib. de sang. Chr. c. 10.
(h) de SS. Sacram c. 5.
(i) l. 5. c. 10
(k) ad Matut. Resp. 3.



Mansit Elias in spelunca. Et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: quid hic agis Elia? ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum. etc. REG. 19.

CAPUT XIV.

* al. Oreb, & Choreb, & Sina, ac Sinai.

*S. Eliam in spelunca montis Horeb * alloquitur Dominus, cui ipse flagrantissimi cordis responsa depromit.*

175. IGitur S. Elias postquā jejunasset quadraginta diebus & noctibus venit ad montē Dei Horeb. *Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum, dixitq; illi: Quid hîc agis Elia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Horeb idem est qui mons Sinai (aut ejus pars) ubi Moysi data fuit lex, & cum Deo collocutus fuit, ac Dei pertranseuntis gloriam vidit. Atque ita ibidem Elias pro lege Dei patiens, & pugnans, cum eodem quoque locutus fuit, & Deum conspexit. Ibi ista è flagrantissimo divini honoris pectore verba eructavit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Vatablus vertit: *Mirâ zelotypiâ teneor pro Domino Deo: quasi diceret: Crucior in honorem Dei quâdam quasi zelotypiâ, & quasi sustinerem Dei personam, crucior, cùm videam Synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficere, & ad Baal, quasi ad adulterum, transire.* Zelus ille Eliæ tantus fuit, ut Venerabilis Beda eum super omnia ejus miracula attollat, ita scribens: *Admirandum*, inquit, *in Elia ego minimè reor, quia cælum clausit, quia induxit famem, quia ignem de cælo sermone composuit, sed quia zelavit pro Deo, eratque in hoc mentis affectu ipso igne vehementior.* Hinc Cornelius à Lapide (a) Eliam assimilat Apostolis: *Elias ardens ut ignis, repræsentabat Apostolos, corde igneo, & linguis igneis à Spiritu sancto acceptis in Pentecoste, euangelizantes toto orbe magnalia Dei & Christi. Vndè de iis dixerat Christus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Et infrà: *Elias repræsentat viros zelosos, reformationis & morum studiosos, ac præsertim ferventes Doctores & prædicatores, qui suo ardore alios succendunt, juxta illud Ieremiæ 20. factus est (sermo Domini) in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.* Igitur *zelo zelatus pro Domino Deo exercituum*, ferre non sustinens idololatriam, quasi deficiebat S. Elias, eratque in corde ipsius quasi ignis exæstuans, ideo quòd cultus Baal promoveretur, & aboleretur cultus Dei veri, ac ejus altaria destruerentur. Addit: *Prophetas tuos occiderunt gladio* (quia sese opponebant cultui Baal) *Derelictus sum ego solus* (Propheta & zelator veræ religionis, qui me validè eidem oppono) & *quærunt animam meam*, ut me occidant: me ergò occiso nullus supererit propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet, & Baalitis se opponat. Actum ergò est de vera religione, de tuo cultu, de tota Synagoga: omnia occupat impia Jezabel: ubique colitur Baal: ubique exundat perfidia, & idololatria. Hæc est causa mei doloris & mæroris, meæ fugæ, & exilii, ut mori optem potiùs, quàm vivere, & videre tanta mala gentis meæ, & populi Dei.

Zeli Eliani ardentissimi verba:

Horeb, & Sinai idem mons.

zelus Eliæ maximè admirabilis:

(a) in c. 48. Eccli.

erat ardens ut ignis:

176. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, occidendo videlicet prophetas Baal, prophetasque lucorum, populum à veri Dei cultu avertentes: Vindex fui sacrilegæ desertionis à Domino, & ararum eversarum, qualis fuit ea, quam in Carmelo destructam, nuper restauravi. *Zelo zelatus pro Domino Deo exercituum.* Scilicet magnum zelum habui pro lege Dei, quæ destruebatur à peccatoribus, & ideò increpabam eos; sicut patuit in Achab, & in toto populo, loquendo eis asperè, quia dereliquerant legem Dei, & posteà occidendo octingentos, & quinquaginta Prophetas Baal, & lucorum. *Quia dereliquerunt pactum Domini filii Israël.* Scilicet, dereliquerunt legem ejus, non colendo ipsum, sed Baal & idola alia. Vocatur lex *pactum*, (a) eò quòd per modum pacti data est: nam Deus promisit Israëlitis benefacere, si colerent eum, & Israëlitæ promiserunt servare legem Dei: & istud est pactum, & ibi etiam vocatur pactum. Ita Tostatus, qui consequenter quærit: *Quæ altaria Dei destructa fuère ab idololatris?* Sequitur: Respondendum, quòd Elias conqueritur hîc de destructione altarium Domini: non quidem de altari holocaustorum, & thymiamatum, quæ erant in templo, sed de altaribus Dei, quæ facta erant in montibus, & in aliis locis extra locum Sanctuarii. Nam ista deleta fuerant ab idololatris. De his altaribus destructis patet cùm dicitur, quòd *Elias curavit altare Domini, quod destructum fuerat*, & istud fuerat in monte Carmelo. Quòd in Carmelo fuerit altare, destructum à Jezabele, habetur ex istis Sacri textûs (b) verbis: *Congregavit prophetas in monte Carmeli . . . curavit altare Domini quod destructum fuerat.* Et verisimiliter etiam ibi *interfecit Iezabel prophetas Domini*, quando ex eis Abdias abscondit quinquagenos & quinquagenos in speluncis. (c) Quantùm ad prætactum flagrantissimum S. Eliæ zelum pro Dei honore, & legum ejus observantia, illum unam ex causis fuisse mirabilis ejus raptûs, testatur sacer textus his verbis (d) *Elias dum zelat zelum legis receptus est in cælum*: Hinc S. Ambrosius scribit: (e) *Elias propter zelum Dei, curru elevatus in aërem, cælestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu.* Et Abbas Rupertus: (f) *O, igitur perfectum odium, & sanctum boni zeli incendium, cujus dignitatem cæli testificati sunt continendo ad ejus imperium, & rursus dando terris pluviæ beneficium. Amplius autem, mittendo currum igneum cum equis igneis ad sublevandum victorem emeritum, & potentem divinitatis amicum.*

zelus Eliæ quæ operatus fuerit:

(a) Exodi 19. v. 5.

Altare in Carmelo tempore Eliæ.

(b) 3. Reg. 18.

(c) 3. Reg. 18.

(d) 1. Machab. 2.

(e) Serm 7.

Zelus Eliæ causa præcipua raptûs ejus in Paradisum.

(f) de Victoria verbi Dei lib. 5. c. 14.



…it Dominus Eliæ: Egredere, et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit etc. post igne…
…bilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ. 3. REG…

CAPUT XV.

Dominus Eliam alloquitur in monte Horeb, mirabili eum visione consolans, & instruens.

3. Reg. 19. Dei cum Elia colloquium, in; portentis admirandis.

177. ET *ait* (Dominus, seu Dei Vicarius Angelus) *ei* (Eliæ) *Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus: & post spiritum commotio: non in commotione Dominus: & post commotionem ignis: non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia? Et ille respondit: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Chaldaica versio mirabilem illam visionem in monte Horeb exhibitam S. Eliæ sic exprimit: *Ecce gloria Domini revelatur, & ante eum erat exercitus Angelorum, venti, disrumpentium montes, & confringentium petras ante Dominum: non erat in exercitu Angelorum venti majestas Domini: & post exercitum Angelorum venti erat exercitus Angelorum commotionis* (excitantium terræ motum) *non erat in exercitu Angelorum commotionis majestas Domini: & post exercitum commotionis, exercitus Angelorum ignis: non erat in exercitu Angelorum ignis majestas Domini: & post exercitum Angelorum ignis vox canentium in silentio.* Prodigia penè eadem hoc ipso in loco acciderunt, quandò ibi à Deo Moysi data est lex, ut liquet Exodi c. 19. ubi ista: *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Quare locus iste iterum jam fulminantem Deum, & tonantem fuerat expertus. Cùm Deus pactum iniit cum Israëlitico populo, montem concussit Sinai, audiri fecit tonitrua, & apparêre fulgura, & splendêre ignes: eadem etiam edidit signa, cùm contemptum pactū, & conculcatam legem reparare vellet. Neque enim opus minoris esse operæ, atque studii solet, facere novum, quàm instaurare, aut revocare ruinosum, & vetus. Ingressus est quodammodo Dominus in hominum animos tonando, fulgurando, commovendo montes, quandò legem tulit in monte Sinai: & eadē edidit signa in monte Horeb, qui, uti jam ante dictum est, idem est cum monte Sinai, aut certè illius pars non ignobilis. Ita Sanctius *a.*

Sinai, & Horeb idem mons.

(a) in c. 19. lib. 3. Reg. ad v. 11.

178. Visio illa significabat Dei virtutē, efficacitatem, & vindictam omnia penetrantē. Cornelius à Lapide addit, hâc visione significatam fuisse Dei naturam, & majestatē, quæ non est ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus; sed subtilissimus, mitissimus, & purissimus spiritus. Hæc ergò Dei apparitio fuit quasi *scintillatio divinitatis.* Rursùm, significatur hîc Dei indoles, cui propria est lenitas & clementia. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodammodò facit invitus, & *tactus dolore cordis intrinsecus*, quia *proprium est illius misereri, & parcere*; atque ideò non inhabitare dicitur in turbine, & igne; quia hæc aliquid sonant horribile, & humanis commodis importunum, sed in *aura tenui*, quæ recreat, & reficit laborantem spiritum. Ita ille. Et paulò ante: Primò ergò ipsius oculis, & sensibus offert ventum validissimum, adeò ut is videretur subversurus montes, & contriturus petras; mox ingentem terræ motum; deindè ignem ardentem, & flagrantem. Quarto deniq; loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, sivè spiritum, & sibilum, repræsentantem se, & suam elementiam ac providentiam: spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam, & longanimitatem ad punienda peccata. Hinc Tertullianus (a) *Sedet in throno spiritus ejus* (id est Dei) *mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias: nam ubi Deus, ibi & alumna ejus, patientia scilicet.* Et S. Macarius (b) *Ecce*, inquit, *vox auræ tenuis, & in ea Dominus. Liquet ergò, quòd quies Domini sita est in pace, & tranquillitate.* Animadvertendum, quòd ex prædictis omnibus, sicuti S. Elias, ita etiam viri Apostolici omnes instruantur, qualiter variè, prout salus & perfectio proximorum exigit, hominibus se attemperari debeat eorum zelus, modò sic incitatus, & vehemens, ut disrumpat saxa, & ab imâ stirpe robora convellat; modò excitet ignes, exurat vitiorum fibras, & inolitas sordes concoquat, ut purum relinquat aurum, divinæ mensæ non indecorū. Hujus exemplum fuit Paulus, quem modò videas tonantem, fulminantem, concutientem, saxorum instar obduratos animos; modò lenientem oratione leni, & quasi nutricem pugillorum ori lac immulgentem euangelicū. Quod ut discipulus Timotheus faceret, verbis gravissimis admonuit (c). Hæc enim omnia his verbis complexus est. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Sequitur in Textu (d): *Elias operuit vultum suum pallio*, ut Deo se hisce signis ostendenti reverentiā exhiberet, quasi indignus qui in eum aspiceret, eumque contueretur. Sic Moyses (e) vocatus à Deo est, qui visus fuerat in ardenti rubo, cùm tamen illud à Domino præceptū non esset, vultum operuit, postquam in rubo Deum esse cognovit. *Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.* Præterea ex consideratione propriæ infirmitatis Eliam velasse faciem suam tradit Greg. Papa (f) *Tunc*, inquit, *verum est, quòd de Deo cognoscimus, cùm plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus, undè benè illic subditur: Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Post auræ tenuis sibilum vultum suum Propheta operuit pallio; quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quantā ignorantiā homo contegatur, agnoscit.*

Scintillatio Divinitatis, Deique majestas significata Eliæ in Horeb.

Sibilus auræ tenuis innuit Eliæ, Dei spiritum mitissimum, & mansuetiss.

(a) lib. de Patientia c. 15.

(b) Homil. 6.

Superiorum, & Apostolicorum virorum insigne documentum.

(c) 2. Tim. 4.

(d) 3. Reg. 19.

(e) Exodi 3.

Deum cur aspicere non ausi Moyses, & Elias.

(f) lib. 5. Moral. c. 26

CAP. XVI.



...it Dominus ad Eliam: Elisæum filium Saphat, qui est de Abelmeula unge Prophetam pro te. Profectus
...de Elias reperit Elisæum arantem in duodecim iugis boum: cumque venisset ad eum, misit
...allium suum super eum: qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. 3. Reg. 19.

CAPVT XVI.

Vocatio S. Elisei ad propheticam monasticam disciplinam.

179. Vocatio S. Elisei sic traditur in Scriptura sacra (a) *Et ait Dominus ad eum: vade, & revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, & Iehu filium Namsi unges regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te:* & paulò infrà: *Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum: & ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixitque ei: vade, & revertere: quod enim meum erat feci tibi. Reversus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.* Pater Elisei fuit *Saphat*, vir locuples, utpotè qui habebat duodecim juga boum, iisque per duodecim aratores ager ingens colebatur, unà cum multis aliis operariis, qui sufficerent pro consumptione duorum boüm. Boves autem istos fuisse ipsius, aut filii ejus Elisei, patet ex eo, quòd ex eis duos mactaverit pro epulo, quô suis valedixit, sicut mox pleniùs declarabitur. Ad hunc igitur missus fuit S. Elias: *& unctio Eliseum fecit Prophetam, pallium autem, Eliæ contubernalem, & Monachum*, inquit Sanctius in illum textum. Itaque Elias *misit pallium suum super illum*, ut eum vocaret ad se sequendū, eumq; sibi faceret socium, suique instituti participē, ut jam novitiis in Religione datur pallium, sivè vestis ejusdem Religionis. Hâc ergò ceremoniâ institutus est Eliseus propheta socius, & successor Eliæ: ejusque cor omninò à Deo immutatū est, atque ex laico factus est Religiosus, ex agricola Propheta, ex idiota theodidactos. Undè statim reliquit boves, domum, parentes, &c. secutus est Eliam.

(a) lib. 3. Reg. c. 19.

S. Eliseus vocatus à S. Elia, relictis omnibus, secutus est, Propheta, & Monachus effectus,

180. Tunc igitur S. Eliseus mundo renuntiavit, mundana omnia relinquens, dum ad unam Eliæ voculam reliquit boves, & omnia quæ habebat, sicque pauper pauperem *secutus est Eliam*. Sicuti posteà fecerunt Apostoli Christi; *sic enim quandò Christus vocavit discipulos suos, relinquebant omnia, & sequebantur eū: quandò Christus vocavit Petrum, & Andream fratres, relictis retibus secuti sunt eum. Sic etiam Iacobus, & Ioannes Zebedai, fratres relinquentes patrem, & navem, vocantem Christum secuti sunt, Matthai* 4. ita Tostatus (b) atque alii. *Quomodò igitur* inquit S. Nilus Abbas (c) *Eliseus cùm se Eliæ magistro addiceret, mundo renunciavit. Reperit, inquit, Eliseum arantem in duodecim jugis boum, & ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat. Et tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes. Hæc promptum ardentis animi studium declarant. Neque enim dixit: vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque consideravit ea, si venderentur, emolumenti plus allatura. Sed cùm totus esset incensus cupiditate, quâ ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tamquam à recto proposito revocantibus, studuit explicare.* Conformiter scribunt alii, ità quidem idem Tostatus: (a) *Cum aratro coxit, scilicet fregit aratrum, & comminuens in partes posuit in igne, & ibi coxit boves: hoc fecit non quidem tamquam non haberet alia ligna, sed quia transibat ad Dominum, omninò volebat renuntiare sæculo, ita quòd nihil relinqueret in illo, quod ad se pertineret: & quia boves duo, & aratrum pertinebat ad Eliseum, & in ipsis solebat arare, voluit utrumque cōsumere, boves tradendo in convivium, & aratrū cremando, ita ut jam nihil ad se pertinens relinqueret in sæculo, sed totus ipse transiret ad Dominum: quod valdè magnum exemplū est pro eis, qui ad Dominum transeunt, quòd nihil in sæculo relinquere debeant, ad quod afficiantur.* Ita ille: sic quoque Sanctius: *Duo*, inquit, *hîc invenio, quæ maximè Elisei commendant alacritatem in relinquendo sæculo, & amplexando religioso instituto, strenuum animum, & studiū fidele.* Illa ibi consequenter accuratè prosequitur: hæc autem inter alia scribit: *Hæc duo videri possunt novo Prophetæ ac monacho contigisse*, ac tandem ista: *Quomodò fecit multò posteà Matthæus, qui vocatus à Christo reliquit omnia, & convivium apparavit splendidum, ad quod Christum cum discipulis, & eorum aliquos, quos habuerat amicos, & socios invitavit, Matth. cap.* 9. Hinc meritò de ipso canitur in hymno Ecclesiastico. *

mundanis omnibus perfectè renuntians, sicut fecerunt Apostoli:

(b) in c. 19. lib. 3. Reg. q. 23.

(c) in Asceterio.

(a) in cap. XIX. lib. 3. Reg. quæst. 16.

totus ad Dominum transiens: exemplum præbens Religiosis omnibus.

> *Hic vir exemplum dedit abdicantibus*
> *Mundo: prophetam dum Eliam sequitur,*
> *Relicto patre, atque sæcli retibus,*
> *Consociari optans cæli civibus.*

* Festo S. Elisei ad Matutin.

181. Qualem autem vitam Eliseus, discipulus Eliæ, & monachus effectus, duxerit, sic paücis tradit S. Nilus (b) *Elias relictâ Iudæâ montem Carmeli, desertum, & ferarum plenum, incolebat, & præter arbores nullum habebat victûs solatium. Harum fructibus usum explebat necessarium. Eliseus itidem eamdem vivendi rationē servabat: à magistro enim suo cum reliquis virtutibus didicerat, & solitudine delectari.* Et quidem quòd Carmelum incoluerit, unà cum aliis filiis Prophetarum, eruitur ex eo, quòd post raptum S. Eliæ *abiit in montem Carmeli* (c) *suos qui ibi erant visitaturus*, ut scribit Salianus (d) Quòd autem in Carmelo plerumquè moraretur, eruunt Tostatus, Sanctius, Franciscus Suarez, & alii, ex historia Sunamitidis, quæ *venit ad virum Dei in monte Carmeli*, sicut legitur *cap.* 4. *libri* 4. *Regum*. Quòd autem frequenter illuc ad Eliseum ire solita esset, colligunt præfati, & alii Doctores, ex istis verbis antecedentibus: *Quam ob causam vadis ad eum? hodiè non sunt Calendæ, neque Sabbatum:* (e) videatur hic infrà cap. 18. Virtutes etiam sui magistri ęmulatus, ejus exemplo sublime exercitium pręsentiæ Dei sibi familiare reddebat, identidem reciprocans: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto. Vivit Dominus, ante quem sto.* (f)

(b) in Asceterio.

S. Elisei virtutes,

(c) 4. Reg. 4.

(d) in Annal. ad an. mundi 3139 n. 63.

(e) 4. Reg. 4. v. 23.

(f) 4. Reg. 3. & 5.



ıнno mundi 3127. Ante Chriſtum 926. Elias diſcipulos in Carith comparatos, et cum Eliſæo ad Carmeli ıontem deductos, in monaſtica vita iuxta formam à Deo receptam, inſtruens, Inſtitutum ſuum Carmelitarum, d Virginis in nubecula viſæ honorem, Sancto dictante, et mandante Spiritu, inſtituit. *Ioan.* 44. *Patr. Ieroſ.* c. 2. 11. *et* 19. *lezana ad hunc annum. Arnold. Boſtius* P. 3. c. 2. §. 2.

CAPUT XVII.

S. Elias Ordinem suum propheticum monasticum constituit in Carmelo, & Deiparæ Virgini consecrat.

182. ANno mundi ter millesimo, centesimo vigesimo septimo, ante Christi nativitatem nongentesimo vigesimo sexto, juxta computationem Jacobi Saliani, & Lezanæ, S. Elias Ordinem suum propheticum-Monasticum (in Carith anteà inchoatum, seu delineatum) constituit in Carmelo, sicut in libro *de institutione primorum Monachorum* (a) refertur in hunc modum: *Reversus itaque jussu Dei Elias de spelunca montis Horeb in terram Israël, confestim instar auræ tenuis sibilavit, id est convocavit suos discipulos & cæteros Dei servos, ad Deum deinceps in Regno Israël securè colendum.* Et aliquantò post: *Quia ergò ex tunc, & non anteà, fuit Eliæ, & suis discipulis, liberum in Regno Israël securè conversari; studuit ipse deinceps Religionem quam inchoaverat, in loco idoneo plantare. Anno quidem decimo* * *regni Achab Regis Israël, ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem, elegit præ aliis eremis, Carmeli montem, tamquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo colendam meliùs, & exercendam. Mons quippè Carmeli præbet eremitæ homini ex sua solitudine silentium, & quietem; ex suis antris, congruam mansionem; ex suo saltu jucunditatem; ex suo eminenti situ, aërem salubrem; ex suis herbis, & fructibus, pastum uberem; ex suo fonte aquæ vivæ, haustum dulcem.* Conformiter scribit præfatus Salianus (b). *Post reditum Eliæ de monte Horeb, & videlicet assumptum Elisæum in discipulum, ac successorem, cùm Deo visum esset ipsum hinc abducere, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes Deo jugiter decantandas, undè & prophetare dicebantur, instituisse; habitu à prophanis hominibus, cultu, conversationeque distincta.* Istis adstipulatur Tirinus *in cap. 17. lib. 3. Reg.* & ad eumdem locum breviter Gaspar Sanchez his verbis: *Elias extra montem Carmelum Religiosum habuit cœtum, quem tamen posteà in montem Carmeli situm adduxit, ubi discipulis, qui posteà Filii Prophetarum vocati sunt, Monasticæ vitæ formam indixit*: idquè ad honorem purissimæ Virginis Deiparæ, prævisæ in typo Nubeculæ, de quâ hìc suprà. (c) Quòd autem *puritatis ejus præscius, & imitator in spiritu* fuerit, habetur ex S. Methodii testimonio ibidem adducto. De Nubecula illa, Conceptionem immaculatam denotante, & de Carmelitano Ordine à S. Elia, ad honorem Deiparæ in typo Nubeculæ istius præcognitæ, inchoato, tractant quoq; Petrus Martinengo (seu Rota) Ordinis Capucinorum: (d) Franciscus Batinellus Ordinis Minimorum, Provincialis Provinciæ Neapolitanæ: (e) Honufrius Manescalcus,

(a) cap. 19.

Carmeli Ordo à S. Elia fundatus an. mundi 3127.

* juxta Salian. anno XI.

(b) Annal. vet. Test. to. 4. ad an. mundi 3127 ante Chr. 926. num. XXIII.

(c) cap. 12. n. 171. *ad venerationem Virginis in typo Nubeculæ præcognitæ.*

(d) in Horto florido Concept. Script. ad 16. Julii de festo S. M. Carmelit.

(e) To. 1. Serm. de S. M. Carm.

(a) & alii plures. Atque ita Deip. Virgo Ordinis hujus fuit causa finalis, & exemplaris.

183. Quòd, & qualiter S. Elias in Carmelo Ordinem suum dedicaverit, & consecraverit Virgini purissimæ Deum parituræ (in typo Nubeculæ anteà in Carmelo visæ) suaviloquus Arnoldus Bostius in libro *de Patronatu B. Virginis* (b) his verbis exponit: *Hic itaquè Elias in exercitatione disciplinæ districtus, in laboribus fortis, & in sancta meditatione assiduus; quoniam propheticô jam spiritu, Redemptorem mundi nasciturum conspicabatur de purissima Virgine, omnium gratiarum plenitudine, virtutum, donorum, fructuum, beatitudinum, ac meritorum omnium multiplicitate ornandâ, & superimplendâ, mystici corporis membrum prægloriosum, imò & capitale, futurâ, & consociâ gloriæ, seu plenitudinis gratiæ Capitis Christi (ut sicut ipse Dominus noster, sic & ipsa Domina nostra in magnifica dominationis consortium ab eodem assumpta per orbem prædicaretur, & esset) anhela trahens in longinquum suspiria, totum se transfudit in amorem tam superexaltandæ Virginis, cui & annulum auream suæ fidei, veluti sponsæ suæ, amantium more, delegavit: & ad exemplum ejus, quasi ad sigilli spiritualis imaginem, Elisæum, Michæam Morastiten, Abdiam, Ionam, ac cæteros quos advocaverat (quorum & virtutibus, tamquam quibusdam stellis, canonicæ micant historiæ) secum tamquam Mariæ præcursores, continentiam virginitatis edocebat.* Ita ibi Bostius, & paulò infrà: *Eapropter Legislatrix Eliæ Maria: & totius Carmeli cœtûs legislatrix, fundatrixque primaria ritè dicitur. Ideoque quod stirpi rami, quod capiti membra, quod radii soli, quod fonti rivuli; hoc serenissimæ Dominæ Mariæ Carmelicolæ cuncti se justè debere, gratè, memoriter, & piè recognoscant.* Istis consonant Ordinis hujus scriptores alii, & quidem Ordinis Annalista P. Lezana (c): *Celebrem illam nubeculæ in Carmelo visionem habuit, per eamque, juxta sæpius dicta, Incarnationis mysterium expressiùs cognovit, & verbi Incarnati Matrem futuram purissimam, tum corpore, propter virginitatem, quam spontaneè secutura erat, tum spiritu, propter præservationem ab omni peccato, etiam, ex utero matris, nullus dubitabit, quin in tantæ Virginis, Matris Messiæ futuræ, amorem, reverentiam, & devotionem piissimus Propheta, veluti æstuans, & succensus, quidquid in ipsius obsequium facere posset, opere perfecisse. Ordinis igitur institutionem, quam tunc cogitabat, proculdubio in Virginis Beatissimæ gloriam, & honorem direxit.* Ex hactenùs dictis habetur, quo sensu intelligenda ista Bostii præfata verba: *Eapropter Carmeli cœtûs legislatrix, fundatrixque primaria Maria*, & Sixti IV. Iulii II. Innocentii VIII. & Gregorii XIII. Summorum Pontificum ista: *Ordinem eadem Virgo venustissima produxit, edidit*, videlicet tamquam causa finalis, & exemplaris, sicut pleniùs declarabitur in Speculo Carmelitano variis locis (d) Etenim, ut Theologi, cum S. Thoma (e) docent: *Non est necesse, ut causa causatum præcedat tempore: nihil prohibet id quod est posterius tempore, antequàm sit, movere*; videlicet ut causa finalis, & exemplaris.

(a) Serm. de B. V. M. de monte Carmel.

(b) cap. 2. §. 2.

(c) tom. 1. Annal. ad an. mundi 4086. Chr. 34. n. 43.

Carmeli Ordinem edidisse, produxisse, quo sensu dicatur B. Virgo Maria.

(d) n. 1726 & seq.

(e) parte 3 quæst. 62. art. 6.



Elias Sacellum in monte Carmelo ædificat, in quo ter quotidie, cum discipulis è speluncis egredientibus, conveniens, laudes Deo in psalterio, et cithara, et cymbalis jubilationis, decantaret. *Ioan. 44. Patr. Ierosf. cap. 11. 19*

CAPUT XVIII.

Semnion * *domum orationis in Carmelo construit S. Elias.*

* *seu* Seunion.

Oratorium in Carmelo, tempore Eliæ, & Elisei.

Semnion (domum orationis) in Carmelo à S. Elia ædificatum,

184. QUòd olim in Carmelo fuerit *domus orationis*, id est, *oratorium*, seu *Synagoga*, Scripturæ sacræ expositores eruunt ex *cap.4.lib.4.Regum*, sicut mox audiemus, cùm de eo aliqua delibata fuerint ex libro *de institutione primorum Monachorum*, in quo *c.19.* ista ad propositum: *Elias in monte isto* (Carmelo) *nedum habitare elegit, verùm etiam domum orationi consecratam, appellatam Semnion, in eo ædificavit, quæ ideò Semnion dicta fuit, quoniã Elias, & ejus discipuli, de eorum tabernaculis, & speluncis egredientes ad domum illam, honestè tribus vicibus quotidiè conveniebant: non quidem ad refectionem corporalem, vel ad aliqua corporu ministeria peragenda; sed ad Creatorem omnium litaniis, & orationibus suppliciter placandum, &, ut unusquisq; eorum cum Propheta diceret: Vesperè, manè & meridiè narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam. Conveniebant namque ibi in unum ad psalmos, cantica, & hymnos corde, & ore, ac cum instrumentis musicis, in laudem Dei canendos: ad volumina quoq; legis, & prophetarum à Patre eorum audienda, pariterq; legenda. In quorum disciplinis, atque exercitiis instituti ad perfectam, beatamque vitam, studiis jugibus, in eremo Carmeli coalescebant secundùm formam vitæ monasticæ per Deum creditam Eliæ.* Hactenùs ex præfato libro Joan. Patriarchæ Hierosol. In isto Oratorio (*Semnion* & *Synagoga* olim nuncupari solito) ipse S. P. Elias, S. Eliseus, & eorum discipuli, ac posteri, etiam certis diebus (Calendis, & Sabbatis) salutem procurantes proximorũ, illos instruebant, ac ad pietatem excitabant solemni suo cantu Divinarum laudum, & psalmorum, nec non interpretatione Legis, & exhortationibus habendis, prout Doctores colligunt ex illis *cap.4. lib.4. Reg.* verbis: *Quamobrem vadis ad eum? hodiè non sunt Calendæ, aut Sabbatum:* In quem locum ita scribit Abulensis (a). *Quæritur, quare dixit vir ad uxorem: hodiè non sunt Calendæ, nec Sabbatum: in quo innuebat, quòd in illis diebus haberet causã eundi ad Eliseum.* Et paulò infrà: *Et sic subintelligendum est, quòd sæpè ista mulier ivisset ad audiendum Eliseum in monte Carmelo in diebus Sabbatorum vel Calendarum: ideò dixit vir suus: non sunt hodiè Calendæ, nec Sabbatum.* Et in eundem Sanctius: *Hinc constat usitatum esse inter Hebræos, ut diebus sacris, atq; solemnibus, orationis ac Religionis gratiâ loca quædam adirent religioni & pietati destinata: qualia erant oratoria, aut templa, aut Sanctorum cænobia.* Sequitur: *in monte Carmelo magnus habitabat Prophetarũ numerus, qui divinis laudibus assiduè vacabant. Quod hic locus docet non obscurè.* Istis adstipulatur Corn. à Lapide in eumdẽ locum, & Doctor Franc. Suarez, qui (b) expendens illa verba: *Quam ob causam* &c. dicit: *In his verbis insinuantur duo: unum est, habuisse illam fœminam consuetudinem adeundi illis diebus in Carmelum, ad conveniendum Prophetam illic habitantem. Aliud est, solitam esse illuc ire causâ religionis ad verbum Dei cum aliis audiendum à Propheta, vel orandum, & canendum divinas laudes, sicut mos erat Hebræis eundi ad orationis loca in diebus Sabbatorum, & Calendarum, & festivis aliis, ut docuit Liranus, & latiùs Abulensis.* Undè concludit: *Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis, & divini cultûs destinatum:* Quinimò etiam altare. Altare in Carmelo tunc extitisse, certum est ex illis *lib.3.Reg.c.18.* verbis: *Congregavit Elias Prophetas in monte Carmeli:* & infrà: *Curavit* (refecit) *altare Domini, quod destructum fuerat.* Carmelus igitur erat locus devotionis singularioris, in quo erant Domus orationis, seu Oratorium, (olim nuncupata Synagoga) atque etiam Altare.

ad canendas Dei laudes,

& Dei verbum legendum,

præsertim in Calendis, & Sabbatis.

(a) in c. 4. lib. 4. Reg. q. 30.

(b) De Relig. to. 4. tract. 9. lib. 2. c. 10.

in Carmelo etiam erat altare.

185. Semnion illud, seu Domus orationis, in Carmelo à Jamblicho Chalcidensi (nato in Syria, cui vicinus Carmelus) nuncupatur *Templum* in vita Pythagoræ *lib. 1. cap. 3.* ubi ista: *Ab Ægyptis quibusdam nautis opportunissimè in littora, quæ subsunt Carmelo monti Phœniciæ, appellentibus, transvectus fuit Pythagoras: ubi solus in templo ut plurimùm degebat.* (a) De Pythagora ad tempus degente in Carmelo, & quæ ibi viderat instituta pia posterorum S. Eliæ, posteà æmulante, alia quædam adferentur in sequentibus. Semnion igitur istud in Carmelo perstitit adhuc annis plus quàm trecentis septuaginta post raptum S. Eliæ, qui (juxta Salianum, & alios) contigit anno mundi 3139 ante Christum 914. Pythagoras autem floruit Olympiade LX.(b) circa ann. mundi 3514. ante Christum 539. Illud adhuc perstitisse post Christi in cælos ascensionem tradit Gilbertus Genebrardus nominatissimus Chronographus *in Chronologia libro primo ad annum mundi 3284.* scribens de Elia, & Oratorio illi dedicato (*Semnion*, seu *Seunion* dicto) ac Oraculo, quod in eo vigebat, hæc habet: *Ei* (scilicet Eliæ) *post mortem* (intellige post raptum) *Synagoga, sivè Sacellum in Carmelo monte, vulgato ipsius habitaculo, dicatum est, in quo vigebat oraculum, de quo Suetonius in Vespasiano c. 5. Apud Iudæam Carmeli Dei Oraculum consulentem Vespasianum, ita confirmavêre sortes, ut quidquid cogitaret, pollicerentur.* Hìc congruunt ea, quæ Balbinus, vir Consularis, ad Antoninum Imperatorem scribebat: *Mons est nomine Carmelus, in quo vetus Religio, & sanctitas antiqua est. Elias illic sacrificia semper Deo offerebat. Apparent etiam & nunc vestigia de ara sacrificiorum.* De Semnio in Carmelo plura videri poterunt apud P.Lezana *in Annalibus* (c) ubi, inter alia, ista: *Sententiam porrò Genebrardi, asserentis Oratorium hoc ab Elianis Patriarcha Elia erectum fuisse, eatenùs veram putamus, quòd existimemus idem Oratorium, quod ab ipso Elia, ejusque discipulis primitùs extructum erat, post ejus raptum à discipulis in ejus nomine dedicatum fuerit.* Ibidem tradit, undè derivetur vox *Semnion*, & quòd Essenorum, posterorum S.Eliæ, & S.Elisei (prout latiùs in sequentibus) oratoria à Philone dicta fuerint *Semnea*.

Semnion istud etiam nuncupatum, Templum.

(a) impress. anni 1598. in Bibliopolio Commeliniano pag. 33.

Pythagoras in Carmelo, dogmata quædam sua hausit:

quo tempore floruerit.

(b) ex Laertio Salianus ad an. mundi 3514

(c) tomo 1. ad an. mundi 3118. ante Chr. 925. n. 3.



Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, et loqueris ad eum dicens: Hæc dicit dominus: Occidisti (scilicet Naboth) *insuper et possedisti* (nempe vineam) *et post hæc addes: In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* 3. REG. 21.

CAPVT XIX.

Destinatur à Domino Elias ad Achab durus nuntius, ob lapidatum innocentem Naboth, & occupatam injustè vineam ejus.

186. NAboth vineam suam, hæreditatem per majorum manus, veluti divinitùs, transmissam (ut ait Salianus) (a) alienare religioni ducens; vendere recusabat Achabo: Jezabel hinc ansam sumpsit facinoris crudelis: Scriptura historiam ita tradit (b). *Vinea erat Naboth, Iezrabelitæ, quæ erat in Iezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus est ergò Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & propè domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergò Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: non dabo tibi hæreditatem patrum meorũ. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. Ingressa est autem ad eum Iezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, undè anima tua contristata est? & quarè non comedis panem? Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei, da mihi vineam tuam, acceptâ pecuniâ: aut si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. Dixit ergò ad eum Iezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: * Benedixit Deum, & regem: & educite eum & lapidate, sicque moriatur. Fecerunt ergò cives ejus majores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Iezabel, &c. viri diabolici dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & regem: quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. Miseruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est. Factum est autem, cùm audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuũ, locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam acceptâ pecuniâ: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. Quod cùm audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendit in vineam Naboth Iezrahelitæ, ut possideret eam. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam: & loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.*

(a) in Annal. ad an. mundi 3137 n. 3.
(b) 3. Reg. 21.
Naboth se excusat, de vendenda vinea sua Achabo.
Iezabelis impium crudele facinus.
* Benedixit hic accipitur ut idem sit quod maledixit.
Naboth à falsis test. accusatur, innocens lapidatur.
Achabo, injusto Vinea transferi(tur).
denuntiatur divina ultio.

187. Achabi, & aliorum divitum ambitiosorum, bonis alienis inhiantium, miseram sortem S. Ambrosius (a) his demonstrat verbis: *Rex Achab in Israel erat, & pauper Naboth: ille regni opibus affluebat; iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de divitis possessionibus concupivit: Rex sibi egère visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper esse videtur, qui contentus est suô, an qui concupiscit alienum?* Sic igitur Jezabel: *Sedere facite Naboth . . . contra eum falsum testimonium dicant ... lapidate, sicque moriatur.* En mulieris istius Jezabelis crudele facinus: nomine Regis litteras scribit, falsos testes adornari imperat, atque ita, corruptô judiciô, Optimates civitatis innocentem occiderunt Naboth, & etiam illius filios (ità notant Sanchez, Cornelius à Lapide, & alii in illum locum) ut sic, deficiente hærede, hæres esset rex. Verè radix omnium malorum cupiditas: & impius cùm in profundum venerit, contemnit; sed mox Elias divinam ultionem prædicit. *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Ita accidit triennio post, sicut refertur *cap. 22. libri 3. Regum,* ubi hæc de morte Achabi, in bello vulnerati: *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter pulmonem & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. Commissum est ergo prælium in die illa, & rex Israel stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vesperè: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus, & præco insonuit in universo exercitu, antequam sol occumberet, dicens: Vnusquisque revertatur in civitatem, & in terram suam. Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, & laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem ejus, & habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat:* scilicet per Prophetam Eliam. De Joram Achabi filio, similiter occiso in agro Naboth Jezrahelitæ *cap. 9. libri 4. Regum* hæc narrantur: *Porrò Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo. Dixitque Iehu ad Badacer ducem; Tolle, projice eum in agro Naboth Iezrahelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quòd Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens: Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergò tolle, & projice eum in agrum, juxta verbum Domini.* De ultione divina in Iezabel, crudeliter necata, & à canibus comesta, mox audiemus, capite sequenti.

(a) lib. de Naboth c. 2.
Divites ambitiosi resp. à pauperes.
Nabothi filii etiam lapidati.
Vltio divina adversus Achab,
& filium ejus Ioram.

CAP. XX.



it Achab ad Eliam: Num inveniſti me inimicum tibi? Qui magno, et ſupra humanam admirationem
iimo, ait: Inveni j eo Quod venundatus ſis ut faceres malum in conſpectu Domini. Ecce inducam ſuper te
alum, et demetam poſteriora tua, id eſt poſteritatem tuam. *etc.* 3 REG. 21.

CAPVT XX.

Achabo alia plura gravia mala invincibili animo comminatur S. Elias: Iezabel à canibus comesta, spectaculum admirationis.

(a) 3. Reg. 21. *Achabi colloquiū cum S. Elia:*

188. *ET ait Achab ad Eliam:* (a)*Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eò quòd venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & ultimum in Israel. Et dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filii Nabat, & sicut domum Baasa filii Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, & peccare fecisti Israel. Sed & de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel. Si mortuus fuerit Achab in civitate comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Iezabel uxor sua, & abominabilis factus est, in tantùm ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel.* Sic igitur Achab ad S. Prophetam Eliam: *Num invenisti me inimicum tibi?* Ad quod Elias magno zelo: *Inveni; eò quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini.* Intuere hîc & admirare libertatem Eliæ, qui Achab regem in faciem objurgat, eique objectat, quòd sit peccati mancipium, ideoq; extremam perniciem denuntiat. Ait *venundatus*, id est traditus peccato; nam quod venditur, traditur ementi quasi Domino, quasi diceret: Tu, o Achab, tuâ malâ voluntate totus addictus es peccato, quasi ad nihil aliud venditus sis quàm ad peccandum. Alludit ad servos, qui ad certa opera se elocant, iisque totos se addicunt: sic enim Achab seipsum addixerat non tantùm idolis, sed & suæ Jezabeli, ut quasi servus ab ea ageretur ad omne scelus: ita Abulensis, & Cornelius à Lapide in illum textum ... Sanctius autem expendit, cur S. Elias dixerit *venundatus*, potius quam *locatus*: sic ergò (inquit) Achab usque adeò se improbitati tradidit, ut vendidisse videatur suam operam peccato, ut nihil meditetur, aut faciat, nisi quod peccatum oleat. Dicitur porrò *venundatus* potiùs quàm locatus, quia ille perpetuo quodam nexu libertatem suam alterius addixit imperio. Qui verò locatus est, non in perpetuum, sed ad certum aliquod tempus, puta in annum, aut menstruum, sic suam operam alligavit alteri, ut eo exacto sui sit juris. *Venundatus* igitur dicitur Achab, qui à multis jam annis eò videtur intentus, ut nihil faciat, aut meditetur bonum. Hic porrò dicendi modus, quo is, qui assuetus est peccato, appellatur *venundatus*, Scripturæ sacræ familiaris est: sicut etiam quod idem fermè est, *peccati* vocatur *servus*.

S. Eliæ ad Achab verba zelum spirantia.

Achab, & Iezabel abominabiles per impietatem.

Venundatus peccato (*ut Achab*) *quis propriè:*

idem ferè, quod servus peccati.

Ita Sanctius: Hinc infert Cornelius: (a) vide hîc quàm vilis, miser & infelix peccator, qui, instar Achab, ob modicam voluptatem, imò ob unum aureum, vendit se suamque animam diabolo, eamque ut mancipium tradit suæ cupiditati, ut fiat pabulum mortis, & fomentum gehennæ.

(a) tropologicè.

189. Addit Elias, Dei nomine loquens: *Ecce ego inducam super te malum*; videlicet *demetam posteriora tua*, id est posteritatem tuam, filios, posterosque exscindam: addit & alia: & de impia uxore ejus: *Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel.* Quomodò istud evenerit, refertur *cap. 9. libri 4. Regum*, ubi ista: *Venitque Iehu in Iezrahel. Porrò Iezabel introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Iehu per portam, & ait. Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit Dominum suum? Levavitque Iehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum: & præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. Cumque introgressus esset, ut comederet, biberetque, ait: Ite & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia regis est. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam & pedes, & summas manus. Reversique nunciaverunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel; ita ut prætereuntes dicant: Haccine est illa Iezabel?* Jehu itaquè jussit eunuchis, ut Jezabelem è fenestra præcipitarent. Quod illi fecerunt statim eo impetu, ut Jezabelis sanguine parietes respersetint: quæ deinde ab equis conculcata mortem oppetiit miserabilem. Cumque impium illud cadaver, quia à regio sanguine prognatum, honestare vellet sepulturâ, vix aliquid reliquum inventum est ex illo, quod sepulturæ mandari potuerit. Sic enim juxta Prophetæ verba, laceratum est à canibus, ut præter calvariam, & summos pedes, ac manus nihil superesset è cadavere: quod canum lanienâ disceptum aliquamdiu in agro ignominiosè jacuerat, & prætereuntibus occasionem dederat, ut admirabundi clamarint. *Haccine est illa Iezabel?* Hæccine est illa superbissima, crudelissima, tam studiosa pulchritudinis, quam modò pictis stibio oculis, & capite mitrâ redimito videbamus, quæ suo Regem, regnumque moderabatur arbitratu. En quò redacta illa pulchritudo à natura concessa, & quotidianis aucta lenociniis; en regii fastûs, en terror bonorum. Ita Sanctius (b) Chrysostomus Jezabelis exemplo docet gravius illos esse puniendos, qui aliis, ut peccarent, faces addiderunt (c) *Iezabel*, ait, *majores pœnas dedit, quàm Achab vineæ raptor: ipsa quippè universum istud negotium texuerat, Regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quàm qui per te subversi sunt.*

Iezabel per fenestram præcipitata:

conculcata equorum ungulis:

comesta à canibus:

de qua prætereuntes: Hæccine est illa Jezabel?

(b) in c. 9. l. 4. Reg.

(c) homil. 25. in epist. ad Rom.

Peccare facientes alios, graviùs puniendi.



Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus Filii sui inferam malum domui ejus. 3. Reg. 21.

CAPUT XXI.

Achab acri reprehensione Eliæ humiliatus, ex parte placat Dominum: undè pœnitentiæ vis patescit.

Achab pœnitens.

190. S. Eliæ acri reprehensione commotus fuit Achab ad pœnitentiam, & pœnitentis animi non obscura dedit documenta. In vestimentis, dum regia conscindit, & induit cilicina, dum à cibis abstinet, humi cubat, & caput (anteà regiâ majestate sublime) demittit, ut testes sunt Sacræ litteræ his verbis: *Itaquè cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.* Dicitur, *scidit vestimenta sua.* Istud fecit ex dolore: doluit enim de peccatis præteritis, quòd valde abominabilis factus fuisset Deo. Vel fortè timuit pœnam à Deo inferendam, & humiliatus fuit, ut evaderet illam. *Scidit* autem *vestimenta* in signum doloris, quia sic erat consuetudo apud antiquos. *Et operuit cilicio carnem suam.* Istud fuit ad affligendum se, ut Deus misereretur ejus. *Iejunavitquè, & dormivit in sacco.* Omne genus afflictionis suscepit Achab, sciens, quia Deus misericors est, & poterat pœnas remittere, si ipse converteretur. *Et ambulavit demisso capite.* Id est, humiliavit se, jam non ambulans capite erecto, sed inclinato, ad recognitionem peccati. Ita Tostatus in illum textum. Achabi pœnitentiam veram, & seriam fuisse, cum dolore ob Deum offensum, censent S. Chrysostomus, Abulensis, Sanchez, & alii nonnulli. Servilem dumtaxat, & imperfectam fuisse magis placet Lirano, Cajetano, Cornelio &c. Ut ut sit, ea sic Deo placuit, ut mox Eliæ dixerit: Vidisti quomodò compunctus sit Achab &c. Et partem de minaci vaticinio remiserit, ut propterea S. Hieronymus (a) agens de Achabi pænitentia, exclamet de eâ: *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos: quâ furentem Dei sententiam confessô errore mutavit.* Conformiter scribit S. Chrysostomus: (b) *Talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur, etiamsi quis ad summum perveniat malorum.* Quod statim exemplo confirmat Achabi: *Evidentius,* inquit, *vobis testimonium dabit etiam Rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam uxoris nequitiâ quæsivit, sed perturbatus ipsius sceleris immanitate pænituit, & cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, ut à cunctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quomodò compunctus est Achab à facie mea: quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus.*

remissionem partis pœnæ impetrat.

(a) epist. 30 ad Oceanum.

(b) epist. ad Theod. lapsum.

Pœnitentiæ vis.

191. S. Gregorius (a) cùm historiam illam pœnitentis Achabi retulisset, subjungit: *In quibus Domini verbis pensandum est, quomodò ei in electis suis maior amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, si sic ei & reprobi pœnitentia placuit, quia timebant perdere præsens sæculum; aut quomodò ei grata sit spontanea afflictio pro culpis, in eis, qui placent, si hæc ad tempus placuit, & in eis, qui displicebant.* Ponderatis præfatorum, & aliorum testimoniis, sic prudenter concludit Sanctius: Fieri potuit, ut tunc verè pœnitentiâ compungeretur Achab, cui Dominus fuerit veniam largitus. Deindè verò ad genium, vomitumque redierit; quia, ut dixit Theodoretus (b) homo erat levissimus, quique vel à suo, vel ab alieno judicio facilè mutabili in hanc atque in illam sententiam versaretur. Eamdem rationem adduxit suprà Ambrosius, cùm dixit eversum fuisse illius affectum à Jezabele, cujus ducebatur arbitrio. Neque facilè potuit jugum excutere, quod uxor imposuerat, aut libertatem redimere, quam ante vendiderat. Quarè cùm paratum haberet animum eo tempore, cum sordidatus, & demissus incederet, ad restituendam vineam, honoremque sublatum innocenti Naboth, ad eximendum è vinculis Prophetam, ad confringenda idola; ac tandem illa accuratè præstanda, quæ ab eo exigeret pænitentiæ ratio; non tamen, ut facere meditabatur, præstitit, quia ex transverso statim incurrit Jezabel, cujus operâ fuerat erepta vinea, & idolorum introducta religio, quæ quod ipsa construxerat in ipso exordio, ab aliis dissolvi, & aboleri noluit. Ita ille conformiter istis S. Ambrosii verbis (c) *Considera,* inquit, *quia Iezabel habuit uxorem, cujus ducebatur arbitrio, quæ evertit cor ejus, & nimiis sacrilegiis execrabilem fecit, & hunc ejus pænitentiæ revocavit affectum.* Quantùm ad ista: *Factus est igitur sermo Domini ad Eliam: Nonnè vidisti humiliatum Achab?* Deus pœnitentiam Achab significavit Eliæ, ut is qui jam antè ultrices pœnas Dei jussu nuntiaverat, sciret, ob pœnitentiam aliquid ex eis remissum. Pluribus circa hæc disserunt Tostatus, & Interpretes alii ac Salianus, conformiter ante adductis ex S. Gregorio, sic denique concludens (d) *Cogita porro quantam vim apud Deum & gratiam habitura sit in homine justo vera cordis humilitas, ultroque suscepti ad deterendam superbiam, ejus actiones, cùm coacta tantùm potuerit in tali ac tanto peccatore.* Circa ista: *Non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii ejus inferam malum domui ejus,* addit ibidem Salianus. Malum hoc, quod se illaturum ait Dominus domui Achabi, ruinam significat, & interitum domûs ejus: quandò, occiso Joramo, etiam septuaginta filii Achabi capite trucidati sunt. Plura ad hoc propositum videri poterunt apud eumdem, & apud Interpretes in illum textum.

(a) Homil. 19. in Ezechiel.

(b) quæst. 60.

Achabi pœnitentia defectuosa.

Iezabele est ejus eversione.

(c) de Nabutho. c. 17

(d) in Annal. ad an. mundi 3137.



ELIAS, iussu Angeli, ad nuncios Regis Ochoziæ ait: *Ite, et revertimini ad Regem qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus; numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub Deus Accaron: Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* 4. REG. 1.

CAPUT XXII.

Ochozias rex ad Beelzebub consulendum mittens, increpatur, & mortis sententia denuntiatur à S. Elia: cujus habitus describitur.

Ochozias mittit ad consulendū Beelzebub;

192. CEciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit: misitque nuncios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nunciorum regis Samariæ &c. Et abiit Elias. Reversique sunt nuncii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quarè reversi estis? At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcircò de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis: Cujus figuræ, & habitûs est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. Rex igitur Ochozias, infirmus ex lapsu, ait: Ite, consulite Beelzebub. Erat autem Beelzebub sic Gentilium nobilitatus insaniâ, ut princeps crederetur Dæmoniorum. Hinc Judæi de Christo blasphemantes, dicebant: (a) *In Beelzebub, principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Beelzebub porrò idem sonat, quod *Deus Musca*, vel *Deus muscarum.* Erat igitur in Accaron idolum in muscæ similitudinem expressum, sicut indicat S. Gregorius Nazianzenus (b). *Nec muscam quærent*, inquit, *Deum Accaron.* Idem tradit Theodoretus (c) agens de Moabitarum idolis: *Deflenda est*, inquit, *Moabitarum amentia; non solùm enim in Deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima, & odiosa. Quid enim est muscâ odiosius? sed tamen & ejus simulacrum Deum dixerunt; & Deo, qui verè est Deus, relicto, musca simulacrum de vita sciscitabantur, & quam viventem flabellis expellunt, ejus figuram Deum appellarunt.* Neque hoc cuiquam mirum videri debet, cùm alia non minus vilia, atque indecora Gentibus esse soleant pro numine. O stupenda & misera humanæ mentis cæcitas. Sic etiam alii Gentiles vilibus, & immundis bestiolis nomen, & honorem Deorum tribuisse constat: & quidem *talpis*, & *vespertilionibus* divinum fuisse impensum honorem testatur Isaias (d) simili modo Ægyptii Apin Deum bovis capite & specie, Anubin canis, Hammonem Arietis, vel hirci, Æsculapium serpentis, alios Deos & idola leonis, equi, aquilæ, & avium formâ pinxerunt, & coluerunt. Sic & Deus Accaron caput, seu similitudinem muscæ habebat. Hinc Philastrius (e) Accaronitas nuncupat *Muscaccarotas*, seu *Myalatras*, id est muscæ adoratores. Ad istud vile, & detestabile idolū misit Ochozias suos nuncios, ut illud consulerent.

ideo mortis sententia illi à S. Elia nunciatur.

Beelzebub, id est Deus musca,

(a) Matt. 12. Luc. 11.

in similitudinem muscæ:

(b) orat. 4. in Julian.

(c) quæst. 3.

Musca, seu muscæ simulacrum habitum pro Deo.

Talpæ, vespertiliones, aliaque vilia animalia culta velut Dii.

(d) Is. 2. v. 20.

(e) hæresi 13.

Accaronitæ Myalatræ id est muscæ adoratores.

193. Igitur ad nuncios redeuntes Rex ait: *Quare reversi estis?* Hîc consequenter describitur obstinatio regis, volentis punire Prophetam, propter Dei sententiam: Primò tamen inquirit de persona dicens: *Cujus figuræ & habitûs est?* & sequitur: *Vir pilosus*: id est habens habitum hirsutum. Ita Liranus in illum textum. Tostatus commentans in illa verba: *Cujus figuræ, & habitûs est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus & zona pelliceâ accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est*, declarat qualis fuerit zona, & habitus Eliæ, & quidem de zona. *Zona*, inquit, *pellicea*, *id est de pelle cum pilis . . . Et in hoc cognitus est Elias ex isto habitu despecto: & Scriptura laudat Eliam: quia his vestibus utebatur, non habens aliquam curiositatem, eo quòd viri sancti non attendebant ad vestes, sed ad virtutes.* Et aliquantò post, de ejus habitu: *Elias erat vir pilosus, id est, habebat vestem, cujus pars exterior erat tota pilosa, sicut pellis animalis: & hoc quia fortè vestis sua erat aliqua pellis, versis exterius pilis, vel erat vestis facta de pilis grossis, & magnis animalium, sine arte composita: & ideò pili magni prominebant exterius, tamquam esset illa vestis pellis animalis.* Et infrà: *Vlteriùs quæretur, quare Elias utebatur tali habitu? Respondendum, quòd Elias non utebatur isto habitu pauperrimo pro paupertate, tamquam non potens aliam habere, sed pro Religione. Pro quo sciendum, quòd Elias fuit vir sanctus valdè, & cæteri Prophetæ, sed Elias potiùs.* Ad ipsius Eliæ imitationem veteres Monachi vestes gestabant, sicut testatur Cassianus, describens vestes Monachorum: *Hoc habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis hujus fundavêre primordia, Eliam scilicet, & Eliseum.* Similia scribit infrà, agens de ultimo, seu superiore habitu Monachi, pelle caprina: de qua etiam Sozomenus scribens de veste Monachorum: *Ad exemplum Eliæ Thesbitis pellibus se induebant:* cujus autem coloris fuerit pellis superior, tradit Palladius: *Quilibet habeat melotem caprinam albam.* Idem præcipitur in Regula S. Pachomii. Hinc etiam vetustus Pater Ephrem, instruens eos, qui in monasticês rudimentis se exercebant, ait: (a) *Elias te suâ pelle cooperiens caprinâ in cælum introducat.* Theophanes Archiepiscopus Tauromonitanus (b) agens de pallio S. Eliæ, hæc de illo scribit: *Quâ vestimentorum denique varietate operiebatur? nonnè ex caprinis pellibus melote confectâ, regali purpurâ pretiosior illi erat, quâ etiam Iordanis fluenta divisit?* Ista autem scripsit, monens monachos ad Eliæ imitationem. Erat enim vestis Eliæ pauperrima, inferior melota, ex asperis animalium, seu ipsa pellis, & superior pellis, caprina alba, aut ovina per modum pallii. Hinc S. Thomas (c) tractans de Religiosis, proponit: *Vtrùm liceat Religiosis vilioribus vestibus uti, quam cæteri*, respondet affirmativè, exemplum adducens Eliæ, *in melotis, & pellibus caprinis*: & exponens epistolas S. Pauli, ad illa: (d) *Circuierunt in melotis*, scribit: *Eliam eximium Prophetam hîc vult intelligi, & filios Prophetarum.*

S. Elias cognitus ex veste,

quæ vilis erat, & pauperrima:

pilosa, seu ex pelle.

cur tali veste uteretur:

Melota, & pellis caprina vestis Eliæ, & veterum Monachorum.

(a) Paræn. 1.

(b) Homil. 43. in Euang.

(c) 2. 2. qu. 187. art. 7.

(d) cap. XI. ad Hebr.



…isit rex quinquagenarium Principem, et quinquaginta qui erant sub eo ad Eliam, sedentique in vertice …ontis ait: Homo Dei rex præcepit ut descendas. Respondensque Elias dixit quinquagenario: Si homo Dei …m, descendat ignis de Cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de Cœlo et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. 4 REG. I.

CAPUT XXIII.

Princeps quinquagenarius missus à Rege ad Eliam, Dei inspiratione motum, ut super eum educeret ignem de cœlo: à quo, cum suis 50. militibus, devoratur.

Quinquagenarius cum 50. militibus devorantur ab igne cælesti, jussu Eliæ descendente:

194. MIsitque (Ochozias rex) *ad eum* (Eliam) *quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit, ut descendas. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* Erant principes regis distincti per quinquagenarios, & centuriones, & tribunos, & iste, qui nunc missus est ad Eliam, erat quinquagenarius, & habebat sub se quinquaginta viros, quos cũ illo misit Ochozias ad Eliam. *Qui ascendit ad eum*, scilicet quinquagenarius ascendit ad Eliam: & dicitur, quòd *ascendit*; quia Elias erat in monte Carmeli. *Sedentique in vertice montis:* Circa quæ verba hæc notat Fernandez (a) *Vbi omnes Interpretes per* MONTEM *accipiunt* CARMELUM. *Et cùm dicitur* SEDERE, *non intelligitur simplex habitatio, sed permansio habitationis, ex more linguæ &c.* Sic etiam B. Joannes Baptista, qui secutus est vitam Eliæ, morabatur in deserto Iudææ, & illuc confluebant ad eum multi, ut baptizarentur in Iordane. Ita Tostatus, qui pluribus differit, de motivis Eliæ ob quæ jussit ignem è cœlo descendere: & ait, eum ad hoc à Deo motum fuisse, sicut pleniùs tradetur capite sequenti.

(a) de Vision. vet. Testam. vis. 9.

quia erant homines impii, volentes S. Eliam comprehendere:

195. Circa ista accuratè tractat Gaspar Sanctius, Scripturæ interpres illustris, quem hîc audire libet, ob varia documenta moralia inserta: imprimis inquirit, Cur Rex miserit ad Eliam illam cohortem? & respondet: Dicendum puto, instigatum à Iezabele filium, jussisse pertrahi ligatum Eliam, ut pœnas Jezabeli, ac Regi tum de novo procaciquè vaticinio daret; tum de Prophetarum Baalis tam copiosâ cæde, quam memori in animo assiduè versabat Iezabel. *Homo Dei, Rex præcepit ut descendas.* Sedebat in montis vertice Propheta, quò sine magno labore ascendere cum suis quinquagenarius ille non poterat. Quare, quò ab illa liberetur molestia, jubet, ut descendat; additis tamen minis, ut putat Iosephus, nisi regiis mandatis ultrò obsequatur. Neque parum ad hunc sensum facit illud *præcepit*, quod non obsequium indicat, & observantiã, qualem habere debet, qui ab alio patrocinium, aut consilium rogat, sed imperium, quod si detrectet alius, minas secum, & indignationẽ importat. Cùm autem eumdem quinquagenarius, cum quinquaginta suis, animum attulisset, quem Dominũ suum in Eliam habuisse cognoverant, nempè offensionis plenum, & dispumantem iras, descendere jubet imperiosè Prophetam, additis minis, si contrà faxit, & cum irrisione vocans *hominem Dei*, quasi dicat, nihil abesse ab illo magis, quàm divini honoris observantiam, & studium, & esse potiùs nugatorem, veteratorem, & religiosæ disciplinæ labem, cùm ab illo tot Prophetarum * cætum extinctum viderent. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo.* Intellexit Elias, & Regis animũ, & militum studium illi consentaneum, & omnes gravi dignos esse supplicio. Cognovit item (ut Lira, Dionysius, Hugo, Emanuel Sa, & Cajetanus docent) illud, *Homo Dei*, non tam à quinquagenario dictum esse seriò, quàm ironicè: neque enim alio sensu tam honesta illa salutatio enunciari posse videbatur ab idololatra, & qui animo esset in Eliam infenso. Cùm autem revelatũ esset à Deo Prophetæ, ut multis docet Abulensis, (a) quinquagenarium cum suis dignum esse morte, atque eo tempore inflicto cælitùs supplicio periturum, ac tandem inspiratum, ut ignem de cælo ad illorum omnium interitum evocaret, fecit hoc, non tàm suo instinctus spiritu, quàm divino: quod satis Dominus probavit, cùm statim cohors illa cælesti conflagravit incendio. Quod sanè Deus non fecisset tàm prompto, horribilique successu, nisi ad illius aures grata accessisset Eliæ deprecatio. Voluit autẽ Deus hoc loco ostendere, quàm amaret impensè, & quo in numero, & pretio haberet Eliam, cùm ad illius preces immittere voluit, & sedare malum. Nam cùm vexare statuisset Israëliticum regnum, repressa pluviâ, triennali fame, id fecit non ignorante populo ad preces, & propè dixerim, ad imperium Eliæ (b) *Vivit Dominus &c. si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta verba oris mei.* Et cùm exacto triennio pluviam tandem largiri decrevisset, id voluit scire omnes, Eliæ precibus esse concessum: (c) *Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.* Sic etiam nunc cùm hosce milites idololatras, quiq; idem sentirent, & vellent, quod impius Ochozias, & Iezabel scelesta, statuisset Deus igne comburere cælesti; expectavit tamen, imò & inspiravit Eliæ preces, ut magis illum timerent, & observarent idololatræ, cùm viderent Eliæ sivè minas, sivè preces tam esse potentes. At dicet aliquis, spiritum Eliæ improbatum à Christo, cùm (d) reprehendit duos Apostolos, quandò dixerunt, offensi Samaritanorum inurbanâ inclementiâ: *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos? & conversus increpavit illos, dicens: Nescitis cujus spiritûs estis.* Sed, ut benè notat Abulensis (e) non erat idem spiritus istorum Apostolorum, qui Eliæ: Apostoli enim vindictam aspirabant, & cædem, quam nolebat Christus, *qui non venit animas perdere, sed salvare.* At Elias id petebat, optabatque, quod, revelante spiritu, Deo placere cognoverat; imò, ut ea oraret in mandatis habebat. Proptereà de eo dicit sacer Textus (f) *Verbo Domini* (interpositâ divini nominis majestate, & virtute) *continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter.*

* pseudoprophetarũ Baalis, jussu Eliæ occisorum.

(a) in c. 1. l. 4. Reg. q. 19.

S. Elias Dei inspiratione ignem è cælo evocavit in cohortem:

(b) lib. 3. Reg. c. 17.

(c) cap. 18. l. 3. Reg.

(d) Luc. 15.

(e) in c. 1. l. 4. Reg. q. 19.

non spiritu vindictæ, sed Deo ita volente, & revelante.

(f) Eccli. 48.

CAP. XXIV



Rursum misit Rex ad ELIAM Principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo, qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit Rex; festina, descende. Respondens ELIAS ait: si Homo Dei sum, descendat ignis de coelo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de coelo, & devoravit illum, & quinquaginta eius. 4. REG. 1.

CAPUT XXIV.

Princeps quinquagenarius alius, missus ad Eliam, ejus jussione (Dei motu factâ) similiter cum 50. suis igne cælesti absumitur.

4. Reg. 1.

Quinquagenarius alter igne cælesti absumitur.

196. RUrsumque (Ochozias Rex) *misit ad eum* (Eliam) *principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. Respondens Elias, ait: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergò ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.* Missus est quinquagenarius alter cum eisdẽ mandatis, cujus audax, & superba legatio non alium habuit exitum, quàm prior. Fuit autem in secundo isto quinquagenario major, quàm in priori, libertas, & audacia, cùm tamen in aliorum capite modestiam, & observantiam discere debuisset. Nam cùm alter tantùm Regis nomine descendere jussisset Prophetã; hic tamen festinationem imperavit, ita ut omnem moram abjiceret, neque quicquam haberet potius, quàm Regis imperium. Ita præfatus Sanctius. (a) Conformiter dictis capite præcedenti hæc tradit Tostatus: (b) Elias oravit venire ignẽ de cælo super istos, à Deo motus ad hoc. Fuit autem motivum; quia isti viri erant mali, & peccaverant in Idololatria, & in multis aliis: Deus autem volebat eos occidere, & ad hoc movit Eliam, ut oraret pro occisione illorum. Et licèt ipsi non mererentur mortẽ ex aliquo, quod tunc faciebant contra Eliam, merebantur tamen ex multis aliis, quæ fecerant: & Deus voluit eos nunc occidere; ut occisio sua proficeret ad terrorem emendationis peccati Ochoziæ, & Idololatrarum; ut omnes timerent facere aliquid circa Idololatriam; cùm non solùm ipsi Idololatræ punirentur, sed etiam illi, qui ibant ad vocandũ Prophetam Dei ex parte regis Idololatræ. Sic enim fuit in principio Ecclesiæ primitivæ, cùm Ananias, & Saphira voluissent fallere Apostolos super precio agri, Deus voluit punire peccatum illud acriter, ad terrorem omnium aliorum, qui venirent ad cultum Christi, ne aliquis auderet mentiri. Et ob hoc movit B. Petrum, ut pronunciaret, mortem illis immediatè venturam, & sic factum est; (c) nam ad verba Petri mortui sunt. Et sic dicendum, quòd dato quòd Elias non oravisset ignem descendere super istos, Deus volebat eos occidere: & tamen ut mors eorum magis proficeret ad terrorem Idololatrarum, & ad auctoritatem prophetarum, movit Deus Eliam, ut oraret pro eorum occisione. Si autem objiciatur, quòd Christus increpavit Jacobum, & Joannem, quòd petebant ignem descendere de cælo. Dicendum quòd increpavit illos: quia non movebantur bono zelo, sed propter vindictam, ideò dixit eis: *nescitis cujus spiritus estis* (d) Elias autem non motus fuit propter iram, sed quia spiritus Dei movit eum, ut declaratum est. Ita Tostatus, communiter nuncupatus Abulensis (quia ibi fuit Episcopus) qui luculentiùs ceteris circa istam historiam disseruit.

(a) in illum text.

(b) in c. 1. lib. 4. Reg. q. 19.

S. Elias, Dei motu, id jubentes quia id meriti erant, & ad terrorem idololatrarum:

(c) Act. 5.

S. Petrus, à Deo motus, Ananiæ & Saphiræ pronunciavit mortem inflictam.

Jacobus, & Joan. ignem de cælo descendere petebant alio motivo, quã Elias.

(d) Luc. 9.

197. Peculiariter de isto secundo quinquagenario idem quærit: Cùm primus quinquagenarius fuisset combustus cum quinquaginta viris suis, quare rex mittebat alium quinquagenarium; quia deberet timere, quòd combureretur etiã ipse, qui mittebatur, sicut prior. Respondet, inter alia: Motivum esse poterat ex obstinatione Ochoziæ circa propositum suum: nam quandò aliqui desiderant aliquam rem valdè, etiamsi eveniant eis infortunia circa illã, semper feruntur in eam, non putantes propter illam rem sibi evenire, vel saltem expectantes aliquandò sibi bonum eventurum. Sic fuit in Saüle, qui misit nuncios ad capiendum David, & Samuelem, & illi nuncii coacti sunt prophetare: deinde etiam misit alios: denique ipse ivit: & etiam illi prophetaverunt. *Quidam*, inquit Theodoretus (a) & post eum Procopius, *Prophetam accusant crudelitatis, quòd duos quinquagenarios cum subjectis igni cælesti tradiderit. At qui Prophetam accusant, adversùs Deum Prophetæ, linguam movent; ipse enim immisit ignem. Est ergo nimiæ audaciæ, divinæ irasci administrationi. Oportet enim scire æquitatẽ divinæ providentiæ, & quòd justè punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores. Est autem perspicuum, eos quinquagenarios, & qui eis parebant, convenisse cum scopo, & instituto ejus, qui illos misit, undè etiam à Deo immissa sustinuerint supplicia.* Plura ad hoc propositũ videri poterunt apud Salianum (b) qui & ista: Elias autem non ex cupiditate vindictæ, aut alia quapiã minùs rectã intentione (mala enim fuisset, neque habuisset cooperatorẽ Deum) sed ex peculiari Dei inspiratione dixit quinquagenario: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaq; ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo;* formidoloso utiq; planeq; horribili spectaculo. Sive enim mentis oculos conjiciamus in flammarũ è cælo devolantium globos, & vel in singulos irruentium, vel circumvolentium universos; sive in miserorum hominum confusam fugã, horrendos clamores, terribilesque cruciatus, hominum foris atque intus ardentiũ, & mediis in ejulatibus exspirantiũ; nihil dici, aut fingi potest potentius ad inferendum terrorem, & illud cum stupore usurpandum, *tantane animis cælestibus iræ?* Sed nimirùm isti non hanc unam culpam luebant. Et Dominus voluit hoc quoddam esse quasi præludium deflagrationis illius, quæ olim terribili è cęlo fragore proruens, supremi judicis postremum adventum præcurret, & omnia mortalium egregia opera penè momento consumet; moxque æternæ morti addictos circumplexa, Deum, superosque omnes nequicquam contestantes, in fornaces rapiet sempiternas. Quarum memoriam Deus surdis, cæcisq; mortalibus interdum renovare voluit.

(a) q. 4. in l. 4. Reg.

S. Eliam accusantes crudelitatis, adversùs Deum linguam movent.

(b) in Annal. vet. Test. ad an. mundi 3138. n. 52. & 53.

Quinquagenarii utriusque horribile spectaculum,

præludium deflagrandi mundi.



Iterum misit Rex Principem tertium, qui curvavit genua contra ELIAM, *et precatus est eum*
Locutus est autem Angelus Domini ad ELIAM, *dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igit*
et descendit cum eo ad Regem, et locutus est: Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub; ideo
Lectulo, super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris. 4. REG. 1.

CAPUT XXV.

Princeps quinquagenarius tertius missus, suâ modestiâ servatus: rursùs mortis sententia Regi nuntiatur, & mox executioni mandatur.

198. *Terùm misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curvavit genua contra Eliam,* (4. Reg. 1.) *& precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas servorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cælo, & devoravit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant: sed nunc obsecro, ut miserearis animæ meæ. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem, & locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Mortuus est ergò juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias.* Igitur quinquagenarius tertius ad Eliam veniens, dixit: Vir Dei, noli despicere animam meam: ecce ignis consumpsit duos principes, quasi diceret: sicut illos consumpsit, qui venerunt ad vocandum te: ita poterat me consumere: ideò oro, nè despicias animam meam, faciendo quòd ego comburar. Ivit iste quinquagenarius ad vocandum Eliam; quia tamen timebat nimis, quòd combureretur, sicut duo primi, humiliavit se nimis coram Elia. Hoc autem fuit, quia iste tertius quinquagenarius erat vir bonus, & Deus nolebat ipsum occidere: ideò dedit ei spiritum humiliandi se coram Elia, ut non occideretur. *Qui cùm venisset, curvavit genua contra Eliam.* Voluit humiliari in omnibus, scilicet tàm in verbis, quàm in habitu corporis: undè primum flexit genua coram Elia, quæ est magna humiliatio. *Et precatus est eum*, scilicet verbis humilibus valdè. Et ait: *Homo Dei, noli despicere animam meam.* Vocatur *anima* ipsa vita, & dicitur aliquis despicere vitam alterius quandò pro nihilo habet, quòd ille vivat, vel moriatur: sic erat in potestate Eliæ, quòd iste occideretur, scilicet invocando super eum ignem de cælo; vel quòd non occideretur, non invocando aliquod malum super eum. *Locutus est autem Angelus Domini ad Eliā:* In prioribus vicibus Deus non jubebat Eliæ, ut iret ad Ochoziam, sed volebat comburere quinquagenarios: nunc verò voluit, quòd Elias iret ad Ochoziam: ideò misit Angelum suum ad eum. Voluit autem Deus, quòd iret Elias nunc ad Ochoziam, ut increparet eum, & certissimè mortē prænunciaret ei: & sic timerent Idololatræ Deum punientē eos, qui consulebant Idola, & venerabantur. *Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem*, scilicet, surrexit de monte Carmelo, in quo morabatur, & ivit cum isto tertio quinquagenario. Qui cùm ad regem esset ingressus, eā constantiā, quā anteà patrem, illum perfidiæ, ac sceleris coarguit, quòd relicto Deo vero, qui propiùs aderat, ad peregrinos Deos, seu Deorum inania simulacra legationē misisset. Quamobrem illi celeratam mortem denunciat, quæ statim propheticas minas consecuta est. Ità Tostatus, Sanctius, & alii in illum textum commentantes.

Quinquagenarius 3. humilians servatur:

cum eo S. Elias vadit ad Regem:

cui mortis sententiam pronuntiat:

& eum arguit impietatis.

199. De isto quinquagenario hæc tradit Joannes Patriarcha Hierosol. (a) *Cùm Ochozias Rex duos principes quinquagenarios ad Eliam misisset, qui orante Elia, fuerunt cum suis ab igne de cælo descendente combusti. Rursùs misit Rex hunc Abdiam cum quinquaginta viris: qui in monte Carmeli coram Elia genua flectens pro anima sua, & pro animabus suorum quinquaginta, Eliam humiliter exoravit. Porrò Elias cernens Abdiæ humilitatem, & recolens, quòd centum suis discipulis vitam restauraverat; vicissitudinem ei impendit: quoniam sibi, & suis quinquaginta, vitam clementer servavit. Hanc ergò gratiam ab Elia obtentam Abdias recognoscens, relicto obsequio Regis Ochoziæ, factus fuit discipulus Eliæ.* Istis concinit S. Isidorus in libro *de vita, & morte Sanctorum*, ubi ista: *Abdias, de terra Sichem ortus in agro Bethaccaron. Iste est, qui sub Achab rege Samariæ centum pavit prophetas. Iste est tertius ille dux, cui pepercit Elias: qui postmodum, relicto Oziæ* * *regis ministerio, Eliæ factus discipulus, prophetavit, quiq; etiam morte propriâ obiit, sepultus cum patribus suis in Sebastæa civitate, ubi Eliseus prophetavit, & Ioan. Baptista venerabiliter requiescit.* Quòd fuerit Eliæ discipulus, etiam habent S. Epiphanius, & Dorotheus ac plures alii: Liranus (b) scribit: *Tertius verò quinquagenarius fuit Abdias: ut dicunt Doctores Hebræi, & Catholici: qui timebat Deum valdè: & propter hoc humiliavit se coram Deo & Elia ejus servo.* S. Hieronymus *in prologo ad Abdiæ prophetiam* hæc de eo scribit: *Hic igitur quia centum Prophetas paverat, accepit gratiam Prophetalem: & de Duce exercitûs, fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias.* Ibidem etiam tradit eum sepultum in eodem sepulchro cum S. Eliseo, ubi etiam postmodùm depositum fuit corpus S. Joannis Baptistæ, de quo hæc (inter alia) in Agiologio Joannis Gillemani ad diem XXV. Augusti leguntur: *In Sebaste, oppido Palestinæ, à suis discipulis inter corpora Sanctorum Elisei, & Abdiæ Prophetarum, discipulorum Eliæ, tamquam eorum condiscipulus, & ejusdem Religionis observantissimus alumnus humatus est.* Plura de isto Abdia videri poterunt apud P. Lezana in Annal. Carm. (c) ubi disserit, an Abdias hic idem sit, qui inter 12. Prophetas minores unus nominatur: &, si unus, ac idem, cur in sacris Bibliis quartus ordine referatur. Posteà (d) scribit, quòd de tempore, quo Abdias prophetavit, nihil certi habetur, ut notavit Vatablus *in initio Abdiæ*, quin potiùs probabile satis sit prophetasse circa ann. mundi 3140. Porrò de rationibus nonnullis à quibusdā objectis circa antè (ex S. Hieronymo, S. Epiphanio, S. Isidoro, & aliis) adducta, rectè censet: *Hæc non cogunt, ut tantorū Doctorum sententiā deseramus.*

(a) in libro de instit. prim. monach. c.

Abdias fuit tertius quinquagenarius,

factus deindè discipulus S. Eliæ;

* al. Ochoziæ.

sepultus ibi, ubi S. Eliseus & S. Ioan. Bapt.

(b) in c. 1. l. 4. Reg.

(c) ad an. mundi 3138 n. 3. 4. & 5.

(d) ad an. mundi 3140.



Ierunt ELIAS, *et* ELISEUS, *et quinquaginta viri de Filijs Prophetarum ſecuti ſunt eos. Tulitq* ELIAS *pallium ſuum, et percuſsit aquas, quæ diuisæ ſunt in vtramque partem. Cumque tranſiſſent,* ELIAS *dixit ad* ELISEUM*: Poſtula, quod vis, antequam tollar à te. Dixitque* ELISEUS*: obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. Cumque pergerent, ecce currus igneus, et equi ignei diuiſerunt utramque, et aſcendit* ELIAS *per turbinem in cœlum.* 4. REG. 2.

CAPVT XXVI.

Curru igneo S. Elias in cælum rapitur: in Paradisum transfertur.

Raptus, seu translatio S. Eliæ anno mund. 3139.

200. ANnus à creatione mundi ter millesimus centesimus, trigesimus nonus: ante Christum nongentesimus decimus quartus, memorabilis est clarissimi Prophetæ Eliæ raptu, & ei supparis Elisei vaticiniorum, ac prodigiorum initiis. Ita Salianus in Annalibus Ecclesiasticis veteris Testamenti (a). Quomodò raptus ille contigerit, sic tradit Scriptura sacra: (b) *Factum est autem, cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias, & Eliseus de Galgalis... ierunt igitur ambo pariter, & quinquaginta viri de filiis Prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt econtrà, longè: illi autem ambo stabant super Iordanem. Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramq; partem, & transierunt ambo per siccum. Cumq; transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequàm tollar à te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamē si videris me, quandò tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum: Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs.*

(a) ad an. mundi 3139 n. 1.

(b) 4. Reg. 2.

S. Elias pallio suo Iordanis aquas dividit, & sicco pede transit:

S. Eliseus duplicem S. Eliæ spiritū petit.

S. Elias in cælum ascendit:

201. De isto Eliæ raptu mirabili hæc scribunt Patres, Tertullianus (c) *Sublatus curru, Paradisi vectus in aulam est*: Augustinus (d); *Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissimè sancta Scriptura testatur.* S. Ambros. (e) currum hunc, angelos interpretatur, quasi nube istiusmodi amictos. *Enoch translatus est*, inquit, *ne videret mortem: similiter & Elias in corpore isto positus curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui spiritus, & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione usque ad cælum assumptus est*, ad cælum scilicet aëreum, indè transvectus in Paradisum, sicut c. 28. audiemus. Quod dicitur: *Currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque*, & alio in loco (f) *Receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Ignis ille non erat comburens, sed illuminans, & Eliam oblectans. Tostatus, Serarius, Vatablus, Salianus, & alii sic ferè exponunt. Nubes videlicet rutilans in quamdam soliditatē addensata, & quasi meteorum quoddā splendidū, in speciem currûs, & equorum igneorum efformatū, super terram decurrere videbatur, versùs utrumq; Prophetam, & inter utrumq; pertransiens alterum ab altero separavit: & raptus est Elias ad currum igneum, ubi consedit, Eliseo solo humi remanente: statimque consurgens vehemens ventus, è terra extulit paulatim equos, atq; currum, donec ab oculis spectantis, & inclamantis Elisei, subducerentur: sicque verum est & à curru igneo & à turbine venti, Eliam abductum in cælum, curru ferente, auferente vento, & angelo utrumque, quasi aurigâ, moderante. Sicque S. Elias Angelico obsequio fuit raptus mirabiliter, per aëra sublevatus, curru, & equis igneis evectus, magnifico triumpho, splendidissimo trophæo, nimiùm coruscā luce micans, in amænitatis, deliciarū hortum translatus, tamquam mundi prodigium, orbis miraculum, gratiæ & naturæ admirabile spectaculum. Quantùm ad istud: *Et levavit palliū Eliæ quod ceciderat ei*: Græca Sixti editio significat, ita pallium ab humeris Eliæ cecidisse, ut ex alto in Eliseum ipsum decideret; habet enim; *Et levavit melotem Eliæ, quæ ceciderat desuper Eliseum.* Ita Salianus (a) Pallium enim Eliæ erat melote, confecta ex pellibus caprinis hirsutis, ideò ipse Elias dicebatur *vir pilosus.* Quòd autem Eliæ in currum ascendenti palliū ceciderit, contigit non utique casu, sed nec levi mysterio; ut scilicet tam ipsi, quàm cæteris Eliæ discipulis, innotesceret, se in officio, sicut in pallio prophetali, successisse, & duplicē Eliæ spiritū accepisse, sibiq; miraculorum factam potestatem; ut qui palliū adeptus esset, quô proximè Elias insigne miraculum ediderat; recordaretur quoquè vocationis suæ, quam pridem ejusdem pallii injectione acceperat. Sic idem Salianus (b).

(c) lib. 3. contra Marcion.

(d) De Civit. Dei l. 20. c. 29.

(e) in Symbol. Apost. sub fin.

in cælum aëreum, & indè in Paradisum transvectus,

(f) Eccli. 48.

in curru igneo, equorum igneorum:

qualiter, & quanto triumphō contigerit:

Pallium Eliæ cecidit super Eliseum,

(a) ad an. mundi 3139 n. 46.

non casu, sed magno mysterio,

(b) ibidem.

202. Cur tam triumphali raptu S. Elias à Deo honoratus fuerit, sacer Textus his exponit verbis: (c) *Elias dum zelat zelum legis receptus est in cælum.* Igitur Divini honoris, ac salutis proximorum zelus ejus flagrantissimus causa fuit, seu motivum sive meritum tam gloriosi triumphi. Causæ aliæ à Patribus adferuntur, videlicet: Conversatio jugis in cælo, & cum Deo: solitus enim erat corde ruminare, & ore ingeminare: *Vivit Deus, in cujus conspectu sto.* Virginalis castitas, quam primus hominum servavit, & alios docuit: prout ex supradictis constat. Ideo enim, ait S. Ambrosius (d) *raptus ad cælum*; & S. Hieron. mox referendus: *Virgo Elias raptus* &c. Jejuniū & vitæ austeritas. *Iejunium*, inquit Basilius, *Eliam magnæ visionis spectatorem fecit.* Idem tradit S. Ambros. (e) *Elias jejunus pluvias ore deposuit: jejunus ignes de cælo eduxit: jejunus curru raptus est in cælum: & quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam &c. meritò illum dignum cælo divina judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniā cælestem vitam vivebat in corpore.* Et S. Hieron. (f) pro abstinentia disputans, ait: *Elias Virgo igneo curru raptus ante immortalis effectus, quàm mortuus: quod ebrietas perdidit, inedia reperit.* Dicit *immortalis*, scilicet ad finem usque mundi; tunc enim in loco, in quo Christus crucifixus fuit, simili modo vitam finiens; denique glorioso triumpho, non in paradisum terrestrem, sed in cęlum empyreum, victoriosus ascendet. Elogium (veluti epitaphium insigne, ad limen Carmelitanæ speluncæ, quam incoluit S. Elias, appendendum) scripsit Salianus (g). *Hanc aliquandò speluncam incoluit, Viator, qui præter naturæ ordinem factus est paradisi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus, magnum illud Prophetarum lumen* ELIAS THESBITES &c.

(c) 1. Machab. 2.

Raptûs tam mirabilis quæ causæ:

(d) lib. 1. de Virgin.

(e) lib. de jejunio & Elia c. 2. & 3.

(f) l. 2. contra Jovin.

Epitaphii loco elogium S. Eliæ.

(g) ad an. mundi 3139 n. 44.



ELIAS in Transfiguratione perpetuam obtinet á Christo Ordinis sui durationem; uti B.Virgo Maria Sancto Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano reuelauit, et sacr Rituum Congregatio anno 1628. sub Vrbano VIII. Pontif. Maximo approbauit. *Lect. 5. off. eiusdem sancti.*

CAPUT XXVII.

S. Elias in Christi Transfiguratione præsens, perpetuam Ordinis sui conservationem postulat, & obtinet.

203. Sancti Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas describentes Transfigurationem Christi Domini in monte Thabor * (haud longè dissito à Carmelo) pariter referunt, ibidem tunc cum Christo apparuisse Eliam. Ita quidem S. Matthæus (a) *Assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsùm: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes.* Ita quoque S. Marcus (b) S. Lucas historiam eamdem sic describit: *Assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem, ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultûs ejus altera: & vestitus ejus albus & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias, visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus verò & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria Tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ.* Aiunt Matthæus & Marcus, quòd Moyses & Elias fuerint *cum eo* (JESU) *loquentes*; videlicet *de excessu ejus*, seu passione, & mysteriis aliis nostræ redemptionis. Inter ceteros sermones eorum, quantùm ad Moysen, Origenes *homiliâ VII. super Numeros*, tradit, tunc Moysen orasse pro populo suo Israelitico: verba ejus sunt ista: *Quem oportebat orare ad Dominum pro sanitate populi illius, nisi Moysen? Moyses orat pro illis, & fortè hoc erat, quod cum Domino Iesu colloquebatur, cùm in monte transformatus est, petens ab eo, ut cùm plenitudo gentium introisset, tunc omnis Israel salvus fieret.* Hinc à simili argumentantur Joan. Palæonydorus (c) Arnoldus Bostius (d) & alii. *Existimandum planè non est, Moysen pro populo suo, qui sibi adeò rebellis, & cervicosus semper extiterat, sollicitasse; Eliam autem, Carmeli Patriarcham, cætum fratrum suorum neglexisse, cujus legislator fuerat, & præceptor.*

* al. Tabor.
(a) cap. 17.
S. Elias Christo coapparet in Transfiguratione,
(b) cap. 9.
cum eo loquens:
tunc, sicut Moyses oravit pro populo Israelitico,
(c) in Fascic. trip. l. 1. c. 8.
(d) lib. de Patron. B. Virg. c. 12.
[illegible] & Elias pro suo Ordine.

204. Istius intercessionis tunc à S. Elia ad Christum factæ habemus potioris auctoritatis firmissimum testimoniũ, nempè ipsius Reginæ cæli, sic ad S. Petrum Thomam (posteà Patriarcham Constantinopolitanũ) pro conservatione sui Ordinis, tunc graviter afflicti, orantē: *Confidito, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque seculi est perseveratura. Elias namque ejus Institutor jam olim etiam à Filio meo id impetravit.* Ita legitur in Officio Canonico, Ecclesiæ auctoritate approbato, recognoscentibus Card. Bellarmino & de Torres. Philippus Mazzerius, olim Cancellarius regni Cypri, in vita S. Petri Thomæ, quam scripsit, relatâ apparitione quadam B. Virginis Mariæ, factâ ipsi S. Petro Thomæ, meminit etiam *aliorum magnalium de ipsa Virgine* erga ipsum S. Petrum. (a) Inter illa *magnalia* est visio, seu revelatio, litteris consignata ab ipsomet Philippo Mazzerio sivè altero, in *Appendice ad vitam S. Petri Thomæ*, in qua hæc, inter alia: *Avenione dum quadam nocte post Matutina vigilaret, & Virginem Mariam attentè exoraret, ut Ordinem suum ejusdem titulo insignitum stabiliret ... Cui Virgo Maria Dei Genitrix apparuit, consolans, & prædicens, ne de hoc timeret: quia statutum est apud Deum, quòd Ordo suus manebit usq; in finem seculi; nam & Elias primus Pater Carmelitarum, cùm esset in monte Thabor cum filio meo Iesu Christo, petiit, quòd Ordo suus, quem in monte Carmeli inchoavit, permaneret usque ad adventum suum contra Antichristum: quod & eidem promissum est.* Istud pleniùs descriptum est in vita S. Petri Thomæ, secundæ editionis, cura P. Godefridi Henschenii, de qua mox (b).

Deiparæ testimonium, de Elia pro Ord. suo orante & obtinente.
Ecclesia auctoritate probatum:
(a) Phil. Maz. in vita S. Petri Th. c. 1.
traditum à pluribus Scripr.
(b) videatur in vita illa, pag. 208.

205. Eadem historia tradita est à teste (qui præsens, aut propè fuit, quandò contigit) Joanne de Hildesheim S. Petri Thomæ discipulo, Arnoldo Bostio, Balduino Leersio, ac aliis pluribus. Illam referunt, novissimè P. Theophilus Raynaudus *Tomo. 7. operum suorum*, ubi de Scapulari Mariano: & P. Godefridus Henschenius *in vita S. Petri Thomæ*, ab eo edita Antuerpiæ anno 1659. typis Jacobi Meursii: ibi sub finem, in titulo *Analecta* (c) plures adducit auctores, qui visionem, & revelationem illam scriptis tradiderunt: & inter eos præfatum Joannem Hildesheimensem, eum nuncupans *virum admodùm eruditum*: & ex præfato Arnoldo Bostio, libro *de Patronatu B. Virginis*, his verbis (prolixitatis vitandæ causâ contractis) *Cùm semel devotus laudum Mariæ propagator, in sacra nocte Pentecostes, ferventibus desideriis, à dulcissima, potentique Patrona Maria sua Religionis patrocinium efficax, & jugem conservationem humillimè petiisset; ipsa vultu, & habitu coruscans, affatu piissimo, responsum flammivomum, favo, ac melle prædulcius, ei dedit: Ne timeas, inquiens, mi Petre, durabit usque in finem Religio nostra, carissimorum, & desideratissimorum Fratrum meorum Congregatio, gaudium meum, & corona mea: nam & pro ea supplicavit Filio meo, & impetravit primus Ordinis Patronus Elias, dum ei Transfigurationis suæ tempore, in gloria, & majestate coapparuit.* Hactenùs P. Henschenius ex Arnoldo Bostio. Historia istius revelationis de Ordinis conservatione meritis S. Eliæ, traditur in Speculo Carmelitano variis locis (d) estque una ex celebrioribus, & receptissimis (apud domesticos, & exteros) inter Carmelitanas historias, etiam (sicut jam dictum est) calculo Ecclesiæ recepta, & approbata. Hinc communiter dicitur:

Dũ fluet unda maris, curretque per æthera phœbus,
Vivet Carmeli candidus Ordo mihi.

(c) pag. 208. & 210 & 221.
Godefridus Henschenius plures adducit auctores, de S. Eliæ patrocinio, pro suo Ordine.
(d) To. 1. n. 661. & 1505. & 1677. to. 2. n. 699 & seq.



. Propheta ELIAS per quadraginta dies, inter Resurrectionem et Ascensionem, in
aradiso Christi fruitur consortio, ac de agendis contra Antichristum instruitur.
ustin. mart. Nicephor. Bonauent. D Thomas: ita Tirinus, in Act. Apost c. 1.

CAPUT XXVIII.

Christi præsentiâ in Paradiso fruitur S. Elias per dies 40. post ejus resurrectionem.

Paradisi terrest. incolarum Elia Christus post resurrect.

206. *Fluentibus quadraginta diebus tempore quo à revisendis instruendisque discipulis, reliquum erat, impendit oblectandis patribus, quos unà secum è limbo reduxerat. Impendit & Eliæ atque Henoch in Paradiso præsentiâ suâ recreandis, instruendisque de omnibus, quæ olim ipsis adversùs Antichristum usui esse possint, inquit Iustinus Martyr, Irenæus, Nicephorus, S. Bonaventura, & S. Thomas.* Ita Jacobus Tirinus (a) Loca, ubi citati Scriptores illa tradunt, videri poterunt apud ipsum Tirinum: satis erit, hic audivisse paucula verba ex Nicephoro: (b) *Iustitiæ sol Christus, animâ solâ per mortem à corpore segregatâ, apud inferos justorum animis præsto fuit: & dux itineris, ad Paradisum ferentis, præiit, lucis princeps viaque ductor eis perinde atque latroni factus. Eâdem namque die, ac potiùs eâdem horâ ab inferis rediit.* Plura ad hoc propositum adducit P. Lezana. (c) Quòd autem tempore illo 40. dierum Christus (quandò non adfuit suis Apostolis) versatus fuerit in Paradiso cum Elia & Enoch, Cornelius à Lapide (d) probabiliter persuadet his rationibus; *tum quia hic locus, & societas decebat corpus Christi beatum & gloriosum: tum quia id merebatur Elias, qui ei astiterat, & testimonium perhibuerat in Transfiguratione*: rationes aliæ adferentur cap. sequenti. Porrò communissima Patrum & Doctorum sententia est, S. Eliam degere in Paradiso terrestri. Ita quidem vetustus Pater S. Irenæus (e) agens de loco, ad quem ipse & Enoch translati: *Vbi ergò primus positus est homo, scilicet in Paradiso: quemadmodum Scriptura dicit: Et plantavit Deus Paradisum in Eden contra Orientem &c. dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illuc translatos esse.* Idem tradunt Justinus Philosophus & martyr (f) Tertullianus (g) & Patres alii plures, relati à Cornelio à Lapide in istum textum. (h) *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*: quod confirmabitur cap. sequenti.

(a) in c. 1. Act. Apost.
(b) in Eccl. hist. lib. 1. c. 31.
(c) in Annal. Carm. to. 1. ad an. mundi 4086. n. 22. & 23.
(d) in Act. Apost. c. 1.
rationes id persuadentes:
(e) lib. 5. contra hæres. c. 5.
in Paradiso nunc degere S. Eliam, communissima Patrum sententia.
(f) quæst. 85 ad Orthod.
(g) lib. de anima c. 35 & 50.
(h) Eccli. 44. v. 16.

Maria Virg. Deipara anima ante corporis resurrectionem ubi fuerit:

207. Sacræ Virginis Dei Genitricis Mariæ animam è corpore egressam, rectà in cælum evolasse tradunt aliqui: quorumdam autem sententia est, eam translatam fuisse in Paradisum, & ibi permansisse tempore intermedio, inter obitum, & gloriosam ejus Assumptionem: sic quidem Baptista Mantuanus *Vir in divinis Scripturis eruditissimus: & in sæcularium litterarum scientia nulli secundus: sacræ Theologiæ Doctor: Philosophus insignis: Poeta & Orator celeberrimus.* Ita Trithemius (i) Possevinus, (k) & alii. De ejus obitu hæc tradit S. Joan. Damascenus, & approbat Ecclesia in Ecclesiastico Canonico Officio illud legendum proponens. (l) *Ex antiqua accepimus traditione, quòd &c. Cum divina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Ejus autem corpus, quod Deum suscepit ineffabili quadam ratione, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum, in loculo fuit depositum Gethsemane: quo in loco Angelorum cantus mansit per tres dies continuos.* Addit, quòd, *cessante Angelico cantu, tumulo aperto, sacrum ejus corpus nequaquam inventum sit.* Eadem tradunt Damasceno vetustior S. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus, Metaphrastes & alii. Tempore autem illo quo corpus in sepulchro fuit, ubi convenientiùs existimandum fuisse animam, nisi in Paradiso? cùm etiam ibi animam Christi, à corpore separatam, fuisse, censeant Scriptores prænominati ex Tirino. Ceterùm id Ecclesiæ judicio, & piæ fidelium considerationi committendo, circa hoc audiamus præfatum Mantuanum in opere, inscripto *De sacris diebus* (a) ad Leonem X. Pontificem Maximum, sic dulciter modulantem:

(i) lib. de Scrip. Eccles.
(k) in appar. Sacr.
(l) die 19. Augusti ad Matutinum.
corpus fuit in sepulchro hymnodiâ Angelicâ honoratum:
anima autem verisimiliter in Paradiso.
(a) lib. 8.

208. *Hæc est illa dies, quâ Christus in æthera Matrem*
Sustulit indutam membris, sic credere sanctũ est.
Nam nec erat locus in terris ubi viscera condi
Fas foret, æternum quæ progenuere Tonantem.

Et infrà:

Spiritus ut membris liber fuit, astitit illi
Michaël, & divûm chorus innumerabilis, omnes
Vestibus in niveis, fulvo radiantibus auro
Terga per alba comis, & eum duxêre volantes
Per liquidas nubes Verni Titanis ad ortum.
Quattuor ex uno manant ubi flumina fonte.
Hic Pater Elias riguo qui præsidet horto
Affuit exultans, & adhuc florente senectâ
Mox memor antiqui generis, quod habebat in alti
Rupe jugi, per Phœnices, Syriamque per omnem,
Diva parens, dixit, scio te cognoscere gentem
In patria tellure meam, tua mœnia propter.
Hanc cuperem superesse diu, largire favorem
Tu quæ tanta potes, mea, te custode, supersit
Posteritas, & eat supremi in sæcula mundi.
Sic senior. Contrà mater sic orsa Tonantis:
Nil opus est cuiquam sua commendare propago
O vates præclare tua hæc dum vita manebat
Se mihi devovit, decet illi incumbere toto
Pectore me, Pater Elia, tua vota secundo,

Deinde sequitur, de anima reunita corpori glorioso, deq; triumphali Virg. assumptione

——— *Mox in sua prima remisit*
Tecta animam, volucrique tulit super astra volatu.
Curia tum quali resonarit Olympica plausu! &c.

Et ista hic obiter: plura videri poterunt in Spec. Carm. (b) Porrò de ipso S. Elia, sollicito pro suo Carmeli grege, etiam Christo in Transfiguratione supplicanti pro suæ posteritatis conservatione, habemus ipsius Sanctissimæ Virginis testimonium hic suprà adductum, cap. XXVII. Hinc meritò accinit suaviloquus Arnoldus Bostius (c)

Salve sancte Pater, Domini zelator Elia &c.
Gaude quòd tibi nunc juncta est Patrona Maria
In Fratrum curam, quã laudat & Orbis & æther,
Ritè decus generis, Carmeli maxima cultrix:
Est donò Nati Virgo Maria prior. (d)

(b) tom. 2. ad diem XV Augusti n. 2132.
(c) de Patr. B. V M. c. 4.
(d) Plura ad hoc propositum vide suprà n. 25. & seq. pag. 10.



S. Propheta **ELIAS** Christo gloriose in coelum ascendenti assistit. *Gregor. Papa homil. 29. in Euangel. Arnoldus Bostius, lib. de Patronatu B. Virg. cap. 11. Plebartus Dempsuaert, ut citat. Tirinus in Act. Apost. Cap 1.*

CAPUT XXIX.

Christo gloriosè in cœlum ascendenti assistit S. Elias: qui nunc degit, eritque usque ad tempora Antichristi, in Paradiso.

(a) lib. de Script. Eccles.
* al. Enoch.

Ascensioni Christi, an in vestibus albis præsentes SS. Elias, & Henoch:

209. ARnoldus Bostius, *Theologus, Philosophus, Orator, & Poëta præclarus*, ut scribit Trithemius (a) de ista S. Eliæ, & Henoch * præsentia in Christi Transfiguratione illa tradit: *Cùm Iesus omnipotens hæc inferiora deserere, cœlumque conscendere statuisset, Elias & Henoch (juxta quorumdam non incongruam opinionem) testes Ascensionis Dominicæ in Actibus Apostolorum vestibus albis induti Apostolis leguntur astitisse. Nam cùm Christus gloriosæ resurrectionis suæ die sanctos Protoparentes Adam & Evam, cum sobole sua beata, quos ab inferni limbo eripuerat, in Paradisum terrestrem introduxerit, & cum Elia & Henoch paradisicolis eos quadraginta diebus usque ad Ascensionis suæ tempus dimiserit, quid mirum si tam magni-pendendæ catervæ, in qua & Carmelicolarum copiosus fuit numerus, se junxerint Elias, & Henoch, ad Oliveti montem usque cum eis procedentes; ut ipsi quoquè Ascensionis Dominicæ testes essent, qui figura fuerunt:*

Qui duo gesturi belli certamina cruda
Contra Antichristum gestant vexilla Tonantis.

(b) in Act. Apost. c. 1.

rationes id persuadentes:

Præsertim cùm prior ab eodem loco, præsens Moysi in monte Thabor, advenerit; ut Christi Divinitatem, & quem in Ierusalem completurus erat amoris excessum Apostolis testaretur. Id etiam ut verisimile persuadent rationes à Cornelio à Lapide adductæ, (b) de Christi conversatione in Paradiso tempore 40. dierum post resurrectionem, videlicet; *tum quia id merebatur Elias, qui ei astiterat, & testimonium perhibuerat in Transfiguratione? tum quia id quasi jure suo poscebat Eliæ, & Henoch translatio, remoraque & dilatio beatitudinis; ut quia propter Christum per tot annorum millia vivi remanent in terris, nec ad cœlum sicut cæteri viri sancti omnes, transferuntur, ut contemplentur Deum, eoque fruantur, saltem viderent humanitatem Christi redivivam in terris agentem, eâque gloriosâ fruerentur, atque ab ea acciperent legationem, quâ fungentur, & mandata, quæ exequentur in fine mundi, cùm redibunt, ut Christi fidem contra Antichristum propugnent, & pro ea Martyres occumbant. Ita opinantur S. Iustinus Martyr in quæstionibus ad Orthodoxos (c) Irenæus lib. 5. c. 5. Nicephor. lib. 1. Histor. cap. 31. S. Bonavent. in Meditat. cap. 91. & 98. Favet S. Thomas* (d) *qui opinatur animas Patrum, qui cum Christo resurrexerunt, fuisse in Paradiso terrestri. Nam ubi hæ fuerunt, ibi fuit & Christus.* Rationes præfatæ binæ illæ tantumdem videntur persuadere, decuisse similiter Eliam, & Henoch præsentes esse Christi Domini Ascensioni; præsertim cùm Ascensionis Christi prænuntii fuerint. Utrumque (Eliam & Henoch) Ascensionis Christi prænuntios fuisse

(c) q. 75. 76. & 85.
(d) in 3. dist. 22. q. 3. art. 2.

tradit S. Gregorius Papa *Homilia* 29. in Euangelia: *Henoch*, inquit, *translatus, atque ad cœlum aëreum Elias sublevatus, ascensionem Dominicam uterque designavit. Ascensionis ergò suæ Dominus prænuntios, & testes habuit*: ubi notandum, quod dicit *& testes.* Et S. Bernardus *Serm. 3. de Ascensione Domini*, sic coneinit: *Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam?* An non propterea idem S. Bernardus *Sermone 6. de Ascensione Domini* scribit: *Felices nimiùm viri illi per quos dominica ascensio legitur præsignata, Henoch raptus, Translatus Elias.*

210. Quantùm ad locum in quo nunc degit S. Elias, cum Henoch, quòd sit Paradisus terrestris, tradunt Patres relati cap. præcedenti, & alii plures nominati à Cornelio à Lapide; (a) S. Thomas scribens *in cap. XI. Apocalypsis* & illa verba: *Dabo duobus testibus meis*, exponens de Elia & Henoch: addit. *qui nunc sunt in Paradiso terrestri.* Liranus in *caput 2. lib. 4. Regum* ait: *Locus, ad quem deportatus fuit Elias, secundùm Doctores Catholicos, & Hebræos est Paradisus terrestris*: Et Abulensis in caput 5. Genesis, ubi hoc: *Doctores Catholici omnes, & tota fidelium Ecclesia credit, quòd Henoch translatus fuerit in Paradisum sicut Elias, & manent isti duo in terrestri Paradiso, ut post pugnent, & prædicent contra Antichristum* (Illa tamquam certa supponit in aliis locis, præsertim *in caput 2. libri 4. Regum quæst. 24. & 25.*) Et Bellarminus *libro de gratia primi hominis cap. 12. Sententia*, ait, *est gravissimorum Auctorum, Henoch & Eliam translatos esse in Paradisum, unde expulsus fuit Adam.* Quoad statum S. Eliæ in Paradiso, ad usque suum reditum in mundum, S. Augustinus *libro de peccatorum meritis, cap. 3.* hæc tradit: *Neque enim Elias, & Henoch per tam longam ætatem senectute marcuerunt... Ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyrida panis, sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita in Paradiso fortassè pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exire indè meruisset.* S. Epiphanius *hæresi* 64. similia scribit: *Elias*, inquit, *est adhuc in carne, carne autem spirituali, & non opus habente, ut per corvos nutriatur, velut cùm in hoc mundo fuit, & ut de torrente Corath libat, & pellem ovilem induat; sed ut nutriatur alio quodam spirituali alimento, cujus suppeditator est, qui occulta cognoscit, & invisibilia creavit Deus; ambrosiam quamdam, ac incorruptibilem cibum habens.* Conformiter sentit S. Hieronymus (b): *Henoch & Elias tanto tempore in eadem permanent ætate, quâ rapti sunt.* Consequenter dicit, eos habere dentes & ventrem, *& tamen cibis non indigere.* Igitur S. Elias permanet, & persistet annosus sine carie, senex sine senio, mortalis sine morte, cibatus sine cibo, longævus sine ærumnis, & ultra viginti sex annorum secula, vitam sanctissimam protrahens: cumque adhuc terra possidet, cœlum expectat, Ecclesia colit, & totus veneratur orbis, vitâ superstitem.

(a) in c. 44. Eccli. & in c. 1. Act. Apost.

Paradisus locus est in quo nunc degit S. Elias:

in quali statu sit.

(b) Epist. ad Pammachium.



S. Propheta ELIAS, inter miracula, S. Patritium a' dæmonis vexa liberat *Messinganus in Vit. S. Patrit. cap. 19.* Alium quemdam Nurium nomine ab incurabili auricula sanat, usufum (cui, ob periurium in loco ELIÆ Sacro, os et collum erat contortum) restituit. *Lezana Consulto 3. num. 126.*

CAPUT XXX.

S. Patricius S. Eliam invocans in gravi sathanæ oppressione, per ipsum, instar solis fulgidum, liberatur: Sanitatis beneficia etiam aliis Eliæ devotis præstita.

211. S. Patricius ipse de se testatur, quòd quadam nocte à gravi dæmonis infestatione liberatus fuerit, invocato S. Elia: id narrat in libro, seu tractatu, cui titulus est: *Confessio S. Patricii, de vita & conversatione suâ*, quam ex vetustissimo Nobiliacensis S. Vedasti monasterii codice eruit Andreas Denis, Atrebas, è Societate Jesu, & Actis Sanctorum ad diem XVII. Martii inseruit P. Bollandus (a) ubi sic loquitur ipse S. Patricius: *Eadem verò nocte eram dormiens, & fortiter tentavit me sathanas, quòd memor ero quamdiu fuero in hoc corpore: cecidit enim super me velut saxum ingens, & omnium membrorum meorum vires abstulit. Sed undè venit ignoro, ut spiritu Eliam invocarem. Et inter hæc vidi in cælo solem oriri; & dum clamarem Eliam, Eliam, totis viribus meis; ecce splendor solis illius cecidit super me, & statim discussit à me omnem gravedinem.* S. Patricii vitam scripsit, seu ab aliis vetustioribus consignatam litteris, collegit, digessit, & illustravit Jocellinus, Ordinis Cisterciensis: ea ex antiquis manuscriptis edita est Antverpiæ anno 1514. & deindè alibi, ac etiam in dicto loco à P. Bollando, in qua *cap.* 2. historia illa his traditur verbis: *Mirabilis moderator omnium Deus electos quos arctiùs amat, multoties signis, & virtutibus illustrat: aliquoties in varias tentationes, juxta Apostolum, sinit incidere: ut discant, & sciant, fortitudinem suam à Deo, qui susceptor est eorum, custodire, & nihil in se vel de se confidere. Vndè & electus, & dilectus Dei Patricius permittitur divino judicio ab Angelo Sathanæ gravissimè tentari; ad cumulum confusionis tentatoris, & ipsius tentati coronæ augmentum: & ne fortè magnitudo signorum, aut jejuniorum extolleret eum. Nocte namque in ipsum dormientem princeps tenebrarum fortiter irruit, & mole ingentis saxi illum oppressit: cadens etiam super eum, omnium membrorum motum & officium, effectumque sensualitatis ei abstulit, eique tenebras inducens & torporem per triduum, supra modum humanæ tolerantiæ vexare & cadere non cessavit. Sanctus autem in tribulatione sua clamavit ad Dominum, bis invocans in nomine Domini Eliam Principem Prophetarum sibi in adjutorium. Missus itaque Elias à Domino cum lumine immenso illum ab omni pressurâ inimici, qua circumdedit ei, liberavit, illuminansque illum mirabiliter intùs & exteriùs, omnium artuum atquè sensuum vires ei reparavit.* In hymno, seu sequentia, de S. Patricio, ex vetusto Missali deprompto, à Thoma Mesingano in florilegio Hiberniæ (a) de illa S. Patricii per S. Eliam liberatione ista leguntur.

S. Patricius à dæmone graviter infestatus,

(a) tom. 2. Martii pag. 535. n. 9. impress. Antv. an. 1668.

invocato S. Elia,

eoque apparente, instar solis, liberatur.

Electos suos Deus sinit graviter tribulari:

S. Patricius gravissimè tentatus:

invocato Elia, ab eo, in lumine immenso, mirabiliter liberatur.

(b) indè refert P. Lez. in consultis variis consulto 3. nu. 126.

Opprimens per triduum
Satan hunc, vexavit:
Sed Elias artuum
Robur reparavit.

P. Lezana eadem adfert in opere, inscripto: CONSULTA VARIA, ubi etiam ista (a) de quodam Persa, qui saxò percussus, & in auricula vulneratus, se commendavit S. Eliæ: somnô correptus vidit S. Eliam tribus vicibus tangentem, & signo crucis signantem auriculam: quæ continuò curata fuit. Et de altero, etiam Persa, qui cùm altero litigabat: pro arbitrio jusiurandum in loco Eliæ dicato elegerunt: alter falsum jurans, os sibi versùs collum, & posteriorem capitis retortum pro supplicio recepit: donec, post sex menses, humiliter in eodem loco sanctum Eliam deprecatus, ad pristinam sanitatem restituitur.

(a) Consulto 3. n. 125.

S. Elias invocatus, variis sanitatem confert.

212. Ex hactenùs dictis habetur, S. Eliam in eo esse statu, ut coli, & invocari possit; quodque notitiam habeat eorum quæ geruntur in terra; peculiariter autem orationes piorum ipsum colentium, & invocantium noscat, & pro illis apud Deum intercedat. De istis luculentissimè differit P. Joannes Baptista de Lezana, in opere præfato, *Consulta varia, Theologica, Iuridica*, &c. ubi hæc, inter alia: (b) *Cùm Elias in altissimo sanctitatis gradu, donoque perseverantiæ, & confirmatione in gratia constitutus sit; dubium non erit, quin possit ab Ecclesia nedum coli, venerari, & invocari, sed medio quoquè Canonico ejus intercessio apud Deum pro nobis piè postulari.* Id comprobat auctoritatibus Patrum, & Theologorum: undè, cum Thoma Malvenda, tradit, illum, & Enoch consortem ejus, *vitam innocentissimam traducere, in precibus, orationibus, meditationibus, ac laudibus Dei perpetuò versantes pro Ecclesiæ statu continuas ad Deum preces effundere*: & ex eodem, ac aliis: *Hos Divos dici assistere Domino; quia stant in conspectu Domini orantes pro gente Iudæorum, pro felici statu Ecclesiarum Christi.* Quomodò autem percipiant preces ad ipsos fusas, ex eodem, & aliis, respondet: *frui frequenter colloquiis Angelorum divinis imbui revelationibus; ac si diceret mediis illustrationibus, & revelationibus divinis preces ad ipsos fusas cognoscere posse.* Istis conformia docet Franciscus Suarez commentans in tertiam partem S. Thomæ (c) sub isto titulo: *Vtrùm Elias, & Enoch nunc vivant, ubi, & quomodò.* Respondet: *Dicendum verò est primò, Enoch, & Eliam hactenùs non obiisse mortem, sed corpore, & animo vivere. Est de fide.* Tandem infert eos, *maximis Dei consolationibus, divinisque illustrationibus, ac frequentibus revelationibus gaudere, de iis saltem rebus, quæ eorum statui consentaneæ sunt.* Ita quoquè Gaspar Sanctius: *Quòd verò Angelorum familiaribus fruantur alloquiis, quasi jam quodammodò illis concives, & contubernales, utpotè ab hominum comitatu separati, & in aliqua humana conditione sublimiora expeditiùs intenti, docet Metaphrastes sermone de Elia apud Surium.*

S. Elias coli, & invocari potest;

(b) Consulto 3. n. 100.

quia in altissimo sanctitatis gradu, & à Deo canonizatus:

continuò orat pro Ecclesiæ statu,

preces ad se fusas quomodò cognoscat,

(c) in 3. part. tom. 2. disp. 55. sect. 1. & 2.

maximè ea novit, quæ ipsum concernunt.



Circa annum 1080. dum Rogerius I. Siciliæ magnus Comes Froÿnam Vrbem naturâ et arte munitissimam oppugnat, S. Propheta ELIAS Saracenis illam occupantibus stricto gladiò apparens, illos breui simul cum Vrbe Rogerÿ subdit imperio, qui ad debitas S. Prophetæ persoluendas gratias, eo loco quo apparuerat, monasterium cum Ecclesiâ in eius honorem mox ædificat. *Roccus Pirrus l. 4. Siciliæ sacræ, Notitia 8. vbi* de S. ELIA Ebulo. *Seu* de ambula.

CAPUT XXXI.

S. Elias stricto gladio apparens in Sicilia, Christianis adversùs Saracenos insignem victoriam tribuit: ideò Ecclesia, & monasterium illi dicantur.

S. Eliæ dicatum monasterium in Sicilia:

213. IN Sicilia monasterium est, nuncupatum S. ELIÆ EBULI, seu BONI CONSILII. In diplomate, seu litteris fundationis istius Monasterii frequens est mentio FLUMINIS S. ELIÆ, nec non PETRÆ, & VIÆ S. ELIÆ: nemora etiam isti Monasterio à Rogerio donata, vocata fuerunt FORESTÆ ELIÆ. MONASTERIUM istud S. ELIÆ anno Christi 1080. à Rogerio, primo Siciliæ Comite fundatum fuit occasione insignis victoriæ de Saracenis obtentæ. Historiam tradit Rocchus Pirrus Abbas Netinus Historiographus Regius in libro 4. *Siciliæ Sacræ*, impresso Panormi anno 1637. *Notitiâ octavâ pag. 66.* ubi, sub isto titulo: S. ELIÆ EBULI, SEU DE AMBULA, his describitur verbis: *Hujus templi, atque Basiliani Cœnobii prima in nostra insula fundamenta anno salutis circiter 1080. ejecit Rogerius ille tàm vehementis spiritûs, quô bellicacior nemo, quô pietate præstantior nullus, primus Siciliæ magnus Comes; cùm eâ nondum totâ potitus esset, de expugnanda vetustissima Troyna Vrbe, naturâ, & arte munita, atque Græcis, Christi cultoribus, Saracenorum tempore promiscuè culta consulit. Eò quidem in eminentiori loco, inter nemora, ad septentrionem, ab urbe quinque millibus passuum dissito, ubi in nocte* D. ELIAS PROPHETA, *stricto gladio, contra hostes apparuerat, convocatis militibus, & incolis Christianis annuentibus, post paucorum dierum obsidionem, & Barbaros, & Troynam suo subjecit imperio. Quarè ad gestientis animi de felici rerum eventu lætitiam effundendam, ac debitas Sancto gratias agendas, statim sub titulo ejusdem* S. ELIÆ EBULI, *Græcè*, DE AMBULA (*Latinè, id est*, BONI CONSILII) *sacras extruxit ædes, easque viris vel ex urbe, vel vicatim per nemora, eremitico more, sub D. Basilii disciplinâ degentibus, collectis, elargitus est.* Hactenùs Rocchus Pirrus. Idem auctor in præfato opere (a) alterius in Sicilia Ecclesiæ, Divo Eliæ sacræ sic meminit: *Non est prætermittendâ una* (Ecclesia) *S. Eliæ, quæ superbâ & venustâ mole, quamvis exiguo sub loco, nulli in Sicilia cedit: Immanibus enim, eisdemque quadratis saxis fundata est: fama est à primis Insulæ hujus colonis, ut illinc Pachyni littora prospicerent, super impositis sine cæmento saxis ædificata. In lapide incisum hoc dysthichon legitur:*

ibi S. Elias apparuerat stricto gladio adversus Saracenos: sequitur insignis victoria.

(a) SICILIA SACRA lib. 3. notitiâ 2. De Ecclef. Syrac. sub tit. Netum.

S. Eliæ dicata Ecclesia alia in Sicilia.

Quæ fuerat quondam moles operosa gigantum,
Cœptus in hac vivus Elias æde coli.

aliæ plures in Oriente:

214. Obiter hìc notandum, quòd in variis Orbis regionibus templa S. Eliæ dicata fuerint tam in Orientali Græca, quàm Occidentali Latina Ecclesia: *De æde Eliæ nominæ*, DOMINICUM, *nuncupata, extat epigramma S. Gregorii Nazianzeni. Rursùs autem de templo Eliæ per Basilium Imp. restituto, meminit Cedrenus in comp. hist. in Basilio.* Ita Cardinalis Baronius (a) qui & ista ex Curopalate: *Templum Prophetæ Eliæ ad Pitium splendidè renovavit, novumque construxit in Aula Regia in nomine Domini Iesu Christi, & Principis Apostolorum, & Eliæ Prophetæ.* De templo S. Eliæ ab Helena constructo hæc tradit Cornelius à Lapide *in cap. 18. libri 3. Regum, ad versum 42.* (b) asserens, *Helenam magni Constantini matrem in Carmelo templum ædificasse Eliæ Prophetæ.* Hinc etiam confirmantur ea quæ capite præcedenti dicta sunt, de cultu S. Eliæ, quòd ipse, atque etiam consors ejus Enoch habeant eorum, quæ geruntur in terris, notitiam, imò & curam. Congruè hìc audietur Gaspar Sanctius: (c) *Dei*, inquit, *& Gentis suæ maximus zelator Elias, licèt abstractus à suis, non tamen de illorum salute curam abjecit. Si enim Ieremias in loco & statu non magis ad orandum idoneo, in sinu videlicet Abrahæ, orabat tamen pro laborante populo, cur non idem de Elia, qui adhuc erat in vivis, licèt à vivis procul, existimandum? De Ieremia sanè habemus* (d): *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multùm orat pro populo, & universa sancta civitate Ieremias Propheta.* Ipsum autem S. Eliam habere notitiam & curam eorum quæ geruntur in terris, confirmant quoque litteræ ejus, annis aliquot post suam translationem, è Paradiso missæ ad Joram Regem, de quibus *libro 2. Paralipomenon cap. 21.* ubi ista de perversa Iorami vita leguntur: *Fornicari fecit habitatores Ierusalem, & prævaricari Iudam.* Mox sequitur: *Allatæ autem sunt ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in via Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem . . . ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ, cum populo tuo . . . Tu autem ægrotabis pessimo languore* &c. Et ita mox evenit. Cornelius à Lapide in illum textum commentans, scribit: *Quæres, quænam, quales, quandò & quomodò ab Elia scriptæ & missæ sunt hæ litteræ? Nota, Eliam jam pridem è terra raptum fuisse curru igneo in cælum.* Ex Saliano notat, istas litteras datas ab Elia *nono anno post raptum*: & paulò antè: *Passim censent Eliam ex Paradiso, vel loco in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has litteras misisse, sivè per Angelum formâ humanâ indutum, sivè per Eliseum, aliumve prophetam, vel virum fidelem, ad regem Ioram. Itaquè sicut in Transfiguratione Christi apparuit Petro, Iacobo & Ioanni Elias cum Moyse; sic & idem apparuit hìc alicui viro, eique litteras à se scriptas ad Ioram perferendas dedit.* Hinc ad præsens propositum, infert: *Scripsit autem ex Paradiso, ut magis percelleret impium Ioram, & converteret, utque ostenderet quantam ipse & Sancti, etiam post hanc vitam, hominum, fidelium præsertim, habeant curam.*

(a) in Martyrologii Rom. not. ad 20. Julii

(b) ex Nicephoro lib. 8. c. 30.

S. Elias notitiam & curam habet eorum quæ in mundo fiunt.


(c) Comment. in c. 2. lib. 4. Reg.

(d) 2. Mach. 15. v. 14.

Litteræ minaces à S. Elia è Paradiso ad Ioram Regem Iuda:

quando eæ scriptæ, quomodò missæ:

S. Elias fidelium curam habet.



Propheta ELIAS, viro cuidam visibilem se exhibens, locum sibi sacrum, lumine t incenso honestandum demandat. Alium quemdam locum suum esse, Annæ Surianæ enunciat. *Lezana Consulto 3. num. 125.*

CAPUT XXXII.

Varia loca dicata cultui S. Eliæ in Perside, atque etiam alibi: ejus, in habitu Carmelitico, apparitiones.

S. Eliæ dicata templa, sacella, altaria:

115. DE Ecclesiis, Sacellis, & altaribus sub titulo, & in honorem S. Eliæ in variis regionibus, deque cultu antiquissimo in Ecclesia Græca & Latina sancto Eliæ tributo, peculiariter agetur in Speculi Carmelitani tomo 2. (a) De variis locis, etiam in Perside dicatis ipsi, deque ejus apparitionibus, & beneficiis sanitatum, præstitis ipsum invocantibus, tractat P. Joannes Baptista de Lezana, in opere, cui titulus est: CONSULTA VARIA, ubi (b) inter alia, ista: *Est autem apud illam Persidis Regionem civitas quædam nobilis vulgò* ASPAHANO *nominata, Regis, & Principum magnifica sedes. Extra quam versùs meridianam partem à tergo hortorum Regis,* CHIARBACH *vulgò, parva quædam habitatio, seu domus* (SERRAGLIO *apud illos*) *sub Dominio Emir Raffiadir Mehomed Califfa est, quam Rex pro retinendis quibusdam Chaldæorum familiis in bello Turcico captis, concesserat. Ad cujus januam, & manum lævam à parte interiori, est locus quidam aptus ad sedendum, ubi, illis hominibus testimonium ferentibus, sæpiùs variis sub formis S. Elias apparuit. Primò enim unus ex majoribus,* ANÑA *nomine, in quiete vidit S. Eliam cum duobus aliis versùs portam illius habitationis venientem, tresq; papiliones, cortinas, seu vela coloris viridis, indè quasi removentem: ipsique præceptum, locum luminibus, & incenso imposterùm venerari. Quidam alius* ABDAL AET *relato somnio illudens, nocte sequenti ab Elia sancto strangulari se vidit: veniam poposcit, subitoquè liber extitit.* Post alia ibi sequitur: *Mulier etiam quædam Suriana Ansia nomine, inter Christianos illos solita cognatos invisere, dum per portam domûs exiret, S. Eliam habitu, & barbâ albicantibus obvium habuit, interrogatusque quis esset, respondit: Ego sum Elias, meus locus est iste. Cùm quidam juvenis Armanus, loci, sancto sacri, inscius, rem ibi indecoram facere aggressus esset, ab Elia, sub specie juvenis robusti, reprehensus, per unum mensem infirmatus, & ferè moribundus, cùm facti pænituisset, sanus effectus fuit.* ABDALLA *quoque quidam cum alio altercatus, domumque suam mæstus reversus, cùm dormitum iret, vidit S. Eliam barbam prælongam, & albam habentem, candidaque veste indutum.*

(a) in vita S. Eliæ parte 3. c. 5. num. 158. & seq. & ad diem 20. Julij cap. 3. num. 2049. & seq.

(b) Consulto 3. n. 125.

ejus plures apparitiones in Perside,

jubet, locum sibi dicatum lumine honorari;

percutit irrisorem, sanatque pænitentem.

Apparitiones S. Eliæ variis factæ:

216. Apparitiones S. Eliæ in veste Carmelitana plures à variis referuntur. *To. 4. operum* Venerabilis P. Joannis à Iesu Maria *in historia Missionum in additamento,* memoratur, frequenter in habitu Ordinis apparuisse. In India Occidentali, in loco deserto, apparitio hæc memoratur contigisse sub initium hujus sæculi XVII. circa annum Christi 1601. Sacerdos ibi erat venerabilis, sanctitatis opinione famosus, variis à Deo revelationibus illustratus, qui numquam aliquem Ordinis Carmelitani conspexerat; illi in visione exhibita fuit pulcherrima processio, in qua gradiebatur sacratissima Angelorum Regina Maria Ordinis Carmelitani habitu induta, hinc indè à latere habens duos viros ætate, ac canitie venerabiles, eisdem indutos vestibus, supra quam dici potest pretiosis: Indicatumque est viro sancto in eadem apparitione hos venerabiles senes, esse Sanctissimos Prophetas Eliam & Eliseum, quos multi ejusdem instituti Religiosi comitabantur, omnesque simul cantabant suæ Sanctissimæ Matri Deiparæ Virgini laudum encomia. Visionis mysterium aliquantò post manifestatum fuit, dum ibi Conventus eremiticus, seu deserti Carmelitarum Discalceatorum Provinciæ Indiarum Occidentalium nuncupatæ *S. Alberti,* constructus fuit. In regno Neapolitano, in loco nuncupato *Sperone,* Diœcesis Nolanæ vetus est Ecclesia S. Eliæ, & in ea antiqua pictura S. Eliæ, in habitu Carmelitano: & in tali habitu coloris grisei subnigri, cum pallio albi coloris apparuit Pastori de Sperone, sicut plenius refertur hîc infrà cap. 34. S. Teresia in libro *De fundationibus monasteriorum per ipsam factis,* (a) narrans vocationem Venerabilis Beatricis à Matre Dei (quæ prima fuit Novitia in Conventu Hispalensi) refert, qualiter ei apparuerit Venerandus senex, Carmelitani Ordinis vestibus indutus. Rogata postmodùm à suis Confessariis Beatrix, quis ille fuerit? Respondit *S. Patrem Eliam.* Ita P. Franciscus à S. Maria *in historia Prophetica.* Occasione illius, hîc commemorandum occurrit aliud simile, quod refert idem Auctor, scribens de Venerabili Catharina de Cordona (de cujus admiranda vita, & incredibili vitæ austeritate testimoniũ perhibet (b) S. Teresia) quòd nempè illi apparuerit Christus, extendens habitum Carmeliticum, monens, ut eum assumeret: quodque deindè ei se videndum exhibuerit S. Elias, indutus eâ veste, quâ Christus præmonstraverat, succinctûs zonâ pelliceâ. Id ipsa asseruit his verbis: *In carne, & ossibus, vidi nostrum Patrem Eliam.* Chrysost. Henriquez *in vita V. M. Annæ à S. Bartholomæo* binas refert apparitiones S. Eliæ factas ipsi Ven. Matri Annæ, unam tradit *libro* seu *parte 2. cap. 17.* & cum ipso apparebat quoquè S. Eliseus in simili veste; de altera peculiariter agetur cap. seq. Utriusque apparitionis istius testem etiam seipsam scribit in *Relatione de vita sua,* quam mandato Superiorũ ipsa scripsit. Utrobique autem illum nuncupat *Patrem nostrum Eliam.* Ita quoquè S. Angelus Martyr, sic & passim alii, & quidem S. Teresia in præfato libro *Fundationum* variis locis. (c) Hinc ipsa suos, suasque filias ad perfectionis studium exstimulans sic hortatur (b) *Vos obsecro, charissimæ, & vos fratres* &c. *Versentur nobis ante oculos veri nostri Fundatores, qui sunt Sancti illi Patres, à quibus descendimus, quos per hanc suæ paupertatis, & humilitatis viam ad Dei fruitionem pervenisse novimus:* atquè iterùm: *Vestros in stirpem & propaginem, è qua descendimus, sanctorum, inquam, illorum Prophetarum, oculos semper conjicite.*

apparitio insignis, facta cuidam Sacerdoti in India, B. V. M. & S. Eliæ, in habitu Ord. Carm.

apparitio S. Eliæ in Italia, cuidã Pastori:

(a) cap. 25.

apparitiones in Hispania, in veste Carmelit.

(b) lib. Fundat. c. 27.

(c) lib. Fundat. c. 16. & 27. & 29

(d) lib. Fundat. cap. 13. & 28.

S. Teresia hortatur ad imitationem S. Eliæ, utpote Ord. Fundatoris.



i. Propheta ELIAS visus est á ven. Matre Anna á S. Bartholomæo pallium suum Valisoleti extendere supra Carmelitarum Capitulum; cuius mirabilis, et inexpectatus fuit exitus. *Cap. 24. vitæ M. Annæ á S. Barthol.*

32

CAPUT XXXIII.

S. Elias in nube lucida, & coruscante, pallio expanso super locum Capituli Vallisoleti apparet V. M. Annæ à S. Bartholomæo.

V. M. Anna à S. Bartholomæo vitæ suæ relationem scripsit,

217. VEn. M. Anna à S. Bartholomæo, socia S. Teresiæ (quæ in ejus manibus spiritum Deo reddidit) jussu Superiorum scripsit relationem vitæ suæ, de qua Aubertus Miræus, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis, & ibidem Vicarius Generalis, hæc statuit: (a) *Vitam V. Matris Annæ à S. Bartholomæo, monialis Carmelitanæ Discalceatæ (quam ipsa Superiorum suorum mandato conscripsit) ut a Spiritu quasi divino dictatam, & cælestibus monitionibus plenam, prælo dignissimam censui.* Idem de ea censent alii. In ea hæc ipsa refert: *Cùm Vallisoleti Capitulum Patrum Discalceatorum celebraretur, & ego Abulæ essem, quâdam die post sacram communionem, successum ejus Deo commendabam. Intereà in interna introversione, & recollectione, Dominus mihi ostendit, suprà Conventum, in quo congregati erant Patres, nubem lucidam, splendidam veluti solem, & in ejus medio apparebat S. Pater noster Elias, expansum habens pallium supra capitulum, veluti pater eos defensans. Absoluto capitulo illo Abulam ad Conventum nostrum venit P. Provincialis, à quo Mater Priorissa rogabat de successu Capituli istius. Respondit ille: Verè, Mater, Dominus in eo operatus est; cùm enim inchoaretur, omnes idem in Domino sentientes, absque opinionum diversitate in easdem resolutiones, & definitiones convenimus, divini amoris igne succensi.*

(a) in censura, seu approbat. præfixa vitæ.

dictatam velut à spiritu divino:

apparitio S. Eliæ in nube lucida supra Capitulum Carm. Vallisol.

218. Chrysostomus Henriquez * Ordinis Cisterciensis historiographus Generalis sui Ordinis, vitam ipsius Ven. M. Annæ à S. Bartholomæo tribus libris complexus (b): is tradit etiam historiam illam apparitionis S. P. Eliæ factam ipsi Annæ, oranti pro successu istius Capituli, in quo tractandum erat de modo regiminis, & pace, concordia, uniformitate, deque conversatione, ac profectu novellæ Reformationis. Historiam illam eamdem referunt quoque P. Franciscus à S. Maria historiographus generalis Carmelitarum Discalceatorum *tomo 2 Reformationis* (c) Renatus Gualtier Consiliarius status in regno Franciæ, *in vita ipsius Ven. M. Annæ*, typis editæ Parisiis anno MDCXXXIII. & P. Ludovicus à S. Teresia in opere *de successione S. Eliæ Prophetæ in Ordine Carmelitarum* (d) signatque, eam contigisse anno Christi MCCCCCLXXXVII. Provinciali existente Ven. P. Nicolao à Jesu Maria (qui posteà fuit primus Generalis Congregationis Hispanicæ) ibidem refert alias aliquot apparitiones S. Eliæ in habitu Carmelitano: de illis videri poterit in vita S. Eliæ in *Speculo Carmelitano tomo 2.* (e) Narratur etiam dicta apparitio in vita S. Eliæ, prælo edita inter *flores Carmeli, seu vitas Sanctorum Ordinis Carmelitani, qui Officio Ecclesiastico celebrantur*, nec non in *Historia generali Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ tomo 1.* à R. P. Isidoro à S. Joseph primùm collecto, & à R. P. Petro à S. Andrea Definitore generali aucto, & completo, Romæ approbato & typis edito anno 1668. in quo historia illa (a) sic traditur hoc verborum tenore conformi aliorum illam describentium. [Anna nostra, quo tempore Capitulum Provinciale Fratrum renovati Carmeli Vallisoleti celebrabatur, mirabili visione fælicem, lætumque comitiorum exitum portendente donata est. In omnibus Reformationis Cœnobiis preces Deo fundebantur pro fausto Capituli successu, in quo ad bonum novæ familiæ regimen statuta condi, ac stabiliri debebant. Anna, unà cum cæteris, negotium hoc supremo cordium Rectori continuis orationibus commendabat; imò & præ cæteris instantiùs urgebat. Die quadam, post Sacram Communionem, in spiritu rapta, vidit supra Conventum Vallisoletanum, in quo gremiales consessûs Patres congregati erant, nubem igneam, flammarum vortices circumquaq; eructantem, Conventui incumbentem, & in ejus medio Sanctissimum Prophetam, ac Patriarcham nostrum Eliam pallium suum supra præfatum locum protendentem, expansisque brachiis alumnos suos veluti protegentem, in eorum amplexus veluti tenerrimè ruentem, & in ipsorum pectora spiritum suum veluti imprimentem, ac instillantem. Rerum eventus visionis probavit veritatem. *Reverso siquidem Abulam Provinciali* (verbà sunt ipsius Annæ successum describentis) *Matrem, quæ tum præerat alloquens, ingenuè fassus est, Capitulum propè cæleste celebratum fuisse. Fratres quippè designatum consessui locum intrantes adeò suspensos, & intimæ recollectioni intentos gerebant animos, ut eorum nullus ab altero visus sit discrepare. In omnibus, quæ statuenda occurrère, uno, eodemque spiritu consentiebant omnes, tametsi mutuis ut fieri moris est, verbis nullatenùs ad invicem conferrent. Dividendæ tum erant Provinciæ, & omnes unâ voce dixerunt: Hanc à sancto Elia indigetemus: In qua sanè spiritum ejus quasi persensisse videbantur. Provincialis igitur in hanc sententiam sermonem conclusit: Istud profectò Capitulum divino afflante numine perfectum est: ejusque effectus à Spiritu sancto processisse censendum est, quemadmodum omnes mihi sincerissimè fassi sunt, meque idipsum expertum fuisse liberrimè fateor:*] (b) Ex historia illa apparitionis S. Eliæ, super locum præfati Capituli Vallisoletani, confirmatur id ex Jacobo Saliano (c) quòd Carmeli Ordo *Patriarchæ sui Eliæ precum, quasi facularum ardore calefactus, inter multiplices rerum, locorum, temporumque varietates conservatus hactenùs fuerit.* Quòd autem Ordinis hujus sui curam specialem gerat, confirmat quoque cælestis revelatio à Dei Matre facta S. Petro Thomæ, de ipso S. Elia pro conservatione sui Ordinis orante tempore transfigurationis Christi, sicut luculentiùs traditum est hic suprà cap. 27.

* al. Enriquez.

(b) lib. 3. c. 22.

Auctores plures illam historiam referentes.

(c) lib. 7. c. 50.

(d) c. 273.

(e) n. 170. & seq.

(a) lib. 3. cap. 35.

(b) Hucusq; ex præfata hist. gen.

(c) in Annal. vet. Test. ad an. mundi 3139 n. 44.

S. Eliæ curæ est Ordinis sui Carmelit.

P 2 CAP. XXXIV.



Anno 1655. peste Italiam depopulante, S. Propheta ELIAS apparuit Iacobo Galeoto Pastori Speronensi, et ait: Habeto curam Ecclesiæ meæ ruinosæ, et ego curam habebo Pe[illegible] cessandæ. *Daniel a' Virg. Maria in Vinea Carmeli n. 1618.*

CAPUT XXXIV.

S. Elias in regno Neapolitano apparens Pastori de Sperone, sub diœcesi Nolana, jubet Ecclesiam sibi dicatam instaurari, spondens liberationem à peste.

Ecclesia S. Eliæ olim dicata in regno Neapolit.

219. IN Neapolitano regno, sub Episcopatu Nolano, in loco nuncupato *Sperone*, olim Ecclesia erat parochialis dicata S. Prophetæ Eliæ, quæ temporis diuturnitate collapsa fuit, remanente dumtaxat aliquâ ejus parte seu capellâ, in qua erat pictura, repræsentans S. Prophetam Eliam vestitum habitu coloris castanei, seu grisei-subnigri, & desuper pallio (seu cappa) albi coloris, sine caputio, & dextrâ gladium, ac sinistrâ flammas ignis tenentem. Supra caput Sancti apparet Deus Pater, & circa eum multi Cherubini. Infra pedes cernitur caput coronatum. Ex utraque parte in majori illa pictura tres sunt minores quadratæ imagines. Ad dextram, in inferiori conspicitur S. Propheta inclinato versùs terram corpore, & radius luminosus è cælo super ipsum protensus: quo significari videtur divinum mandatum, abscondendi se in torrente Carith. In secunda verò videntur altaria bina, nempè Pseudo-prophetarum, & ipsius Sancti, genuflexi ac orantis, ejusque victima igne cælesti absumitur. Superior exhibet eum in Carmelo orantem, & spectantem nubeculam è mari exorientem. Ex altero latere in ima Imagine figuratur idem ipse accipiens à corvo panem, advolatque alter cum carnibus. Media spectandum præbet eum constitutum in summitatè montis, imperiosum præ se ferentem vultum, descenditque ignis de cælo, devorans milites. In superiore est ipse in curru igneo elevatus, & Eliseus genuflexus, manus sursum extendens. Anno à Christo nato 1656. Cùm pestilentiæ faces depopularentur Neapolitanum regnum, præsertim circa Capuam, & Nolam, cunctamque humanæ artis industriam, ac naturalium remediorum efficaciam superarent: Quadam nocte Domino Jacobo Antonio Galeotæ Pastori novæ Ecclesiæ Parochialis de Sperone spectandum se præbuit senex, oblongâ, & canâ barbâ, gravique vultu venerabilis, ac in cæteris talis, qualem dicta pictura repræsentat: dicebatque: *Curâ habeto Ecclesiæ meæ* (illius scilicet ruinosæ) *& mihi cura erit impetrare à Deo, ut cesset pestis.* Mox pestis subitò cessavit in illis locis, per oleum è lampade S. Eliæ, ante præfatam imaginem appensâ, & per ejusdem Sanctissimi Prophetæ invocationem, sicut fidem indubitatam faciunt Acta Ecclesiæ Cathedralis Capuanæ, & ejusdem Capituli, nec non Curiæ, & Senatûs ejusdem urbis, atquè attestationes R.D. Ioannis Baptistæ de Fellecchia Decani Ecclesiæ Cathedralis Nolanæ, ac aliorum, sicut ex præfatis actis refertur in Vinea Carmeli (a) nec non in Speculo Carmelitano. (b)

Pictura, seu imago mysteriosa S. Eliæ.

Pestis sævit in regno Neapol.

remedium spondet, & præstat S. Elias.

cujus rei testimonia perpublica sunt:

(a) nu. 256. & seq.
(b) to. 2. nu. 2062. & seq.

220. Præfati autem Domini Decani & aliorum, testimonia, partim originalia, partim juridicè authentica desumpta ex originalibus ipsis, Nolâ sunt missa Romam, & indè à R. P. Seraphino à Iesu Maria (nunc Assistente Reverendissimi Patris Generalis) destinata in Belgium: quantùm autem ad istius Dom. Decani testimonium, ex Italico, hujus (in Latinum traducti) est tenoris: *Ego D. Ioannes Baptista Fellecchia Decanus Ecclesiæ Cathedralis civitatis Nolanæ, & ejusdem Civitatis tempore contagionis Vicarius Capitularis: Dico, quòd cùm mense Iunio, anno præfatæ contagionis essem Vicarius Capitularis dictæ civitatis Nolanæ, ad me venerit D. Iacobus Antonius Galeota Pastor Ecclesiæ Terræ de Sperone: & mihi retulit, quòd noctu in somnio viderit hominem senem cum barba, venerabilem aspectu omninò similem picturæ S. Eliæ in quadam Ecclesia haud longè indè dissita: quæ olim Parochialis fuerat istius loci, sed præ vetustate collapsa erat, sic, ut nihil restaret, præter partem Capellæ, in qua erat quædam pictura S. Eliæ. Ecclesia autem Parochialis alia nova ædificata erat. Populus intereà magnâ ferebatur devotione ad imaginem S. Prophetæ Eliæ in præfata Ecclesia ruinosa: & quandoque per hebdomadam ibi accendebatur lampas ante illam imaginem. Hic igitur S. Propheta Elias apparens prædicto Pastori dicebat illi: Habeto curam meæ Ecclesiæ, & ego à Deo impetrabo gratiam, ut pestis cesset. Ego autem non habens evidens motivum credendi visionem illam esse ex parte Dei, ipsum remisi ut haberet curam animarum sibi commissarum, quæ in magna erant necessitate propter mortalitatem istius temporis. Abiit igitur illuc ille: sed non tardavit sanctus præstare promissam gratiam & miracula, hoc modo. Mulier quædam istius loci de Sperone, infecta peste, habens tumorem, seu carbunculum in femore, ivit ad præfatam Ecclesiam: ubi genuflexa magna cum devotione ex oleo lampadis ante imaginem S. Eliæ appensæ, locum contagionis perunxit: & subitò à peste liberata sanitati integræ reddita fuit. Mox illa se contulit ad dictum pagum de Sperone, populo manifestans quod sibi contigerat, dicens non timendam ulteriùs pestem; cùm oleum lampadis ante Imaginem S. Eliæ pestem abigat. Fama ejus rei illicò divulgata fuit, & magna confluxit hominum multitudo ad istam ruinosam Ecclesiam, & imaginem S. Eliæ, & omnes peste infecti se ungentes oleo è lampade ista, curati fuerunt. Ego Superior & Superintendens tempore contagionis, deprehendi, quòd ab eo die, quo concursus ille fieri cæpit ad istam Ecclesiam, nullus ulteriùs peste mortuus fuerit: scripsique Pastoribus circumvicinis pro plenario testimonio.* Hactenùs ex instrumento originali relationis, & attestationis per præfatum Dominum Ioannem Baptistam Fellecchia. Ibi subsequuntur, & inseruntur in eodem originali testimonia DD. Pastorum circumcirca locum prædictum de quibus capite sequenti.

testimonium (ex originali) R. D. Decani Eccl. Cathedr. Nolanæ.

oleo è lampade S Eliæ plurimi curati à peste.



Ex tractu Speronensi, vicinisque regionibus quamplurimi oleo ex lampade ad Imaginem S. Prophetæ ELIÆ appensa inuncti, à pestilentiæ lue sanantur: aliique innumeri mirabiliter præservantur quos inter refertur R. P. Alexander Carraccillo Societ. Iesu. *Daniel à V. Maria in Vinea Carmeli, num. 618, et 256.*

CAPUT XXXV.

Oleo ex lampade appensa ante imaginem S. Eliæ plurimi à peste liberati, aliasque gratias consecuti.

ad S. Eliæ Ecclesiam maximus concursus populi, — *indè sanitatis beneficia referentis:* — *oleo è lampade S. Eliæ multi à peste curati:* — *pestis iterùm accenditur, ob ingratitudinem:* — *Ecclesia S. Eliæ instauratur:* — *ob recepta ibi beneficia populi devotio & concursus augentur.*

121. IN prænominati R.D. Joannis Baptistæ Fellecchiæ, Decani Ecclesiæ Cathedralis Nolanæ testimonio originali, hæc (itidem ex Italico Latinè reddita) subsequuntur. *Cum præfata* (de fuga pestis per oleum è lampade S. Eliæ) *in variis locis evulgata essent, populus undequaque confluxit, nonnulli processionaliter, alii autem solitariè: & ibi plurimas gratias, ac beneficia receperunt. Quadam die inter alios illuc adventantes, vidi P. Alexandrum Caraccilolo Societatis Iesu, mortuo ferè similem istuc adduci: cùm oleo è lampade S. Eliæ inunctus esset, illicò sanatus fuit, & adhuc incolumis vivit. Populus continuò accurrit magna cum pietate, & fiducia erga eumdem Sanctum, cum multis donis & pecuniis; ita ut brevi temporis spatio oblata ascenderint ad aliquas millia scutorum. Hinc controversiæ ortæ fuerunt inter ingratos homines haud bonæ vitæ, prætendentes pecuniam illam suæ curæ committi. Ad controversiam illam sedandam sollicitè laboravi, & interdixi, ne deinceps quispiam ingrederetur in illam Ecclesiam, quam ad dies aliquot curavi claudi. Ingratitudo illa, & despectus, seu exiguus respectus erga Ecclesiam, & ejus Præfectum, Deo, & S. Eliæ displicuisse apparuit; nam statim pestis iterum grassari capit, & proserpebat, ac plurimi moriebantur. Eâ causâ populus ad cappellam illam turmatim confugiebat: plurima autem offerebantur, & habui inter manus aliquot millia scutorum. Pecuniam illam impendi in instauratione Ecclesiæ S. Eliæ, juxta formam, prout antè fuerat, conformiter antiquis muris. Emi etiam terras circa Ecclesiam: ut ex redditibus viverent sex Capellani, qui quotidiè in ista Capella missam legerent, & alia pietatis opera exercerent. Ex restantibus scutis quadraginta annuis feci fundationem pro Magistro scholarum ad erudiendos pueros. Populus confluebat in tanta multitudine, ut coactus fuerim duas facere portas Ecclesiæ, alteram pro infirmis illuc adventantibus, ut sanarentur, alteram pro sanis venientibus, ut S. Eliæ pro beneficiis receptis gratias agerent: sed concursus tantus fuit, ut istud observari non potuerit. In hodiernum usque diem concursus ille, & pius zelus populi perseverat; nulla enim est hebdomada, quin plurimi magna cum devotione, ac donis eò conveniant, ut S. Eliæ gratias referant, aut supplicent pro novis beneficiis. Hæc sunt quæ novi de Ecclesia, & imagine S. Eliæ: & ego ipse vidi: de quibus plenarium perhibeo testimonium, paratus etiam juramento tacto pectore confirmare coram omnibus illis, qui hac videbunt, aut legi audient, tam in judicio, quàm extrà. In signum veritatis hisce subscripsi, & subsignavi propria manu. Nolæ die 26. Octobris anno 1659.* Infrascriptum erat: *Ego D. Ioannes Bapt. Fellecchia Decanus, & præfato tempore Vicarius Capituli confirmo antè dicta.* Inferius hæc adscripta sunt: *Ego Antonius Borello Apostolicus, & Regius Notarius Vrbis Nolanæ præsens fui & vidi, quandò multùm Reverendus D. Ioannes Bapt. Fellecchia Decanus, & anteà etiam Vicarius Capituli, hisce subsignavit: in testimonium veritatis signum notariale appositum fuit.*

Oleo è lampade S. Eliæ plurimi à peste sanati.

222. Reverendi DD. Pastores, ipse Ecclesiæ S. Eliæ in Sperone, & alii locorum vicinorum testimoniis suis confirmarunt quoque jam ante dicta: satis erit (prolixitatis vitandæ gratiâ) hìc referre testimonium præfati D. Jacobi Antonii Galeotæ (quia alia sunt ejusdem ferè tenoris) sic igitur ille. *Ego D. Iacobus Antonius Galeota, Curatus Ecclesiæ parochialis Gloriosi S. Eliæ in loco de Sperone, dependente d'Avella, plenam, & indubitatam fidem facio omnibus præsentes lecturis, vel audituris, tam in judicio quam extra, etiam cum juramento, tacto pectore paratus confirmare: quod in mea parochia præfata plures infecti fuerint peste, & aliis malignis infirmitatibus: qui clam adeuntes præfatam Ecclesiam S. Eliæ se unxerant oleo è lampade appendente ante ejus imaginem: qui mihi testati sunt se sanatos fuisse absque alio remedio adhibito: ab illo autem tempore nullus ulteriùs morbo contagioso mortuus fuit. In cujus rei fidem propria manu hisce subscripsi, in Sperone die 28. Iunii 1656.* Præfato testimonio similia sunt testimonia D. Sionetti d'Avanzo Archipresbyteri d'Avella, & D. Felicis Victorii, Vicarii (mortuo D. Pastore) in Parochiali Ecclesia S. Romani di Cortabuccio, vicina Ecclesiæ Parochiali S. Eliæ de Sperone. Per publica illa miracula intercessione S. Prophetæ Eliæ, ut animos, sic & calamos multorum moverunt ad varia epigrammata, anagrammata, & elogia: quorum aliqua videri poterunt in præfatis Vinea (a) & Speculo (b) Ex illis sunt ista:

(a) n. 258. & seq. & 619. ac seq. (b) n. 169. & 2063.

De peste olim à B. Virgine, nunc recens à Divo Elia fugata in regno Neapolit.

EPIGRAMMA.

Peste in nos coluber capite intulit, hujus & hausit
Caudâ Parthenopæ dira venena necis.
Contrivit colubri Virgo caput: ense resecta est,
Elia, ignito cauda cruenta tuo.
Quis timeat capitisve luem, caudæque ruinas?
Qui fuit ante draco, nil nisi truncus erit.

Aliud

Solvite corde metum, gens quibus obvia præbet
Sese dira lues, Thesbites ecce minax
Elias pro te metuendus adest: hunc pestis, & omnis
Atrox, atque audens vis inimica timet.

Aliud

Quis furor erupit torvis Phlegetontis ab oris,
Atra lues, nostras depopulata plagas?
Mitiùs horrifico sævit Bellona flagello,
Sirenis placidos perdere nata lares.
Quà face, quà ferro cedit vis efferа morbi:
Scilicet ignito promicat ense salus.

CAP. XXXVI.



Anno a' Christo nato 1656. Clerus, Senatus, populusque inclÿtę ciuitatis Capuæ elegerunt S. Prophetam ELIAM in patronum, et protectorem suum: et mox etiam ibi pestilentię faces, quibus civitas illa semiustulata moerens iacebat, extinctę penitus unt. *Ex actis publicis civitatis istius, relatis in Vinea Carmeli a' P. Daniele a' V. Maria num. et 257. ac 610.*

CAPUT XXXVI.

Clerus, Senatus, populusque Capuanæ Urbis, ob liberationem à peste meritis S. Eliæ, ipsum in Patronum, & Protectorem eligunt.

223. EX Capituli Capuanæ Ecclesiæ Cathedralis, nec non Senatûs ejusdem urbis, actis ipsis originalibus testimonia de ista electione extant inserta Vineæ Carmeli, (a) nec non *Speculi Carmelitani tomo 2.* (b) Qualiter, & quibus ceremoniis electio illa S. Eliæ in Patronum, & Protectorem à Senatu Capuano facta fuerit, habetur ex instrumento authentico, cujus hoc est initium: *Testor ego Notarius Cæsar Savone de Capua, qualiter inter cætera contenta in publico Actu, edito manu meâ sub die 27. mensis Ianuarii 1657. adsunt infra-scripta.* Ibi consequenter refertur solemnitas facta in Ecclesia B. Virginis Mariæ de Carmelo, præsentibus Illustrissimis Dominis electis ad regimen civitatis Capuæ, ipsum S. Prophetam Eliam in Patronum, & Protectorem suum eligentibus. Cur autem ista electio facta fuerit, his declaratur verbis: *Qualiter intercessione S. Patriarchæ & Prophetæ quam-plures personas simili morbo laborantes sanitati restitutas fuisse viderunt & audierunt, non solum in multis Regni hujus Civitatibus, terris, & oppidis, verùm etiam in hac fidelissima Civitate ungentes se oleo ejus lampadis, & ejus sanctum nomen invocantes, &c. Quapropter &c. desiderantes dicti Illustrissimi Domini Electi tamquam veri Patres hujus Patriæ ipsam Civitatem totaliter à simili morbo liberam videre, illius Sanctos Protectores, & Defensores apud Divinam Majestatem multiplicare statuerunt, & in novum Protectorem, & defensorem dictæ civitatis eligere dictum S. Patriarcham & Prophetam Eliam, cujus precibus placuit Divinæ Majestati infirmos simili morbo laborantes liberare; ita sperantes ipsos multiplicatis Protectoribus & Intercessoribus optatam gratiam faciliùs obtinere posse. Quamobrem volentes dicti Illustrissimi Domini Electi piam, & optimam hanc eorum deliberationem ad effectum ducere, & publicum actum conficere, ut eorum Posteris, & Successoribus perpetuò innotescat in futurum, elegerunt, prout præsenti Actu eligunt, & faciunt Protectorem, & Defensorem hujus fidelissimæ Civitatis Capuæ, & populi, dictum Gloriosum sanctum Patriarcham & Prophetam Eliam, non solùm in hoc pestilentiali currente flagello, verùm etiam in omnibus aliis suis tribulationibus, periculis, & necessitatibus.* Post alia sequitur: *Et ut perpetuò in futurum dictus Gloriosus sanctus Patriarcha & Propheta Elias à dicta fidelissima Civitate totoque illius populo veneretur, & honoretur tamquam suus particularis Protector & Defensor, ut alii gloriosi prænominati sancti Protectores; dicti Illustrissimi Domini Electi die 20. mensis Iulii sanctæ festivitatis dicti S. Protectoris, quæ annis singulis solemniter celebrabitur in hoc sacro templo ab ipsis RR. PP. ipsos & successores suos interesse* promiserunt, & in signum dictæ sanctæ protectionis planetam cum insignibus dictæ Civitatis illi dono præsentare. Et tandem sic concluditur: *Hac & alia latiùs patent ex facie dicti Instrumenti seu publici Actûs manu mea conditi, & in fidem me subscripsi & signavi.* Signatum est. *Notarius Cæsar Savone de Capua.* In eodem Instrumento sequitur testimonium legalitatis: *Nos electi ad regimen & gubernationem fidelissimæ Civitatis Capuæ testamur* &c.

(a) n. 256. (b) n. 2062.

Capua Patronus & Protector electus S. Elias.

ob liberationem à peste:

Testimonium de ista electione ex Actis publicis Urbis:

224. Ex libro autem originali Congregationis Curatorum, & Capellanorum testimonium authenticum hujus est tenoris: *Testor ego D. Salvator Cepullo Capellanus coadjutor Rectoriæ S. Marcelli majoris Capuæ, Secretarius Congregationis Curatorum, & Capellanorum, vulgò nuncupatæ del estra coro, Civitatis prædictæ, inspecto libro conclusionum dictæ Congregationis reperisse inter alia fol. 92. à tergo, hanc Conclusionem, videlicet 4. Idus Augusti anni 1656. Congregatis in loco solito Ecclesiæ S. Mariæ Confratrum Curatis ac Capellanis, ad eos adierunt viri amplissimi, Ioannes Bapt. Novellonius, & Hyacinthus Scaranus, qui Regiminis Capuani nomine postularunt, ut Congregatio prædicta accederet ad ea quæ regimen Capuanum ac R. Capitulum majoris Ecclesiæ Capuanæ decreverant, de assumendo, ac conscribendo in patronum & tutelarem Urbis Capuæ Sanctissimo Propheta Elia, cujus opem in peste depellenda fuerant experti, cujusque præsidio securi deinceps forent. Quibus auditis Curati omnes, ac Capellani, qui majorem partem convenerant, nemine discrepante, unanimique consensu assenserunt, tuleruntque suffragium, ut vir Dei Elias in Capuæ Patronos referretur, ratum habentes, atque habituri quidquid de re hac Reverendum Capitulum & Capuanum Regimen decrevissent. In quorum fidem hìc me subscripsi, ac sigillo solito signavi, Capuæ Idibus Aprilis 1657.* Signatum erat: *Ego qui suprà D. Salvator Cepullo Secretarius,* & sigillatum in pane albo. Ex libro autem Capitularium Conclusionum Ecclesiæ Cathedralis Urbis Capuæ, & Capituli Capuani Ecclesiæ illius testimonium ita incipit: *Fidem facio, atque testatum volo ego Ioannes Vincentius Boventius, Ecclesiæ Cathedralis urbis Capuæ Canonicus, & ejusdem Capituli à secretis, me, cùm librum capitularium conclusionum pervolvissem, inter cætera fol. 126. hæc observasse: Cùm jam Canonici tertio Nonas Augusti proximè elapsi anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti, post vesperas, in loco, ubi de rebus capitularibus agere consuescunt, essent de more ad sonitum campanæ congregati.* Ibi consequenter refertur, quòd *pro Urbis istius liberatione à peste sanctissimi Prophetæ Eliæ implorantes opem, cum in numerum Cathedralis Ecclesiæ Protectorum coaptarint.* Testimonium illud integrum videri poterit in præfatis Vinea, (a) & Speculo. (b) Finis autem ejus est istud: *Quod quia verum, ac certum est, me hic subscripsi, ac consueto signavi sigillo quarto Idus Majas 1657.* subscriptum est: *Ego Ioannes Vincentius Boventius, Canonicus, & à secretis, fidem facio ut suprà.* Sigillatum in pane albo, in quo impressa sunt hæc verba: CAPITULUM CAPUANUM.

ex libro Congregationis Curatorum.

ex libro Capituli Ecclesiæ Cathedr.

(a) n. 257. (b) n. 2062.



Ecce ego mittam vobis **ELIAM** *Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis: et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Malach 4.
Ad quod D. Thomas in c. XI. Apocal. ait: **ELIA** prędicante, Iudæos convertendos, et fideles roborandos. Addit A Lapide eodem loco: **ELIAM** discipulos habiturum, quos per Vniversum mittat Orbem. *ELIAS quidem venturus est, et restituet omnia.* MATTH. 17.

CAPUT XXXVII.

S. Elias ante diem judicii rediturus est, tempore Antichristi, ut Fideles corroboret, & Iudæos convertat.

S. Elias ante diem judicii rediturus in mundum.

225. Celeberrimum est in cordibus fidelium (ut adstruit S. Augustinus, verbis mox adducendis) ante judicium in hunc mundum rediturum S. Eliam Prophetam: id clarissimis verbis traditur in Scripturis sanctis, & à Patribus: & quidem istis Malachiæ Prophetæ (a) *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis* &c. Illa Malachiæ verba de S. Elia Propheta interpretatur Venerandus Patrum Græcorum, & Latinorum chorus; sicut videre licet apud Cornelium à Lapide in istum textum: ubi benè notat in quibusdam haberi *Eliam Thesbitem*, prout etiam S. Augustinus *libro 20 de Civitate Dei capite 29.* cujus hic est titulus: *De adventu Eliæ ante judicium, cujus prædicatione Scripturarum secreta reserante Iudæi convertentur.* Ibi consequenter hæc inter cætera: *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus & illustris: qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne fortè veniens percutiam terram penitùs. Per hunc Eliam magnum, mirabilemque Prophetam exposita sibi lege, ultimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.* Idipsum confirmat istud Christi testimonium apud Matthæum (b) *Elias venturus est, & restituet omnia.* Ferè eadem habentur apud Marcum, & Lucam. Ad idem alludit Ecclesiasticus (c) ubi de S. Elia Thesbite: *Qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, & conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Veniet autem Elias cum Henoch: de utroque, & gestis eorum, hæc Cap. XI. *Apocalypsis* prænuntiata sunt à S. Joanne Apostolo: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum* &c. Quem locum sic interpretatur S. Thomas (d) Dabo duobus Testibus meis, *scilicet Eliæ & Henoch, ut dicit Glossa, qui nunc sunt in Paradiso terrestri: & tunc, scilicet tempore Antichristi, venient in publicum, ad testificandum veritatem catholicam: & cùm suum testimonium finierint, interficiet eos Antichristus.* Ita S. Thomas, & passim Patres, ac Interpretes alii. Plura circa hæc videri poterunt apud Cornelium præfatum *in cap. XI. Apocalypsis*, explicantem præfata verba: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt*, ubi hæc, inter alia: *Vnum fore Eliam consentiunt omnes:* Franciscus Suarez docet (e) hanc assertionem: *Elias & Henoch erunt præcursores secundi adventûs Christi tempore Antichristi, esse de fide, aut fidei valdè proximam.* Id Scripturarum, & Patrum luculentis auctoritatibus comprobat.

(a) cap. 4.

id Scriptura & Patres clarissimis verbis tradunt:

Iudæos ad Christum convertet,

(b) Mat. c. 17.

(c) Eccli. 48.

Henoch socius S. Eliæ, etiam rediturus ante diem judicii,

(d) in c. XI. Apoc.

(e) To. 2. in 3. part. D. Thomæ, disput. 55. sect. 2.

226. (a) Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, *hoc est mensibus 42. Ita omnes Orthodoxi*, inquit idem Cornelius: & paulò ante sic explicat: Mensibus quadraginta duobus, *id est, tribus annis cum dimidio (si enim cuique anno des menses 12. invenies menses 42. facere tres annos cum dimidio) uti prædixit Daniel* (b) Tradentur, *ait*, in manu eius (*Antichristi*) usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis, *id est per annum, & duos annos, & dimidium anni.* Ita idem Cornelius: Dicuntur autem Elias & Henoch duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini: cujus erunt legati & Apostoli, ut scilicet ejus fidem & Euangelium toto orbe propagent, ac contra Antichristum tueantur. Verisimillimum est Eliam (eadem est ratio de Henoch) discipulos habiturũ, quos per universum orbem emittat, nempè ex suo Carmelitico cœtu, aliisque Ordinibus religiosis, atque ex Clero, inflammatos verbis, & exemplis ipsius S. Eliæ. Ad hoc propositum Balduinus Leersius, in *Collectaneo exemplorum cap. 7.* scribit de Carmelitis: *Est rationis quòd sint ultimi; quatenùs veniens Elias, & adversùs Antichristum prædicaturus, illos, quorum patronus extiterat, inveniat superstites in vita, ut cum ipso prædicent veritatem: & verisimile est, quòd cum ipso glorioso martyrio coronabuntur; nam & præteritis temporibus multi ipsorum in Terra S. per Saracenos martyrizati sunt.* S. Teresia in relatione vitæ suæ (quam mandato Superiorum suorum scripsit) visionem, seu revelationem de quodam Ordine refert his verbis: *Futuris temporibus hic Ordo florebit, & multos habebit Martyres. Alio die, dum Matutinarum horarum tempore in choro agerem, apparuêre mihi, coràm me stantes, sex aut septem (tot enim mihi esse videbantur) ejusdem Ordinis viri, gladios manibus præferentes: quô signô designari existimo illos fidem propugnaturos.* Quis ille sit Ordo prudenti ductu consilio, non exprimit. Joannes à Jesu Maria eruditionis, & sanctimoniæ opinione celebris, & plures alii adstruunt de Carmelitano Ordine, prout latiùs alibi (c) Cornelius à Lapide (d) & alii nonnulli applicant Ordini Prædicatorum, & Societati Jesu, & ex utroque plures Ecclesiam propugnaturos adversus hæreticos & Antichristianos. De quocumque Ordine fuerit revelatio illa, ea non præjudicat aliis, qui similiter futuris temporibus multos martyres habere possunt, præsertim tempore Antichristi, qui confirmati ab Elia, & Henoch, Christum contra Antichristum tuebuntur. Plura circa ista videri poterunt in Commentario P. Joannis de Sylveira in Apocalypsim (e) ubi hæc, inter alia: *Cùm persecutio Antichristi per totum orbem dirè vagabitur, Elias, & Enoch propugnantes pro Ecclesia, illiusque defensione, ad multas orbis partes destinabunt suos prædicatores, & legatos;* Ista latiùs ibi prosequitur.

(a) Apoc. c. XI.

(b) cap. 7. v. 25.

prædicabunt annis tribus cum dimidio:

S. Elias discipulos habebit Carmelitas,

& etiam aliorum Ordinum,

(c) in vita B. Joan. à Cruce in Spec. Carm. to. 2. num. 2706.

(d) Corn. in Apocal. c. XI. ad vers. 3.

(e) tomo 1 in cap. XI. quæst. 18.



um finierit ELIAS teſtimonium suum, beſtia, hoc eſt Anti-christus, quę aſcendet
e abyſſo, faciet adverſus eum bellum, et vincet eum, et occidet eum. *Juxta Interpret*
a cap. xi. *Apoc.* Crucifigetur autem, *iuxta D. Thomam, et Ferrarium, quos citat Sylueira in idem*
ap.

CAPUT XXXVIII.

S. Eliæ acerbissimum Christiforme martyrium.

227. DE acerbissimo S. Eliæ & Henoch martyrio per *bestiam*, id est Antichristum, hæc S. Ioannes Apostolus in sua Apocalypsi (a) tradit: *Et cùm finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est*. S. Thomas (b) verba illa: *ubi & Dominus eorum crucifixus est*, sic exponit: UBI, *id est in qua civitate, scilicet Hierusalem*, DOMINUS EORUM *scilicet Eliæ & Henoch, scilicet Christus*, CRUCIFIXUS EST, *corporali crucifixione, & ita erunt ei conformes, & morte, & mortis loco*. Bestia illa, quæ dicitur ascensura de abysso, est Antichristus; quia sævus erit & ferus ut bestia, non terrena, sed infernalis, quasi ascenderet de abysso. Dæmones enim eum agent, & possidebunt, ac per eum omnem suam truculentiam in Eliam, Henoch, aliosque sanctos eorum asseclas exercebunt. Ita Cornelius à Lapide, & communiter Interpretes in illum textum. Generalis Minimorum Camartus (a) expendens illum textum: *Vbi Dominus eorum crucifixus est*, scribit: *Possumus autem existimare, idcircò in recitatione martyrii Eliæ, fieri mentionem crucifixionis Christi, quia sicuti Christus acerbissimum mortis genus perpessus est; undè & Rex martyrum meritò appellatur. Ita Elias crudelissimam pro Christi nomine mortem sustinebit, bibetque profundiùs de illius calice*. Indè verò manifestum est Eliæ donandam esse triplicem illam aureolam Doctoris, Virginis, & Martyris. Certissimum est in hac re, quòd Elias & Henoch occidentur ab Antichristo, crudelissimo mortis genere; nam Illustrissimi erunt Martyres sub Antichristo, ut probat Maluenda (d) futuri sunt omnium, quotquot antè fuerunt ab exordio mundi, fortissimi, & prestantissimi; quia majores vires, & atrociora tormenta, totâ dæmonum arte inventa, pervincent: Elias autem & Henoch, clarissimi omnium Martyrum erunt, ut ait ipse Maluenda; utpotè Prophetæ maximi, Ecclesiarum antesignâni, Patroni fidelium, fulcra Religionis, columina fidei. Ita noster Ioannes de Sylveira in caput XI. Apocalypsis.

(a) Apoc. c. XI. v. 7. *SS. Elias, & Henoch acerbissimo supplicio vitam finient.* (b) S. Tho. in Expos. aurea in Apoc. impres. Florentiæ an. 1549. Parisiis an. 1641 &c. *ubi crucifixus est, Christus: cui conformes erunt in morte.* *Antichristus cur dicatur bestia: dæmones eum agent, & possidebunt.* (c) De gestis Eliæ c. 6. sect. 8. (d) Thom. Malvenda de Antichristo l. 9. c. 13. & l. 10. c. 8.

228. Porrò S. Eliam, & consortem ejus Henoch in odium Christi crucifixi, eodem in loco crucifigendos (& deindè depositos è cruce, insepultos, projiciendos in plateas Ierusalem) innuunt ista jam adducta: *Vbi Dominus eorum crucifixus est*, ut notat D. Thomas (verbis jam ante adductis) *corporali crucifixione: & ita erunt ei conformes & morte, & mortis loco*; ut ex loco mortem Christi habentes ante oculos, eorum mors fiat levis, & suavis. Ita idem Sylveira in istum textum.

SS. Elias, & Henoch crucifigendi.

Et paulò antè: *Occidet eos*: genus mortis non exprimit sacer textus: Ferrarius ait hìc, quòd videtur probabile, Antichristum in odium Christi, quem sancti prædicabunt, maximè in eadem civitate, in qua Christus crucifixus, jussurum eos imitari idem genus mortis, & crucifigi in eodem Calvariæ monte; & hoc videtur denotare textus, *ubi Dominus eorum crucifixus est*. Anteriora autem sic idem exponit: CUM FINIERINT TESTIMONIUM SUUM. Horum sanctorum prædicatio rectè dicitur *testimonium*, erit enim testimonium fidei, & veritatum divinarum Prophetia; & benè hic dicitur *testimonii* quo explicatur finis Predicationis horum sanctorum: nam bonos suo testimonio firmabunt in fide, malos autem convincent. *Bestia*, scilicet Antichristus, turpibus, & bestialibus moribus: *Quæ ascendit de abysso*, per superbiam suam, ut explicat Haymo, conformiter S. Paulo (a). *Extolletur super omne, quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei sedeat*; & hæc *bestia* dicitur, *de abysso*, scilicet de profundo iniquitatis, & malitiæ *ascendere*: *faciet adversùs eos bellum*; variis artibus, & modis: *Et vincet illos*. Sed quomodò eorum invictus animus potest vinci à bestia? nec enim magni belli Dominici duces, velùt duo fulmina belli, Antichristo cedent: usque ad mortem egregium veritati testimonium dantes, fidem propugnabunt, quo ergò pacto ait Textus: *Vincet illos?* Tunc contra illos, non quidem invitos, sed maximè volentes, ac libenter divinæ ordinationi acquiescentes, prevalebit Antichristus; quod est, aliquo pacto eos vincere: nempè corporaliter tradentur in manus ejus. D. Thomas: *Vincet illos*, ait, *corporali violentiâ, non spirituali victoriâ; quia non succumbent, nec per erroris consensum, nec per defectum rationis; non enim deerit eis, qui dicit; ego dabo vobis os, & sapientiam*. (b) Sequitur in textu: *Et corpora eorum*, insepulta *jacebunt*, prout latiùs cap. seq. *In platea civitatis magnæ*, nempè Ierusalem, ut in sequentibus exprimitur, quæ ob nefandas libidines, spiritualiter vocatur *Sodoma*; & ob idololatriam, & multiplices superstitiones, & ob sævam etiam fidelium persecutionem, *Ægyptus* cognominatur, ubi olim Christus Iesus *crucifixus est*, quo apertè Ierosolyma denotatur. Et ista hactenùs ex Sylveira, qui litterali, & morali commentario, in duobus tomis Apocalypsim S. Ioannis exposuit. Hìc etiam congruunt ista Christi verba (c) *Elias cùm venerit primò, restituet omnia: & quomodò scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur*: Latinè *contemnatur*, Græcè legitur *exinanitur*. Rectè Glossa Interlinealis, & Ordinaria, cum Beda, inquiunt, quòd simili modo continget *Eliæ*, ut evenit *filio hominis*: ille enim multis laboribus fidem collapsam restituet, & tandem pro tantis beneficiis, crudeli & dirâ morte, ab ingratis ac impiis occidetur, ut fecerunt *in filium hominis*. Ita idem Sylveira. (d) Exinanitio autem Christi præcipua fuit crucifixio & mors in cruce.

(a) 2. ad Thessal. 2. v. 4. *non inviti, sed maximè volentes.* (b) Lucæ 22. *Ierusalem, cur vocetur Sodoma, & Ægyptus.* (c) Marci 9. v. 11. (d) in c. XI. Apoc.



S. ELIÆ Prophetæ corpus iacebit in plateis ciuitatis magnæ, ubi Dominus eius crucifixus est, per tres dies, et dimidium: et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illum, et iucundabuntur, et munera mittent inuicem. *Juxta Interpret. in cap. xi. Apoc*

CAPUT XXXIX.

Corpus S. Eliæ per tres dies, & dimidium, Hierosolymis in plateis insepultum jacebit: & inhabitantes terram jucundabuntur, ac munera invicem mittent.

(a) Apoc. XI.

SS. Eliæ & Henoch corpora triduo insepulta.

229. (a) ET *videbunt de tribubus, & populis, & linguis & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* Textum illum sic exponit insignis sacrorum voluminum illustrator Cornelius à Lapide: *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus:* Erit enim populorum, & gentium ex omni natione confluxus & concursus in Jerusalem, quandò Antichristus monarcha orbis in ea residebit. *Corpora eorum per tres dies & dimidium* ibi *jacebunt*, seu ut legit D. Augustinus, *projicientur*, quod denotat magnam ignominiam: *in plateis*, Syriacus habet, *super vicum latum*, & denotat forum civitatis: in nostra vulgata, *in plateis* ponitur plurale pro singulari, vel probabiliùs sacra illa cadavera funibus trahentur raptata per plateas, cum multa ignominia & opprobrio totius vulgaris turbæ. Nec enim sinet Antichristus ea sepeliri, ut iis insultet; & quasi victor de iis triumphet: sed iis exactis cum gloria resurgent. Imitabuntur ergò resurgentem Christum Dominum suum: hic enim tertio die à morte resurrexit. Ecce breve erit hoc eorum opprobrium, quod mox in æternam gloriam convertetur. Breve ex adverso erit Antichristianorum de eorum cæde gaudium, quod mox acribus æternisque suppliciis à Deo vindicabitur. *Et inhabitantes terram* (tunc enim plerique homines erunt impii, utpotè subditi Antichristo, eique quasi Domino suo se conformantes) *gaudebunt*; *quoniam* occisi sunt *hi duo Prophetæ* (qui) *cruciaverunt eos*, verbis minacibus, igne & plagis. Lubebit ista aliquantò luculentiùs tradita audire ex Ioanne Sylveira; sic igitur illé: *Et videbunt de populis, tribubus, &c.* Hic assignatur causa, cur sanè suprà Jerusalem sit appellata civitas magna; siquidem ad eam confluebat magna colluvies populorum, ex omni ferè natione; utpotè ad regiam sedem Antichristi; proindeque tantorum hominum spectaculo mors illorum erit valdè nota, & manifesta. *Per tres dies, & dimidium*; ita ut nullus possit, de eorum morte dubitare; *& corpora eorum non sinent poni in monumentis.* Extrema barbararum nationum crudelitas extitit, mortuos non sepelire; at hic ultrà progreditur, ut impediat, quò minùs sepeliantur.

Jerusalem erit regia sedes Antichristi.

230. *Et inhabitantes terram*, nempè Jerusalem, ac loca vicina ipsius, seu homines terreni, terrenis cupiditatibus dediti, facient magnum gaudium, & magnam gratulationem, ut præstari solet in magna populi lætitia, agentque diem festum cum magna festivitatis ostentatione, ut denotant illa verba: *Gaudebunt super illos*; & indè *jucundabuntur*, celebrantes magna convivia, *& munera mittent invicem*; quod est signum magnæ lætitiæ, ut fecerunt olim Carthaginenses, victo Attilio Romano consule, & nos facimus pro magnis festivitatibus, ut in Natali Domini. *Quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos.* Causa ergò tantæ lætitiæ, non solùm erit propter nequitiam Antichristi, ut ei complaceant, sed etiam quia hi duo Prophetæ cruciaverunt eos plagis immissis: & indè Antichristiani promittebant sibi deinceps vitam hilarem, & perjucundam multis in deliciis, nullo contradicente; etiam, ut ait Richardus de sancto Victore; *Cùm pars bonorum humiliatur, tunc pars malorum gloriatur*: & tandem quia hi duo Prophetæ *cruciaverunt eos*, acriter minacibus verbis eos reprehendentes, ut ad meliorem vitam transirent. Nam ut dicitur (a). *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* (a) Prov. 15 v. 12.
Consequenter varias adfert rationes, quarè corpora illorum insepulta remansura sint. Ex Pannonio: *Tanta in viros pios atrocitate tunc impii desævient, quòd ne mortuorum quidem miserebuntur, quorum corpora minimè sinent sepeliri, ut vel post mortem superare videantur eos, quos vivos superare non poterant.* Ex Joachimo: *Non sinent*, ait, *corpora Sanctorum poni in monumentis, ut dum se in morte illorum crudeles ostendent, ab eis, qui eos occiderunt, arctiùs diligantur.* Ex Alberto Magno: *Vult Deus*, ait, *insepultos esse, ut major sit eorum gloria, ut & evidenter fiat eorum resurrectio; quia si sepulti essent, non esset ita clarum de eorum resurrectione.* Ex Richardo de S. Victore: *Non sinent*, inquit, *poni in monumentis, ne eorum memoria habeatur.* Deniquè ex S. Thoma; qui quærens, cur Deus talia permittat fieri in suis electis, sic respondet; *Quia impiorum perversitas exigit, & meretur, ut permittantur implere suam malitiam, ut per consequens immergantur in majorem damnationis miseriam*; non solùm æternam, sed etiam temporalem hujus vitæ. Pro quo expende: *Per tres dies, & dimidium*: *& Gaudebunt super illos*, multis festivitatibus, ac signis lætitiæ, jucundabuntur, comedentes, & bibentes, convivia celebrantes, ad quorum delicias sibi invicem mittent munera: & tunc timor irruet super eos, & cum multo terræ-motu magna pars hominum peribit; ecce convivia, pocula, dapes impiorum, citò evanescunt, & in calamitatis amaritudinem transeunt. *Extrema gaudii luctus occupat* (b) nam cùm brevi gaudio jucundati fuerint de illorum morte, paulò post, videntes eos resurgentes, *turbabuntur timore horribili* (c).

SS. Eliæ & Henoch corpora cur triduo insepulta.

Gaudium impiorum breve.

(b) Prov. 14 v. 13.

(c) Sap. 5. v. 2.

CAP. XL.



Et poſt tres dies, et dimidium, Spiritus vitæ á Deo intrabit in ELIAM, et ſtab
ſuper pedes ſuos, et timor magnus cadet Super eos, qui videbunt eum. *Ita Interp*
in cap. XI. Apóc.

CAPUT XL.

Post tres dies, ac dimidium gloriosus resurget S. Elias: ipse in multis assimilatus Christo, ejus typus perfectissimus.

(a) Apoc. c. XI.

231. (a) ET *post tres dies, & dimidium, spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos; & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.* Hinc patet, quòd Elias & Henoch occisi ab Antichristo, post tres dies cum dimidio publicè, omnibus Antichristi asseclis ex toto orbe eò confluentibus, inspectantibus, resurgent. Ita Cornelius à Lapide in illum textum. Itaque post tres dies, & dimidium, quibus corpora mortua jacuerunt; *spiritus vitæ à Deo intravit in eos*; facienda, tamquam facta, narrat sacra Prophetia, quòd illæ animæ beatæ Eliæ, & Enoch vivificabunt sua corpora. Quomodò hoc autem fiet, explicat, quòd non erit virtute naturali, nec vi, quâ in vivis faciebant prodigia, sed speciali Dei gratiâ. *Spiritus vitæ intravit in eos*; & indè sequitur, *& steterunt super pedes suos*: Siquidem hi duo Prophetæ redivivi, non statim eodem momento ascendent in cælum, sed post aliquod spatium temporis, ut illos vivos videant populi, imò & audient eos exprobrantes eorum scelera. Ita præfatus Sylveira, cujus etiam sunt sequentia. Cùm jacerent corpora Sanctorum in plateis, *Spiritus vitæ à Deo intravit in eos.* Notanter dicitur, *à Deo*; quia vita solùm est à Deo, & ipse solus potest mortuos suscitare: & statim *steterunt super pedes suos*, indicantes stabilitatem, & firmitatem suæ resurrectionis, cùm esset à Deo, sic ait D. Augustinus (b) *Corpus stabilitatem habebit per animam; stabilitatem in Deo, quæ non per se stabilitur, sed per Deum, quo firmatur.* Cur autem speciali illâ prærogativâ resurrectionis conspicuæ & gloriosæ à Deo decorandi sint, hanc rationem tradit S. Thomas: (c) *Nobilitavit eos Dominus hoc privilegio, ut ante alios resurgant, propter prærogativam gratiæ, & meritorum, in speciali testimonio, in vita, doctrina & Martyrio, sub tempore tam acerbæ persecutionis, sicut privilegiati fuerant, & prius in longitudine vitæ, & loco, & modo vivendi.* Subjungit Sylveira: Illustrissimi erunt Elias, & Enoch gratiâ, meritis, ac speciali testimonio, vitâ, doctrinâ, & Martyrio, sub tamen dura persecutione, qualis nunquam fuit ab initio, nec erit, & sicut illa persecutio nullam aliam habuit similem; ita illi sancti duo præcones, qui tam fortiter sub illa laboraverunt, singulari prærogativâ sunt nobilitandi, ac condecorandi à Deo. Alia quædam ad hoc propositum adferentur capite sequenti.

SS. Elias, & Henoch post tres dies gloriosi resurgent.

redivivi ad tempus manebunt in mundo.

(b) lib. de vera relig.

(c) in c. XI. Apoc.

cur eo privilegio à Deo decorandi.

232. Ex omnibus hactenùs dictis patet, quàm verè scripserit P. Generalis Minimorum Camartus: (d) *Elias verò in rebus maximis, & præcipuis, Christum quasi si illius expressa fuisset imago, repræsentavit.* Et Salianus (a) sub isto titulo *Eliæ commendatio*, ubi inter alia, hæc: *Illud unum de more attingamus, quod instar est omnium, quod primum est, atque palmare, quòd in typo Christi Domini, & perquàm expressa similitudine consistit. Hoc unum unaquaque res, in quovis genere sine controversia præstantior est, quò magis accesserit ad id, quod maximum, primum, ac summum est. Quod enim à splendore solis, aut calore ignis, aut sereni cæli pulchritudine proximè abest, id illustrissimum, calidissimum, ac pulcherrimum esse necesse est.* Ibi consequenter S. Eliam, tamquam perfectissimum typum, assimilat Christo (ut homini) summo prototypo. Ut pauca attingamus; Christus die tertia resurrexit ex mortuis: sic & Elias *post tres dies, & dimidium resurget*, sicut jam audivimus. Christus gloriosa ascentione è terris abiit, *& nubes suscepit eum*: S. Elias triumphali curru transvectus est in Paradisum, Christi ascensionem præfigurans, sicut hîc suprà cap. 26. & denique in fine mundi *ascendet in cælum in nube* sicut capite sequenti audiemus. Christus triennio prædicavit, multiplices intereà perpessus persecutiones, ac tandem per acerbissimam crucifixionem vitam finivit; S. Elias prædicavit populo Israelitico, & sub finem mundi prædicabit tribus annis cum dimidio: persecutiones graves perpessus est ab Achab, & Jezabel, ac graviores subiturus ab Antichristo, ac tandem *occidetur* (verisimiliter etiam crucifixione) *ubi & Dominus ejus crucifixus est.* Christus in deserto jejunavit 40. diebus: S. Elias similiter in solitudine. Christus cum S. Petro, futuro suo Vicario, supra mare ambulavit: S. Elias cum suo successore, duplicis spiritûs hærede Jordanem sicco vestigio pertransivit. Christo nascente Angeli cantabant *Gloria in altissimis*: S. Eliam nascentem Angeli salutabant. Plura ad hoc propositum adferuntur à S. Augustino (a) hæc, inter alia, scribente: *Sicut Elias à Iudæis persecutionem passus est: ita & verus Elias Dominus noster ab ipsis Iudæis reprobatus est, & contemptus. Elias reliquit gentem suam, & Christus deseruit Synagogam. Orante Elia filius viduæ suscitatur, veniente Christo Filius Ecclesiæ, id est populus Christianus de carcere mortis reducitur. Elias inclinatur in oratione, & vivificatur filius viduæ: & Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus . . . Elias oravit, & sacrificium obtulit: Christus pro universo mundo se ipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli; & Christus in monte Oliveti. Elias oravit ut pluvia in terram veniret: & Christus ut in cordibus humanis gratia divina descenderet . . . Orante Elia, post tres annos & sex menses pluvia de cælo descendit: ita & in adventu Salvatoris tribus annis & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit . . . Denique sicut Dominus posteaquàm multas virtutes exercuit, posteaquàm passus est; resurrexit & ascendit in cælum: ita & Elias post mirabilia quæ per eum Deus fecit, igneo curru elevatur ad cælum.* Hactenùs S. Augustinus. Alia ad hoc subjectum videri poterunt in *Speculo Carmelitano.* (b)

(d) de gestis Eliæ cap. 6. sect. 8.

(a) in Annal. vet. Test. to. 4. ad an. mundi 3139 n. 32.

S. Elias in plurimis Christi expressa imago:

similitudinis typicæ exempla aliquot.

(a) Serm. 201. to. 10. inter sermones de tempore.

(b) Tom. 1. num. 200. & seq.



S. Propheta **ELIAS** audiet vocem magnam de cœlo dicentem ſibi: *Aſcende huc:* et aſcendet in cœlum in nube: et videbunt eum inimici eius, et in illa hora fiet terræmotus magnus, et decima pars ciuitatis cadet: et occidentur in terræmotu nomina hominum ſeptem millia, et reliqui in timorem mittentur. *Ita Interpret. in cap. xi. Apoc.*

CAPUT XLI.

Conspicuus, triumphalis ascensus S. Eliæ in cælum, cum prodigiis magnis.

(a) Apocal. XI.

233. (a) **E**T *audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terra-motus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terra-motu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.* Itaque coram omnibus publicè in cælum ascendent, uti ibidem fecit Christus, tuncque fiet ingens terræ-motus, quo decima pars Hierosolymæ corruet, & septem hominum millia occidentur: reliqui, timore perculsi, laudem & gloriam Deo dabunt. Hæc enim omnia, & singula, ita disertè enarrat Joannes, ut qui aliò ea torquere velit, vim verbis ejus faciat, necesse sit. Ita Cornelius à Lapide in illum textum. Luculentiùs illa exponit Sylveira in hunc modum: Postquàm, inquit, Elias, ac Henoch per aliquod tempus redivivi super suos pedes steterunt, cum magno timore, ac pavore populorum: ecce aliud novum prodigium, quod eos magis adhuc percellet: *Vox magna de cælo* missâ, ad sanctos Prophetas: *Ascendite huc*: quæ vox tanta erit, ut ab omni Jerosolyma audiatur, ac proindè si universi populi exterriti erant prodigio resurrectionis Sanctorum, multò adhuc magis exterrebuntur hac voce, & proximâ eorum ascensione in cælum: *& ascenderunt in calũ in nube*: statim efformabitur nubes, quæ facta proxima terræ, duos sanctos Prophetas gloriosè circumdabit: & non dicitur, rapti sunt; sed *ascenderunt*; quia jam resuscitati ad vitam immortalem, gloriosis induti corporibus, seipsos per dotem agilitatis ferre poterunt ad sublime. *Et viderunt illos inimici eorum*: Quæ omnia multùm conducent ad conversionem plurimorum, qui necdùm satis per prædicationem sanctorum Prophetarum crediderant; & aliorum, qui jam credebant, in fide confirmationem, & ut etiam inimici eorum, tantam illorum gloriam videntes, durior, ac rigidior eis efficiatur propria calamitas, comparata cum aliena felicitate, *ut peccatores*, inquit S. Gregorius (b) *amplius puniantur, eorum vident gloriam, quos contempserunt.* Et ista hactenùs Sylveira (c) qui ulteriùs differit: *Quarè Elias, & Henoch resurgentes, cum suis corporibus ascendent in cælum cum summa gloria, ante communem omnium resurrectionem?* Respondet: Quia eorum animæ beatitudo, usque ad illa tempora dilatata fuit; & licèt innumeri post eos nati eam consecuti essent; Deus eorum glorificationem, etiam quoad corpus, aliorum beatitudinem anteverteret, ut quod pro tempore antecedenti eis non dedisse visus est, aliquo speciali beneficio corporum glorificationis recompensabit.

SS. Elias, & Henoch ascensus in cælum, in nube, — *conspicuus, coram omnibus:* — *ad illam gloriam vocabuntur voce magna de cælo;* — *ascendent virtute corporis gloriosi.* — (b) Homil. 40. in Evang. — (c) in c. XI. Apocal. — *sed cur, ante communem resurrectionem?*

234. Ulteriùs, quarè Elias, pariter & Henoch gloriosâ nube ascendent in cælum? Ascensus, & scala in cælum paratur per ignominias, & Passionem. Postquàm fuerint hi duo magni præcones interfecti sævâ morte, ac diris tormentis, eorum cadavera nuda cum omni opprobrio, ac ignominiâ jacebunt in plateis civitatis: illorum verò inimici, conviviis indulgentes, deliciis affluent, toti perfusi jubilo, ac lætitiâ. Mox vice versâ, hi, corpore, & animâ beati, gloriosè in cælum ascendent; Illi verò toti tremebundi, in terris attoniti jacebunt, supplicia è cælo emissa jam præsentientes. Justorum ærumnæ, ac labores gloriam germinant; delitiæ iniquorum pœnas parturiunt; quod videre est in divite opulento, & mendico Lazaro. Mortuus est dives, & sepultus est in inferno; mortuus est mendicus, & portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Dives *autem elevans oculos, vidit Lazarum in sinu Abrahæ* (a). Appositè ait Chrysolog. (b) *Immutatio, quanta rerum! quò descendit dives, quò pauper ascendit? respexit sursùm, quem despexerat hic & seorsùm.* Prætereà Christus Dominus devictâ morte, corpore glorioso ad paternam sedem ascendit; (c) Quomodò ergò puris creaturis conceditur triumphus, qui Christo vero Deo, & homini tribuitur? Christus ignominiosâ morte expiravit, crucifixus in Calvario; deindè tertiâ die resurrexit: suum Dominum secuti sunt Elias, & Henoch: multis injuriis affecti mortui sunt, & etiam verisimiliter crucifixi in Calvario. Altâ quidem divinâ ratione disponente, similes sunt in gloria, qui similes inventi sunt in humiliatione. *Ascenderunt in cælum in nube, ut qui Dominum imitati fuerunt in sustinenda pro ipso tribulatione, consimiles ei essent in ascensione.* (d) Eodem tempore quo Elias, & Henoch ascendent in cælum, *in illa hora factus est terra-motus magnus*; magnus tam intensione, quam extensione; quia non solum factus est in tota ipsa civitate Jerosolyma, sed verisimiliter etiam alibi: *& decima pars civitatis cecidit*, scilicet quoad ejus ædificia: *Et occisa sunt in terra-motu nomina hominum septem millia*; nomina ponuntur pro hominibus. *Et reliqui in timorem missi sunt*, ob terræ-motum, ruinam civitatis, necem septem millium: *& dederunt gloriam Deo*: per timorem, medianre Dei gratiâ, aperti sunt oculi eorum, ut videant suum malum statum, impendentem iram Dei, falsitatem Antichristi, & veritatem doctrinæ Eliæ, & Henoch; Tunc enim, ut ait Paulus, (e) *omnis Israel salvus fiet.* Et benè notat Ferrarius, quòd sicut Christus de morte sua dixit. (f) *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*; denotans, per prodigia mortis suæ aperiendos illis oculos ad fidem, ita hìc per prodigia facienda in morte Eliæ, & Henoch, convertentur Judæi, & multi alii *dantes gloriam Deo cæli*, agnoscentes Antichristum non esse Deum, sed eum, qui est in cœlis, qui servos suos, tam dignè promeritos, ad se in cœlis recepit. Ita Sylveira. (g)

Cur ascendent cum tanta gloria: — (a) Luc. 16. — (b) Serm. 124. — (c) Act. 1. — *cur in gloriosa ascensione conformes Christo Domino.* — (d) Ita Richard. Victorinus. — *prodigia magna:* — *per illa multi ad Christum convertentur.* — (e) ad Rom. c. 11. v. 26. — (f) Joan. 8. v. 28. — (g) in c. XI. Apoc.

TRACTATVS IV.

De Magni Prophetæ Eliæ discipulis, & posteris, Religiosæ monasticæ vitæ exercitatoribus, ac continuatoribus, *in sexta mundi ætate, usque ad Christi Salvatoris adventum.*

CAPVT I.

Multitudo discipulorum S. Eliæ, & loca, quæ incoluerunt.

235. EX suprà dictis habetur, quòd magnus Propheta Elias, Dei inspiratione, primus mortalium, à reliquo populo habitatione (secessu in solitudinem) & habitu (melotæ, & zonæ pelliceæ, &c.) ac vitæ conversatione (abdicatione omnium rerum, castitate, seu virginitate perpetuâ, ac propriæ voluntatis abnegatione) se sequestraverit. Istud autem celsum vitæ genus, antea à nemine practicatum, etiam postmodùm tradidit aliis devotis viris discipulis, & imitatoribus suis: qui appellati fuerunt *Prophetæ*, id est, *psallentes*: & eorum vita dicta fuit *prophetica*; postmodùm vocati sunt *Filii Prophetarum*; quia dictorum excellentium Prophetarum hujus Religionis erant discipuli, & in prophetica ac monastica disciplina, sub regimine ipsorum, quasi patrum suorum constituti, & indè imitatores sanctorum morum & virtutum illorum Prophetarum. Et sub hoc titulo, *Filii Prophetarum*, sæpè in libris Regum de his fit mentio. S. Hieronymus discipulos istos S. Eliæ dictos *Filios Prophetarum* his celebrat verbis: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polentâ & herbis agrestibus victitabant.* Ita ille in *epistola ad Rusticum*. In *epistola ad Paulinum*, quæ est *de institutione monachi*, illos non tantùm *monachos*, sed & *monachorum Principes* nuncupat: *Vt ad Scripturarum auctoritatem redeamus, noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* Conformiter scribit S. Isidorus Hispalensis Episcopus *lib. 2. de Origine Offic. cap. 15.* verbis hic suprà adductis (a).

monastica conversatio à S. Elia tradita aliis,

nuncupatis Filiis Prophetarum;

(a) hic ante num. 106.

236. Alphonsus Tostatus, communiter dictus Abulensis, *in caput primum libri IV. Regum, quæstione 5.* explicans illa verba: *Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten*, scribit: *Manebat Elias in monte Carmelo: nam postquàm accepit ibi ignem à Domino pro sacrificio, & occidit ibi prophetas Baal, semper voluit manere in monte illo, religiosè vivens: & in caput secundum quæst. 13.* ait: *Elias erat princeps Prophetarum omnium, qui erant tempore suo, & isti erant commorantes per collegia, sicut viri religiosi simul, ita quòd unum collegium eorum erat in Galgalis, & aliud in Bethel, & aliud in Iericho.* Istis concinit Cornelius à Lapide, exponens ista capitis XVIII. libri tertii Regum verba: *Elias autem ascendit in verticem Carmeli*, circà quæ ista tradit: *Porrò Abulensis hinc colligit, Eliam ab hoc tempore, quo in monte Carmelo cœlitùs ignem devocavit, eoque Baalitas prostravit, habitationem suam in eodem monte ad memoriam tanti beneficii & miraculi deinceps fixisse, atque eòdem confluxisse ad ipsum plures viros religiosos, qui se totos Deo, orationi, & divinis rebus, laudibusque tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiosè Deum coluerunt.* Aliquantò post de istis Eliæ discipulis in Carmelo adunatis subjungit: *Quamobrem jure S. Hieronymus hos omnes, quos diximus, veteris Testamenti Monachos vocat, idemque alio loco seipsum Monachis annumerans: Noster, inquit princeps Elias.* Hactenùs Cornelius à Lapide: qui & *in cap. 11. libri IV. Regum*, circa illa verba: *Factum est autem, cùm levare vellet Dominus Eliam*, conformiter jam ex Abulensi adductis, scribit: *Multa jam erant collegia, in Galgalis, Bethel, Iericho, Carmelo &c. ab Elia & aliis instituta, ideoque Elias ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, & aspero vita eremiticæ instituto confirmaret, ultimaque salutis & perfectionis monita eis daret, & Eliseum successorem suum promulgaret. Exhortationem Eliæ ad eos graphicè hic repræsentat Salianus.* Salianus autem ibi (a) hæc, inter alia, habet: *Priusquàm autem Elias ab hoc mundo transferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, imminente translatione, Monachos, Filios Prophetarum discipulos suos, sigillatim visitare, & de patre idoneo eis providere, qui eos omnes generaliter ejus loco regeret & gubernaret. Propter quod descendentes ipse & Eliseus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deindè in Bethel, & indè in Iericho. Nam in his locis habitabant viri religiosi Filii Prophetarum, Eliæ discipuli: quos ipse visitans commonuit, ut de imminenti ejus corporali absentia tristes non fierent.* Et infrà sic Eliam suos exhortantem commemorat: *Eliseo disciplinæ religiosæ Præposito ac Magistro secundùm Deum obtemperabitis, quicumque in Carmelo, & in Bethele, & in Galgalis, & in Naioth, & ad Iordanem, & in Gabaa, cæterisque locis divinæ militiæ, & religiosæ professioni nomen dedistis... Credo enim fore, ut non deficiat in vobis, posterisque vestris observationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium. A quo nova fient omnia; à quo studium voluntariæ paupertatis, illibatæ castimoniæ, & obedientiæ spontè susceptæ mirabilia accipiet incrementa, adeò ut fervor vitæ arctioris, qui nunc paucis quibusdam unius Provinciæ oppidis, desertisque locis continetur, longè se indè lateque fundat, quacumque orbis terrarum patet.* Quòd autem Elias lectos Prophetarum, & Religiosorum in Carmelo, totaque Chananitide manipulos sui æmulos, atque imitatores, suis precibus continuatâ successione hæreditariâ constantes reddiderit, non tantùm usque ad Christi adventum, sed & usque ad

istorum magister, & princeps S. Elias;

qui illos ante suum raptum visitavit,

(a) ad an. mundi 3119

confortavit, & de futuris instruxit,

& eis Eliseum præposuit;

(a) in Epitaph. S. Eliæ ad an. mundi 3139. ad præsentem diem, tradit alibi (a) de S. Eliæ discipulis, multis numero, habitantibus in diversis collegiis, & continuatâ successione, persistentibus jugiter, aliquantò uberius confirmanda videntur.

erant multi numero, 237. Plurimi fuerunt discipuli S. Eliæ dicti *Propheta*, & *Filii Prophetarum*, de quibus frequenter in libris Regum, & quidem *libro 3. cap.* 18. referuntur centum ex illis sustentati ab Abdia. Istos enim Eliæ discipulos seu primis religiosæ vitæ rudimentis ab eo imbutos, tradit Sanctius *in cap. XVII. libri tertii Regum ad versum primum*, ubi ista: *Illos porrò notos fuisse, atque adeò Eliæ familiares, ex eo fit probabile, quia capite* 19. *versu* 10. *à Deo interrogatus, respondit: Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, nempè ex illo Prophetarum cætu, quos ipse religiosis disciplinis ad veram sanctitatem excoluit*. Ibi consequenter declarat: quàm Monachorum istorum fuerint numerosi greges. Deindè ostendit, quòd multis in locis fuerint discipulorum Eliæ excitata cœnobia. *Libro* 4. *Regum cap.* 2. referuntur Filii Prophetarum discipuli S. Eliæ ex Bethel (quos ante raptum suum visitabat) ei obviam processisse, similiter & ex Jericho: undè etiam *quinquaginta viri de Filiis Prophetarum secuti sunt*. Undè patet, quòd Collegium istud Filiorum Prophetarum fuerit numerosum, & *cap.* 4. ejusdem libri scribitur de Cœnobio, seu Collegio *Filiorum Prophetarum, habitantium coram eo* (Eliseo) quòd in eo morarentur *centum*. Quàm autem multi, & numerosi fuerint istorum S. Eliæ & S. Elisei discipulorum greges, scribit gravis, & notissimus dogmatum Ecclesiæ propugnator Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei* (b) ubi cùm probasset *Monachorum, Religiosorumque Conventus, Institutores & antesignanos habuisse Eliam, Eliseum, filiosque Prophetarum*, ibi consequenter declarat, qualiter Elias primò vocaverit, & instituerit Eliseum, ac deindè alios plures, qui in tantùm multiplicati fuerunt, ut Carmeli spatiosum desertum eis non sufficeret, ac proindè in aliis eremis, montibus, & suburbiis propagatos. Sed accipe (si fontem ad manum non habeas, ut indè haurias) ejus verba: *Zelans* (Elias scilicet) *multiplicare Religionem Prophetarum sanctorum, solicitè huic rei operam dedit, Eliseum primò instituens, & pallio suo induens, & demùm alios post eum magno numero, providens ab intento, ut sanctæ Religionis successio semper staret... Primùm quidem statuit eos multos, & post eum Eliseus, in monte Carmelo, qui ad tantum numerum devenerunt, ut spatiosum illud desertum non posset eis sufficere. Vndè venientes ad Eliseum præceptorem suum, dixerunt: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis: eamus usque ad Iordanem, & tollamus singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum: qui dixit: Ite* (c) *Et sic tandem multi manserunt ibidem juxtà littus Iordanis. Quidam autem manserunt in Carmelo, quidam in monte Ephraim, multi etiam in suburbiis civitatum regulares tractabant observantias*. Loca varia alia, quæ incolebant, ibi consequenter recenset, tandemque de istius prophetici, religiosi, monastici Ordinis continuatione, & perenni successione subjungit: *Mansit hæc Religio Prophetarum continuò usque in adventum Christi, & deinceps facti sunt principes religiosæ militiæ Christianæ*. In cujus confirmationem adfert auctoritates Patrum. Ferè eadem, cùm de multitudine discipulorum S. Eliæ, tùm de eorumdem continuatione usque ad Christi adventum scribit Camartus, mox adferendus. Sed de illa Eliani Prophetici Ordinis continuatione, & successione specialiter agetur in sequentibus.

(b) to. 1. lib. 3. art. 1. cap. 4.

quam Carmeli spatiosum desertum eis non sufficeret.

(c) 4. Reg. 6.

238. Loca autem quæ isti S. Eliæ, & Elisei discipuli, dicti *Filii Prophetarum* (posteà autem nuncupati Esseni) incoluerunt, ut ex Scriptura habetur, fuerunt imprimis Carmelus, locus originarius Ordinis, quem ad vitam religiosam monasticam eremiticam aptissimum, maximis miraculis, suoque præcipuè incolatu decoravit ipse S. Elias, & post eum S. Eliseus, uti liquet ex libris Regum: post Carmeli Conventum, solemnissimum Filiorum Prophetarum eremitorium fuit juxtà Jordanem, Eliseo adstante, & cooperante extructum, de quo *cap.* 6. *libri* 4. *Regum*, & præfatus S. Hieronymus ad Paulinum: *Filii Prophetarum ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis*; etiam in Galgalis, in Bethel, & in Jericho, sive in suburbanis, seu suburbiis istorum locorum habebant Filii Prophetarum mansiones suas, ut habetur ex *capite* 2. *libri quarti Regum*: Ejuscemodi collegium, seu collegia etiam erant in solitudine, seu monte Ephraim, ut habetur ex istis *cap.* 5. *libri* 4. *Regum* verbis: *Venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex Filiis Prophetarum*. Scilicet erant in monte Ephraim aliqua Collegia Prophetarum, sicut in Jericho & Bethel, & Galgala. Ita Abulensis in illum locum: de istis Filiis Prophetarum in monte Ephraim hæc Joannes Jerosolymitanus in libro *de Institutione Monachorum c.* 22. scribit: *Isti quidem segregantes se à turbis, quas videbant colere vitulum aureum, quem Ieroboam posuerat ad adorandum in Bethel, secesserunt nutu Elisei in solitudinem montis Ephraim, ne possent exemplo populi infici idololatriâ, sed vacarent in solitudine liberiùs divino cultui*: & de aliis alibi: quòd in diversis aliis solitudinibus monasticè conversati sint. In Galaad simile etiam Collegium, aut Collegia fuisse instituta censet Generalis Minimorum Ægidius Camartus *libro de Gestis Eliæ cap.* 5. *sect.* 10. ubi hæc: *Si tot, & tam celebres discipulorum scholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non & in Galaad? credibile certè est Eliæ discipulos in illa viguisse, nec defecisse, donec ad Christi discipulos, Euangelicamque doctrinam confluerent*. Ad cujus confirmationem adfert, & exponit illa Canticorum verba (a) *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*. Et ista (b) *Caput tuum ut Carmelus*. Et sanè Eliam in monte Galaad

Collegia seu Conventus habebant in diversis locis:

(a) Cant. 4.

(b) Cant. 7.

etiam monasticam vitam aliquamdiu egisse satis indicat S. Gregorius Nyssenus (a) de Elia ita scribens: *longo tempore versatus in monte Galaad insignia vitæ continentiæ exempla præbuit.* Camartus ibi consequenter de multitudine discipulorum & Collegiorum S. Eliæ hæc subdit: *Tot enim discipulos veluti propagines in ipso Carmeli capite coëgit Elias, ut eorum virtutis odor non solum vicinos montes pervaserit; sed præterea ad Cedros usque Dei, qui in Libano sunt, sese extenderunt: Galaad autem, ut suprà vidimus, caput est & principium Libani. Et hoc est quod mysticè additur in Canticis, capillos sponsæ similes capreis, quæ ascenderunt de Galaad, sanctorum enim virorum examina, quæ instar capillorum ex uno capite derivantur, posteà sese ad Galaad usque extenderunt, tamquam si humeris involitarent coma. Et postremò tot discipulorum Collegia à nostro Elia instituta, montes, deserta, vicos omnes obtinuerunt à mari, cui adhæret Carmelus ad flumen usque Æthiopiæ, ad quod usque mons Galaad protenditur.* De ingenti illa Collegiorum prophetici Ordinis multitudine tempore Eliæ & Elisei, scribunt quoque Waldensis *in Doctrinali fidei* loco jam antè indicato, & plures alii relati à Lezana tomo primo Annalium (b).

(a) in c. 7. cantic. orat. 7.

Ingens multitudo Collegiorum Prophetici Eliani Instituti.

(b) ad an. mundi 3154

CAPUT II.

Discipuli & posteri S. Eliæ, veteris Testamenti Monachi: eorum paupertas, castitas, & obedientia.

239. Magni Eliæ discipulos Filios Prophetarum fuisse *veteris Testamenti Monachos*, tradit auctoritas Patrum venerabilium, imò & Scripturarum, testibus S. Hieronymo, & Isidoro, & aliis, verbis jam ante adductis, quibus adstruunt, quòd etiam Eliseus & Flii Prophetarum fuerint non tantùm Monachi, sed *Duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis*: & notanter addunt, id constare *Scripturarum auctoritate.* Sic & S. Macarius Abbas, (c) scribit: *Eliseum & Filios Prophetarum veraciter veteris Testamenti Monachos*: & Abbas itidem Rupertus, (d) *Filii Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri Testamento, consentit auctoritas Patrum venerabilium.* Istorum veteris Legis Religiosorum Pater, Rector, Superior, post S. Eliam, fuit S. Eliseus, de quo ista Salianus in ejus Epitaphio: *Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro dives... qui innumerabilium Religiosorum parens atque propagator, ea semina annis penè octoginta jecit, quæ superveniens Euangelii gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit.*

Filii Prophetarum Religiosi, Monachi:

(c) Serm. ad monachos.

(d) in c. 4 Cantic.

240. Paupertas voluntaria S. Eliæ, & S. Elisei ex sacris literis, & Patribus luculenter adstruitur in utriusque vita inserta *Speculo Carmelitano parte IV.* ideò paucula hîc delibata sufficient. S. Chrysostomus agens de S. Eliæ paupertate (e), *Quid enim*, inquit, *Eliâ pauperius? sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper hic erat: ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit.* Et S. Bonaventura (a): *Non enim mihi eos, qui accusant paupertatem afferas, sed eos, qui per eam fulserunt. Cum hac Elias educatus, raptus est beatâ illa rapinâ: cum hac Eliseus claruit.* Sic & S. Asterius (b) S. Elisei paupertatem quoque deprædicat: *Eliseus hic erat Propheta, terrenis quidem bonis carens, incorporeis autem ac cœlestibus copiosè instructus, Philosophus ab aratro, sine domo, ac lare.* Conformiter scribunt Patres, & Doctores alii de utroque. De S. Eliæ paupertate, nec non castitate, ac obedientia, etiam ex voto, peculiariter sermo fuit hîc suprà *tractatu 2. cap. 2.* De Elisei, & Filiorum Prophetarum paupertate hæc tradit S. Ambrosius: (c) *Eliseus Vates à magistro quidem didicerat parcimoniam, cùm filios aleret Prophetarum, vitis agrestis grumulis mensas onerabat, & sylvestribus oleribus hospitalis humanitatis implebat officium.* Istorum omnium, Eliæ, Elisei, nec non discipulorum eorumdem Filiorum Prophetarum paupertatem deprædicat S. Paulus (d) istis verbis: *Circuierunt in melotis... egentes* &c. *Ita*, inquit Theodoretus, (vetustus Pater, exponens illa S. Apostoli verba) *Elias ille magnus: ita Eliseus illius gratiæ hæres: ita plurimi Prophetæ, qui ne domos quidem habebant, sed ligna excidentes, sibi tuguria, casasque construebant.* Et Cornelius à Lapide in eumdem textum: *Notat Paulus, Eliam... notat & Eliseum, aliosque Prophetas: quorum insigne fuit melotes, sive cilicium ex pelle hirsuta. Porrò usi sunt Prophetæ melote, quasi vili & aspero amictu.* Passim etiam Religiosorum Ordinum fundatores & Regularum conditores, ex religiosa, modesta & paupere supellectile cellulæ S. Elisei, de qua *cap. 4. libri 4. Regum:* videlicet *lectulus, mensa, sella, & candelabrum*, similem sibi & suis præscripserunt. Sic quidem in nostris Constitutionibus, *parte 1. cap. 10.* (quod est de paupertate) *Cellulæ nostræ ad instar patris nostri Elisei pro tota supellectile lectulo dumtaxat ligneo, pallaceâ, mensâ exiguâ, &c. instruantur.*

Paupertas eorum voluntaria,

(e) Homil. 57. in Mat.

(a) opusc. de paupertate Christi art. 2.

(b) Homil. adversus avaritiam.

(c) libro de Elia & jejun. c. 6.

(d) ad Heb. XI.

241. Cornelius à Lapide *in caput quartum lib. 4. Regum*, sub finem agens de Filiis Prophetarum, colligentibus pro cibo herbas agrestes, & in communi, ex eleëmosynis viventibus, ait: *Hinc disce studium paupertatis*, scilicet Filiorum Prophetarum, de quibus ibi. Infrà ad illa verba: *Infunde turbæ*, subdit: *notat Theodoretus quæst. 19. filios Prophetarum nil proprii possedisse, sed vixisse in communi, ut jam faciunt Religiosi*, & ibi suprà: *Audi*, inquit, *Theodoretum:* (cujus hæc sunt verba:) *Quòd autem vita Prophetarum, nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus* (Eliseus) *nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium: nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis allatos.* Sanctius in eundem locum scribit, ordinarium cibum illorum fuisse pulmentum, & herbas agrestes. *Iussit* (Eliseus) *cuidam ex illis, qui magis erant familiares & assidui,*

In communi viventium.

assidui, ut cibum pararet Prophetarum Filiis, talem opinor, qualem ipsi adhibere solerent, ad mensam frugalem nempe; id est, ex terra frugibus, & herbis conditum. Hoc enim videtur eo tempore illorum Prophetarum commune pulmentum: id indicat ille, qui egressus dicitur in agrum, ut colligeret herbas agrestes. Quòd ex eleëmosynis viverent, præter ea quæ leguntur de S. Elia nunc mendicatim à vidua eleëmosynam poscente, nunc ab angelo, nunc à corvo victum accipiente, & de S. Eliseo eleëmosynis mulieris Sunamitidis refocillato, de Filiis Prophetarum etiam idipsum indicat Scriptura *cap. 6. lib. 4. Regum*, ubi refertur, *virum quemdam attulisse viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera.* Ista autem eleëmosyna inter Filios Prophetarum distributa fuit, & ad eorum sustentationem miraculosè multiplicata. Sic Abulensis *in cap. 6. lib. 4. Regum quæst. 4.* tractans de eo, cujus securis in aquam ceciderat, scribit: *erat vir pauper, scilicet, unus de Filiis Prophetarum, qui quasi nihil habebant, nisi ea, quæ sibi à populo dabantur.* Eamdem perpendens historiam Theodoretus, & agens de paupertate Filiorum Prophetarum: *Tanta*, inquit, *utebantur paupertate, ut ne securim quidem sustinerent possidere.*

Et ex eleëmosynis.

242. Castitatem eorum ex sacris litteris etiam colligunt Patres. Hinc Hieronymus: (a) *Virgo Elias, virgo Eliseus, virgines multi Filii Prophetarum*, & S. Chrysostomus libro *de virginitate* loquens de SS. Elia, Eliseo, & Joanne Baptista (estque eadem ratio de Filiis Prophetarum) *virginitatem autem fuisse, quæ tales eos reddiderit,* (similes angelis) *ex eo perspicuum est. Nam si uxores habuissent, & liberos, haud facile adducti essent, ut & in solitudine viverent, & suas familias contemnerent, & reliqua, quæ necessaria essent ad vitam, non compararent.* Sic etiam Lezana, expendens historiam descriptam *lib. 4. Regum capite 4.* de collectis herbis agrestibus, & per cocum in ollam grandem paratis, deque panibus hordeaceis distributis centum viris (filiis scilicet Prophetarum) colligit *eorum castitatem, in eo quòd inter centum viros nulla referatur mulier quæ saltem coquinæ eorum adstaret.* Castitatem autem, & virginitatem colebant exemplo & exhortatione S. Eliæ magistri sui: qui propterea à S. Hieronymo *Messor virginum* nuncupatur: *In veteri*, inquit, *Lege sola erat benedictio liberorum; quia orbis erat vacuus: paulatim verò increscente segete messor immissus est Virgo Elias, Virgo Eliseus, Virgines multi Filii Prophetarum.* Illorum obedientiam Patres & Doctores eruunt ex istis *capitis 2. libri 4. Regum* verbis: *Adoraverunt eum proni in terram*, veluti superiorem & patrem loco Eliæ: quem suum ipsi superiorem, & spiritualem patrem agnoscerent in ejus pallio, qui prius eodem officio fungebatur, inquit Salianus (b). Quòd autem ipsi Eliseo obedientiam præstiterint, satis apertè indicatur *cap. 6. lib. 4. Regum*; ubi licentiam ab ipso petunt, ædificandi novum Collegium propè Iordanem. Hinc eorum obedientiam peculiariter commendat Franciscus Sonnius

(a) in Epist. ad Eustoch.

Castitas eorum.

& Obedientia.

(b) lib. 4. Annal. ad an. mundi 3139.

libro demonstrationum Euangelicarum cap. 2. ubi ista: *In hac perfecta obedientia filii itidem Prophetarum illustres facti sunt in Scripturis, quod abnegatâ propriâ voluntate subderent se per omnia unius obedientiæ, qui in spiritu prophetico cæteris clarior erat, idque in admiranda rerum indigentia, & vita abstinentia, ut legere est 4. Regum.*

243. Istas tres religiosæ monasticæ vitæ essentiales virtutes etiam ex voto observatas fuisse à S. Eliseo, sigillatim, & accuratè declarat Lezana *tom. 1. Annalium Carmelitarum in apparatu cap. 4.* Deinde id generaliter de omnibus simul sic probat: De omnibus votis, nexibus, aut ligaminibus (modo dicto) religionis id satis exprimit sanctus Hieronymus *epist. 28.* quæ est ad Lucinium, asserens: *Eliseus boves & juga prioris operis vertit in vota.* Quæ vota? sanè non alia nisi Religiosis similia, & instar ipsorum. Et Hugo Cardinalis in *cap. 9. Lucæ*, explicans enim illud: *Nemo mittens manum suam ad aratrum* &c. inquit: *Eliseus in aratro coxit carnes, mactavit boves, id est, Religionis votum fecit.* Accedit quoque & Abulensis (a) asserens ipsum in sequela Eliæ recessisse ab amicis & cognatis, non reversurum ad statum illorum. Quemadmodum Apostoli Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, ac Matthæus secuti sunt Christum. Constat autem apud Theologos, Apostolos sequentes Christum veros Religiosos fuisse, ac tria vota obedientiæ, paupertatis & castitatis emisisse. Eliseus ergo ipsorum prævius, quoad decuit, æmulator fuit. Et quidem peculiariter quoad castitatem, eam voto firmatam indicant Patres, qui eum recensent inter Eunuchos spirituales: qui cùm naturaliter possent, liberè ex electione se per votum impotentes moraliter ad voluptates venereas reddiderunt. Quantùm ad paupertatem: ubi rogo, in Scriptura Apostolorum exprimitur votum paupertatis, nisi in illis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Quæ perfecta fuit renunciatio cum obligatione retrò non respiciendi. Nonne & hoc exprimitur de Eliseo? *Relictis bobus cucurrit post Eliam.* Cur illa verba Apostolorum, non ista Prophetarum Religiosa continent vota? cùm Patres non expressiùs asserant, Apostolos fuisse Monachos, quam SS. Eliam & Eliseum adstruant veraciter Monachos veteris Testamenti. Obedientiæ etiam legibus se adstrictum agnovit, ne contra Eliæ voluntatem faceret. Ideo ab eo petivit licentiam salutandi parentes. Unde Abulensis: *Putavit Eliseus, quod non poterat jam aliquid agere contra præceptum Eliæ.* Illud etiam præceptum *ab Elia* ipsi intimatum, *Revertere*, idem valet (eodem Abulensi teste) ac si non veneris, aut moratus fueris, peccabis. Ita idem *quæstione 26.* De votivis castitate, paupertate, & obedientia S. Eliæ peculiariter tractatum est hic suprà, *tract. 2. cap. 2.* (b)

Votum Elisei non minus quàm Apostolorum ex Scriptura elicitur.

(a) 3. Reg. 19. q. 23. & 26.

(b) nu. 76. & seq. pag. 29.

244. Quantum ad discipulos, & posteros SS. Eliæ & Elisei (primitùs nuncupatos *Prophetas*, & *Filios Prophetarum*, ac deinde aliis nomi-

Filii Prophetarum ex aliquali voto paupertatem castitatem & obedientiam servabant.

nominibus insignitos) paupertatis, castitatis & obedientiæ observantiam coluisse ex aliquali voto, evincitur tum ex exemplo parentum suorum, quibus dissimiles in hoc fuisse sine fundamento dicetur, tum ex eo, quod S. Hieronymus, S. Isidorus, Rupertus, & alii plures, eos *Monachos* nuncupent: Illa autem tria ex voto sunt de essentia monastici status. Ad hoc propositum S. Thomas (a) hanc statuit conclusionem: *Necessarium est, ut quicumque Religionis perfectionem profitentur, voto obligent se ad perpetuam obedientiam, continentiam atque paupertatem.* Ibidem objicit: *ubi est exhibitio rei non requiritur promissio: ergo sufficit ad perfectionem Religionis, quod aliquis servet paupertatem, castitatem, & obedientiam absque voto.* Respondet: *non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Conformiter scribit Suarez *to. 3. de Religione* (b) ubi agens de observantia paupertatis, castitatis & obedientiæ per totam vitam, dicit: *Cùm hoc sit de re valdè difficili, & de se non necessaria, sed voluntaria, nisi aliquo morali vinculo firmata sit, facilè fluctuabit.* Si ergo hi sancti Prophetæ totam vitam suam Deo exhibuerunt in observantia obedientiæ, paupertatis & castitatis, ut diximus, id fuit ex aliquali voto. Hoc enim argumento Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 24. sect. 6.* probat Joannem Baptistam votô emisso virginitatem observasse; quia scilicet vitam cælibem, ac solitariam perpetuò agere decrevit. Quæ ratio eamdem vim habet in Prophetis nostris, inquit Lezana *tom. 1. Annalium Carmelitarum in apparatu cap. 4.* ubi ad confirmationem dictorum hoc habet firmissimum argumentum.

(a) 2. 2. q. 186. art. 6.

(b) lib. 2. cap. 3. n. 2.

In fundamentis S. Thomæ & Suarez stabilitur votū Filiorum Prophetarum.

Id confirmatur ratione urgentissima.

245. Denique urgentissima, ac moraliter evidenti ratione id roboratur. Cùm enim certum & indubitatum sit Eliam & Eliseum, & Prophetarum filios plures, sanctissimos viros, à Deo illuminatissimos, & perfectionis studiosissimos fuisse, ut vel eorum egregia facta, signa, miracula & Prophetiæ in sacra pagina expressa manifestant; constat enim lumine naturali fide instructo (quod non nisi temere, & sine fundamento asseri potest eos ignorasse) opus bonum quodcumque fieri melius, Deo gratius, & magis meritorium, si ex voto fiat, quàm si sine illo; procul dubio evidenter credibile fit, obedientiam, paupertatem & castitatem, quam observabant, aliquali voto firmasse; cùm in hoc nulla implicatio, nulla indecentia, nullumve inconveniens reperiri possit. Quinimò maximè id decens videatur, ut istô modô propositum ipsorum immobilius esset, & Deo gratius. Plura ad hoc propositum quoad vota præfata in veteri Lege reperiet Lector in *Armamentario Carmeli, parte 1.* per R. P. Franciscum bonæ Spei, in quo amplissimè & solidissimè pertractantur ista: Scuto primo, *quòd sanctissimus Dei Propheta Elias in antiqua lege spiritu prophetico noverit perfectionis religiosi status in Lege nova futuri substantiam,* Secundò quòd *vota etiam castitatis, de qua potissimum difficultas, non fuerint in Lege veteri prohibita.* Tertiò: quòd *obedientiam, paupertatem & castitatem opere servaverit.* Quartò: quòd *Filios Prophetarum, Essenos, &c. habuerit sibi in obedientia, paupertate & castitate successores, quorum fuit fundator, patriarcha & princeps.* Quintò: quòd *Filii Prophetarum Esseni &c. obedientiam, paupertatem & castitatem in antiqua Lege servaverint.* Sextò: quòd *sanctissimus Dei Propheta Elias tria essentialia Religionis vota obedientiam, paupertatem & castitatem emiserit.* Idem consequenter probatur luculenter, de Filiis Prophetarum, & de Essenis. Ad hoc etiam intentum videatur hic suprà (a) decretum sacræ Inquisitionis in Hispania.

(a) hîc sup. num. 40. pag. 16.

CAPUT III.

Objectionibus satisfit.

246. Ex iis, quæ à nonnullis opponuntur contra hactenus dicta, hoc præcipuum est: Quòd videatur specialis prærogativa Christi, & Legis Euangelicæ ante ipsam non fuisse votum castitatis, nec statum Religionis. Et quia cùm tota Lex vetus figura fuerit Legis Euangelicæ (etenim *omnia in figura contingebant illis: & nihil ad perfectum adduxit Lex*) contra rationem videtur, ponere in illa aliquam rationem veræ religionis & status monastici. Respondemus cum P. Lezana (b) quòd, quemadmodum ad specialem dignitatem Legis Euangelicæ non spectat, quòd ante ipsam non fuerint in Lege veteri vera sacramenta, vera sacrificia, ceremoniæ, verusque cultus Dei, quoad essentiam & substantiam ipsorum, sed solùm, quòd ante illam non fuerint perfecta & consummata; multò minus ad eamdem Euangelicæ Legis dignitatem spectabat, quòd ante ipsam non fuerit aliquale exercitium votorum, etiam castitatis, aliqualisque Religionis instar status, proportionatè ad veteris Legis imperfectionem. Et sanè nulla assignabilis ratio est, quare in hominibus perfectis illius status fuerint excellentissima & perfectissima dona & charismata prophetiæ, miraculorum, martyrii, & similium; non autem aliqualis religionis: aut quare hoc solum reservatum est Legi Euangelicæ, & non alia; præsertim cùm Martyrem esse perfectius quid videatur, quam religiosum esse, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat, &c.* hæc ibi Lezana, quæ & aliis rationibus, & Patrum, ac Doctorum auctoritatibus confirmat. Ad istud; quòd *in veteri Lege omnia in figura contingebant,* &c. haud multùm dissimile responsum dat: Quemadmodum, (inquit) obedientia Isaac, castitas Joseph, patientia Job, & aliæ virtutes in antiquis Patribus repertæ, quamvis veram rationem, & essentialem virtutem participaverint, figura tamen fuerunt similium virtutum, quæ in Christo Domino erant:

(b) tom. 1. Annal. in Appar. c. 4.

An & qualiter castitatis votum & religiosus status, sit prærogativa Christi & Legis Euangelicæ.

Quomodò in Lege veteri omnia in figura fiebant.

erant: ob eminentiam, & majorem perfectionem, quæ in ipso effulserunt. Sic pariter, quamvis ratio Religiosi veluti status in veteri Lege utcumq; reperta illius primordialem quasi quidditatem induerit, figura tamen potest diei Religionis, seu monachismi Legis Euangelicæ, ob prærogativas & excellentias quas ex Christi & Apostolorum institutione & exemplo participat, de quibus hìc suprà *Tractatu 1. cap. 1. num. 38. & seq.* Ad hoc propositum animadvertendum, quod ex Patribus Græcis, pariter & Latinis, tradit Cardinalis Baronius: (a) *Æterna sapientia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: lapis angularis, qui cœlestia pariter atque terrena, præterita & futura unâ eademque sumet ipsius compagine conglutinata sollaret: ut meritò Apostolus dicat Christus heri & hodiè, ipse & in sæcula, & in confesso sit apud omnes patres, quotquot unquam fuerint ab exordio mundi, non nisi à Christo, & per Christum salutem consecutos. Iure igitur censuit gravissimus Doctor Iustinus Martyr, Christianos esse nominandos, quotquot è gentibus, licèt adventum Christi præcesserint. In quam sententiam sic Augustinus: hic demonstratus est antiquis Sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ salvi fierent.* Et infrà ex eodem Augustino: *Omnes Sancti, qui ante Domini nostri Iesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohæserunt.* Hinc etiam plures Eliam *virum Euangelicum ante Euangelia nuncupant.*

(a) in Appar. ad Annal. n. 1. & 2.

Fideles ante Christum quâ ratione dici possint Christiani.

247. Peculiariter etiam contra castitatem ejusque votum in veteri Lege objiciunt nonnulli, quòd Patres beatissimam Virginem Deiparam nuncupent *virginitatis primiceriam, primipilam, Magistram, principem, Reginam virginum, virginitatis exemplum*: Quæque *virginitatis vexillum extulerit*: ergo alii ante ipsam virginitatem non servarunt, aut certè non voverunt. Sed respondemus ex & cum magno Societatis Iesu Doctore Francisco Suarez: (b) *dici posse primam, quæ proposita est tamquam dux & exemplar hujusmodi voti*: ubi addit: *Et hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum.* Etenim ut ibidem asserit: *Etsi ad perfectionem ejus pertineat, quòd perfectum votum virginitatis emiserit: quòd verò ante ipsam nullus hoc fecerit, ad ejus commendationem, non admodum facit.* Itaque quòd Patres & Doctores Deiparæ primatum virginitatis adscribant, asserantque quod sola sine exemplo placuerit Domino Iesu Christo, & similia, non tam intelligenda sunt de ordine temporis, quàm dignitatis, eminentiæ & perfectionis. Pro majori elucidatione, & etiam confirmatione hactenùs dictorum de votis monasticis in Lege veteri, notanda sequentia: *Primum*: quòd olim vota illa non haberent annexam solemnitatem, prout modò: sed hoc non obstabat, quò minùs constituerent verum religiosum: prout constat ex votis simplicibus scholasticorum in Societate Iesu, constituentibus verum religiosum, sicut declaravit, & definivit Gregorius XIII. in diplomate, cujus initium est: *Ascendente Domino. Secundum*, quòd nunc solemnia vota monastica matrimonium reddant non tantùm illicitum, sed & invalidum: prætereà sponsalia contracta, atque etiam matrimonium ratum dirimunt ex Ecclesiæ constitutione: non ita olim. Plura ad hoc propositum habet lector hìc suprà (a).

B.V. Maria quo sensu sit virginitatis primiceria, primipila,

(b) To. 1. in 3. partem q. 28. art. 4. disp. 6. sect. 3.

Vota olim non habebant solemnitatem annexam.

(a) tract. 1. c. 1. n. 38. & seq.

248. Si quis objiciat, in Sacris Litteris non exprimi vota Filiorum Prophetarum. Quæro, ubi magis disertè adstruantur, oretenùs & explicitè facta SS. Apostolorum, S. Pauli Eremitæ, S. Antonii, & aliorum monachorum vetustorum in primordiis Ecclesiæ? Sic quoque B. Virginem Deiparam, Apostolos & S. Ioannem Baptistam in paupertatis, castitatis & obedientiæ observantia vitam religiosam egisse, tradunt Patres & Doctores: sed ubi in Scriptura eorum vota oretenus, & expressè facta leguntur? Sed sive expressa sint vota, oretenùs, seu scriptò facta, sive implicitè, aut in actu aliquo æquivalente: æquè sufficiunt ad constituendum aliquem Religiosum. Sic olim quandoque veli impositio, professio censebatur monialium, & gestatio habitus determinatò tempore, professio tacita. Latiùs circa hæc, & eruditè disserit ac nervosè concludit R.P. Franciscus Bonæ Spei in libro *de visione Eliæ.* (b) Cæterum animadvertendum, quòd ex prophetici Eliani Instituti Sectatoribus, virgines multi Filii Prophetarum, ut scribit S. Hieronymus (c) & de iisdem Cardinalis Bellarminus (d) *habemus deinde in eodem Testamento veteri Eliam, Eliseum, & Filios Prophetarum sine uxoribus & divitiis in hoc mundo vixisse.* Ex Rechabitis quidem & Assidæis pauciores erant. Isti autem in castitate & abjectis terrenis possessionibus, in paupertate, ac obedientia, uni superiori in congregatione aliqua, seu collegialiter viventes, *Legis veteris Religiosi & Monachi ac monastici instituti duces, principes, Coryphæi* nuncupantur à Patribus. Illi verò, qui conjugii legibus adstricti erant, quasi Religiosi, dici possent (sicut nunc sunt ordinum Religiosorum Tertiarii) præsertim illi qui (exceptâ castitate) monasticarum Institutionum observantes erant, prout Rechabitæ omnes: qui licèt matrimonium iniissent, tamen vinum in sempiternum non bibebant, & domos non ædificabant, & sementem non serebant, & agros non possidebant, & vineas non plantabant, nec habebant, prout hæc & alia de ipsis pleniùs testatur Ieremias Propheta *cap. 35.*

(b) Disp. 3. n. 51. 52. 53 & seq.
(c) ad Eustoch.
(d) lib. de monachis c. 5. tom. 2.

Rechabitæ juncti matrimonio non propriè dicti Religiosi.

erant sicut nunc Tertiarii.

CAPUT IV.

Filiorum Prophetarum vita conventualis, & Exercitia Monastica alia.

Filii Prophetarum simul conventualiter habitabant.

249. QUòd Filii Prophetarum in communi vixerint, hoc est conventualiter, sub uno Superiore, satis liquet ex *capite 2. libri quarti Regum*, undè habetur, quòd in Galgalis, in Bethel, in Jerichò fuerint Collegia Filiorum Prophetarum, in quibus simul conventualiter habitabant, de quibus Collegiis ibi Cornelius à Lapide: *multa jam erant Collegia in Galgalis, Bethel, Iericho, Carmelo &c. ab Elia & aliis instituta, ideoque Elias ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, & aspero vitæ eremiticæ instituto confirmaret.* Idem confirmatur ex istis *capitis quarti libri 4. Regum* verbis: *Filii Prophetarum habitabant coram eo* scilicet Eliseo, patre & principe illorum omnium, & ex istis capitis 6. *Dixerunt autem Filii Prophetarum ad Eliseum: Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis.* Dicunt *coram te*, id est in uno loco coram te nos regente, docente, & dirigente, quasi nostro duce & magistro in religiosa vita. Ita Cornelius in illum locum, quod etiam simul vescerentur, & communi mensa uterentur, habetur ex *cap. 4. libri 4. Regum.* Et ista roborantur ex iis, quæ Philo & Flavius Josephus scribunt de Essenis Eliani Instituti sectatoribus, & continuatoribus (ut infrà declarabitur) qui simul habitabant in communi, sub uno Superiore, seu Curatore, *sine cujus præcepto nihil faciebant, & omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communia possidentur: nihil amplius inter illos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur.* Ita Philo de vita contemplativa, & Iosephus variis locis.

250. Cæteras quoque monasticas virtutes, solitudinem, sequestrationem à sæculari conversatione, silentium, fraternam charitatem, & pacem satis apertè exprimunt Sacræ Litteræ *Isaiæ cap. 32.* his verbis: *Iustitia in Charmel* (id est in Carmelo) *sedebit, & erit opus Iustitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Et Michææ 7. dicuntur *habitantes soli in saltu, in medio Carmeli.* Notanda singula: *Habitantes soli*, id est separati à vulgo: *in saltu*, id est in solitudine; saltus est locus incultus propter silvas; *in medio Carmeli*, ubi erat præcipua eorum mansio & caput Ordinis. Mansiones tamen etiam suas, & Collegia habebant in solitudine Iordanis, in monte Ephraim, (ut testantur libri Regum) & in locis solitariis aliis, sicut ex dictis hic ante *cap. primo*, habetur. Solitudo autem, & silentium illis conducebant quàm maximè ad orationem, meditationem, cœlestium contemplationem atque internam cum Deo conversationem: ut propterea identidem ingeminarent: *vivit Deus, in cujus conspectu sto.* Idem de Essenis tradit Philo Iudæus libro de vita contemplativa: *Solitarii*, inquit, *sanctæ vitæ mysteriis dant operam, Prophetarum oracula divinitùs prodita scrutantes, hymnosque personantes, & perpetuam Dei præsentiam habentes. Quotidiè bis precari solent, manè ac sub vesperam: medium verò temporis interstitium meditationi attribuunt.* Pariter etiam Psalmos & hymnos canebant, & eum in finem ter per diem, sed præsertim Sabbathis & in Calendis, ut ex mox dicendis patescet, conveniebant ad Ecclesiam, seu Oratorium, nuncupatum *Semnion*, sicut traditur in libro de institutione primorum Monachorum, & hæc etiam est ratio nomenclaturæ, qua dicebantur *Propheta*, & *Filii Prophetarum.* Propheta enim in Sacris Litteris quandoque idem est quod *psallens*, seu *Psaltes*, aut homo pius, justus & sanctus, Dei cultui specialiori modô addictus, vitam à mundô alienam agens: tales erant *Filii Prophetarum* collegialiter convivientes, & Deo pariter laudes canentes.

Exercitia eorum in solitudine & silentio.

Meditatio.

Psalmodia.

251. Interim etiam proximorum salutem non negligebant, illos ad pietatem excitando, & instruendo solemni suo cantu divinarum laudum, & Psalmorum, nec non Interpretatione Legis, & exhortationibus habendis, prout Doctores colligunt ex illis *capitis 2. libri 4. Regum* verbis: *Quamobrem vadis ad eum? hodiè non sunt Calendæ, aut Sabbathum?* In quem locum ita scribit Abulensis (a). *Quæritur, quare dixit vir ad uxorem: hodiè non sunt Calendæ, nec Sabbathum, in quo innuebat, quod in illis diebus haberet causam eundi ad Eliseum, sed non die illa. Respondendum, quod dies Sabbathi & Calendarum erat dies quietis, quia cessabant homines à laboribus: & tunc conveniebant multi ad Doctores Legis, vel ad viros sanctos, ut audirent ab eis doctrinam legis, vel verbum sacræ admonitionis. Sic enim erat Eliseus, ideo in diebus Sabbathorum & Calendarum conveniebant multi ad eum de locis convicinis ad audiendum verbum ejus. Et sic subintelligendum est, quod sæpè ista mulier ivisset ad audiendum Eliseum in monte Carmelo in diebus Sabbathorum vel Calendarum.* Plura ad hoc propositum habes hic suprà tract. 3. de gestis S. Eliæ cap. 18. Quòd habitu Religioso, paupere à cæteris distincto usi fuerint, habetur ex istis S. Pauli *ad Hebræos cap. XI.* verbis: *Circuierunt in melotis & pellibus caprinis.* Quæ de S. Elia, ejusque discipulis dicta interpretantur Theodoretus, Theophylactus, Haymo, Cornelius à Lapide, & alii.

Cura salutis proximi.

(a) quæst. 30.

In Sabbathis & Calendis populum instruebant.

Habitus Eliæ & discipulorum pauper à cæteris distinctus.

252. Ex hactenùs dictis manifesta est veritas assertionis hujus S. Hieronymi, S. Isidori, Cassiani & aliorum, quòd *auctoritate Scripturarum monasticæ conversationis principes, & fundatores sint Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum*, exhibentes formam, idæam, prototypon obedientiæ, castitatis, paupertatis, asperitatis in victu & vestitu, denique etiam in labore manuali. (b) Inspice Scripturam, & videbis Filios Prophetarum sub magisterio fuisse Eliæ, atque Elisei, tamquam abbatum. Vide monasticam tenuitatem: *Cænaculum parvum, lectulum, mensam, sellam cum candelabro.* Quid congruentius euangelicæ paupertati? Victûs asperitatem habes

(b) 4. Reg. 2. & 6.

habes ex herbis agrestibus; ex quibus sua pulmenta coquebant. Denique ne otiosi essent, cædebant ligna, sibique construebant tabernacula. Quam omnem ascesim cum melotis, pellibus caprinis, ac ciliciis de pilis camelorum, teste S. Chrysostomo, (a) monachi ab iis, tamquam à prototypo, acceperunt.

(a) S. Chrys. hom. 69. in Matth.

CAPUT V.

Prophetici Eliani Religiosi Instituti continuatio & hæreditaria successio ex Scripturis & aliis rationum momentis demonstratur.

253. PRiusquàm Elias de hoc mundo transferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, suâ imminente translatione, monachos discipulos suos Filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis providere; qui eos omnes generaliter loco ejus regeret, & gubernaret. Propter quod descendentes ipse & Eliseus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & deinde in Jericho. Nam sicut prædiximus, in his locis habitabant viri religiosi Filii Prophetarum, Eliæ discipuli, quos ipse visitans commonuit, ut in proposito disciplinæ propheticæ, & vitæ monasticæ perseverarent, & ut de imminenti ejus corporali absentia tristes non fierent. Quibus visitatis, valefaciens perrexit cum Eliseo ad Jordanem. Cernentes autem Filii Prophetarum Jordanem miraculosè cessisse Eliseo, agnoverunt eum succedere Eliæ in duplici Spiritu prædicto. Propter quod ad invicem dixerunt: *Requievit Spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes* Filii Prophetarum in *occursum ejus adoraverunt eum proni in terrã*, recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum patrem & magistrum, quem videbant habitu Eliæ & spiritu dotatum. Susceptô itaque Eliseus regimine propheticæ religionis per Eliam institutæ, sollicitus fuit cunctos monachorum Filiorum Prophetarum sigillatim visitare: quos cupiens consolari de absentia Eliæ, operabatur coram eis signa, & virtutes: tum ne in vacuum videretur gratiam Dei recepisse; tum ut per hoc eis ostenderet se gerere vices Eliæ; tum etiam ut sic eos solidaret in perseverantia vitæ monasticæ.

254. Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solùm exemplô suô, ibi habitando, sed & magnis miraculis. Ideo Eliseus & cæteri Eliæ discipuli religiosi viri Filii Prophetarum, nec non eorum tam veteris, quàm novæ Legis successores, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum aliis eremis, eorum religioni commodis, prætulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipuè, ad exemplum, & imitationem illius sancti viri, & solitarii Eliæ Prophetæ, prædicti religiosi secundùm formam per Deum Eliæ traditam, in justitia propheticæ vitæ monasticæ Domino Deo Israel devotâ mente jugiter servierunt: ubi religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis & speluncis, ac cavernis, atque cellis, continuè, & incessanter duxerunt juxta fontem Eliæ, ob ejus sanctitatem & loci devotionem, ac majorem servandæ vitæ eremiticæ opportunitatem. Ita Ioannes Ierosolymitanus. (a) De istis Eliæ posteris Isaias circa annum mundi 3409. ante Christi ortum 644. annis ferè trecentis post raptum S. Eliæ ista jam ante referri cœpta scribebat. *Habitabit in solitudine judicium & justitia in Carmelo sedebit: Et erit opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta.* Et Proph. Michæas circa annum mundi 3380. ante Christum 745. ducentis ferè annis post raptum S. Eliæ: *Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu: In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad juxta dies antiquos.* Ubi Propheta primò orat Deum, ne populus Monachorum montis Carmeli concludatur simili sententia desolationis cum Iudæis, sed pascatur, ut prius doctrinâ Religionis per Deum sub virga, id est, regula suæ directionis: ideo ait, *Pasce Domine populum tuum in virga tua*, de qua Psalmista: *Virga directionis, virga regni tui.* Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, specificat hunc solum dicens, *Gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu*: scilicet Carmeli. Deinde exponit Propheta qualiter *in medio Carmeli* pascerentur, dicens: *juxta dies* antiquos. In quibus scilicet *sub virga directionis regni Dei* pascebantur ab Elia in monte Carmeli, doctrina propheticæ vitæ monasticæ, secundum formam institutionis hujus Religionis per Deum creditam Eliæ.

Successio continuata in Carmelo.

(a) lib. de instit. mon. c. 21.

Confirmatur ex variis Scripturæ locis.

255. Propter istam posterorum Eliæ successionem in Elogio ejus dicitur: *Prophetas facis successores post te.* Quæ verba sic exponit suaviloquus Arnoldus Bostius. (b) *Ecclesiasticus dum inter Patrum laudes, fulgidum jubar Eliam, florem Prophetarum Carmelicolam, & Carmelitarum Patriarcham memorans, ait: Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Et subdit: Quis potest similiter gloriari tibi; qui Prophetas facis Successores post te? Quid aliud dicere voluit, nisi quòd suis Successoribus Propheticam Religionem primus tradiderit? nam teste Apostolorum principe; non voluntate humanâ est allata aliquandò Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Quomodo igitur Elias faceret Prophetas, id est, futura prædicentes, qui non voluntate humanâ, sed à solo sancto Pneumate fiunt?* In eumdem sensum verba illa exponit Ioannes de Carthagena (c) *Etenim licèt quidam interpretati sint hæc verba)* Prophetas facis Successores

Verba illa: *Prophetas facis Successores post te.* exponuntur.

(b) lib. de Patron. B. V. M. c. 2.

(c) lib. 17. Homil. homilia 2.

copulatâ perstringebat oculos, animosque ad pietatem pronos adducebat ad se &c. annitente imprimis Eliseo, aliisque sanctissimis Prophetis, ejusdem pietatis cultoribus, eamdemque cum Elia philosophiam profitentibus, ad Ioannem usque præcursorem; cujus etiam discipuli in Euangelio memorantur. Quæ causa fuit Nazianzeno Gregorio, (a) *ut Eliam & Ioannem, summos philosophos diceret, ad quorum videlicet imitationem, gymnasia pietatis, toto tunc orbe proseminata florebant.* Et paulò infrà de posteris S. Eliæ sub initium Legis novæ: *Ioannem Patriarcham libenter audio in hac verba disputantem. Intuentes quidam viri, ait, monachos in monte Carmelo nunc habitantes, esse Christianos, putaverunt, ut asseris dilecte Caprasi, eos non esse ejusdem religionis cum illis monachis, qui olim per sanctum Dei Eliam Prophetam fuerunt in eodem monte instituti, eo quod illi non fuerint Christiani, sed Iudæi. Quam autem erronea sit istorum virorum opinio, ex sequentibus tibi manifestum fiet. Antiqui autem hujus montis monachi, etsi non nomine, tamen rectâ fide fuerunt veri Christiani, sicut præsentes monachi; quoniam illi firmam fidem in Christum habuerunt; à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & animas cum corporibus suis obtulerunt Deo.* Et aliquantò post: (b) *Sui æmulos atque imitatores instituit* (Elias) *ad cælestem vitam, mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit, tot seculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumque varietates, constantes reddidit.* Ita Salianus Ecclesiasticæ historiæ veteris Testamenti celebratus auctor.

Elianum monasticum institutum usque ad S. Joan. Bapt.

(a) orat. 20.

posteri ejus in veteri, & nova Lege ejusdem religionis:

(b) num. 44 in elogio seu epitap. S. Eliæ.

jugiter continuati:

260. Et sanè, (ut benè Ioannes de Hildesheim *in Defensorio Ordinis Carmelitani c. 5.*) non videtur ullâ ratione verisimile, quòd Deus sanctissimo & zelosissimo suo Prophetæ Eliæ, & Ordini prophetico, in observantia castitatis, paupertatis, & obedientiæ ab illo inchoato, denegarit, quod omnibus Ordinum Religiosorum fundatoribus, & Religionibus ab ipsis institutis concessit. *Nam & hactenùs qualibet Religio duravit, ad minus usque ad mortem sui Fundatoris, & ultrà.* Ad idem propositum Aubertus Miræus, (c) scribit: *Nec sanè decuit Prophetæ tanti posteritatem ignaviâ torpescere, cùm densas Orbis terrarum tenebras lux nova discuteret.* Et aliquantò antè de S. Eliæ posteris: *Miris exemplis captam institutionem, usque ad Virginis partum produxerunt: neque enim Chaldæorum, aut aliorum hostium feritas, quæ vindictam, spoliaque sitiebat, in homines innoxios & nihil mortale curantes, desæviit, Deo sic agente, ut tanti vatis eruditio ad eum, cujus typum prætulit, illæsa pertingeret:* Et post alia: *Nova igitur Christi agmina, concepto fidei orthodoxæ calore, validius dimicantia, Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus cælestibus jam viris, quam plantis facundior, capit animos excelsos procreare.* Plura ad hoc propositum habet lector in *Speculo Carmelitano, libro 5. per totum* (d).

(c) lib. de orig. & incrément. Ord. Carm. in Prologo.

etiam inter captivitates Iudæorum,

usque ad Christi adventum,

& deinceps.

(d) Tom. 1. num. 182. & seq.

TRACTATVS V.

De Essenis, Monastici Instituti cultoribus, continuatoribus, & propagatoribus, *sub veteri (in sexta mundi ætate) & nova Lege*, SS. Eliæ, ac Elisei posteris.

CAPVT I.

Esseni à Scriptoribus Christianis, Iudæis & Ethnicis celebrati, veluti perfectionis exemplar & speculum.

261. Esseni seculis aliquot ante Christi nativitatem, & similiter post, Religiosæ Monasticæ conversationis exercitatores, & continuatores fuerunt, (prout evidenter declarabitur hìc infrà) veri nominis Religiosi, Eliani instituti sectatores (id *cap. 14. & 15.* patescet) Idcircò conveniens, quinimò necessarium videtur, pro stabilimine antiquitatis, & continuationis Religiosæ Monasticæ vitæ, hoc loco exactam reponere tractationem de ipsis, à præstantioribus Christianis, Iudæis, & Ethnicis Scriptoribus magnâ præconiorum copiâ celebratis. En hîc in limine de plurimis pauca, quibus saliva (ut dici solet) seu gustus quidam excitetur, ad libanda & consideranda sublimis, arctæque vitæ Essenorum Instituta, quæ cunctis Religiosis, ceu vitæ Monasticæ perfectissimæ exemplaria, proposita esse possunt. Imprimis Philo Iudæorum disertissimus, in libro *de vita contemplativa* sub initium, causam, seu motivum scribendi de illis, assignat esse virtutem eximiam eorum: *Non debet*, ait, *hujusmodi virorum virtus eximia causam præbere silentii.* Et sub finem: *Hactenùs de Therapeutis* (id est Essenis) *cæli & mundi civibus, patri conditorique rerum propter suam virtutem commendatissimis.* Et in Apologetico hæc, inter cætera, de eisdem: *Non privati tantùm, sed magni etiam Reges viros istos admirati obstupescunt, talisque vitæ majestatem approbationibus, ac honoribus venerantur.* Similia scribit Iosephus Flavius etiam Iudæus. Et quidem de honore ab Herode Rege eis exhibito *lib. 15. Antiquitatum cap. 13.* hæc inter alia: *Essenos autem ex hac causâ sic honorabat; quia majus quiddam de his sentiebat quàm de humanâ naturâ.* Similia de eisdem refert etiam Iosephus alter Iudæus cognomento Gorionides.

Esseni ante & post Christi Nativitatem Religiosæ Monasticæ vitæ cultores:

laudati, & celebrati à Iudæis præcipuis,

propter eorū eximiam virtutem,

262. Non minoribus elogiis eos efferunt Patres, & Scriptores illustriores Christiani. S. Chrysostomus, & alii plures *Essenos* sic nominatos asserunt *à vita sanctitate:* eorum auctoritates adferentur in sequentibus. Eusebius Cæsariensis (undè plura hìc infrà cap. 5.) agens de Essenis scribit: *Horum disciplinam omnes*

& Christianis Patribus, aliisque Scriptoribus,

omnes qui noverunt vehementer admirati sunt. Et alibi, eos vocat *Apostolicos viros.* Sic & Georgius, cognominatus Peccator, Monachus Græcus (a) in *Chronico mundi*, latinitate donato per Leonem Allatium, ad tempora Claudii Imperatoris. *Essæi isti sanè admirandi magis, ac magis divitiarum opumque despectum (qui omnium calculo veluti virtutis apex in admiratione est) & unà cum eo vitam duram illam quidem, & laboriosam, sed piam, & sanctam, sanctitatemque non levibus incrementis auctam, intensamque propagarunt:* Istis concinit Cardinalis Baronius, qui agens de Essenis, hæc de illis scribit (b): *Vita moribus fuisse conspicuos, omnes uno ore fatentur.* Et alibi de eisdem (c): *Quorum vita institutio videri poterat præ cæteris admiratione digna.* Et (d): *Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus instar Eliæ ac Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus, etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impiis quoque hæreticis reverendum.* Ita scribit de Monachis in primis post Christum seculis, *Quos Essenos à Philone dictos alibi demonstravimus*, inquit (e). Alia ex eodem habes hîc infrà. Cornelius à Lapide *in Chronotaxi Actuum Apostolorum* (f) eos nuncupat *viros Angelicos.* Et alibi (g) *perfectionis exemplar, & speculum.* Et eorum vitam *religiosam, sanctam, excelsam* (h). Vide hic infrà *cap. 6.*

(a) de quo Lezana in Annal. to. 1. in Appar. c. 7. n. 8. & alibi.

(b) in Appar. ad Annal. Eccles.

(c) ad an. Christ. 64. n. 8.

(d) ad an. Chr. 342.

(e) ad an. 188. agens de S. Eug.

(f) ad an. Chr. 64.

(g) Comment. in Marc. in argum.

(h) in c. 3. Act.

263. Ethnicis etiam Esseni fuerunt admirationi: hæc de illis scribit Plinius (i): *Esseni, gens sola, & in toto Orbe, præter cæteras mira.* Et Solinus (k): *Esseni præditi memorabili disciplina recesserunt à ritu gentium universarum, majestatis, ut reor, providentiâ.* Istis similia habet quoque etiam Ethnicus Porphyrius. Ex præfatis, atque etiam aliis alia de Essenis encomia, & vitæ admirandæ instituta proferentur jam consequenter. Quæ omnia deindè inter se collata declarabunt eorum antiquitatem, & per multa secula continuationem ante & post Christi Nativitatem, nec non orthodoxam fidem, monachismum, & Prophetici Eliani Instituti professionem. Atque ita duplex erit Tractationis hujus utilitas, videlicet illustratio; & confirmatio Carmelitanæ Historiæ à S. Elia suo Protoparente per Filios Prophetarū, Rechabitas, & Essenos continuata successio, nec non propugnatio antiquitatis Religiosi status per Essenos à Lege veteri ad novam traducti, & quam-maximè propagati, ab hæreticis impetiti, tamquàm esset; *vanum & novellum inventum*, contra apertissimam veritatem. Etenim sicut Hæretici ferè omnes contra Religiosos, & Religiosam Monasticam vitam mirè & exorbitanter debacchantur: Ita quoque maledicis scriptis & verbis impetunt Essenos (quia scilicet Religiosam Monasticam vitam egerunt) tamquam homines perversos, similes Anabaptistis. Ità quidem Joannes Carion Lutheranus lib. 2. Chronici. *Essæi*, inquit, *per omnia ferè Anabaptisticam vitam egerunt, abstinentes à matrimonio: & omnia inter se communia esse voluerunt. Fuit omninò hæc stulta quadam, & crassissima Monachatûs superstitio.* Conformiter scribunt hæretici alii: de Centuriatoribus id testatur Petrus Canisius (a) agens de instituto Essæorum, Monachorum temporibus Apostolorum, à Philone celebratorum: *Vidit*, inquit, *& descripsit Apostoli Petri familiaris, & homo valdè disertus, Iudæus tamen, Philo, qui fuerint ætate suâ mores Christianorum, quæque tum inter eos viguerit vita monastica disciplina. Vani sunt autem, nè dicam impudentes, nostri Centuriatores, qui negare student ad Christianos illud Philonis testimonium pertinere: cùm apertè testetur Epiphanius, non de aliis, quàm de Christianis, qui anteà Iessai dicti fuêre, Philonem scribere, scribendique occasionem simul exponit. Quod & planè confirmat Hieronymus, & adducto Philonis testimonio de primis monasteriis.* Hinc paulò infra sic contra istos monasticês osores concludit: *Igitur quod ad monasticum Institutum pertinet, antiquius est illud & probatius, quam ut istos Momos reformidet.* Aliquantò post, cùm egisset de S. Eliæ vestitu & victu, ac vita in eremo, de Eliseo, & Filiis Prophetarum, subjungit: *Quos veteris Testamenti Monachos appellas Hieronymus.* Istis concinit præfatus Cardinalis Baronius (b) Essenos fuisse Christianos, Monachos, & orthodoxæ fidei: quæ cum probasset auctoritatibus veterum Scriptorum, addit: *Fatetur hoc ipsum, Beda, & alii recentiores, Novatoribus exceptis, eò quòd Monachorum instituta summo odio prosequantur.* Ita quoque Cardinalis Bellarminus, & alii in sequentibus adducendi.

(i) vide infra c. 4.

(k) ibid.

nec non Ethnicis.

solis hæreticis exosi; quia monachi.

(a) De corruptel. verbi Dei c. 3.

(b) in Annal. ad an. 64.

264. Istorum assertio de Essenis, orthodoxæ, & sinceræ fidei, ac sublimis perfectionis, inconcussæ veritatis esse, Catholicus quilibet fateri cogitur, auctoritate Ecclesiæ, ex S. Hieronymo (c) hæc in Canonico Officio Divino, ad diem XXV. Aprilis approbantis: (d) *Marcus discipulus, & interpres Petri . . . primus Alexandriæ Christum annuncians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo, disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem Gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit*, scilicet, *de vita contemplativa*, in quo accuratè tractat de Essæis seu Essenis, & eorum Monastica, sanctissimaque conversatione, præsertim in Ægypto circum Alexandriam prope stagnum MARIAM: De illis etiam tractat in alio libro: *Quod omnis probus, liber*: & ex illis hic proximè nonnulla delibantur.

Ecclesiæ testimonium de Essenis.

(c) lib. de Script. Eccles.

(d) festo S. Marci lect. 5. & 6.

265. Sed cur contrà apertissimam veritatem, Essenorum sanctam & admirabilem vitam non tantùm à Patribus, & Historicis Christianis, sed & ab ipsis Judæis, & Ethnicis, litteris commendatissimam, hæretici sic canino dente impetunt? Rationem habes ex dicto Carione, ob *stultam & crassissimam Monachatûs superstitionem* (vivendo scilicet in castitate, & bonorum abdicatione, seu voluntaria paupertate) En qualibus titulis Religiosam Monasticam vitam (& consequenter SS. Antonium, Basilium, Martinum, Augu-

Augustinum, Hieronymum, Gregorium magnum, & alios viros sanctissimos innumeros, vitam illam professos) afficiant: fel ex melle conficientes: Esseni superstitiosi; quia casti, & voluntariè pauperes. Sed an non talem vitam egit Christus, & Apostoli, omnia relinquentes, & inter se communia habentes? Ista hîc obiter. Igitur ad retundendam magis similium hominum impudentiam tàm manifestam; utilem Ecclesiæ operam præstandam credimus, declarare, & ad oculum ostendere, Essenorum pium sanctumque Institutum Monasticum, & consequenter Religiosæ Monasticæ vitæ ab Essenis ipsis sub veteri ac novâ Lege exercitæ, & per Ægyptum, atque alia loca propagatæ, antiquitatem, in primis Christianæ Ecclesiæ seculis mirum splendorem, etiam ipsos Judæos, & Ethnicos in admirationem rapientem, ut patescet ex ipsorum testimoniis hîc consequenter adducendis. Undè etiam istud subsidii habebitur, quòd ea simul juncta, & ordinatè digesta, erunt instar fundamentorum tractatûs hujus, dum ea hîc præmittuntur ante tractationem de origine, antiquitate, etymologia, sincerâ fide, & monachismo Essenorum; & quod (ut alioqui fieri oportuisset) eadem sæpiùs repetenda non erunt: sed ex illis inter se collatis, quasi unô obtutu perspicietur veritas, aut probabilitas dicendorum. Exordiemur autem à Philone, & Flavio Josepho, qui primi de Essenis scripserunt (inter Auctores qui quidem extant) deindè consequenter ex aliis, ferè ordine antiquitatis in suâ classe.

Ecclesiæ perutilis est declaratio sanctæ conversationis Essenorum.

CAPVT II.

Philo, Iudæorum disertissimus, Instituti admirabilis Essenorum encomiastes.

Philo Iudæus cur inter Christianos Scriptores referatur;

266. S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de S. Marco, inter alia sic meminit Philonis: *Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit.* Et infrà agens de Philone eadem repetit. Accinunt S. Epiphanius, Eusebius, Zozomenus, & alii plures infrà referendi, Philonem de Christianis scripsisse; sic & Venerabilis Beda, & Abbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, sub initium: *Philo,* inquit, *Iudæus, Alexandrinus, de genere Sacerdotum, à beato Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos idcircò ponitur: quoniam in suis opusculis plerumque in Christianorum laude versatur:* & indè quædam præcipua, de Essenorum Monastica conversatione, & sancta vita, hîc subsequuntur. Imprimis in libro *Quòd liber sit, quisquis virtuti studet,* sive *Quòd omnis probus liber* tractans de variarum nationum probioribus, virtutem sectantibus, tandem deveniens ad Palæstinam, & Syriam: *Nec Palæstina, Syriaque deest hoc genus hominum virtutem sectantium, cujus regionis non parvam partem populosa Iudæorum gens incolit. In his quidam nominantur Essæi, circiter quatuor millia, à sanctitate dicti; quia summâ religione Deo serviunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam: hi vicatim habitant, urbes fugiunt, propter familiaria civibus earum vitia.* Et infrà, de eorum paupertate, & vitâ in communi, absque proprio: *Penè soli hominum degunt sine prædiis, sine pecuniis, & propter vitæ institutum divites habentur magis, quàm ob rerum copiam, frugalitatem non vanâ existimatione ducentes esse quæstum maximum.* Deindè recenset eorum virtutes præcipuas: *Pietatis erga Deum argumenta præ se ferunt plurima, castitatem in tota vita perpetuam, à jurejurando mendacioque abstinentiam, & quod ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque sibi esse cordi satis declarant, dum pecunias, honores, voluptatesque contemnunt fortitèr, vivuntque continenter in laboribus complexi frugalitatem, simplicitatem, facilitatem, modestiam, legum reverentiam, constantiam, & id genus cætera. Charitatem porrò eorum erga homines indicat benevolentia, mira dictu æquabilitas, & omnium rerum societas, de qua non intempestivum fuerit, nunc paucis dicere. Patent eorum sodalitia hominibus etiam advenis idem institutum servantibus. Omnibus unum est promptuarium, undè vestitus & mensa communis sumitur. Si qui valetudinarii nequeunt victum quærere, non negliguntur, paratum habentes è publico infirmitati subsidium, quod securè sustentant ex communi copia. Senioribus juniores debitam curam, honorem, reverentiam exhibent tamquam germani Filii.*

quia scripsit de Essenis Christianis, monachis,

& eorum conversatione monastica,

ac virtutibus præclaris,

omnia illis communia:

267. In libro *de vita Contemplativa* de Essæis contemplativis (quos inter & practicos quæ fuerit differentia pandetur in sequentibus) sic prosequitur: *Postquàm de Essæis disseruimus, qui vitam activam exercent omnibus, aut quod minùs invidiosum dictu est, plerisque feliciùs: ordo postulat, ut deinceps dicamus quæ dicenda sunt de contemplationi deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratiâ, sicut Poetæ. Scriptoresque solent, destituti verâ honestâque materiâ, sed simplicissimè veritatem sectando, quam vix ulla eloquentia potest assequi. Conabimur tamen & operam ei navabimus pro viribus: non debet enim hujusmodi virorum virtus eximia causam præbere silentii.* Et infrà de locis quæ inhabitant: *Extra mœnia degunt in hortis, aut villis solitariis, amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cavendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò ut absoluta probitatis receptum à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circùm Alexandriam: ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum tamquam in hujus generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam in terreno colle acclivi leniter, tutum simul & laudatum ab aëris temperie.* Et paucis interjectis de eorum domiciliis: *Domicilia verò*

de locis quæ incoluerunt:

præcipuè fuerunt circa Alexandriã ad stagnum Mariam:

verò convenarum sunt admodùm frugalia, parata contra æstum tantummodò & frigora; non contigua ut in urbibus; non enim placet id amantibus solitudinem: nec tamen longè remota; quia societatem diligunt.

268. Deindè agit de eorum exercitiis: *Singuli autem habent sacras ædiculas, quas* SEMNEA *vocant, sive* MONASTERIA, *ubi solitarii sanctæ vitæ mysteriis dant operam, nec cibi potusvè quicquam eò inferunt, aliudve in usum corporis, sed legem tantùm & prophetarum oracula divinitùs prodita, hymnosque, & quædam alia pietati, scientiæque promovendæ utilia: itaque perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur quàm imagines divinarum pulchritudinum: & sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias. Quotidiè bis precari solent, manè ac sub vesperam, oriente sole petentes diem verè felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente verò, ut anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico. Medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina, dant operam Philosophiæ per manus accepta à majoribus, scrutando ejus allegorias.* Illam vitæ rationem habuerunt à Filiis Prophetarum, de quibus in *Speculo Carmelit. num.* 59. 60. & *seq.* & *num.* 207.

pia eorum exercitia quæ fuerint:

269. Consequenter Philo tractat de eorum temperantia, & frugali victus ratione: *Temperantiâ, tamquam fundamento in anima jacto, virtutes cæteras superstruunt. Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quod sapientiæ studium luci convenire judicent, tenebris verò curam corporis; ideò totos dies alteri, alteri verò exiguam noctis partem tribuunt, nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam: nec desunt qui prælautè accepti epulo sapientiæ copiosè præbentis sua placita perdurant duplum ejus temporis, & vix sexto die degustant cibum necessarium, assueti sicut cicadæ rore vivere, canticis opinor solantes inediam, septimum verò diem ut festum sacratumque honore dignantur eximio, quo post curam animi corpus quoque reficiunt, sicut jumento relaxantes laborem continuum. In cibatu utuntur pane simplici, salvicem supplet obsonii: qui delicatiores sunt hyssopum pro condimento adjiciunt: potum è fluentu hauriunt, contenti placare dominas à natura mortalibus additas, famem sitimque, absque omnibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet vivere; edunt igitur ne esuriant, bibunt ne sitiant, saturitatem cavendo ut inimicam animo pariter ac corpori: & quoniam tegminis quoque duæ sunt species, vestis tectumque, de ædibus jam dixi, esse incultas, & extemporaneas, factas ad præsentem usum tantummodò, in veste autem eadem apparet simplicitas, ad arcendos calores & frigora.* Et ista hactenùs ex Philone, nonne sunt veluti perfectæ vitæ monasticæ norma, & regula? Philo Essenorum Institutum nuncupat *Philosophiam.* Sic passim apud veteres Scriptores nominatur vita Monastica: sic & Religiosi, ac Monachi dicuntur *Philosophi* prout latiùs hìc suprà *Tractatu* 1. *cap.* 3. (a) Scripsit quoque Philo *Apologiam pro Iudæis:* de qua S. Hieronymus *in Catalogo* & Eusebius *libro* 2. *Historiæ cap.* 18. undè plura desumpserunt ipse Eusebius & Serarius (b): & inter cætera ista: *Innumerabiles eorum qui clari sunt, ad vitæ communitatem reliquit Legislator noster: qui sanè vocantur Essæi, eâ nomenclatione à sanctitate.* Consequenter agitur de eorum castitate, abdicatione proprietatis, & exercitiis: quodque incolant vicos, atque etiam urbes Judææ. Istis verbis: *Innumerabiles &c. reliquit Legislator noster* scilicet Moyses, innuit satis Essæos Hebræos, & vetustos: de quo plura in sequentibus.

temperantia quam arcta, & austera victûs ratio.

(a) n. 51.

(b) in Trihæresi. c. 14

CAPVT III.

Iosephus Flavius Iudæorum Historiographus, Essenorum Instituta describit.

270. ABbas Trithemius (c) sic paucis describit, quis & qualis fuerit: *Iosephus Iudæus, natione Ierosolymitanus, religione Sacerdos... Philosophus, Rhetor, temporumque scriptor insignis... Qui etsi Iudæus permanserit; genus tamen Christianorum sæpè laudavit,* nempè scribens de Essenis, quorum institutum variis locis celebrat: & quidem *libro* 2. *de bello Iudaico capite* 7. ait: *Tria sunt apud Iudæos genera philosophiæ: horum unum Pharisæi profitentur; alterum Sadducæi, tertium verò, quod etiam probabilius habetur, Esseni colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore conjunctissimi: & qui, præter cæteros, voluptates quidem quasi maleficia vitarent: continentiam verò servare neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt.* Esseni igitur cœlibem, castamque vitam ducebant. Consequenter agitur de eorum voluntariâ paupertate, & cultu corporis: *Quin & divitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque invenias alteri alterum opulentiâ præstare: legemque sibi dixerunt, ut qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareret: sed permixtis facultatibus, velut inter fratres, unum esset omnium patrimonium. Squalorem decorem putant, dummodò semper in veste sint candida. Designatos autem communium rerum procuratores habent. & ad usus omnium singulos indivisos.* Et infrà: *Nec verò vestitum, sive calceos mutant, nisi aut omninò conscissis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.* En eum castitate conjunctam abdicationem proprietatis, paupertatisque professionem, & usum vestis candidæ.

(c) lib. de Scrip. Eccles.

Iosephus Iudæus scripsit de Essenis, monachis orthodoxæ fidei.

de eorum voluntaria paupertate,

& bonorum communione,

veste candida,

ac pietate, silentio, aliisque virtutibus;

Deindè tractatur de eorum erga Deum pietate, & cibi parcimonia, silentio, obedientia, & erga proximos charitate, ac studio sapientiæ: *Præcipuè circa Deum religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur. Ad quas venerunt singuli artes, à curatoribus dimittuntur . . . Velut in quoddam sanctum Templum in cœnaculum conveniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis cocus apponit. Deindè voce cibum sacerdos antevenit: neque gustare quemquam fas est, nisi priùs Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandii vota repetunt. Nam & cùm incipiunt, & cùm desinunt, quasi datorem victûs, Deum laudibus canunt: tunc veluti sacris illis depositis vestimentis, in opere usque ad vesperam versantur. Similiterque indè reversi cœnant, consedentibus etiam hospitibus, si quos fortè intervenisse repererint. Neque verò clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat: quum etiam loquendi ordine aliis alii cedant: eorumque silentium, extrà tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile.*

271. Posteà etiam describitur tempus, & modus probationis ac professionis per adjurationes, seu promissiones, seu vota jurata: *Per annum integrum extrinsecùs commoranti cuique eumdem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cùm verò processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum: & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat: neque tamen in convictum assumitur. Post ostensionem quippè continentiæ, duobus annis aliis mores ejus probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demùm in consortium assumitur. Priùs verò quàm incipiat communem habere cibum, magnis exsecrationibus adjurat se primum quidem colere Deum, deinceps quoque erga homines servare justitiam, & neque propriâ sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse: quin imò iniquos omnes odisse, & collaborare semper justitiæ sectatoribus, fidem omnibus servare, maximè verò Principibus.* Ibi consequenter refertur, Essenos in judiciis diligentissimos, atque justissimos, quodque vivant quam longissimè, ita ut plurimi eorum usque ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem victûs, & institutionem benè in omnibus ordinatam. Eorum deindè laudatur constantia, & invictus animus, pro observantia legum. Et refertur quosdam eorum etiam prophetico spiritu illustratos: *Sunt autem ex eis qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris, & variis sanctificationibus, prophetarumque dictis à primis ætatibus adhærentes.* Hactenùs relata, sunt de Essenis qui cœlibem vitam in castitate ducunt. Deindè de alio genere agitur Essenorum qui matrimonio juncti sunt: *Est autem* (inquit Josephus) *aliud etiam Essenorum collegium, cibos quidem, & mores legesque similes cum prioribus habens, distans verò opinione de conjugio.* Et isti erant prout modò Tertiarii Ordinum Religiosorum. Alii autem castitatem perpetuam servabant.

de probatione tyronum,

veste eorum alba,

professione post triennis probationem:

inter eos prophetiæ spiritu donati:

erantque Tertiarii aliqui.

272. De iisdem Essenis agit quoque *lib.* 18. *Antiquitatum Iudaicarum c.* 2. ubi ista: *Iudæi patriæ sapientiæ studiosi jam indè à multis retro seculis in tres sectas erant divisi, Essenorum &c.* (Secta, idem est quod institutum, seu dogma). Et infrà: *Miranda etiam est eorum justitia, quâ omnes Græcos, & Barbaros longè superant, multis jam seculis triti in ejus continuis studiis. Facultates in commune possident, nec aliquis dives magis utitur suis bonis, quàm quivis nihil possidens. Atque hoc instituto vivunt virorum supra quatuor millia, nec uxores habentium, nec servos.* Si uxores non habebant, vitam igitur cœlibem ducebant. Ista: *à multis retro seculis, & multis jam seculis triti* innuunt Essenorum antiquitatem, & aliquot seculorum existentiam ante tempora ipsius Josephi. Idem Iosephus *libro* 15. *Antiquitatum cap.* 13. agens de Herode: *Essenos autem ex hac causâ sic honorabat, quia majus quoddam de his sentiebat, quàm de mortali naturâ dignum puto. Nam non inhonestus sermo videbitur, in historiarum genere de his talibus intimare. Quidam Essenorum nomine Manachemus fuit per omnem vitam benignâ voluntate probatus, præscientiam à Deo futurorum habens.* Alia versio habet: *Nunc prætereundum non videtur nec alienum à propositâ historiâ, cur Religiosam de his opinionem Rex habuerit. Erat quidam Essenus Manahemus nomine, cùm alias vita honesta & probata hominum testimonio, tum verò divinitùs etiam concessum habens donum fatidici spiritus.* Alia quædam pro asserenda Essenorum antiquitate ex eodem Iosepho adferentur in sequentibus. Iosephus alter, etiam Iudæus, nuncupatus Gorionides variis in locis laudabilitèr scribit de Essenis.

de antiquitate, seu duratione eorum per multa secula.

Herodes Essenos singulariter honorabat ob divinas eorum virtutes.

Manahemus Essenus spiritu prophetico insignis.

273. Sed an non mirum id videtur, Philonem, & utrumque illum Josephum tam studiosè de Essenis scripsisse, eosque encomiis magnis celebrasse? Rationes accuratè indagat, & maturè expendit Lezana *Tom.* 2. *Annalium Carmelitarum* (a) ubi (inter cætera) hæc: *Asserendum, Philonem, etsi Hebræum, Christianos Essenos laudibus concelebrasse, propter duo, quæ nec extranea omninò Iudæorum genti erant, quin potius aliqualiter in eorum sectæ commendationem cedebant. Primò quidem, quia Esseni illi, etsi Christo nomen dedissent, Iudaicos tamen ritus, quatenùs religio Christiana eo ævo tolerabat, retinebant. Secundò, nam illi non solum veterum Essenorum, qui ex Iudæa orti fuerunt, instituta observabant (ut dictum est) sed insuper natione Iudæi, & ex Iudæis oriundi erant, ut habent Eusebius lib.* 2. *c.* 16 *Sozomenus* (b), *Georgius Peccator* (c); *Cedrenus* (d), *Nicephorus* (e), *& alii. Fuisse autem in Ægypto, & Alexandriâ eo tempore Iudæos, nullus mirari potest; cùm constet ex Act. Apost.* 2. *v.* 10. *eo an. quo Christus mortuus est, & resurrexit, convenisse Ierosolymam pro festo Pentecostes celebrando inter Iudæos diversarum Provinciarum, etiam ex Ægypto. Causam porrò hujus dispersionis Iudæorum assignat noster Ioan. Ierosolymitanus* (f) *persecutiones, quas passi sunt ab Antiocho Rege, & aliis.* Ista ibi consequenter declarat, & confirmat auctoritatibus Patrum.

Philo, & Josephus cur scripserint de Essenis.

(a) in Appar. c. 3. n. 13. & seq.

(b) in Tripart. l. 1. c. 11.

(c) in Chron. sub Claudio.

(d) Ibid.

(e) lib. 2. c. 16.

(f) in lib. de Instit. Monach. c. 30.

CAP.

CAPVT IV.

Plinius, Solinus, Porphyrius Ethnici, admiratores, & laudatores Essenorum.

274. PLinius (qui claruit tempore Vespasiani Imperatoris, cui suum opus dicavit) *libro* 5. *Historia naturalis cap.*17. describens regionem Terræ sanctæ circa Jordanem & Jericho (ubi fuerunt mansiones Filiorum Prophetarum, & Eremit. Carmeli) de *Essenis* subdit: *Ab Occidente littore Esseni fugitant, usque qua nocent* *: *gens sola, & in toto orbe præter cæteras, mira: sine ullâ fæminâ, omni venere abdicatâ, sine pecuniâ, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur largè frequentantibus, quos vitâ fessos ad mores eorum fortuna fluctus agitant. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in quâ nemo nascitur; tam fæcunda illis aliorum vita pænitentia est. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Ierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum.* Lezana To.2. *Annalium* (a) adductis præfatis Plinii verbis subdit: [Hæc Plinius, discussione dignus eò etiam quòd auctor in veritate inquirendâ diligentissimus, & studiosissimus prædicetur .... Expendendum primò, hæc Plinium scripsisse de gente sibi coëva, suo tempore superstite, ac vigente; Romanisque notâ, qui proximè totam eam Judæorum Regionem pervaserant, invaserant, occuparant, ut patet ex verbis *fugitant, renascitur, agitat, est*, quæ sunt temporis præsentis, quibus clarè innotescit, eâ tempestate quâ hæc scribebat, hanc Essenorum gentem vixisse. Deindè cùm solum agat de Essenis Palæstinæ, & Judææ, proculdubio fatendum, præter Essenos Alexandrinos, à D. Marco, in fide, & monachismo Legis novæ institutos, etiam istorum Palæstinorum rationem habendam. Ipsorum autem vetustatem etiam hyperbolicè insinuatam habemus illis: *Per seculorum millia & gens æterna*... Ad hæc, hosce Palæstinos Eliani Instituti cultores fuisse abundè indicatur illis: *Infra hos Engaddi oppidum fuit.* Etenim Engaddi habitationem fuisse Prophetarum Elisei discipulorum, clarè habetur ex Gilberto Genebrardo, & Ziegleró & aliis] Hæc ferè ibi Lezana.

Plinius paucis complexus vitam, Essenorum Palæstina.

* alia lectio habet: [Ab Occidente littora Esseni habitant: hos fugitant usquequaque nocentes.]

(a) ad An. Christi 77. n. 3.

275. Cajus Solinus (qui sub Trajano Imperatore celebris habebatur) *in Polyhistoria cap.*36. ista de Essenis commemorat: *Interiora Iudææ Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplinâ, recesserunt à ritu gentium universarum, majestatis (ut reor) providentiâ, ad hunc morem destinati. Nulla ibi fæmina. Venere se penitùs abdicarunt. Pecuniam nesciunt. Palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen ibi defecit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est. Ad quem plurimi licèt undique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel levis culpæ, quamvis summâ ope adipisci ingressum velit, divinitùs summovetur. Ita per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperiis.* En ab homine Ethnico traditum summarium religiosæ Monasticæ vitæ in observantiâ castitatis, & paupertatis, seu abdicationis proprietatis, vitæque arctioris, nec non probationis novitiorum.

Cajus Solinus sublimem Essenorum vitam compendio tradit.

276. Porphyrius *libro* 4. *de abstinentia*, tractans de Essenis, hæc inter cætera, de illis: *Conjugium non amplectebantur, sed omnem voluptatem aversabantur tamquàm malum, virtuti sibi ducentes esse temperantes, neque vinci passionibus. Interim acceptos aliorum liberos adhuc teneros & molles ad disciplinam suis instruunt moribus, non minus ac si ipsorum essent.... Opes despiciunt, suspiciunt communionem rerum, & non invenias apud illos unum, qui altero plus habeat. Siquidem regula ipsorum exigit, ut statim ac quis hoc institutum arripit, substantiam in commune tradat, ita ut nullus egestate projectus, aut divitiis apud illos erectus sit. Omnibus itaque permixtis omnium una quasi fratrum substantia sit. Perpetuum candidæ vestis usum honori ducunt... Si quis hanc sectam amplecti velit, non statim admittitur, sed foris expectare per annum debet, sub eadem diatâ, porrectâ ipsi dolabellâ, ligone, zonâ, & albo habitu... Peracto itaquè novitiatu, priusquàm novus Dei cultor ad communem mensam admittatur, per professionem debet se constringere juramentis terribilibus, se sequentem regulam servaturum.* Alia quædam ex eodem apud S. Cyrillum habes hic infrà. Sed cur tam accuratè Plinius, Solinus, Porphyrius Ethnici agunt de Essenis, utpotè alterius Religionis? Tanta erat Instituti eorum perfectio, sublimitas, & sanctitas, ut istud vivendi genus omnes in ejus admirationem raperet, *ipsisque Ethnicis esset venerandum, & impiis etiam hæreticis reverendum*, uti loquuntur Philo, Eusebius Cæsariensis, Cardinalis Baronius, & alii relati *cap.* 1. & adducendi in sequentibus. Ita quoque Abulensis (a) scribens de Essenis: *Isti, inquit, erant valde laudabiles; undè non solum Iudæi, sed etiam gentiles illos valdè laudabant.*

Porphyrius abstinentiam aliasq; virtutes Essenorum deprædicat,

peculiariter bonorum communionem, & vestis albæ usum.

Ethnicis venerationi erant Esseni, ob sanctitatem.

(a) Abul. in cap. 3. Math. q. 63

CAPVT V.

Græci Historici continuatâ mille annorum serie Essenorum sanctam Monasticam conversationem prosecuti.

277. DE Essenis hactenùs ex Scriptoribus Iudæis & Ethnicis; nunc quid de eis scribant, & sentiant Christiani, audiamus. Eusebius Cæsariensis Episcopus (qui floruit tempore Constantini Magni anno Christi 326.) peculiariter de Essenis tractat in suo opere DE EUANGELICA PRÆPARATIONE (b): *Horum* (Essenorum) *disciplinam omnes, qui noverunt, vehementer admirati sunt: Iosephus verò atque Philo Iudæi perpetua memoria vitam commendarunt.* Esseni igitur, sive Essæi, de quibus Philo, & Josephus, iidem

(b) cap. 4.

(a) Eccles. hist. l. 2. c. 17.

iidem sunt, ut latiùs infrà. Idem Eusebius (a) agens de Philone, ejusque libro, quem *de vita contemplativa, aut deprecantibus* inscripsit, (in quo ipse Philo tractat de Essæis) de illo, & ex illo, de Religiosis in primordiis Ecclesiæ Christianæ, ab ipso Philone, & aliis, *Essæis*, seu *Essenis*, atque etiam *Therapeutis*, hoc est *exercitatoribus* nuncupatis, sic inter alia: *Hoc tamen cum primis testatur, quòd facultatibus suis renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint hi qui philosophari cœpissent: deindè & a cunctis vitæ hujus curis abstinuerint, relictisque muris, in agris & hortis solitariè conversati sint. Consortia eorum qui disparem sequebantur vivendi rationem, tamquam inutilia, quin & noxia, illis, qui tum temporis hoc, ut par erat, agebant, ut alacri ferventique fide eos imitarentur, qui Propheticam vitam ducebant.* Et infrà: *In singulis autem sacrum domicilium est, quod* SEMNION, *&* MONASTERION *vocatur: in quo manentes honestæ, ac sanctæ vitæ mysteria celebrant, nihil illò inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quidquam eorum quæ ad corporis sunt sustentationem necessaria, sed leges, & Oracula Prophetarum, & hymnos, ac reliqua hujusmodi quibus scientia, ac pietas augescunt, & consummantur.* Et aliquantò post: *Sacras quippe Scripturas legentes philosophantur, ac patriam philosophiam allegoricè tractant. Etenim putant ea quæ in manifesta sunt scripturarum expositione, quædam esse abscondita naturæ symbola per figuras significata.* Et post alia: *Itaquè non modò divina contemplantur, sed & cantica, & hymnos ad Deum sacratioribus omnis generis metrorum & carminum rythmis graviter construunt.*

Eusebius Cæsariensis luculenter tradit Essenorum piam monasticam conversationem.

278. Ibi consequenter asserit Philonem ista scripsisse de Christianis, Religiosis, seu Monachis primitivæ Ecclesiæ: *Illa*, inquit, *visa sunt necessariò deligenda, per quæ certas Ecclesiasticæ conversationis notas posuit.* Id magis urgendo subjungit: *Quòd si cuipiam ea quæ dicta sunt non propriè ad Euangelicam pertinere politiam sed & aliis præter dictos cultores adaptari posse videntur, credat saltem his illius verbis quæ subiciemus, ex quibus indubitatum, si æquo sit animo, hac de re testimonium reportabit. Sic enim scribit: continentiam autem primùm tamquam fundamentum quoddam in animo collocant, deindè & alias virtutes superstruunt.* Consequenter refert pias eorum vigilias, per majorem noctis partem, admirabilem abstinentiam, ita ut non nisi semel in die sub vesperam cibum sumant, aliqui etiam triduo abstineant, nec non studia sacrarum litterarum de quibus peculiariter ista: *Interpretationes autem sanctarum scripturarum allegoricæ illis, ac figuratæ sunt. Videtur enim viris istis universa legis Scriptura animanti similis esse, ita ut superficies verborum corporis, sensus verò in verbis reconditus animæ sit loco, quem ipsorum religio præcipuè quasi per speculum nominum eximiam sententiarum pulchritudinem relucentem observans contemplari cœpit.* Tandemque (post alia ipsorum sancta exercitia & ritus) concludit: *Quòd igitur Philo illic de primis Euangelicæ doctrinæ præconibus, & ritibus, olim ab Apostolis traditis, disserens ista scripserit, cuivis manifestum est.*

Esseni monachi orthodoxi in Ecclesia primitiva.

Eadem de Filiis Prophetarum vide in Speculo Cap. 10. num. 207.

279. Ista aliquantò prolixiùs hîc producta sunt, quòd quasi uncialibus litteris denuntient eosdem, seu ejusdem Instituti esse istos Religiosos (quos ipse *cultores*, & *Propheticam vitam ducentes*, & Philo *Essæos* ac *Therapeutas* nuncupat) cùm illis, de quibus scribit Joannes Ierosolymitanus in libro *de Institutione primorum Monachorum*. Dicit enim Eusebius eos *Propheticam vitam ducere*, & *capite* 3. *ejusdem libri* ad hoc propositum scribit: quod *apud Antiochiam quamplurimi ab Ierosolymis Prophetæ comparerent* (seu ut alia versio, quâ usi fuerunt Palæonydorus, Lezana & alii, ac impressio Basilææ facta: *Viri prophetici Ordinis quamplurimi*). Porrò ibi per *Prophetas quamplurimos* intelligi non possunt *Prophetæ* strictè dicti, id est futura prædicentes, qui semper pauci fuerunt, sed *vitam propheticam* à Propheta Elia institutam, & ab Eliseo, & Filiis Prophetarum continuatam, duxisse. Identitatem illam testantur quoque eadem omnia exercitia horum & istorum, Oratorium nuncupatum *Semnion*, vestis candida, tum inter Filios Prophetarum tum inter Essæos, atque alia, de quibus specialiter hîc infrà cap. XV.

iidem sunt instituti ejusdem cum Filiis Prophetarũ.

280. Sozomenus, Eusebio posterior uno seculo, Ecclesiasticam etiam scripsit, seu continuavit historiam, in qua *libro primo cap.* 12. (cujus titulus est, *de conversatione, exordio, & auctoribus Monachorum*) scribit: *Maximè verò Ecclesiam conversationis suæ virtutibus illustrissimam reddiderunt, & doctrinam Christianam extenderunt hi, qui monasticam politiam exercuerunt.* Et infrà tales fuisse Essenos ait: *Optimam hanc philosophiam orsus quidem est, sicut quidam dicunt, Elias Propheta & Ioan. Baptista. Philo verò Pythagoricus, præclaros Hebræorum viros suis temporibus undique collectos, loco quodam ad lacum* MARIAM *in colle adjacenti Philosophatos esse scribit: habitationem verò eorum, & victum & conversationem talem describit, qualem & nos jam apud Monachos in Ægypto conversantes videmus.* Et post alia: *Et Philo quidem ad hunc modum scribens Hebræos significare videtur, qui ipsius temporibus Christianismum amplexi, plùs æquo Iudaicè conversabantur, & gentis suæ ritus observabant.* Istis innuitur Essæos, de quibus Philo, sectatos fuisse Institutum Monasticum à S. Elia inchoatum, & à S. Ioanne Baptista practicatum: & quòd Institutum istud Essenorum perstiterit adhuc in Ægypto, quandò ista scribebat Sozomenus, videlicet seculo quinto: ejusdemque Instituti sectatorem, & illustratorem fuisse magnum Antonium capite sequenti satis declarat his verbis: *Sive autem Ægyptii, sive alii quidam initio philosophiæ isti præfuerunt, illud apud omnes in confesso est, magnum illum Antonium Monachum excellenter diligentia ac perfectionis moribus competentibusque exercitiis istam vitæ conversationem exercuisse.*

Sozomenus quæ scribat de Essenis.

Esseni monachi Ecclesiam illustrissimam reddiderunt:

posteri S. Eliæ.

S. Antonius Essenus.

281. Phocius Constantinopolitanus Episcopus circa annum Christi 858. in opere

suo

suo inscripto *Bibliotheca*, Essenorum Institutum monasticum sic commemorat. *Lecta & eorum vivendi ratio, qui Philosophicum vitæ genus apud Iudæos, sive contemplando, sive agendo, sectati sunt. Hi Esseni, illi Therapeutæ appellabantur. Ac proximi quidem non monasteria tantùm atque σεμνεῖα ædificarunt, sed etiam vivendi normam iis, qui nunc solitariam degunt vitam, præscripserunt.* Suidas (qui vivebat circa annum Christi 970.) Essenorum originem, & vitæ rationem his tradit verbis: *Essæi Iudæi Ascetæ, majores Ionadabi, Filii Rechab illius Iusti, inter sese amantes, voluptatem ut vitium aversantur, temperantiam verò & continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem, virtutem putant: conjugium apud ipsos despicitur, alienos filios adhuc juvenes assumunt, & docent, & suis moribus informant, omnem turpitudinem abjiciunt, & cæteras omnes virtutes exercent: in contemplatione plerùmque perseverant, undè Essæi vocantur hoc est contemplatores.* Jonadab ille discipulus fuit S. Elisei Prophetæ, à quo hausit ipse quem Rechabitis tradidit, Religiosum Monasticum vivendi modum: de quo plura in Speculo Carmelitano (a). Georgius Cedrenus aliquantò posterior (circa annum Christi 1050) *in Compendio historiarum* tractans de rebus gestis tempore Claudii Imperatoris, agit quoque de Essenis, quorum originem similiter refert ad Ionadabū filium Rechab: *Essenorum*, inquit, *secta, Scribarum & Pharisæorum justitiam, magno post se reliquit intervallo. Ii à Ionadabo Rechabi filio genus ducentes &c: Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam .... Divinô nutu, atque gratiâ etiam futura prævident.* Et scribens de Philone: *Is enim nostrorum, quos ab exercitatione bonorum operūm Ascetas vocabant, probans vitam, mirum in modum laudibus extollit, ac magnificat Apostolicos suæ ætatis viros.* Georgii alterius, etiam Græci, cognomento Peccatoris, testimonium de Essenis adductum est hîc suprà *cap.* 1.

Essæi, id est contemplatores.

(a) To. 1. num. 161. 162. 163.

282. Nicephorus Callistus, Historicus Græcus quoque, circa annūm Christi 1350. *libro 2. Ecclesiasticæ Historiæ capite* 15. cum retulisset, S. Marcum primum in Ægypto Euangelium prædicasse, & Monasticen ibi instituisse, subjungit, quòd *exercitii, studiique eorum philosophiam, institutum, mores, vitam, rationemque conversationis omnem, in scriptum retulerit, in utroque philosophiæ genere celeberrimus Philo: quem ad colloquium Petri, Romæ divinum verbum concionantis, famâ est pervenisse.* Capite autem sequenti, cujus titulus est: *Qualia sapientissimus Philo memoriæ prodiderit de eis, qui primum in Ægypto Christi philosophiam professi sint, & exercuerint.* Sic (inter alia): *Quapropter scriptum id, canones, & regulas, quæ etiam nunc in Ecclesia servantur, liquidò continet* (videlicet Regulas Monasticas omninò similes iis, quas de Essæis refert Philo). *Inscriptio autem libri est, & titulus*, De vita contemplatrice, *sive* de supplicibus. *Eos autem qui vitam ejusce modi amplexi essent*, θεραπευτάς, *hoc est, cultores seu curatores vocat. Vel quòd ita tum appellarentur, nondum Christianorum nomine latè diffuso: vel propter purum sincerumque Dei cultum: vel quòd tamquam medici exercerent, curarent, atque colerent eorum qui ad eos venissent, animos, omni eos vitiorum perturbatione liberantes: vel aliam quamcumque ob causam; neque enim de eo contendere necessarium est. Hos à principio, quùm Christianâ philosophiâ initiarentur, dicit, rem familiarem facultatesque suas relinquere solitos esse: ac deindè nuncio omnibus vitæ hujus curis & sollicitudinibus remisso, extrà muros in semetis aliquibus agris & hortis, aut etiam montibus, versari, atque vivere, dissimiliumque omnium consuetudinem, tamquam perniciosam, aversantes, vitam propheticam flagranti atque ferventi fide meditari, atque æmulari.* Ibi notanda verba illa: *Vitam propheticam flagranti, atque ferventi fide meditari, atque æmulari.* Quæ enim est hæc *vita Prophetica*, quam æmulabantur Esseni, nisi ea, quam SS. Prophetæ Elias, Eliseus, eorumque discipuli Filii Prophetarum colebant. Et hactenùs quidem continuatâ serie per mille annos successivè de Essenis Historici Græci: quorum aliqui etsi hæresis fuligine tincti, aut de ea suspecti fuerint: illa tamen quæ de historiis scripserunt, & erroribus involuta non sunt, ab omnibus passim recipiuntur.

Nicephorus Callistus fusè tractat de Essenis:

Essenorum canones in Ecclesia retenti:

Esseni cur dicti cultores, & curatores.

vitam propheticam à S. Elia inchoatam æmulantes.

CAPVT VI.

Patrum, & Scripturæ sacræ Interpretum asserta de Essenis.

283. IN opere, quod inscribitur *Constitutiones Apostolicæ* (& tribuitur S. Clementi) *libro* 6. *cap.* 6. ubi agitur de erroribus Saducæorum, Pharisæorum & aliorum, subjungitur: *Ab his omnibus segregaverunt se Essæi, qui patrios ritus servant, ..* Esseni igitur Iudæi orthodoxæ fidei erant: exceptis nonnullis Samaritis. S. Hieronymus *libro ad Eustochium de servanda virginitate*; cœnobitas sui temporis, describens: *Tales*, inquit, *Philo Platonici sermonis imitator, tales Iosephus Græcus Livius in secunda Iudaica captivitatis historiâ refert*: eosdem faciens utriusque auctoris Essæos. Sed & *lib.* 2. *contra Iovinianum* æquè eos confundit, ubi sic habet: *Iosephus in secundâ Iudaicæ captivitatis historiâ, & in octavo decimo antiquitatis libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, & Essenos: quorum novissimos miris effert laudibus, quòd & ab uxoribus, & vino & carnibus semper abstinerent, & quotidianum jejunium verterint in naturam. Super quorum vita Philo vir doctissimus proprium volumen edidit.* Ubi nota *volumen proprium*: ut ne quid dubitetur illud esse *De vita contemplativa supplicum.* Cùm enim eosdem esse cupiat Hieronymus, de quibus Philo in isto libro & de quibus Iosephus; necesse est intelligere primò Essæos origine, hoc est, propheticâ lineâ convenire, ac superductam Apostolicæ

S. Hieron. testatur Philonem, & Iosephum Cœnobitarū Essenorum vitam descripsisse.

CAPUT IV.

Filiorum Prophetarum vita conventualis, & Exercitia Monastica alia.

Filii Prophetarum simul conventualiter habitabant.

249. QUòd Filii Prophetarum in communi vixerint, hoc est conventualiter, sub uno Superiore, satis liquet ex *capite 2. libri quarti Regum*, undè habetur, quòd in Galgalis, in Bethel, in Jerichò fuerint Collegia Filiorum Prophetarum, in quibus simul conventualiter habitabant, de quibus Collegiis ibi Cornelius à Lapide: *multa jam erant Collegia in Galgalis, Bethel, Jericho, Carmelo &c. ab Elia & aliis instituta, ideoque Elias ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, & aspero vita eremitica instituto confirmaret.* Idem confirmatur ex istis *capitis quarti libri 4. Regum* verbis: *Filii Prophetarum habitabant coram eo* scilicet Eliseo, patre & principe illorum omnium, & ex istis capitis 6. *Dixerunt autem Filii Prophetarum ad Eliseum: Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis.* Dicunt *coram te*, id est in uno loco coram te nos regente, docente, & dirigente, quasi nostro duce & magistro in religiosa vita. Ita Cornelius in illum locum, quod etiam simul vescerentur, & communi mensa uterentur, habetur ex *cap. 4. libri 4. Regum.* Et ista roborantur ex iis, quæ Philo & Flavius Josephus scribunt de Essenis Eliani Instituti sectatoribus, & continuatoribus (ut infrà declarabitur) qui simul habitabant in communi, sub uno Superiore, seu Curatore, *sine cujus præcepto nihil faciebant, & omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communia possidentur: nihil amplius inter illos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur.* Ita Philo de vita contemplativa, & Iosephus variis locis.

250. Cæteras quoque monasticas virtutes, solitudinem, sequestrationem à sæculari conversatione, silentium, fraternam charitatem, & pacem satis apertè exprimunt Sacræ Litteræ *Isaia cap. 32.* his verbis: *Iustitia in Charmel* (id est in Carmelo) *sedebit, & erit opus Iustitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Et Michææ 7. dicuntur *habitantes soli in saltu, in medio Carmeli.* Notanda singula: *Habitantes soli*, id est separati à vulgo: *in saltu*, id est in solitudine; saltus est locus incultus propter silvas; *in medio Carmeli*, ubi erat præcipua eorum mansio & caput Ordinis. Mansiones tamen etiam suas, & Collegia habebant in solitudine Iordanis, in monte Ephraim, (ut testantur libri Regum) & in locis solitariis aliis, sicut ex dictis hic ante *cap. primo*, habetur. Solitudo autem, & silentium illis conducebant quàm maximè ad orationem, meditationem, cœlestium contemplationem atque internam cum Deo conversationem: ut propterea identidem ingeminarent: *vivit Deus, in cujus conspectu sto.* Idem de Essenis tradit Philo Iudæus libro de vita contemplativa: *Solitarii*, inquit, *sanctæ vitæ mysteriis dant operam, Prophetarum oracula divinitùs prodita scrutantes, hymnosque personantes, & perpetuam Dei præsentiam habentes. Quotidiè bis precari solent, manè ac sub vesperam: medium verò temporis interstitium meditationi attribuunt.* Pariter etiam Psalmos & hymnos canebant, & eum in finem ter per diem, sed præsertim Sabbathis & in Calendis, ut ex mox dicendis patescet, conveniebant ad Ecclesiam, seu Oratorium, nuncupatum *Semnion*, sicut traditur in libro de institutione primorum Monachorum, & hæc etiam est ratio nomenclaturæ, qua dicebantur *Propheta*, & *Filii Prophetarum.* Propheta enim in Sacris Litteris quandoque idem est quod *psallens*, seu *Psaltes*, aut homo pius, justus & sanctus, Dei cultui specialiori modô addictus, vitam à mundô alienam agens: tales erant *Filii Prophetarum* collegialiter conviventes, & Deo pariter laudes canentes.

Exercitia eorum in solitudine & silentio.

Meditatio.

Psalmodia.

251. Interim etiam proximorum salutem non negligebant, illos ad pietatem excitando, & instruendo solemni suo cantu divinarum laudum, & Psalmorum, nec non Interpretatione Legis, & exhortationibus habendis, prout Doctores colligunt ex illis *capitis 2. libri 4. Regum* verbis: *Quamobrem vadis ad eum? hodiè non sunt Calenda, aut Sabbathum?* In quem locum ita scribit Abulensis (a). *Quaritur, quare dixit vir ad uxorem: hodiè non sunt Calenda, nec Sabbathum, in quo innuebat, quod in illis diebus haberet causam eundi ad Eliseum, sed non die illa. Respondendum, quod dies Sabbathi & Calendarum erat dies quietis, quia cessabant homines à laboribus: & tunc conveniebant multi ad Doctores Legis, vel ad viros sanctos, ut audirent ab eis doctrinam legis, vel verbum sacræ admonitionis. Sic enim erat Eliseus, ideo in diebus Sabbathorum & Calendarum conveniebant multi ad eum de locis convicinis ad audiendum verbum ejus. Et sic subintelligendum est, quod sæpè ista mulier ivisset ad audiendum Eliseum in monte Carmelo in diebus Sabbathorum vel Calendarum.* Plura ad hoc propositum habes hîc suprà tract. 3. de gestis S. Eliæ cap. 18. Quòd habitu Religioso, paupere à cæteris distincto usi fuerint, habetur ex istis S. Pauli *ad Hebræos cap. XI.* verbis: *Circuierunt in melotis & pellibus caprinis.* Quæ de S. Elia, ejusque discipulis dicta interpretantur Theodoretus, Theophylactus, Haymo, Cornelius à Lapide, & alii.

Cura salutis proximi.

(a) quæst. 30.

In Sabbathis & Calendis populum instruebant.

Habitus Eliæ & discipulorum pauper à cæteris distinctus.

252. Ex hactenùs dictis manifesta est veritas assertionis hujus S. Hieronymi, S. Isidori, Cassiani & aliorum, quòd *auctoritate Scripturarum monasticæ conversationis principes, & fundatores sint Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum*, exhibentes formam, idæam, prototypon obedientiæ, castitatis, paupertatis, asperitatis in victu & vestitu, denique etiam in labore manuali. (b) Inspice Scripturam, & videbis Filios Prophetarum sub magisterio fuisse Eliæ, atque Elisei, tamquam abbatum. Vide monasticam tenuitatem: *Cænaculum parvum, lectulum, mensam, sellam cum candelabro.* Quid congruentius euangelicæ paupertati? Victûs asperitatem habes

(b) 4. Reg. 2. & 6.

habes ex herbis agrestibus; ex quibus sua pulmenta coquebant. Denique ne otiosi essent, cædebant ligna, sibique construebant tabernacula. Quam omnem ascesim cum melotis, pellibus caprinis, ac ciliciis de pilis camelorum, teste S. Chrysostomo, (a) monachi ab iis, tamquam à prototypo, acceperunt.

(a) S. Chrys. hom. 69. in Matth.

CAPVT V.

Prophetici Eliani Religiosi Instituti continuatio & hæreditaria successio ex Scripturis & aliis rationum momentis demonstratur.

253. PRiusquàm Elias de hoc mundo transferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, suâ imminente translatione, monachos discipulos suos Filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis providere; qui eos omnes generaliter loco ejus regeret, & gubernaret. Propter quod descendentes ipse & Eliseus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & deinde in Jericho. Nam sicut prædiximus, in his locis habitabant viri religiosi Filii Prophetarum, Eliæ discipuli, quos ipse visitans commonuit, ut in proposito disciplinæ propheticæ, & vitæ monasticæ perseverarent, & ut de imminenti ejus corporali absentia tristes non fierent. Quibus visitatis, valefaciens perrexit cum Eliseo ad Jordanem. Cernentes autem Filii Prophetarum Jordanem miraculosè cessisse Eliseo, agnoverunt eum succedere Eliæ in duplici Spiritu prædicto. Propter quod ad invicem dixerunt: *Requievit Spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes* Filii Prophetarum *in occursum ejus adoraverunt eum proni in terrâ*, recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum patrem & magistrum, quem videbant habitu Eliæ & spiritu dotatum. Susceptò itaque Eliseus regimine propheticæ religionis per Eliam institutæ, sollicitus fuit cuneos monachorum Filiorum Prophetarum sigillatim visitare: quos cupiens consolari de absentia Eliæ; operabatur coram eis signa, & virtutes: tum ne in vacuum videretur gratiam Dei recepisse; tum ut per hoc eis ostenderet se gerere vices Eliæ; tum etiam ut sic eos solidaret in perseverantia vitæ monasticæ.

Successio continuata in Carmelo.

254. Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solùm exemplò suô, ibi habitando, sed & magnis miraculis. Ideo Eliseus & cæteri Eliæ discipuli religiosi viri Filii Prophetarum, nec non eorum tam veteris, quàm novæ Legis successores, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum aliis eremis, eorum religioni commodis, prætulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipuè, ad exemplum, & imitationem illius sancti viri, & solitarii Eliæ Prophetæ, prædicti religiosi secundùm formam per Deum Eliæ traditam, in justitia propheticæ vitæ monasticæ Domino Deo Israel devotâ mente jugiter servierunt: ubi religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis & speluncis, ac cavernis, atque cellis, continuè, & incessanter duxerunt juxta fontem Eliæ, ob ejus sanctitatem & loci devotionem, ac majorem servandæ vitæ eremiticæ opportunitatem. Ita Ioannes Ierosolymitanus. (a) De istis Eliæ posteris Isaias circa annum mundi 3409. ante Christi ortum 644. annis ferè trecentis post raptum S. Eliæ ista jam ante referri cœpta scribebat. *Habitabit in solitudine judicium & justitia in Carmelo sedebit: Et erit opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta.* Et Proph. Michæas circa annum mundi 3380. ante Christum 745. ducentis ferè annis post raptum S. Eliæ: *Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu: In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad juxta dies antiquos.* Ubi Propheta primò orat Deum, ne populus Monachorum montis Carmeli concludatur simili sententia desolationis cum Iudæis, sed pascatur, ut prius doctrinâ Religionis per Deum sub virga, id est, regula suæ directionis: ideo ait, *Pasce Domine populum tuum in virga tua*, de qua Psalmista: *Virga directionis, virga regni tui.* Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, specificat hunc solum dicens, *Gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu*: scilicet Carmeli. Deinde exponit Propheta qualiter *in medio Carmeli* pascerentur, dicens: *juxta dies* antiquos. In quibus scilicet *sub virga directionis regni Dei* pascebantur ab Elia in monte Carmeli, doctrina propheticæ vitæ monasticæ, secundum formam institutionis hujus Religionis per Deum creditam Eliæ.

(a) lib. de instit. mon. c. 21.

Confirmatur ex variis Scripturæ locis.

255. Propter istam posterorum Eliæ successionem in Elogio ejus dicitur: *Prophetas facis successores post te.* Quæ verba sic exponit suaviloquus Arnoldus Bostius. (b) *Ecclesiasticus dum inter Patrum laudes, fulgidum jubar Eliam, florem Prophetarum Carmelicolam, & Carmelitarum Patriarcham memorans, ait: Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Et subdit: Quis potest similiter gloriari tibi; qui Prophetas facis Successores post te? Quid aliud dicere voluit, nisi quòd suis Successoribus Propheticam Religionem primus tradiderit? nam teste Apostolorum principe; non voluntate humanâ est allata aliquandò Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Quomodo igitur Elias faceret Prophetas, id est, futura prædicentes, qui non voluntate humanâ, sed à solo sancto Pneumate fiunt?* In eumdem sensum verba illa exponit Ioannes de Carthagena (c) *Etenim licèt quidam interpretati sint hæc verba*) Prophetas facis Succes-

Verba illa: *Prophetas facis Successores post te*, exponuntur.

(b) lib. de Patron. B. V. M. c. 2.

(c) lib. 17. Homil. homilia 2.

sores post te) *ad Eliam dicta fuisse, eò quòd ex mandato Dei 3. Regum 19. Elisæum unxit, & sui Spiritus prophetici hæredem reliquit; germanus tamen sensus est, nomine Prophetarum non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis & canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes.* Consequenter ex illis verbis; *Prophetantes cum citharis, psalteriis*, &c. *Idithum in Cithara prophetabat super omnes confitentes, & laudantes Deum*, ostendit quòd in Scriptura *prophetare* quandoque idem sit, quod Deum in hymnis & canticis laudare, tandemque concludit: *Monachos ergo laudantes Deum vocat Successores Eliæ cum ait: Prophetas facis Successores post te.* Et certè per *Prophetas Successores Eliæ*, non intelligendos Prophetas propriè dictos satis evincitur ex eorum multitudine (vide hic suprà *cap.* 1.) *libro* 4. *Regum cap.* 4. referuntur centum Filii Prophetarum in uno loco coram Eliseo habitasse: *libro* 3. *Regum cap.* 18. dicitur Abdias *tulisse centum Prophetas, & abscondisse eos.* In quem locum Cornelius à Lapide, cum Lirano, & Cajetano scribit: *eos fuisse viros religiosos, qui abdicatis curis terrenis, seorsim simul habitantes, divinis laudibus insistebant, uti faciunt jam Cœnobitæ.*

Ex aliis scriptura locis Eliana successio confirmatur. Sed an non hic sunt ad propositum, etiam ista in actis Apostolorum cap. 2. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Et ista cap. 3. *Vos estis Filii Prophetarum*, ita quidem ea explicat vetustus Pater Joannes Jerosolymitanus (a): *Temporibus autem Baptismum Ioannis præcedentibus gens Iudæorum à diversis gentibus, & Regibus multas perpessa est captivitates, & dispersa in diversas gentium regiones.* Et infrà: *Ex his autem Iudæis natis in Regionibus illis, multi devotione tracti terræ promissionis tempore Imperii Tiberii Cæsaris, ad terram illam, cùm in pacis teneretur tranquillitate, remeantes, studebant religiosè illic vivere, copulantes se prædictis religiosis habitantibus in terra promissionis urbibus, & præsertim illis, qui manebant in Ierusalem. Quorum memoratus fuit beatus Lucas in Actibus Apostolorum, dicens: Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est, Habebant siquidem prædicti Religiosi tunc mansionem maximè in Ierusalem: quæ cum esset civitas insignis, & Metropolis Iudæorum, in qua cultus divinus præcipuè vigebat, reperiebant in ea plures devotos Iudæos, qui se ad eorum religionem convertebant. Quos postquam prædicti Religiosi in rudimentis disciplinæ propheticæ, & monastica vita erudierant, ad eremos transferebant.* Deinde idem Ioannes (b) declarat, quòd multi ex religiosis illis Filiis Prophetarum ad Christianismum conversi sunt in die Pentecostes. Deinde prosequitur, quomodo cæteri fuerunt conversi... *Vt autem vehementiùs religiosos attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem à Prophetis traxerant, dixit eis: Vos estis Filii Prophetarum.* Eadem sic interpretantur plures alii, præsertim Historici Carmelitani, peculiariter P. Lezana *tomo primo Annalium in Apparatu cap.* 7. & alibi; P. Wastelius *libro primo Vindiciarum sect.* 5. *art.* 2.

(a) lib. de instit. prim. mon. c. 34.

(b) eod. lib. c. 36.

§. 7. ubi circa illa: *Vos estis Filii Prophetarum.* Sub finem annotat: *Alioquin puto, quòd in universa Scriptura non reperies, ubi vocabulo Filiorum Prophetarum totus ipse intelligatur populus, vel non ipsa posteritas Sanctorum Eliæ & Elisei.*

256. Iam dicta corroborant etiam ista in Actis Apostolorum (a) *In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens unus ex eis, nomine Agabus.* Ubi per *Prophetas* intelliguntur *viri prophetici Ordinis*, Filii Prophetarum: & certè Agabum Carmelum incoluisse tradunt historici, ita quidem Mantuanus *lib.* 2. *Parthenices*, sic de eo canens:

Carmeli Patres adiit (tunc omnis Eremi
Cura fuit penes hos & cœlibis otia vitæ)
Et post alia:
Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore, cum magno fidei mysteria Paulo
Edidicit

Ista etiam confirmantur ex Eusebio in Historia Ecclesiastica (b): *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam prophetici ordinis viri quamplurimi.* Ita habet versio, quâ usi sunt Ioannes Palæonydorus, & Lezana. Alia autem sic sonat: (c) *Florente jam, ac sese multiplicante apud Antiochiam Ecclesiâ & quamplurimis illic a Ierosolymis quoque Prophetis* (id est Filiis Prophetarum) *cum quibus erant Paulus & Barnabas comparentibus.* Et post pauca: *Et Agabus ibi unus ex Prophetis.* Notanda illa: *Quamplurimis Prophetis.* Quod de Prophetis strictè dictis, id est futura prædicentibus, intelligi nequit; (cùm ii semper pauci numero, non plurimi, fuerint) sed de viris propheticam monasticam vitam à S. Propheta Elia inchoatam profitentibus, nuncupatis *Filiis Prophetarum & Essenis*, quos laudat Philo Iudæus, de quo ibi consequenter idem Eusebius (d): *Vniversam reliquam vitæ conversationem Philo litteris mandare dignatus sit.* Et infrà: *Vitam etiam Religiosorum nostrorum quàm fieri potuit accuratissimè descripsit.* Capite sequenti agens de Essæis (Religiosis) dicit: *Alacri, ferventique fide eos imitantur, qui propheticam vitam ducebant.* Deindè agens de eorum habitationibus, seu monasteriis ex Philone refert. *Deinde & habitationes eorum, quales illæ fuerint, describens, de Ecclesiis ejus regionis hæc dicit: In singulis autem sacrum domicilium est, quod Semnion, & Monasterion vocatur: in quo manentes honesta, ac sancta vitæ mysteria celebrant.* Et paulò infrà: *Sed leges, & oracula Prophetarum, & hymnos, ac reliqua hujusmodi, quibus scientia, & pietas augescunt, & consummantur.* De hymnodia illorum subdit: *Itaque non modo divina contemplantur, sed & cantica, & hymnos ad Deum Sacratioribus omnis generis metrorum & carminum Rythmis graviter constituunt.* Et de allegoricis ipsorum Interpretationibus: *Interpretationes autem sanctarum Scripturarum allegoricæ illis ac figuratæ sunt. Videtur enim viris istis universa Legis scriptura animanti similis esse; ita ut superficies verborum corporis, sensus verbo in*

(a) cap. 11.

(b) apud Paleon in Hist. Carm. lib. 2. c. 1.

(c) Euseb. in Hist. Eccl. lib. 2. cap. 3.

(d) Euseb. lib. 2. c. 16.

Esseni à Philone descripti successores seu posteri Filiorum Prophetarum.

verbis

verbis reconditus animæ sit loco, quem ipsorum religio præcipuè quasi per speculum nominum eximiam sententiarum pulchritudinem relucentem observans contemplari cœpit. Quæ omnia consonant illis quæ de SS. Eliæ, & Elisei discipulis, ac posteris, traduntur in libro *de institutione primorum Monachorum* (a) & in *Speculo Carmelitano* (b) Ita ut hinc evidens & propatulum fiat, religiosos Filios Prophetarum Successores SS. Eliæ & Elisei, de quibus totô illô librô *de Institutione Monachorum* tractatur, illos esse Essæos, de quibus Philo Judæus in libro *de vita contemplativa*, & indè Eusebius. Ac denique ex omnibus dictis concluditur *Filios Prophetarum*, de quibus in Actis Apostolorum, & *Prophetas*, de quibus ibidem, & Eusebius relatus, ac viros, *vitam propheticam agentes*, de quibus idem Eusebius, & *Essæos*, de quibus Philo, eosdem esse, nomine dumtaxat distinctos; prout latiùs infrà.

(a) cap. 38. (b) to. 1. parte 1. l. 5 c. 8. n. 207.

Filii Prophetarum quomodo ad Christi fidē conversi.

257. Declarat autem consequenter præfatus Ioannes Ierosolymitanus ex Scriptura, quòd, & qualiter isti Religiosi fuerint ad Christi fidem conversi, & capite sequenti refert, eos Apostolorum coadjutores factos: *Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, fidem Christi per phœnicem & palæstinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei; & moribus vitæ ac monasticâ conversatione Ecclesiam Dei insignißimam demonstrantes.* Thomas Waldensis cæterique Historici Carmelitani omnes, eadem tradunt. Ista etiam confirmant de externis Scriptoribus non pauci: Imprimis Iosephus Antiochenus *in Speculo perfectæ militiæ Christianæ cap. 12* ubi de Carmeli incolis inter alia sic ad propositum: *De monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantißimè sparserunt.* Adrianus Adrianius *lib. de Origine vitæ monasticæ cap. 2.* ubi postquam Essenorum Institutum commendasset, de iisdem subdit: *Iudæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli Esseni appellati sunt.* Et paulò infrà: *Sanctâque sua conversatione victoriam adepti sunt Evangelicæ veritatis: haud dubium post martyres ipsi Christianorum spirituales milites, ipsorumque fortißimi.* Adstipulatur quoque Cardinalis Baronius tomo primo *Annalium*, ita scribens; (c) *Et unde rogo tantoperè post Euangelii prædicationem, testante Philone, longè latèque per orbem auctus est numerus Essenorum; nisi quòd iidem erant Christiani, prædicatione Apostolicâ ubique gentium propagati?* Nec minùs perspicuè Aubertus Miræus in libro, cui titulus: *Ordinis Carmelitani ab Elia primùm inchoati &c. Origo:* ubi sub initium: *Illi verò Prophetarum filii, Essenive Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam Institutionem, usque ad virginis partum produxerunt.* Et infrà; *Mox ut Christi splendor illuxit, benè comparata Euangelicæ veritatis studium arripuit; & unà cum Apostolis in opus prædicationis incubuit:* Alia quædam ex eodem mox adducentur. Essenos sinceræ fidei Monachos fuisse Eliani instituti sectatores & continuatores confirmabitur in sequentibus. Sic quoque Joannes Bonifacius: *Mirabiles quidam solitudinis amatores Eliæ & Elisei vestigia persecuti, rerum divinarum meditationi se totos dederunt: ad quorum tamen aures cùm Apostolorum prima de Christo, mundi per crucem Servatore Euangelica voces pervenissent, continuò veteri Legi nuntium remittentes sese ad novam transtulerunt, neque solum se Apostolorum benevolos, & dociles Auditores, sed etiam adjutores præbuerunt, & cùm ex Carmelo descendissent, Christi fidem per Galilæam, Samariam & Palæstinam universam constantißimè prædicaverunt.*

Et Apostolorum coadjutores effecti.

Authoritatibus variorum ista confirmantur.

(c) ad an. Christi 64.

258. En paucis expressam Elianæ posteritatis seriem usque post Christi in cœlos ascensionem. Ista omnia possemus auctoritatibus plurimorum aliorum illustrium scriptorum confirmare, (quorum aliquæ in sequentibus adferentur) & à protoparente Elia usque ad Christi Domini adventum historiam prophetici Eliani Ordinis texere: sed ne actum agamus, Lectorem remittimus ad Annales Ordinis per V. P. Lezana, qui integro tomo primo id præstitit. Istam autem prophetici Eliani Ordinis persistentiam, & continuationem etiam convincit hæc ratio. Israelitico populo notum fuit, quòd Dei Prophetæ Elias & Eliseus vitæ fuerint sanctissimæ, & Deo gratissimæ, ideò eorum Institutum quamplurimi amplectebantur (sicut ex Scripturis declaratum est cap. 1.) cùm autem semper in populo illo fuerint personæ devotæ, peculiariori ritu Deo servire, & placere volentes (etiam tempore sævissimæ persecutionis per Achab & Jezabel solus Abdias centum de Filiis Prophetarum pavit & (testante ipsô Deo) adhuc septem millia virorum restabant, quorum genua non sunt curvata ante Baal. Hinc ecquis non inferat, etiam post raptum S. Eliæ & obitum S. Elisei, eorum propheticum Ordinem, ipsorum tempore tantoperè multiplicatum, non defecisse tamquam abortivum quidpiam? sed eamdem vitæ rationem, quâ ipsi tantoperè Deo placuerant, plures semper secutos, & jugiter continuasse in Carmelo, & aliis locis, ubi ipsi & eorum discipuli Filii Prophetarum habitaverant.

Ratio persuadet Elianæ posteritatis successionem.

259. De ista S. Eliæ posteritate, & continuata hæreditaria successione tractans Iacobus Salianus, (a) hæc scribit de Christo, pariter & de Elia: *Vidit uterque semen longævum. Nam Christi Domini semen, atque hæreditas, in sanctis Apostolis, ac discipulis inchoata, & in turbas innumerabiles gloriosissimorum sexus utriusque &c. propagata est, atque ad finem usque mundi progressa.* Et paulò post de Elia adstruit, ejus temporibus numerum veri Dei cultorum, sanctimoniâ, ac prophetiæ dono illustrium, valdè fuisse auctum: & Eliæ discipulos deinceps propagatos, ac jugiter conservatos usque ad Christi adventum, & deinceps usque in præsens; sic autem scribit: *Maximè autem florente Eliâ multiplicati sunt; Vita quippè sanctimoniâ miraculorum fulgori copulatâ*

(a) in Annal. vet. Test. ad an. mundi 3139 num. 38. & seq.

copulatâ perstringebat oculos, animosque ad pietatem pronos adducebat ad se &c. annitente imprimis Eliseo, aliisque sanctissimis Prophetis, ejusdem pietatis cultoribus, eamdemque cum Elia philosophiam profitentibus, ad Ioannem usque præcursorem; cujus etiam discipuli in Euangelio memorantur. Quæ causa fuit Nazianzeno Gregorio, (a) *ut Eliam & Ioannem, summos philosophos diceret, ad quorum videlicet imitationem, gymnasia pietatis, toto tunc orbe proseminata florebant.* Et paulò infrà de posteris S. Eliæ sub initium Legis novæ: *Ioannem Patriarcham libenter audio in hac verba disputantem. Intuentes quidam viri, ait, monachos in monte Carmelo nunc habitantes, esse Christianos, putaverunt, ut asseris dilecte Caprasi, eos non esse ejusdem religionis cum illis monachis, qui olim per sanctum Dei Eliam Prophetam fuerunt in eodem monte instituti, eo quod illi non fuerint Christiani, sed Iudæi. Quàm autem erronea sit istorum virorum opinio, ex sequentibus tibi manifestum fiet. Antiqui autem hujus montis monachi, etsi non nomine, tamen rectâ fide fuerunt veri Christiani, sicut præsentes monachi; quoniam illi firmam fidem in Christum habuerunt; à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & animas cum corporibus suis obtulerunt Deo.* Et aliquantò post: (b) *Sui æmulos atquè imitatores instituit* (Elias) *ad cælestem vitam, mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit, tot seculis suatum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumque varietates, constantes reddidit.* Ita Salianus Ecclesiasticæ historiæ veteris Testamenti celebratus auctor.

Elianum monasticum institutum usque ad S. Ioan. Bapt.

(a) orat. 20.

posteri ejus in veteri, & nova Lege ejusdem religionis:

(b) num. 44 in elogio seu epitap. S. Eliæ.

jugiter continuati:

260. Et sanè, (ut benè Ioannes de Hildesheim *in Defensorio Ordinis Carmelitani c. 5.*) non videtur ullâ ratione verisimile, quòd Deus sanctissimo & zelosissimo suo Prophetæ Eliæ, & Ordini prophetico, in observantia castitatis, paupertatis, & obedientiæ ab illo inchoato, denegarit, quod omnibus Ordinum Religiosorum fundatoribus, & Religionibus ab ipsis institutis concessit. *Nam & hactenùs qualibet Religio duravit ad minus usque ad mortem sui Fundatoris, & ultrà.* Ad idem propositum Aubertus Miræus, (c) scribit: *Nec sanè decuit Prophetæ tanti posteritatem ignaviâ torpescere, cùm densas Orbis terrarum tenebras lux nova discuteret.* Et aliquantò antè de S. Eliæ posteris: *Miris exemplis captam institutionem, usque ad Virginis partum produxerunt: neque enim Chaldæorum, aut aliorum hostium feritas, quæ vindictam, spoliaque sitiebat, in homines innoxios & nihil mortale curantes, desæviit, Deo sic agente, ut tanti vatis eruditio ad eum, cujus typum prætulit, illæsa pertingeret:* Et post alia: *Nova igitur Christi agmina, concepto fidei orthodoxæ calore, validius dimicantia, Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus cælestibus jam viris, quam plantis fæcundior, capit animos excelsos procreare.* Plura ad hoc propositum habet lector in *Speculo Carmelitano, libro 5. per totum* (d).

(c) lib. de orig. & increment. Ord. Carm. in Prologo.

etiam inter captivitates Iudæorum,

usque ad Christi adventum,

& deinceps,

(d) Tom. 1. num. 182. & seq.

TRACTATUS V.

De Essenis, Monastici Instituti cultoribus, continuatoribus, & propagatoribus, *sub veteri (in sexta mundi ætate) & nova Lege*, SS. Eliæ, ac Elisei posteris.

CAPUT I.

Esseni à Scriptoribus Christianis, Iudæis & Ethnicis celebrati, veluti perfectionis exemplar & speculum.

261. Esseni seculis aliquot ante Christi nativitatem, & similiter post, Religiosæ Monasticæ conversationis exercitatores, & continuatores fuerunt, (prout evidenter declarabitur hìc infrà) veri nominis Religiosi, Eliani instituti sectatores (id *cap. 14. & 15.* patescet) Idcircò conveniens, quinimò necessarium videtur, pro stabilimine antiquitatis, & continuationis Religiosæ Monasticæ vitæ, hoc loco exactam reponere tractationem de ipsis, à præstantioribus Christianis, Iudæis, & Ethnicis Scriptoribus magnâ præconiorum copiâ celebratis. En hìc in limine de plurimis pauca, quibus saliva (ut dici solet) seu gustus quidam excitetur, ad libanda & consideranda sublimis, arctæque vitæ Essenorum Instituta, quæ cunctis Religiosis, ceu vitæ Monasticæ perfectissimæ exemplaria, proposita esse possunt. Imprimis Philo Iudæorum disertissimus, in libro *de vita contemplativa* sub initium, causam, seu motivum scribendi de illis, assignat esse virtutem eximiam eorum: *Non debet*, ait, *hujusmodi virorum virtus eximia causam præbere silentii.* Et sub finem: *Hactenùs de Therapeutis* (id est Essenis) *cæli & mundi civibus, patri conditorique rerum propter suam virtutem commendatissimis.* Et in Apologeticò hæc, inter cætera, de eisdem: *Non privati tantùm, sed magni etiam Reges viros istos admirati obstupescunt, talisque vitæ majestatem approbationibus, ac honoribus venerantur.* Similia scribit Iosephus Flavius etiam Iudæus. Et quidem de honore ab Herode Rege eis exhibito *lib. 15. Antiquitatum cap. 13.* hæc inter alia: *Essenos autem ex hac causâ sic honorabat; quia majus quiddam de his sentiebat quàm de humanâ naturâ.* Similia de eisdem refert etiam Iosephus alter Iudæus cognomento Gorionides.

Esseni ante & post Christi Nativitatem Religiosæ Monasticæ vitæ cultores;

laudati, & celebrati à Iudæis præcipuis,

propter eorū eximiam virtutem,

262. Non minoribus elogiis eos efferunt Patres, & Scriptores illustriores Christiani. S. Chrysostomus, & alii plures *Essenos* sic nominatos asserunt *à vita sanctitate*: eorum auctoritates adferentur in sequentibus. Eusebius Cæsariensis (undè plura hìc infrà cap. 5.) agens de Essenis scribit: *Horum disciplinam omnes*

& Christianis Patribus, aliisque Scriptoribus,

omnes qui noverunt vehementer admirati sunt. Et alibi, eos vocat *Apostolicos viros.* Sic & Georgius, cognominatus Peccator, Monachus Græcus (a) in *Chronico mundi*, latinitate donato per Leonem Allatium, ad tempora Claudii Imperatoris. *Essæi isti sanè admirandi magis, ac magis divitiarum opumque despectum (qui omnium calculo veluti virtutis apex in admiratione est) & unà cum eo vitam duram illam quidem, & laboriosam, sed piam, & sanctam, sanctitatemque non levibus incrementis auctam, intensamque propagarunt.* Istis concinit Cardinalis Baronius, qui agens de Essenis, hæc de illis scribit (b): *Vita moribus fuisse conspicuos, omnes uno ore fatentur.* Et alibi de eisdem (c): *Quorum vita institutio videri poterat præ cæteris admiratione digna.* Et (d): *Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus instar Eliæ ac Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus, etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impiis quoque hæreticis reverendum.* Ita scribit de Monachis in primis post Christum seculis, *Quos Essenos à Philone dictos alibi demonstravimus*, inquit (e). Alia ex eodem habes hic infrà. Cornelius à Lapide *in Chronotaxi Actuum Apostolorum* (f) eos nuncupat *viros Angelicos.* Et alibi (g) *perfectionis exemplar, & speculum.* Et eorum vitam *religiosam, sanctam, excelsam* (h). Vide hic infrà *cap. 6.*

(a) de quo Lezana in Annal. to. 1. in Appar. c. 7. n. 8. & alibi.

(b) in Appar. ad Annal Ecclef.

(c) ad an. Christ. 64. n 8.

(d) ad an. Chr. 342.

(e) ad an. 188. agens de S. Eug.

(f) ad an. Chr. 64.

(g) Comment. in Marc. in argum.

(h) in c. 3. Act.

263. Ethnicis etiam Esseni fuerunt admirationi: hæc de illis scribit Plinius (i): *Esseni, gens sola, & in toto Orbe, præter cæteras mira.* Et Solinus (k): *Esseni præditi memorabili disciplina recesserunt à ritu gentium universarum, majestatis, ut reor, providentiâ.* Istis similia habet quoque etiam Ethnicus Porphyrius. Ex præfatis, atque etiam aliis alia de Essenis encomia, & vitæ admirandæ instituta proferentur jam consequenter. Quæ omnia deindè inter se collata declarabunt eorum antiquitatem, & per multa secula continuationem ante & post Christi Nativitatem, nec non orthodoxam fidem, monachismum, & Prophetici Eliani Instituti professionem. Atque ita duplex erit Tractationis hujus utilitas, videlicet illustratio, & confirmatio Carmelitanæ Historiæ à S. Elia suo Protoparente per Filios Prophetarũ, Rechabitas, & Essenos continuata successio, nec non propugnatio antiquitatis Religiosi status per Essenos à Lege veteri ad novam traducti, & quam-maximè propagati, ab hæreticis impetiti, tamquàm esset; *vanum & novellum inventum*, contra apertissimam veritatem. Etenim sicut Hæretici ferè omnes contra Religiosos, & Religiosam Monasticam vitam mirè & exorbitanter debacchantur: Ita quoque maledicis scriptis & verbis impetunt Essenos (quia scilicet Religiosam Monasticam vitam égerunt) tamquam homines perversos, similes Anabaptistis. Ita quidem Joannes Carion Lutheranus lib. 2. Chronici. *Essæi*, inquit, *per omnia ferè Anabaptisticam vitam egerunt, abstinentes à matrimonio: & omnia inter se communia esse voluerunt. Fuit omninò hæc stulta quadam, & crassissima Monachatûs superstitio.* Conformiter scribunt hæretici alii: de Centuriatoribus id testatur Petrus Canisius (a) agens de instituto Essæorum, Monachorum temporibus Apostolorum, à Philone celebratorum: *Vidit*, inquit, *& descripsit Apostoli Petri familiaris, & homo valdè disertus, Iudæus tamen, Philo, qui fuerint ætate suâ mores Christianorum, quæque tum inter eos viguerit vita monastica disciplina. Vani sunt autem, nè dicam impudentes, nostri Centuriatores, qui negare student ad Christianos illud Philonis testimonium pertinere: cùm apertè testetur Epiphanius, non de aliis, quàm de Christianis, qui anteà Iessæi dicti fuêre, Philonem scribere, scribendique occasionem simul exponit. Quod & planè confirmat Hieronymus, & adducto Philonis testimonio de primis monasteriis.* Hinc paulò infra sic contra istos monasticès osores concludit: *Igitur quod ad monasticum Institutum pertinet, antiquius est illud & probatius, quàm ut istos Momos reformidet.* Aliquantò post, cùm egisset de S. Eliæ vestitu & victu, ac vita in eremo, de Eliseo, & Filiis Prophetarum, subjungit: *Quos veteris Testamenti Monachos appellat Hieronymus.* Istis concinit præfatus Cardinalis Baronius (b) Essenos fuisse Christianos, Monachos, & orthodoxæ fidei: quæ cum probasset auctoritatibus veterum Scriptorum, addit: *Fatetur hoc ipsum, Beda, & alii recentiores, Novatoribus exceptis, eò quòd Monachorum instituta summo odio prosequantur.* Ita quoque Cardinalis Bellarminus, & alii in sequentibus adducendi.

(i) vide infra c. 4.

(k) ibid.

nec non Ethnicis.

solis hæreticis exosi; quia monachi.

(a) De corruptel. verbi Dei c. 3.

(b) in Annal. ad an. 64.

264. Istorum assertio de Essenis, orthodoxæ, & sinceræ fidei, ac sublimis perfectionis, inconcussæ veritatis esse, Catholicus quilibet fateri cogitur, auctoritate Ecclesiæ, ex S. Hieronymo (c) hæc in Canonico Officio Divino, ad diem XXV. Aprilis approbantis: (d) *Marcus discipulus, & interpres Petri ... primus Alexandriæ Christum annuncians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo, disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem Gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit*, scilicet, *de vita contemplativa*, in quo accuratè tractat de Essæis seu Essenis, & eorum Monastica, sanctissimaque conversatione, præsertim in Ægypto circum Alexandriam prope stagnum Mariam: De illis etiam tractat in alio libro: *Quod omnis probus, liber*: & ex illis hic proximè nonnulla delibantur.

Ecclesiæ testimonium de Essenis.

(c) lib. de Script. Ecclef.

(d) festo S. Marci lect. 5. & 6.

265. Sed cur contrà apertissimam veritatem, Essenorum sanctam & admirabilem vitam non tantùm à Patribus, & Historicis Christianis, sed & ab ipsis Judæis, & Ethnicis, litteris commendatissimam, hæretici sic canino dente impetunt? Rationem habes ex dicto Carione, ob *stultam & crassissimam Monachatûs superstitionem* (vivendo scilicet in castitate, & bonorum abdicatione, seu voluntaria paupertate) En qualibus titulis Religiosam Monasticam vitam (& consequenter SS. Antonium, Basilium, Martinum, Augu-

Augustinum, Hieronymum, Gregorium magnum, & alios viros sanctissimos innumeros, vitam illam professos) afficiant: fel ex melle conficientes: Esseni superstitiosi; quia casti, & voluntariè pauperes. Sed an non talem vitam egit Christus, & Apostoli, omnia relinquentes, & inter se communia habentes? Ista hìc obiter. Igitur ad retundendam magis similium hominum impudentiam tàm manifestam; utilem Ecclesiæ operam præstandam credimus, declarare, & ad oculum ostendere, Essenorum pium sanctumque Institutum Monasticum, & consequenter Religiosæ Monasticæ vitæ ab Essenis ipsis sub veteri ac novâ Lege exercitæ, & per Ægyptum, atque alia loca propagatæ, antiquitatem, in primis Christianæ Ecclesiæ seculis mirum splendorem, etiam ipsos Judæos, & Ethnicos in admirationem rapientem, ut patescet ex ipsorum testimoniis hìc consequenter adducendis. Undè etiam istud subsidii habebitur, quòd ea simul juncta, & ordinatè digesta, erunt instar fundamentorum tractatûs hujus, dum ea hìc præmittuntur ante tractationem de origine, antiquitate, etymologia, sincerâ fide, & monachismo Essenorum; & quod (ut alioqui fieri oportuisset) eadem sæpiùs repetenda non erunt: sed ex illis inter se collatis, quasi unô obtutu perspicietur veritas, aut probabilitas dicendorum. Exordiemur autem à Philone, & Flavio Josepho, qui primi de Essenis scripserunt (inter Auctores qui quidem extant) deindè consequenter ex aliis, ferè ordine antiquitatis in suâ classe.

Ecclesiæ perutilis est declaratio sanctæ conversationis Essenorum.

CAPUT II.

Philo, Judæorum disertissimus, Instituti admirabilis Essenorum encomiastes.

266. S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de S. Marco, inter alia sic meminit Philonis: *Philo disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit.* Et infrà agens de Philone eadem repetit. Accinunt S. Epiphanius, Eusebius, Zozomenus, & alii plures infrà referendi, Philonem de Christianis scripsisse; sic & Venerabilis Beda, & Abbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, sub initium: *Philo*, inquit, *Judæus, Alexandrinus, de genere Sacerdotum, à beato Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos idcircò ponitur: quoniam in suis opusculis plerumque in Christianorum laude versatur:* & indè quædam præcipua, de Essenorum Monastica conversatione, & sancta vita, hìc subsequuntur. Imprimìs in libro *Quòd liber sit, quisquis virtuti studet*, sive *Quòd omnis probus liber* tractans de variarum nationum probioribus, virtutem sectantibus, tandem deveniens ad Palæstinam, & Syriam:

Philo Judæus cur inter Christianos Scriptores referatur;

quia scripsit de Essenis Christianis monachis,

Nec Palæstina, Syriaque deest hoc genus hominum virtutem sectantium, cujus regionis non parvam partem populosa Judæorum gens incolit. In his quidam nominantur Essæi, circiter quatuor millia, à sanctitate dicti; quia summâ religione Deo serviunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam: hi vicatim habitant, urbes fugiunt, propter familiaria civibus earum vitia. Et infrà, de eorum paupertate, & vitâ in communi, absque proprio: *Penè soli hominum degunt sine prædiis, sine pecuniis, & propter vitæ institutum divites habentur magis, quàm ob rerum copiam, frugalitatem non vanâ existimatione ducentes esse quæstum maximum.* Deindè recenset eorum virtutes præcipuas: *Pietatis erga Deum argumenta præ se ferunt plurima, castitatem in tota vita perpetuam, à jurejurando mendacioque abstinentiam, & quod ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque sibi esse cordi satis declarant, dum pecunias, honores, voluptatesque contemnunt fortitèr, viuntque continenter in laboribus complexi frugalitatem, simplicitatem, facilitatem, modestiam, legum reverentiam, constantiam, & id genus cætera. Charitatem porrò eorum erga homines indicat benevolentia, mira dictu æquabilitas, & omnium rerum societas, de qua non intempestivum fuerit, nunc paucis dicere. Patent eorum sodalitia hominibus etiam advenis idem institutum servantibus. Omnibus unum est promptuarium, undè vestitus & mensa communis sumitur. Si qui valetudinarii nequeunt victum quærere, non negliguntur, paratum habentes è publico infirmitati subsidium, quod securè sustentant ex communi copia. Senioribus juniores debitam curam, honorem, reverentiam exhibent tamquam germani Filii.*

& eorum conversatione monastica.

ac virtutibus præclaris,

omnia illis communia:

267. In libro *de vita Contemplativa* de Essæis contemplativis (quos inter & practicos quæ fuerit differentia pandetur in sequentibus) sic prosequitur: *Postquàm de Essæis disseruimus, qui vitam activam exercent omnibus, aut quod minùs invidiosum dictu est, plerisque feliciùs: ordo postulat, ut deinceps dicamus quæ dicenda sunt de contemplationi deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratiâ, sicut Poetæ Scriptoresque solent, destituti verâ honestâque materiâ, sed simplicissimè veritatem sectando, quam vix ulla eloquentia potest assequi. Conabimur tamen & operam ei navabimus pro viribus: non debet enim hujusmodi virorum virtus eximia causam præbere silentii.* Et infrà de locis quæ inhabitant: *Extra mœnia degunt in hortis, aut villis solitariis, amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cavendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò ut absoluta probitatis receptum à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circùm Alexandriam: ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum tamquam in hujus generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam in terreno colle acclivi leniter, tutum simul & laudatum ab aeris temperie.* Et paucis interjectis de eorum domiciliis: *Domicilia verò*

de locis quæ incoluerunt:

præcipua fuerunt circa Alexandriam ad stagnum Mariam:

verò convenarum sunt admodùm frugalia, parata contra æstum tantummodò & frigora; non contigua ut in urbibus; non enim placet id amantibus solitudinem: nec tamen longè remota; quia societatem diligunt.

268. Deindè agit de eorum exercitiis: *Singuli autem habent sacras ædiculas, quas* SEMNEA *vocant, sive* MONASTERIA, *ubi solitarii sanctæ vitæ mysteriis dant operam, nec cibi potusve quicquam eò inferunt, aliudve in usum corporis, sed legem tantùm & prophetarum oracula divinitùs prodita, hymnosque, & quædam alia pietati, scientiæque promovendæ utilia: itaque perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur quàm imagines divinarum pulchritudinum: & sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias. Quotidiè bis precari solent, manè ac sub vesperam, oriente sole petentes diem verè felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente verò, ut anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico. Medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina, dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à majoribus, scrutando ejus allegorias.* Illam vitæ rationem habuerunt à Filiis Prophetarum, de quibus in *Speculo Carmelit. num.* 59. 60. & *seq. & num.*207.

pia eorum exercitia quæ fuerint:

269. Consequenter Philo tractat de eorum temperantia, & frugali victus ratione: *Temperantia, tamquam fundamento in anima jacto, virtutes cæteras superstruunt. Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quod sapientiæ studium luci convenire judicent, tenebris verò curam corporis; ideò totos dies alteri, alteri verò exiguam noctis partem tribuunt, nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam: nec desunt qui prælautè accepti epulo sapientiæ copiosè præbentis sua placita perdurant duplum ejus temporis, & vix sexto die degustant cibum necessarium, assueti sicut cicadæ rore vivere, canticis opinor solantes inediam, septimum verò diem ut festum sacratumque honore dignantur eximio, quo post curam animi corpus quoque reficiunt, sicut jumento relaxantes laborem continuum. In cibatu utuntur pane simplici, salvicem supplet obsonii: qui delicatiores sunt hyssopum pro condimento adjiciunt: potum è fluentu hauriunt, contenti placare dominas à natura mortalibus additas, famem sitimque, absque omnibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet vivere; edunt igitur ne esuriant, bibunt ne sitiant, saturitatem cavendo ut inimicam animo pariter ac corpori: & quoniam tegminis quoque duæ sunt species, vestis tectumque, de ædibus jam dixi, esse incultas, & extemporaneas, factas ad præsentem usum tantummodò, in veste autem eadem apparet simplicitas, ad arcendos calores & frigora.* Et ista hactenùs ex Philone, nonne sunt veluti perfectæ vitæ monasticæ norma, & regula? Philo Essenorum Institutum nuncupat *Philosophiam.* Sic passim apud veteres Scriptores nominatur vita Monastica: sic & Religiosi, ac Monachi dicuntur *Philosophi* prout latiùs hìc suprà *Tractatu* 1. *cap.* 3. (a) Scripsit quoque Philo *Apologiam pro Iudæis:* de qua S. Hieronymus *in Catalogo* & Eusebius *libro* 2. *Historiæ cap.* 18. undè plura desumpserunt ipse Eusebius & Serarius (b): & inter cætera ista: *Innumerabiles eorum qui clari sunt, ad vitæ communitatem reliquit Legislator noster: qui sanè vocantur Essæi, eâ nomenclatione à sanctitate.* Consequenter agitur de eorum castitate, abdicatione proprietatis, & exercitiis: quodque incolant vicos, atque etiam urbes Judææ. Istis verbis: *Innumerabiles &c. reliquit Legislator noster* scilicet Moyses, innuit satis Essæos Hebræos, & vetustos: de quo plura in sequentibus.

temperantia quam arcta, & austerâ victûs ratio.

(a) n. 51.

(b) in Tritheresi. c. 14

CAPUT III.

Iosephus Flavius Iudæorum Historiographus, Essenorum Instituta describit.

270. Abbas Trithemius (c) sic paucis describit, quis & qualis fuerit: *Iosephus Iudæus, natione Ierosolymitanus, religione Sacerdos . . . Philosophus, Rhetor, temporumque scriptor insignis . . . Qui etsi Iudæus permanserit, genus tamen Christianorum sæpè laudavit,* nempè scribens de Essenis, quorum institutum variis locis celebrat: & quidem *libro* 2. *de bello Iudaico capite* 7. ait: *Tria sunt apud Iudæos genera philosophiæ: horum unum Pharisæi profitentur, alterum Sadducæi, tertium verò, quod etiam probabilius habetur, Esseni colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore conjunctissimi: & qui, præter cæteros, voluptates quidem quasi maleficia vitarent: continentiam verò servare neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt.* Esseni igitur cœlibem, castamque vitam ducebant. Consequenter agitur de eorum voluntariâ paupertate, & cultu corporis: *Quin & divitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque invenias alteri alterum opulentiâ præstare: legemque sibi dixerunt, ut qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareret: sed permixtis facultatibus, velut inter fratres, unum esset omnium patrimonium. Squalorem decorem putant, dummodò semper in veste sint candidæ. Designatos autem communium rerum procuratores habent. & ad usus omnium singulos indivisos.* Et infrà: *Nec verò vestitum, sive calceos mutant, nisi aut omninò conscissis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.* En cum castitate conjunctam abdicationem proprietatis, paupertatisque professionem, & usum vestis candidæ.

(c) lib. de Scrip. Eccles.

Iosephus Iudæus scripsit de Essenis, monachis orthodoxæ fidei,

de eorum voluntaria paupertate,

& bonorum communione,

veste candida,

ac pietate, silentio, aliisque virtutibus;

Deindè tractatur de eorum erga Deum pietate, & cibi parcimonia, silentio, obedientia, & erga proximos charitate, ac studio sapientiæ: *Præcipuè circa Deum religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur. Ad quas venerunt singuli artes, à curatoribus dimittuntur . . . Velut in quoddam sanctum Templum in cœnaculum conveniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis cocus apponit. Deindè voce cibum sacerdos antevenit: neque gustare quemquam fas est, nisi priùs Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandii vota repetunt. Nam & cùm incipiunt, & cùm desinunt, quasi datorem victûs, Deum laudibus canunt: tunc veluti sacris illis depositis vestimentis, in opere usque ad vesperam versantur. Similiterque indè reversi cœnant, consedentibus etiam hospitibus, si quos fortè intervenisse repererint. Neque verò clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat: quum etiam loquendi ordine aliis alii cedant: eorumque silentium, extrà tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile.*

de probatione tyronum,

271. Posteà etiam describitur tempus, & modus probationis ac professionis per adjurationes, seu promissiones, seu vota jurata: *Per annum integrum extrinsecùs commoranti cuique eumdem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes.*

veste eorum alba,

Cùm verò processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum: & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat: neque tamen in convictum assumitur. Post ostensionem quippè continentiæ, duobus annis aliis mores ejus probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demùm in consortium assumitur.

professione post triennem probationem:

Priùs verò quàm incipiat communem habere cibum, magnis exsecrationibus adjurat se primum quidem colere Deum, deinceps quoque erga homines servare justitiam, & neque propriâ sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse: quin imò iniquos omnes odisse, & collaborare semper justitiæ sectatoribus, fidem omnibus servare, maximè verò Principibus. Ibi consequenter refertur, Essenos in judiciis diligentissimos, atque justissimos, quodque *vivant quam longissimè, ita ut plurimi eorum usque ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem victûs, & institutionem benè in omnibus ordinatam.* Eorum deindè laudatur constantia, & invictus animus, pro observantia legum. Et refertur quosdam eorum etiam prophetico spiritu illustratos: *Sunt autem ex eis qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris, & variis sanctificationibus, prophetarumque dictis à primis ætatibus adhærentes.*

inter eos prophetia spiritu Donati:

Hactenùs relata, sunt de Essenis qui cœlibem vitam in castitate ducunt. Deindè de alio genere agitur Essenorum qui matrimonio juncti sunt: *Est autem* (inquit Josephus) *aliud etiam Essenorum collegium, cibos quidem, & mores legesque similes cum prioribus habens, distans verò opinione de conjugio.* Et isti erant prout modò Tertiarii Ordinum Religiosorum. Alii autem castitatem perpetuam servabant.

erantque Tertiarii aliqui.

272. De iisdem Essenis agit quoque *lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum c. 2.* ubi ista: *Iudæi patria sapientiæ studiosi jam indè à multis retro seculis in tres sectas erant divisi, Essenorum &c.* (Secta, idem est quod institutum, seu dogma). Et infrà: *Miranda etiam est eorum justitia, quâ omnes Græcos, & Barbaros longè superant, multis jam seculis triti in ejus continuis studiis. Facultates in commune possident, nec aliquis dives magis utitur suis bonis, quàm quivis nihil possidens. Atque hoc instituto vivunt virorum supra quatuor millia, nec uxores habentium, nec servos.* Si uxores non habebant, vitam igitur cœlibem ducebant. Ista: *à multis retro seculis*, & *multis jam seculis triti* innuunt Essenorum antiquitatem, & aliquot seculorum existentiam ante tempora ipsius Josephi.

de antiquitate, seu duratione eorum per multa secula.

Idem Iosephus *libro 15. Antiquitatum cap. 13.* agens de Herode: *Essenos autem ex hac causâ sic honorabat, quia majus quoddam de his sentiebat, quàm de mortali naturâ dignum puto. Nam non inhonestus sermo videbitur, in historiarum genere de his talibus intimare. Quidam Essenorum nomine Manachemus fuit per omnem vitam benignâ voluntate probatus, præscientiam à Deo futurorum habens.*

Herodes Essenos singulariter honorabat ob divinas eorum virtutes.

Alia versio habet: *Nunc prætereundum non videtur nec alienum à proposito historiâ, cur Religiosam de his opinionem Rex habuerit. Erat quidam Essenus Manahemus nomine, cùm alias vita honesta & probatæ hominum testimonio, tum verò divinitùs etiam concessum habens donum fatidici spiritus.*

Manahemus Essenus spiritu prophetico insignis.

Alia quædam pro asserenda Essenorum antiquitate ex eodem Iosepho adferentur in sequentibus. Iosephus alter, etiam Iudæus, nuncupatus *Gorionides* variis in locis laudabiliter scribit de Essenis.

273. Sed an non mirum id videtur, Philonem, & utrumque illum Josephum tam studiosè de Essenis scripsisse, eosque encomiis magnis celebrasse? Rationes accuratè indagat, & maturè expendit Lezana *Tom. 2. Annalium Carmelitarum* (a) ubi (inter cætera) hæc: *Asserendum, Philonem, etsi Hebræum, Christianos Essenos laudibus concelebrasse, propter duo, quæ nec extranea omninò Iudæorum genti erant, quin potius aliqualiter in eorum sectæ commendationem cedebant. Primò quidem, quia Esseni illi, etsi Christo nomen dedissent, Iudaicos tamen ritus, quatenùs religio Christiana eo ævo tolerabat, retinebant. Secundò, nam illi non solum veterum Essenorum, qui ex Iudæa orti fuerunt, instituta observabant (ut dictum est) sed insuper natione Iudæi, & ex Iudæis oriundi erant, ut habent Eusebius lib. 2. c. 16 Sozomenus* (b), *Georgius Peccator* (c); *Cedrenus* (d), *Nicephorus* (e), *& alii. Fuisse autem in Ægypto, & Alexandriâ eo tempore Iudæos, nullus mirari potest; cùm constet ex Act. Apost. 2. v. 10. eo an. quo Christus mortuus est, & resurrexit, convenisse Ierosolymam pro festo Pentecostes celebrando inter Iudæos diversarum Provinciarum, etiam ex Ægypto. Causam porrò hujus dispersionis Iudæorum assignat noster Ioan. Ierosolymitanus* (f) *persecutiones, quas passi sunt ab Antiocho Rege, & aliis.* Ista ibi consequenter declarat, & confirmat auctoritatibus Patrum.

Philo, & Iosephus cur scripserint de Essenis.

(a) in Appar. c. 3. n. 13. & seq.

(b) in Tripart. l. 1. c. 11.

(c) in Chron. sub Claudio.

(d) Ibid.

(e) lib. 2. c. 16.

(f) in lib. de Instit. Monach. c. 30.

CAP.

CAPUT IV.

Plinius, Solinus, Porphyrius Ethnici, admiratores, & laudatores Essenorum.

Plinius paucis complexus vitam, Essenorum Palæstina.

274. PLinius (qui claruit tempore Vespasiani Imperatoris, cui suum opus dicavit) *libro* 5. *Historiæ naturalis cap.* 17. describens regionem Terræ sanctæ circa Jordanem & Jericho (ubi fuerunt mansiones Filiorum Prophetarum, & Eremit. Carmeli) de *Essenis* subdit: *Ab Occidente littore Esseni fugitant, usque qua nocent**: *gens sola, & in toto orbe præter cæteras, mira: sine ulla fœmina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortuna fluctus agitant. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur; tam fœcunda illis aliorum vita pœnitentia est. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Ierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum.* Lezana To. 2. *Annalium* (a) adductis præfatis Plinii verbis subdit: [Hæc Plinius, discussione digna: eò etiam quòd auctor in veritate inquirenda diligentissimus, & studiosissimus prædicetur .... Expendendum primò, hæc Plinium scripsisse de gente sibi coëva, suo tempore superstite, ac vigente; Romanisque nota, qui proximè totam eam Judæorum Regionem pervaserant, invaserant, occuparant, ut patet ex verbis *fugitant, renascitur, agitat, est,* quæ sunt temporis præsentis, quibus clarè innotescit, eâ tempestate quâ hæc scribebat, hanc Essenorum gentem vixisse. Deindè cùm solum agat de Essenis Palæstinæ, & Judææ, proculdubio fatendum, præter Essenos Alexandrinos, à D. Marco, in fide, & monachismo Legis novæ institutos, etiam istorum Palæstinorum rationem habendam. Ipsorum autem vetustatem etiam hyperbolicè insinuatam, habemus illis: *Per seculorum millia & gens æterna*... Ad hæc, hosce Palæstinos Eliani Instituti cultores fuisse abundè indicatur illis: *Infra hos Engaddi oppidum fuit.* Etenim Engaddi habitationem fuisse Prophetarum Elisei discipulorum, clarè habetur ex Gilberto Genebrardo, & Ziegleró & aliis] Hæc ferè ibi Lezana.

* alia lectio habet: [Ab Occidente littora Esseni habitant: hos fugitant usquequaque nocentes.]

(a) ad An. Christi 77. n. 3.

Cajus Solinus sublimem Essenorum vitam compendio tradit.

275. Cajus Solinus (qui sub Trajano Imperatore celebris habebatur) *in Polyhistoria cap.* 36. ista de Essenis commemorat: *Interiora Iudææ Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina, recesserunt à ritu gentium universarum, majestatis (ut reor) providentia, ad hunc morem destinati. Nulla ibi fœmina. Venere se penitùs abdicarunt. Pecuniam nesciunt. Palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen ibi defecit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est. Ad quem plurimi licèt undique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel levi culpa, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitùs summovetur. Ita per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperiis.* En ab homine Ethnico traditum summarium religiosæ Monasticæ vitæ in observantia castitatis, & paupertatis, seu abdicationis proprietatis, vitæque arctioris, nec non probationis novitiorum.

Porphyrius abstinentiam aliasque virtutes Essenorum deprædicat.

276. Porphyrius *libro* 4. *de abstinentia*, tractans de Essenis, hæc inter cætera, de illis: *Conjugium non amplectebantur, sed omnem voluptatem aversabantur tamquam malum, virtuti sibi ducentes esse temperantes, neque vinci passionibus. Interim acceptos aliorum liberos adhuc teneros & molles ad disciplinam suis instruunt moribus, non minus ac si ipsorum essent.... Opes despiciunt, suspiciunt communionem rerum, & non invenias apud illos unum, qui altero plus habeat. Siquidem regula ipsorum exigit, ut statim ac quis hoc institutum arripit, substantiam in commune tradat, ita ut nullus egestate projectus, aut divitiis apud illos erectus sit. Omnibus itaque permixtis omnium una quasi fratrum substantia sit. Perpetuum candidæ vestis usum honori ducunt... Si quis hanc sectam amplecti velit, non statim admittitur, sed foris expectare per annum debet, sub eadem diæta, porrecta ipsi dolabella, ligone, zona, & albo habitu... Peracto itaque novitiatu, priusquàm novus Dei cultor ad communem mensam admittatur, per professionem debet se constringere juramentis terribilibus, se sequentem regulam servaturum.* Alia quædam ex eodem apud S. Cyrillum habes hic infrà. Sed cur tam accuratè Plinius, Solinus, Porphyrius Ethnici agunt de Essenis, utpotè alterius Religionis? Tanta erat Instituti eorum perfectio, sublimitas, & sanctitas, ut istud vivendi genus omnes in ejus admirationem raperet, *ipsisque Ethnicis esset venerandum, & impiis etiam hæreticis reverendum,* uti loquuntur Philo, Eusebius Cæsariensis, Cardinalis Baronius, & alii relati *cap.* 1. & adducendi in sequentibus. Ita quoque Abulensis (a) scribens de Essenis: *Isti, inquit, erant valde laudabiles; undè non solum Iudæi, sed etiam gentiles illos valdè laudabant.*

peculiariter bonorum communionem, & vestis albæ usum.

Ethnicis venerationi erant Esseni, ob sanctitatem.

(a) Abul. in cap. 3. Math. q. 63

CAPUT V.

Græci Historici continuatâ mille annorum serie Essenorum sanctam Monasticam conversationem prosecuti.

277. DE Essenis hactenùs ex Scriptoribus Iudæis & Ethnicis; nunc quid de eis scribant, & sentiant Christiani, audiamus. Eusebius Cæsariensis Episcopus (qui floruit tempore Constantini Magni anno Christi 326.) peculiariter de Essenis tractat in suo opere DE EUANGELICA PRÆPARATIONE (b): *Horum* (Essenorum) *disciplinam omnes, qui noverunt, vehementer admirati sunt: Iosephus verò atque Philo Iudæi perpetua memoria vitam commendarunt.* Esseni igitur, sive Essæi, de quibus Philo, & Josephus, iidem

(b) cap. 4.

(a) Eccles. hist. l. 2. c. 17.

Eusebius Cæsariensis luculenter tradit Essenorum piam monasticam conversationem.

iidem sunt, ut latiùs infrà. Idem Eusebius (a) agens de Philone, ejusque libro, quem *de vita contemplativa, aut deprecantibus* inscripsit, (in quo ipse Philo tractat de Essæis) de illo, & ex illo, de Religiosis in primordiis Ecclesiæ Christianæ, ab ipso Philone, & aliis, *Essæis*, seu *Essenis*, atque etiam *Therapeutis*, hoc est *exercitatoribus* nuncupatis, sic inter alia: *Hoc tamen cum primis testatur, quòd facultatibus suis renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint hi qui philosophari cœpissent: deindè & a cunctis vitæ hujus curis abstinuerint, relictisque muris, in agris & hortis solitariè conversati sint. Consortia eorum qui disparem sequebantur vivendi rationem, tamquam inutilia, quin & noxia, illis, qui tum temporis hoc, ut par erat, agebant, ut alacri ferventique fide eos imitarentur, qui Propheticam vitam ducebant.* Et infrà: *In singulis autem sacrum domicilium est, quod* SEMNION, *&* MONASTERION *vocatur: in quo manentes honesta, ac sancta vitæ mysteria celebrant, nihil illò inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quidquam eorum quæ ad corporis sunt sustentationem necessaria, sed leges, & Oracula Prophetarum, & hymnos, ac reliqua hujusmodi quibus scientia, ac pietas augescunt, & consummantur.* Et aliquantò post: *Sacras quippe Scripturas legentes philosophantur, ac patriam philosophiam allegoricè tractant. Etenim putant ea quæ in manifesta sunt scripturarum expositione, quædam esse abscondita naturæ symbola per figuras significata.* Et post alia: *Itaquè non modò divina contemplantur, sed & cantica, & hymnos ad Deum sacratioribus omnis generis metrorum & carminum rythmis graviter construunt.*

Esseni monachi orthodoxi in Ecclesia primitiva.

278. Ibi consequenter asserit Philonem ista scripsisse de Christianis, Religiosis, seu Monachis primitivæ Ecclesiæ: *Illa*, inquit, *visa sunt necessariò deligenda, per quæ certas Ecclesiasticæ conversationis notas posuit.* Id magis urgendo subjungit: *Quòd si cuipiam ea quæ dicta sunt non propriè ad Euangelicam pertinere politiam sed & aliis præter dictos cultores adaptari posse videntur, credat saltem his illius verbis quæ subjiciemus, ex quibus indubitatum, si æquo sit animo, hac de re testimonium reportabit. Sic enim scribit: continentiam autem primùm tamquam fundamentum quoddam in animo collocant, deindè & alias virtutes superstruunt.* Consequenter refert pias eorum vigilias, per majorem noctis partem, admirabilem abstinentiam, ita ut non nisi semel in die sub vesperam cibum sumant, aliqui etiam triduo abstineant, nec non studia sacrarum litterarum de quibus peculiariter ista: *Interpretationes autem sanctarum scripturarum allegoricæ illis, ac figuratæ sunt. Videtur enim viris illis universa legis Scriptura animanti similis esse, ita ut superficies verborum corporis, sensus verò in verbis reconditus animæ sit loco, quem ipsorum religio præcipuè quasi per speculum nominum eximiam sententiarum pulchritudinem relucentem observans contemplari cœpit.* Tandemque (post alia ipsorum sancta exercitia & ritus) concludit: *Quòd igitur Philo illic de primis Euangelicæ doctrinæ præconibus, & ritibus, olim ab Apostolis*

Eadem de Filiis Prophetarum vide in Speculo Cap. 10. 1 num. 207.

traditis, disserens ista scripserit, cuivis manifestum est.

279. Ista aliquantò prolixiùs hìc producta sunt, quòd quasi uncialibus litteris denuntient eosdem, seu ejusdem Instituti esse istos Religiosos (quos ipse *cultores*, & *Propheticam vitam ducentes*, & Philo *Essæos* ac *Therapeutas* nuncupat) cùm illis, de quibus scribit Joannes Ierosolymitanus in libro *de Institutione primorum Monachorum*. Dicit enim Eusebius eos *Propheticam vitam ducere*, & *capite* 3. *ejusdem libri* ad hoc propositum scribit: quod *apud Antiochiam quamplurimi ab Ierosolymis Prophetæ comparerent* (seu ut alia versio, quâ usi fuerunt Palæonydorus, Lezana & alii, ac impressio Basilææ facta: *Viri prophetici Ordinis quamplurimi*). Porrò ibi per *Prophetas quamplurimos* intelligi non possunt *Prophetæ* strictè dicti, id est futura prædicentes, qui semper pauci fuerunt, sed *vitam propheticam* à Propheta Elia institutam, & ab Eliseo, & Filiis Prophetarum continuatam, duxisse. Identitatem illam testantur quoque eadem omnia exercitia horum & istorum, Oratorium nuncupatum *Semnion*, vestis candida, tum inter Filios Prophetarum tum inter Essæos, atque alia, de quibus specialiter hìc infrà cap. XV.

iidem sunt instituti ejusdem cum Filiis Prophetarum.

280. Sozomenus, Eusebio posterior uno seculo, Ecclesiasticam etiam scripsit, seu continuavit historiam, in qua *libro primo cap.* 12. (cujus titulus est, *de conversatione, exordio, & auctoribus Monachorum*) scribit: *Maximè verò Ecclesiam conversationis suæ virtutibus illustrissimam reddiderunt, & doctrinam Christianam extenderunt hi, qui monasticam politiam exercuerunt.* Et infrà tales fuisse Essenos ait: *Optimam hanc philosophiam orsus quidem est, sicut quidam dicunt, Elias Propheta & Ioan. Baptista. Philo verò Pythagoricus, præclaros Hebræorum viros suis temporibus undique collectos, loco quodam ad lacum* MARIAM *in colle adjacenti Philosophatos esse scribit: habitationem verò eorum, & victum & conversationem talem describit, qualem & nos jam apud Monachos in Ægypto conversantes videmus.* Et post alia: *Et Philo quidem ad hunc modum scribens Hebræos significare videtur, qui ipsius temporibus Christianismum amplexi, plùs æquo Iudaicè conversabantur, & gentis suæ ritus observabant.* Istis innuitur Essæos, de quibus Philo, sectatos fuisse Institutum Monasticum à S. Elia inchoatum, & à S. Ioanne Baptista practicatum: & quòd Institutum istud Essenorum perstiterit adhuc in Ægypto, quandò ista scribebat Sozomenus, videlicet seculo quinto: ejusdemque Instituti sectatorem, & illustratorem fuisse magnum Antonium capite sequenti satis declarat his verbis: *Sive autem Ægyptii, sive alii quidam initio philosophiæ isti præfuerunt, illud apud omnes in confesso est, magnum illum Antonium Monachum excellenter diligentia ac perfectionis moribus competentibusque exercitiis istam vitæ conversationem exercuisse.*

Sozomenus quæ scribat de Essenis.

Esseni monachi Ecclesiam illustrissimam reddiderunt:

posteri S. Eliæ.

S. Antonius Essenus.

281. Phocius Constantinopolitanus Episcopus circa annum Christi 858. in opere suo

suo inscripto *Bibliotheca*, Essenorum Institutum monasticum sic commemorat. *Lecta & eorum vivendi ratio, qui Philosophicum vitæ genus apud Iudæos, sive contemplando, sive agendo, sectati sunt. Hi Esseni, illi Therapeutæ appellabantur. Ac proximi quidem non monasteria tantùm atque σεμνεῖα ædificarunt, sed etiam vivendi normam iis, qui nunc solitariam degunt vitam, præscripserunt.* Suidas (qui vivebat circa annum Christi 970.) Essenorum originem, & vitæ rationem his tradit verbis: *Essæi Iudæi Ascetæ, majores Ionadabi, Filii Rechab illius Iusti, inter sese amantes, voluptatem ut vitium aversantur, temperantiam verò & continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem, virtutem putant: conjugium apud ipsos despicitur, alienos filios adhuc juvenes assumunt, & docent, & suis moribus informant, omnem turpitudinem abjiciunt, & cæteras omnes virtutes exercent: in contemplatione plerumque perseverant, undè Essæi vocantur hoc est contemplatores.* Jonadab ille discipulus fuit S. Elisei Prophetæ, à quo hausit ipse quem Rechabitis tradidit, Religiosum Monasticum vivendi modum: de quo plura in Speculo Carmelitano (a). Georgius Cedrenus aliquantò posterior (circa annum Christi 1050) *in Compendio historiarum* tractans de rebus gestis tempore Claudii Imperatoris, agit quoque de Essenis, quorum originem similiter refert ad Ionadabū filium Rechab: *Essenorum*, inquit, *secta, Scribarum & Pharisæorum justitiam, magno post se reliquit intervallo. Ii à Ionadabo Rechabi filio genus ducentes &: Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam . . . . Divinô nutu, atque gratiâ etiam futura prævident.* Et scribens de Philone: *Is enim nostrorum, quos ab exercitatione bonorum operûm Ascetas vocabant, probans vitam, mirum in modum laudibus extollit, ac magnificat Apostolicos suæ ætatis viros.* Georgii alterius, etiam Græci, cognomento Peccatoris, testimonium de Essenis adductum est hic suprà *cap.* 1.

Essæi, id est contemplatores.

(a) To. 1. num. 161. 162. 163.

282. Nicephorus Callistus, Historicus Græcus quoque, circa annum Christi 1350. *libro* 2. *Ecclesiasticæ Historiæ capite* 15. cum retulisset, S. Marcum primum in Ægypto Euangelium prædicasse, & Monasticen ibi instituisse, subjungit, quòd *exercitii, studiique eorum philosophiam, institutum, mores, vitam, rationemque conversationis omnem, in scriptum retulerit, in utroque philosophiæ genere celeberrimus Philo: quem ad colloquium Petri, Romæ divinum verbum concionantis, fama est pervenisse.* Capite autem sequenti, cujus titulus est: *Qualia sapientissimus Philo memoriæ prodiderit de iis, qui primum in Ægypto Christi philosophiam professi sint, & exercuerint.* Sic (inter alia): *Quapropter scriptum id, canones, & regulas, quæ etiam num in Ecclesia servantur, liquidò continet* (videlicet Regulas Monasticas omninò similes iis, quas de Essæis refert Philo). *Inscriptio autem libri est, & titulus*, DE VITA CONTEMPLATRICE, *sive* DE SUPPLICIBUS. *Eos autem qui vitam ejuscemodi amplexi essent*, θεραπευτὰς, *hos est, cultores seu curatores vocat. Vel quòd ita tum appellarentur, nondum Christianorum nomine latè diffuso: vel propter purum sincerumque Dei cultum: vel quòd tanquam medici exercerent, curarent, atque colerent eorum qui ad eos venissent, animos, omni eos vitiorum perturbatione liberantes: vel aliam quamcumque ob causam; neque enim de ea contendere necessarium est. Hos à principio, quùm Christianâ philosophiâ initiarentur, dicit, rem familiarem facultatesque suas relinquere solitos esse: ac deindè nuncio omnibus vitæ hujus curis & sollicitudinibus remisso, extrà muros in semotis aliquibus agris & hortis, aut etiam montibus, versari, atque vivere, dissimiliumque omnium consuetudinem, tanquam perniciosam, aversantes, vitam propheticam flagranti atque fervendi fide meditari, atque æmulari.* Ibi notanda verba illa: *Vitam propheticam flagranti, atque fervendi fide meditari, atque æmulari.* Quæ enim est hæc vita *Prophetica*, quam æmulabantur Esseni, nisi ea, quam SS. Prophetæ Elias, Eliseus, eorumque discipuli Filii Prophetarum colebant. Et hactenùs quidem continuatâ serie per mille annos successivè de Essenis Historici Græci: quorum aliqui etsi hæresis fuligine tincti, aut de ea suspecti fuerint: illa tamen quæ de historiis scripserunt, & erroribus involuta non sunt, ab omnibus passim recipiuntur.

Nicephorus Callistus fusè tractat de Essenis:

Essenorum canones in Ecclesia manent:

Esseni cur dicti cultores, & curatores.

vitam propheticam à S. Elia inchoatam æmulantes.

CAPUT VI.

Patrum, & Scripturæ sacræ Interpretum asserta de Essenis.

283. IN opere, quod inscribitur *Constitutiones Apostolicæ* (& tribuitur S. Clementi) *libro* 6. *cap.* 6. ubi agitur de erroribus Saducæorum, Pharisæorum & aliorum, subjungitur: *Ab his omnibus segregaverunt se Essæi, qui patrios ritus servant* . . . Esseni igitur Iudæi orthodoxæ fidei erant: exceptis nonnullis Samaritis. S. Hieronymus *libro ad Eustochium de servanda virginitate*; cœnobitas sui temporis, describens: *Tales*, inquit, *Philo Platonici sermonis imitator, tales Iosephus Græcus Livius in secunda Iudaicæ captivitatis historiâ refert*: eosdem faciens utriusque auctoris Essæos. Sed & *lib.* 2. *contra Iovinianum* æquè eos confundit, ubi sic habet: *Iosephus in secundâ Iudaicæ captivitatis historiâ, & in octavo decimo antiquitatis libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, & Essenos: quorum novissimos miris effert laudibus, quòd & ab uxoribus, & vino & carnibus semper abstinerent, & quotidianum jejunium verterint in naturam. Super quorum vita Philo vir doctissimus proprium volumen edidit.* Ubi nota *volumen proprium*: ut ne quid dubitetur illud esse *De vita contemplativa supplicum*. Cùm enim eosdem esse cupiat Hieronymus, de quibus Philo in isto libro & de quibus Iosephus; necesse est intelligere primâ Essæos origine, hoc est, propheticâ lineâ convenire, ac superductam Apostolicæ

S. Hieron. testatur Philonem, & Iosephum Cœnobitarū Essenorum vitam descripsisse.

licæ

licæ gratiæ formam pristinum statum reddidisse perfectiorem, approbatumque in Ecclesiâ Dei pro verò & laudabili divino cultu. Ibi igitur S. Hieronymus supponit Essenos esse Monachos, & eosdem de quibus Philo, & Iosephus. Et monachos de quibus ibi agit, ejusdem fuisse Instituti cum Essenis. Alia ex eodem S. Hieronymo de Philone scribente de Essenis adducta sunt c. 2.

(a) lib. 1. contra hæreses hæresi 29.

284. S. Epiphanius (a) in eamdem conspirat sententiam, eos de quibus scribit Philo, fuisse orthodoxæ fidei, & Monachos: *Repereris autem, ô studiose, etiam hoc argumentum in commentariis Philonis, in libro de Iessæis ab ipso inscripto. Qui horum conversationem, & laudes horum exequens, & monasteria ipsorum in vicinia circùm* MARIAM *paludem recensens, non de aliis quibusdam narravit, quàm de Christianis. Hic enim quum esset in regione* (MAREOTIM *autem locum appellant*) *& deductus esset ab ipsis ad monasteria ejus loci, magnam utilitatem assecutus est. In diebus enim Paschatis illic versatus, & vitam ipsorum vidit, & quomodò quidam per sanctam Paschatis hebdomadam omni esu dilato degebant, alii verò interpositis duobus diebus edebant, alii etiam in vesperam. Fuerunt autem hæc omnia à viro peracta ad tractationem argumenti, de fide, ac conversatione Christianorum.* Igitur ex mente S. Epiphanii, & Christiani, & Monachi fuerunt illi de quibus Philo scripsit ea quæ ipse vidit, præsertim in Ægypto, circa Alexandriam. Quòd autem Essæi, de quibus Philo, sinceræ fidei fuerint, latiùs declarabitur hîc infrà. De Essenis quibusdam Samaritanis hæreticis agit idem S. Epiphanius *hæresi* 10. & de quibusdam nuncupatis *Osseni hæresi* 19. Sed hi longè diversi erant ab Essæis, seu Iessæis (ut eos nuncupat Epiphanius) prout latiùs in sequentibus.

Essæi (à S. Epiphanio dicti Iessæi) in Ægypto, circa stagnū Mariam: eorum austera vita,

285. S. Chrysostomus *homilia* 46. *in Acta Apostolorum* sic meminit Essenorum: *Esseni, qui etiam Osii, id est sancti dicuntur. Hoc enim vult nomen Essenorum à vita honestate.* Quòd posteà sequitur de sectis, & pseudoprophetis, Christo insidiantibus, non concernit Essenos, qui Christo numquàm contradixisse leguntur. Similiter Theophilactus, & Oecumenius in eorumdem *Actuum caput* 21. eamdem nominis Esseni etymologiam probant. S. Nilus Chrysostomi discipulus Essenos à Ionadabo oriundos, à contemplatione dictos existimans sic de illis (b): *Iudæi qui talem vivendi rationem instituerunt à Ionadab sunt oriundi, & omnes qui ad se, ut eodem modo vivant, accedunt, ad eadem ducunt instituta: in tabernaculis perpetuò habitant, à vino atque omnibus cibis delicatis abstinent, victu tenui contenti corpus affligunt: magnam igitur morum curam gerunt, & contemplationi vacant assiduè, ex quo Essæi appellantur.* Adverte erroneè (ni ipse fallar) *Lessæi*, pro *Essæi* scriptum. Ea quæ ibi consequenter habet de Essenis quibusdam in Christum non credentibus, de paucis nonnullis intelligendum, de quibus etiam S. Philastrius, cùm de eorum vitæ rigore præmisisset ista (c): *Esseni sunt qui Monachorum vitam exercent, escas deliciosas non sumentes, nec studium in vestimentis gerentes, nec possidentes aliquid: lectioni autem, & bonis operibus insistentes, in locis etiam separatis habitantes.* Deindè agit de iis qui Christum non exspectabant. Quæ de omnibus, aut multis Essenis verificari non posse, cuncta ferè hactenùs dicta, & dicenda manifestant. *Sed illud est observandum, multa à Philastrio inter hæreses numerari, quæ verè hæreses non sunt: proindè cum prudentia legendus est.* Ita Bellarminus *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.* De istis sermo prolixior erit in sequentibus. S. Cyrillus Alexandrinus *libro* 5. *contra Iulianum*, Christianæ fidei veritatem, & veram philosophiam in cognitione veri Dei consistere, probans quoque ex ipsis Ethnicis, hæc ex Porphyrio de Essæis adducit: *Meminit autem & Porphyrius Essæorum, qui in Iudæâ erant, & de illis sic dicit: Ab illâ autem victitandi consuetudine, & ad veritatem ac pietatem exercitatione, meritò in illis multi etiam futura prænoscunt, utpotè qui versantur in sacris libris & variis purificationibus, prophetarumque responsis, rarò autem in prædictionibus aberrant.* Ex Cassiano, & Petro Damiano quædam de Essænis à S. Marco Euangelicâ doctrinâ institutis dicentur infrà articulo XIV. Et hæc de Essenis ex Patribus adducta sufficiant: en quid de iisdem Scripturæ sacræ expositores sentiant.

Essæi dicti Osii, id est Sancti.

(b) in Ascet.

Esseni à delicatis abstinentes.

(c) lib. de hæresi. c. 9.

Philastrius cum prudentia legendus.

286. Hugo Cardinalis *in cap.* 3. *Matthæi*, sic paucis commendat Essenorum Institutum: *Essæi erant religiosissima vitæ, & longè arctioris quàm Monachi nostri temporis.* Abulensis *in idem cap.* 3. *Matthæi, quæstione LXIII.* agens de quatuor generibus philosophiæ, seu opinionum apud Iudæos, tertiam dicit esse Essenorum: *Et isti erant valdè laudabiles. Vndè non solùm Iudæi, sed etiam Gentiles illos valdè laudabant*, inquit. Ibidem rationem reddit, cur de illis (sicut de Sadducæis, & Pharisæis) nulla fiat mentio in Euangeliis; *quia erant viri boni*. Ibi consequenter hæc de illis refert: *Ad Deum omnia referunt . . . Omnes illis in medio opes sunt. & ab eis omnia communia possidentur. . . . Nihil amplius inter eos dives ditior fruitur; nihil pauperior defraudatur, ac si nihil omnes possideant . . Cibus illis simplex est.* Hæc & alia Abulensis: consequenter agit de alio genere Essenorum: *Est autem*, inquit, *Hessenorum alterum collegium, cibos quidem, & mores, & leges cum prioribus similes habens: distat verò opinione conjugii.* Erant igitur duo genera Essenorum: prioris, in paupertate, castitate, & obedientiâ convíventes, veri nominis Religiosi: posterioris in matrimonio religiosè Deum colentes; & isti erant quasi Religiosi, veluti nunc Tertiarii Ordinum Religiosorum. Dionysius Carthusianus in *enarratione Euangelii: Miserunt Iudæi ab Hierosolymis* (a) agens de Essenis, conformiter scribit Abulensi, nullam de eis fieri mentionem in Euangeliis; *quia erant viri boni*. Sic igitur Dionysius *castam, sobriam, ac religiosissimam vitam duxerunt, de quibus non fit in Euangeliis sermo: qui Christum non persequebantur,*

Essæi vita religiosissima, & aspera.

cur de illis non fit mentio in Euangeliis:

silentium valde colebant:

(a) parte 1. Sermonum de tempore pro Dom. 3. Adventus.

vita erant religiosissima,

bantur, ut alia secta. Ita quoque Baronius, & passim alii. Thomas etiam Bevaxamis in dictum *caput 3. Mathæi* similia jam dictis scribit.

287. Cornelius à Lapide *in Acta Apostolorum ad versum 2. capitis 5.* plura habet de Essenorum Instituto, & perfectione: *Quàm religiosa,* inquit, *sancta, & excelsa fuerit primorum fidelium vita, liquet ex Essenis, quos instar Hierosolymitarum Alexandria instituit S. Marcus. Essai enim, vel Esseni nuncupati sunt quasi* ὅσιοι, *id est sancti.* Et infrà ex Philone, & Eusebio: *Discunt igitur piè, sanctè, justèque vivere; triplici regulâ utentes, amore Dei ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, charitate proximi ferventissima.* Et post alia tradit, *eos fuisse opum contemptores, paupertatis, & vitæ communis amantes, religiosos erga Deum, silentio deditos, psalmodos, mites, fideles, pacificos, continentes, justos, abstinentes, longævos, in tormentis constantes, imò ridentes, immortalitati & æternitati viventes, quasi heroës & semideos: quos origine & genere fuisse Iudæos, sed in Christianismum transisse, & fide, ac religione fuisse Christianos, docet Epiphanius loco citato, S. Hieron. in Philone, & S. Marco, Sozomenus, Cedrenus, Beda & alii.* Esseni igitur Hebræi, & ante S. Marcum existentes, prædicatione ipsius S. Marci, & aliorum Apostolorum *ad Christianismum transierunt*, & ab ipso fuêre perfectioribus vitæ Religiosæ Institutis imbuti, & eorum status Religiosus Christianæ perfectionis complementum accepit, sicut latiùs declarabitur *cap. XIV.* Conformiter scribit commentans *in caput primum Epistolæ canonicæ S. Petri*, ubi sub titulo marginali: *Christianorum primorum mira sanctitas*, ubi ista: *Quàm enim Essai in omni conversatione fuerint sancti, ex Porphyrio, jurato licèt Christi, & Christianorum hoste, & obtrectatore, disce, mirare, & imitare.* Consequenter ex Porphyrio & Eusebio recensitis eorum virtutibus præclaris & eximiâ pietate, concludens hortatur ad imitationem Essæorum: *In hoc speculo intuere te, tuosque mores, ô Christiane; & si te ab eis longè abesse deprehenderis, conare eos insequi, & assequi.* Hactenùs ex Cornelio aliquantò prolixiùs; eò quòd ipsius auctoritas hîc magni ponderis sit; cùm ipse notissimus interpres generalis ferè in totam Scripturam, Essenorum instituta diligentissimè indagaverit, & accuratè tradiderit, non uno in loco sed constanter in variis. Ipsos autem fuisse *propagatores monachorum, & anachoretarum, angelicam in terris vitam agentium: idque durasse per plura secula*, tradit in *argumento ad Euangelium S. Marci*, ubi ista: *Quàm religiosus, fortisque fuerit S. Marcus, liquet ex institutione Essæorum qui primi fuêre Religiosi, & Religiosorum omnium prototypi, de quorum mira sanctitate paulò post plura* (nuncupat *primos Religiosos*, scilicet in nova Lege & Christiana perfectione). Et infrà: *Essai id est sancti, & pii, cognominati sunt. Hi enim quasi primi Religiosi in tantâ puritate, pietate & sanctitate vixerunt, ut toti Orbi essent admirationi, cæterisque Ecclesiis essent perfectionis exemplar, & speculum, adeò ut eos mirificè laudet Iosephus, & Philo lib. de Therapeutis. Vndè S. Hieron. & Cassian. Marcum vocant principem, & institutorem Cœnobitarum. Atque hac de causa Essai, se ex Alexandriâ per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Vndè factum, ut ibi essent plurima monachorum, & Anachoretarum examina, qui angelicam in terris vitam agebant, idque duravit per plura secula, ut patet ex S. Hieron. Vitis Patrum, Evagrio, Palladio, Cassiano, & aliis.* Jacobus Tirinus *in Mathæi cap. 3.* sic paucis multa de Essenis asserit: *Omnium ut antiquissimi, ita & religiosissimi erant Esseni.* Et in caput 10. Numerorum cum Serario, S. Nilo, & Suida refert *Rechabitas eosdem fuisse cum Essenis: ac ab his vitam anachoreticam ac monasticam ad Christianos derivatam esse.* De Essenis magis ex professo tractat idem Serarius *in Machabæorum Harmoniâ*, & latissimè *in Tribæresio*, undè quædam excerpta hîc infrà sequuntur.

& sancta, ac sublimis,

à S. Marco eruditi,

genere Hebræi, fide ac religione Christiani.

Speculum perfectionis Christianæ.

Esseni fuêre toti orbi admirationi,

continuati per plura secula,

religiosissimi & antiquissimi.

CAPVT VII.

Theologi, & Scriptores Controversiarum de Instituto Essenorum.

288. Quoad Theologos, magnæ inter eos æstimationis Dominicus Soto Ordinis Prædicatorum *in librum quartum sententiarum* tractans de voto Virginitatis, & castitate veteris Legis, ita scribit. (a) *Veritas hæc præterea multis Prophetarum exemplis comprobatur. Isaias namque, Eliseus, & Ieremias, ut Hieron. lib. 1. contra Iovin. auctor est, compluresque alii, à re uxoriâ se prorsus abdicarunt: circumeuntes (uti ait Paulus ad Hebr.) in melotis, & in pellibus caprinis, in solitudinibus oberrantes, & in speluncis, & cavernis terræ: & Iosephus, ac Solinus referunt, ante Christi adventum, Essenorum collegium in deserto Iudææ, more nostrorum anachoretarum, sanctissimam deguisse vitam, ab uxoribus prorsus, & ab omni conspectu femineo semotissimam: quorum institutum secutus est Ioannes Baptista.* Istis manifestè declaratur, *Essenos* fuisse Monachos orthodoxæ fidei, & vitæ sanctissimæ; cùm ejusdem Instituti inter eos vixerit Christi Præcursor, quod infrà etiam ex aliis confirmabitur. Ejusdem nominis, ac Ordinis Dominicus Gravina, in libro cui titulus: *Vox turturis* (b) ista de Essenis scribit: *Permanserunt verò hi prophetarum Filii usque ad tempora Apostolorum ex Eusebio, successerunt eis illi qui supra Eliæ institutiones aliis supererogaverunt, fortè ab Eliseo propheta eorum magistro acceptas, hi fuerunt Esseni.*

289. Sixtus Senensis, ejusdem quoque sacri Instituti, *in Bibliotheca sancta lib. 2.* agens de Traditionibus, eâ occasione de Essenis antiquis Hebræis ista scribit: *Esseni insigniores pietatis cultores, nec multùm Christianis Monachis absimiles, his legibus, ac sanctionibus seipsos addixerunt.* Præcipuas ibi consequenter adfert, & inter cæteras: *Communis sodalitii præfecto parendum esse, ut nihil sine ejus præcepto fieri*

(a) Distinct. 30. q. 2. art. 1.

Essenorum instituta sanctissima secutus S. Ioan. Bap.

(b) parte 2. cap. 15.

insigniores pietatis cultores.

Esseni veste alba usi. *fieri liceat. Continentem ac castum vitam ducere. Omnes facultates communes esse. Albis vestibus utendum. Novitios candidâ veste, & perizomate indutos explorandos per tres integros annos. Ante Solis ortum publicis laudibus auctorem nascituri luminis celebrandum. Omnia fati, hoc est Dei voluntate regi. Summam post Deum exhibendam esse Legislatori Moysi reverentiam.* Et ista de Essenis antiquis, ante Christum, ut satis innuunt posteriora verba, atque etiam alia ibi consequenter, de deferendâ dolabellâ præscriptâ in Lege Mosaicâ, eam ibi agere de Essenis antiquis Hebræis satis indicant. Bibliothecæ sanctæ meritò subjungatur Bibliotheca selecta Antonii Possevini è Societate Jesu, in qua ista de Essenis (a): *Sub Essenorum nomine Philo vitam Monachorum B. Marci scripsit in libro de vita contemplatrice, cujus meminere Hieronymus & Eusebius. Conferat prudens Lector Iosephum cum Philone, & utrumque eorumdem vitam scribere comperiet.* Henriquez in Summa (b) de iisdem: *Ab Elia fertur Essaorum Religio ortum habuisse in monte Carmelo.* Ascanius Tamburinus (c) hæc de obedientia Essenorum: *Cùm autem constet Essenos, & Filios Prophetarum communem vivendi rationem, in uno corpore seu congregatione observasse; probabiliter dicendum est, ipsos unum caput, ac unum ducem etiam sibi constituisse, cui obedientiam promitterent; nam aliàs nec ordinatè, nec politicè vivere potuissent.* Arboricensis quoque (d): *de Essenorum obedientia quid attinet dicere, quorum disciplina, vivendique formula, ac parendi necessitas à Iosepho pariter ac Philone multis nominibus commendatur. Et tomo primo notabili* 8 afferit ab eis, *universam Monachismi panopliam suis absolutissimis coloribus ornatam.*

(a) cap. 56.
(b) To. 2. lib. 12. c. 15
(c) de Jure Abbat. disp. 1. q. 1. n. 3.
(d) Tom. 2 de Cœlibatu.

290. Inter Scriptores Controversiarum, Principes (ni fallor) Thomas Waldensis, & Cardinalis Bellarminus, approbant quoque, & propugnant Essenorum Instituta: prior quidem in celebri Opere nuncupato *Doctrinale fidei*, in quo (e) sub isto titulo: *Monachorum quorumdam apud Hebræos commorantium regula, ac vivendi ratio describitur*, ubi de Monachis Hebræis ista: *Philo Pythagoricus suis temporibus refert, undique egregios Hebræorum in quodam prædio circa stagnum marinum in colle positum philosophantes: habitaculum verò eorum, & cibos, & conversationem talem introducit, qualem & nos nunc apud Ægyptiorum Monachos esse conspicimus.* Deindè de eorum conversatione subdit: *Domus autem eis esse Sacraria, quæ apud nos* MONASTERIA *nuncupantur, & in eis conversatione solitariâ, honesta celebrare mysteria, diligenterque Psalmis, & Hymnis placare divinitatem, & ante Solis occasum nullos gustare cibum: alios autem per tres dies, & amplius, certisque diebus in pavimento habere cubilia: cibum eis esse panis & salis, & hyssopi, & potum aquæ.* Et infrà de iisdem: *Præcipuè verò insignissimam Ecclesiam demonstrarunt, & dogmata dilataverunt vita virtutibus, qui conversatione Monastica illo tempore fruebantur.* Per ultima ista verba, *Ecclesiam insignissimam demonstrarunt*, confirmantur, ea quæ ex Josepho Antiocheno, Joanne Jerosolymitano, & aliis dicentur hîc infrà *in Speculo Carmelitano tomo 1. parte 1. lib. 5.*

(e) To. 1. lib. 2. c. 14. art. 2. n. 11.
juxta stagnum MARIAM quam pia & austera eorum vita.
Ecclesiam insigniss. demonstrarunt.

291. Bellarminus verò *Tomo primo Controversiarum libro de Monachis cap.* 5. hæc de Philone, & libro ejus *de vita Contemplativa*, in quo de Essenis: *Philo igitur in libro de vita contemplativa supplicum, prolixè admodùm describit vitam, & mores Monachorum, & sacrarum Virginum, quos instituit in Ægypto S. Marcus Euangelista, ubi apertè ponit professionem continentiæ, & paupertatis, jejuniorum, psalmodiæ &c.* Deindè ostendit, illos, de quibus scribit Philo, fuisse Essenos, orthodoxæ fidei, & non hæreticos illos Samaritanos, de quorum sectâ agit S. Epiphanius: *Probemus igitur*, inquit, *breviter non dialecticâ ratiocinatione, sed testimoniis Patrum, Philonem de Christianis esse loquutum.* Quæ ibi consequenter adfert, videlicet Eusebii, Epiphanii, Hieronymi, Sozomeni, Nicephori, Bedæ, concorditer adstruentium, Essenos, de quibus Philo, fuisse orthodoxæ fidei, & Monachos. Denique satisfacit cuipiam objectioni, disseritque problematicè, an de eisdem Essenis scribant Josephus, & Philo: quod peculiariter discutietur hîc infrà *cap. XII.* Ex pio pariter & erudito Petro Canisio, de Essenorum fide quædam adducta sunt hîc suprà *c.* 1. Istorum merita in sacræ litteraturæ panopliâ ponè assequitur Martinus Becanus, qui in *Analogiâ veteris & novi Testamenti* Instituta, & ritus Essenorum in compendio exhibet (a): *Primus, abhorrebant à voluptate, & vivebant cœlibes. Secundus, habebant bona communia, more Religiosorum. Tertius, non utebantur famulis, sed ipsi sibi ministrabant. Quartus, in victu sectabantur austeritatem. Quintus, albis utebantur vestibus.* Consequenter agit de eorum pietate, silentio stricto, orationibus, probatione novitiorum, & aliis monasticis observantiis.

à S. Marco eruditi.
orthodoxæ fidei, monachi.
(a) cap. 10. q. 10.

CAPUT VIII.

Latinorum historicorum, atque aliorum illustrium Scriptorum placita de Essenis.

292. HIstoricos antiquos, Judæos, & Ethnicos, ac Christianos, Græcos Patres quoque & Theologos de Essenis, hactenùs produximus: En hîc quædam de eisdem delibata ex Historicis Latinis: inter primos occurrit Aurelius Cassiodorus vir clarissimus, undè quædam ad propositum adducta sunt hîc suprà: (b) is in *Ecclesiastica historia Tripartita* (c) tractans de Monachis, & Eremitis in primordiis Ecclesiæ Christianæ, de illis scribit, quòd *insignissimam ecclesiam demonstraverunt, & dogma dilataverunt vita virtutibus.* Ibi consequenter, cùm retulisset Monasticæ, & Eremiticæ conversationis principes fuisse *Eliam & Ioannem Baptistam:* imme-

Latini scriptores de Essenis.
(b) n. 102.
(c) lib. 1. cap. 11.
Cassiodorus.

immediatè subdit: *Philo autem Pythagoricus suis temporibus refert undique egregios Hebræorum in quodam prædio circa stagnum MARIAM in colle posito philosophatos. Habitaculum verò eorum & cibos & conversationem talem introducit, qualem & nos nunc apud Ægyptiorum monachos esse conspicimus.... Domos eis esse sacraria, quæ apud nos MONASTERIA nuncupantur: & in eis conversatione solitariâ honesta celebrare mysteria, diligenterque psalmis & hymnis placare divinitatem: & ante solis occasum non gustare cibum, alios autem per tres dies & amplius: certisque diebus in pavimento habere cubilia.* Et aliquantò post: *Illud tamen apud omnes constat, quia ad summam reverentiam, atque perfectionem, moribus, exercitationibusque decentibus, hanc conversationem usque perduxit Antonius maximus monachorum.* Cur autem de illis, Christianis, Philo Judæus scripserit, hanc reddit rationem: *Et Philo quidem hôc modô referens, videtur aperire, quia hi qui ex Hebrais secundùm eum Christiani sunt facti, adhuc Iudaicè viverent.* Igitur ex sententia Cassiodori, isti, de quibus Philo (Esseni, seu Essæi) tempore Apostolorum, quo vivebat Philo, *insignissimam Ecclesiam demonstrarunt*, ex Hebræis facti Christiani: in nonnullis tunc adhuc Judaicas institutiones servantes licitè, sicuti & ipsi Apostoli quoquè, prout mox audiemus. Erantque sequaces S. Eliæ, & S. Joannis Baptistæ: & idem vitæ institutum amplexatus fuit, ac *ad summam reverentiam, atque perfectionem moribus, exercitationibusque decentibus, hanc conversatione usque perduxit Antonius.* Et ista omnia constant ex ante dictis, & ex sequentibus confirmabuntur.

Esseni habitant in locis solitariis, in monasteriis,

Dei laudibus vacantes

eorum conversationem S. Antonius ad summam perfectionem perduxit:

tempore Apostolorum Ecclesiam exornarunt.

293. Petrus Comestor (magister historiæ Scholasticæ) in *Euangelica Historia* (a) præcipua Essenorum Instituta his complectitur verbis: *Esseni Monasticam vitam ducebant, nuptias fastidientes, omnia habebant communia, squalorem decus putabant, semper erant in veste candida, ante solis ortum nihil prophanum loquentes, simul cum silentio edebant.* Istis consonat Jacobus Philippus Bergomensis *in Supplemento Chronicorum* (b) ubi ista: *Vitam Monasticam tenent Esseni... Nec inhonestus sermo unquam de Essenis in historiis habitus est.* Bergomensi contemporaneus fuit Joannes Trithemius Abbas, qui in libro *de origine, & laudibus Ordinis Carmelitani cap.* 2. tractans de Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum, atq; illorum successione, hæc inter cætera habet sub finem: *Denique, si de Monachis, qui ante Christi nativitatem in Iudæa floruerunt, altiora scire desideras; historias Philonis Alexandrini & Iosephi Ierosolymitani Iudæorum legas:* Eadem tradunt Petrus de Natalibus, Aloysius Lipomanus, & Laurentius Surius, *in vita S. Marci.* Ex mente igitur Trithemii, Filii Prophetarum, & illi de quibus Philo & Josephus, Monachi fuerunt, ejusdemq; Instituti. Vide hîc infrà *c. XV.*

(a) cap. 29.

Esseni in veste alba.

(b) circa an. Christ. 30.

294. Gilbertus Genebrardus Chronographus, inter accuratissimos reputatus, *libro primo Chronographiæ* ad ann. mundi 3272. *Eliseus miris, & inusitatis operibus insignis 4. Reg. 12. &c. construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros: fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis.* Et *lib. 2. ad an. mundi* 3911. ad tempus perfidi Alcimi, *Assidæos (id est Essæos quasi sancti, Hosidim Hebr.) sexaginta occidit Alcimus. 1. Machab. 7. Erant ergo ante Machabæos, & Pharisæos Esseni, de quibus Plinius lib. 5.* Iacobus Zieglerus (cjus deferendum auctoritati) eadem tradit & addit: *sub quorum institutis educatus fuit Ioannes Zachariæ, & habitus in Essenis unus prædicatæ sanctitatis.* Quòd Joannes Baptista inter Essenos vixerit, & eorum vitæ rationem tenuerit, tradunt plures alii relati à Lezana *Tomo 1. Annal. Carmelitarum* (a). Inter eos est etiam Dominicus Soto, jam ante adductus, ac Aub. Miræus, Nicolaus Serarius & Jacobus Boulducus hîc infrà. Et certè cùm Esseni fuerint Eliani Instituti sectatores, & S. Ioannes Baptista *in spiritu & virtute Eliæ* vitam Elianæ simillimam duceret, ita ut à Iudæis nonnullis Elias in persona videretur, quid mirum, si Ioannes Baptista inter Essenos, & unus ex eis recenseatur? sed de his satis alibi (b). Conformiter scribit Guilielmus Postellus libro *Cosmographiæ*, in *descriptione Syriæ*, in qua circa torrentem Cison hæc: *Ad illius ripas juxta montem Carmelum, qui nunc Carmenè est, locus est celebris, in quo falsos prophetas divinâ ultione occidit Elias, qui sui monumenta etiamnum in fine occiduo ipsius montis servat Carmelitarum; undè in totum Orbem Ordo serpsit:* jungit, *Indè brevi versùs ortum itinere, est Iericho, palmetis, aquisque medicatis, ac suis clara ruinis, habens è regione Galgala, ubi fuit prima Iudæorum castrametatio: indè Essenorum gens, commendata castitatis, erat in occidua Asphaltidis parte; infra quos erat Engheddi, & Maceda castrum.* Idem in peregrinatione Christi secundùm Mattheū hoc refert, de persona loquens Christi Domini, *Secessit versus Iordanem Baptismi causâ: undè fuisse in Salim ad Iordanem unà cùm Essenis, vero est simile.*

Esseni posteri S. Elisei,

fuerunt ante Machabæos:

(a) ad an. mundi 4052.

inter eos vixisse traditur S. Ioan. Bap.

(b) cap. 3. sub finem.

295. Arnoldus Bostius, Carmelitani Ordinis Historicus ex præcipuis, in libro *de Patronatu B. Virginis cap. 3.* cùm Instituta Essenorum (quos *Prophetici Ordinis viros* identidem nuncupat) descripsisset, tandem sub finem: *Hæc*, inquit, *ferè omnia Philo Iudæus sui generis honori studens in diversis libris suis de prophetici Ordinis viris successoribus Eliæ disseruit. Quos constat Hebræos quidem fuisse, & veluti cæteros Israelitici generis Christianos sanctissimæ Dei Matris Mariæ & Apostolorum (quibus Philo convixit) tempore, Iudaicis adhuc Institutionibus & Legis observationibus licentèr adhæsisse. Non enim lex vetus mala fuit, quemadm. Idololatria; & ideò neque subitò repellenda, sed debuit cum honore sepeliri Synagoga, ut tempore suo bona fuisse palàm ostenderetur.* Istis (quod Esseni fuerint S. Eliæ successores) adstipulatur alter insignis Historiographus Ordinis Ioan. Palæonydorus *in historia Carmel. lib. 1. cap. 5.* ubi scribens de successione Filiorum Prophetarum inter cætera hæc: *Essæi, qui in veste candida ad imitationem Eliæ incedentes, nuptiasque fastidientes,*

Philo scripsit de Essenis; quia plerique Hebræi tunc,

Iudaicis nonnullis institutis licitè inhærentes.

stidientes, monasticam agebant vitam.

296. Cardinalis Baronius, Annalistarum vertex, peculiariter tractat de Essenis *Tomo primo Annalium ad annum Christi* 64. ubi de eorum orthodoxa fide, ista: *Eosdem, qui erant in Ægypto, Essenos, fuisse Christianos*: id comprobat auctoritatibus veterum, additque: *hoc ipsum, Beda, & alii recentiores, Novatoribus exceptis, eò quòd Monachorum instituta summo odio prosequantur.* Et infrà: *Caterùm haud incongruũ erit dicere Essenos à Rechabitis descendere.* Prosequitur Baronius: *Admiratione planè digna res est, quidnam sit, quòd cùm in Euangelio de cateris omnibus Iudaeorum sectis habeatur mentio, nempè de Pharisaeis, Sadducaeis, Galilaeis, & Herodianis; de Essenis, quorum vita institutio videri poterat prae cateris admiratione digna, omnis memoria silentio prorsùs obvoluta remanserit.* Et post alia, respondet: *Verùm nec in hoc contentiosum funem trahimus, ut negemus ante Christũ fuisse Essenos. Demus nihilominùs Iosepho, sive aliis, ut Essenos dicamus fuisse Iudaeos ex Iudaeis, eosdemq; etiam ante Christum Herodis majoris tempore claruisse (nulla enim antiquior apud Iosephum de eis habetur memoria) ac iisdem, quos ait, vitae institutionibus claruisse: quis prohibet dicere, eosdem praedicatione Apostolorum conversos, inter Christianos professos esse?* Quod dicitur: *Nulla antiquior apud Iosephum de eis habetur memoria*, salvâ reverentiâ praestantissimo Cardinali debitâ, an non de Essenis habetur memoria antiquior apud Josephum *lib.* 13. *Antiquitatum c.* 18. (juxta impressionem aliam *c.* 19.) ubi de Iuda Esseo tempore Hircani, & Filii ejus Aristobuli, uno seculo ante Herodem. Eodem libro *c.* 8. (aut *cap.* 9. juxta aliam editionem) refert Essenos fuisse tempore Machabaeorum, & *lib.* 18. *c.* 2. *Antiquitatum* scribit: *Essenos à multis retrò seculis extitisse.* Sed ista hic obiter: nam de Essenorum antiquitate peculiariter agetur *cap. XI.*

Esseni ex Rechabitis. *Iudaei ex Iudaeis,* *praedicatione Apostolorum facti Christiani:* *seculis aliquot ante Christum:*

297. Consequenter Baronius declarat, qualiter Essaei, Hebraei, redditi sint Christiani: *Nam, inquit, si (quod naturâ insitum est) habentium symbolum sit facilis communicatio: quomodò non magis ex his quàm aliarum sectarum Iudaeis Christiana religio potuit propagari? Equidem omnes sectas, quae erant in Palaestina Christũ Dominum aliquandò aversatas esse, nempè Pharisaeos, Sadducaeos Herodianos, & Samaritas, Euangelicâ attestatione exploratum habetur. De Essenis verò, quòd aliquandò vel Domino, vel ejus Apostolis atque discipulis vel minimum negotium fecerint, nusquam legitur; Immò quò magis hi Pharisaeis, ac Sadducaeis dissentirent, eò faciliùs Christianis consensisse, quos illi vehementer aversarentur, facilè credi potest.* Deindè scribit, Essenos, de quibus Philo, provenisse ex iis de quibus Iosephus: *Et, ait, de his: illud non leve argumentum: nam antiquiores Esseni, qui à Iosepho describuntur, ab his qui à Philone sunt positi, nonnihil differunt: ut appareat, hos ex illis provenientes, non tamen eosdem esse cum illis, quippè qui Christianam religionem consectati, pristinum vitae genus, ubi Christiana religio non contradiceret, non reliquerint, sed perfectiorem nacti legem, excultiorem quoque vitae institutionem sint professi.* Attamen hos, & illos censet variis ritibus, & institutis fuisse distinctos. Sed de hoc specialiter hic infrà *c. XII.* Pergit deniq; *n. XI* confirmare Essenos de quibus Philo, fuisse Christianos: *Et undè, rogo, tantopere post Euangelii praedicationem, testante Philone, longè lateque per Orbem auctus est numerus Essenorum, nisi quòd iidem erant Christiani, praedicatione Apostolicâ ubique gentium propagati? Quòd si & observationem diei Sabbati Philo in Essenis commendat; haud mirum est, cùm & Apostolos etiam Iudaizasse, eorum Acta testentur.*

per eos Christiana religio propagata. *Esseni ex Iudaeis Christiani, ad majorem perfectionem sublimati.* *per Apostolos propagati;* *licitè judaizabant.*

298. Essenos verò istos, de quibus Philo, Monachos fuisse, & continuatâ successione perstitisse, asserit *To.* 2. *Annal.* (a) agens de S. Eugenia: *Eugenia*, inquit, *in Christum credens nuptias aversata, unà cum fidelibus Eunuchis Protho & Hyacintho, virili habitu delituit inter Monachos, quos Essenos à Philone dictos esse, superiùs demonstravimus.* Et in *Annotationibus ad Martyrologium* (b) de S. Varo scribens: *Porrò ipsum Monachorum Institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiae viguisse, ex his, quae scribit Philo de Essaeis facilè colliges.* Istos monachos in primis post Christum seculis fuisse magni Prophetae Eliae posteros, aut imitatores, innuit alibi: verba hic ad intentum sunt ista: *Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus* (monasticae scilicet conversationis) *instar Eliae.* Id confirmabitur hic infrà. Quaedam ex eodem Baronio adducta sunt hic sup. *cap.* 1.

(a) ad an. Chr. 188. *Esseni monachi.* (b) ad 19. Octob.

299. Laur. Surius in vita S. Eugeniae, agens de Monachis Heliopoli in Monasterio S. Heleni, circa illa verba: *nullam praetereunt partem diei ac noctis, quae non consumatur in perpetuis precibus & canticis*, annotat: (c) *In monasterio Heleni monachi, quos Essenos vocat Philo, perpetuis vacabant precibus, & canticis.* Ad diem autem 25. Aprilis, ubi de S. Marco, haec, inter alia habet: (d) *Cui nimirum Deus omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam praedicationis efficaciam prarogavit, ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam ac totius sanctae conversationis instantiam, tamquam ad monasticae perfectionis fastigium pervolarent. Vndè & Philo disertissimus Iudaeorum, cum de primatu B. Marci apud Alexandrinam Ecclesiam scriptitat, in Christianorum laude versatus, eorum habitacula, monasteria nuncupat.* Isti autẽ, de quibus Philo, Esseni sunt, sicut ex ante dictis luculenter comprobatum est.

Die ac nocte vacantes Dei laudibus. (c) impress. Colon. anni 1618. ad marginem. (d) ex Pet. Damiano.

300. Annalistae veteris Testamenti haud immemores Essenorum haec de illis commemorant: Augustinus Torniellus (e): *Esseni & Assidai pietate ac sanctitate caeteris praestare studebant. Assidai enim qui primo Machabaeorum cap. 7. & secundo Machabaeorum cap.* 14. *memorantur, ab Essenis nomine tenùs discreti fuisse creduntur.* Iacobus Salianus (f) *Assidai autem sicut Esseni, Religiosi erant illorum temporum.* Henricus Spondanus (g) de iisdem scribit: *Essenos in agris monasticam, & austerissimã vitam egisse.* Aubertus Miraeus, Ecclesiasticae antiquitatis indagator, & illustrator insignis, in libro cui titulus *de ortu, & incrementis Ordinis Carmelitani ab Elia inchoati.* Haec de

(e) in Annal. *pietate praestantes.* (f) ad an. mundi 3893 n. 48. (g) ad an. mund. 3978 n. 2. *Esseni Eliae posteri tradacti in Ægyptum:*

Esseni Eliæ posteri traducti in Ægyptum:

de origine, & successione Essenorum tradit: *Nec Palæstina, Syriave tantum finibus cœlestis institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu, lectissimæ gentis colonia, quos Essenos nuncupabant, deducta sunt, ut Eliæ imitatione Alexandria quoque clareseeret.* Et post alia: *Illi verò Prophetarum filii, Essenive Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni posteà in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem, usque ad Virginis partum produxerunt.* Conformiter scribunt Honuphrius Manefchalcus (a): *Eliæ Religio continuata est per Prophetarum Filios, aut per eos Religiosos qui Esseni, vel Elisæni ab Eliseo appellati sunt.* Et Justinus Miechoviensis (b) *Hi sunt quos Iosephus, & Philo doctissimi Iudæi Essenos, Carmelitarum Scriptores Elisenos, hoc est Eliæ, & Elisei sectatores appellant.*

(a) Tom. 1. Concion. conc. de B. Maria de monte Carm.
(b) Disc. 22 super Litan.

301. Joannes Carthagena Ordinis Minorum Homiliographus percelebris *lib.* 17. (c) cùm Patrum, & Scriptorum auctoritatibus, ac rationibus probasset Essenorum antiquitatem; eos fuisse Eliæ, ac Elisei posteros confirmat hâc, inter cæteras, ratione: *Eodemque loco habitasse Essenos, nempè in desertis Hiericho, Plinius, & Solinus, ut supra senserunt: & quamvis Genebrardus expressè non affirmet, Essenos ab Eliseo Propheta immediatè in monasticâ disciplinâ fuisse institutos, clarè tamen docet, ab ipso, sive à propheticâ suâ familiâ ortos fuisse: idque colligitur apertè ex Nicephoro lib. 2. Ecclesiastica historia c. 15. qui de Essenis differens: Eos, ait,* VITAM PROPHETICAM FLAGRANTI, ATQUE FERVENTI FIDE MEDITARI, ATQUE ÆMULARI: *quæ est igitur hac* PROPHETICA VITA, *nisi ea, quam Elias & Eliseus, filiique prophetarum coluère? in hujus verò rei confirmationem argumento usus in hac materia validissimo. Nam Esseni (de quibus Philo, & Iosephus, ut infrà dicemus, plura admiratione digna scripserunt) fuerunt à Divo Marco in Ægypto legibus, & institutionibus Euangelicis imbuti, aliisque Canonibus, & observantiis monasticis instructi, ut post Nicephorum, & Eusebium lib. 2. cap. 15. & 16. & Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marcum, communis tenet Catholicorum sententia.* Quæ cùm auctoritatibus stabilivisset, tandem sic concludit: *Porrò argumentum (ut ad propositum redeamus) hac ratione formare licebit. Cassianus lib. 1. de institutis renunciantium, ferè per totum, Monachos Ægypti, & Palæstinæ, ab Eliâ, & Eliseo, filiisque Prophetarum originem ducere sæpè docet, ac repetit* (quæ inde inferuntur, videantur hîc infrà cap. XV. in fine) & aliquantò post de etymologia nominis Essenorum: *Licèt demus Essenos à vitæ sanctitate esse nuncupatos, quod voluit Chrysostomus homil. 44. in Acta Apostolorum, idque Philo in libro, cujus titulus est, quod liber sit probus; apertè significat: tamen si nominis Etymologia attentè consideretur, Essenos, sive Essæos, ut alii volunt, ab Eliseô potiùs dictos, quasi Elisenos, veriùs apparet, quæ denominatio placuit etiam doctissimo Henrico Enriquez, nostri temporis auctori gravi, ac perdocto.* Sed de etymologia nominis Esseni, deque istorum antiquitate, & monastico Instituto, peculiariter agetur in sequentibus.

(c) Hom. 2.

à S. Marco Euangelicis institutis imbuti:

posteri Eliæ, & Elisei.

302. Nebridius à Mundelheim Canonicus Regularis S. Augustini, *Antiquarii monastici* auctor. de re monastica benè meritus, cùm ex Philone, Eusebio, & aliis prolixè differuisset de *Essais*, seu *Essenis*, quos etiam *Therapeutas*, & *Hosios* nuncupatos tradit (a), tandem sub isto titulo (b): *An Esseni fuerint nostri monachi?* Respondet: *Essai non modò Christiani, verùm etiam monachi fuerunt: &* paulò infrà: *Lac lacti similius esse nequit, atque est Christi, Apostolorum, & Essæorum vita: &* post pauca: *Essai proindè monachi Christiani fuerunt, à discipulis Christi per orbem instituti, de gente præcipuè Iudæorum conversorum, undè adhuc judaizabant in Iudæa & Ægypto: nam etsi veteris Legis ceremoniæ post mortem & resurrectionem Domini, ait S. Augustinus, amiserint, tamquam vitam officii sui, verumtamen sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erant quodammodò ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tamquàm canum morsibus projicienda.* Istis concinunt Arnoldus Bostius, & Cardinalis Baronius hîc paulò ante relati. PP. Bollandus, & Henschenius in *Actis Sanctorum* Commentario prævio ad vitam S. Antonii (c) §. 3. cujus titulus est: *Exercitatio prima Monastica in Ægypto* hæc de Essæis: *Exordium eorum* (Monachorum) *ab Essais, ex Philone lib. de vita contemplativa, repetunt S. Hieronymus lib. de scriptor. Eccl. in Marco & Philone; S. Epiphan. hæresi 29. Eusebius, Cassianus, Sozomenus, Nicephorus. Beda aliique.* Et infrà: *Ex horum posteris fuit S. Frontonius apud Nitriam Abbas septuaginta Fratrum, tertio decimo anno imperii Antonini Imperatoris, circiter an. Chr. 150. integro ante ortum S. Antonii seculo.* Monachi, itaque Ægypti, soboles sunt Essenorum de quibus Philo: & illorum conversationem ad summam perfectionem perduxit S. Antonius, sicut Cassiodorus, & alii tradunt.

(a) epist. 13.
(b) epist. 14.

Essæorum vita instar Christi, & Apostolorũ.

Lex vetus quoad ceremonialia quando defierit.

(c) ad diem 17. Jan.

Essai primitiæ monachorum in Ægypto.

S. Fronto Essenus.

CAPUT IX.

Scriptores ex professo de Essenis tractantes.

303. DE Essenis peculiariter audiendi, qui non obiter, sed ex professo de illis scripserunt: istos inter primus est Philo: Inter recentiores, originem, antiquitatem, & instituta eorum investigavit diligenter Adrianus Adrianius, ex primis Societatis Jesu Theologis, & Scriptoribus, qui ante annos centum (scilicet anno Christi MDLXX.) librum linguâ vulgari edidit *de origine, & progressu vitæ Monasticæ*: quam ex veteri Lege ad novam traducit per Essenos, de quibus c. 2. cujus titulus est: *De SS. Essenis*: ubi ista: *Cùm Doctores, Scriptoresq; antiquissimi, tàm fideles quàm infideles mirabilem horum vitam egregiis laudibus efferant: mihi* videtur

Adrianus Adrianius Soc. Iesu.

De origine monasteres & de Essenis peculiariter scripsit.

videtur de iisdem hic agendum paulò latiùs. Et aliquantò post: *Iudaeorum meliores Eliae atque Elisei discipuli Esseni appellati sunt: atque è vicinioribus Engaddi locis totam pervaserunt Ægyptum, quae Schiti appellatur, sanctâque suâ conversatione victoriam adepti sunt Euangelicae veritatis; haud dubium post martyres ipsi Christianorum, spirituales milites, ipsorumque fortissimi. Vndè liquet hos Essenos, vel Hessenos, ipsos esse Filios Prophetarum, de quibus capite antecedente dictum fuit: qui quidem diversis in locis temporum decursu admodùm multiplicati usque ad Christi Domini tempora, in primâ suâ institutione vitaque spiritualis amplexu, multis annorum centuriis constantissimè perstiterunt, ut infrà adhuc liquebit. Similia scribit Plinius* (a) *infidelis, alioqui Scriptor magni nominis, & princeps historiae naturalis, qui vixit sub finem temporum Apostolicorum, qui hac inter caetera,* PER SECULORUM MILLIA (INCREDIBILE DICTU) GENS ÆTERNA. Hæc Adrianus, etiam aliorum veterum auctoritatibus eruditè, ac solidè ea comprobans, præsertim Essenorum antiquitatem, & existentiam longè ante Christi nativitatem, eorumque sanctæ vitæ institutiones.

Iudaeorum meliores, Eliae posteri Esseni.

(a) lib. 5. cap. 17.

Nicolaus Serarius de Essenis accuratè scripsit.

304. Nicolaus Serarius ex eadem Societate Jesu in opere inscripto *Tribaresium*, librum habet ex toto ferè de Essenis differentem: *Capite* 1. indagat originationem nominis *Esseni*, & adfert varias sententias: duodecima est, quòd nomen *Esseni* derivetur ab Hebræo nomine *Chasid* à quo Syriacum *Chasi*, & *Chosio* id est ὅσιος *Sanctus*, ita ut duritie vocis mollitâ fit *Asaus*, vel *Essaus*. *Capite* 2. differens de probabilitate omnium opinionum, istam duodecimam approbat; tùm quia ea sincerior est vocis *Esseni* etymologia; tùm quia ea vera est, & genuina Philonis, & Eusebii sententia; tùm quia eam litteris consignarunt S. Chrysostomus, Theophylactus, & alii. *Capite* 5. declarat Essenos sanæ & sinceræ fidei fuisse, ac scrupulos quosdam removet. *Capite* 7. ostendit eosdem esse *Essaeos*, seu *Essenos*, & *Assidaeos*: idque probat hac ratione. *Tempore Machabaeorum erant Assidai, & etiam Esseni, ut habetur ex Iosepho: & tamen tantùm enumerat ipse Iosephus tres sectas, seu dogmata Iudaeorum: ergo sub tertiâ* (Essæorum) *etiam comprehendebantur Assidai.* Sed de hoc peculiariter in sequentibus. *Capite* 8. proponit: *Esseni an Nazarai*, Respondet, quòd propriè, non: posteà subdit: Per quamdam tamen similitudinem, vocari possunt Nazaræi, & quidem perpetui: quia ritus quosdam similes observabant, cultuique sese divino totos mancipabant. Et his quoad exteriorem etiam corporis amictum aptè illud convenit (b) *Candidiores Nazarai ejus nive, nitidiores lacte. Capite* 9. fusè agit de Rechabitis, quos adstruit eosdem cum Essenis: & objectis nonnullis in contrarium satisfacit, prout latiùs hìc infrà. *Capite* 10. proponit: *Possintne Esseni Monachorum, aliorumque Christianorum Religiosorum inchoatores & exemplaria quaedam censeri?* Et respondet: *Possunt sanè* cùm generatim, tùm speciatim, *Generatim* quidem, dum ea, quæ in Religiosorum statu præcipua sunt, servabant, egregiam erga Deum religionem, ejusque causâ, corporis, animique castitatem, voluptatum fugam, paupertatis studium, facultatum omnium communionem, & si quæ similia. *Speciatim* verò dum nonnulla, quæ, præ aliis, certi adamarunt Religiosi, usurparunt, ut hospitalitatem, silentium &c. *Capite* 13. disserit, an de iisdem Essenis loquantur Philo & Josephus? Et respondet, se non meminisse quòd legerit quemquam, istius fuisse sententiæ, qui neget Philonem, & Josephum Flavium scribere de iisdem Essenis: & rationibus quæ diversitatem innuere possent, satisfacit: tandemque resolvit, Josephum potissimùm agere de Essenis practicis, seu Cœnobitis vitæ communis sectatoribus: quodque de iisdem Essenis agat Philo in libro *de probi hominis libertate*, & in *Apologetico*: de Theoreticis, vitæque solitariæ cultoribus, agit in libro *de vita contemplativa*. Plura ad hoc propositum dicentur *cap.* 12. Et hæc quidem ex Serarii *Tribaresio* excerpta: alia quædam opportuniùs ex eodem adferentur in sequentibus.

Esseni sanae fidei,

Esseni, Essai, Assidai, iidem:

(b) Thren. 4. v. 7.

Monachorū exemplaria.

De Essenis iisdem Philo, & Iosephus.

305. Jacobus Boulducus Ordinis Capucinorum, benè meritus de antiquitate Ecclesiæ veteris Legis, in erudito Opere *de Ecclesia ante Legem libro* 1. *cap.* 13. declarat: *Prophetas, qui dicebantur Enoscai, posteà dictos Essaos, vel Essenos.* Indè, & ex aliis fundamentis, eruit eorum probitatem, sanctæ vitæ conversationem, atque antiquitatem. Inter cætera hæc ibi ad propositum: *Consultè credit Abulensis, ab Essenis libenter Christi receptam doctrinam, quos ne verbo quidem Christus reprehendisse unquàm legitur: cùm Pharisaeos & Saducaeos creberrimè, asperrimè, justissimèque arguerit. Imò, propter piissimum, sanctissimum, & antiquissimum filiorum Dei, ad Christum venturum naturalem Dei Filium, analogiam habens, institutum, tamdiu, tamque fideliter, ac religiosè servatum in eis: facilè crediderim, Christum ipsum & Ioannem ejus praecursorem Essenorum duxisse vitam, ut ex mox dicendis apparebit credibile.* Et infrà: *Igitur Esseni, Hasidai, Hascionim iidem sunt.* Ibidem ante agens de *Filiis Prophetarum, & Rechabitis*, dicit eos esse eosdem, *solo nomine differentes.* Libro autem 3. *cap.* 16. ad idem propositum ista habet: *Constat ex libris Regum, multa ac frequentia filiorum Dei, qui posteà Filii Prophetarum sunt appellati, in illâ, aut circa illam tribum extitisse cœnobia: nempè in Galgalis, in Bethel, & in Hiericho.* (Anteà egerat quoque de Cœnobio montis Carmeli) addit deindè: *Quorum archimandritam posterioribus saeculis fuisse Eliam, cui successit Eliseus, ambigendi non datur locus. Eliae autem, & Eliseo successit in officio vir sapientiâ, & sanctitate celeberrimus Ionadab, qui passim in Scriptura dicitur Filius Rechab.* Et post alia de nomine Rechab: *Ab illo ergo die nomen Recheb, seu Rechab, honorabile factū est. Ita ut praecipuus Filiorum Prophetarū Archimandrita, qui in hoc munere successit*

Esseni à Christo non reprehensi, quia boni, & sancti.

cum Essenis vixit S. Ioan. Bap.

Esseni posteri Eliae, & Elisei.

successit Eliseo, filius Rechab, quasi utriusque Rechab, nempè Eliæ & Elisei discipulus appellatus sit, & omnes illius sodalitatis alumni, qui primò Enoscai, deinde Cinai, posteà Cenezai; adhuc Hebrai, Nazarai, & Filii Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ sunt appellati. Quod idem est, ac si Elieitæ, vel Elisæitæ dicerentur. Quòd Jonadab discipulus fuerit Elisei, & ab eo hauserit Religiosam Monasticam disciplinam, & consequenter Rechabitæ ejusdem fuerint Instituti cum Filiis Prophetarum, & posteri SS. Eliæ & Elisei, pleniùs tradetur in *Speculo Carmelitano parte 1. lib. 4. cap. 5.* Quòd Boulducus dicit de S. Joanne Baptista, Essenorum instituta secutum adstruunt alii plures, relati à Lezana (a) qui ibidem moderatur id quod Boulducus & Serarius (b), & alii nonnulli scribunt de Christi Essenatû.

(a) ad an. mundi 4065. & 4081.
(b) in Minervali lib. 5. cap. 26.

306. Quoad Scriptores domesticos (Ordinis Carmelitani) de Essenis, tamquam Ordinis hujus cultoribus, tractant, sed plerique obiter, ut Arnoldus Bostius, Ioannes Palæonydorus, Ioannes Soreth (relati c. 8.) Michaël Munioz in *Propugnaculo Eliæ*, & plures alii. Ex professo autem de Essenis, eorumque vitæ institutis tractavit P. Petrus Wastelius *libro 1. Vindiciarum* (c) ubi ostendit, *Essæos esse Assidæos*, deinde probat *Essæos, veteris ac novi Testamenti unum institutum facere, & dumtaxat differre statu perfectionis quatenùs status perfici natus est. Articulo 9.* per totum demonstrat: *Essæos, de quibus Philo, & Iosephus, filios Sanctorum Eliæ & Elisei.* Quæ omnia ex dicendis confirmabuntur. P. Mathias à S. Ioanne quondam Provincialis Turoniæ, & Vasconiæ *in Historia panegyrica:* & P. Doroth. à S. Renato ejusdē Provinciæ Turoniæ, in *Commentario Theologico, Historico, Morali* luculenter calamis suis subegerunt idem subjectum, de Essenorum antiquitate in Lege veteri, origine ex Rechabitis, & identitate instituti cum Filiis Prophetarum. Ac novissimè P. Franciscus Bonæ Spei Exprovincialis in Provincia Flandro-Belgica in *Armamentario Carmeli parte 1. Scuto 4.* & sequentibus, demonstrat eruditè: *Essenos posteros esse sanctissimi Prophetæ Eliæ in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ,* atque ita veri nominis Monachos fuisse. Ex Patribus Carmelitis Discalceatis peculiariter de Essenis scripserunt imprimìs eruditione, & pietate clarus Thomas à Iesu, *in expositionibus Regularum Monasticarum parte 1. capite 1.* ubi *Instituti Essenorum identitatem cum Filiis Prophetarum, antiquitatem multis seculis ante Christum, & continuationem in primis Ecclesiæ Christianæ seculis, & sanctitatem* demonstrat: eosque nuncupat, & auctoritatibus firmat *insignioris pietatis cultores, Eliæ, & Elisei successores, Christianos Monachos primos.* Eadem prosequuntur Franciscus à S. Maria in *historia Prophetica*, & P. Philippus à SS. Trinitate Generalis in *Theologia Carmelitana.* Et (præ cæteris uberiùs) P. Ludovicus à S. Teresia in libro *de successione Instituti Prophetici Eliani.*

(c) sect. 5. art. 8. §. 4. & seq.

307. Inter omnes autem P. Ioannes Baptista de Lezana (Auctor scriptorum multitudine, varietate, ac eruditione celebris) de Essenis accuratissimè & plenissimè scripsit *Tomo primo & secundo Annalium Carmelitarum*; & quidem *Tomo 1.* potissimè *ad annum mundi 3545.* ubi inter cætera, hæc: *Primò de eorum ortu, & origine; secundò, de nominis Essenorum etymologia, seu derivatione: tertiò, de ipsorum ritibus, formæ, regulàque vivendi: quartò an aliquibus votis obstringerentur; quintò, an verè veteris Legis Religiosi dicendi: sextò, an & quo jure Eliani Instituti asseclæ, professores, & propagatores dici queant.* Illa ibi consequenter prosequitur. Tomo autem secundo *in Apparatu*, prolixè demonstrat sequentia, capite primo per totum, Quòd *Esseni tempore Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum conversati sunt in Palæstina, & Ægypto, ejusdem Instituti sectatores.* Capite 2. quòd *Esseni isti ab Apostolis instructi, Monachi, & Religiosi, ac Religiosorum, seu Monachorum novæ Legis, Duces, ac Antesignani sunt dicendi.* Capite 3. quòd *Esseni, Christiani, magna ex parte, & Christianorum primitiæ fuerint.* Capite 4. quòd *Prophetici, & Eliani Ordinis continuatores, & propagatores Esseni cognominandi.* Etiam in decursu utriusque Tomi istius passim de istis disserit: loca reperientur inspectione Indicis, verbo *Esseni.*

P. Lezana accuratissimè scripsit de Essenis.

CAPUT X.

Ratio nomenclaturæ, varietas titulorum, & an iidem Esseni, Essæi, Assidæi, Rechabitæ.

308. Quamvis ex hactenùs adductis tam multis præstantissimorum Scriptorum auctoritatibus, de Essenorum sancto, & admirabili instituto perspecta satis videatur eorum sincera, & orthodoxa fides (exceptis paucis aliquibus de quibus hìc infrà) nec non Religiosæ Monasticæ vitæ, ejusdemque cum Filiis Prophetarum norma; verumtamen ad declarandam manifestiùs Monasticès à veteri ad novam Legem per Essenos traductæ antiquitatem, & retundendam efficaciùs falsitatem, & impudentiam hæreticorum quorundam, Monasticam vitam tamquam novellam, calumniantium; operæ pretium, & expediens erit, ista hìc consequenter evidentiùs declarare, & firmiùs stabilire: ad quod etiam conferet notitia etymologiæ nominis *Esseni*, & an, ac qualiter conveniant *Esseni*, *Assidæi*, ac *Rechabitæ.*

309. Quoad nomen *Essæi*, & *Esseni* Suidas verbo *Essæi* sic eos dictos censet à contemplando; idemque esse Essæos, quod contemplantes; qui & genus Rechabitarum fuisse putavit, sed de his infrà. Porrò quod ad ipsum nomen pertinet: Essenos à vitæ sanctitate esse dictos, Chrysostomus testatur, cùm ait: *Esseni, qui etiam Hosii, id est Sancti dicuntur: hoc enim vult nomen Essenorum à*

Esseni, quasi Hosii, id est, sancti:

De origine monasticâ & de Essenis peculiariter scripsit.

videtur de iisdem hic agendum paulò latiùs. Et aliquantò post: *Iudæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli Esseni appellati sunt: atque è vicinioribus Engaddi locis totam pervaserunt Ægyptum, quæ Schiti appellatur, sanctâque suâ conversatione victoriam adepti sunt Euangelicæ veritatis; haud dubium post martyres ipsi Christianorum, spiritales milites, ipsorumque fortissimi. Vndè liquet hos Essenos, vel Hessenos, ipsos esse Filios Prophetarum, de quibus capite antecedente dictum fuit: qui quidem diversis in locis temporum decursu admodùm multiplicati usque ad Christi Domini tempora, in primâ suâ institutione vitaque spiritualis amplexu, multis annorum centuriis constantissimè perstiterunt, ut infrà adhuc liquebit. Similia scribit Plinius* (a) *infidelis, alioqui Scriptor magni nominis, & princeps historiæ naturalis, qui vixit sub finem temporum Apostolicorum, qui hæc inter cætera*, PER SECULORUM MILLIA (INCREDIBILE DICTU) GENS ÆTERNA. Hæc Adrianus, etiam aliorum veterum auctoritatibus eruditè, ac solidè ea comprobans, præsertim Essenorum antiquitatem, & existentiam longè ante Christi nativitatem, eorumque sanctæ vitæ institutiones.

Iudæorum meliores, Eliæ posteri Esseni.

(a) lib. 5. cap. 17.

304. Nicolaus Serarius ex eadem Societate Jesu in opere inscripto *Tribæresium*, librum habet ex toto ferè de Essenis differentem: *Capite* 1. indagat originationem nominis *Esseni*, & adfert varias sententias: duodecima est, quòd nomen *Esseni* derivetur ab Hebræo nomine *Chasid* à quo Syriacum *Chasi*, & *Chosio* id est ὅσιος *Sanctus*, ita ut duritie vocis mollitâ fit *Asæus*, vel *Essæus*. *Capite* 2. differens de probabilitate omnium opinionum, istam duodecimam approbat; tùm quia ea sincerior est vocis *Esseni* etymologia; tùm quia ea vera est, & genuina Philonis, & Eusebii sententia; tùm quia eam litteris consignarunt S. Chrysostomus, Theophylactus, & alii. *Capite* 5. declarat Essenos sanæ & sinceræ fidei fuisse, ac scrupulos quosdam removet. *Capite* 7. ostendit eosdem esse *Essæos*, seu *Essenos*, & *Assidæos*: idque probat hac ratione. *Tempore Machabæorum erant Assidæi, & etiam Esseni, ut habetur ex Iosepho: & tamen tantùm enumerat ipse Iosephus tres sectas, seu dogmata Iudæorum: ergo sub tertiâ (Essæorum) etiam comprehendebantur Assidæi.* Sed de hoc peculiariter in sequentibus. *Capite* 8. proponit: *Esseni an Nazaræi*, Respondet, quòd propriè, non: posteà subdit: Per quamdam tamen similitudinem, vocari possunt Nazaræi, & quidem perpetui: quia ritus quosdam similes observabant, cultuique sese divino totos mancipabant. Et his quoad exteriorem etiam corporis amictum aptè illud convenit (b) *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte*. *Capite* 9. fusè agit de Rechabitis, quos adstruit eosdem cum Essenis: & objectis nonnullis in contrarium satisfacit, prout latiùs hic infrà. *Capite* 10. proponit: *Possintne Esseni Monachorum, aliorumque Christianorum Religiosorum inchoatores & exemplaria quadam censeri?* Et respondet: *Possunt sanè* cùm generatim, tùm speciatim. *Generatim* quidem, dum ea, quæ in Religiosorum statu præcipua sunt, servabant, egregiam erga Deum religionem, ejusque causâ, corporis, animique castitatem, voluptatum fugam, paupertatis studium, facultatum omnium communionem, & si quæ similia. *Speciatim* verò dum nonnulla, quæ, præ aliis, certi adamarunt Religiosi, usurparunt, ut hospitalitatem, silentium &c. *Capite* 13. disserit, an de iisdem Essenis loquantur Philo & Josephus? Et respondet, se non meminisse quòd legerit quemquam, istius fuisse sententiæ, qui neget Philonem, & Josephum Flavium scribere de iisdem Essenis: & rationibus quæ diversitatem innuere possent, satisfacit: tandemque resolvit, Josephum potissimùm agere de Essenis practicis, seu Cœnobitis vitæ communis sectatoribus: quodque de iisdem Essenis agat Philo in libro *de probi hominis libertate*, & in *Apologetico*: de Theoreticis, vitæque solitariæ cultoribus, agit in libro *de vita contemplativa*. Plura ad hoc propositum dicentur *cap.* 12. Et hæc quidem ex Serarii *Tribæresio* excerpta: alia quædam opportuniùs ex eodem adferentur in sequentibus.

Nicolaus Serarius de Essenis accuratè scripsit.

Esseni sanæ fidei.

Esseni, Essæi, Assidæi, iidem:

(b) Thren. 4. v. 7.

Monachorũ exemplaria.

De Essenis iisdem Philo, & Josephus.

305. Jacobus Boulduceus Ordinis Capucinorum, benè meritus de antiquitate Ecclesiæ veteris Legis, in erudito Opere *de Ecclesia ante Legem libro* 1. *cap.* 13. declarat: *Prophetas, qui dicebantur Enoscai, posteà dictos Essæos, vel Essenos.* Indè, & ex aliis fundamentis, eruit eorum probitatem, sanctæ vitæ conversationem, atque antiquitatem. Inter cætera hæc ibi ad propositum: *Consultè credit Abulensis, ab Essenis libenter Christi receptam doctrinam, quos ne verbo quidem Christus reprehendisse unquàm legitur: cùm Pharisæos & Saducæos creberrimè, asperrimè, justissimèque arguerit. Imò, propter piissimum, sanctissimum, & antiquissimum filiorum Dei, ad Christum venturum naturalem Dei Filium, analogiam habens, institutum, tamdiu, tamque fideliter, ac religiosè servatum in eis: facilè crediderim, Christum ipsum & Ioannem ejus præcursorem Essenorum duxisse vitam, ut ex mox dicendis apparebit credibile.* Et infrà: *Igitur Esseni, Hasidæi, Hasicionim iidem sunt.* Ibidem ante agens de *Filiis Prophetarum, & Rechabitis*, dicit eos esse eosdem, *solo nomine differentes*. Libro autem 3. *cap.* 16. ad idem propositum ista habet: *Constat ex libris Regum, multa ac frequentia filiorum Dei, qui posteà Filii Prophetarum sunt appellati, in illâ, aut circa illam tribum extitisse cœnobia: nempè in Galgalis, in Bethel, & in Hiericho.* (Anteà egerat quoque de Cœnobio montis Carmeli) addit deindè: *Quorum archimandritam posterioribus sæculis fuisse Eliam, cui successit Eliseus, ambigendi non datur locus. Eliæ autem, & Eliseo successit in officio vir sapientiâ, & sanctitate celeberrimus Ionadab, qui passim in Scriptura dicitur Filius Rechab.* Et post alia de nomine Rechab: *Ab illo ergo die nomen Recheb, seu Rechab, honorabile factũ est. Ita ut præcipuus Filiorum Prophetarũ Archimandrita, qui in hoc munere successit*

Esseni à Christo non reprehensi, quia boni, & sancti.

cum Essenis vixit S. Ioan. Bap.

Esseni posteri Eliæ, & Elisei.

successit Eliseo, filius Rechab, quasi utriusque Rechab, nempè Eliæ & Elisei discipulus appellatus sit, & omnes illius sodalitatis alumni, qui primò Enoscai, deinde Cinai, posteà Cenezai; adhuc Hebræi, Nazaræi, & Filii Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ sunt appellati. Quod idem est, ac si Elieitæ, vel Eliseitæ dicerentur. Quòd Jonadab discipulus fuerit Elisei, & ab eo hauserit Religiosam Monasticam disciplinam, & consequenter Rechabitæ ejusdem fuerint Instituti cum Filiis Prophetarum, & posteri SS. Eliæ & Elisei, pleniùs tradetur in *Speculo Carmelitano parte 1. lib. 4. cap. 5.* Quòd Boulducus dicit de S. Joanne Baptista, Essenorum instituta secutum adstruunt alii plures, relati à Lezana (a) qui ibidem moderatur id quod Boulducus & Serarius (b), & alii nonnulli scribunt de Christi Essenatù.

(a) ad an. mundi 4065. & 4082.
(b) in Minervali lib. 5. cap. 26.

306. Quoad Scriptores domesticos (Ordinis Carmelitani) de Essenis, tamquam Ordinis hujus cultoribus, tractant, sed plerique obiter, ut Arnoldus Bostius, Ioannes Palæonydorus, Ioannes Soreth (relati c. 8.) Michaël Munioz in *Propugnaculo Eliæ*, & plures alii. Ex professo autem de Essenis, eorumque vitæ institutis tractavit P. Petrus Wastelius *libro 1. Vindiciarum* (c) ubi ostendit, *Essæos esse Assidæos*, deinde probat *Essæos, veteris ac novi Testamenti unum institutum facere, & dumtaxat differre statu perfectionis quatenùs status perfici natus est. Articulo 9.* per totum demonstrat: *Essæos, de quibus Philo, & Iosephus, filios Sanctorum Eliæ & Elisei.* Quæ omnia ex dicendis confirmabuntur. P. Mathias à S. Ioanne quondam Provincialis Turoniæ, & Vasconiæ *in Historia panegyrica*: & P. Doroth. à S. Renato ejusdē Provinciæ Turoniæ, in *Commentario Theologico, Historico, Morali* luculenter calamis suis subegerunt idem subjectum, de Essenorum antiquitate in Lege veteri, origine ex Rechabitis, & identitate instituti cum Filiis Prophetarum. Ac novissimè P. Franciscus Bonæ Spei Exprovincialis in Provincia Flandro-Belgica in *Armamentario Carmeli parte 1. Scuto 4.* & sequentibus, demonstrat eruditè: *Essenos posteros esse sanctissimi Prophetæ Eliæ in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ*, atque ita veri nominis Monachos fuisse. Ex Patribus Carmelitis Discalceatis peculiariter de Essenis scripserunt imprimis eruditione, & pietate clarus Thomas à Iesu, *in expositionibus Regularum Monasticarum parte 1. capite 1.* ubi *Instituti Essenorum identitatem cum Filiis Prophetarum, antiquitatem multis seculis ante Christum, & continuationem in primis Ecclesiæ Christianæ seculis, & sanctitatem* demonstrat: eosque nuncupat, & auctoritatibus firmat *insignioris pietatis cultores, Eliæ, & Elisei successores, Christianos Monachos primos.* Eadem prosequuntur Franciscus à S. Maria in *historia Prophetica*, & P. Philippus à SS. Trinitate Generalis in *Theologia Carmelitana*. Et (præ cæteris uberiùs) P. Ludovicus à S. Teresia in libro *de successione Instituti Prophetici Eliani*.

(c) sect. 5. art. 8. §. 4. & seq.

307. Inter omnes autem P. Ioannes Baptista de Lezana (Auctor scriptorum multitudine, varietate, ac eruditione celebris) de Essenis accuratissimè & plenissimè scripsit *Tomo primo & secundo Annalium Carmelitarum*; & quidem *Tomo 1.* potissimè *ad annum mundi 3545.* ubi inter cætera, hæc: *Primò de eorum ortu, & origine; secundò, de nominis Essenorum etymologia, seu derivatione: tertiò, de ipsorum ritibus, formæ, regulaque vivendi: quartò an aliquibus votis obstringerentur; quintò, an verè veteris Legis Religiosi dicendi: sextò, an & quo jure Eliani Instituti asseclæ, professores, & propagatores dici queant.* Illa ibi consequenter prosequitur. Tomo autem secundo *in Apparatu*, prolixè demonstrat sequentia, capite primo per totum, Quòd *Esseni tempore Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum conversati sunt in Palæstina, & Ægypto, ejusdem Instituti sectatores.* Capite 2. quòd *Esseni isti ab Apostolis instructi, Monachi, & Religiosi, ac Religiosorum, seu Monachorum novæ Legis, Duces, ac Antesignani sunt dicendi.* Capite 3. quòd *Esseni, Christiani, magna ex parte, & Christianorum primitiæ fuerint.* Capite 4. quòd *Prophetici, & Eliani Ordinis continuatores, & propagatores Esseni cognominandi.* Etiam in decursu utriusque Tomi istius passim de istis disserit: loca reperientur inspectione Indicis, verbo *Esseni*.

P. Lezana accuratissimè scripsit de Essenis.

CAPUT X.

Ratio nomenclaturæ, varietas titulorum, & an iidem Esseni, Essæi, Assidæi, Rechabitæ.

308. QUamvis ex hactenùs adductis tam multis præstantissimorum Scriptorum auctoritatibus, de Essenorum sancto, & admirabili instituto perspecta satis videatur eorum sincera, & orthodoxa fides (exceptis paucis aliquibus de quibus hìc infrà) nec non Religiosæ Monasticæ vitæ, ejusdemque cum Filiis Prophetarum norma; verumtamen ad declarandam manifestiùs Monasticès à veteri ad novam Legem per Essenos traductæ antiquitatem, & retundendam efficaciùs falsitatem, & impudentiam hæreticorum quorundam, Monasticam vitam tamquam novellam, calumniantium; operæ pretium, & expediens erit, ista hìc consequenter evidentiùs declarare, & firmiùs stabilire: ad quod etiam conferet notitia etymologiæ nominis *Esseni*, & an, ac qualiter conveniant *Esseni*, *Assidæi*, ac *Rechabitæ*.

309. Quoad nomen *Essæi*, & *Esseni* Suidas verbo *Essæi* sic eos dictos censet à contemplando; idemque esse Essæos, quod contemplantes; qui & genus Rechabitarum fuisse putavit, sed de his infrà. Porrò quod ad ipsum nomen pertinet: Essenos à vitæ sanctitate esse dictos, Chrysostomus testatur, cùm ait: *Esseni, qui etiam Hosii, id est Sancti dicuntur: hoc enim vult nomen Essenorum à*

Esseni, quasi Hosii, id est, sancti:

V 3 vita

vita honestate. Id & Philo quoque in libro cujus est titulus: *Quod liber sit probus*; Essæos *Sanctos* significare, atque à *Sanctitate* illud eos nomen accepisse, non obscurè declarat. Ab ista interpretatione haud differunt Genebrardus hic suprà & Serarius, mox adducendus, Essenos à vitæ pietate, seu benignitate nuncupatos asserentes. Alii censent Essenos sic nuncupatos, quasi *Elisenos* ab Eliseo: quam etymologiam ex eo recipiendam credimus (scribit Lezana *a*) quia sincerius & clariùs originem suam demonstrat, etsi in antiquis auctoribus non reperiatur: ea verò est, ut *Esseni*, seu *Essei* quasi *Eliseni* ab Eliseo sint dicti. Ita enim habet Enriquez nostri seculi gravis auctor, quem sequuntur perdoctus P. Thomas de Jesu, Joannes Carthagena, Honuphrius Manescalcus. Qualiter autem hæc nominis etymologia rei veritati cohæreat, quòd ex Elia & Eliseo originem Esseni habuerint, in sequentibus dicemus. Robur etiam accipit ex eo quòd Esseni successores fuerint Jerichuntinæ habitationis ab Eliseo constructæ, ut propterea mirum non sit ab ipso denominationem hausisse.

(a) tom. 1. Annal. Car. ad an. mundi 3545. num. 33.

Esseni, seu Essei veluti Eliseni;

310. Essenos, Essæos, & Assidæos, nec non Rechabitas, ac Filios Prophetarum ejusdem fuisse Instituti, imò partim eosdem, diversis signatos nominibus, adstruunt Rupertus (b) *Monachi Filii Prophetarum, & pòst, aliis nominibus Asidai, sive Esseni dicebantur.* Adstruunt idipsum præfatus Genebrardus hic suprà. & Nicolaus Serarius *in Tribæresio lib. 3. cap. 7.* ubi ista: *Vt eosdem tamen Hessaos, & Hasidaos esse tantò stet firmatiùs, adiicio, licèt nihil necesse sit; ipsam nominum originem & significationem, qua, ut ex superioribus liquet; in utrisque prorsus eadem est.* In Machabæorum Harmonia titulo de Assidæis hæc quoque ad propositum habet de eorum nomenclatura: *Acceperunt nomen Asidai ab Hebrâ à voce Chasid, vel Chased, id est misericors, sanctus, pius.* Et infrà: *Apparet, fuisse homines istos à cætero Iudæorum populo, institutis, & nomine distinctos: societate verò inter se sanctâ, & religiosâ devinctos.* Deincè asserit, & probat Asidæos, & Essenos eosdem, saltem ex parte *Asidai*, inquit, *cum Essenis iidem fuerunt, vel certè horum illi pars quædam, aut horum illi. Primò enim, quotiescumque accidit, ut de Essenis à Iosepho Flavio Græcè quippiam narratum sit, idem ipsum si à Gorionide Hebraicè narretur, Asidæis perpetuò tribuitur. Deindè disertis verbis lib. 4. cap. 6. in editione Basileensi, dum è tribus jam enumeratis sectis dua, quæ Pharisæorum & Sadducæorum sunt, recensita fuissent, subdit Gorionides: & Hasidai, pars seu secta alia fuit. Tertiò. quæ de Hasidæis paulò ante allata sunt, ea in Essenos optimè conveniunt omnia, cùm & vitæ sanctimoniâ, & divinarum rerum scientiâ, ac meditatione præstarent:* Animadvertendum, quòd plerique scribant *Assidai*, alii *Asidai*, & nonnulli *Hasidai.*

(b) lib. 4. in Reg. S. Bened. c. 12.

Essai, & Assidai ejusdem instituti.

311. Sic quoque Martinus Becanus in *Analogia novi, & veteris Testamenti* cap. 10. *Esseni*, inquit, *quos alii vocant Essaos, alii Hasidaos, vel Asidaos* Quoad Essenos & Asidæos, quod ejusdem fuerint Instituti peculiariter demonstrat Lezana: Constat, inquit, ex libris Machabæorum, tempore Mathathiæ, & Judæ cognominati Machabæi 160. circiter annis ante Christi ortum fuisse inter Iudæos Congregationes Assidæorum. Sic enim dicitur primo Machab. 2. v. 42. *Congregata est ad eos* (scilicet Mathathiam & socios) *Synagoga Assidaorum.* Et rursum c. 7. v. 12. *Convenerunt ad Alcimum & Bachidem Congregatio Scribarum, & primi Assidai*, &c. Item 2. *Machabæorum* 14. v. 6. ubi dicitur: *Ipsi qui dicuntur Assidai Iudæorum, quibus præest Iudas* &c. Hujusmodi enim Assidæos Essenos fuisse, ejusdem Instituti cum ipsis, vel ab eisdem solo nomine diversos, adeò efficaciter juxta materiæ capacitatem ex Doctoribus Catholicis, sectariis, & Rabbinis *sub anno* 3847. ostendetur, ut dubitandi locus vix relinquatur. Idque ostendit (a) ex etymologia utriusque nominis, auctoritatibus, rationibus, & ex identitate seu similitudine vitæ. Idem subjectum de identitate Essæorum & Assidæorum latè prosequitur Wastelius *libro 1. Vindiciarum* (b) ubi hæc inter alia: *De Essæis Nobis agendum venit; ut ipsorum antiquitatem etiam doceat vel ipsa vocabuli nomenclatura. Essæi enim ipsi sunt Assidai.* Id variorum confirmat auctoritatibus, atque inter cæteras ista: Veritatis argumenta nobis sunt, quòd quotiescumque accidit, ut de Essenis à Iosepho Flavio Græcè quippiam narratum sit, idem ipsum si à Gorionide Hebraicè narretur, Asidæis perpetuò tribuitur. Exempli causa, quæ Iosephus Flavius *Antiquitatum lib. 15. cap. 13.* refert de honore quem magnus Herodes detulit Manahemo uni ex Essenis, Iosephus ille Gorionis Hebraicus tribuit Manachemo Hasidæorum, aitque inter alia: *Et etiam Essenos* (Hassonim) *qui erant Hasidaorum, non adduxit ad jusjurandum, propter Manachem Essenum* (Hasseneh) *qui Hasidaorum erat.* Et infrà: Deindè quia idem Iosephus Gorioni, pro eo quod Iosephus Flavius *lib. 2. de bello cap. 12.* dicit apud Iudæos fuisse tria eorum. qui philosopharentur, genera; Pharisæos, Sadducæos, & Essenos; cùm Pharisæorum, ac Sadducæorum sectas *lib. 4. cap. 6.* recensuisset, disertis verbis item subdit: *Et Hasidai pars, seu secta alia fuit*, sicut ex Serario etiam audivimus.

(a) in Annal. to. 1. ad an. mundi 3847.

(b) s. ct. 5. art. 9.

312. Rechabitas verò eosdem, seu ejusdem Instituti cum Essenis fuisse, atque ita Prophetici Instituti cultores, tradunt Suidas, & Cedrenus relati hìc suprà, Iacobus Boulducus cap. præcedenti adductus, Villalpandus quoque (c) rationem assignans, cur illi qui priùs *Rechabita*, posteà *Esseni* sint nominati. *Eosdem*, inquit, *qui olim à primo familia parente Rechabita dicebantur, postmodùm propter vita probitatem, integerrimosque mores, Essaos, vel Essenos, hoc est Sanctos, dictos fuisse.* Istis adstipulatur Serarius *in Tribæresio lib. 3. cap. 9.* ubi ex Eusebio tradit, S. Iacobum in Recha-

Rechabita ejusdem instituti cum Essenis:

(c) Villalp. in Ezech. in apparatu Urbis l. 3. c. 14.

Rechabitarum disciplinâ institutum priusquam Apostolus esset, multoque posteà magis in ea excelluisse, & vocatum fuisse *Iustum* (Chasid) tandemque concludit. *Certè, quia de sanctissimi hujus Apostoli virginitate, abstinentiâ, precandi assiduitate, summaque apud Iudæos auctoritate gravissimi, ut in libello de Apostolis breviter tetigi, tradidère Scriptores, ad Essenorum mores quadrant optimè.* Quod etiam confirmat Cardinalis Baronius (a) referens *ex Rechabitis aliquem interfuisse neci ipsius.* Serarius eodem *capite nono* satisfacit rationibus quorumdam, existimantium Essenorum, & Rechabitarum diversa fuisse instituta. Ex iis præcipuum est istud (cætera enim levioris sunt considerationis) quòd diversa, ac planè discreta videatur fuisse Essenorum & Rechabitarum institutio. Rechabitæ enim, ut est Sacris litteris consignatum, non nisi ea, quæ terra spontè ferret, absque aliqua agrorum cultura victum quærere consueverant: è contrà verò Essenos omnes agros colere solitos, & ex his victum quærere, Philo in libro qui inscribitur: *Quod liber sit probus*, & Josephus testantur. Immò eosdem Rechabitas temporibus Sedechiæ, cùm Babylonii Hierosolymam obsiderent, coactos esse intra civitatem se recipere, ac sic ab instituto deficere, Hieronymus ad Paulinum scribens testatur: nec certè aliqua amplius de illis in Divinis Scripturis mentio habita reperitur. Respondet Serarius: Indicant ista fuisse plures Cinæorum, Essenorumque formas. Omnibus quidem & semper commune fuit, apprimè pietatis, virtutisque studium colere: sed libera olim erant multa, quibus se posteri spontè, ut in his, quæ jam objecta, obstrinxerint, alii non. Quidam castam, & pauperem vitam agebant: alii non ita. Sed de variis Essenorum institutis, & vivendi formis peculiariter agetur infrà cap. XII.

S. Iacobus Apost. instituti Essenorum.

(a) in Annal. ad an. 64.

313. Instituti igitur ejusdem, à SS. Prophetis Elia, & Eliseo promanantis, cultores varia successivè nomina nacti, fuerunt, primùm appellati *Filii Prophetarum*, & haud diu post, etiam *Rechabitæ*, ac deindè *Esseni, Essæi, Asidæi*. Hinc nonnullis dubium videri posset, an omnes isti ejusdem fuerint disciplinæ. Obscuritatem enim in Historiis causat quandoque varietas, & multiplicitas nomenclaturæ rei pertractandæ; dum videtur diversitas, aut novitas rerum, aut Institutorum, ubi non est, sed duntaxat novitas, seu mutatio, sive accessio novorum nominum. Hinc convenit istud S. Augustini (b). *Sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ & ante nomina sua erant.* Ita posteri Abrahæ ex Isaac, *Hebræi ab Heber*, temporis successu dicti sunt *Israëlitæ* à Iacob, qui etiam *Israël* nuncupatus fuit, ac deindè *Iudæi*, à *Iuda* Filio ipsius Iacob. Sic Christiani primitùs nuncupati fuerunt *discipuli*. Ita Prædicatores quandoque dicuntur *Dominicani*, & alicubi *Iacobini*; & Religiosi S. Francisci, *Franciscani, Minores, Recollecti, Capucini*. Lezana *Tomo 2. Annalium in Apparatu cap. 4.* Nomina Essenorum sub veteri Lege ista recenset: *Prophetæ, Filii Prophetarum, Rechabitæ, Esseni, Asidæi*, & quandoque *Scribæ*, & *Nazaræi*. Primùm autem, & solemnissimum ipsorum nomen, etiam in Lege Euangelica, est *Essenorum, Essæorum*, vel *Iessæorum*; hoc enim illos communiter auctores compellant. Deindè has eorumdem adfert appellationes tempore Legis Euangelicæ, *Therapeutæ*: sic eos nuncupant Philo libro *de vita Contemplativa*, seu *de supplicum virtutibus*, Eusebius, Nicephorus, & alii. Denotat autem hoc nomen idem quod *cultores* seu *curatores* à colendo Deo, seu curandis animabus, & moribus. Hanc vocis rationem tradit Eusebius (a): *Quòd tamquam periti medici affectus pravos curare, Deoque purum servitium offerre velint ac studeant.* Sic S. Areopagita dicit hoc genus hominum ab aliis *Therapeutas*, ab aliis *Monachos* esse nuncupatos, *ex puro Dei ministerio, ac famulatu, & non partita, sed singulari vita, tamquam vivificante eos inseperabilium sacris complicationibus in Deiformem unitatem & amicam Deo consummationem.* Ab eodem Philone ibidem etiam dicti sunt *Iclietæ*, id est supplices, à præcipuo munere, quod est Deum orare, & laudare. Ibi consequenter alia eorum nomina recensentur: sunt autem ista: *Ascetæ, Bucolini*, ac communissimo vocabulo *Monachi*, sæpiùs etiam *Carmelitæ*, atque etiam *Duces, & Antesignani Monachorum novæ Legis*. Item *Eremitæ, Anachoretæ*, & subindè *Eunuchi, Nazaræi*. Aliquandò etiam *Eliotæ*. A quibus, & ubi istis nominibus nuncupentur denotat ibidem Lezana. Denique frequenter illis tributum fuit nomen *Philosophi*, & eorum instituto *Philosophia*. (b) Ita Philo, Iosephus, Eusebius, Sozomenus, Nicephorus, & alii. Sic quoque S. Gregorius Nazianzenus Eliam, & Ioannem Baptistam *summos Philosophos* nuncupat. Etiam indè eruitur identitas Instituti Prophetici Eliani, & Essenorum. Porrò *Philosophus* (juxta Philonem & alios) idem est, quod *amator*, seu *cultor sapientiæ*, sapientiæ scilicet perfectissimæ, quæ in Dei cognitione supernaturali consistit.

Nomenclatura varia posterorum S. Eliæ, n.

(b) Tract. 97. in Joan.

& Essenorum:

(a) lib. 2. hist. c. 16.

(b) vide hic suprà n. 51. pag. 20.

Philosophi nomen sæpè illis tributum.

CAPVT XI.

Essenorum antiquitas, origo & successio in veteri Lege.

314. ANtiquitatem Essenorum, eorumque existentiam seculis aliquot ante Christi nativitatem, asserunt plures ex Philone, & Iosepho, hic suprà *cap. 2. & 3.* quædam ex illis etiam subsequuntur. Istis conformiter alii scribunt, & quidem Gilbertus Genebrardus istis suprà relatis verbis: *Erant ante Machabæos, & Pharisæos Esseni, de quibus Plinius*; & Adrianus Adrianius libro *de origine Monastices cap. 2.* ubi hæc de Essenis: *Iudæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli Hesseni.... qui quidem diversis in locis*

Esseni seculis aliquot ante Christum.

locis temporum decursu admodùm multiplicati usque ad Christi Domini tempora in prima sua Institutione, vitaque spiritualis amplexu, multis annorum centuriis constantissimè perstiterunt. Sic quoque Aubertus Miræus hîc suprà *cap.* 8. Eadem ex præfatis Philone, Josepho, & aliis, jam ante relatis, ita perspicuè tradita sunt, ut propterea meritò scripserit Lezana; *Essenos præterea, sive Asidæos sub Essenorum cognomine longo temporis intervallo, ante & post, & in ipso tempore Christi, & Apostolorum extitisse certum valdè est. Et quidem ante Christi ævum illorum Institutum floruisse constat in Iuda Esseno, qui Ioannis Hircani tempore vixit, de quo Flavius Iosephus lib. 1. de bello cap. 3. & lib. 13. Antiquit. c. 18. ubi eum Essenum & Prophetam vocat.* Hinc Wastelius *libro* 1. *Vindiciarum pro Ioanne Ierosolymitano* (a) tractans de Essenis, scribit: *Negatum velle ante Euangelicam legem Essæorum Institutum, reniti est contra totum historiæ torrentem:* Quod ibidem probando, ostendit Essæos, ob vitæ probitatem, non privatis tantum, sed magnis etiam Regibus admirandos, liberos à captivitatibus Judæorum: & quidem ex Josepho de eorum existentiâ longè ante Christum, varia loca adducit. Porrò Josephus Flavius variis locis apertissimè adstruit Essenorum existentiam seculis aliquot ante Christi Nativitatem: *libro* 13. *Antiquitatum cap.* 8. agens de Jonatha, & Machabæis, scribit, eodem tempore fuisse Essenos: *De his quidem certius in secundo libro historiæ Iudaicæ demonstravimus*, inquit, verbis scilicet adductis hic supra *cap.* 3. & *libro eodem* 13. *Antiquitatum cap.* 9. meminit Essenorum existentium tempore Ionathæ Pontificis & Antiochi Regis, & tempore Hircani, & filii ejus Aristobuli. Ibi etiam (b) scribit de præfato Iuda Essæo & Propheta. *Admirari potest quilibet & Iudam Essæum genere, qui numquam, in his quæ prædixit, mentitus est.* Ita habet Impressio Parisiensis anni 1528. Alia autem Francofurtensis anni 1580. sic: *Sed illud maximè admiratu dignum est, quòd Iudas quidam, cujus prædictiones numquam fefellerunt, vaticinatus est.* Et *libro* 18. *c.* 2. scribit eos *à multis retrò sæculis* (alia versio habet: *à valdè antiquo tempore*) *extitisse*, & ibi infrà: *multis jam sæculis tritos.* Et ista quidem ex Iosepho de antiquitate Essenorum sæculis aliquot ante Christi ortum. Philo quoque Essenorum antiquitatem manifestè satis indicat istis verbis (c) *Versantes enim sacra volumina dant operam Philosophiæ, per manus acceptæ à majoribus, scrutando ejus allegorias.* Deindè: *Habent etiam priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa reliquerunt monumenta de allegoriis hujusmodi, ad quorum imitationem se accommodant.* In quibus notanda: *habent priscorum commentarios:* Istud *Philosophia* denotat vitam Religiosam, & Propheticam.

(a) Sect. 5. art. 8.

id habetur ex Iosepho.

(b) lib. 13. Antiq. c. 18 impress. Paris. 1528. In alia impress. c. 19.

& Philone,

(c) lib. de vita Contempl.

315. Philoni & Iosepho concinunt Plinius & Solinus relati hic supra *cap.* 4. Quos si auscultemus, dicere necesse est, fuisse Essenos planè antiquissimos, dum scribunt, eos extitisse *per sæculorum millia:* quibus similia, aut ferè eadem scribit Iosephus Flavius, ut jam audivimus, nempè floruisse *à multis retrò seculis:* quæ verba tempora longissima denotant. Hinc meritò Nicolaus Serarius *in Trihæresio lib.* 3. *cap.* 9. Drusium & quosdam alios, ista Plinii, & Solini verba ad alium detorquentes sensum, ita refellit. *Iam verò Plinius lib. 5. hist. c. 17. per sæculorum, ait, millia gens Essenorum, æterna est. Solinus c. 36. Per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est cessantibus puerperiis. Rejicit hos Drusius fol. 61. sed rejicit tantùm, nullâ prorsus ratione.* Et aliquantò post: *At cùm, eo, quem exposui, modo, cum Scriptura, Christianisque, & Iudæis Scriptoribus bellè concinat Plinius, quique ipsum sublegit Solinus, veritati potius gratulandum, quæ prophanos etiam gentilesque Scriptores testes habet. Nam undè alia de Essenorum institutis tam verè, tamque Iosepho congruenter accepit Plinius, indè ipsum de ipsorum etiam vetustate, ac diverso à tota Iudæorum gente instituto accepisse, an non consentaneum credere?* Ibidem scrupulos quorumdam objectos antiquitati Essenorum plenè removet, atque imprimis: Quod Ethnici Scriptores veteres alii eorum mentionem non faciant; appositè respondet Serarius ibidem: *Quòd plurimarum, maximarumque Iudaicarum rerum, summum apud Gentilium scriptores illos silentium. Quis aut Trogus, aut Strabo, & Aristeas Rechabitarum, Prophetarum, tot tantorumque Regum, victoriarum, miraculorum commeminit? Pauca interdum hic aut ille libat: Iudaica persequitur nemo unus omnia. Quanta res fuit solis, Iosuano tempore, institutio? Quanta ejusdem, ad Ezechiæ votum regressio? Et tamen de his apud veteres, ubi, & quis aliquid?* Ita ille: Variis in locis aliis adstruit Antiquitatem Essenorum, eorumque existentiam sæculis aliquot ante Christi nativitatem. Essenorum antiquitas, & celebritas etiam indè confirmatur, quòd olim Hierosolymis porta fuerit nuncupata *porta Essenorum*, de qua in descriptione Hierusalem, sicut olim fuit, hæc habet Christianus Adrichomius: (a) *Porta Essenorum. Quæ ab Essenis nomen habens, in antiquo civitatis muro sita est.*

Plinio, & Solino,

Gentiles pauca scribunt contenta in Scripturis.

(a) in Theatro Terræ S. sub tit. Jerusalem num. 67.

316. Ex hactenus dictis evidens satis videtur, Essenos sæculis aliquot ante Christi, & Apostolorum tempora exstitisse: determinatè autem asserere, quo præcisè tempore initium habuerint sub isto nomine, difficilioris est resolutionis. Quinque verò circa hoc sunt differentes sententiæ, re tamen ipsâ ferè coincidentes. Ut ab inferioribus ad superiora conscendamus, prima est P. Ioannis Baptistæ de Lezana, & aliorum, Essenorum nomen, seu Essæorum, & Assidæorum, sive Hassidæorum, fuisse invectum proximè post captivitatem Babylonicam: & tunc Essenos sub proprio ritu, & nomine ex Rechabitis, & Prophetis, seu Filiis Prophetarum, veluti spiritualem eorum sobolem, ortum habuisse, partim sub iisdem, partim sub nonnullis adjectis institutis, in obser-

de Essenorũ origine prima varia sententia.

observantia castitatis (quoad aliquos) paupertatis, obedientiæ, peculiarioris cultus Divini, silentii, vestis albæ. Ita Lezana *tomo 1. Annalium* (a) ubi accuraté & amplè circa hæc differit. Secunda sententia est S. Nili, Suidæ, & Georgii Cedreni, eorum genus referentium ad Jonadab filium Rechab (b) Quod etiam verisimile reputat Cardinalis Baronius, ita scribens: *Cæterum haud incongruum erit, dicere Essenos à Rechabitis descendere* (c). Tertia Adriani Adrianii & Auberti Miræi ac aliorum, Essenos immediatè processisse à SS. Prophetis Elia & Eliseo. Ille quidem ait: *Elia atque Elisei discipuli Esseni.* Quarta Nicolai Serarii *in Tribæresio lib. 3. cap. 9.* ubi ista: Quando verò cœperint aut quomodò, non potest dici aptiùs, quàm eos jam inde ab illo tempore, quo in promissionis terram & Ægyptum ingressi Judæi sunt, semper fuisse, majore aut minore numero, aliquàque institutorum quorundam vel mutatione, vel accessione, eosdemque esse, qui *Iudicum cap. 1.* vocantur *Cinai* orti è Moysis socero Jethrone, ipsiusque filio Hobab. Rechab, qui à Suida dicitur, Hebraicè *Chasid*, cujus filius Ionadab, ad veterem disciplinam quædam addidit, eumque cœtum procreavit, quæ *Ieremia 35.* dicitur *Rechabitarum* qui genere quidem, ac ortu *Cinai & Hessai* erant, sed aliqua cum nominis, ac Institutorum mutatione. Quinta Iacobi Boulduci *cap. 13. libri 1. de Ecclesia ante Legem*, scribentis: *Enoscem instituisse sodalitatem Prophetarum, qui dicebantur Enoscai, postea dicti Essai, vel Esseni.*

(a) ad ann. mundi 3545 num. 17. & seq.

(b) Vide hic supra c. 5. & 6.

(c) Vide hic suprà cap. 8.

317. Differentes istæ opiniones, si gradatim descendendo expendantur, à veritatis scopo haud aberrasse, & inter se haud multùm differre, ac facilè conciliari posse, deprehendentur, cùm Essenos denique referunt ad SS. Prophetas Eliam & Eliseum, sic ut ab ipsis, seu immediatè, seu mediatè processerint. Ita quidem Boulducus: (d) *Constat ex libris Regum, multa collegia fuisse Filiorum Dei, qui postea Filii Prophetarum sunt appellati. Quorum Archimandritam posterioribus sæculis fuisse Eliam, cui successit Eliseus, ambigendi non datur locus. Elia autem & Eliseo successit in officio, vir sapientiâ & sanctitate celeberrimus Ionadab.* Sic etiam Serarius *in Tribæresio cap. 10.* declarans Essenos Religiosorum Monachorum Christianorum inchoatores, ac exemplaria censeri posse. Id probat auctoritatibus Patrum, & expressissimè præfatus Adrianus Adrianius (e). *Iudæorum meliores Elia atque Elisei discipuli Esseni.* Vide hic supra *cap. 9.* Suidas etiam, & Cedrenus, atque alii referentes Originem Essenorum ad Ionadabum Rechabi filium, consequenter etiam referunt ad Eliam & Eliseum; cùm, ut jam ex Boulduco audivimus, Ionadab filius Rechab fuerit discipulus, & successor Elisei. Denique Lezana Essenorum initia, quoad nomen istud, referens ad tempus Babylonicæ captivitatis, ubique adstruit, & confirmat, Essenos, Filiorum Prophetarum, & Rechabitarum spiritualem esse sobolem, ac consequenter quòd Eliæ & Elisei sint posteri.

quæ haud difficulter conciliantur.

(d) lib. 1. cap. 13.

(e) Adrian. lib. de Orig. monast. c. 2.

318. Pro majori dictorum claritate, & confirmatione animadvertendum, quòd Enos instituerit Societatem quandam hominum peculiariori ritu Deo servientium: id passim colligunt Patres & Doctores ex istis verbis (a): *Iste cœpit invocare nomen Domini*, instituendo scilicet peculiarem cultum, & subliminorem, quàm esset Religio vulgi, ac veluti præludium, & initium vitæ Religiosæ, & Monasticæ. Vide plura ad hoc propositum hìc suprà. *Tract. 1. cap. 5.* Igitur Enos incœpit, & fundavit Congregationem, seu Sodalitatem quamdam Prophetarum, hoc est psallentium, & specialiori ritu Deo canticis, precibus, ceremoniis servientium: & ij dicebantur *Enoscai*. De his plura videri poterunt apud ipsum Lezana *tomo 1. Annalium in Apparatu cap. 1. & sequent.* Postea tempore Moysis idem vitæ Institutum tenuit Iethro socer Moysis, & continuarunt successivè alii, majori aut minori numero, & aliquâ cum nominis & institutorum quorumdam mutatione (ut bene Serarius) vel accessione: & sicut ab *Enos Enoscai*, ita à *Iethrone Iethrai*, de quibus *lib. 1. Paralipomenon* (b) ac deinde Cinæi, Rechabitæ, de quibus ibidem his verbis: *Et de cognatione Cariathiarim, Iethrai.* Posteà paucis interjectis (c) subjungitur: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque resonantes, & in Tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinai, qui venerunt de calore Patris domûs Rechab.* Ubi *Iethraos, Cinæos, & Rechabitas* simul conjunctos videt Lector. Rechabitas autem eosdem esse cum Essenis, seu hos ab istis processisse habetur ex dictis atque ita verificatur sententia Serarii. Isti autem *Iethrai*, & *Cinai* postmodùm etiam nuncupati *Nazarai*, semper cum majori, aut minori numero, & cum Institutorum quorundam mutatione, vel accessione, ut jam dicebatur, continuati semper fuerunt usque ad Samuelem: qui Nazaræos, & Cinæos specialiori modo instruxit, & ex eis instituit Collegia, seu Conventus Religiosorum, seu Prophetarum, jugiter psallentium Domino, & specialiter orationi, ac contemplationi vacantium: & dicebantur Conventus eorum *Cuneus* quasi couneus, & dicebantur *Prophetare*, id est specialiter Deum laudare canticis: & indè dicebantur *Propheta*, qui sic sub disciplina tradita à Samuele perstiterunt usque ad magnum Prophetam Eliam, qui Ordinem istum, seu Institutum Propheticum ad sublimiorem erexit statum, servando, & suis sequacibus indicendo paupertatem, castitatem, & obedientiam, solitudinem, silentium, temperantiam, jejunium. Isti autem discipuli ejus dicti fuerunt *Filii Prophetarum*. Successu temporis etiam alias acceperunt

(a) Genes. 4

(b) Cap. 2. v. 53.

(c) vers. 55.

runt nomenclaturas, vocati *Rechabitæ, Esseni*, &c. Atque ita etiam verificatur sententia Adriani Adrianii, & aliorum, Essenos deducentes ab Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum: nempè quia ab ipsis acceperunt normam Monasticæ vitæ in paupertatis, castitatis, obedientiæ, silentii, vitæ communis observantia.

Rechabitæ plerique conjugati, aliqui perpetuam castitatem servantes:

319. Porrò tempore Elisei Prophetæ Jonadab filius Rechab, incitatus exemplis, & miraculis ipsius Elisei, ab eo instructus, ipsius disciplinæ Eremiticæ imitator effectus est, ita ut relictis omnibus extrà urbes in Tabernaculis habitarent. Plerique tamen eorum conjugio utebantur, tenentes interim cæteras Propheticæ disciplinæ observantias: & isti erant, *quasi Religiosi*, veluti Tertiarii Ordinum Religiosorum. Aliqui tamen etiam castitatem servabant, de quibus ista Gregorius à Valentia (a). *Inter omnes sine controversiâ constat Rechabitas peculiari vitæ ratione præter communem observantiam legis Divino cultui seipsos addixisse. Vinum enim non bibebant, à conjugio abstinebant, exactam obedientiam suis Superioribus præstabant.* Et quòd *ex voto*, declarat Lezana in Annalibus (b) & isti *veri Religiosi* nomen merebantur. Isti nuncupati *Rechabitæ*, atque etiam *Cinæi*. Circa tempora Babylonicę captivitatis nuncupari cœperunt *Esseni*: Et sic verificatur id quod scribunt S. Nilus, Suidas, & Cedrenus, Essenos à Ionadab habere Originem: & quod tradit Lezana Essenorum nomen invectum circa tempora captivitatis Babylonicæ, id luculenter declarat *tomo* 1. *Annalium* (c) ubi ista: *Verior ergò sententia est, Essenos sub proprio ritu, & nomine Essenorum, & quatenùs ipsorum sodalitas quadantenùs Religionis nomen mereri posset, posteriores Rechabitis, & Prophetis fuisse, veluti spirituales ipsorum soboles, ex ipsis primordialiter ortum, & originem trahentes: Rechabitas, & Prophetas in unum conjungimus, quia ejusdem instituti.* Etiam ad hoc propositum pro elucidatione dictorum est id, quod eodem *tomo* 1. *Annalium in Apparatu cap.* 7. *num.* 6. scribit: *Quemadmodum enim dicimus Ordinem Propheticum ab Elia inchoatum, non quidem simpliciter, cùm à tempore Samuelis exordium duxerit, sed quatenùs Religiosi veluti status rationem induebat, sic & de Rechabitarum Instituto loquendum, ita ut simpliciter à Moysis & Iethronis tempore cum Cinæis esse cœperit: à Ionadabi autem ævo per Eliæ & Elisei institutionem in ratione quasi Religionis, quatenùs in eo statu esse potuit, cùm aliis Prophetarum collegiis.* Et tunc isti posteri S. Eliæ, ejusque instituta sectantes, cœpti dici *Rechabitæ*, & postea circa tempus Babylonicæ captivitatis peculiariter nuncupari cœperunt *Esseni*.

(a) in 2. 2. disp. 10. q. 4. puncto 1. § 1.

(b) to. 1. ad ann. mundi 3159. n. 4. & 5.

(c) ad ann. mundi 3545. n. 16. & seq.

Ordo Propheticus quo sensu à Samuele, & quo à S. Elia.

CAPUT XII.

An de eisdem Essenis Philo, & Iosephus, nec non Plinius, ac Solinus: Essenorum varia forma, seu Instituta.

Esseni de quibus Philo, & Iosephus, pro parte iidem.

320. Eosdem, seu ejusdem Instituti, pro majori parte, seu plerosque esse Essæos, seu Essenos, de quibus Philo, Iosephus, Plinius, & Solinus, ita apparet evidens, ut de hoc dubitandi non videatur relictus locus. Quoad Philonem, & Iosephum: Philo in libro: *Quòd omnis probus sit liber* hæc inter cætera: *Nec Palæstina, Syriaque deest hoc genus hominum virtutem sectantium, cujus regionis non parvam partem populosa Iudæorum gens incolit In his quidam nominantur Essæi, circiter quatuor millia.* Et infrà: *Nemo ex illis servit*, & in Apologia *Essæorum nullus uxorem ducit.* Iosephus *libro* 18. *Antiquitatum cap.* 2. agens de Essenis Palæstinęis, cùm retulisset eorum instituta eundem assignat numerum: *Atque hoc Instituto*, inquit, *vivunt virorum supra quatuor millia, nec uxores habentium, nec servos:* Pariformiter etiam uterque deprædicat Essenorum paupertatem, sobrietatem, abstinentiam, silentium, atque alia, de quibus in sequentibus, undè satis patet, Essenos de quibus Philo, illósque de quibus Iosephus, ejusdem fuisse instituti. Id etiam, ut certum adstruit S. Hieronymus (relatus *cap.* 6.) ad Eustochium scribens de Cœnobitis: *Tales*, inquit, *Philo, tales Iosephus* &c. & *libro* 2. *contra Iovinianum: Iosephus describit Essenos .... super quorum vita Philo doctissimus proprium volumen edidit*; ubi manifestè asserit, seu supponit de eisdem Essenis scripsisse Philonem & Iosephum. Haud minùs perspicuè id etiam tradit Eusebius. (a) Nam tractans de Essenorum sublimi Philosophia, seu vivendi ratione, etiam apud exteros: *Et ex domesticis Iudæorum scriptoribus, cùm alii, tum verò omnium facilè principes Iosephus, & Philo Essenorum istorum gloriam ab oblivione vindicarunt.* Similiter scribit Abbas Trithemius hîc suprà *cap.* 8. Plura hoc intentum corroborantia videri poterunt apud Lezanam *tomo* 2. *Annalium Carmelit. in Apparatu cap.* 1. *num.* 5, 6. 7. & *sequentibus*, ubi etiam satisfacit nonnullis objectionibus.

(a) Præpar. Euang. l. 8.

de quibus etiam Plinius, & Solinus:

321. Istos quoque Essenos, de quibus Plinius, & Solinus, eum illis de quibus Philo, & Iosephus, eosdem, colligitur; tùm ex istis Philoni & Iosepho similibus, de illorum castitate, paupertate, solitudine: *Esseni gens sola .... sine ulla fœmina, omni venere abdicatâ, sine pecuniâ, socia palmarum* &c. tùm ex identitate locorum: *Interiora Iudææ Esseni tenent*, inquit Solinus: etiam Plinius, eadem incoluisse loca innuit. De illis iisdem Iudæam incolentibus pecu-

peculiariter tractat Josephus, nec prætermisit Philo, sicuti ex dictis habetur. Sed præcipuè identitas Instituti in Essenis, de quibus Philo & Josephus, nec non Plinius & Solinus, evincitur ex identitate exercitiorum & observantiarum castitatis, paupertatis, solitudinis, &c. Castitatem Essenorum adstruunt Philo, Josephus, Plinius, & Solinus in superioribus adducti. Similiter omnes eorum paupertatem deprædicant. Iidem etiam Philo, & Iosephus, aliiq; Essenorum, & Essæorum cæteras monasticas observantias tradunt: prout accuratè & prolixè declarat Lezana *tomo 2. Annalium Carmelitarum* (a) ita scribens: *Porrò ejusdem substantialiter instituti alumnos eos omnes fuisse nullo commodius pacto ostendi potest, quàm mutuâ collatione eorum, quæ de illis uterque auctor asseruit.* Et paulò post: *Cùm autem Religionis, seu instituti unius substantialia puncta sint obedientia & reverentia Superioribus, castitas & munditia, paupertas & renunciatio bonorum temporalium; quibus accedunt Regulæ, & Instituta quædam generalia, ut puta orationis, abstinentiæ, solitudinis, & silentii, ideo in his sigillatim probandum non absimiles fuisse Essenos, ab his duobus auctoribus celebratos, ac proindè ejusdem instituti.* Deindè alia identitatis signa prosequitur: tandemque concludit: *Alia studiosus lector in utroque auctore reperiet, quibus de unius, & ejusdem instituti hominibus scripsisse deducere poterit, quemadmodum Serarius animadvertit:* Ibidem lectorem monet, *quòd non pauca etiam reperiet, in quibus Philo, & Iosephus dissentiunt; aliqua namque unus Essenis tribuit, quod alter prætermittit.* Cujus rationem subjungit: *Cùm nec tempore nec loco convenerint. Etsi enim eodem primo Christi sæculo vixerint, Philo tamen Iosepho vetustior est, cùm tempore Caii Imperatoris ætate maturus, sapientiâ & auctoritate pollens, ad illum missus fit à Iudæis, ut testatur ipse in libro de eâ legatione. At Iosephus tunc infans erat, natus ejusdem Caii anno primo, ut vitæ suæ initio ipsemet narrat. Similiter quòd Philo aliquandò Iudæam viderit, aut Iosephus Ægyptum, nullo modo constat. Quomodò ergò non variare debebant in suis Essenis, loco & tempore dissitis.* Plura ad hoc intentum videri poterunt apud Serarium (c) asserentem, se non legisse quempiam, qui neget Philonem, & Iosephum scripsisse de iisdem Essenis.

id persuadet identitas exercitiorum,

(a) to. 2. Annal. in Apparatu c. 1. n. 12. & seq.

(b) Lezan. to. 2. fol. 12.

Cur Philo, & Iosephus de Essenis quædam diversimodè.

(c) in Tribæresio lib. 3. c. 13

322. Diximus quidem, Essenos, de quibus Philo & Iosephus *eosdem esse*: additum tamen: *seu ejusdem Instituti pro majori parte.* Iosephus enim peculiariter agit de Essenis in Iudæa, ante & circa Christi nativitatem, sed tamen etiam de aliis alibi. Philo autem partim de iisdem, sed specialiter de iis qui post Christi in cœlos ascensionem circà Alexandriam morabantur, sed tamen etiam de aliis alibi degentibus, & quidem de iisdem, de quibus Iosephus, ut satis evincit similitudo, & ferè identitas sententiarum in utroque. Cùm autem (ut jam ante dictum) Iosephus præcipuè tractet de Essenis, qui in Iudæa vixerunt, & illi Alexandrinis sunt antiquiores, notandum inter Essenos antiquos sub veteri Lege, & alios, qui, post Christi & Apostolorum prædicationem, Christianam fidem amplexati fuerunt, illam esse differentiam, quæ est inter fideles Iudæos, ante Christum, & ipsos Iudæos, seu alios quosvis jam Christianos. Id rectè sic declarat Wastelius (a) nempè Essenos ante Christum non fuisse proprio, & usitato modo loquendi Christianos, sed eo dumtaxat modo, quo erant alii præcipui Sanctorum, pro statu illius temporis Christum expectantes. Indè consequenter quoque apparet illos Essæorum, quos, & quatenùs eos describit prætatus Philo in libro *de Vita contemplativa supplicum*, esse Christianos, partemque primitivæ Ecclesiæ; non tamen quòd alii, & diversi sint genere instituti ab illis antiquis, sed perfectiores redditi fide, gratiâ, & statu, per disciplinam Apostolicam, sive gratiam Euangelij: non alienatione, inquam, instituti, sed gratiæ, ac perfectionis accessu: prout latiùs infrà *cap. 14.*

Iosephus agit de Essenis in Iudæa, Philo de illis potissimè qui in Ægypto.

(a) lib. 1. Vindic. sect. 5. art. 8 §. 7.

Esseni inter ante Christum, & post, discrimen.

323. Animadvertendum quoque, Essenorum alios fuisse *Practicos*: qui actioni magis intenti erant: alios *Contemplativos*, seu *Supplices*, deditos potissimè contemplationi, & istos rigidiores. Iosephus potissimè tractat de Practicis, & de iisdem Philo in libro *de probi hominis libertate*, ac in *Apologetico*. De *Contemplativis* verò peculiariter agit idem Philo, in libro *de vita Contemplativa*, prout disertè ipsemet scribit. Prætereà plerique cœlibes erant, nonnulli conjuges (de quibus mox plura) Alii Iudeæ urbes incolebant, sodalitia, cœtus, vel Collegia faciebant, *Practici* manuaria opera tractantes, ac suis se laboribus sustentantes: *Contemplativi* verò plus quieti, orationi, lectioni, & veterum Prophetarum oraculis incumbentes. Etsi autem temperantia omnibus communis esset, rigidior tamen in istis, quàm in illis cernebatur. Undè quamvis tam à Philone, quàm à Iosepho relati Esseni ejusdem veluti substantialiter instituti cultores essent, alii tamen aliis observantiores, rigidiores, austeriores, & majori solitudini, & quieti addicti erant: ad modum sanè, quo in Ecclesia modò sub una eademque Carmelitarum, Minorum, Augustinianorumve Religione, variæ, ac diversæ cernuntur Congregationes, habitu, calceamentis, ceremoniis, observantiis, & austeritatibus dissimiles. Ita Lezana (b). Qui etiam consequenter variis rationibus, & auctoritatibus demonstrat, Essenos Palæstinæos seniores Alexandrinis, & hos ab istis ortos, & propagatos. Quod satis perspicuè eruitur ex Philone referente de Essenis, quòd eorum institutum *frequentaretur per Ægyptum: quòd darent operam Philosophiæ per manus accepta à majoribus: quòd haberent priscorum commentarios hujus sectæ auctorum; quòd in multis, variisque temporum difficultatibus perseverassent.* Scilicet temporibus captivitatum gentis Iudaicæ. Per *majores & priscos* intelligi debent Hebræi, non Ægyptii, cùm

Esseni alii Practici, alii contemplativi.

cœlibes plures, aliqui conjugati.

discrimina quædam alia inter hos, & illos:

(b) tom. 2. Annal. in Appar. c. 1. n. 26.

cùm tunc recenter Essenorum institutum in Ægyptum traductum esset. Hinc scribit Eusebius (a) de Essenis in Ægypto, *ex Hebræorum, quantùm intelligi datur, præcipuè genere.* Et Aubertus Miræus (b) *ex Palæstinæ finibus colonias, Essenorum deductas.* Quòd Esseni, de quibus scribit Philo *in libro de vitâ contemplativâ*, fuerint anteà Hebræi, satis ipse indicat his verbis: *Maximam multitudinem clarorum virorum Moyses legislator noster allexit in communem disciplinam, qui Essæi vocantur, propter sanctimoniam nisi fallor.*

(a) lib. 2. Eccl. hist. c. 16.
(b) Vide hic supra c. 8.

324. Esseni igitur pro majori parte cœlibem agebant vitam, in observantia paupertatis, obedientiæ, ac aliorum Monasticorum rituum, quidam autem, potissimè sub veteri Lege, matrimonio juncti erant. Priores *veri nominis Religiosi*, posteriores *veluti* nunc sunt *Tertiarii Ordinum Religiosorum.* Rationem diversi istius statûs assignat Boulducus (c). *Cur Enoscaorum, qui dicti sunt Esseni, alii in tam strictâ solitudine, abstinentiâ, ac temperantiâ, vel etiam cœlibes vivebant, alii gignendis vacantes filiis, bello, & armis dediti, negotiisque sæcularibus sub eodem nomine mediocritatis viam in mundo sectabantur: quales fuisse Machabæos sæpè jam diximus, sub Asidæorum nomine?* Respondet: *In promptu causa est; quòd quamvis prioribus sæculis Enoscaos, aut Cinæos cœlibem vitam egisse non sit credibile, quia hominum multiplicationi vacare debebant: verumtamen tanta illorum pietas, & solitudinis amor enituit, Cinæorum verò activorum tanta erga proximos charitas: ut cùm humanum genus ultrà modum crevisse visum est: ex duabus istis sodalitatibus ab eodem Patre Enos originem trahentibus, illa quæ Cinæorum erat, & activa, cum modesto, & honesto uteretur habitu, ad faciliùs cum cujusvis conditionis hominibus conversandum: facile tandem fuit, ut Principes sæculares pro modulo suo illos imitarentur.* Atque ita ex hactenùs dictis, ac dicendis habetur, quòd Esseni, Filii Prophetarum, & Rechabitæ, partim iidem, partim ejusdem instituti in plerisque fuerint, & inter illos etiam aliqui fuerint conjugati, non strictè Religiosi. De Filiis Prophetarum refert Abulensis (d). *Erant Filii Prophetarum conjuncti conventualiter, viventes per diversa collegia: & cum istis erant aliqui Filii Prophetarum, non Religiosi, qui erudiebantur ab eis in doctrinâ legis, & in rectitudine morum; horum habebat curam Eliseus.* De illis & Rechabitis, ac Essenis accuratè tractans Michael Muñoz in *Propugnaculo Eliæ* (e) rectè notat, quòd inter eos aliqui *conjugati, qui non ita in rigore Religiosi dicebantur, degebant; sicut modo in Religionibus militaribus, fratres sunt Hispanicè Freiles, & Equites, qui etsi Religiosi sint, ad differentiam tamen aliorum non illo eos nomine compellamus: quia casti, & pauperes ex Religione, conjugia ex dispensatione generali in aliquibus licitè contrahunt & facultates dispendunt.* Sed quoad castitatis observantiam, ea inter illos erat diversitas: quòd Filii Prophetarum, & Esseni plerique, seu majori ex parte, castitatem servarent (ut jam dictum est). Rechabitæ verò pro majori parte in matrimonio vivebant, adinstar Religiosorum, quoad cætera obedientes, pauperes, in solitudine degentes, à vino abstinentes.

cœlibes, Religiosi erant,

(c) de Eccl. ante Legem lib. 1. c. 15.

conjuges, veluti Tertiarii.

(d) in c. 6. lib. 4. Reg. q. 1.

(e) lib. 2. tit. 1. c. 2. art. 5.

CAPUT XIII.

Esseni Orthodoxæ fidei.

325. Essenos, de quibus Philo, sanæ & orthodoxæ fidei fuisse, tradunt Patres, Interpretes Scripturæ, & Historici, *novatoribus exceptis; eò quòd Monastica Instituta,* quæ in Essenis mirè resplendent, *summo prosequantur odio*, ut ex Baronio notatum hîc suprà *capite* 8. Imprimis Philo primus & præcipuus Instituti Essenorum historicus, & Encomiastes, supponit, eos sinceræ fidei; & ideò illos *Sanctos* nuncupat, & eorum vitæ normam *virtutem eximiam*: imò quidquid de illis scribit, non nisi virtutem excellentem præ se fert. Sic & Josephus eamdem illorum describit virtuosam & sanctam conversationem: propter quam *majus quoddam de his, quàm de mortali naturâ dignum existimari* asserit: nomen *Secta*, seu *hæresis*, quo subindè utitur, idem est apud eum, quod *dogma* sive *vita peculiaris ratio*, seu *institutum*, prout mox latiùs. Eusebius sanctam eorum vitæ rationem omnibus admirationi fuisse, & Philonem scribentem de Essenis, de orthodoxæ, & Christianæ fidei cultoribus; ac præconibus egisse, inculcat identidem. Sozomenus Essenos tradit: *Optimam elegisse Philosophiam, quâ Ecclesiam, conversationis suæ virtutibus illustrissimam reddiderunt.* Conformiter scribunt Phocius, Suidas, Cedrenus, Nicephorus. Ita quoque, S. Hieronymus, S. Epiphanius (de quo peculiariter statim) atque alii, adducti hîc suprà *cap. 6.* Dominicus Soto refert Essenos *sanctissimam deguisse vitam: & quòd eorum institutum secutus fuerit Ioannes Baptista*: Cassiodorus, & alii tradunt quòd S. Antonius *eorum conversationem ad summam perfectionem perduxerit.* Conformiter scribunt alii Theologi, & historiographi *cap.* 7. 8. & 9. adducti, quorum verba hîc repetere supervacaneum esset. Videantur etiam adducta *cap. 1.* Quæ omnia simul juncta, Essenos non tantùm rectæ, & orthodoxæ fidei, sed & admirandæ, sanctæque conversationis fuisse evincunt. Et sanè, quis prudenter credat, inquit Lezana (a) viros à totâ antiquitate, Philone videlicet, Josepho, Eusebio, Sozomeno, Cassiodoro, Hieronymo, Nicephoro, Waldensi, & aliis commendatissimos, & laudatissimos, hæreticâ fuligine tinctos? Hinc Serarius in Trihæresio (b) scribit: *Neque quòd sciam, veterum ullus est, qui turpissimam iis hæreseos notam inurat, quin à multis valdè, prout partim usque vidimus, partim, si, ut spero, annuerit posteà votis Dominus, videbimus, laudantur, neque unquam à Christo Domino, Pharisæorum vel Saducæorum instar,*

Esseni sanæ & sanctæ vitæ.

Ecclesiam illustriss. reddiderunt.

(a) to. 1. Annal. ad an. mundi 3545. n. 4.

(b) lib. 5. cap. 5.

instar, vel ab Apostolis reprehensi, cùm eô tamen vigerent tempore, & locô.

Secta, & Hæresis apud Christianos in malam.

(a) To. 1. Annal. ad an. mundi 3545. n. 41.

326. Serarius, & Lezana scrupulos quosdam, in quos nonnulli cæspitarunt, removent. Imprimìs, quòd Essenorum Institutum quandoque *Secta*, & aliquando *hæresis* nuncupetur. Id, inquit Lezana (a) levissimum est; cùm apud doctos compertum sit, *hæresis*, & *Sectæ* nomen, etsi apud Christianos in malam semper partem accipiatur, *hæresis* quidem pro doctrinâ falsâ, & erroneâ, pertinaciter retentâ, & *Secta* pro multitudine hominum, qui tali doctrinæ obstinatè adhærent; hoc enim sensu tota Ecclesia loquitur de *hæresis & Sectæ* nomine: & de *Sectâ* in eâ acceptione est sermo *ad Galatas* 5. & 2. *Petri* 2. Apud prophanos tamen auctores *hæresis* accipi solet in bonam partem, pro eâ opinione quam sibi quis eligit, ut apud Tullium (b) Laërtium, & alios. Similiter *Sectæ* nomen in bonam quoque partem pro hominum instituto, formâque vivendi, sæpiùs usurpatur; ut apud Tullium *in Verrem*, & *in claris Oratoribus*. Quid nunc mirum, quòd Essenorum institutum *hæresis*, vel *Secta* ab aliquibus appelletur? Sic S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, Essenorum institutum nuncupat *dogma*, Abulensis in caput 3. Matthæi, atque alii *Philosophiam*. Sed nonnè & S. Paulus Christianam Religionem vocat *Sectam*, alloquens Felicem præsidem: (c) *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm Sectam, quam dicunt, hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo*, ubi per *Sectam* intelligit viam, hoc est Institutum, normamque vivendi, puta secundùm Christianismum, quam ipsi (Judæi) vocant *hæresim*. Ita quoque alibi (d) *Secundùm certissimam sectam nostræ Religionis vixi Pharisæus*. Et posteà (e) *de secta hac* (Christiana religione) *notum est nobis; quia ubique ei contradicitur.*

apud prophanos in bonam partem accipitur,

(b) in præfat. paradoxor.

(c) act. 24. v. 14.

(d) Act. 26.

(e) Act. 28. v. 22.

327. Urgent nonnulli contrà Essenos auctoritatem S. Epiphanii, eos *hæresi* 10. & 19. inter hæreticos referentis. Ita quoque S. Nilus, & S. Philastrius. Quoad S. Epiphanium *hæresi* 10. scribentem: *genus Samaritanorum, qui hæretici erant*, & hæresi 19. *Ossenos Iudæos fuisse hæreticos*, respondet Scaliger (apud Serarium *f*). Quòd cur Essenos quosdam Samaritanos inter hæreticos, *posuerat Epiphanius, neque causam scio, neque, si sciam, probare possim*. Sed reverentiâ tanto Patri debita, persuadeat, illa non sine aliquo fundamento scripsisse. Ita Lezana loco jam ante indicato, ubi & ista: *Samaritanorum regionem à tempore, quo Ieroboam cum decem tribubus à Iuda regno, & Rege Roboam filio Salomonis separatus fuit, regnum Israelis constituens, fermè semper velut schismaticam permansisse. Ne tamen fratribus Iudæis in Ierosolyma, & Iudæ regno existentibus inferiores apparerent, cuncta quæ apud illos erant, simiarum instar, imitari curarunt. Cùm autem posteà Essenorum Institutum inter Iudæos vigere cœpisset, Samaritani, ipsorum æmuli falsos sibi alios Essenos, sicuti falsa templa, & sacrificia, falsos Sacerdotes, & Prophetas, habere voluerunt, ad modum, quo in regionibus schismaticis Christianorum Pseudo-Episcopi, Pseudo-Sacerdotes, & Pseudo-Monachi (etiam ejusdem nominis cum veris aliis, videlicet S. Basilii, S. Antonii, Pauli &c.) reperiuntur. De his ergò Pseudo-Essenis loquitur S. Epiphanius dicta hæres. 10. eos inter hæreticos recensens, eò videlicet solùm, quòd in celebratione festivitatum à Iudæis dissentirent. Ex quo clarè elicitur, omnes alios Essenos per orbem dispersos veros fideles fuisse, nec à Iudæis in eo dissensisse; cùm rationes, ob quas Esseni Samaritæ id fecerint, in aliis Essenis nullatenùs procedant. Vndè ipse Epiphanius hæres. 29. alios Essenos cum Philone commendat* (a). *Eccè jam ad propositum tam infirmum sumi argumentum ad probandum Essenos fuisse hæreticos, ex eo quòd Esseni Samaritæ tales essent, ac si simili modo diceretur: aliqui Monachi, S. Basilii cognominati, qui sunt modò inter Græcos, & Armenios, sunt Schismatici, ergò Monachi S. Basilii sunt schismatici. Vtraque enim consecutio futilis est.* Igitur quòd S. Epiphanius, aut alii nonnulli agant de Essenis nonnullis hæreticis, neutiquàm sequitur, omnes, aut plerosque tales fuisse: Nam eâdem ratione etiam id dicendum esset de *Nazaræis*, quos idem Epiphanius, & Philastrius inter hæreticos recensent; cùm tamen *Nazaræi*, & in litteris Sacris, & à Patribus singulari laude commendentur; imò & ipse Christus dictus sit *Nazaræus*. Hæretici igitur Nazaræi longè diversi erant ab istis: eadem est ratio Essenorum. Quantum ad *Ossenos*, de quibus S. Epiphanius *hæresi* 19. nullatenùs Esseni erant, sed ab eis diversi. Ita Serarius (b) idque evidenter constabit intuenti ea, quæ de Ossenis refert idem Epiphanius, & de Essenis Philo, Josephus, & alii auctores. S. Nilus *in Ascetico* scribens, Essenos fide in Christum caruisse, intelligendus de Essenis Samaritis, aut si de aliis, de quibusdam dumtaxat, qui tempore Christi, aut proximè post, ipsius doctrinam, & Euangelium amplecti renuerunt. Etsi enim Esseni, præcipuè inter alias Judæorum sectas, Christum amplexati fuerint, ipsorum tamen aliqui in Judaismo persistere maluerunt, prout ex Philastrio approbat Baronius (c) Cæterùm de mente S. Epiphanii adstruentis, Essenos, de quibus Philo, sanæ & orthodoxæ fidei, nullus est ambigendi locus, si quis recolat, ex eo adducta hic suprà dicto *cap. VI.* ubi consequenter etiam relata, & explicata sunt verba S. Nili, & S. Philastrii: deque hoc annotatum ex Bellarmino: *Multa ab ipso inter hæreses numerari, quæ verè hæreses non sunt.*

(f) in Minervali lib. 5. c. 7.

Esseni aliqui nominati, Samaritani, hæretici

sed Esseni alii orthodoxæ fidei erant.

(a) S. Epiphanium de Essenis orthodoxis vide hic suprà cap. VI.

(b) in Trihæresio lib. 3. c. 5.

(c) tom. 1. Annal. ad ann. 64. *S. Verum.*

328. Quòd Iosephus de eis *lib.* 13. *antiq. c.* 18. *Genus Essenorum omnia sub fato esse confirmat, & nihil esse, quod hominibus non illius decreto proveniat*; Nomine *fati* non intelligit Iosephus seriem aliquam Astrorum, aut causarum secundarum liberum arbitrium hominis tollentium, sed firmam, & constantem Dei voluntatem, omnia creata gubernantem, & ad suos fines dirigentem, juxtà modum naturæ cujusque, libera liberè, & necessa-

Fatum, catholicè idem est, quod constans Dei voluntas, & efficax decretum.

necessaria necessario; quemadmodum optimi Theologi docent. Quod primò colligitur ex verbo illo *decreto* quo utitur; hæc enim Dei efficax voluntas *decretum* à Theologis appellatur. Secundò ex ipso nomine *fati*, quod in propriissima sui significatione, à verbo exoleto *for, faris* derivatum significat id, quod est dictum, prolatum, aut decretum. Tertiò, ex ipso Josepho 18. *Antiquit. c.2.* dicente. *Esseni autem ad Deum cuncta redigunt*: nomen ergò *fatum* Dei voluntatem in præsenti denotat. Tollitur autem omne dubium circa hoc ex *lib.6 Apostolicarum Constitutionum c. 6.* ubi cùm dictum esset, aliquos fuisse, qui fato omnia tribuebant, subjungitur: *Ab his omnibus segregatum se Essei, qui patrios ritus servant.* Esseni ergò Catholicè sentiebant, & non Ethnicè de fato. Ita Sixtus Senensis (hic supra c. 7.) hoc inter Essenorum dogmata, seu traditiones refert: *Omnia fati, id est Dei voluntate regi.* Quoad Solis adorationem, falsò illis affictam: quis piissimos, prudentissimos, & in sacræ Scripturæ libris versatissimos inter Iudæos viros Idololatras fuisse credet? Quis talia ipsis, appinxit scelera? numquid Iosephus? Sed is de illis *lib.2. de bello Iudaico c.7.* hæc habet: *Præcipuè circa Deum religiosi sunt:* non ergò adorant creaturas. Ita Lezana ibidem. Deindè prosequitur: Procul dubiò non est aliud, nisi quòd ipsi per prosopopeiam loquerentur, Prophetarum priscorum more, dicentes cum tribus pueris fornacis Babylonis: *Benedicite Sol & Luna Domino*; & cum David: Psal. 148. *Laudate eum Sol & Luna*; quod & facit tota Ecclesia in laudibus matutinalibus. Fortassis etiam orabant versis vultibus ad Orientem, quod moris fuit etiam Christianorum. De quo, & aliis ad intentum Serarius *in Triharesio lib.3. c.4.*

Esseni Solem tamquam Deum laudantem introducebant,

conformiter Psalmistæ Laudate eum Sol, & Luna:

329. Objicitur quoque, Essenos arbitratos, Dominationem esse contrà naturam, neque ferendam; cùm tamen *omnis potestas à Deo* sit (a) Respondetur, Dominationem ab eis repudiari, non quamlibet, sed veterem illam apud Gentiles acerbissimam, quæ in mancipiorum, aut etiam subditorum quandoque operam, & vitam indignè, ac tyrannicè grassabatur. Ita Serarius *in Triharesf. libro 3. cap.18.* De ejusmodi dominatione Philo libro *de legatione ad Caium*, conquerens scribit: *Nostrates non solùm inter servos, verùm etiam inter vilissima censebantur mancipia.* Damnabant quoque Esseni Dominationem Pastorum contra quam ista Ezechiel. (b) *Hæc dicit Dominus Deus: væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos; nonnè greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: Gregem autem meum non pascebatis.* Numquid justè hanc damnarunt dominationem Pastorum, velut injustam, impiam, & repugnantem juri naturæ? numquid moderni omnes veri Religiosi hodie similiter illam damnant? Numquid Dominus Deus sub *væ* & *maledictione* eam damnavit? Ita P. Franciscus Bonæ Spei in *Armamentario Carmeli* (a). Præterea ex Iosepho, relato hic suprà (b) habetur, quod Esseni in sua professione jurarent, *fidem omnibus servare, maximè vero principibus*: igitur longè abest, quòd Dominationem repudiarent. In eodem Carmeli Armamentario dicto loco satisfacit objectioni isti cujusdam, ex Iosepho, de Essenis sub veteri Lege, eos Legis Mosaicæ præcepta non observasse quoad victimas, seu sacrificia: respondet: *Allegare debuisset Legis Mosaicæ præceptum, de mactandis sæpiùs victimis illos obligans*: & ostendit, quòd offerre victimas &c. fuerit officium Sacerdotum. *Quia nomine totius populi eas obibant Sacerdotes. Ex quo patet, Essenos illos non magis victimas illas neglexisse, quam totum populum: Vndè dum isti alii pro toto populo mactabant victimas, ipsi valdè religiosè suasmet ipsorum mentes componebant ad sanctimoniam, juxtà illud Philonis, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componebant ad sanctimoniam, prout etiam hodie Monachi, & verè Religiosi non Sacerdotes, non celebrant Missæ sacrificium, sed per communionem spiritualem suasmet ipsorum mentes componunt ad sanctimoniam.* Aliter ad hoc respondent Serarius (c) & Lezana (d) & hic tandem addit: *Credibilius est, locutum fuisse Iosephum de illis Essenis, quos ipse suo tempore noverat, qui cùm magnâ ex parte Christiani essent, jure à templo Iudæorum, eorumque ritibus abstinebant, uni vero Eucharistico sacrificio à Christo instituto incumbentes.*

(a) Rom. 13.

Dominationem tyrannicam (non bonam, quæ à Deo est) repudiabant Esseni,

(b) c. 34.

& dominationem malam pastorum.

(a) parte 1. Scuto 7. num.63.

(b) n. 271.

ad Victimas & sacrificia qualiter olim obligati fuerint Iudæi.

(c) Ser. in Trih. l. 3. c. 5.

(d) Lez. to. 1. Annal. ad ann mundi 3545.

330. Denique quòd Esseni à S. Hieronymo (e) & nonnullis aliis dicantur *similes Pythagoricis*: id verum est; non quòd Esseni quidpiam suorum institutorum emendicarint à Pythagora, ejusque discipulis, sed è contrà, ipse ab Essenis, seu Filiis Prophetarum. Hinc Iosephus, contra Appionem hæc de Pythagora: *Pythagoras igitur Samius, cùm sit antiquus quidem ætate, sapientiâ verò, & Divinâ pietate Philosophos omnes excellens, non solùm, quæ nostra sunt, agnovisse manifestum est, sed etiam æmulatus ea ex multis apparet.* Ex Hermippo, de eodem Pythagora scribit: *Dicitur enim verè quòd ille vir multas Iudæorum leges in suam transtulit Philosophiam.* Istas autem observantias quasi Monasticas, paupertatis, abstinentiæ, silentii, solitudinis, obedientiæ, nec non usum vestis candidæ, ut habetur ex Iamblicho *in vita Pythagoræ cap. 21.* atque alias hausit in Carmelo: ubi Pythagoram fuisse, & aliquamdiu moratum fuisse refert idem Iamblichus *cap. 3.* ubi ista: *Ab Ægyptiis quibusdam nautis opportunissimè in littora, quæ subsunt Carmelo, monti Phœniciæ, appellentibus, transvectus fuit Pythagoras, ubi solus in templo, ut plurimum degebat. Homines autem loci illius benignè ipsum, datis dextris, exceperunt &c. si quid contulissent rerum, summam hominis æstimationem pretiumque prævidentes, libenter conferebant.* Infrà subjungit: *Iam tum descendens à summis extimisque Carmeli collis visus &c. Hic mons multis inaccessus erat.* Mansit itaque in Carmelo cum incolis eremitis,

(e) ad Ctesiphonem.

Esseni quo sensu similes Pythagoricis:

Pythagoras æmulatus fuit Essenos,

in Carmelo aliquamdiu mansit:

Eliæ

Eliæ posteris, cum ipsis quandoque conferens: & ad imitationem eorum, solitariam vitam ibi agentium, etiam ipse *solus in templo* (*Semnion* nuncupato) ut plurimùm degebat. Cæterùm quoad errores nonnullos Scholæ Pythagoricæ non possunt isti refundi in Essenos, undè bona hauserant; *Nam in Pythagoreis, adeoque in Philosophis penè omnibus fuisse, quæ in reprehensionem justam incurrerent non pauca, quæ illi cum è limpidis, aút Naturæ aut Iudaicorum institutorum fontibus haurirent, ingeniorum, vitiorumque suorum limo turbabant, ac sordidabant.* Ita Serarius in Trihæresio *libro* 3. *cap*. 5. Igitur etsi Pythagoras, ejusque discipuli à Filiis Prophetarum, & Essenis plures bonas institutiones acceperint, vitio tamen suo é suo captu alia prava eligentes, dum dicunt, se esse sapientes, stulti facti sunt, ut inquit Paulus (a). Quorum errorum culpa in Essenos cur referatur? Sic solent hæretici ex Ecclesiæ limpidissimis fontibus plura bona dogmata haurire, quæ tamen cum aliis è suo cerebro confictis novitatibus confundunt, absque eo, quod Ecclesia illarum causâ censeatur (seu maculetur) Ita Lezana *tomo* 1. *Annalium ad annum mundi* 3545. ubi etiam ex collatione Institutorum Pythagoræ cum Essenis, magnam eorum declarat convenientiam. Id etiam ex vetustis Scriptoribus confirmat Boulducus (b) *Certe*, inquit, *Pythagoræos ejusdem fuisse instituti ac Essenos, docent inter alios Herodotus, Strabo*, &c. *De qua Analogia Pythagoræorum cum Essenis latè disserit Serarius.* (c) Et id (inter alia) magnum est indicium, & efficax argumentum, pro antiquitate Essenorum, eorumque existentiâ tempore Pythagoræ, annis plusquam quingentis ante Christi Nativitatem.

hausta è limpidis Doctrinæ fontibus, limo vitioso sordidavit.

(a) ad Rom. 1.

(b) lib. 2. de Eccl. ante leg. c. 17.

(c) in Trihæresio l. 3. c. 18.

331. Cæterùm de sana Essenorum doctrinâ, & fide orthodoxâ, ne quis dubitet, perpendat eorum dogmata, & instituta à Philone, Eusebio, & aliis tradita (d). Ecquid erroneum, aut etiam species mali in istis; at è contrà eximia virtus, & pietas resplendens; undè meritò à Scriptoribus magnis celebrati encomiis. Maneat igitur, ut certum, Essenos fuisse sanæ fidei, exceptis quibusdam Samaritis, & forsan paucis nonnullis, qui tempore prædicationis Apostolorum fidem Christi cum aliis suis asseclis suscipere noluerunt. Si quis petat an Esseni fuerint Christiani? Respondendum cum Serario (e) Essenos qui fuerunt ante Christi Domini & Apostolorum prædicationem non fuisse Christianos; nam priusquàm Christus Salvator & Apostoli sacrum populis enuntiarent Euangelium, Christianorum neque disciplina erat, neque nomen. Erant igitur tunc Esseni Hebræi: sed tamen Christiani eo sensu, quo, tempore veteris Legis Iob, & alii subindè nuncupantur *Christiani*: Post Christi autem, & Apostolorum prædicationem, Esseni plurimi salutarem Christi Domini fidem amplexi fuerunt: Quod satis confirmatur ex iis, quæ in *Actis Apostolorum cap*. 2. narrantur, atque ex dicendis hîc infra. Quòd autem jam facti Christiani aliquamdiu adhuc Iudaizaverunt, id illis non fuisse illicitum docet S. Thomas (a) *Illi*, inquit, *qui conversi erant ad Christum ex Iudæis, poterant illa legalia licitè observare.* Hoc ipsum eleganter declarat Arnoldus Bostius hîc suprà (b) idque conformiter S. Augustino (c). *Etsi veteris Legis ceremoniæ post mortem, & resurrectionem Domini amiserint, tamquam vitam Officii sui, verumtamen sicut defuncta corpora, necessariorum Officiis deducenda erant quodammodò ad sepulturam, nec simulatè sed religiosè: non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morsibus projicienda.* Apostolos etiam post Christi ascensionem subindè legalia adhuc servasse, eorum acta testantur. Ad hoc propositum animadvertendum, tres diversos Ecclesiæ status designari posse in primo post Christi Nativitatem sæculo: à Nativitate usque ad passionem, lex Moysis bona erat, & obligabat Iudæos: post passionem, mortua, sed non illicita Iudæis ad Christum conversis; atque ita nec Essenis: post Euangelii promulgationem sufficientem cœpit esse illicita, & mortifera (videlicet quoad Circumcisionem, & ceremonialia.) Verumtamen advertendum, Philonem, aut Iosephum non dicere de Essenis, quòd *Sabbathum*, sed *septimum diem* celebrarent.

(d) in Analog. vet. & novi Test. c. 10. q. 9.

(e) in Trihæres. lib. 3 c. 17.

Esseni antiqui an Christiani.

(a) 1. 2. q. 103. art. 4. ad 1.

(b) cap. 8.

(c) S. Aug. Ep. 19.

Esseni legalia aliqua quando licitè observabant.

Lex Mosaica quando facta illicita.

332. Et ne quod dubium supersit de orthodoxa, ac sincera Essenorum fide, de illa certa, indubitata, & inconcussæ veritatis testimonia Ecclesiæ, ac præstantissimorum scriptorum, videantur hîc suprà *cap*. 1. atque etiam in sequentibus. Et quidem id quod in antecedentibus traditum est, *capite sequenti* confirmabitur luculentis auctoritatibus, S. Marcum Euangelistam Essenorum fuisse magistrum, qui eos Christianæ perfectionis præceptis instruxit. Denique in locis illis ubi Esseni in primordiis Ecclesiæ potissimè floruerunt, videlicet circa Iordanem (de quibus Plinius, Solinus & alii) & in Ægypto, præsertim circa Alexandriam (de quibus Philo, & alii) perfectissimi, & sanctissimi Monachi successerunt. Ex quibus omnibus evidentissimè concluditur, Essenos, ex quibus isti processerunt, etiam sanctissimæ vitæ, & nequaquam hæreseos maculâ infectos fuisse. Essenorum conversationem etiam exercuisse S. Antonium, tradunt Sozomenus, Cassiodorus, & alii relati in antecedentibus, & S. Ioannem Baptistam etiam inter illos conversatum fuisse asserunt nonnulli, fuitque vitæ eorum institutum tale, ut de eo verè asserat Nebridius, relatus hic suprà, cap. 8. sub finem: *Lac lacti similius esse nequit, atque est Christi, Apostolorum, & Essæorum vita.*

de syncera Essenorum fide testimonia Ecclesiæ, & præstantissimorum Scriptorum:

eorum magister S. Marcus:

eorum successores sanctissimi.

etiam S. Antonius:

eorum vita similis Christi, & Apostolorũ.

CAP.

CAPUT XIV.

Esseni veri nominis Religiosi, & Instituti Monastici continuatores, ac propagatores tempore veteris & novæ Legis; a S. Marco præcipuè Euangelicâ perfectione sublimati: Virgines Sacræ ejusdem Instituti.

333. PAtrum, & Scriptorum auctoritas, atque vitæ ratio eadem, quæ in antiquis, & modernis Religiosis, certam reddunt Essenorum professionem Monasticam. Imprimis ea, quæ habent Philo, Iosephus, Plinius, Porphyrius de Essenorum castitate, abnegatione proprietatis, obedientia, etiam voto, seu juramento firmatis, silentio, meditatione, divinis laudibus, an non satis apertè Monachismum indicant? expressiùs Monasticam Essenorum conversationem adstruunt Christiani. S. Hieronymus *libro de servanda Virginitate ad Eustochium* tractans de Religiosis Cœnobitis disertè adstruit, *tales fuisse eos de quibus Philo, & Iosephus*, Essenos videlicet. Sic & S. Epiphanius (a) Essenorum habitacula, *Monasteria* nuncupat. Eadem tradunt Historici Græci relati hîc suprà *cap.* 5. Eusebius (b) describens, Essenorum conversationem & habitacula, ea nuncupat *Monasteria*: Sozomenus, cùm de Essenorum à Philone commendatorum instituto egisset (c) capite sequenti asserit, eamdem vitæ rationem, & conversationem exercitam à S. Antonio: *Illud apud omnes in confesso est, magnum illum Antonium Monachum excellenter diligentiæ ac perfectionis moribus competentibusque exercitiis istam vitæ conversationem exercuisse.* Phocius de Essenis & Therapeutis, quòd *non Monasteria tantùm, atque Semneia ædificarint, sed etiam vivendi normam iis, qui nunc solitariam degunt vitam, præscripserint.* Conformiter scribit Nicephorus Callixtus. Vide hîc suprà *cap.* 5. Eadem tradunt Hugo Cardinalis nempe, *Essæos fuisse Religiosissimæ vitæ, & longè arctioris, quam Monachi nostri temporis*, & expressiùs Cornelius à Lapide asserens, ab Essæis *Monachos, & Anachoretas* per Ægyptum, & Thebaidem propagatos: *Essæi, inquit, se ex Alexandria per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Vndè factum, ut ibi essent plurima Monachorum, & Anachoretarum examina.* Atque Tirinus: *Ab his vitam Anachoreticam, ac Monasticam ad Christianos derivatam esse.* Vide hîc suprà *cap.* 6. Eadem confirmantes Thomam Waldensem, Cardinalem Bellarminum, Antonium Possevinum, atque alios habes *cap.* 7. & consequenter *cap.* 8. Magistrum historiæ Scholasticæ, Philippum Bergomensem, Cardinalem Baronium, Aubertum Miræum, Joannem Carthagenam, Joannem Bollandum, Godefridum Henschenium: ac denique *cap.* 9. Adrianum Adrianium, atque alios: qui omnes adstruunt Essenos Religiosam Monasticam vitam exercuisse; imò in eis, & ab eis universam Monachismi panopliam, suis absolutissimis coloribus expressam, ipsosque Essenos Monachorum esse exemplaria, atque ab eis, & per eos vitam Monasticam per Ægyptum, & alias regiones derivatam, ac propagatam, prout latiùs hîc infrà.

Esseni veri nominis Monachos fuisse adstruunt Græci, *pariter & Latini,*

(a) S. Epiph. hæres. 29.

(b) Euseb. l. 2. c. 17.

(c) lib. 1. c. 12. hist. Eccles.

Esseni Monachorum propagatores, & exemplaria.

334. Prætereà Religiosæ Monasticæ vitæ ratio substantialis consistit in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ, voto firmata. Ista ab Essenis observata fuisse testantur Philo: *Degunt sine prædiis, sine pecuniis* &c. & infrà: *Omnibus unum est promtuarium, undè vestitus & mensa communis sumitur.* Id latius prosequitur. Quoad castitatem & obedientiam: *Castitatem in totâ vitâ perpetuam* &c. *Senioribus juniores debitam curam, honorem, reverentiam exhibent tamquam germani filii.* Omninò conformiter scribit Josephus: *Divitiarum contemptores sunt, rerumque omnium apud eos communicatio admirationi habetur .... Designatos autem communes rerum procuratores habent, & ad usus omnium singulos indivisos.* Et de castitate, atque obedientia: *Continentiam verò servare, neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt.* Et alibi: *Nec uxores habent, nec servos.* Quodque *ex Curatorum* (id est Superiorum) *ordinatione artes exerceant, & sine Curatoribus aliquid dare cognatis sit interdictum.* Sic & Plinius: *Sine omni fœminâ, omni Venere abdicatâ, sine pecuniâ.* Ita quoque Solinus & Porphyrius. Eadem tradunt Eusebius Cæsariensis, atque alii in præcedentibus adducti. Quòd autem ista etiam voto, seu juramento firmaverint, satis colligitur ex Iosepho referente eos, qui inter Essenos admittuntur priùs *magnis execrationibus adjurare.* Quid jurarent, declarat, Cedrenus in *Compendio histor. in Claudio Imperatore*, ubi loquens de Essenis, & juramento eorum, qui ad illud Institutum admittuntur, *Iurant*, inquit, *huic Divinæ Religioni unicè usque ad sanguinem se piè, ac reverenter operam navaturos.* Iidem Philo, Iosephus, & Eusebius, atque alii describunt etiam cætera Essenorum Monastica exercitia, silentii, orationis, meditationis, psalmodiæ, & hymnodiæ, studii, temperantiæ, & abstinentiæ; ut propterea non immeritò Esseni nuncupentur *Monachorum exemplaria.*

Esseni essentialia vitæ Monasticæ servabant.

335. Quoad originem instituti Essenorum (de qua jam antè *cap.* XI.) Sanctus Marcus quidem Monasticæ vitæ Magister deprædicatur à Patribus; non quòd ipse Essenorum & Monasticæ vitæ ab eis exercitæ absolutè primus fuerit auctor: sed quòd pridem antè iisdem vitæ castæ, voluntariè pauperis, & obedientis Institutionibus claros, eos, qui circa Alexandriam morabantur, suâ prædicatione fidei Christianæ doctrinis imbutos, ad Christianæ perfectionis culmen provexerit. Atque ita ipsi anteà in paupertatis, castitatis, obedientiæ, & aliarum Mona-

S. Marcus Essenorum Doctor, non auctor:

Monasticarum institutionum observantiis viventes, deindè auctore & prædicatore S. Marco, Christianam Religionem amplexati, pristinum vitæ genus, ubi Christiana Religio non contradiceret, haud relinquentes, perfectiorem nacti legem, excultiorem quoque vitæ institutionem sunt professi: quasdam Legis veteris observantias ad tempus aliquod retinentes, idque licitè (ut patet ex dictis) cùm & Apostolos sub initium Christianæ legis Judaizasse, eorum Acta testentur. Porrò quòd Esseni, & vitæ illorum institutio à S. Marco originem non habuerint, sed dumtaxat Christianæ perfectionis complementum, pro comperto est, ex dictis *cap. XI.* ubi de antiquitate Essenorum. Esseni itaque in primordiis Ecclesiæ sub disciplinâ S. Marci non fuerunt diversi, sed ejusdem instituti cum antiquis sub veteri Lege: ejusdem quidem instituti, sed perfectioris redditi, fide, gratiâ, & statu, per disciplinam Apostolicam sive gratiam Euangelii non alienatione inquam instituti sed gratiæ ac perfectionis accessu.

eorum instituta perfectiora reddidit:

336. Ex Philone, Eusebio hîc suprà, atque aliis habetur, Essenos suæ conversationis normam, & rationem per manus accepisse à majoribus, & *priscis Patribus*, qui ejus auctores fuerunt, & de ea *monumenta* seu *tractatus reliquerunt*. Denique cùm S. Ioannes Baptista Essenorum institutum secutus fuerit (sicut Soto, Zieglerus, Boulducus, hîc suprà relati, & alii tradunt) Esseni, & eorum Religiosæ vitæ instituta præcesserunt S. Marci prædicationem, post Christi in cœlos ascensionem. Estque eadem vitæ ratio Essenorum antiquorum, temporibus Machabæorum & ante (de quibus Iosephus) in observantiâ castitatis, paupertatis, & communionis bonorum, obedientiæ, Orationis, Meditationis, Psalmodiæ, silentii &c. Nonnè ista sunt exercitia propria Monachorum, & Monachum constituentia? *Ergo Divus Marcus, etsi præfatos Alexandriæ Essenos in fide Christi instruxerit, prout relati auctores pro comperto tenent, coadjutore etiam Enocho, prout & nostri asserunt, insuper ipsos in Essenorum institutionibus Christianè perfecerit, cùm hac sit legis gratiæ excellentia, ut cuncta bona compleat, & perficiat: propterea enim* PLENITUDO TEMPORIS *appellatur* (a) *quo sensu accipiendi sunt plures, qui eos in Monasticâ disciplinâ instituisse asserunt; nihilominus illos non primo in Essenorum disciplinâ imbuisse, pro comperto habendum. Exploratissimum enim est, ipsos ante D. Marci adventum eo instituto imbutos fuisse.* Ita Lezana (b) qui consequenter tradit, Essenos, qui erant sub S. Marco, ritus suos Monasticæ vitæ accepisse ab Essenis Palæstineis.

Esseni ante S. Marcum;

(a) ad Galat. 4. v. 4.

(b) Lez. to. 2. Annal. in Apparatu c. 3. n. 11.

337. Essenos *origine & genere fuisse Iudaos; sed in Christianismum transiisse, & fide ac religione fuisse Christianos, docet Epiphanius loco citato, S. Hieronymus in Philone, & S. Marco, Sozomenus, Cedrenus, Beda, & alii* (c). Igitur, ut jam ante dictum, S. Marcus Essenorum priscorum instituta non alienavit, nec mutavit, sed Christianæ Legis gratiâ perfecit, & nobilitavit; sicut etiam tradunt Cassianus libro *de Cœnobiorum institutis* (a). *Cùm in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui à B. mem. Euangelista Marco normam susceperit vivendi:* & Eusebius, atque ex hoc L. pomanus, de Vitis Sanctorum, sub hoc titulo: *Vita Divi Marci Euangelistæ, per Eusebium Cæsariensem scripta.* Ita etiam S. Petrus Damianus, *in Sermone de S. Marco: Assumptoque mox Euangelio, quod ipse confecerat, impiger adit Ægyptum, & Alexandriæ Christum primus annuncians, jacit novæ Legis fundamentum.* Et infrà addit, quòd *per continentiam, ac totius sanctæ conversationis instantiam, tamquam ad Monasticæ perfectionis fastigium pervolarent.* Sic quoque S. Antoninus in *Summa sua* (b) agens de Religiosis Monachis in primordiis Ecclesiæ: *à Marco Euangelista conversi ad fidem apud Alexandriam, mox quasi perfectionem perfectionis monasticæ adepti, in cavernis, & speluncis centeni habitabant:* Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, *in Catalogo Sanctorum, lib. 4. cap. LXXXVI.* istis conformia scribit: Thomas Waldensis, in Doctrinali fidei (c): *Ad B. Marcum Euang. properemus, qui in Alexandria civitate Ægypti conventus Religiosorum instituit mirabilis multitudinis utriusque sexûs, viros scilicèt & mulieres seorsùm positos, & regularibus subdidit disciplinis.* Plura ex eodem adferentur in seq. (d) Card. Bellarminus, Cornelius à Lapide, & plures alii in antecedentibus adducti, eadem tradunt, quòd S. Marcus in Ægypto Monachos, & sacras Virgines instituerit; videlicet eorum monasticas institutiones Christianâ perfectione sublimando.

(c) Ita Corn. à Lapide in c. 5. Acta Apost. v. 2.

(a) lib. 2. cap. 5.

(b) p. 2. tit. 15. c. 1. §. 1.

(c) Tom. 1 lib. 3. art. 2. cap. 7.

(d) Tr. 6. cap. 3.

338. Institutum igitur Essenorum etiam Virgines sacras Sectatrices habuit: eæ nuncupabantur *Therapeutrides*, commorantes simul, aut in Monasteriis separatis, aut quandoque junctis virorum, intercedente dumtaxat septo aliquo. Etenim olim Monasteria quædam erant dupla, Religiosorum scilicet, & Monialium, ut habetur ex Philone, *libro de vita contemplativa*, ubi hæc attestatur: *Institutum autem hujus Philosophiæ* (hoc nomine nuncupat Essæorum instituta) *mox apparet ex ipsis appellationibus, vocantur enim Therapeutæ, Therapeutridesque, hoc est curatores & curatrices, sive cultores & cultrices vero nomine.* Et infra: *Commune Semneum* (id est Oratorium seu Ecclesia) *in quo septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus. Nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxat quæ Institutum idem sectantur, medius autem paries à solo surgit tribus quatuorve cubitis: in modum loriculæ, superiora usque ad tectum patent. Vndè gemina provenit commoditas, & quia pudori fœminei sexus consulitur, & quia verba Doctoris exaudiuntur facilè absq; ullis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant.* Ejusmodi Monasterium duplum (virorum & mulierum, intercedente septo) fuisse, traditur in Annalibus Carmelitanis, id quod S. Elpidius Toleti fundavit sub annum Christi

inter Essenos etiam Virgines sacræ.

Monasteria dupla antiquitus inter Essenos.

quadragesimum. Sic quoque S. Pachomius ad oppositam Nili ripam pro Castimonialibus, sub eadem Regula, quâ ipse vivebat, Cœnobium erexit. Id secuti sunt quandoq; alii, meliori intentione, quàm successu: undè nunc mos ille ferè exolevit. Philonem autem dicto loco agere de Monachis, & sacris Virginibus, seu Monialibus, constat ex Eusebio Cæsariensi, Sozomeno atque aliis: & confirmatur ex Cardinale Bellarmino *libro de Monachis c.5.* ubi ex Philone probat, in primordiis Ecclesiæ Christianæ Monachos, & Moniales extitisse: *Philo igitur*, inquit, *libro de vita contemplativa supplicum, prolixè admodùm describit vitam, & mores Monachorum, & sacrarum Virginum.* Porrò sicut Essenorum Monachorum, ita & sacrarum Virginum instituta viguisse, & continuata fuisse in prioribus Ecclesiæ sæculis, declarabitur specialiter hic infrà *cap.16.* sub finem.

CAPUT XV.

Esseni, Eliani Instituti Sectatores.

339. QUamvis ex hactenùs adductis probatum satis videri possit, Essenos fuisse SS. Eliæ & Elisei posteros, ejusdemque Instituti tenaces, & continuatores, operæ tamen prætium erit, pro roboratione majori antiquitatis & sanctitatis Monasticês, nec non illustratione, ac confirmatione historiæ Carmelitanæ, Essenos sibi vendicanti, illud hoc loco magis declarare ac stabilire. Hujus asserti fundamentum eruitur ex auctoritatibus Scriptorum, atque imprimìs Philonis, prout peculiariter declarat Lezana explicans ista verba: *Dant operam Philosophiæ, per manus accepta à majoribus, scrutando ejus allegorias.* Deindè *habent etiam priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa reliquerunt monumenta.* Illud enim *Philosophiæ* denotare vitam veluti Religiosam, & Propheticam, & istud *per manus accepta à majoribus*, & *prisci hujus sectæ auctores* innuere antiquitatem ejusdem Instituti à Prophetis Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum inchoati, declaratum est hic suprà *cap.2.* Nec minùs perspicuè Eusebius referens, & explicans Philonis verba de Essenis, eos Propheticum Institutum tenuisse tradit, scribens ipsos *Propheticam vitam ducere.* Conformiter Nicephorus Callistus asserit *eos vitam Propheticam flagranti atque ferventi fide meditari atque æmulari.* Et Cedrenus: *Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam.* Ita quoque S. Hieron. vitam S. Eliæ *solitariam & Propheticam* nuncupat: *Solitaria*, inquit, *vita, & Prophetica, quam habuerunt Elias, & Ioannes:* ubi etiam observa, quod addit, & *Ioannes*, ut quoties in eodem Hieronymo, aliisque ipsius æqualium Patrum, legeris, Monachum fuisse Joan. Baptistam, toties memineris & Eliam fuisse Monachum; in vim scilicet verbi Euangelici, quod Angelus Gabriel de Ioanne dicebat, ac Christo Domino: *ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* (a) Identitatem instituti Filiorum Prophetarum discipulorum Eliæ & Elisei etiam apertè adstruit Genebrardus, relatus hic suprà (b) dum ait, *Institutum, & loci religionem manasse ad posteros*, scilicet Essenos. Id etiam suadet ratio nomenclaturæ, juxta eos, qui Essenos, quasi *Elisenos* denominatos asserunt (ita Henricus Henriquez, Carthagena, Boulducus & alii, relati in antecedentibus) eò quod ab Eliseo emanaverint, mediis scilicet Filiis Prophetarum, seu Rechabitis, qui ab Eliseo, in vita Religiosa instituti fuerunt: sed de hoc satis hîc suprà *cap.10.& 11.* Abbas quoque Trithemius Essenos, de quibus Philo & Iosephus, successores aliorum Prophetarũ adstruit (c); cùm enim probasset S. Eliam Prophetã instituisse Ordinem Propheticum Religiosum, de ejusdem Successione subjungit: *Si veterum testimoniis credendum est, post Eliæ raptum, & mortem Elisei, Filii Prophetarum per successionem generationis montem Carmelum inhabitantes, claris vacuum numquam sinebant esse cultoribus.* Et infra: *Si de Monachis, qui ante Christi nativitatem in Iudæa floruerunt, altiora scire desideras, historias Philonis Alexandrini, & Iosephi Ierosol. Iudæorum, legas: & quales eo tempore fuerint, invenies.*

Esseni à Filiis Prophetarum;

(a) Lucæ 1.
(b) cap. 8.
Esseni Eliseni.
(c) Trith. Ab. de orig. & laud. de Carm. c. 2.
posteri SS. Eliæ, & Elisei;

340. Aubertus Miræus id quoq; clarissimè tradit (d) *Nec Palæstinæ, Syriæve tantùm finibus cœlestis institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu, lectissimæ gentis coloniæ, quos Essenos nuncupabant, deductæ sunt, ut Eliæ imitatione Alexandria quoque clatesceret.* Et infrà: *Illi verò Prophetarum Filii, Essenive Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni posteà in Ægyptum traducti) miris exemplis cæptam Institutionem usque ad Virginis partum produxerunt.* Æquè perspicuè loquuntur Adrianus Adrianius? *Iudæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli Esseni*, ita & Ioannes Carthagena, Iacobus Salianus. Idem expressè tradunt Arnoldus Bostius, Ioannes Palæonydorus, Iacobus Boulducus, Dominicus Gravina, relati hic suprà, & plures apud Lezanam (e) ubi etiam hæc ad propositum: *Nec minùs efficaciter hujusmodi Essenorum Institutum à Filiis Prophetarum originem traxisse roboratur ex successione in eundem locum. Quemadmodum enim domorum, & familiarum successio ex ejusdem fundi, prædii, aut palatii possessione aptè comprobatur; sic Essenos Filiorum Prophetarum successores fuisse congruè ex ejusdem loci habitatione conjicitur. Nunc ad intentum, Eliseum Filiis Prophetarum casulas juxta Iordanis fluenta construxisse, ex sacra Scriptura* (f) *manifestè habetur:* de quibus S. Hieron. (g) *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis.* Eadem repetit alibi (h) etiam circa Iericho habitarunt S. Eliseus, & Filii Prophetarum in solitudine montis Quarentenæ, ubi fuit fons Elisei, de quo ista Adrichomius: (i) *Fons Elisei scaturiens è pede montis Quarentanæ:* Et infrà: (k) *Hic ad Eliæ, & Elisei imperium stantibus ex utraque parte aquis, iter unda præbuit 4. Regum 2.* Et aliquantò post: (l) *Qua-*

(d) lib. de orig. Ord. Carm. sub init.
(e) tom. 1. Annal. ad ann. mundi 3545. n. 40.
successores in iisdem locis.
(f) 4 Reg. 6
(g) in epist. ad Rustic.
(h) epist. ad Paulin.
(i) in Theatro Terræ S. sub tit. Beniamin num. 63.
(k) num. 83
(l) num. 97

Quarentana desertum inter Ierusalem, & Iericho, incipit, juxta Anathot, & extenditur supra Galgala, usque ad desertum Thecua & Engaddi juxta mare mortuum. Hic commoratus est S. Ioannes Baptista. Unde etiam confirmatur id, quod Dominicus Soto, & Jacobus Boulducus tradunt, S. Joannem Baptistam inter Essenos conversatum fuisse. In eodem loco Carmelitas mansionem habuisse, tradit Terræ sanctæ incola Guilielmus de Sanvico. (a). In istis autem locis præcipuè claruisse Essenos, habetur ex Plinii testimonio, adducto hîc suprà cap. 4. & ex istis Genebrardi de S. Eliseo verbis: (b) *Construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros: fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis* &c.

(a) videatur in Speculo Carm. to. 1 n. 410.
(b) lib. 1. Chron. ad an. mundi 3172.

341. Præterea Essenos æmulatores fuisse Instituti Prophetici Eliani satis firmiter superstruitur fundamentis istis duobus Cardinalis Baronii, primò: *Monachos in primis Ecclesiæ Christianæ sæculis fuisse Essenos.* Secundo, illos vixisse *instar Eliæ.* Hinc argumentari licet. Monachi veteres erant Esseni, seu Essenorum Institutum sectantes. Ita Baronius hîc suprà (c) & illud est conforme vetustioribus Scriptoribus Eusebio, Sozomeno, Nicephoro, Cassiano, ut videbimus cap. sequenti. Sed Monachi antiqui *ad instar Eliæ* (ut idem Baronius loquitur) hoc est similiter, seu conversatione simili Eliæ *vivebant.* Idem tradunt passim Patres vetusti. Sic magnum illum Monachorum Patrem S. Antonium *ex instituto magni Eliæ exemplum cepisse, & ad illud exemplum vitam suam composuisse* testatur S. Athanasius in vita ipsius. Hinc ejus discipulus Macharius *in sermone ad Monachos,* sic eos hortatur: *Eliam & Eliseum, ac Filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos, imitari curate.* Sic & Metaphrastes in vita S. Pachomii, de Monachis Ægypti. *Cœperunt ipsi quoque, Domini gratiâ roborati, sequi vitam Sanctorum Prophetarum: de quibus dicit Apostolus vas electionis: Circuierunt in melotis.* Isti autem sunt Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum. Aliorum plurimorum similium auctoritates reperiet Lector apud Lezanam *to.* 2. *Annalium in Apparatu cap.* 7. Cujus iste est titulus: *Omnes & singuli Monachi, & Anachoretæ post Christum in quatuor primis sæculis, ante Basilii præsertim institutionem viventes, ad Propheticum & Elianum Institutum quadantenùs spectant.* Ex istis tamquam præmissis debitè dispositis legitimâ consequentiâ infertur: Essenos Propheticum Elianum Monasticum Institutum æmulatos, & sectatos?

(c) cap. 8.

Esseni Monachi instar Eliæ, ejus æmulatores, & successores,

342. Denique hactenùs dicta confirmantur ex identitate seu similitudine exercitiorum & observantiarum in Filiis Prophetarum (quos Eliæ & Elisei discipulos & posteros fuisse, ut certissimum habetur ex dictis) & Essenorum: prout ad oculum patet ex mutuâ inter se collatione. Filii Prophetarum paupertatem, castitatem, (plerique) & obedientiam servabant: obstricti etiam vinculo aliquo voti, quale in veteri Lege esse poterat. Essenos quoque plerosque cœlibem, castamque vitam egisse, nil proprium possedisse, sed omnia eis in communi fuisse, obedientiam quoque servasse, sic ut nil sine Curatoris, id est, Superioris voluntate facerent, habetur ex Philone, Josepho, Plinio, & aliis hîc suprà. Filii Prophetarum potissimè solitaria incolebant loca, Carmelum, solitudinem Jordanis, & circa Jericho, & ibi habitabant in *modicis Tabernaculis & cavernis, atque cellis,* seu casulis. De Essenis testatur Philo: quòd *amarent solitudinem, & eorum domicilia essent admodum frugalia,* & infrà, *inculta, extemporanea.* In iisdem locis, ubi olim Filii Prophetarum habitarant, (præsertim circà Jordanem) Essenos successisse tradunt Plinius, Genebrardus, Dominicus Soto, & alii. Filii Prophetarum multi numero erant, ut habetur, ex supradictis. Ex Philone, & Josepho constat Essenos fuisse supra quatuor millia.

Essenorum, & Filiorum Prophet. exercitia eadem:

343. Filii Prophetarum silentium quàm maximè colebant, & inter se summè concordes erant, sicut de illis testatur Propheta Isaias (a). *Iustitia in Carmelo sedebit: & erit opus Iustitiæ pax, & cultus Iustitiæ silentium.* De Essenis testatur Josephus, quòd *eorum silentium arcanum quoddam videatur venerabile,* & quòd inter *se mutuo amore conjunctissimi.* Filii Prophetarum in magna abstinentiâ, polentâ, & herbis agrestibus vivebant, & in communi comedebant, sicut eis à ministro seu coco apponebatur, ut habetur ex *Cap.* 4. *libri* 4. *Regum.* De mirâ Essenorum abstinentiâ scribunt Philo, Eusebius, & alii. Quòd autem in communi vescerentur, tradit Josephus his verbis: *Velut in quoddam sanctum Templum in cœnaculum conveniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis cocus apponit.* Filii Prophetarum habebant oratorium nuncupatum *Semnion* seu *Seunion.* In quo Deo laudes, & hymnos canebant. Esseni similiter sua habebant oratoria etiam *Semnea* dicta, ad eadem pietatis exercitia, ut habetur ex Philone, libro *de Vita Contemplativa,* Eusebio Cæsariensi, & aliis post ipsos. Vide hîc suprà (b). Sicuti S. Elias suppliciter in terram prostratus, Deum oravit, quem & pro majori reverentiâ, quandoque etiam in terram prostratus, & capite inter genua reclinato. Sic & Filii Prophetarum suppliciter ad Semnion *conveniebant ad Creatorem omnium orationibus suppliciter placandum* (c). Ita quoque Esseni, propterea nuncupati *Supplices,* & ideò liber Philonis de Essenis etiam inscribitur: *de Supplicum virtutibus* à præcipuo munere, quod (sicut & Filiorum Prophetarum) erat, suppliciter orare, & Deo laudes submisso capite decantare. *Quod à Patre suo Elia Propheta ab Enosçais derivatum didicerant,* inquit Boulducus. (d)

silentii,
(a) cap. 32.
abstinentia,
Laudum Dei in Semnion seu Semneis,
(b) cap. 2. & 5.
(c) vide hic suprà n. 184 pag. 85.
(d) de Ecclesia ante leg. l. 1. c. 3.

344. Filiorum Prophetarum exercitium continuum erat, in Dei præsentia ambulare: hinc

exercitii præsentiæ Dei, hinc familiare illis erat dicere: *Vivit Deus in cujus conspectu sto.* Ita etiam Philo de Essenis: *perpetuam habent Dei memoriam.* Et istud Elianæ vitæ est tessera. Filiorum Prophetarum aliqui etiam futura prædicebant; *Quippe per Psalmorum jubilum aperiebant ita devotè Domino penetralia mentium, ut frequenter in eorum corda immitteret Deus Prophetiæ spiritum.* Et propterea, sed præcipuè, quòd eorum exercitium quotidianum esset, Psalmos, Hymnos, & cantica Deo psallere, ipsi nuncupati fuerunt priùs quidem *Prophetæ*, & deinde *Filii Prophetarum.* *canere psalmos, & cantica,* Ita quoque inter Essenos nonnulli spiritu Prophetico pollebant, & futura prædicebant. Ita Josephus (qui peculiariter id testatur de Manachemo) Petrus Comestor, & alii suprà relati. Idcircò, & potissimè, quòd Hymnos ac Psalmos pariter concinerent, & quòd Prophetas Eliam, Eliseum, & Filios Prophetarum imitarentur, ab Eusebio, Nicephoro, & aliis, eorum vita, nuncupatur *Prophetica vita*, & *Contemplativa*, & ipsi *Contemplatores.*

albæ vestis seu pallii usus, 345. Filii Prophetarum albo utebantur pallio. De Essenis adstruit Josephus, atque alii in præcedentibus relati: *Semper in veste sunt candida*: & quod Tyronibus *traderetur vestis candida.* Eadem tradunt Porphyrius, Petrus Comestor, Sixtus Senensis, Becanus (hìc suprà relati) atque alii. *sacrorum studiorum, curæ salutis proximorum.* Filii Prophetarum etiam studiis vacantes allegoricis Scripturarum interpretationibus oblectabantur: *Habebant quoque tractatus sacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis lex vetus eis videbatur animale esse similis, eò quod extrinsecè velut corpus habeat ipsam litteram, & ea quæ secundum litteram designantur; intrinsecus verò in litterâ, tamquam anima lateat cujusdam profundi, divinique mysterii sensus invisibilis, & spiritualis.* Ita quoque Eusebius: *Habent commentarios priscorum virorum:* & infrà. *Interpretationes autem sanctarum Scripturarum allegoricæ illis ac figuratæ sunt, Videtur enim viris istis universa Legis Scriptura animanti similis esse, ita ut superficies verborum corporis, sensus verò in verbis reconditus animæ sit loco.* Denique Filii Prophetarum, posteri, & successores SS. Eliæ & Elisei ad Christianismum conversi, facti Apostolorum coadjutores fidem Christi constantissimè sparserunt, *dilatantes dogma fidei: & moribus vitæ ac Monasticâ conversatione Ecclesiam Dei insignissimam demonstrantes.* Ita Ioannes Ierosolymitanus Antistes XLIV, & alii plures. De Essenis eadem tradit Eusebius, asseverans *Philonem de primis Euangelicæ doctrinæ præconibus scripsisse.* Ideo ipse, Cedrenus, & alii eos nuncupant: *Viros Apostolicos.* Cassiodorus ait: quòd *insignissimam Ecclesiam demonstraverint vitæ virtutibus.* Thomas Waldensis idem adstruit verbis penè iisdem, quibus jam ante de Filiis Prophetarum. *Præcipuè verò insignissimam Ecclesiam demonstrarunt, & dogmata dilataverunt vitæ virtutibus, qui conversatione Monasticâ illo tempore fruebantur.*

Vide in Spec. Car. to. 1. n. 207 & seq. & n. 210.

346. Ex hactenùs dictis evidens est, utriusque Instituti Filiorum Prophetarum & Essenorum similitudo (imò & identitas) & utriusque similis perfectio: quæ etiam confirmatur ex S. Hieronymo & Cassiano, asserentibus Religiosos Monachos Ægypti, usque ad sua tempora eamdem observasse conversationis formulam, quam illi qui erant in primordiis Ecclesiæ, de quibus Philo: Illi autem sunt Esseni. *Essenorum & Filiorum Proph. eadem, aut similis conversatio.* Utriusque verba adferentur *cap. sequenti.* Iidem clarissimis verbis asseverant: *Eliam, Eliseum, & Filios Prophetarum, veteris Testamenti Monachos, & professionis* seu conversationis Monasticæ *primordia, ab ipsis fundata.* Cùm igitur Esseni fuerint Monachi, & eorum Institutio continuata inter Monachos Ægypti, & alibi degentes; sequitur etiam, ipsorum originem primam tamquam ad fontem, referendam ad SS. Prophetas Eliam & Eliseum, ac Filios Prophetarum, tamquam primos Religiosæ Monasticæ conversationis *Principes*, *Duces*, *& Fundatores*, prout præfati Hieronymus, Cassianus, & alii eos nuncupant. Et id est, quod sic urget Carthagena, hìc suprà: *Cassianus lib. 1. de Institutis renunciantium, ferè per totum, Monachos Ægypti & Palæstinæ ab Elia & Eliseo, Filiisque Prophetarum originem ducere, sæpè docet, ac repetit, cui subscribunt Nicephorus lib. 8. cap. 39. & Sozomenus lib. 1. cap. 11. & Hieronymus ad Rusticum & Paulinum: ergo si Ægyptii Asceta, sive Monachi ab Elia, & Eliseo ortum habuerint, & hi prætereà ab Essenis disciplinam suscepêre vivendi, eorumque successores extiterint, necessariò fatendum erit, etiam ab Elia, & Eliseo, sive Filiis Prophetarum, eorum successoribus, promanasse.* Sed & ex mox dicendis ista stabilientur. Essenos fuisse SS. Prophetarum Eliæ, & Elisei posteros traditur & confirmatur in Speculo Carmelitano variis locis tomi primi (a) atque etiam tomi secundi (b) quæ convenienter cum hactenùs dictis conferentur.

(a) n. 1565. & seq. & alibi.
(b) n. 186. & seq.

CAPUT XVI.

Essenorum Institutum temporibus Christi & Apostolorum vigens & florens, posterioribus sæculis continuatum. Corollaria quædam.

347. QUòd Esseni tempore Christi extiterint, & celebres fuerint, habetur ex testimonio Iosephi, referentis eos *in honore habitos ab Herode Rege; quia majus quiddam de his sentiebat, quàm de mortali natura.* *Esseni tempore Christi;* Cur autem de eis in sacris Euangeliis non fiat mentio, rationem habes hìc suprà ex Abulensi, Dionysio Carthusiano, & Cardinale Baronio: *Quia Religiosissimam vitam ducentes, Christum non persequebantur ut aliæ sectæ.* *cur in Euangeliis de illis non fit mentio;* Sed quam maximè effloruisse proximè post Christi in cœlos Ascensionem habetur ex Philone, Eusebio Cæsariensi, S. Epiphanio, atque aliis relatis hìc suprà.

Philo

Essenorum sancta vita tradita à Philone.

(a) cap. 2.

Philo quidem libris duobus, videlicet *de vita contemplativa*, miris eos laudibus extollit, ut videre licet hîc suprà (a). *Quòd Philo illic de primis Euangelicæ Doctrinæ præconibus, & ritibus olim ab Apostolis traditis differens ista scripserit, cuivis manifestum est*, inquit Eusebius hic supra (b). Ita quoque S. Epiphanius (c) & Cornelius à Lapide (d): ubi hæc inter cætera: *Quàm Religiosa*, inquit, *Sancta, & excelsa fuerit primorum fidelium vita, liquet ex Essenis*: & infrà: *Quos origine, & genere fuisse Iudæos, sed in Christianismum transisse, & fide, ac Religione fuisse Christianos, docet Epiphanius loco citato.* Similia scribunt Cardinalis Bellarminus, & Possevinus, nec non Thomas Waldensis relati jam ante. Istis sic accinit Adrianus Adrianius: *Sancta*, inquit, *suâ conversatione victoriam adepti sunt Euangelicæ veritatis.* Igitur Esseni Ecclesiam exemplis Sanctissimæ vitæ & illustrarunt, & prædicatione Euangelii propagarunt.

(b) cap. 5.
(c) relatus hîc sup. c. 6.
(d) Ibid.

& aliis plurimis,

348. Eadem confirmat Cassianus (e). *Cùm in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ Marco Euangelistâ, qui primus Alexandrinæ urbis Pontifex præfuit, normam suscepêre vivendi, non solùm illa magnifica retinebant, quæ primitùs Ecclesiam vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse: verùm etiam his multò sublimiora cumulaverunt; etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, ut etiam his, qui erant Religionis externæ* (Philonem proculdubio, & Josephum, Plinium, & Solinum, intelligens, qui de ipsis scripserunt) *stupori esset tam ardua conversationis eorum professio.* Deinceps verò ista Essenorum instituta fuisse propagata, & continuata, tradit idem Cassianus in *præfatione ad Castorem Episcopum*, loquens enim de Monachorum institutis: *Ea*, inquit, *secundùm eam, quam vidimus, Monasteriorum Regulam per Ægyptum, & Palæstinam antiquitùs fundatorum, vel adjiciam, vel recidam, nequaquam credens rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quàm illa sunt instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ à sanctis, ac spiritualibus Patribus fundata Monasteria ad nos usque perdurant.* Quibus consonat Sozomenus (f) qui agens de Therapeutis, seu Essenis à Philone commendatis, ait: *Philo vero Pythagoricus, præclaros Hebræorum viros suis temporibus undique collectos, loco quodam ad Lacum* Mariam *in colle adjacenti Philosophatos esse scribit &c. in Ægypto conversantes videmus.* Deindè asserit, illam Essenorum conversationem durasse usque ad S. Antonii tempora, & ipsum eam exercuisse: verba ejus adducta sunt *cap.* 4. Ita quoque Cassiodorus verbis hîc suprà *cap.* 8. & S. Hieronymus describens vitam Essenorum cœnobiticè viventium, (g) ubi hæc inter cætera: *Prima apud eos confœderatio est obedire majoribus, & quidquid jusserint, facere. Post horam nonam in commune concurritur; Psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more .... per singulas hebdomadas vicissim ministrant, nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur. Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur: Vinum tantum senes accipiunt, quibus, & parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.* Et infrà: *Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant, quod quidem, & omni tempore completis opusculis faciunt*: Tandem concludens ait: *Tales Philo Platonici Sermonis imitator, Tales Iosephus Græcus Livius in secunda Iudaicæ captivitatis historia Essenos refert.*

(e) lib. 2. de Inst. Mon. c. 5.

in Ecclesiæ primordiis maximè florentes:

ab illis propagata monastica conversatio:

(f) lib. 1. hist. Eccl. c. 12.

multùm viguerunt circa lacum Mariam:

(g) Epist. 22. ad Eustoch.

eorum vita institutum tempore S. Hieronymi:

349. Igitur Essenorum instituta, descripta à Philone, adhuc tempore S. Hieronymi in vigore erant. Istis consonant Cardinalis Baronius scribens de S. Eugenia, & de S. Varo, atque eâ occasione de Monachis Essenis, Bollandus & Henschenius asserentes *S. Frontonium ex Essenorum posteris fuisse*: Nec non Cornelius à Lapide ita scribens: *Essæi se ex Alexandria per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Vndè factum ut ibi essent plurima Monachorum & Anachoretarum examina, qui Angelicam in terris vitam agebant, idque duravit per plura sæcula.* Et Adrianus Adrianius: *Totam*, inquit, *pervaserunt Ægyptum.* Sic & Aubertus Miræus his verbis: *Nec Palæstina Syriave tantùm finibus cœlestis institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu, lectissimæ gentis coloniæ, quos Essenos nuncupabant, deductæ sunt.* Hîc congruit istud ex eodem Miræo (a) de S. Hilarione memorabile elogium ex Græcorum vetustis monumentis erutum:

(a) lib. de ortu & incremênt. Ord. Carm. edit. 2. c. 6.

Hilarion Tabathensis, Palæstinus, natu Gentilis,
Alexandriæ Christum cognoscit.
Bimestris Antonii discipulus. Eremi cultor:
Essenorum dispersorum, in Carmelo Palæstin.
Reparator magnificus.

350. Ista autem omnia confirmantur ex conformitate vitæ Essenorum, & SS. Antonii, atque Hilarionis, & discipulorum eorundem, & eorum de quibus in *vitis Patrum* peculiariter verò *libro* 8. (scripto à Palladio, teste oculato) in quo hæc, inter cætera: *Cùm ego cum multis sanctis essem congressus, & versatus tres annos in Monasteriis, quæ sunt circa Alexandriam, & mansissem cum magnis studiosissimisque & optimis viris circiter bis mille, omni virtute ornatis; illinc recedens veni in montem Nytria. Inter hunc montem autem & Alexandriam positus est lacus, qui dicitur* Maria: *is autem continet ad millia septuaginta.* Et post alia, de eorum psalmodia: *Circa horam nonam licet stare, & audire in unoquoque Monasterio Hymnos & Psalmos Christo canentes, & preces ad Hymnos emittentes, adeò ut existimet quispiam se sublimè elatum transmigrasse in Paradisum deliciarum: veniunt autem ad Ecclesiam Sabbato solum & Dominico.* Ea in Appendice ad vitas Patrum, in libro cui titulus est: *Heraclidis Paradisus* sic referuntur: *In medio autem istius Montis* (Nitriæ) *& Alexandrinæ Civitatis, interjacet lacus, qui* Mariæ *vocabulo nominatur*: Et infrà: *Est autem maxima voluptatis, circa*

florentissimum fuit circa Alexandriam.

circa Vespertinas horas ex unaquaque mansione Monachorum varias audire voces, Psalmos Christo canentium. Quo tempore si quis assistat, & diligenter advertat, putabit se subitò sublatum, & in Paradiso constitutum. Regio illa circa stagnum illud Mariam à S. Epiphanio Maræotis nuncupatur. Porrò stagnum illud, & colles circa istud idem est, de quo Philo, & alii hic supra. Igitur, & ex successione in eodem loco, ubi tempore Philonis Essæi habitabant, & ex identitate exercitiorum (præsertim hymnodiæ) an non ad oculum patet, istos fuisse successores Essenorum? hinc meritò Cardinalis Baronius (hic supra relatus) *istorum temporum Monachos Essenos* nuncupat, & PP. Bollandus, & Henschenius S. Frontonium cum suis apud Nitriam *ex posteris Essenorum* adstruunt: & consequenter horum posteri fuerunt præfati bis mille monachi, utpote successores in eodem loco atque exercitiis. Istos autem Monachos omnes pro primo sui Instituti auctore suspexisse S. Eliam, *ex ipsius instituto exemplum capientes, & ad illud Speculum vitam suam componentes* (prout de magno Antonio testatur S. Athanasius) habetur ex antedictis. Vide plura ad hoc propositum *in Apparatu ad Tomum 2. Annalium Carmelitarum cap.7.* ubi declaratur, quòd, & qualiter omnes ferè Monachi, in primis tribus sæculis quadam ratione Eliani Instituti fuerunt sectatores, aliqui *successione*, alii dumtaxat *imitatione*.

351. Ex hactenùs dictis concludimus imprimìs, quòd Propheticum Elianum Institutum ab ipso S. Elia ad S. Eliseum, & ab ipso traductum ad Filios Prophetarũ, & Rechabitas, postea etiam nuncupatos Assidæos, seu Asidæos, & Essenos, continuatâ successionis serie perstiterit, usquead Christi Salvatoris adventum. Deindè quòd temporibus Christi, & Apostolorum, Religiosum Propheticum Elianum Institutum magnopere floruerit in Essenis. Omnes enim Auctores de Essenis scribentes, Christiani, Hebræi, Gentiles, etsi diversimodè de ipsorum origine quidam loquantur, disertè tamen affirmant, vel supponunt, Christi, & primorum ejus discipulorum temporibus extitisse, ut consideranti in præcedentibus adductos patescet. Ac denique quòd etiam sæculis prioribus Christianæ Ecclesiæ idem Religiosum Propheticum Elianum Institutum continuatum, & propagatum fuerit: & quàm vera sit illa P. Joannis Baptistæ de Lezana assertio (a): *Omnes, & singuli Monachi, & Anachoretæ post Christum in quatuor primis seculis, ante Basilii præsertim institutionem viventes, ad Propheticum, & Elianum Institutum quadamtenus spectant.* Quod ibi luculentis Patrum & Scriptorum auctoritatibus perspicuè declarat, ac solidè firmat, distinguens interim Eliani Instituti Sectatores, inter eos qui *imitatione* dumtaxat, & qui etiam *successione* tales sint. Atque ita etiam per Essenos veraciter deducitur Carmelitani Eliani Instituti continuata successio ab ipso S.P. Elia usquead Christi adventum, ac indè deinceps, ut hac etiam ratione verificetur id quod passim Pontifices scribunt, & Cantabrigiensis Universitas in binis decretis definivit, Carmelitas, *Ab Elia & Eliseo hæreditariam successionem tenere.*

Essenorum successio continuata à S. Elia, & deinceps.

(a) Tom.2. Annal. Car. in Appar. cap. 7.

352. Si quis petat, quando desierint Esseni? Respondeo quoad nomen in primis aliquot Christianæ Ecclesiæ sæculis illud in usu fuisse, ut pro comperto est, ex omnibus hactenùs dictis: Deindè verò factâ sæculis tertio, quarto, & sequentibus Religiosi Monastici status variâ divisione, nomen istud exolevit; nam ut verè Ausonius (a)

Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Id innumeris potest confirmari exemplis. Quoad rem seu instituta, ea ab Essenis de Alexandrinis, de quibus potissimè Philo agit, quasi per manus tradita Essenis seu Monachis in Ægypto, & ab his derivata ad alios (ut ex jam dictis habetur) semper continuata sunt, ita ut Religiosorum modernorum observantiæ pleræque ad Essenos originaliter referendæ sint. Hîc congruit id quod scribit Aubertus Miræus (b): *In Ægyptum enim, temporis excursu, lectissimæ gentis Coloniæ, quos Essenos nuncupabant, deductæ sunt, ut Eliæ imitatione Alexandria quoque clarescere. Quidquid enim Orientis Austrique prisci Patres, quorum stemmate Monachorum familiæ gloriantur, tradidère; quidquid etiam ab Oriente in Occidentem exstat invectum, non minima ex parte institutionis Eliæ quædam expositio, & ad nationes diversas coaptatio est.* Plura ex eodem, & aliis præcesserunt hîc suprà (c). Peculiariter verò, cùm, ut ex hactenùs dictis habetur, Esseni fuerint instituti ejusdem cum Filiis Prophetarum: istud autem, juxtà jam dicta, perseveret in Carmelitis à SS. Elia, & Eliseo, mediantibus ipsis Filiis Prophetarum, Rechabitis, & Essenis, hæreditariam successionem tenentibus, habetur, quòd licèt non ampliùs in usu sit nomen *Esseni*, sicuti nec nomen *Filii Prophetarum*, in dicto Ordine, Essenorum instituta, etsi pro temporũ varietate etiam additione, aut diminutione quandoq; successivè mutata, eadem, moraliter loquendo, perseverare censeantur.

Essenorum nomen exolevit,

(a) Epigr. 35.

sed eorum instituta permanent.

(b) de orig. Ord. Carm. in prologo.

(c) cap. 8. & ante ac post

353. Hactenùs dicta in hoc tractatu de Essenis, si expendat Joannes Carion (de quo hîc suprà *cap.1.*) & quivis alius, ejusdem cum eo deviæ mentis, perspiciet, eam Essenos inter & Anabaptistas differentiam, quæ inter Angelum & dæmonem; inter lucem & tenebras; inter perversos & justos perfectosque: videbit quoque (ni meridianâ in luce cœcutire velit) & hæretici omnes Monasticen impugnantes, perspicient antiquitatem, & sanctitatem Religiosæ Monasticæ vitæ, à SS. Prophetis Elia, & Eliseo per Filios Prophetarum, & Essenos traductam ad novam Legem, atque in ea Euangelicâ gratiâ perfectiorem redditam, innumera produxisse in Ægypto, & alibi per orbem agmina virorum perfectissimorum: id etiam ex sequentibus evidentiùs patescet.

Hæretici Essenos, & Monasticen impugnantes convicti.

TRACT. VI.

TRACTATUS VI.

De Religiosa Monastica Eremitica Eliana vita, à S. Ioanne Baptista exercita, à Christo Domino in perfectione consummata, verbo & exemplo commendata, & exindè jugiter continuata, ac propagata.

CAPUT I.

S. Ioannes Baptista, in spiritu, & virtute Eliæ, Monachus, & Monachorum Princeps, inter Essenos: veteris novique Testamenti limes.

S. Ioan. Baptista in spiritu Eliæ in desertis à puero:

354. IN termino veteris, atque in limine novi Testamenti, tamquàm utriusque sacratissimus limes, à Deo constitutus fuit S. Joannes Baptista, qui à puero vixit *in desertis*, idque *in spiritu, & virtute Eliæ* (attestante sacro Euangelio *a*). *Ab incunabulis in eremo semper habitavit, & Angelicam quamdam vitam mortali in carne præ se tulit.* Ita S. Chrysostomus (b) & Origines (c). *Non expectavit, ut apertè nutriretur, sed recessit, & abiit in deserta, ut vacaret orationibus, & cum Angelis conversaretur.* Hieronymus (d). *Post materni ventris hospitium, eremi deserta sectatus &c.* & Simeon Metaphrastes Joannis vitam describens ait: *Vix à fasciis solutum, solitudinem habitasse, vitamque egisse Angelicam.* Errant ergò hæretici, qui negant Joannem eremum inhabitasse, & solitariam egisse vitam, nihil aliud deserti nomine interpretantes, quàm domum parentum in montanis sitam. Quod & alienum est à proprietate verborum Scripturæ, & à Sanctorum Patrum expositione, & sensu Ecclesiæ. Eò vel maximè, quòd domus Zachariæ non erat in deserto, sed intrà quamdam Civitatem, in montanis sitam, ut colligitur ex illis verbis Lucæ 1. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda; & intravit domum Zachariæ.* Ita Franciscus Suarez (e). Quæ etiam confirmantur auctoritate Ecclesiæ sic canentis in Hymno festi Nativitatis S. Ioannis Baptistæ: *Antra deserti teneris sub annis, civium turmas fugiens, petisti.* Nec in una solâ parte deserti, sed in multis, Ioannem vitam traduxisse sanctissimam, indicant verba Lucæ, cum non in deserto, sed *in desertis* asserat mansisse. Et quidem ipsum in eisdem desertis commoratum fuisse in quibus etiam aliquandò conversati fuerunt SS. Prophetæ Elias, & Eliseus, eorumque posteri (tunc *Esseni* nuncupati) atque etiam inter ipsos, tradunt Dominicus Soto, Ferdinandus Vellosillus, Iacobus Boulducus, atque alii relati in antecedentibus. Nec non Iacobus Zieglerus *in descriptione Palæstinæ. In hujus solitudinis parte sedit Eliabu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetis. Manavit Institutio, & loci Religio ad posteros. Fuitque desertum hoc usque ad Enghedi habitatum ab Essenis, hominibus incredibilis continentiæ. Sub quorum institutis educatus fuit Ioannes Zachariæ, & habitus in Essenis unus prædicata sanctitatis &c.* Istis adstipulatur S. Hieronymus (a) tractans de auctoribus, seu Principibus Religiosæ Monasticæ vitæ: *Hujus*, inquit, *propositi Princeps Elias, & Discipulus ejus Eliseus fuerunt, sive Filii Prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis faciebant sibi casulas propè fluenta Iordanis. Hujus etiam propositi in Euangelio Baptista auctor extitit.* Sed quomodò *solus* eremum incoluit illam Ioannes, si institutum secutus est eorum, qui in casulis vivebant simul propè fluenta Iordanis? Quia *solus* Latinè, Græcè *Monachus* sonat. Mansit ergò Ioannes *solus* in illâ Eremo, juxtà institutum illorum Religiosorum; quia Monachus cum illis mansit in desertis Iordanis, segregatus à vulgaribus. Ita quoque Plinius, & Solinus scribentes de Essenis habitantibus in desertis circa Iordanem, eos nuncupant *Gentem solam*. Id quoque tamquàm certò tenendum scribit insignis homiliographus Marianus Ioannes de Carthagena: *sine dubio Ioannes vitam egit in desertis illis inter Filios Prophetarum, tunc dictos Essenos, qui* ELIÆ *disciplinam profitebantur.*

vixit inter Essenos:

355. Et quidem S. Ioannem Baptistam venisse *in spiritu & virtute Eliæ*, quodque in solitudinis cultu, vestitûs ratione, & victûs parcitate imitatus fuerit, & expresserit ipsum Eliam etiam ex Euangelica attestatione habetur, Ioannis vivendi normam ad instar Eliæ fuisse Religiosam, variis in locis ostenditur Euangelii, in quibus de ejus vita solitaria, austera, ac pœnitenti, in castitate, paupertate, & obedientia agitur: de quibus nolo multus esse; quia multi sunt ea de re Patres, qui ideò existimant, Ioannem in sacro codice, *Angelum* compellatum; quòd Angelorum instar, castissimus, divitiarum aspernator, atque obsequentissimus Dei minister eorum censeatur, qui faciunt voluntatem ejus. Hinc appositè Eliæ & Ioanni convenit ista S. Chrysostomi sententia: *Sicut in corona, cum sit rotunda, nihil invenis, quod videatur initium, aut finis; sic inter sanctos &c.* Admittendum quidem est, Eliam Baptistæ eripuisse, nè in magno virtutum genere, & monasticâ vivendi ratione primus esset: sed contendo, Ioannes Eliæ eripuit, nè in his esset solus: omnia namque virtutum ornamenta, haud inæquali Ioanni cum Elia trutinâ partiuntur. Quia, ut Venerabilis Beda, *conversatione simillimâ, ambo deserta secuti, victu frugi, vestitu inculti, cinctu sunt despecti.* Etenim in indumento, in loco habitationis, in virtute, ac spiritu, & conversatione fuerunt æquales. Adeò erat Ioannes Eliæ ferè in omni-

in spiritu, & virtute Eliæ:

(a) Lucæ 1
(b) Homil. 10. in Mat.
(c) Homil. 11. in Lucam.
(d) Epist. 4. ad Rustic.
(e) in 3. p. quæst. 38. disp. 24. sect. 3.
(a) epist. 13. ad Paulin.

omnibus similis, tanta morum similitudo inter Eliam & Joannem efflorescebat, ut oculato judice opus esset, ad discernendum, uter altero expeditior præcurreret ad propositam metam: ambo namque hispidis, ac hirsutis indumentis cincti, victu frugi, conversatione solitarii, deserta secuti, ut à Sacerdotibus, & Levitis Joannes putaretur Elias. Habuit quoque Joannes (sicut Elias) discipulos, ejusdem propositi sequaces, de quibus Matthæi cap. 9. *Quare discipuli Ioannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt?* Et Lucæ 11. *Vnus ex discipulis ejus dixit ad Christum: Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.* Indè habetur, quòd Joannes istorum esset Præpositus, Dux, & Magister, ipsos dirigens, & docens orare, jejunare, ac cætera Religiosæ Monasticæ disciplinæ exercitia, à sæcularium vitæ ratione distincta, obire. Istud autem vitæ genus post illius decessum continuaverunt discipuli ejus, de quibus Marci 6. *Accedentes discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento.* Sed ubi? in Samaria, in sepulchro Elisei, & Abdiæ, alumnorum Eliæ, tamquàm ejusdem Instituti, ut cecinit Mantuanus:

Elia ita similis ut Elias in persona putaretur.

Tunc caput ablatum, tunc advenêre nepotes
Eliæ, viventis adhuc, raptumque cadaver
Adjunxêre suis Patribus, tumuloque dedêre
Atque duos inter vates posuisse feruntur.

sepultus inter discipulos duos Eliæ.

356. Omnia hactenùs dicta paucis complectitur Joannes Gillemanus Canonicus Regularis in Rubea valle juxtà Bruxellam in Brabantia (cui & Antonio Gentio ejusdem cœnobii Priori multùm universa debet Ecclesia, ob vitas Sanctorum plurimas ab interitu vindicatas, ut scribunt Valerius Andreas in Bibliotheca, ac cum eo PP. Bollandus & Henschenius in Actis SS. (a) in suo Hagiologio ad diem XXIX. Augusti; ubi ista de Ioanne: *Hic vitam Eremiticam ab Elia Propheta institutam adhuc puer assumpsit; vestium hispiditate, victûs parcitate, conversationis similitudine, parique mentis rigore* Eliam *semper exprimens; adeo ut Iudæi, eum esse* Eliam *in persona opinarentur. Quapropter in Sebaste, oppido Palæstinæ, à suis discipulis inter corpora sanctorum* Elisei *&* Abdiæ *Prophetarum, discipulorum Eliæ, tamquam eorum condiscipulus, & ejusdem Religionis observantissimus alumnus, humatus est.* Id de sepulto Ioanne Baptista cum Eliseo, & Abdia, tradit etiam S. Hieronymus *in Epitaphio Paulæ ad Eustochium*, ubi hæc, agens de Samaria (aliàs nuncupata Sebaste, & Augusta) *Ibi*, inquit, *siti sunt Eliseus & Abdias Prophetæ, &, quô major inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptista.*

(a) in præfat. generali cap. 1. §. 4.

357. Quantùm ad vestitum: S. Ioannis Baptistæ, similis fuit illi, quo amictus incessit S. Elias, videlicet vilis, rudis, asper, sicut jam antè dicebatur. Undè S. Hieronymus (b) *Stupebat*, inquit, *ad conversationem Eliæ, & Ioannis Baptistæ, quorum uterque zonâ pelliceâ adstrinxit, ac mortificavit lumbos suos.* Et S. Chrysostomus *homilia* 69. scribit: *Monachos habitu imitari Eliam & Ioannem.* Describitur Elias *vir pilosus*, & de ipso, ac ejus discipulis: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Ita quoque S. Ioannes fuit pilosus; ejus enim indumentum describitur fuisse *de pilis camelorum.* Quid Novatores circà S. Ioannis monachatum, victum, & amictum comminiscantur, tradit, & refellit Cardinalis Baronius (a) De vestibus ejus, cùm dixisset fuisse *ex pilis camelorum*, addit: *Prætermittimus innumeros penè de Ioannis vestis asperitate sanctorum Patrum scriptas sententias.* Sed hæretici novatores, Verbi Dei corruptores, monasticès, & sanctæ austeræ vitæ osores, monasticam vitam, victûs, & vestitûs asperitatem in Ioanne Baptista tegere & illudere student. Illis autem Petrus Canisius eruditione, & pietate præclarus, insignem se opponit antagonistam, libro integro *de corruptelis Verbi Dei*: unde libet quædam hic exhibere excerpta de ipso Ioanne, pariter etiam de S. Elia, in cujus spiritu, & virtute Ioannes vixit. *Capite primo* exponens verba ista: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*, ipsius Ioannis, & Eliæ virtutes præcipuas sic exprimit: *Magnus ille coram Domino indè ab ætate prima esse debuit, quemadmodùm Angelus patri ejus vaticinabatur: magnus videlicet fide, confessione, doctrinâ, sapientiâ, justitiâ, continentiâ, abstinentiâ, fortitudine, constantiâ: qui non tantùm ut Eliseus, in spiritu, verùm etiam in virtute Eliæ, summi & admirandi Prophetæ, ante Christum præcessit.* Capite 3. victum & amictum utriusque ex scripturis & Patribus tradit, his verbis: *Describitur Elias ille Thesbites, quòd vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus fuerit, quòd in deserto vixerit, quòd cibo tenuissimo victitârit, quòd pane duntaxat subcinericio & simplici aquâ contentus, ingens confecerit iter, ac diuturno jejunio sese afflixerit. An non is verus Elias est? quod nomen Ioanni Christus ipse largitur: sed & Angelus prædicit, eum in spiritu, & virtute Eliæ suum munus, ut sit Messiæ nimirùm prodromus, sive præcursor, fideliter obiturum esse. Quamobrem ita Hieronymus: Ioannes, inquit, secundum mysterium, quod in Malachia scriptum est, ipse est Elias, qui venturus est: non quòd eàdem anima, ut hæretici suspicantur, & in Elia, & in Ioanne fuerit, sed quòd eamdem habuerit sancti Spiritûs gratiam, zonâ cinctus ut Elias, vivens in eremo, ut Elias.* Capite eodem per totum invehitur in Novatores, de Ioannis vestitu indignè sentientes, peculiariter autem contrà figmentum Chytræi, his verbis vestitum Ioannis describentis: *Vestis Ioannis erat contexta ex pilis Cameli, similis ei, quam hodiè vulgò à camelis vocamus Kamlot, vel Schamlot, Latinè undulatam.* Sed quid ad hoc Canisius? *O præclarum scholiasten, ac insignem grammaticum, qui talem vocabulis sensum affingit, qualisne per somnium quidem doctissimis artis grammaticæ auctoribus in mentem unquàm venit. Vestem hispidam è pilis camelorum contextam, & ad corpus affligendum studiosè comparatam, hic novus grammaticus cum veste undulata componit.* Et infrà: *Valeat igitur cum suo*

(b) ad Demetriad. epist. 8.

S. Ioan Bap. & S. Elias aspera veste usi.

(a) Annal. to. 1. ad an. Chr. 31.

S. Ioan. Bap. in spiritu, & virtute Eliæ vixit:

uterque eamdem Spiritus S. gratiam habuit.

Chytræi figmentum de veste S. Ioannis Bap. ex Kamlot:

figmentum simile de pallio S. Eliæ. *suo Kamlot, & Schamlot Chytræus, qui hoc inauditum figmentum, ut Ioannis vestitum obscuraret, ac imperitis simul imponeret, adhibuisse videtur.* Simile figmentum est Polydori, & aliorum quorumdam, de *pallio Eliæ versicolore, ex albo & canusino, id est rutilo:* & aliorum, quòd *ex serico* fuerit: istorum verba refert & refellit P. Petrus Wastelius (a).

(a) lib. 1. Vindic. sect. 5 art. 1 §. 4. 5 & 6.

CAPUT II.

Christus Dominus Religiosi Statûs consummator, & exercitator.

Christus Religiosi Status Sol: 358. PRophetam sanctum Eliam nuncupavimus Stellam Matutinam, & magnæ lucis (Christi) præambulum, quantùm ad vitam Monasticam; inchoatam quidem primùm, & institutam per ipsum, sed à Salvatore, tamquam causâ exemplari, finali, & meritoriâ, omnem suum participantem splendorem: quemadmodùm sidera quælibet suam mutuant lucem à SOLE. Sic etiam Christus Dominus dicitur causa meritoria Justificationis in antiquis Patribus. Insuper ipse Salvator cum discipulis suis in novâ Lege fuit causa efficiens perfectionis, excellentiæ, & prærogativarum Religiosi Monastici Instituti. Quin imò verbo; & exemplo Religiosam Monasticam vitam, & tria Euangelica consilia (Monastici status essentiam) commendavit, & exercuit: atque ita auctorizavit, & in perfectione consummavit, modo suprà explicato. (b) Paupertatem docuit, sequacibus suis præscribens, ut renunciarent, & relinquerent omnia: ut non possideant aurum neque argentum, neque sacculum, neque peram: quænam perfectior esse posset paupertas? Juveni perfectionis avido, & æternæ vitæ adipiscendæ rationem inquirenti, consulit, *vendere omnia* propria, & pauperibus erogare. Quia, ut dicit Augustinus (c) In illo responso illustre admodum Religiosæ vocationis exemplar reliquit: Nam cùm dicit: *Vende omnia, da pauperibus, & sequere me.* Nihil sibi vult reservare, sed omninò cunctis irrevocabiliter nudari, cum Obedientia, in sui sequela. Paupertatem summam etiam Christum exercuisse testantur stabulum, præsepe, ars fabrilis, ligneus lectus (crux) in quo mortuus est. Nec quidquam proprium habuit, & quasi mendicatim, seu eleëmosynis vivebat cum suis Apostolis, constituto communi Procuratore, seu Bursario. Et nonne de se asserit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet?* Ea autē quæ habebant ipse & Apostoli pro Apostolici Collegii necessitatibus, in commune conferebantur, eratque eorum quasi dispensator Judas.

(b) tract. 1. c. 1. pag. 16.

Euangelica tria consilia commendavit, & exercuit;

(c) epist. 89 q. 4.

359. Virgo ipse purissimus, ad virginitatis & castitatis amorem illexit, laudans Spirituales Eunuchos, qui nempè *seipsos castraverunt propter regnum cælorum*: quibus denotantur non illi, qui simplici quodam voluntatis proposito à conjugii voluptatibus abstinent; qui spirituales Eunuchi dici non possunt; cùm facultatem habeant, dùm voluerint conjugii eligendi, ejusque delectationibus fruendi: sed potiùs illi designantur, qui voto, & eo quidem perpetuo maximeq; solemni, cujusmodi est in Religione, eam sibi facultatem pœnitùs, atque omninò absciderunt. Propter prærogativam castitatis S. Ioannem inter cæteros magis dilexit: quam & ipse totâ vitâ servavit: habuitque Matrem virginem, quæ etiam post partum Virgo inviolata permansit. Obedientiam præscripsit, jubendo suis, ut *abnegarent semetipsos* id est propriam voluntatem, & *ipsum sequerentur*; in illa enim abnegatione sui, & sequelâ Christi, Patres, & Doctores obedientiam intelligunt, quam ipse perfectissimè complevit, in omnibus non suam, sed Patris sui voluntatem faciens, *Quæ placita sunt ei faciens semper*: & tandem: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Animadvertere autem oportet, Christum tria ista *non tamen vovit ipse,* Religionis substantialia expressè non vovisse: sed habuit aliud voto æquivalens, sicut gravis ille Auctor Thomas VValdensis *in Doctrinali fidei lib. 3. cap. 17.* declarat his ferè verbis: *Christus numquam vovit, sicut neque habuit fidem, neque spem, propter imperfectionem inclusam in eis: habuit autem aliquid æquivalens scilicet Divinum instinctum immobilitantem affectum tendentem in Deum ex speciali illapsu Deitatis, unita, loco voti; cujus tota ratio est, in non mobilitante affectum: sicut & claram visionem loco fidei, & immediatam intuitionem loco spei.* *habens aliquid voto perfectius.* Deindè infert contra VVitclef: *Qui ergò arguunt, illicitum esse vovere, quia Christus non vovit: arguant etiam illicitum esse fideliter credere, quia Christus fidem non habuit.*

360. Cæteras quoque Monasticas virtutes exercuit in deserto 40. diebus conversatus, & frequenter ad montes, locaq; deserta secedens; atque ita Orationis frequentis, imò continuæ exercitium commendavit exemplo, & frequenter verbo. Silentium quoque, & multiloquii vitationem magnopere inculcavit. *Christus perfectissimè vitam Monasticam exercuit,* Circà vitæ rationem, quam tenuit in deserto tempore 40. dierum jejunii, & secessus, Simon de Cassia, vir sanctitate & scientiâ venerabilis *lib. 4. de gestis Salvatoris cap. 4.* sic piè discurrit: *Bonum igitur est desertum, sed habet & pugnas, habet similiter & victorias, & orationibus vincitur potiùs quàm ensibus Amalech.* Et aliquantò post: *Vbi Elias? ubi Eliseus? ubi discipuli Prophetarum? ubi Ioannes Baptista?* Et post alia: *Sed ad Dominum Iesum incolam deserti factum, oculus interior dirigatur, & multo intuitu ipsum absentem, tamquam præsentem sedulò contemplemur, & moveatur affectibus anima, contrahatur mœrore atque turbetur, suspendatur in admiratione, cum Christum intueatur in deserto. Stultitia est sapientibus mundi, derisio delicatis, incredulis fabula, quòd Christus steterit in deserto. Quid enim est videre, Iuvenem delicatum, immaculatum, & absque peccato esse cum bestiis in deserto? Quid faciebat Rex Regum,* *præsertim in deserto.*

& Dominus Dominantium, factus incola in deserto, humana consolatione privatus, squalida facie, ab inedia & jejunio cruciatus? . . . Carebat lectulo, nec pulvinar supponebatur divino capiti humanitus quiescenti: sedile non erat ei: terra verò stratum erat & sella, non operiebatur nocturno tempore pannis.

361. De deserto, in quo Christus commoratus fuit, Christianus Adrichomius in Theatro Terræ S. hæc scribit (a) *Quarentana desertum inter Ierusalem & Iericho. Incipit juxta Anathot, & extenditur supra Galgala, usque ad desertum Thecua & Engaddi juxta mare mortuum. Hic commoratus est S. Ioan. Baptista.* Sequitur: *Ibi venientem ad se, ut baptizaretur, Christum digito demonstravit Ioannes; Ecce Agnus Dei. In hoc Christus jejunavit 40. diebus & noctibus.* In istis locis circa Jericho, & Engaddi, & Jordanem haud longè inde dissitum, fuerunt Filiorum Prophetarum, posterorum SS. Eliæ, & Elisei mansiones: de quibus ista S. Hieronymus: (b) *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis.* Et ibi continuati sunt, posteà nuncupati Esseni, de quibus Genebrardus (c) *Eliseus ... construxit cellas Prophetis in Iericuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros: fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis* &c. Eadem tradit Plinius (d) describens regionem circa Jordanem, Iericho, & Engaddi, agens de Essenis. Ex dictis eruitur, omnino verisimile esse id quod scribunt Iacobus Boulducus, & alii nonnulli, Christum tempore jejunii 40. dierum in deserto fuisse inter Essenos. Idem refert Walfangus in *Descriptione Terræ sanctæ*, & rationibus adstruit Iacobus Zieglerus in *Descriptione Palæstinæ in monte Adumim*, ubi ista: *Quin & Christum in hujus solitudinis parte, fecisse jejunium dierum quadraginta, hæc etiam ætate memorant. Nos & illud addimus, eum usque in Collegium concessisse Essenorum.* Alia plura ad hoc intentum ibi adferuntur, an & qualiter ista veritatem, aut verisimilitudinem habeant, expendit Lezana *tomo 1. Annalium*. (e) Id quoque certum videtur, quod præfati scribunt, & adstruunt Dominicus Soto, ac alii, in antecedentibus relati, (f) S. Ioannem Baptistam vixisse inter Essenos, & unum ex illis fuisse.

(a) sub tit. TRIBUS BENIAMIN num. 97. *ubi Filii Prophetarum, & Esseni habitarunt.*

(b) in epist. ad Rustic.

(c) in Chronogr. ad an. mundi 3272

(d) Hist. nat. l. 5. c. 17.

(e) ad an. mundi 4065. n. 5. & a 1 an. 4082. n. 6. & 7. & seq.

(f) num.

362. Filio convenienter jungitur Mater sacra Virgo Maria: cujus paupertatem indicant stabulum, & præsepè (quia *non erat illi* utpote pauperi, *locus in diversorio*) nec non in purificatione *duo turtures, aut pulli columbarum* (quæ erat oblatio pauperum). De castitate nil opus est dicere; cum sit Virgo castissima, imò Virgo Virginum. Obedientiam exhibuit Sacerdotibus in templo, & deindè (quamvis esset Mater Dei) S. Iosepho. Et quidem ipsam Virginitatis votum emisisse ante Angelicam salutationem passim docent Patres, & Doctores ex illis verbis: *quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quibus verbis Virgo sanctissima significat, impedimentum se habere quominùs filium concipere, & parerè posset: impedimentum illud non aliud esse potuit quàm votum continentiæ jam emissum. Illa enim verba: *Virum non cognosco*, non significant jam actu non cognosco, sed, non licet mihi cognoscere: alioqui ineptissima interrogatio fuisset, cùm posset statim responderi: etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulò post cognosces. Itaque sicut dicimus, in quadragesima, ego non vescor carnibus, id est, non licet mihi hoc tempore carnibus vesci: sic B. Virgo dixit: *Virum non cognosco*, id est prohibeor virum cognoscere: cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi nisi votum. Ita Cardinalis Bellarminus *to. 1. Controvers. libro de Monachis cap. 22.* ubi consequenter adducit S. Gregorium Nyssenum, S. Augustinum, S. Anselmum, S. Bernardum, & alios, disertis verbis idipsum adstruentes. Quibus adjungimus Doctorem Angelicum *in 3. parte quæst. 28. art. 2.* ubi ad propositum sic inter cætera: *Perfectionis opera magis sunt laudabilia si ex voto celebrentur. Virginitas autem in Matre Dei præcipuè debuit pollere, ut ex supradictis rationibus patet, & ideo conveniens fuit, ut Virginitas ejus ex voto Deo esset consecrata.* Et in responsione ad primum in fine: *Absolutè vovit antequàm ab Angelo annuntiaretur.* Quòd autem *accepto sponso simul cum eo votum Virginitatis emiserit*, ibidem tradit: & *in Responsione ad 3.* repetit: *Post desponsationem, ex communi voluntate, simul cum sponso suo votum Virginitatis emisit.*

Maria virgo Deipara substantialia Religiosi status servavit:

Virginitatis votum emisit:

ita docent Patres & Doctores.

363. Istis consonant S. Augustinus, (a) & Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei*, (b) ubi ista: *Primò igitur docebimus, quòd Beata Virgo vovit Deo perennem continentiam. Augustinus enim de bono virginali in principio dicit. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset nisi fælicius Christum corde quam carne gestasset. Ipsa quoque virginitas ejus ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit: sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo, Maria reddidit. Quomodò, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Hæc Waldensis ex S. Augustino. Subjungit Waldensis: *Decretum Ecclesiæ docet istud votum Virginis fuisse non solùm promissum: sed priùs corde ac demùm ore professum: immo ab utroque conjuge Ioseph & Maria initum affectu concordi.* Verba Decreti ex S. Augustino ibidem subjunguntur, in quo hæc, inter alia: *Beata Maria proposuit se observaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum non expressit ore: subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter revelaret.* Et post pauca sequitur: *Posteà verò filium genuit quem corde conceperat: Virginitatisque votum simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit.* Hinc ortum habuit consuetudo, in primitivâ

(a) de bono virgin.

(b) tom. 1. lib. 3. art. 2. cap. 22.

S. Ioseph virginitatem vovit unà cum sponsa Maria.

Ecclesia

Ecclesia observata, quòd Virgines cupientes se Deo consecrare, *promitterent in nomine Mariæ Castitatem servare*, ut ex D. Athanasio, Epiphanio, Abulensi, Waldensi, & Canisio tradit Petrus Morales, commentans in caput primum Matthæi, (a) circa illa verba: *Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*: scribit: *Virgo & Ioseph Castitatis votum simul emiserunt, ex communi consensu, & voluntate. Hoc videtur expressum in capitulo Beata Maria 27. quæst. 2. Quod Virgo corde conceperat simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit.* Aliorum auctoritatibus idem confirmat, declarans, factam fuisse divinitùs inspirationem utrique de altero, scilicet Virgini, & Josepho, quòd vellet uterque in Virginitate manere.

Maria in nomine olim virgines vovebant.

(a) lib. 2. tr. 6. n. 2.

CAPUT III.

Religiosa vita ab Apostolis exercita, postque eos in variis Orbis partibus propagata.

364. CHristum in observantia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ secuti sunt Apostoli, uti tradunt Patres, & Doctores. Paupertatem testatur Euangelium: & de se, cæterisque profitetur S. Petrus. *Ecce nos reliquimus omnia*: quibus etiam eorum castitas indicatur: nam vox illa *omnia*, etiam comprehendit uxores, quas reliquerunt ex Apostolis qui habebant: & hoc argumento utitur S. Hieronymus *libro* 1. *contra Iovinianum, & in Apologia*, omnes Virgines, aut post nuptias (cùm vocati essent à Christo) continentes fuisse. Obedientiam eorumdem declarant ista: *Sequuti sumus te*: nam alium sequi, est ex illius præscripto vivere, eique in omnibus obtemperare. Quòd illa etiam voto firmaverint, declaratur à multis, & fundatur in doctrina S. Thomæ scribentis: *Non ambigendum, quin Apostoli voverint omnia, quæ ad perfectionis statum pertinerent, quando Christum, omnibus relictis, sequuti sunt.* Quod S. Augustinus *libro* 17 *de Civitate Dei cap.* 4. clarissimè adstruit: *De terra*, inquit *suscitatus est, ille supra omnes divites pauper, & de illo stercore erectus suprà omnes populos opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super sedes duodecim, & sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerant enim potentes isti: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant.* Et certè ita decebat, ut & tanta hæc res illorum dignitate, & sanctitate ornaretur, & illi, qui omnium Magistri, ac Doctores futuri erant, hac quoque laude, in quâ tantum ornamenti inest in omni Euangelicâ pulchritudine, non carerent. Ita Hieronymus Platus *de bono status Religiosi lib.* 2. *c.* 20.

Apostoli paupertatem, castitatem & obed. servarunt,

ex voto,

365. De singulorum Apostolorum cœlibatu, ac quorumdam Cœnobiarchatu, & S. Joannis Baptistæ Anachoresi, diffusè tractat Prosper Stellartius in libro inscripto: *Fundamina & Regula omnium Ordinum.* Magis autem succinctè Tamburinus *de jure Abbatum disp.* 2. *quæst.* 2. & 5. ubi inter alia hæc: *Apostolos, Christo vivente, tria essentialia vota, ante ejus passionem emisisse, ostendit Suarez de Religione tomo 4. tract. 9. lib. 2. cap. 7. n. 13. Quod probatur auctoritate S. Thomæ, S. Augustini, & Aliorum.* Quòd autem abrenuntiationem omnium rerum temporalium exercuerint, innuit satis id quod claudo eleëmosynam petenti respondit Petrus: quòd nec aurum nec argentum dare potuit, quia non habebat. Ut certum itaque ex sacris Litteris habeatur, & maneat, Apostolos, aliosque discipulos Christi, ejus exemplo, & ardore succensos, amplexatos fuisse vitam perfectissimam, & Religiosam. Hoc ipsum peculiariter demonstrat variis locis antiquus Scriptor Eusebius *in demonstrationibus Euangelicis lib.* 3. *cap.* 7. ubi hæc inter alia. *Age, recurramus ad veritatem Sacrorum voluminum, moresque inspiciamus Discipulorum Iesu.* Et aliquantò post scribit, eos amplexatos vitam duram & molestam jejuniis, & abstinentia vini, & carnium, plurimisque aliis corporis humiliationibus, votis, & orationibus divinis, præcipuè verò temperantiâ, & castitate corporis pariter atque animæ. *Libro* 1. *cap.* 8. declarat, eos, præter communem Christianis omnibus vitam, illis, qui ad majorem adspirabant perfectionem, tradidisse excelsam, sublimioremque vitæ rationem, non nuptias, non sobolem, non possessiones, non opes requirentem, aut curantem, totam se supra omnia humana vulgariaque extendentem, cultu admirabilem, cælesti amore stimulante, Deo consecratam. Cujus sectatores (*Therapeutæ*) tamquam mortali vitâ perfuncti, corpore quidem hærente in terra, sed animâ per cogitationes translatâ in cœlum, contemplabantur. Quoad alias observantias Monasticas, an non ipsa Acta Apostolorum satis manifesto testimonio tradunt exercitia præcipua Apostolorum planè eadem quæ inter Religiosos? ea sunt, Divini Officii frequentatio, & oratio, ac divini verbi prædicationi &c. & saluti proximorum incumbere. *Capite* 6. de seipsis dicunt: *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* De Petro & Ioanne *Capite* 3. scribitur: *Ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Undè habetur, quòd regulariter, statis horis, ad divinum persolvendum Officium convenirent. Et dum soli essent iisdem horis statutis orationi se dare solitos habetur ex *Capite* 10. ubi scribitur: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam*; igitur, ut attentiùs suo tempore oraret, *Ascendit in Superiora*, ibi in secreto Deo vacaturus.

Apostoli perfectissimi & Religiosi.

366. Post Apostolos, & cum eis, mox tanta, tamque perfecta hæc illustrissimorum Dei cultorum Religiosorum, & Monachorum seges divino illo potissimum Dei hominis cruore irrigata, in orbe cœpit excrescere; ut quamplurimi hominum & Virginum,

Monachi & Virgines sacræ plures, temporibus Apostolorum.

num, & puellarum cœtus, communem Christianorum vitam, vulgareque illud Religionis genus, quod ex solâ Divinæ legis observantiâ proficiscitur, transcendentes, magnâ animi constantiâ cœperunt ad summum Euangelicæ perfectionis fastigium anhelare, opes deserere, temporalia omnia contemnere, altissimam filii Dei Paupertatem sectari, mundo, ac suis, valedicere, duris & asperis delectari, bellum voluptatibus indicere, flagellis corpus excarnificare, jejuniis conficere, denique sensus omnes & carnis appetitus crucifigere, ac se totos Deo consecrare; & solemni votorum obligatione seipsos in Dei possessionem transferentes, Divinæ servituti perpetuò mancipare. Ut in his Angelicum illud tandem vaticinium obtineret: quò antea prædictum fuerat in Christi adventu, Domino. *plebem perfectam parandam esse.* Porrò de Monastico Instituto tamquam valdè recepto, & usitato, deque ceremoniis, ac ritibus, quibus Deo Religiosi consecrabantur, scribit S. Dionysius Areopagita, Apostolis Synchronus, & de Virginibus sacris velandis librum edidit Tertullianus, Apostolicis temporibus proximus, & vetustus Pater Joannes Jerosolymitanus in libro *de Institutione primorum Monachorum* peculiariter tractat per plura capita de Monachis temporibus Apostolorum, & qualiter eorum facti fuerint coadjutores: inter cætera capite 38. (juxta Wastelianam partitionem) ista habet notabilia: *Eorum multi ea quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, fidem Christi per Phœnicen & Palæstinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei: & moribus vitæ ac Monasticâ conversatione Ecclesiam Dei insignißimam demonstrantes.* Omninò similia ex Cassiodoro *lib.* 1. *Hist. Tripartitæ cap.* 11. & Philone scribit Waldensis in *Doctrinali fidei* (a) ubi inter alia sic: *Insignißimam Ecclesiam demonstrarunt, & dogmata dilataverunt vitæ virtutibus, qui conversatione Monasticâ illo tempore fruebantur.* Luculenter item Philo Judæus, sub nomine Essæorum, seu Essenorum, in libro *de Vita Contemplativa*, & alibi, describit & mores Monachorum & Sacrarum Virginum. Isti autem Esseni non tantum à Judæis & Christianis Scriptoribus, sed & ab ipsis Ethnicis magnis encomiis (ob vitæ sanctissimæ eminentiam) celebrati, sicut jam ante audivimus, potissimùm à S. Marco in fide eruditi fuerunt, atque in Monasticâ disciplinâ consummati, non tamen ab eò primùm instituti, ut (haud verè) videntur putare aliqui, cùm longè antè, etiam in veteri Testamento extitisse, & Monasticen exercuisse, habeatur, & confirmatum sit in antecedentibus in Tractatu præcedenti. De istis etiam tractans Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum*, scribit: S. Marcum erexisse Monasteria, seu conventus Monasticos, utriusque sexus: & quòd S. Matthæus in Æthiopiâ S. Euphemiam Virginem consecraverit, ac illam plus quam ducentis Virginibus præfecerit; idem & alii plerique Apostoli fecerunt, Virgines Deo sacrantes.

de quibus S. Dionysius Areopagita, Tertullianus, & alii,

(a) to. 1. lib. 2. art. 1. cap. 14.

Apostoli Virgines Deo sacrarunt;

367. Plura ad hoc propositum scribit Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei*, (a) impugnans hæreticum Wicleff, dicentem non fuisse Ordines Religiosos, seu Monachos in primis post Christum seculis per multos centenos annos. Sed contra Waldensis (b) cùm primos monasticæ conversationis auctores, & principes, S. Eliam in veteri Lege, & S. Joannem Baptistam in nova, probasset auctoritatibus Scripturarum, ac Patrum, consequenter hæc de Religiosis, seu Monachis temporibus Apostolorum, adducit: (c) *Et ne foret contentio de nomine: immò & MONACHI appellati ab Apostolis, & nomine gaudentes religionis distinctæ à cæteris Christi vulgaribus. Dicente, in,* DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA, *capitulo septimo, Loquendo de Religiosis illius temporis, Beato Dionysio: Divini nostri duces (sanctus Paulus magister ejus, & cæteri Apostoli, quibus ipse fuit immediatus) nominibus sanctis ipsos dignati sunt, alii quidem* THERAPEUTAS, *id est famulos (dicitur enim à Therapeuo quod est curo vel famulor) Alii autem Monachos ipsos nominantes ex Dei puro servitio, & famulatu.* Prosequitur Waldensis (d) *& ut particulares institutiones Apostolorum nominatim adducamus in fidem omnium præmissorum, commemoremus sanctum Matthæum Euangelistam, qui legitur consecrasse sanctam Euphemiã Virginem, & præfecisse illam plusquam ducentis Virginibus. Commemoremus & S. Paulum Doctorem Gentium, qui etiam instituit sanctam Teclam in monacham.* Id cùm probasset auctoritate S. Ambrosii, & aliorum, addit: *Immo sic tradunt Doctores, Beatum Paulum multas fœminas consecrasse; de quibus meminerit* 1. *Corinth XI. cùm diceret, omnis mulier orans aut prophetans. Glossa: Scripturas reserans: Non velato capite, deturpat caput suum: vel prophetans, id est legens prophetias in Ecclesia: quorum neutrum potuit vulgaris fœmina facere.* Et post alia: *Et ne nimis quàm oportet, immoremur, ad Beatum Marcum Euangelistam properemus, qui in Alexandria civitate Ægypti conventus Religiosorum instituit mirabilis multitudinis utriusque sexus, viros scilicet & mulieres, seorsum positos, & regularibus subdidit disciplinis, vocans eos singulari nomine cultores, & cultrices, & ne putaretur vulgaris fabula futuris temporibus, descripsit eos antiquus Doctor Philo, qui tempore Claudii Imperatoris Romæ fuit, & sanctum Petrum Apostolum vidit, & fruebatur ejus alloquio.* Sed de istis, quos S. Marcus regularibus monasticis disciplinis instituit, nuncupatis *Essenis*, atque etiam *Therapeutis*, ut loquitur S. Dionysius, sermo fuit tractatu præcedenti per totum: peculiariter hîc ad propositum notanda sunt illa, quæ *cap.* 14. sub finem adducta sunt.

(a) tomo 1. libro 3. articulo 1.

(b) tom. 1. l. 3. art. 1. cap. 6.

(c) cap. 6.

& Monachos nuncupatos Therapeutas

(d) cap. 7.

S. Marcus Conventus Religiosorum & Virginum instituit.

368. Inter illustres monachos sub finem seculi primi celebrantur Demophilus & Cajus, *Therapeutæ*, seu *Cultores* nuncupati (id idem est quod *Monachus*) ad quos epistolas singulas scripsit S. Dionysius Areopagita.

gita. Ad Cajum scripsit quoque S. Joannes Euangelista unam ex Canonicis, ut tradunt nonnulli relati à Cornelio à Lapide (a) ubi ista: *Caio, Therapeuta, id est, Esseno, Asceta, Monacho.* Ibidem refert nonnullos, adstruentes ipsum fuisse assumptum Episcopum, additque: *Solebant enim ex Therapeutis & Asceticis, quasi viris perfectis, creari Episcopi, imò Episcopi erant Therapeuta, ut patet in S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Gregorio, S. Augustino, qui vitam contemplativam jungebant actioni.* Waldensis tandem sic concludit adversùm Witcleff: *Ecce quantos Religionis sinceræ cultores, & quàm fœcundos Professores in diebus antiquis, de fundatione sanctissimi Euangelistæ Marci. Horum concedat Deus nos esse sequaces fideles, à quibus credo deficere singulos jam viventes, saltem, si qui eos apprehenderunt, audeo dicere, quòd Sancti sunt. Erubescat jam Witcleff insanus*; nempè vitam monasticam, & Ordines omnes Religiosos nuncupat *novellas sectas*. Et ista Witclefi insania (ut meritò nuncupat Waldensis) ex omnibus hactenùs dictis satis perspicuè falsitatis convincitur, & magis patescet ex proximè sequentibus.

(a) in c. 5. ep. Canon. 3. S. Ioan.

CAPUT IV.

Seculo secundo Religiosum Monasticum Institutum continuatum ostenditur.

369. QUòd Religiosus Status successivè, & sine aliquâ temporis interruptione semper in Ecclesiâ perstiterit post Apostolorum tempora, inter cæteros luculenter ex præstantissimis Orthodoxis, Ethnicis & Judæis Scriptoribus, declarat Ven. P. Ioannes Baptista de Lezana integro *tomo secundo Annalium Carmelitani Ordinis*; succinctè autem id facit eruditus Scriptor Ascanius Tamburinus in suo illo insigni opere, *de Iure Abbatum*, ubi (b) probat peculiariter continuationem Monastici Status per tria priora sæcula usque ad tempora S. Antonii, & S. Basilii: Id quoque testatur Cassianus (c) *Secundùm* (ait) *quam vidimus Monasteriorum Regulam, per Ægyptum, & Palæstinam antiquitùs fundatorum, in quibus ab exordio Prædicationis Apostolicæ, à Sanctis, ac Spiritualibus Patribus fundata Monasteria, ad nos usque perdurant.* Erat autem eâ ætate fœcundâ Monasticæ conversationis disciplina eadem, quæ in præcedenti: de qua sub tempora Evaristi Papæ anno circiter 113, etiam Ethnicus Scriptor celebris Cajus Solinus *in Polyhistoria cap. 35.* agens de Instituto Essenorum testimonium perhibuit, dum de iis tradit: *Præditi mirabili disciplinâ recesserunt à ritu gentium universarum.... Nulla ibi fœmina..... pecuniam nesciunt...... Palmis victitant.... per immensum spatium seculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperiis.* Planè similia scribit Plinius: concinit

Religiosus Monasticus Status continuatus post Apostolos.

(b) to. 1. disp. 2. q. 10. & 11.

(c) in præfat. ad Castorem.

istis Porphyrius. Vide hìc suprà (a): Tantoperè enim illis temporibus ea vitæ ratio viguit, & resplenduit, ut etiam Ethnicos ipsos in admirationem raperet. Quinimò Philo (b) attestatur: *Magnos etiam Reges viros istos admiratos*; idque continuatum fuisse ad usque Seculum quartum adstruit Cardinalis Baronius (c) verbis supra relatis scribens: *Summum illud vivendi genus instar Eliæ & Ioannis Baptistæ etiam Ethnicis, ipsisque Imperatoribus fuisse venerandum.* Porrò Monachos istis temporibus *Essenos* fuisse nuncupatos, tradunt auctores supra adducti, & peculiariter idem Cardinalis Baronius variis locis, adductis *in Tractatu præcedenti cap. 8.* Dicit: *Summum istud vivendi genus* (monasticæ conversationis) *etiam Ethnicis fuisse venerandum*, videlicet præfatis Plinio, Solino, & Porphyrio, qui *summum istud vivendi genus* (Monachorum, sub nomine Essenorum) in suis scriptis celebrarunt magnis encomiis; sicut videre licet in tractatu præcedenti, cap. 4. (d) Capite autem 2. & 3. adducta sunt de eisdem testimonia præfati Philonis, & Iosephi Iudæorum. De istis Monachis in primis post Christum seculis tractans Sozomenus, (e) tradit, quòd *Ecclesiam conversationis suæ virtutibus illustrissimam reddiderunt, & doctrinam Christianam extenderunt hi, qui monasticam politiam exercuerunt.* Istam autem monasticam politiam, vigentem in Ecclesiæ prioribus seculis, sic continuatam fuisse usque ad tempora S. Antonii, scribit idem Sozomenus ibidem: *Illud apud omnes in confesso est, magnum illum Antonium Monachum excellenter diligentiæ ac perfectionis, moribus, competentibusque exercitiis istam vitæ conversationem exercuisse.* Omninò similia scribit Cassiodorus verbis hìc suprà adductis (f) & alii relati cap. præcedenti.

(a) de Essenis cap. 4.

(b) in Apolog.

(c) Vide tract. 5. c. 8.

(d) n. 274. & seq.

(e) vide hìc sup. n. 280.

Monachi olim Ecclesiam illustrissimam reddiderunt.

(f) n. 292.

370. Initio Seculi secundi circa tempora Trajani (qui imperium cepit sub finem seculi primi à Christo nato, videlicet duo-decentesimo, gessitque usque ad ann. CXVII.) Monachorum, & Sacrarum Virginum greges extitisse, etiam habetur ex vita verè mirabili S. Eudociæ, ex antiquissimo codice Vaticanæ Bibliothecæ, è Græco in Latinum traducta, sicque per PP. Bollandum, Henschenium, & Papebrochium, edita ac notationibus illustrata, (g) in qua *cap. 2.* hæc, inter cætera: *Pius quidam Monachus, nomine Germanus, è nescio, quâ peregrinatione Monasterium repetens*: & cap. 9. *Habebat porrò B. Germanus suo regimini subjectos in cœnobio Monachos septuaginta; & in Asceterio non longè indè remoto, Virgines triginta; inter quas admissa B. Eudocia, omni statim virtutis laude præ cunctis excelluit.* De S. Eudocia, & B. Germano etiam agitur in Speculo Carmelitano (h) ubi etiam de S. Veneranda, (i) quæ sub idem tempus *post parentum mortem, facultatibus in pia opera distributis, ad sanctimonialium quarumdam Monasterium ejus Provinciæ, monasticem professura se contulit; ubi per aliquod tempus in Religionis sacra exercitiis mirabiliter profecit.*

S. Eudocia Mater 30. Monialium, & B. Germanus Pater 70. Monachorum circa an. Chr. 100.

(g) in Act. SS. ad diem 1. Martii.

(h) To. 2. n. 2909.

(i) n. 2967.

profecit. Qualiter divino instinctu Christum Iudæis, & Ethnicis prædicaverit, & tandem post dira tormenta glorioso martyrio consummata fuerit, ibidem sub compendio refertur.

S. Telesphorus ex anachoretica vita Rom. Pontifex.

371. Ante medium seculi 2. monasticam, anachoreticam vitam singulariter decoravit S. Telesphorus, ex anachoresi ad summum Pontificiæ Dignitatis evectus culmen anno Christi 142, de quo in libro Pontificali ista leguntur: *Telesphorus, natione Græcus, ex anachoreta, sedit annos XI. menses III. dies XXI. Fuit autem temporibus Antonini & Marci, Martyrio coronatus*, & in veteri Catalogo Romanorum Pontificum: *Telesphorus, natione Græcus, ex anachoreta, sedit annos undecim, menses sex, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Antonini & Marci*: à S. Antonino (a) dicitur: *Ex Anachoretis assumptus*: & à Coriolano: (b) *Ex vita Anachoretica, quam agebat, ad Pontificatum evectus est*: ita quoque alii plures, relati à P. Lezana *in Annalibus* (c) Istis accinit Gilbertus Genebrardus in Chronographia, ad annum Domini 139. ita scribens: *Telesphorus Græcus, Anachoreta, sedit annos undecim, menses 3. dies 22.* Et infrà: *Quoniam fuit Anachoreta, apparet in prima Ecclesia aliquos hujus sancti Instituti fuisse sectatores, adversùs eos, qui Monasticès auctorem D. Antonium sub Constantino magno faciunt. Multò ante Dionysius Areopagita tres Epistolas ad tres Monachos dedit. De Ecclesiastica Hierar. Ecclesiâ nascente, de ordine Monastico tractavit, eum purissimam Christianorum partem, & e tribus à se memoratis primam pronuntiavit.* Vita ejus habetur in Speculo Carmelit. tomo 1. ad diem XXX. Ianuarii: Vitæ epitome extat in Canonico Officio, Apostolicæ Sedis auctoritate approbato, ubi ista: *Telesphorus, natione Græcus, anachoreticum institutum amplexus, cùm vita sanctimoniâ, clarissimisque scientiarum radiis fulgeret, post dura solitudinis certamina, ad sacrosanctum summi Pontificatûs solium, unanimi omnium applausu, evectus est.*

(a) p. 1. tit. 7 c. 6.
(b) in Brev. Chron. ad an. 140.
(c) to. 2. ad an. Chr. 142.

S. Fronton, Pater 70. Religiosorum Monachorū seculo 2.

372. Sub medium ejusdem seculi celebris erat Monasticæ observantiæ cultor ac propagator S. Frontonus Pater 70. fermè Monachorum, Instituti Essenorum tempore imperii Antonini pii, prout in vita ipsius exprimitur illis verbis, sub finem: *Hæc sub Antonino Imperatore gesta sunt tertio decimo anno imperii ejus.* De illo ista leguntur in Martyrologiis Romano, Usuardi, & etiam Adonis: *Alexandriæ S. Frontonii Abbatis, cujus vita sanctitate, & miraculis claruit.* Ita pro decima quarta die Aprilis. Addit Beda: *Qui septuaginta fermè Pater extitit Monachorum.* Vita ejus extat inter vitas Patrum libro 1. ubi hæc sub initium: *Igitur Frontonius, verus Dei servus, studio Dei timoris de die in diem proficiens, publicam communemque vitam perhorrescens, aviam desiderans solitudinem, convocatis ad se Fratribus, dixit (erant enim cum eo viri circiter septuaginta:) En quid nobis, & mundo damnabili, cujus operibus renunciare omni modo condecet, ut cœlestem consequamur vitam.* Ibi consequenter agitur de eorum in eremo viventium paupertate, & quomodò tentati Fratres cogitatione redeundi ad urbem, ob inopiam & egestatem, quam metuebant, à Frontonio consolationem, & à quodam divite subsidium, & provisionem, per camelos annonâ onustos, urgente Angelo, qui diviti eidem in somnis apparens id præceperat. Quod maximo miraculo peractum est; eò quod cameli illi, nullo ductore, ad ipsos in Eremo commorantes pervenerunt. Quod ipse cum suis fuerint posteri Essenorum, & ejusdem Instituti, declaratur *tomo 2. Annalium Carmelitarum* (a). Adstipulantur quoque PP. Bollandus & Henschenius *in Commentario prævio ad vitam S. Antonii tomo 2. Ianuarii* §. 3. ubi ista: *Monachi & Anachoretæ in Ægypto ante S. Antonium*, & infrà: *Exordium eorum ab Essæis ..... Ex horum posteris fuit S. Frontonius apud Nitriam Abbas septuaginta Fratrum.*

(a) ad ann. Chr. 151. n. 4.

S. Eugenia inter Essenos Monachos.

373. Sub finem hujus, & initium sequentis seculi Religiosum Monasticum Ordinem decorabant S. Helenus, S. Prothus, & S. Hyacinthus, ac potissimè S. Eugenia, in virili habitu latens inter Monachos Essenos: ubi eam virtus Christi, & Virginitas immaculata protegebat, ut mirabilis esset & viris, fieretque spectaculum admirandum quamplurimis. *Quæ in Christum credens, nuptias aversata, unà cum fidelibus Eunuchis Protho & Hyacintho secedens, virili habitu delituit inter Monachos, quos Essenos à Philone dictos esse, superiùs demonstravimus, hæc omnia perficiente S. Heleno Episcopo Heliopoleos.* Ita Cardinalis Baronius (b) Mirabilis, & devota vitæ istius historia graphicè depingitur in *Vitis Patrum.* Hîc solùm ex Alcimo Avito, vetustissimo Auctore, versus aliquot inseremus.

(b) ad an. Chr. 188.

Superior ab eis eligitur.

Eugenia dudum totô celeberrima mundo
Fama fuit ——————
Fœmineum occultans sexum, muliebria sprevit:
Et meritis annisque graves, longâque verendos
Relligione senes, juvenili rexit in ævo.

Instituti ejusdem SS. Prothus, Hyacinthus, & Helenus.

Etiam instituti ejusdem (in eodem Monasterio) fuêre præfati Prothus & Hyacinthus, ipsius Eunuchi, nec non S. Helenus Episcopus. Ex istorum Actis seu vita *cap.* 4. habetur, plura tum extitisse Monasteria ejuscemodi, quæ Episcopi, sequente eos psallentium exercitu, circumire solebant. Istorum Acta extant in Vitis Patrum. Undè etiam habetur, S. Eugeniam Monasterium Virginum erigi curasse in Ægypto, juxtà locum, ubi ejus Pater Philippus sepultus fuit. *Iuxtà atria itaque, ubi S. Eugenia filia Monasterium Christi Virginibus collocaverat, illic suum jussit collocari corpusculum.*

S. Serapion ex anachoreta Episc. seculo 2.

374. Sub finem seculi secundi solitudinis cultor insignis fuit S. Serapion, de quo ista Trithemius: *Serapion ex anachoreta: Ecclesiæ Antiochenæ octavus Episcopus: vir acris ingenii in divinis scripturis valde studiosus & eruditus: non minùs vitâ, quàm scientiâ venerabilis.* S. Hieronymus inter ejus scripta refert epistolas

ascesi

ascesi (seu anachoresi) *suæ convenientes.* In Martyrologio Romano his commemoratur verbis: *Antiochiæ sancti Serapionis Episcopi eruditione clarissimi.* Cardinalis Baronius in Annalibus (a) ejus ad Antiochenam cathedram assumptionem refert ad an. Christi 191. *Anno*, inquit, *centesimo nonagesimo primo . . . Commodi Imperatoris anno decimo, post Maximinum surrogatur in Ecclesiam Antiochenam Serapion. Hæc Eusebius in Chronico, licèt S. Hieronymus id factum dicat anno sequenti. Celebris hic fuit inter scriptores Ecclesiasticos hujus temporis.* Obitum ejus adscribit anno Christi 213. Joannes Palæonydorus in Fasciculo tripartito, (b) hæc de eo scribit: *Circa annum Domini 190. clarus effulsit Serapion ille sanctissimus, ex Eremita, & Anachoreta Carmelitica Religionis, Octavus Episcopus Antiochenus.* Inter sanctos Ordinis Carmelitani duplici Officio colitur per totum Ordinem die 30. Octobris. Quòd autem olim ex Monachis, seu Therapeutis, sive Ascetis olim Episcopi assumerentur, jam paulò ante audivimus ex Corn. a Lapide: *Solebant enim ex Therapeutis, & Ascetis, quasi viris perfectis, creari Episcopi, imo Episcopi erant Therapeutæ*, & Card. Baronius (c) *Negari quidem non potest, fuisse Monachismum seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum.* Igitur S. Serapion *Asceta*, idest Monachus, *Ascesis* enim, & *Anachoresis*, ac *Monastice* pro eodem sumi solent: ab *Ascesi* derivatur *Asceterium*, id est Monasterium. Plura de eo videri poterunt in Annal. Carmelitanis (d) & in Speculo Carmelitano tom. 2. (e) Sub idem tempus, claruit S. Narcissus, de quo ista in Martyrologio Romano (f) *Ierosolymis natalis Beati Narcissi, Episcopi, sanctitate, patientiâ, ac fide laudabilis, qui centum, & sexdecim annorum, migravit ad Dominum.* De ejus anachoresi ista scribunt Petrus de Natalibus: (g) *Desertum petens, dudum vitam solitariam duxit:* & Cardinalis Baronius (h): *Ab oculis universæ multitudinis se penitùs removit, & in solitudine, locisque desertis, ad multorum annorum spatium vitam transegit.* Alia quędam de pręfatis S. Serapione, S. Narcisso, S. Eugenia, & S. Frontonio habebit lector in *Speculo Carmelitano* (i) ideo præfata paucula delibata hic sufficiunt.

(a) to. 2. ad an. 191.
(b) lib. 2. c. 3.
Ordinis Carmelit.
(c) in Annal. ad an. Chr. 328.
(d) ad an. Chr. 189.
(e) n. 2557
(f) ad 29. Novemb.
S. Narcissus Episcopus anachoreticam vitam amplectitur.
(g) in Catal. l. 9. c. 110.
(h) ad an. Chr. 199.
(i) tom. 2. n. 2963.

375. Pro claritate dictorum & dicendorum tria hic notanda occurrunt Primum: Quòd ut olim in Lege veteri Monachi, SS. Eliæ & Elisei posteri dicti fuêre *Prophetæ*, *Filii Prophetarum*, *Rechabitæ*, *Assidæi*, *Esseni*. Ita quoque sub Euangelica Lege Monachi varia sortiti sunt nomina: *Esseni* communiter dicebantur tribus prioribus seculis, & quandoque *Viri Religiosi*, *Ascetæ*, *Therapeutæ*, interdum etiam *Eunuchi* seu *Spadones*, qui se castraverunt (per votum scilicet) propter regnum cœlorum, atque aliis nonnullis, de quibus fuse Lezana in Annalibus Carmelitanis (k) Apud antiquos Scriptores frequenter etiam appellati fuêre *Philosophi*, sicut traditum est subindè in antecedentibus (a) *Secundum*: quòd eorum quoque habitacula, seu Monasticæ Mansiones non uno dicerentur vocabulo: communissima nunc sunt: *Cœnobium*, *Monasterium*, *Claustrum*, *Collegium*, *Conventus*: olim dicebantur *Mandra* (quod apud Latinos *Ovile* significat) hinc nomen *Archimandrita*. Dicebantur quoque *Laura* (de quo nomine plura in sequentibus) & frequenter *Asceterium*, quia in eo religiosæ fiunt exercitationes. *Tertium*: etiã Superiores diversimodè intitulabantur: in veteri Lege dicebantur *Patres*, *Curatores*, *Præfecti*, quæ etiam olim in primitivâ Ecclesiâ erant in usu, ut ex Philone & Josepho Judæis habetur: subsequentibus temporibus eis attributa sunt passim nomina *Archimandrita & Abbas* (b). Tamburinus inter cætera habet: quòd *Abbas* Hebræis & Syris idem sit ac *Pater* Græcis & Latinis: Et propterea jam olim istud attributum fuerit Superioribus, seu Præfectis Monachorum; quod se tamquam Patres gerere debeant erga subditos. Porrò nomen illud *Abba* usitatum olim ab exordio Ecclesiæ fuisse patet ex dictis de S. Frontonio *Abbate* 70. *Monachorum*, fuitque communissimum inter veteres Monachos, & Eremicolas (ut habetur ex *vitis Patrum*) atque etiam Ordinarium in Ordine Carmelitano usque ad annum Christi circiter 1141. quandò Aymericus Patriarcha Antiochenus pro eo supposuit nomen *Prior*.

(k) tom. 2. in Appar. c. 4.
(a) num. 51 & alibi sæpè.
Monasterii nomenclatura varia.
(b) To. 2. de jure Abbat. disp. 1. quæsit. 1.
Abbas nomen Hebr. idem quod Pater.

CAPUT V.

Religiosus Monasticus Ordo seculo tertio gravissimis persecutionum procellis exagitatus, ferax martyrium.

376. Seculo tertio gravis procella persecutionis in Christianos incumbens, quamplurimos ex Monastico Instituto sustulit, & in cœlum transvexit. Ex iis fuit S. Hippolytus (*Nonnus* cognominatus) eruditionis variæ celeberrimâ opinione illustris, ex Monacho Episcopus, & tandem Martyr: de quo accuratè Baronius ad *ann. Dom.* 229. ubi inter cætera de eo scribit: *Hippolytus, qui vivebat anno Domini 229. fuit Metropolitanus Arabiæ, qui Romam sub Calisto Pontifice veniens, honoratur ab illo Episcopatu Portuensi.* Et deindè: *Porrò Nonnus erat illi cognomentum, quod idem est, quod Monachus.* Illo etiam seculo tempore Decii Imperatoris, & solitariæ vitæ exercitatione, & sanctitatis famâ illustris erat S. Pansophius, de quo Galesinius in *Martyrologio ad XVI. Ianuarii:* ubi ista: *Alexandriæ S. Pansophii martyris. Hic è Nilo Alexandriæ proconsule natus, liberalibus disciplinis institutus, mortuo Patre primùm omne patrimonium pauperibus in eleemosynam contulit; tum in solitudinem secessit, ubi septem & viginti annos orando,*

S. Hippolytus ex Monacho Episc. martyr.
S. Pansophius Anachoreta, martyr.

orando, vitam egit. Post Christianæ Religionis apud Augustalium præfectum, Decio fidei hoste, accusatus, tamdiu in verberibus cæsus est, quoad spiritum Deo reddidit. Et in Menæis Græcorum ad diem XV. Januarii sic de eodem: *Post Patris obitum, facultatibus in pauperes profusis, solitudinem petiit, atque omnibus terrenis commodis abdicatis, Christum solum secutus, annos septem & viginti in desertis locis exegit, cum solo assiduè colloquens Deo, & mente ab his infimis abstractâ, in cœlo conversans..... Immaniter cæsus, & lauream martyrii adeptus est.* Plura de eo videri poterunt in Actis Sanctorum per PP. Bollandum & Henschenium *ad diem XV Januarii.*

377. Ibidem etiam Monasticam vitam martyrio decoravit S. Serapion, de quo in iisdem Actis Sanctorum ad diem XXI. Martii. *In Alexandria Serapionis Monachi.* Ibidem statuitur antesignanus decem Martyrum Alexandriæ passorum. Infrà hæc subduntur. [De Serapione varii aliqua encomia adjunxerunt, Usuardus illud: *Alexandria B. Serapionis Anachoretæ, magnarum virtutum viri.* Quæ de dicto Monacho martyre intelligi possunt, imò & debent; quia Anachoretarum domicilium non erat Alexandria, sed Palæstra Martyrum. In MS. Florario Sanctorum ita legitur: *Alexandria B. Serapionis Anachoretæ: Hic Pater decem millium Monachorum fuit.* Apud Maurolycum hæc cum elogio Usuardi connectuntur: plura addit Canisius in Martyrologio Germanico, desumpta, ex *libro 6. Historiæ Eccles. Sozomeni c.28.* ubi ista leguntur: *Serapion propè Arsenoitem vitam egit, & Monachis circiter decem millibus præfuit.*] Et post alia de eodem adducta, agitur de Serapione Episcopo Thmueos, & hæc de illo ex Martyrologio Romano adducuntur. *Alexandria beati Serapionis Anachoretæ, & Episcopi Thmueos, magnarum virtutum viri, qui Arianorum furore in exilium actus, migravit ad Dominum.* Et paulò infrà ex notationibus ad idem Martyrologium: *Verùm insignem illum Serapionem, ab Athanasio fuisse ordinatum Episcopum, constat ex Epistola ejusdem Athanasii ad Dracontium.* Verba S. Athanasii sunt ista: *Nosti Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum Præfectum .... Memor es Ammonii cum Serapione peregrè profecti .... poteris item rescíscere .... de aliis. Et tamen isti Episcopi constituti non contradixerunt, sed habentes pro exemplari Eliseum, & conscii, quid Elias egerit.* An ista hactenùs dicta eidem conveniant Serapioni, an diversis, dicto loco differunt præfati PP. Henschenius & Papebrochius. Cæterùm ejusdem etiam nominis alius Serapion claruit Antiochiæ sub finem seculi secundi, de quo ex S. Hieronymo, & Trithemio, aliisque quædam adducta sunt hîc paulò ante, sub finem capitis præcedentis.

S. Serapion Pater decem millium Monachorum.

378. Sub medium ejusdem seculi tertii S. Nicon è milite Monachus in monte Gani, & Angelico monitu Episcopus, cum 199 Monachis moritur Martyr juxta Tauromenium in Sicilia: Cujus memorabilis vita, auctore Chæromeno discipulo, ex pervetustis codicibus exhibetur in Actis Sanctorum per eosdem PP. Bollandum, Henschenium, & Papebrochium ad diem 23. Martii, ubi *in Commentario prævio* §. 1. ista de ejus patriâ, & Monachatu: *Martyres tamen, etsi nullos Neapolis fecit, genuit tamen multos ad lauream illam deindè progressos; atque in iis S. Niconem, ex strenuo secularis militiæ sectatore, Ducem egregiæ cohortis, centum nonaginta novem Monachorum.* Et in ejusdem vitâ per præfatum Chæromenum *cap. 1.* sub finem refertur, quomodò cùm ad Ganum montem appulisset, ibi Monachos reperêrit, qui eum receperunt. *Facientes itaque ad invicem consuetam Monachis adorationem, arripuerunt manum ejus, abduxeruntque in speluncam, in quâ commorationem sibi constituerat eorum Hegumenus, atque Episcopus, cum cœtu Monachorum aliorum.* Quomodo ibi Monachus factus fuerit, ibi consequenter *cap. 2.* sic refertur: *Biduum hic triduumve exegerat Nicon Dei servus, cùm labores, atque vigilias contemplatus, quas illi fortiter sustinebant, Psalmodiæ, Lectionique vacantes assiduè, ipsisque lacrymis solum irrigantes; irruit in eum timor Domini, amorque inexplicabilis, adeò ut penè extra se raperetur exultans, & quam ducebant sancti Angelicam vitam, admirabundus explorans..... Tres in isto spelæi montani Monasterio annos commoratus, in iis sese quæ istbic tractabantur, litteris atque disciplinis, Psalmodiâ item, oratione, lectione, atque puritate ita exercuit, instruxitque, ut facilè apparerent vas electionis factum esse Domino, nonnullique dicerent similem Angelo virum videri.* (Consequenter *cap. 3. & 4.* narratur ipsius, & sociorum gloriosum martyrium, & miraculosa revelatio) Ibi notandum Monasticam vitam vocari *Angelicam*, & illam dignè exercentes *similes Angelis.*

S. Nicon Monachus, martyr unà cum 199. aliis Monachis.

379. Quàm ferax Monachorum seculum istud extiterit, & quàm frequentes eorum manipuli in area Ecclesiæ gladio persecutionum triturati, & cœlestibus horreis illati tum fuerint, testantur etiam verè admiranda & devotissima Acta S. Juliani Patris decem millium Monachorum, & S. Basilissæ Matris plurimarum Virginum Deo sacrarum, scripta ab oculatis testibus, & consequenter ab aliis celeberrimis Scriptoribus, posteritati traditis à PP. Bollando, & Henschenio præclaris notationibus illustrata *ad diem 9. Januarii.* En indè, atque ex ingenti illo Divini amoris, & veræ pietatis incendio quasdam huc derivatas flammulas, quibus etiam Lector pius accendi queat. Imprimis istud vitæ ex veteribus MSS. est exordium. *Beati Martyres seculum, vel tormenta superantes, hoc nobis muneris reliquerunt, quod gesta passionum suarum secum ferre non possunt, sed luctantibus firmum reliquerunt exemplum: effectique sunt errantibus via, cæcis lumen, titubantibus credulitas:* Deindè refertur S. Juliani Institutio in doctrinâ, & pietate: & qualiter à parentibus ad Matrimonium

S. Julianus Pater decem millium Monachorũ.

monium compulsus, petierit septem dierum inducias. Intereà die noctuque in oratione pervigilans, promeretur cœlesti monitu moneri, accipere conjugem, cum quâ Virginitatem servet: atque ita Matrimonio jungitur Virgini, cui nomen Basilissa; quæ primâ nuptiarum nocte, suavi odore veluti florum incenditur ad amorem castitatis: quam servandam pari consensu decernunt. Et eccè in luce inenarrabili apparent illis Christus, Virgo Maria Deipara, & Virginum utriusque sexus multitudo: & nomen suum conspiciunt scriptum inter Virgines: atque ita noctem illam pervigiles in hymnis, & canticis peregerunt. Mortuis parentibus, quid fecerint, sic refert vitæ Scriptor coævus. *Fit consensus communis, quo non solùm pro suâ salute solliciti essent..... Instituunt sancta Monasteria, in quibus messes animarum de seculi spinis, ac tribulorum suffocatione rapiebant. Eratque S. Iulianus sanctæ Congregationis circiter, decem millium Monachorum Pater. Et sicut Scriptum est: (a) Generatio vadit, & generatio venit; quanti migrabant ad cœlum, tanti convertebantur ad Dominum. Nec quisquam dinumerare poterat animarum multitudines, quæ per S. Iulianum perfectè migraverunt ad cœlum. Similiter & B. Basilissa, agmina Virginum & mulierum, de squaloribus seculi liberatas castissimas animas præmittebat ad cœlum. Erantque cum B. Iuliano virorum sancta commercia: & per S. Basilissam fulgebat in Virginibus & mulieribus castitatis excelsior victoria palma.*

(a) Eccles. 1. 4.

& S. Basilissa Mater SS. Virginum.

380. Deinde refertur, qualiter pro gregibus sibi commissis tempore immanis persecutionis per Diocletianum & Maximianum, solicitam illorum curam habuerit: & pro illis oraverit: & S. Basilissa divinitùs fuerit edocta de suâ, & suarum circiter mille Virginum instante morte. Cumque suas omnes ad cœlum præmisisset, Venerandus ille, circiter mille Virginum niveis cycladibus indutarum, & regalibus zonis præcinctarum chorus astitit Basilissæ, quæ tandem etiam morte consummata, illis in gloriâ juncta fuit. Deindè S. Julianus à Marciano Præside comprehensus, generosè fidem profitetur, & fustibus cæditur: & ab Angelis coronâ aureâ, ornatâ lapidibus pretiosis, redimiri conspicitur à Celso puero filio Præsidis: qui ad Christum conversus, libros & vestes projiciens, se S. Juliano adjungit, baptizatur, incarceratur, blanditias parentum spernit, ignem superat, Marcionillam Matrem convertit, & Martyr Christi efficitur: atque etiam S. Iulianus cum sociis. Alia valde admiranda, & ferventissimi Divini amoris indicia videri poterunt in præfatis Actis Sanctorum. Istud prætereundum non videtur, quod *Cap. 4.* sub finem, de S. Iuliani sociis Monachis commemoratur: *Omnes Sancti ibidem in igne consumpti sunt. In quo loco talis Divina gratia collata est, ut usque in hodiernum diem omnes prætereuntes tempore Psallendi tertiam, sextam, nonam, Vespertinos Nocturnos, matutinos Hymnos, ita audiant multitudinem Psallentium, sicut in corpore manentium.* Eorundem Martyrum vitam scripsit quoque S. Aldelmus, seu Althelmus, ante annos mille Episcopus Schireburnensis in Anglia *libro 1. de Virginitate cap. 42.* Cujus initium est: *Porrò Virginalem Iuliani Martyris gloriam, sub clandestino taciturnitatis latibulo delitescere non patiar.* Ubi & hæc, inter cætera, de Monasteriis (ergasteria nuncupat) ab illo, & Iuliana constructis: *In quibus militum Christi circiter X. millia sub districto Iuliani regimine conversantia, & nequaquam à sanctæ Religionis tramite, per obliquos anfractus dextrâ lævaque declinantia, regulariter vixerunt. Basilissa verò Deo dicata, bis quingentenos Sanctæ messis manipulos, Euangelicæ prædicationis falce metens, in areâ tortoris triturandos, & horreis cœlestibus condendos invexit.* Venerabilis Beda *in Fastis ad diem IX. Ianuarii* eosdem commemorat: verba ejus adferentur *in Speculo Carmelitano to. 2.* (a) Istis concinit Notkerus etiam in Fastis ad eundem diem: *Antiochiæ S. Iuliani Martyris, & Basilissæ Virginis, qui locupletissimorum curâ parentum, pro eò quòd erant unici, renitentes, & inviti specietenùs in conjugio copulati, sed Sanctissimo voto per aliquot annos pariter in Virginitate manentes, Monasteria de rebus suis in Antiochiæ municipiis instituerunt, ita multa, & frequentia, ut Iulianus ad decem millia Monachorum Pater, Basilissa verò multarum Virginum Mater existeret. Quas ante se ad regnum cœlorum præmittens, & ipsa subsequitur. Iulianus verò postmodùm à Martiano Præside perquiritur.* Ferè eadem scribunt Ado Episcopus Viennensis, Rabanus, Usuardus, Molanus, & alii.

(a) nu. 376.

381. Eodem ferè tempore, sancti Monachi passi sunt, Sabbas, Esaias, & alii triginta sex, de quibus in Martyrologio Romano ad diem 14. Ianuarii ista: *In monte Sina, Sanctorum triginta octo Monachorum à Sarracenis ob Christi fidem interfectorum.* Et Molanus ac Menologium Græcorum: *die decima quarta Sanctorum Patrum in Sina & Rhaiti interfectorum.* Henricus Canisius in Menologio: *Certamen Sanctorum Patrum in Sina interfectorum à Saracenis, temporibus Diocletiani, & Petri Alexandrini: fuêre autem Patres interfecti XXXVIII, ex quibus Hesaias, & Sabas reperti sunt vivi, alii verò mortui sunt inventi.* De templo in monte Oreb Sinæ vicino, ad venerationem S. Eliæ, hæc Bellonius *lib. 2. cap. 63.* scribit: *Templum exstructum loco, quo Elias commoratus esse dicitur: altius porrò gradus lapide solido excisos, atque portam, qua olim ad graduum initium claudi solebat, ut id latus sejungeret.* Sub ea tempora etiam Martyrium subiit sanctus Sirenus de quo in Martyrologio Romano ad diem 23. Februarii ista leguntur: *Apud Sirmium Beati Sireni Monachi, & martyris, qui, jubente Maximiano Imperatore tentus, cùm se Christianum esse confiteretur,* capite cæsus est. Cardinalis Baro-

Sabbas, Esaias, & alii 36. Monachi martyres tempore Dioclet.

S. Sirenus Monachus, martyr sub Maxim. Imp.

Baronius ibi in notis: *Hic cùm dicatur fuisse Monachus, satis apparet ex Euseb. hist. lib. 8. cap. 22. Maximiani temporibus fuisse Monachos, & ex iis quamplurimos coronatos esse martyrio, ut & Seleucus.* De Seleuco, Christianæ Religionis causâ exauctorato, & balteo militari spoliato, Monasticæ vitæ institutum arripiente, ac posteà martyrium subeunte, scribit fusè (ex Eusebio *lib.* 8. *cap.* 20.) idem Cardinalis Baronius in Annalibus (a) Ante Seleucum etiam pro Christo occisi sunt in Ægypto, *sancti septem Monachi, quos sanctus Varus in carcere detentos visitans, atque reficiens, cum illis sævissima passus, Martyrii palmam adeptus est.* Ita legitur in Martyrologio Romano: ubi passi dicuntur sub Maximiano Imperatore. Et in margine annotatur annus martyrii 238. Circa quem iste Imperator per se suosque Præfectos dirè in Christianos grassabatur. Sub idem tempus, quo præfatus S. Sirenus in Christi confessione decessit (sub annum 290) tempore Diocletiani Imperatoris, etiam Martyrii lauram acceperunt Epictetus, qui in Oriente Religiosam & miraculis illustrem vitam ducebat, & ejus discipulus Astion, ex nobilissimâ prosapia similiter Monachus. Passi sunt in Scythia, in tormentis identidem repetentes: *Fiat voluntas Dei in nobis.* Eorum vita extat in *vitis Patrum libro* 1. Eodem ævo in Hispania passi sunt sancti Christi Martyres, & Monachi Philibertus & Fabritianus: de quibus (ex Martyrologio Romano, Chronico Dextri, & Francisco Bivario) plura in Annalibus Carmelitanis (b) in quibus eorum martyrium refertur ad ann. Dom. 283.

(a) ad an. D. 308.

Monachi martyres plures sub Maxim. Imp.

(b) tom. 2. ad ann. Chr. 263. & 308.

382. Illo etiam seculo monasticam vitam illustravit S. Dionysius ex Monacho Papa, electus anno Christi CCLXI. ad quem ista Baronius: *Die XII. Septembris Dionysius ex Monacho; solitariam enim vitam aliquando egit.* De eodem ista scribit Gilbertus Genebrardus in Chronographia ad annum Christi CCLXVII. *S. Dionysius Græcus, ex Monacho, Papa.* Ibidem in altera columna: *Vndè apparet in prima Ecclesia, inter medias persecutiones extitisse, qui hoc sanctum Institutum* (scilicet vitæ monasticæ) *profiterentur:* & Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ* verbo *Religiosus, Religio,* scribit: *Ordo Carmelitarum dedit in Cathedra Apostolica Dionysium.* Plura de eo habet Lector in Speculo Carmelitano (c) ad diem XIX. Januarii, quo Apostolicæ Sedis auctoritate festum ejus agitur in Ordine Carmelitano, tamquam ejusdem alumni. Sub idem tempus illuxit S. Paulus Eremita; à medio (anno scilicet 253, quo in Eremum secessit) usque ad finem: qui tandem seculo subsequenti sub annum Domini 343. ætatis centum & tredecim annorum obiit, & à S. Antonio nonagenario sepulturæ traditus fuit. Tunc quoque sanctitate & castitate celebris erat in Ægypto Amon Nitriotes, qui Virginem sibi desponsatam intactam relinquens (ipsâ liberè in idem propositum consentiente) secessit in montem Nitriæ, & fecit duos cellarum tholos, fuitque ibi Monachorum Pater. Illius grandævi animam vidit S. Antonius in cœlum deferri. Vita ejus à Palladio conscripta habetur *in vitis Patrum lib.* 8. Cujus epitome (ex *Menologio Græcorum ad diem* 4. *Octobris*) hæc est: *Commemoratio S. Patris Ammonis Ægyptii. Hic cùm esset Ægyptius genere, parentibus orbatus, à Patruo coactus, uxorem duxit, sub Maximiano Imperatore. Vixit autem cum illâ annos decem & octo, quam non ut uxorem, sed ut sororem habebat: Quin etiam illi persuasit, ut virginitatem servaret. Itaque & ipsâ, & omnibus rebus derelictis, in monte Nitriâ propè Ægypti desertum secessit, unâ tantum veste, nocte & die corpus tegens. Produxit autem vitam usque ad magni Antonii tempora, sub magno Constantino, celebri & primo Christianorum Imperatore.* Erat igitur Amon vetustior S. Antonio, sicuti etiam Monachus ille senex vitam solitariam à primâ sectatus ætate, quem Antonius æmulatus fuit, ab eoque recepit *prima rudimenta Monasticæ Institutionis,* ut scribit Baronius in Annalibus, (a).

S Dionysius ex Monacho Carmelitici Ord. Papa.

(c) tomo 2. n. 400. & seq.

Paulus Eremita,

& S. Amon,

cum uxore virgine annu 18.

deindè Pater Monachorum,

vetustior S. Antonio.

(a) ad ann. D. 318.

383. Etiam S. Antonium, & S. Hilarionem præcesserunt Monachi illi in Palæstina, quorum mentio est *in vita S. Charitonis,* de quibus refertur, quòd S. Chariton pecunias à latronibus acceptas, *iis qui in solitudine agebant, patribus distribuerit. Erant autem tunc rari, & non valde magno numero, qui ipsi quoque tempore persecutionis, patriæ præferebant solitudinem, & sparsim versabantur in speluncis arundineti, quod situm est propè mare mortuum: reliquis autem pecuniis ædificat sacram Lauram.* Id videtur accidisse aliquantò post annum Christi 275. juxta Cardinalem Baronium, qui ad istum annum 275. hæc, inter alia, tradit de S. Charitone: *Charitonis effulsit gloria... supplicia acerbissima pertulit,* scilicet sub Imperatore Aureliano. Paulò post sequitur, quòd sublato Aureliano, liberatus *in eremum concessit: ibique sublime vitæ genus arripiens, alios ad idem institutum vitæ studium capessendum provocavit exemplo.* Ad annum autem 279. rursùs de illo, & monastica ejus vita tractat. Ex dictis habetur, præfatos Monachos *Patres qui in solitudine degebant,* licèt propter persecutiones valde diminutos, continuatos etiam temporibus sævissimarum persecutionum, usque ad S. Charitonem perstitisse in Palæstina, circa mare mortuum: videlicet Essenos, seu Essenorum, & Filiorum Prophetarum posteros: nam & Essenos in locis istis, circa mare mortuum, & Jericho, ac Thecue commoratos, habetur ex Philone Judæo, & Plinio. De Filiis Prophetarum circa Jericho, & prope fluenta Iordanis, constat ex libro 4. Regum, & ex S. Hieronymo variis locis, scribente de illis, quòd *ædificarent sibi casulas propè fluenta Iordanis.* Ibi juxta Plinium relatum hic suprà (b) successerunt Esseni (SS. Eliæ

Monachi in Palæstina ante S. Hilarionem.

(b) n. 274.

(SS. Eliæ & Elisei, ac Filiorum Prophetarum posteri, seu soboles) & haud longè inde in eremo Cœlesyriæ, circa Heliopolim habitavit B. Germanus, & S. Eudoxia, de quibus in antecedentibus.

S. Chariton ante SS. Antonium & Hilarionem.

384. Quantùm ad præfatum Charitonem, qui similiter ante SS. Antonium & Hilarionem claruit in Palæstina, circa Jordanem, & circa Jericho, & in locis vicinis, ubi fuerunt mansiones præfatorum Filiorum Prophetarum Essenorum, is anno 275. ante natum S. Hilarionem, & cùm S. Antonius nondum aliquos haberet discipulos, gravia sustinuit tormenta in confessione fidei, ferro vinctus, carceri inclusus, iteratis vicibus crudeliter nervis cæsus, & lampadibus circa pectus ustulatus, ut propterea Martyris nomen à quibusdam ei tribuatur, etsi martyrio vitam non finierit, servatus à Deo ad salutem plurimorum. Nam posteà in Palæstina, non longè à Jerosolymis in desertis circa Jordanem perceelebris cultor, & propagator Eliani Instituti, primus extitit fundator Monasteriorum, seu Mansionum cœnobiticarum, quæ *Laura* dicebantur. Cur sic nuncupatæ, causam accipe ex PP. Bollando & Henschenio (a) *Lauram hoc ferè tempore vocabant Monachorum mansiones, seu Cellas, quas, additis propriis nominibus, discernebant, ut Lauram S. Euthymii, S. Sabæ, Pharan &c. Origo ejus videtur repetenda à fluvio Laura, qui regioni vicina, quam præterfluit & Monasteriis in eâ ædificatis nomen dedit.* Vitam S. Charitonis insignem, præclaris monitis & Institutis Monasticis respersam, ex Simeone Metaphraste habet Laurentius Surius *ad diem 28. Septemb.* ubi hæc (inter cætera) ad propositum: *Chariton, vir magnus Salvatoris mandatis illuminatus, clarus erat apud omnes.* Consequenter describitur, quomodò pro fide captus, ad tribunal ductus, & ibi tortus fuerit, ac tum ductus ad carcerem: Undè post mortem Aureliani dimissus, capitur à Latronibus: qui miro Dei judicio viperæ veneno necati fuerunt: & eorum speluncam vertit in Ecclesiam, atque illorum rapinas distribuit inter pauperes, & Religiosos Monachos, seu Eremitas: *Fitque ipse Divini præcepti administer, ut qui partem quidem pauperibus, & iis, qui in solitudine agebant, Patribus distribuerit. Erant autem tunc rari, & non valdè magno numero: qui ipsi quoque, tempore persecutionis, Patria præferebant solitudinem, & sparsim versabantur in speluncis arundineti, quod situm est prope Mare mortuum. Reliquis autem pecuniis ædificat sacram Lauram.* Et infra: *Cùm in hac ergò speluncâ silentium & quietem agere statuisset Chariton, & omnibus per miracula evasisset manifestus, efficit, ut innumerabilis multitudo Gentilium & Iudæorum sanctum baptismum accipiat, & non illic consistat, sed etiam vitam eligat Monasticam. Non solum autem miraculis, sed etiam vitâ multos attrahebat. Erat enim mirandum videre, illum tantum ponere studium ad vitam ex Christo agendam, & delicias quidem existimare, continentiam: divitias autem, nihil possidere: humi verò cubationem, & in Psalmodiis pernoctationem adeò diligere, ut nihilo melius agi existimaret cum iis, qui vita sunt cupidi, si totâ nocte dormiant in mollibus stragulis super lectos eburneos: ciliciοque sacros ejus premente vibices, magis delectari, quàm ii, qui sunt mollibus induti vestibus. Spes enim æternæ beatitudinis facilè ei persuadebat, omnem ferre laborem. Erat clemens, misericors, hospitalis mansuetus, quietus, ad quem omnibus facilis patebat aditus, habens sermonem, qui magis lætificabat corda auditorum, quam vinum. Quamobrem, instar fluvii, universo ad eum confluente populo, & turba multitudine quodammodò civitatem efficiente, solitudinem.* Suis autem discipulis inibi Monachis hæc salutaria præscribebat documenta, & statuta: *Suis mandans discipulis ea, quæ statui monastico conveniunt: Tempus cibi sumendi statuens, quod quidem est die desinente: & non vesci ad satietatem, sed ventre adhuc postulante cessare:* &c. (a) *Cùm sic dixisset, & elegisset unum ex discipulis, qui & vitâ præstabat aliis, & aptus erat, ut ejus fidei fratrum crederetur præfectura, ei ex sententiâ aliorum etiam discipulorum committit rectionem. Ipse autem egreditur è Laura, multas quidem lacrymas ex oculis emittentibus Monachis, & ut ipse maneret, rogantibus, ipso autem nulli cedente, ut qui aspiceret ad id solum, quod est utile. Si enim, inquit, ô filii hinc migravero, nemine huc ventitante, & quietem turbante, benè erit utrisque. Faciliùs enim & ego vester Pater spiritu, & vos, quos in Christo genui per Euangelium, veluti in quibusdam alvearium cellis, tranquillè habitantes, instar apum mel virtutis producemus.* Consequenter refertur, quod migraverit ad partes Hierichuntinas, & in speluncâ se abdiderit: *Quoniam ergo hic quoque, multis accedentibus, interrumpebantur ei quies ac silentium, cùm istis quoque Monachis dedisset Constitutiones, . . . hinc rursus recedit, & accedit ad aliam partem solitudinis, quæ quatuordecim stadiis paulò plus aut minùs distat à regione Thecuorum. . . . . Cum autem rursùs multi fratres congregarentur, qui mundi quidem, ut ita dixerim, immunditia renunciabant . . . aliam quoque illic ædificat Lauram mirabilis hic Chariton: quam nonnulli quidem lingua Syra Succam nominant, alii autem voce Græcâ veterem Lauram appellant . . . . Cùm suum à corpore excessum, vel potiùs ad Deum accessum (sic enim magis convenit dicere) ex divinâ revelatione in foribus adesse cognovisset, omnes quidem dictorum trium monasteriorum pastores, simul & greges, ad se accersit, & simul cum his omnibus venit ad Sacram Lauram, Pharum dictam, ubi primum distillavit sudores certaminum exercitationis. Tamquàm autem quamdam hæreditatem sacrosancta eis relinquens Præcepta.* Inter illa hæc erant: *Sint autem vobis arma ad bellum, jejunium, oratio, lachryma, memoria mortis, & gehenna, & quod est omnium validissimum, & inimicis maximè terribile, beata humilitas: cautioque, ne umquam vos pravæ occupent cogitationes: ac observatio sensuum, & præ cæteris oculorum, & aurium. Hinc enim est illis adversus nos ingressus, & mors quæ ad*

gravia tormenta in fidei confessione sustinuit

Laurarum fundator.

(a) in Act. SS. ad 11. Jan. in vita S. Theodos. §. 4.

Laura quid sit.

S. Chariton ex spelunca latronum facit Ecclesiam.

Lauram ædificat,

vita ejus ratio mirabilis, sancta, austera,

documenta ejus:

(a) Alia traduntur in Speculo Carm. 10. 2. n. 2958.

Lauram aliam construit:

& rursùs aliam:

præscius mortis:

monita ejus salutaria.

(a) Jerem. 9. *ad nos ingreditur per fenestras* (a): Post ista, aliaque saluberrima monita *emisit beatam animam, latantibus latam eam tradens Angelis, manibusque Sanctis, ut par erat mandatus sepultura transit ad vitam, qua numquam desinit.*

obitus.

385. Seculo tertio etiam monasticâ disciplinâ, & martyrii gloriâ illustris fuit S. Astion, cujus vita extat apud Surium ad diem 8. Julii, in qua hæc, inter alia: *Pertulerunt autem martyrium sancti atque athleta Christi Epictetus presbyter, & Astion monachus in Almiridensium civitate, octava die mensis Iulii, temporibus Diocletiani Tyranni, sub duce Latroniano.* Surius ad marginem notat: *Anno* 290. qui erat Diocletiani annus septimus: anno uno ante natum S. Hilarionem, cùm S. Antonius esset ætatis circiter 36. annorum: nec ullos adhuc haberet discipulos. Sub finem ejusdem seculi tertii, & initium quarti in Thebaide sanctitate, & miro vitæ rigore illustris fuit S. Palæmon, magister S. Pachomii, in cujus vitæ historia etiam ipsius Palæmonis res gestæ commemorantur, ac inter eas istæ: *Audivit autem quemdam Anachoretam, cui nomen erat Palamon, intra eremi secreta Deo servientem: ad quem confestim, cum eo cupiens habitare, perrexit, & pulsans ostium cellula ejus, precabatur ingressum.* Et post alia: *Tunc sanctus Palamon spiritualibus oculis intuens Pachomii fidem, tandem patefecit aditum: eumque suscipiens habitu Monachi consecravit.* P. Lezana in Annalibus (b) post relata præfata verba subjungit: *Ex eo quòd Palamonem instructorem in monastica vita habuerit, & is senior in Monachismo vocitetur, proculdubio venari licet (quod sæpiùs à nobis inculcari oportuit) ante Antonii ævum, ipsius quoque tempore Monachorum plures extitisse, qui sine Antonii disciplina in monachatu profecerint.* Ex illis ultimis verbis: HABITU MONACHI CONSECRAVIT, *eliciet lector, quomodò Monachi speciali habitu induti Deo consecrarentur; utique per vota.* De præfatis S. Palæmone, S. Charitone, S. Nicone & aliis, qui seculum tertium, & quartum monasticâ conversatione exemplari decorarunt, agetur etiam in Speculi Carmelitani tomo 2. (c)

S. Astion, Monachus, Martyr sub Diocletiano.

circa an. Chr. 290.

S. Palæmon magister S. Pachomii.

(b) to. 2. ad an. Christ. 312. n. 5.

(c) n. 2893. & seq. usq; ad n. 2982. inclus.

386. Istis etiam temporibus non defuisse Gynæceia, seu Monasteria Sacrarum Virginum habetur ex antè dictis de S. Basilissa, de S. Eudocia, & aliis. Tunc quoque, quando Diocletianus Romanis imperabat, erat Sibapoli in finibus Assyriorum *Monasterium mulierum quinquaginta, qua Monastica vita studio seipsas exercebant. His praerat mulier quaedam nomine Brienna, qua Magistram habuerat Platoniam, Diaconatus officio ante se functam, cujus traditionem, & Canonem ad finem usque optimè servavit.* Ita Metaphrastes & Surius *ad diem* 15. *Iunii in vita mirabili S. Febronia*, cujus arctissima conversatio in Monasterio, & virilis constantia inter atrocissima tormenta singularissimè resplenduit. Et certè frequentia extitisse illis temporibus Monasteria Sanctimonialium testantur, quoque Acta Sancti Indês & S. Domnæ (apud Metaphrasten 26. Decembris) in quibus illa leguntur sub initium: *Maximiano jam secundum annum agente in imperio Romanorum, & minitante gravem tempestatem impietatis, & mox in pios erupturo, sic quoque florebant quidem res Christianorum, & lata erant tamquam in jucundissimo vere pietatis. Hoc autem ver faciebant alii quoque ex Orthodoxis, qui & temporibus erant superiores, & pietatis dogma apertè canebant sicut cicada: pra cateris verò omnibus, Ecclesia nostra musica hirundo, qui propter rectam in fide sententiam, & in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans, quam sede Episcopali, & vitam orationi habens consentientem, Monasteria constituebat, & eorum curam gerebat, & ea qua jam facta fuerant continens, & nova prater vetera adificans.* Erant igitur etiam tunc *Monasteria vetera.* Ibi consequenter dicitur, quòd Imperator jusserit *Domnam Virginem quari in Monasteriis, & Diis illius servari. Hac cùm rescivisset ea, qua Monasterio praerat, in quo erat Sancta, imprimis virili conceptâ cogitatione, virili tonsu & veste ornatâ Virgine, & preces cum lacrymis ei prabens via custodes, & duces, eam clàm emittit ex Sacro thalamo. Sed sceleratus non cessabat eam quaerere: & cùm eam non inveniret, furebat communiter in omnia Monasteria. Atque sacra quidem omnia Monasteria crudeliter diruebantur.* Erant igitur tunc plura Monasteria etiam Virginum.

Monasteria plura, etiam Monialium, tempore Dioclet. & Maxim. Imp.

387. Eodem seculo (circa annum Christi CCLV.) sancta Virgo, & martyr Victoria in Hispania, postquàm precibus Draconem fugasset, *celebre condidit sacrarum Virginum Monasterium*, ut habet Luitprandus (a). Quod etiam in ejus vita (apud Petrum de Natalibus *lib.* 1. *cap.* 83) refertur: *Victoria in ipso Draconis specu includitur, eidemque mox novem virgines à parentibus oblata associantur, & post modicum temporis Monasterio constructo Mater 73. Virginum facta est, quas diligenter instruxit, & in Dei laudibus, & vita sanctitate perseveravit.* Idem de Virginibus Victoriæ collegialiter sociatis Adelmus (seu Althelmus) Episcopus Saxonum, vetustus auctor *in libro de Virginitate*, memorans Victoriam, sic paucis refert:

Insuper & decies senas junxêre puellas,
Qua precibus crebris laudarent voce Tonantem,
Odis Davidicis modulantes carmina Sancta.

(a) in adversariis.

S. Victoria in specu draconis inclusa.

Monasterio constructo mater 73. Virginum.

De illa sancta Virgine, ejusque Monasterio, plura videri poterunt in Annalibus Carmelitanis (b). In iisdem agitur de altera Moniali, seu Monachâ, de quâ in Menologio Græcorum ad diem 20. Septembris ista leguntur: *Eodem die Commemoratio S. Martyris Susanna, filia Arthemii sacerdotis Idolorum: baptizata est à Sylvano Presbytero: mundo relicto Monasterium adiit, Monacha effecta .... Ipsius Miraculis multi ad Christi fidem convertebantur. Postmodùm in carcerem conjecta Deo spiritum tradidit.*

(b) To. 2. ad ann. 255 & 256.

388. Ex hactenùs dictis, contra Witcleff, Centuriatores Magdeburgenses, aliosque Novatores, evidenter ostensa est Monasticæ vitæ antiquitas, & quòd longè ante

SS. Pau-

SS. Paulum eremitam, Antonium, & Hilarionem; in Palæstinâ, Ægypto, aliisque locis viguerint Monastica Instituta, & copiosi fuerint Religiosorum ac Monialium cœtus. Lezana (a) cùm partem vitæ præfati S. Charitonis retulisset, subjungit: *Hauriat ex iis Lector, Charitonem hoc tempore Monachorum Patrem in ea spelunca egisse, antequam Antonius in Ægypto discipulos habere cœperit; ut vel ex hoc eorum assertum corruat, qui Antonium primum, & unum in orbe Christi Ascetarum Archimandritam autumant, quos ex aliis etiam fundamentis in superioribus rejecimus. Conferat quoque hanc Charitonis vitæ rationem cum eâ, quam Esseni gerebant, & facilè comperiet Essenatûs Professorem extitisse. Quid enim aliud divitiarum contemptus, in Psalmodiis pernoctatio, jejunia usque ad occasum Solis protracta, panis cum sale pro alimento, & aqua pro potu, indicant, nisi Essenorum mores iisdem notis à Philone descriptos?* Verùm enim verò ante SS. Antonium & Hilarionem multos magnosque Monachorum & sacrarum Virginum greges extitisse (licèt postmodum tempore persecutionum valdè fuerint imminuti) & in Palæstina, Ægypto, aliisque locis Monastica viguisse Instituta, pro comperto sit ex omnibus hactenùs adductis. Et quidem de ingenti Monachorum multitudine ex iis, quæ de S. Serapione Patre decem millium Monachorum, & similiter de SS. Juliano & Basilissa sunt dicta. Sanè Ordines plures sunt, qui in omnibus provinciis & Conventibus simul, non, aut vix habeant decem millia Religiosorum: Tanto autem numero præfuit unus S. Julianus, & unus etiam S. Serapion.

(a) tom. 2. Annal ad ann. 279. n. 3.

Monachi, & Virgines sacra magno numero ante S. Antoniũ, & S. Hilarionem; imo milleni, & milleni.

389. Quoad Gynæceia, seu Monasteria sacrarum Virginum, seu Sanctimonialium, tempore Apostolorum, ac seculis proximè sequentibus, Monasteria non pauca Virginum fuisse, indubitatum quoque est ex Philone scribente de Essenis, & ex iis, quæ habet Cardinalis Baronius *ad annum* 301. ubi ex *Sanctorum Martyrum actis fidelissimis*, ut loquitur, mentionem facit de Asceteriis, seu Monasteriis, de quibus subjungit: *Errore decepti multi putant, non nisi à temporibus Constantini fuisse ejusmodi res, & nomen inventum: nam præter illa, quæ superiùs dicta sunt, cùm de Essenis actum est, & quæ de existentibus temporibus Apostolorum collegiis Virginum testificatione Ignatii, à nobis etiam paulò ante citati, narravimus* &c. Ibi consequenter cùm ex Eusebio de Asceteriis virorum egisset, subjungit: *Quòd si virorum, multò magis sanè sacrarum Virginum erant, quas timor, facilis lapsus, & Virgineus pudor magis includi debere suadent.* Et infrà: hæc subjungit: *Quod audis de Monasterio Virginum: haud id tibi videatur esse novum, quandoquidem jamdiu ante & S. Ignatius Apostolorum discipulus, meminit de Collegiis Virginum suo tempore existentibus. At de his plura superius.* Sanctus autem Ignatius *in epistola ad Philadelphios*, ibi ejusmodi Asceterium Virginum extitisse satis denotat istis verbis: *Saluto Collegium Virginum.*

Monialium Monasteria temporibus Apostolorum, & seq.

390. Ex dictis etiam perspicuum est, quantoperè à vero aberrent, & hallucinentur nonnulli, existimantes, quòd ante S. Hilarionem in Palæstina, seu Syria, & consequenter in Carmelo, Monachi nulli fuerint. At vidimus, quòd ante S. Hilarionem natum, S. Chariton fuerit fundator plurimarum monasticarum habitationum, circa Iordanem, & Thecue, ac in aliis locis, ubi olim Filii Prophetarum, & Esseni habitarunt, quæ nuncupabantur *Lauræ*, de quibus, & earum situ, peculiariter tractat P. Bollandus *in Actis Sanctorum*, ad vitam S. Euthymii (a) ubi ista: *Laura Pharan, itemque Sucea veteris: ambæ cum tertia ad Iordanem à S. Charitone extructa: illa sex milliaribus versùs Orientem viâ Hierichuntinâ distabat Hierosolymis, à vico decem indè stadiis ad solem orientem sito appellata. Hæc erat in antè dicta ultra Thecue solitudine.* De ista solitudine *Thecue*, & Monachis ibi degentibus hæc tradit ibidem paulò ante ex Cassiano (b) *Summa vita ac sanctitate monachos diutissimè commoratos juxta Thecue vicum sex millibus passuum à Bethleemo, in solitudine vastissima quæ ducit versus Arabiam, & mare mortuum.* Charitonem ibi præcesserunt præfati *Patres* (Monachi) *qui in solitudine degebant prope mare mortuum*, quibus S. Chariton distribuit eleemosynas. Ante istos circa illa loca fuit B. Germanus, & S. Eudocia, in Cœlesyria circa annum Christi centesimum. Istos præcesserunt Monachi temporibus Apostolorum; nuncupati *Therapeutæ*, sub quo nomine de illis tractat S. Dionysius Areopagita; seu *Esseni*, quo titulo illos designant Philo, & Iosephus Iudæi; Plinius & Solinus Ethnici, Eusebius Cæsariensis, aliique Christiani plurimi, adducti in antecedentibus (c) & illi, de quibus ista tradit Iosephus Antiochenus: (d) *Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores, surrexerunt strenuissimi, viri solitarii, contemplationique deditì, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt* Ioannes Hierosolymitanus de istis iisdem scribit: (e) Istis accinunt Cassiodorus, & Waldensis, relati in antecedentibus; & Cardinalis Baronius *tomo primo Annalium*, (f) ubi ista: *Et undè, rogo, tantoperè post Euangelii prædicationem, testante Philone, longè latèque per Orbem auctus est numerus Essenorum; nisi quòd iidem erant Christiani, prædicatione Apostolicâ ubique gentium propagati?* Quòd autem Monachi in primis post Christum seculis nuncupati fuerint *Esseni*, habetur ex eodem Baronio hic suprà, atque aliis plurimis adductis in *Tractatu V. cap. 5. & 6, ac 7. & 8. & sequent.*

(a) ad 20. Jan. in prolegom. §. 1. num. 2.

(b) Collat. 6. cap. 1.

(c) n. 274. & seq.

(d) in Speculo perfectæ milit. Eccl. Chr.

(e) lib. de Instit. prim. Monach. c. 38.

(f) ad an. Christ. 64. num. XI.

PARERGON

(TRACTATVS VII.)

Liber de Institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, et in nova perseverantium, ejusque Auctor Ioannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus, auctoritati suæ asserti.

CAPVT I.

Ratio, seu motivum ad hunc Tractatum.

391. PARERGON dicitur, quod præter propositum additur. Propositum nostrum hoc loco est, Statûs Religiosi-monastici, à magno Propheta Elia primùm inchoati, & exindè perenniter propagati, exhibere Idæam. Judicio autem præstantissimorum virorum, & domesticorum, & exterorum, pro Religiosi-monastici statûs sanctitate & antiquitate, ac verâ origine demonstranda, & stabilienda, plurimùm conducit præfatus liber *de Institutione primorum Monachorum*; quia in eo explicatissimè monasticês totius forma, prima origo, auctor, locus, tempus, & modus traduntur: cujus auctoritate firmatâ, firmantur quoque (contra hæreticos) ac firmiter stabiliuntur, & antiquitas, & sanctitas monasticês, à sanctissimo, & in sacris paginis commendatissimo, Propheta Elia, ante bis mille & sexcentos annos inchoatæ, & ad posteros promanantis, jugiterque continuatæ.

Liber de Instiut. primorum Monach. *valde utilis Ecclesiæ*,

392. Prętereà liber ille est monumentum venerabilis auctoritatis, non tantùm in Ordine Carmelitano, in quo plurimis seculis habitus fuit pro Regula; & Regula moderna à Pontificibus multis approbata, & confirmata, inde desumpta est, magis determinata, sicut pleniùs ostendetur cap. IV. sed insuper est velut pretiosa gaza pro universa Ecclesia, continens pulcherrimum argumentum, & testimonium pro immaculata Conceptione sacræ Virginis Deiparæ. Hinc Ferdinandus Quirinus de Salazar, Societatis Jesu in erudito opere, *de Immaculata Conceptione* (a) illud nuncupat *nobile*, *& antiquum pro immaculata Conceptione testimonium*. De ipso autem libri auctore, sub titulo. *Seculum IV.* scribit: *Floruit etiam hôc seculô Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Mariana immunitatis adstipulator in lib. de Institutione Monachorum cap. 32. ubi Elia nubeculam ad puritatem Virginea Conceptionis significandam transfert, idque antiquissimâ seculorum persuasione confirmat.* Ita quoque Petrus Oxieda, & Laurentius Aponte, tractantes de immaculata Virginis Conceptione, atque alii, adferendi *in Speculo Carmelitano*, (a) ubi peculiariter tractatur de mysterio illo, de quo etiam quædam adducta sunt hic suprà *Tractatu* 3. *cap. XII.* (b) Denique, ut benè notat P. Lezana: (c) *Legatur attentè, non cursim, aut carpiendi libidine, & ibi, cum claritate doctrina, ac sacrarum Scripturarum promptissima explanatione, spiritualia documenta, moralia instituta, regularia præcepta, mystica, & allegorica plurima reperientur, qua animum ad pietatem ædificent, & ad pietatem, & Dei amorem efficaciter promoveant.* Et paulò ante: *Omnia qua ad vita monastica, ac Religiosæ perfectionem necessaria, vel utilia esse possunt, mirabiliter amplectens.* Igitur Ecclesiæ Catholicæ, & totius monasticês plurimùm interest, perspicuè demonstrari, & firmiter stabiliri auctoritatem istius libri, videlicet sinceram fidem, ac pietatem auctoris ejus Joannis XLIV. Episcopi Hierosolymitani, & quòd liber hic sit ejus legitimus fœtus.

ejus pretiosa gaza,

(a) in Tra. de Concep. immacul.

nobile testimonium pro immacul. Concept. Deipara,

(a) To. 1. n. 215 & 219. ac seq.

(b) n. 171. & 172.

(c) in Anal. to 3 ad an. Chr. 412 n. 6.

ad pietatem promovent.

393. Quantùm ad auctorem Joannem, ille idem ipse est, quem S. Anastasius Papa adhuc viventem miris celebrat encomiis, sicut cap. sequenti audiemus: quem mox defunctum S. Sozimus Papa *Sanctum* nuncupat: etiam *Sancti* titulo eumdem honorant S. Augustinus, S. Lucianus, & alii plures: & ut talis variis Martyrologiis ac Catalogis Sanctorum insertus legitur: ita quidem Joannes Molanus, illustre Universitatis Lovaniensis decus, *in Martyrologio*, seu *Auctario ad Vsuardi Martyrologium, die XII. Ianuarii* istis eum commemorat verbis: *Sancti Ioannis, Episcopi Hierosolymitana Ecclesia, Ordinis Carmeli Professoris.* Eadem leguntur in variis Martyrologiis aliis. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henschenius in *Actis Sanctorum* (d) hæc de eo scribunt: *S. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, memoratur hoc die à Molano in addit. ad Vsuard. à Galesinio (qui addit,* CUJUS RES DIVINÆ LEGUNTUR *) Ferrario, & aliis. Accepimus instituti Carmelitani virum perquàm eruditum commentarium meditari, quo Ioannis II. Episcopi Hierosolymitani 44. sanctitatem & publicam venerationem asserat. Ante eum fuit Ioannes, septimus ejus Sedis, qui ultimis Trajani vixit temporibus.* Ioannes igitur *Ordinis Carmeli Professor*, cognomento *Nepos*, fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antistes XLIV. (secundus istius nominis) medius inter Cyrillum, & Praylium. Notandum Nicephorum (e) erroneè existimasse, *Ioannem & Nepotem* diversos fuisse, medios inter Cyrillum, & Praylium; sed unus & idem est. *Ioannes* nomine, *Nepos* cognomine: id habetur ex Onuphrio insigni Chronologo, & ex Sebastiano Verronio in Chronicis, ad tempora S. Siricii recensente Patriarchas: *Hierosolymis*, inquit, *Ioannes secundus, Nepos cognomine*, & pluribus confirmatum videre licet apud Wastelium: (f) Quandoque etiam vocatur *Patriarcha*; quia Ecclesia Hierosolymitana Patriarchali dignitate posteà insignita fuit. Quòd

Io. Hierosol. Episc. XLIV *Sanctus vocatus, à suo obitu usque in præsens;*

(d) Januar. tom. 1. ad diem XII. pag. 719. col. 1.

cognomen ejus Nepos.

(e) in Eccl. hist. lib. 11. c. 24. & lib. 14. c. 30.

(f) lib. 2. Vindic. pro Joan. sect. 4 art. 1. §. 6. & 7. pag. 321.

Quòd continuatâ mille seculorum (& ultra) serie, *Sanctus*, *Beatus*, *mirabilis*, *divinus* legatur nuncupatus à Pontificibus, Patribus, & illustribus Scriptoribus, relatis à præfato Wastelio (a) & à P. Lezana (b) patescet ex auctoribus, ferè ordine temporis cap. sequenti referendis cum omnimoda humilitate, & obedientia, ac submissione erga S. Sedem Apostolicam, quoad titulum ipsi tribuendum. Et ista de persona ipsius Joannis, & sanctæ vitæ ejus firmata per plurima secula traditione, sic paucis præviè commemorasse juvabit, de quibus mox uberiùs.

(a) lib. 3. Vindic. art. 4. qui est libri Coronis.
(b) Tom. 3. Annal. ad an. 416. n. 9 & seq.

394. Quoad præfatum librum continuatâ, & constanti plurium seculorum traditione habetur, ipsum Græcè scriptum anno Christi quadringentesimo duodecimo, tempore Arcadii Imperatoris: & in Carmelo servatum pro Regula per annos ducentos quinque, in pacis tranquillitate (à dicto anno 412. usque ad 617.) & deindè in magna tribulatione usque ad annum Dom. 1099. ac post annos circiter quadraginta duos (sub annum 1141.) per Aymericum Patriarcham Antiochenum, aut ejus jussu, traductum è Græco in Latinum: ac tandem circa ann. 1209. (paulò ante aut post) ex illo concinnatam fuisse Regulam Ordinis, traditam à S. Alberto Patriarcha Hierosolymitano. Ista est Carmeli Ordinis traditio, & Scriptorum domesticorum, atque etiam plurimorum exterorum assertio. Libri istius exemplaria vetusta manuscripta, titulum istum: *Liber de institutione primorum Monachorum* &c. in variis Orbis regionibus extant: impressa quoque Venetiis anno 1507. inserta antiquo Speculo Ordinis: sed ea mendis non paucis respersa sunt. Extat etiam impressum in *Bibliotheca Patrum*, editionis Parisiensis: sed editio illa libri hujus, non paucis, nec parvis scatet mendis; cùm enim ea sit ex exemplari Venetæ impressionis anni 1507. satis vitiosæ, insuper nova accessêre menda; nempè cùm ibi liber ille impressus sit cum commentario Philippi Riboti, sententiæ variæ Patrum, à Philippo Riboti adscripta pro commentario in illa impressione Parisiensi insertæ sunt ipsi textui. Libri autem hujus editio expolitiori penu, correctiori limâ, & diligentissimâ collatione veterum codicum manuscriptorum per P. Petrum Wastelium factâ, est Bruxellensis an. 1643. inter opera Joannis Nepotis primum habens locum: & sub finem adjectæ sunt *Notæ variarum lectionum*. Indè autem prodiit impressio altera Romæ anno 1653. in principio *tomi 3. Annalium Carmelitarum* per P. Lezana: utraque igitur editio illa accuratissima est. Liber hic *De Institutione primorum Monachorum* etiam impressus est in opere P. Thomæ à Iesu *de variis Regulis Carmelitarum*.

olim per octo secula loco Regulæ in Ord. Carm.

ejus editio in Bibliotheca Patrum mendosa.

395. Quod præfati PP. Bollandus, & Henschenius scribunt: *Accepimus, instituti Carmelitani virum perquàm eruditum commentarium meditari, quo Ioannis II. Episcopi Hierosolymitani 44. sanctitatem & publicam venerationem asserat*, ille est præfatus P. Petrus Wastelius, qui scripsit *Vindiciarum libros tres*: in primo agitur de libro *De Institutione primorum Monachorum*, & luculentis argumentis ipsi Ioanni asseritur: in tertio ostenditur orthodoxa fides ac sancta vita Ioannis, quodque ipsius nomen insertum sit variis Martyrologiis, Kalendariis Sanctorum, & Breviariis ac Missalibus, ubi etiam de Officio ejus Ecclesiastico sub ritu *duplici*: totius autem libri Coronis, veluti Synopsis (a) iste est titulus: *Sancto fine, dignè vita, diem extremum clausit Ioannes Hierosolymitanus Episcopus XLIV.* De eodem subjecto luculenter scripsit P. Lezana, *tomo 1. 2. & 3. Annalium Carmelitarum*, (b) nec non præfatus P. Thomas à Iesu *in Commentario super Regulam Carmelitanam*, & P. Franciscus Bonæ Spei in opere inscripto *Visio Eliæ*, in annexa appendice, nec non *in Armamentarii Carmeli utraque parte*.

P. Petrus Wastelius Ioannis sanctitatem asseruit.

(a) Sect. 6. art. IV. pag. 634. & seq.
(b) tom 1. in Appar. c. IX. to. 2. & 3. variis locis: videatur Index.

CAPUT II.

Testimonia, & elogia Patrum, Historicorum & illustrium Scriptorum, in Ioannem Hierosolymitanum Episcopum XLIV.

396. S. Anastasius Romanus Pontifex in litteris ad ipsum Ioannem datis anno Christi CCCCII. hæc, inter alia, scribit: *Splendorem tuæ sanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, subindè quodammodò parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porrò autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quòd me tantum de cœlestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per universum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem.* Epistola illa extat *tomo 1. epistolarum Romanorum Pontificum*, & inter opera S. Hieronymi *tomo 9. in serie secunda*. S. Zosimus etiam Papa, in litteris datis an. 417. post obitum Ioannis, ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, aliosque Africæ Patres, mittens ad illos Epistolam Praylii successoris ipsius Ioannis: nomen *Sancti* tribuit Ioanni. S. Augustinus *libro 2. contra litteras Petiliani cap. 51.* sic orthodoxam Ioannis fidem deprædicat: *Cathedra quid tibi fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet: Quibus nos in Catholica unitate connectimur.* Idem S. Augustinus libro *de gestis Pelagii cap. 14.* eum *Sanctum* nuncupat: *Hoc etiam, ait, usus est testimonio sanctus Ioannes, Hierosolymitanæ Antistes Ecclesiæ.*

Insigni elogio celebratur à S. Anastasio Papa:

Sanctus nuncupatur à B. Zosimo Papa,

& à S. Augustino,

S. Ga-

ac à SS. Gamaliele, & Luciano.

397. S. Gamaliel apparens S. Luciano Presbytero, & ei significans, ubi S. Stephani Protomartyris, & suæ, ac aliorum reliquiæ conditæ essent, mandans adire Joannem Episcopum Hierosolymitanum, & etiam ipse S. Lucianus identidem ipsum Joannem *Sanctum* appellant. *Vade in civitatem quæ dicitur Aëlia, quæ est Hierusalem, & dic sancto Ioanni, qui est in ea Episcopus: Quamdiu clausi sumus, & non aperis nobis? & maximè quia temporibus tui sacerdotii oportet nos revelari?* Et infra: *Et iterum Dominus Gamaliel eadem similitudine, eodemque schemate, apparuit mihi, sicut in prima visione, dicens: Quare neglexisti ire, & dicere sancto Episcopo Ioanni?* Et rursùs: *Cumque hoc in ecstasi, hoc est, in excessu mentis audissem, statim expergefactus, benedixi Dominum, & perrexi ad civitatem ad sanctum Ioannem Episcopum.* Lezana *in Annalibus Carmelitanis*, cùm præfata verba adduxisset, subdit: *Hic sistat lector, ac videat nomen* SANCTI *Ioanni nostro concessum, non ab iis, qui inter mortales vitam degerent, sed à cœlestis patriæ cive Gamaliele; qui, utpote in Dei essentia conspiciens ea, quæ ad Ierosolymorum urbem, (undè ipse erat) ejusque Antistitem spectabant, haud ignoraret Ioannis fidem orthodoxam, probitatem, ac sanctitatem, verbis illis,* SANCTO EPISCOPO JOANNI *indicatam. Vndè, etsi post tertiam revelationem, ac sibi factam comminationem, aliumque mentis excessum, pergit Lucianus dicens:* BENEDIXI DOMINUM, ET PERREXI AD CIVITATEM AD SANCTUM IOANNEM EPISCOPUM. *Vbi titulo* SANCTI *adjuncto nomini proprio Ioannis, non appellativo Episcopi, quod majoris emphasis, & energiæ signum est, Gamalielis exemplo ipsum decorat, prout etiam facit in sequentibus.*

398. Ecclesiæ Trevirensis, Leodiensis, Cameracensis, Beluacensis, Aurelianensis, Pictaviensis, Cenomanensis, & aliæ antiquissimorum Episcopatuum habentes proprium Breviarium, maximè in Germaniis & Galliis, & alibi quas refert Wastelius *lib. 3. Vindiciarum pro Ioanne Ierosolymitano XLIV sectione ultima, articulo 4.* in Divino officio identidem titulum *Sancti* tribuunt Ioanni. Antiphona ad *Magnificat*, apud omnes est: *Hodie sanctus Ioannes Pontifex cum maximo Cleri plebisque tripudio, pretiosi protomartyris Stephani reliquias in sanctam transtulit Ecclesiam Sion: ubi quondam Archidiaconi functus est officio: cujus pia apud Deum sit pro nobis intercessio.* Antiphona prima ad *Laudes* incipit, *Regressus Lucianus presbyter à sancto Ioanne Episcopo:* Denique Responsorium Lectionis nonæ, *Sanctus Ioannes Episcopus lacrymatus præ gaudio, benedixit Deum, & dixit ad Lucianum presbyterum; Oportet me indè transferre beatum protomartyrem Stephanum, qui tamquam Angelus apparuit positus in concione hominum.* Hinc infertur: *Adeoque simul hic concurrunt pro Ioannis Hierosolymitani sanctitate antiquitas, universitas, & sanctitas, nè dicam & ipsa cœlestis revelatio.* Ita Wastelius ibidem. Etiam in variis Ecclesiis in Hispania eadem legi, & cani scribit Lezana *in Annalibus* (a).

& in officiis divinis plurimarum Ecclesiarum.

(a) ad an. Chr. 416. n. 1.

vocatur & vir mirabilis, admirabilis.

399. Theodoretus Cyrensis Episcopus (qui vixit tempore Ioannis, ac post ipsum) *in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 35.* ita de Ioanne effatur: *Hierosolymis præerat Ioannes, vir admiratione dignus.* Et cap. 38. eumdem nominat *admirabilem Ioannem.* Nimirum titulus *Admirabilis*, usu ipsius Theodoreti, imò etiam Chrysostomi, Palladii, Ruffini, aliorumque illius ætatis Scriptorum usu tribuitur non nisi præjudicatis Sanctis. Appellationis causam exponunt Chrysostomus, ac ipse Theodoretus in Commentariis super Psalterium, Psalmo 4. ad, *Quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.* Ita Wastelius (a) Aurelius Cassiodorus, Senator, eruditione & pietate clarissimus, *in Ecclesiastica historia tripartita lib. 10. cap. 25.* eodem ipsum commendat epitheto: *viri mirabilis.* Idatius* Lemicæ Gallæciarum Episcopus, *in Chronico Continuationis Eusebii*, ad annum primum Olympiadis CCXCVI. sic de Ioanne scribit: *Hierosolymis Ioannes, Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus, Episcopi habentur insignes: Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleëm Iudæ viciniâ consistens, præcipuus habetur in cunctis. Post Arianos, qui Hierosolymis ante Ioannem Episcopi fuerint, Idatius, qui hoc scribit, scire non potuit. Hunc verò sanctum, cum sanctis Eulogio, Theophilo, & Hieronymo, vidit & infantulus & pupillus.* Anno quoque tertio Olympiadis CCXCVIII. *Hierosolymis Ioanne Episcopo præsidente, sanctus & primus post Christum Dominum Martyr Stephanus revelatur.* Anno autem quarto Olympiadis CCCXIII. de eodem hæc scribit: *Quo verò tempore sancti Ioannes, Hieronymus, & alii, quos suprà diximus, obierint &c. referentium sermo non edidit.* Alia ex eodem, atque aliis de Ioanne præconia videri poterunt apud Wastelium (b) Palladius *in Lausiaca historia cap. 121.* (c) circa annum Christi 400. eum *Beati* titulo commemorat, & testatur Pinianum virum illustrem, & ejus uxorem Melaniam, se cum aliis Romam venientem, non parvo honore affecisse, refecisse, & abundantissimis viaticis excepisse, *propter beatum Ioannem Episcopum*, ut vel hinc etiam innotescat, quantâ opinione & reverentiâ Ioannes noster Hierosolymitanus apud clarissimas personas in Vrbe esset. Ita Lezana *Tomo 2. Annalium, ad an. 409. num. 4.*

(a) lib. 3. vindic sect. ult. art. 4.

* al. Hidatius.

INSIGNIS,

SANCTUS,

(b) lib. 3. Vindic. sect. 6 art. 4

(c) in Vit. Patrum lib. 8. c. 20.

BEATUS,

400. Ado Archiepiscopus Viennensis, circa annum Christi 879 *in Martyrologio, ad diem III. Augusti* similiter eum *Beatum* nuncupat: *Beatus Episcopus sub omni celeritate ad fratres & coepiscopos vicinarum urbium misit.* Et infra: *Aderant tunc temporis testes miraculorum cum Beato Ioanne Eustonius Sebastenus, & Eleutherius Ierichuntinus pontifices.* Ibi peculiariter notandum, quòd inter tres Episcopos ibi nominatos, solus Ioannes appelletur *Beatus*. S. Cyrillus Constantinopolitanus, qui claruit seculo duodecimo sub finem, & decimo tertio sub initium, circa annum Christi 1200. in libro *de processu, & Regula Ordinis Carmelitani*, eum appellat *Virum mira*

VIR MIRÆ VIRTUTIS

miræ virtutis & perfectionis . . . propter sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatum : verba ejus adducentur plenius capite sequ. Nicephorus Callistus circa annum Christi 1350. *in Ecclesiastica historia libro* 14. *cap.* 30. eum Divinum nuncupat; *Cyrillo divinus Ioannes successerat.* Joannes de Vineta, Nicephoro suppar, *in Chronico* (quod habetur in Speculo Carmelitano *a*) eum vocat *virum miræ virtutis, & perfectionis.*

DIVINUS,

(a) to. 1. num. 876.

401. Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, circa annum Christi 1460. *in Catalogo Sanctorum lib.* 11. *cap.* 8. cujus titulus est, *De sanctis Hierosolymitanis Episcopis*, ex Ecclesiastica historia Eusebii, & Ruffini, refert S. Cyrillum, & ejus successorem Joannem : *Decimus septimus* (Hierosolymitanorum Episcoporum sanctus) *successit Cyrillus, de quo supra* (b) : *Decimus octavus autem, & ultimus Ioannes, de quibus duobus in libro XI.* (Ecclesiasticæ historiæ scilicet Eusebii, & Ruffini) *mentio habetur.* Joannes Grossi, aliquantò posterior *in Viridario* agens de sanctis Ordinis Carmelitani, inter eos refert Joannem hunc, de quo ista : *S. Ioannes Patriarcha vel Episcopus Hierosolymitanus, Eremita montis Carmeli.* Arnoldus Bostius circa annum Christi 1490. *in Speculo historiali, lib.* 5. *cap.* 67. cujus titulus est : *De S. Ioanne Carmelita, Episcopo Hierosolymitano XLIV* epitomen vitæ ejus texens, hæc, inter alia scribit : *Mortuo Cyrillo Patriarchâ Hierosolymitano, is Ioannes propter suam sanctitatem factus est Ecclesiæ Hierosolymitanæ Pontifex, quam exindè devotè, religiosè, & pacificè rexit quadragesimus quartus à B. Iacobo Apostolo ejusdem Ecclesiæ primo Episcopo.* Et paulò ante initio capitis istius : *Mortuo Cyrillo Episcopo seu Patriarchâ Hierosolymitano, Ioannes quondam Eremita montis Carmeli efficitur* 44. *Episcopus Hierosolymitanus. Prosper Aquitanicus* [*Ioannes Monachus, ob vitæ puritatem, & prophetiæ gratiam, quam à Domino meruit, illustris habetur, qui Hierosolymis post Cyrillum Ecclesiam recipit gubernandam.*] Joan. Palæonydorus sub idem tempus scribens, *in Fasciculo tripartito* (c) sic de eodem : *Tempore Honorii, & Arcadii Imperatorum circa annos Domini CCCC. fuit quidam nominatissimus montis Carmeli Eremita, sancta, religiosaque vita, nomine Ioannes.* Et infra de eodem adfert præfata Prosperi verba : denique post alia : *Tandem Ioannes XLIV. Patriarcha Hierosolymitanus plenus sanctitate, post paralyticorum curationem, cæcorum illuminationem, solvens debitum, viam transiit universæ carnis anno Domini CCCCXXXII. pridie idus Ianuarii.* Diem obitûs XII. Ianuarii tradunt etiam ceteri : quoad annum verisimilior est CCCCXVI.

SANCTUS,

(b) de eo egerat lib. 3. c. 44.

MIRACULIS CLARENS.

propter sanctitatem assumptus Pontif.

(c) in Fascic. trip. l. 2. c. 6.

402. Ioannes Molanus an. 1583. *in Auctario ad Usuardi Martyrologium* (d) ad diem XII. Ianuarii eum inter Sanctos refert verbis supra relatis : ita quoque Petrus Galesinius sub idem tempus: & sub initium hujus seculi Philippus Ferrarius *in Catalogo generali Sanctorum* ad eundem diem: nec non PP. Bollandus & Henschenius in *Actis Sanctorum* etiam ad eumdem diem, verbis jam ante, capite præcedenti recitatis. Istis concinit Scripturarum illustris interpres Gaspar Sanctius, ejusdem Societ. Ioanni titulum *Sancti*, & *Divi* tribuens. Ita quidem *in expositione cap. XVIII. libri* 3. *Reg. ad vers.* 43. ubi de nubecula in Carmelo visa à S. Eliâ : *in hac nube S. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus agnoscit B. Virginem.* Ad *vers.* 1. *cap. XVII.* ipsius nomini *Ioannes* præponit D. quod supponi solet pro *Divo.* Hinc Ioannes Nadasi, etiam Societatis Iesu, *in Anno cœlesti parte I. ad XII. Ianuarii* eum inter cœlites invocandos sic recenset : *Sancte Ioannes, Patriarcha Hierosolymitane, ora pro nobis.* Atque ita jam vidimus, Ioannem à tempore quô obiit, usque in præsens, habitum, & nuncupatum *Sanctum* : cujus proindè Epitomen vitæ, hic consequenter attexere convenit.

(d) Antv. impressum an. 1583.

habitus, & nuncupatus Sanctus *ab obitu usque in præsens.*

403. Nativitas ejus in Annalibus Carmelitanis (a) refertur ad annum Christi circiter 351. Arnoldus Bostius *in Speculo historiali* (b) ista de adolescentia ejus tradit : *Ioannes tempore juvenili cernens, quàm raræ sunt amicitiæ, quàm fallaces amores, quàm lucra difficilia, pecunias quasi fumum adolescens contempsit. Tandem seculo vale dicens, & cum sanctis Prophetis sua collocare ossa disponens, eremum montis Carmeli expetiit, quâ se credidit facilè posse celari, ne à parentibus inveniretur. Ab Adolescentia ergò seniori ibidem deserviens, tantâ humilitate emicuit, ut ipsi quoque seniori stuporem obedientiæ ejus incuteret.* Ferè eadem habet Palæonydorus (c) : in Carmelo Pater, seu Superior institutus, quomodò se erga suos gesserit, eos verbo, & exemplo ad perfectionem promovendo, refert S. Cyrillus in libro, de quo paulò ante : *Ceteros consortes suos ejusdem montis Monachos, exemplo suo & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem inquirendam, secundùm Propheticam disciplinam vitæ monasticæ, per Eliam Prophetam instituta.*

(a) tom. 2. ad an. Chr. 351. n. 2.

(b) lib. 5. cap. 67.

Io. Hierosol. adolescentia pia,

in Carmelo.

(c) in Fasc. tripart. l. 2. c. 6.

404. Quòd Ioannes monasticam vitam egerit, apertè satis eruitur ex S. Hieronymi epistola 62. ad Theophilum Alexandrinum, ubi agens de Ioanne, ipsum *Monachum* nuncupat. Quòd autem in Carmelo, & ibi Pater, seu Superior fuerit, ac indè ad Hierosolymitanam cathedram evocatus, concors est historicorum, & præcipuorum Scriptorum Ordinis Carmelitani, & aliorum plurimorum traditio : præcipuos adduxisse, seu nominasse sat erit. Ioannem Molanum ipsum *Ordinis Carmeli professorem* nuncupantem audivimus hîc supra : ita quoque alii : S. Cyrillus idipsum expressè tradit, & ita scribens (d) asserit : *Fuit autem tempore Arcadii, & Honorii Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum vir miræ virtutis & perfectionis, Ioannes nomine.* Ioannem Grossi, & Palæonydorum, ac Arnoldum Bostium de Ioannis incolatu in Carmelo, jam ante audivimus. Thomas Waldensis *cap.* 3. adducendus disertè tradit, *Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum* Carme-

Monachus fuit,

Pater Religiosorum in Carmelo;

(d) in libro de processu Ord.

ad traditione concordi doctorum stabilitur,

Carmelitam: Et Baptista Mantuanus; *Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit.* Ferè eadem scribit Joannes Vinetus, seu de Vineta *in Chronico Ordinis* (a) & ante istos omnes Philippus Riboti, *in prologo Speculi Ordinis*, ante annos trecentos: *Ioannes qui fuit eremita montis Carmeli, & postea Episcopus Hierosolymitanus.* (b) Alios plurimos prætermittentes, nè longior recensus tœdio sit, ad *Annales Ordinis* per P. Lezana remittimus. Videri poterit *Tomo primo in Apparatu cap.* 9. *& Tomo* 2. *ad annum* 371. *num.* 12. ubi ista, inter alia: *Comprobant intentum Ordinis Kalendaria, non tantum neoterica, sed etiam vetusta.* Et infra: *Accinit ad propositum copiosissimus Scriptorum Chorus, qui uno veluti ore hunc Ioannem Carmelitam, vel Carmelitis accensendum putant*: & deindè: *De nostris autem Auctoribus, quamvis superfluus labor videatur eos recensere; quia pro perpetua, & constanti traditione hoc apud illos semper fuit, nihilominùs vel compendio dumtaxat aliqui vetustiores referendi, ex quibus plures tantæ auctoritatis sunt, ut non nisi à turbatæ mentis hominibus reprobari queant.* Ibi consequenter plurimos recenset.

(a) in Speculo Carm. to. 1. num. 876.

(b) in eod. to. n. 15.

405. Quoad exteros etiam plurimi sunt, qui cum præfato Molano adstruunt, hunc Ioannem Ordinis Carmeli professorem. Ferdinandus Quirinus de Salazar adferetur in sequentibus. Hieronymus Platus *de bono status religiosi lib.* 2. *cap.* 22. de Ordine Carmelitarum scribit: *Ipso anno salutis* 412. *Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham, qui ex hoc ipso Ordine antea fuerat, eique præfuerat, Regulam ei condidisse.* Laurentius De Aponte (c) agens de Ioanne Episcopo Hierosolymitano XLIV. *Hic enim sanctissimus Pater de Institutione Monachorum Carmelitarum, cujus ipse extiterat Religionis, ad Caprasium scribens.* Iacobus Salianus, antiquitatis Ecclesiasticæ veteris Testamenti investigator, & illustrator, inter præcipuos meritò referendus, *in Annalibus veteris Testamenti* (d) Religiosam monasticam Ioannis vitam in Carmelo hisce tradit verbis: *Post diuturnam vitæ religiosæ cum Fratribus montis Carmeli professionem (Hierosolymis, post S. Cyrillum, factus Pontifex) ad alias evocatus curas, non potuit eos ampliùs domesticis exemplis, verbisque instituere: rogatus à Fratribus, maximeque à Caprasio; quem ille Præpositum suo loco relinquebat, ad eorum consolationem, certioremque institutionem, edidit librum, in quem non pauca, partim ex Scriptura mandavit litteris, partim ex traditione seniorum, quibuscum, à pueio vixerat; qui & ipsi à majoribus eadem per manus acceperant.* Ipse quoque Ioannes in libro illo suo *de Institutione primorum Monachorum*, Elianæ Carmelitanæ Religionis alumnum se fuisse manifestè satis (ut inficiari queat nemo) ipse indicat *cap. primo* his verbis: *De ipso fundatore, & primis ejus discipulis, ceterisque hujus Religionis priscis professoribus, succinctè edisseremus, sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores antè nos intellexerant; & nobis, tam in veteri, quam in nova lege doctrinis & exemplis philosophati sunt: ut per hæc discas, quantâ Sanctorum præcipuorum auctoritate hæc nostra vita Religio confirmetur.* Ibi notanda illa: *hujus nostræ conversationis sectatores & hæc nostra vita religio.* In consequentibus tractans de S. Elia, ejusque discipulis, Filiis Prophetarum, quandoque repetit, *Prisci nostræ Religionis professores.* Denique majoris etiam auctoritatis pondus jam dictis apponimus, Officium scilicet Canonicum à Sede Apostolica sæpiùs approbatum pro festo S. Cyrilli Alexandrini ad diem 28. Ianuarii, ubi de S. Cyrillo legitur, quòd *adolescens ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, ut Christianæ vitæ perfectione imbueretur, se contulerit: cujus consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus, cœlestem vitam in terris aliquamdiu egit.* Quibus Carmeli incolatus, & Joanni & (ejus exemplo) S. Cyrillo, patenter adscribitur.

& exterorum assertis confirmatur,

(c) in Sap. c. 1. n. 4. digres. 2. §. 3.

(d) ad an. mundi 3123 ante Chr. 930.

& ipse Ioannes id testatur:

Ecclesiæ auctoritas adstipulatur.

406. *Propter ejus sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ XLIV successit.* Ita S. Cyrillus Constantinopolitanus (a). Onuphrius Panvinus *in Chronico Ecclesiastico*, id refert ad annum Christi 389. Cùm autem juxta eumdem Onuphrium, & Genebrardum, Sedem illam tenuerit annis XXIX. consequenter obitus ejus incidisset in annum circiter 418. Alii nonnulli verisimiliùs assumptionem ejus ad cathedram Hierosolymitanam adscribunt anno Domini 386. traduntque, quòd Sedem illam tenuerit annis triginta, ac obierit anno 416. Id de anno decessûs illius verisimilius est; cùm anno sequenti 417. Zosimus Papa (b) adstruat, Hierosolymitanum Episcopum Praylium successorem sancti Joannis: sicut paulò post audiemus. Igitur Joannes ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præsulatum assumptus fuit tempore Siricii Papæ, cui successit Anastasius (de quo mox) & huic Innocentius, sub quo obiit. Cùm pius Imperator Theodosius, devotionis causâ, in habitu primati hominis Hierosolymam profectus esset, qualiter eum Joannes Patriarcha receperit, & præmissâ oratione, Deo revelante, cognoverit, Georgius Cedrenus *in Annalibus*, ad tempora Theodosii Magni refert his verbis: *Magnus Theodosius Hierosolymam intrare cupiens, eò, habitu privati hominis, se contulit: venitque ad portam S. Anastasiæ* (rectiùs verteretur *Anastasis*, sive *Resurrectionis*) *Eam cùm pulsasset, famulus quidam aperuit. Cùm verò omnes lucernæ essent extinctæ, Imperatoris introitu universæ accensæ subito sunt, ut in solemnitate. Ianitor autem attonitus miraculo, eum ad Ioannem Pontificem adduxit; qui eum ut agnosceret,*

(a) in libro de processu Ordinis sui.

assumitur ad Cathedr. Hierosol. Ecclesiæ.

(b) in Ep. ad Aurel. Ep. Carth.

Theodosius Imp. devotionis causâ clam Hierosol. venit:

prophetico spiritu eum cognoscit Ioannes.

Deum

Deum rogando est consecutus, beatumque prædicavit; qui cùm esset Imperator, tali habitu venisset adoratum sacra loca.

Ioannis observantia erga Apost. Sedem.

407. Joannis humilitas, observantia erga Apostolicam Sedem,& studium puritatis Orthodoxæ fidei, etiam eruuntur ex ipsius litteris ad Anastasium Romanum Pontificem, ipsum consulentis circa Ruffini, & Origenis dogmata, & ex ipsius Pontificis responso,in epistola ad ipsum Joannem,undè quædam adducta sunt jam ante. (a) In ea Pontifex sic ad Joannem: *Pro tanto igitur praconio, quod in merita mea effusissimè contulisti, amori tuo gratias ago.* Et infrà: *Ruffinus, de quo me consulere dignatus es, conscientia sua habet arbitrum divinam majestatem* . . . additque, Ruffinum Origenis scripta in Latinum sermonem derivando,*quamdam puris mentibus nebulam excitasse injectam, fidem Apostolorum, majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere.* Indè patet,quòd Ioannes, quantùm ad se, humiliter consulendo ipsum Pontificem; quantùm ad Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, reverenter, & magnificè scripserit. Ubi illæ Anastasii Pontificis litteræ ad Ioannem extent, dictum est jam ante. (b) Litteræ illæ ab Anastasio datæ fuêre anno 402. (aut circiter) & eodem etiam obiit. Ioannes Orthodoxæ, catholicæ fidei puritati conservandæ, & hæresum erroribus elminandis intendens, usque ad finem vitæ, adhuc paulò ante obitum unà cum aliis tredecim Episcopis Diospoli (Lidda aliter dicitur) congregatis, Pelagii hæreses damnavit, & ipsum Pelagium suas hæreses damnare coëgit; ideò illa Synodus miserabilis Pelagio fuit, sicut de ea scribit Baronius (c).*Sed Pelagio quidem ipsi miserabilis fuit, utpotè in qua suam ipsius coactus est hæresim condemnare, cujus intrinsecus erat obstinatus assertor. Cæterùm utcumque res acciderit, constat quidem in eo Concilio tunc erectum esse trophæum de hæresis Pelagianæ prostratæ victoria.* Hinc patet, quòd si Ioannes aliquandò Pelagium dilexisse perhibeatur;nequaquàm tamen ejus faverit erroribus; cùm eos damnaverit, & Pelagium ad eos damnandos compulerit; ita quidem, ut in eo Concilio tunc per ipsum Ioannem, & Episcopos alios ibi præsentes, *erectum trophæum fuerit de prostrata hæresi Pelagiana,* sicut jam ex ipso Baronio audivimus. Inter cætera præcipua gesta ejus, celebratissima est reliquiarum S.Stephani prima translatio, & exaltatio, quam Ecclesia peculiari festo, seu officio celebrandam decrevit die 3. Augusti: Deus autem inventionem, & translationem illam reliquiarum S. Stephani temporibus illius fieri voluit paulò ante ejus obitum, & singulari istâ gratiâ, sub finem vitæ ejus, ipsum affecit,sicut ipse S.Gamaliel B.Luciano his verbis significavit: *Dic sancto Ioanni, qui est in ea* (Hierusalem) *Episcopus . . . Temporibus tui sacerdotii oportet nos revelari.* Quanto autem teneræ devotionis affectu, & quantâ cum solemnitate se habuerit in ista inven-

(a) n. 396.

(b) n. 396.

Ioan. Hierosol. Pelagii hæresim damnat;

(c) ad an. Chr. 415.

S. Stephani reliquias transtulit,

tione, & translatione, videre licet in historia ejus à B.Luciano & B. Adone tradita; etenim *lacrymatus est præ gaudio.* Et infra de eodem, & sociis ejus: *Osculantes sanctas reliquias, iterum clauserunt. Et tunc cum psalmis & hymnis portaverunt reliquias beati Stephani in sanctam Ecclesiam Sion.*

lacrymans præ gaudio.

408. De obitu, & sepultura ejus, ita scribit Arnoldus Bostius in Speculo historiali (a). *Tandem igitur S. Patriarcha Ioannes, post curationem duorum paralyticorum, & illuminationem unius cæci, plenus dierum & sanctitate, naturæ debitum solvens, viam universæ carnis, orans, & psallens, ingressus est anno Domini* * *432. secundo idus Ianuarii. Corpus autem ejus in Ecclesia Hierosolymitana honore congruo sepelitur multis clarens miraculis.* Ferè eadem habet Palæonydorus hìc suprà, & paucioribus verbis Ioannes Grossi in Viridario suo (b) ubi sic: *Sanctus Ioannes &c. Iste fuit XLIV. Episcopus post Beatum Iacobum Apostolum in Ecclesia Hierosolymitana: ubi ejus corpus multis clarens miraculis,requiescit.* Quòd Bostius ait, *secundo Idus Ianuarii*, ibi *secundo* ponitur pro *pridie* (scilicet XII Ianuarii) qui dies etiam ab aliis notatur. Quantùm ad annum, legendum potiùs CCCCXVI. nam in Zosimi Romani Pontificis epistola ad Aurelium Episcopum Carthaginensem &c. de Praylio Hierosolymitano Episcopo dicitur: *in locum quondam sancti Ioannis Episcopus est ordinatus*; ergò tunc Ioannes decesserat. Eundem annum etiam verisimiliorem reputat Lezana in Annalibus Carmelitarum (c): ubi ista: *Ad magis propria sub hoc tempore Carmelitæ vocamur: ad funus nempe nostri Ioannis Hierosolymitani Antistitis, qui, juxta plurium computum, sub anno 416. spiritum Deo reddidit. Ejus porrò mortem inter Sanctorum pretiosas connumerari debere, quæ dicemus, satis, superque ostendere videntur; præmissâ tamen & reservatâ S. Sedis Apostolicæ Romanæ reverentiâ, cujus è Vaticano responsa in simili causa spectanda fore, ex capite 1. de reliq. & venerat. Sanctor. Catholici cuncti expectare debemus.*

(a) lib. 5. cap. 67.

moritur;

* verisimiliùs an. 416.

(b) in Spec. Carm. 10. I. num. 591.

(c) To. 3. ad an. 416. num. 9.

CAPUT III.

Libri de Institutione primorum Monachorum, *auctor Ioannes Hierosolymitanus Episcopus* XLIV.

409. QUòd libri præfati auctor sit iste Joannes,stabilitur in duplici fundamento; videlicet inscriptione omnium veterum exemplarium, quibus præfigitur dictus titulus, & auctoritate Scriptorum opus istud Joanni attribuentium. Quoad inscriptionem libri in vetustis exemplaribus MSS. hæc est: IOANNIS XLIV. EPISCOPI HIEROSOLYMITANI LIBER DE INSTITUTIONE PRIMORUM MONACHORUM, *in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum*; & initium est: *Principium*

Libri de institutione primorum Monachorum &c. inscriptio in MSS antiquis exempl. ostendit ejus auctorem esse Ioan. Hierosol. XLIV

cipium Religionis hujus, & quemadmodùm, ac undè ipsa primò processit, rectè petis, dilecte Caprasi. Ita in manuscriptis exemplaribus antiquis Carmeli Gandensis, Bruxellensis, Mechliniensis, nec non in exemplaribus Venetiis impressis anno MDVII. ac ceteris.

idem tradunt Scriptores domestici & exteri: S. Cyrillus Carmeli montis Eremita, deinde Prior Generalis in *libro*, seu *epistola ad Eusebium de processu, & variis Regulis Ordinis Carmelitani*, ista tradit: *Fuit autem tempore Arcadii & Honorii Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos, ejusdem montis Monachos, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem inquirendam.* Et paulò infra: *In Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ XLIV. successit.* Et post pauca: *Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officii non posset ulteriùs jugem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit. Scripsit enim eidem Caprasio Librum de Institutione nostræ Religionis, eloquio, & litteris Græcis (quibus tunc Terra sanctæ Ecclesia maximè utebatur) in quo Libro primariam nostræ Religionis institutionem, & Fundatorum ejusdem dignitatem, atque priscorum Professorum gesta sancta, & gloriosas virtutes, exterioremque habitûs ornatum, prædictus Ioannes propterea brevi & lucido eloquio ordinatè descripsit; ut successores dictorum Patrum in illo libro, tamquam in nitido speculo, institutionem suam intuentes, eam observare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum, ex totis præcordiis imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis eremitis montis Carmeli legendum, & observandum tradidit, tempore Honorii Imperatoris anno Domini* 412.

410. Eadem referunt Scriptores alii domestici, & exteri: Philippus Riboti *in insigni, egregio opere* (ita nuncupant Trithemius, Arnoldus Bostius, & alii) decem librorum *De origine, & profectu, & peculiaribus gestis Ordinis Carmelitani*, quod primum locum obtinet in tomo primo Speculi Carmelitani, in prologo scribit: *Ioannes, qui fuit Eremita montis Carmeli, & posteà Episcopus Hierosolymitanus, cum summâ diligentiâ scripsit primariam hujus Religionis institutionem, & exemplaria gesta fundatorum, ac priscorum professorum Religionis nostræ.* Et paulò infra, initio capitis primi: *Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, in libro de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum in Carmelo.* Idem consequenter frequentissimè repetit, sicut videre licet *in Speculo Carmelitano tomo* 1. (a) Arnoldus Bostius omninò similia scribit in *Speculo historiali libro* 5. *cap.* 67. & seq. undè quædam inserta sunt *Speculo Carmelitano tomo primo.* (b) Contractiùs illa habet in *Breviloquio tripartito* (quod typis excusum extat in *Vinea Carmeli*) ubi *part.* 1. *c.* 1 hæc habet de illo libro: *Fuit de Religione prædicta miræ sanctitatis nomine Ioannes, superius sæpiùs nominatus:* & paulò infrà: *Hic videns, quod propter ministerium suscepti officii, suis cum sodalibus Religiosis manere non posset, Fratrem Caprasium eis Patrem constituens, librum illis scripsit (superiùs allegatum) anno Domini quadringentesimo duodecimo, tempore Innocentii Papæ primi: in quo Libro primariam suæ Religionis institutionem, & Fundatoris dignitatem, & gesta sancta comprehendit.* Ista eadem adstruunt alii Historici Ordinis, sicut videre licet in eodem *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, locis hic ad marginem notatis, videlicet Thomas Bradley Episcopus Dromorensis in Hibernia *in Chronico* (a) Ioannes de Vineta, etiam *in Chronico* (b) Petrus Brunus *in Tabulari* (c) Ioannes Palæonydorus, *in Fasciculo tripartito* (d). Balduinus Leersius *in Collectaneo exemplorum* (e).

411. Ex aliis scriptoribus Ordinis, tres selegisse sat erit: Thomas Waldensis *in Doctrinali antiquitatum Ecclesiæ & fidei* (f) scribit: *A Ioanne, Patriarcha Hierosolymitano, primò Carmelita, Regulam vivendi, Græcè scriptam, accepit, quam pleniore, post, sub Alberto itidem Patriarcha, formâ, digestam inspexit.* Quo tempore Ioannes ille *primò* (seu, ut alia lectio habet, *priùs*) Carmelita, ad Hierosolymitanam cathedram fuerit assumptus, consequenter refert: *Hic Ioannes, quantùm reor, XLIV. à S. Iacobo, tempore quô Siricius post Damasum, Romæ rexit, Hierosolymis ipse sedit, & refecit Ecclesias.* (Ioannes ad Præsulatum assumptus fuit sub Siricio Papa, sicut capite præcedenti vidimus) de isto Ioannis libro (seu Regula) addit Waldensis: scriptum fuisse *ad Caprasium, Monachum montis Carmeli. Quod hactenùs translatum in Latinum habetur volumen.* Ioannes Soreth in Commentario super Regulam Ordinis, sub initium: *Pater Religiosorum in monte Carmeli . . .* Ioannes *. . . de quo libro undecimo historia Ecclesiasticæ cap.* 21. *Hierosolymis post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparavit sedes: Hic cernens, quod propter occupationem suscepti officii non poterat integrè in monte Carmeli moram trahere; scripsit Caprasio librum de institutione hujus Religionis primariâ, & fundatorum ejus dignitatem, ac priscorum professorum gesta, exterioremque habitûs ornatum, brevi & lucido eloquio ordinatè exaravit.* Baptista Mantuanus *in Apologia* (g) *Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit; ipse antiquorum Carmelitarum vitas scripsit, incipiens ab Elia usque ad sua tempora: & extat ad hunc usque diem liber ille, quem ego vidi, tenui, ac legi.* Aliorum veterum domesticorum testimonia de libro illo à Ioanne Hierosolymitano Episcopo XLIV. scripto, videri poterunt apud præfatum P. Wastelium, *lib.* 1 *Vindiciarum*, cujus iste titulus est: *Vindiciarum operum, & auctoritatis Ioannis Nepotis Sylvani, Hierosolymitani Episcopi XLIV. Liber primus: quo opusculi ipsius de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum, inscriptio,* tamquàm

(a) nu. 46. & 49. &c.
(b) n. 1172.

(a) n. 761. & seq.
(b) n. 876.
(c) n. 891.
(d) n. 935.
(e) n. 1488.

atque alii illustres Scriptores domestici,
(f) tom. 3. tit. 9. c. 89.

(g) vid. in Spec. Car. to. 1. num. 860.

tamquàm ipsa verè germana, statuitur, & defenditur: ubi sub initium *sect. 1. art. 1.* istam statuit assertionem: *Sit igitur ad Dei gloriam majorem, opusculi hujus nostri propositio: Liber de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum; sive Regula ipsa vetus montis Carmeli Eremitarum; Ioannis illius est, qui ordine quadragesimus quartus censetur inter Hierosolymitanos Episcopos, sive honorarios Patriarchas, successor B. Cyrilli, antecessor autem Praylii.* Assertionem illam consequenter confirmat luculentissimis auctoritatibus, & rationibus, per plures Articulos. Inter externos disertè adstruentes librum illum *de Institutione primorum Monachorum* scriptum à præfato Ioanne Hierosolymitano Episcopo 44. adducit testimonia Ioannis Molani *in Bibliotheca sua Theologica* (quæ manuscripta Antuerpiæ asservatur in Bibliotheca publica) & aliorum multorum, quæ ibi videri poterunt; nè hic prolixiores simus, duos, aut tres audivisse sat erit.

412. Iacobus Salianus, in Ecclesiastica historia veteris Testamenti præcipuè versatus, librum illum accuratè legit, ac expendit, & in eo contenta fidenter, ac constanter vera, & rata habens suis inserit *Annalibus veteris Testamenti*. Is autem de libro illo ita censet (a) *Quoniam verò hoc primùm loco se offert magnus Elias, vir Propheta, potens opere & sermone, atque inter hujus ævi Prophetas longè clarissimus, libet, nonnulla de eo huic inserere narrationi, quæ circa annum Domini quadringentesimum Arcadio & Honorio Imperatoribus, tradidit Ioannes Hierosolymitanus Antistes, ordine quadragesimus quartus, ut est in ejus Opusculo, quod in Bibliotheca veterum Patrum relatum est, qui vel antiquorum Scriptorum monumentis, vel Hebræorum traditionibus Ierosolymis edoctus, ea scire potuit, quæ in illum librum mandavit, cui titulum indidit: De institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, et in nova perseverantium.* Aubertus Miræus in libro *de origine & incrementis Ordinis Carmelitani*, sub initium: *Creverat mirum in modum nova Virginis proles, quàm scriptis jam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha quadragesimus quartus (quem Molanus inter Sanctos refert) Regulam è Scripturæ sacræ consiliis, & veterum Patrum, qui ab Elia tempore Carmelum incoluere, documentis contextam, ei præscripsit.* Ferdinandus Quirinus de Salazar *in Appendice ad Commentarium in Proverbia*, seu in insigni, & erudito Tractatu pro Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ, *Seculo quarto, argumento 12. cap. 42.* de illo scribit: *Floruit etiam hoc seculo Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Marianæ immunitatis adstipulator in libro, de institutione Monachorum.* Deindè refert, quosdam existimare, istum librum scriptum non fuisse à Ioanne præfato: ipse verò suam sic subjicit sententiam: *Vidi certè, atque evolvi non pauca antiquitatis monumenta, ut in hac controversia aliquid certò definirem. Nihil tamen comperi, quod non suaderet, præmissum Ioannem Carmelitanum fuisse, & dictum de Institutione Monachorum librum ab ipso conscriptum.* Aliorum plurimorum idem adstruentium catalogum prolixum habet P. Lezana *cap. 9. Apparatus, ad Tomum 1. Annalium*, ubi, inter alia, ista: *Ex eis tandem, qui eumdem librum eidem Ioanni adscribunt, vel eum ipsius nomine referunt variis in locis, seu scriptis, nunc casu, nunc seriò, quamvis plures sint, quàm à nobis numerari queant, aliquos tamen notabimus, & de exteris quidem (domesticos enim nostros omnes numerare, fastidium proculdubio generaret.) Hi sunt*, &c.

(a) to. 4. ad an. mundi 3123. n. 6.

Aubertus Miræus.

Ferdinandus Quirinus de Salazar.

& alii plurimi.

413. De libri istius *de institutione primorum Monachorum* auctoritate hactenùs audivimus Scriptores orthodoxos. Testimonium etiam efficax haberi solet, quod petitur ab ipsis inimicis: hostes monasticès, & antiquitatis ejus hæretici sunt. Ipsi interim veritate perspicuâ convicti, librum illum, in quo ipsa monasticès antiquitas, & institutio in veteri Lege perspicuè traditur, indubitanter admittunt eum à Joanne XLIV. Hierosolymorum Episcopo scriptum fuisse, & (quod in sequentibus peculiariùs confirmabitur) in Carmeli Ordine per multa sæcula loco Regulæ habitum, ac tandem ab Aymerico Patriarcha Antiocheno è Græco in Latinum traductum. Ita quidem hæreticus auctor Catalogi magnæ Britanniæ, Centuria 14. editionis Basiliensis in folio, agens de *Palladio primo Scotorum Apostolo, & de Ioanne XLIV Hierosolymorum Episcopo*, ubi de illo Joanne ista: *Ejus, inquam, Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma, Hieronymi atque Epiphanii in se concitavit scripta: quibus tamen ipse sui studii rationem reddens, respondit, se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum: ediditque librum contra sui studii obtrectatores; & de Institutione primorum Monachorum librum, allegoriis plenum, quem è Græco translatum vidi.* Centuriâ autem 2. tractans de Aymerico Patriarcha Antiocheno, ejus occasione, hæc de præfato Joanne, & ejus libro scribit: *Præfati Ioannis librum, quem Græcè scriptum illucusque servaverant, in Latinum sermonem transtulit: ut deinceps esset ex Hebræis, Latinis, & Græcis, Latina Religio.* Eadem ferè scribuntur in Bibliotheca Gesneri, verbo: *Ioannes Hierosolymitanus.*

Libri ejusdem auctoritatem asserunt etiam hæretici, contra se testimonium adducentes.

414. Pro indubitata fide antiquitatis libri istius, speciali dignum est notâ: Quòd liber iste olim varias nomenclaturas, seu titulos habuerit: apud plures inscriptus legitur: *Institutio antiqua Religionis Carmeli, seu Institutio antiquissima*: ita eam indigitant S. Cyrillus in libro, *de processu, & variis Regulis*: & Sibertus de Beke (qui claruit circa annum Christi 1318. Provincialis Alemaniæ) in libro *super Regulam Ordinis*. Ita quoque Philippus Riboti. Ioannes autem Bacho in libro *de institutione Ordinis hujus* eum appellat: *Historiam de antiquitate Ordinis*. Thomas Bradley Episcopus Dromorensis, & passim alii, vocant *librum de Institutione*

Libri istius olim varia intitulatio.

(a) Jerem. 9. *ad nos ingreditur per fenestras* (a): Post ista, aliaque saluberrima monita *emisit beatam animam, lætantibus lætam eam tradens Angelis, manibusque Sanctis, ut par erat mandatus sepulturæ transit ad vitam, quæ numquam desinit.* *obitus.*

385. Seculo tertio etiam monasticâ disciplinâ, & martyrii gloriâ illustris fuit S. Astion, cujus vita extat apud Surium ad diem 8. Julii, in qua hæc, inter alia: *Pertulerunt autem martyrium sancti atque athleta Christi Epictetus presbyter, & Astion monachus in Almiridensium civitate, octava die mensis Iulii, temporibus Diocletiani Tyranni, sub duce Latroniano.* Surius ad marginem notat: *Anno* 290. qui erat Diocletiani annus septimus: anno uno ante natum S. Hilarionem, cùm S. Antonius esset ætatis circiter 36. annorum: nec ullos adhuc haberet discipulos. Sub finem ejusdem seculi tertii, & initium quarti in Thebaide sanctitate, & miro vitæ rigore illustris fuit S. Palæmon, magister S. Pachomii, in cujus vitæ historia etiam ipsius Palæmonis res gestæ commemorantur, ac inter eas istæ: *Audivit autem quemdam Anachoretam, cui nomen erat Palamon, intra eremi secreta Deo servientem: ad quem confestim, cum eo cupiens habitare, perrexit, & pulsans ostium cellulæ ejus, precabatur ingressum.* Et post alia: *Tunc sanctus Palamon spiritualibus oculis intuens Pachomii fidem, tandem patefecit aditum: eumque suscipiens habitu Monachi consecravit.* P. Lezana in Annalibus (b) post relata præfata verba subjungit: *Ex eo quòd Palamonem instructorem in monastica vita habuerit, & is senior in Monachismo vocitetur, proculdubio venari licet (quod sæpiùs à nobis inculcari oportuit) ante Antonii ævum, ipsius quoque tempore Monachorum plures extitisse, qui sine Antonii disciplina in monachatu profecerint. Ex illis ultimis verbis: HABITU MONACHI CONSECRAVIT, eliciet lector, quomodò Monachi speciali habitu induti Deo consecrarentur, utique per vota.* De præfatis S. Palæmone, S. Charitone, S. Nicone & aliis, qui seculum tertium, & quartum monasticâ conversatione exemplari decorarunt, agetur etiam in Speculi Carmelitani tomo 2. (c)

S. Astion, Monachus, Martyr sub Diocletiano,

circa an. Chr. 290.

S. Palæmon magister S. Pachomii.

(b) to. 2. ad an. Christ. 312. n. 5.

(c) n. 2893. & seq. usque ad n. 2982. inclus.

386. Istis etiam temporibus non defuisse Gynęceia, seu Monasteria Sacrarum Virginum habetur ex antè dictis de S. Basilissa, de S. Eudocia, & aliis. Tunc quoque, quando Diocletianus Romanis imperabat, erat Sibapoli in finibus Assyriorum *Monasterium mulierum quinquaginta, quæ Monastica vita studio seipsas exercebant. His præerat mulier quædam nomine Brienna, quæ Magistram habuerat Platoniam, Diaconatus officio ante se functam, cujus traditionem, & Canonem ad finem usque optimè servavit.* Ita Metaphrastes & Surius *ad diem* 15. *Iunii in vita mirabili S. Febroniæ*, cujus arctissima conversatio in Monasterio, & virilis constantia inter atrocissima tormenta singularissimè resplenduit. Et certè frequentia extitisse illis temporibus Monasteria Sanctimonialium testantur, quoque Acta Sancti Indês & S. Domnæ (apud Metaphrasten 26. Decembris) in quibus illa leguntur sub initium: *Maximiano jam secundum annum agente in imperio Romanorum, & minitante gravem tempestatem impietatis, & mox in pios erupturo, sic quoque florebant quidem res Christianorum, & læta erant tamquam in jucundissimo vere pietatis. Hoc autem ver faciebant alii quoque ex Orthodoxis, qui & temporibus erant superiores, & pietatis dogma apertè canebant sicut cicada: præ cæteris verò omnibus, Ecclesiæ nostra musica hirundo, qui propter rectam in fide sententiam, & in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans, quam sede Episcopali, & vitam orationi habens consentientem, Monasteria constituebat, & eorum curam gerebat, & ea quæ jam facta fuerant continens, & nova præter vetera ædificans.* Erant igitur etiam tunc *Monasteria vetera.* Ibi consequenter dicitur, quòd Imperator jusserit *Domnam Virginem quæri in Monasteriis, & Diis illius servari. Hæc cùm rescivisset ea, quæ Monasterio præerat, in quo erat Sancta, imprimìs virili conceptâ cogitatione, virili tonsu & veste ornatâ Virgine, & preces cum lacrymis ei præbens viæ custodes, & duces, eam clàm emittit ex Sacro thalamo. Sed sceleratus non cessabat eam quærere: & cùm eam non inveniret, furebat communiter in omnia Monasteria. Atque sacra quidem omnia Monasteria crudeliter diruebantur.* Erant igitur tunc plura Monasteria etiam Virginum.

Monasteria plura, etiam Monialium, tempore Dioclet. & Maxim. Imp.

387. Eodem seculo (circa annum Christi CCLV.) sancta Virgo, & martyr Victoria in Hispania, postquàm precibus Draconem fugasset, *celebre condidit sacrarum Virginum Monasterium*, ut habet Luitprandus (a). Quod etiam in ejus vita (apud Petrum de Natalibus *lib.* 1. *cap.* 83) refertur: *Victoria in ipso Draconis specu includitur, eidemque mox novem virgines à parentibus oblatæ associantur, & post modicum temporis Monasterio constructo Mater 73. Virginum facta est, quas diligenter instruxit, & in Dei laudibus, & vita sanctitate perseveravit.* Idem de Virginibus Victoriæ collegialiter sociatis Adelmus (seu Althelmus) Episcopus Saxonum, vetustus auctor *in libro de Virginitate*, memorans Victoriam, sic paucis refert:

(a) in adversariis.

S. Victoria in specu draconis inclusa.

Monasterio constructo mater 73. Virginum.

Insuper & decies senas junxère puellas,
Quæ precibus crebris laudarent voce Tonantem,
Odis Davidicis modulantes carmina Sancta.

De illa sancta Virgine, ejusque Monasterio, plura videri poterunt in Annalibus Carmelitanis (b). In iisdem agitur de altera Moniali, seu Monachâ, de quâ in Menologio Græcorum ad diem 20. Septembris ista leguntur: *Eodem die Commemoratio S. Martyris Susannæ, filiæ Arthemii sacerdotis Idolorum: baptizata est à Sylvano Presbytero: mundo relicto Monasterium adiit, Monacha effecta.... Ipsius Miraculis multi ad Christi fidem convertebantur. Postmodùm in carcerem conjecta Deo spiritum tradidit.*

(b) To. 2. ad ann. 255 & 256.

388. Ex hactenùs dictis, contra Witcleff, Centuriatores Magdeburgenses, aliosque Novatores, evidenter ostensa est Monasticæ vitæ antiquitas, & quòd longè ante SS. Pau-

SS. Paulum eremitam, Antonium, & Hilarionem, in Palæstinâ, Ægypto, aliisque locis viguerint Monastica Instituta, & copiosi fuerint Religiosorum ac Monialium cœtus. Lezana (a) cùm partem vitæ præfati S. Charitonis retulisset, subjungit: *Hauriat ex iis Lector, Charitonem hoc tempore Monachorum Patrem in ea spelunca egisse, antequam Antonius in Ægypto discipulos habere cœperit; ut vel ex hoc eorum assertum corruat, qui Antonium primum, & unum in orbe Christi Ascetarum Archimandritam autumant, quos ex aliis etiam fundamentis in superioribus rejecimus. Conferat quoque hanc Charitonis vitæ rationem cum eâ, quam Esseni gerebant, & facilè comperiet Essenatûs Professorem extitisse. Quid enim aliud divitiarum contemptus, in Psalmodiis pernoctatio, jejunia usque ad occasum Solis protracta, panis cum sale pro alimento, & aqua pro potu, indicant, nisi Essenorum mores iisdem notis a Philone descriptos?* Verùm enim verò ante SS. Antonium & Hilarionem multos magnosque Monachorum & sacrarum Virginum greges extitisse (licèt postmodum tempore persecutionum valde fuerint imminuti) & in Palæstina, Ægypto, aliisque locis Monastica viguisse Instituta, pro comperto sit ex omnibus hactenùs adductis. Et quidem de ingenti Monachorum multitudine ex iis, quæ de S. Serapione Patre decem millium Monachorum, & similiter de SS. Juliano & Basilissa sunt dicta. Sanè Ordines plures sunt, qui in omnibus provinciis & Conventibus simul, non, aut vix habeant decem millia Religiosorum: Tanto autem numero præfuit unus S. Julianus, & unus etiam S. Serapion.

(a) tom. 2. Annal ad ann. 279. n. 3.

Monachi, & Virgines sacra magno numero ante S. Antoniū, & S. Hilarionem:

imo milleni, & milleni.

389. Quoad Gynæceia, seu Monasteria sacrarum Virginum, seu Sanctimonialium, tempore Apostolorum, ac seculis proximè sequentibus, Monasteria non pauca Virginum fuisse, indubitatum quoque est ex Philone scribente de Essenis, & ex iis, quæ habet Cardinalis Baronius *ad annum* 301. ubi *ex Sanctorum Martyrum actis fidelissimis*, ut loquitur, mentionem facit de Asceteriis, seu Monasteriis, de quibus subjungit: *Errore decepti multi putant, non nisi à temporibus Constantini fuisse ejusmodi res, & nomen inventum: nam præter illa, quæ superiùs dicta sunt, cùm de Essenis actum est, & quæ de existentibus temporibus Apostolorum collegiis Virginum testificatione Ignatii, à nobis etiam paulò ante citati, narravimus* &c. Ibi consequenter cùm ex Eusebio de Asceteriis virorum egisset, subjungit: *Quòd si virorum, multò magis sanè sacrarum Virginum erant, quas timor, facilis lapsus, & Virginem pudor magis includi debere suadent.* Et infrà: hæc subjungit: *Quod audis de Monasterio Virginum: haud id tibi videatur esse novum, quandoquidem jamdiu ante & S. Ignatius Apostolorum discipulus, meminit de Collegiis Virginum suo tempore existentibus. At de his plura superius.* Sanctus autem Ignatius *in epistola ad Philadelphios*, ibi ejusmodi Asceterium Virginum extitisse satis denotat istis verbis: *Saluto Collegium Virginum.*

Monialium Monasteria temporibus Apostolorum, & seq.

390. Ex dictis etiam perspicuum est, quantoperè à vero aberrent, & hallucinentur nonnulli, existimantes, quòd ante S. Hilarionem in Palæstina, seu Syria, & consequenter in Carmelo, Monachi nulli fuerint. At vidimus, quòd ante S. Hilarionem natum, S. Chariton fuerit fundator plurimarum monasticarum habitationum, circa Iordanem, & Thecue, ac in aliis locis, ubi olim Filii Prophetarum, & Esseni habitarunt, quæ nuncupabantur *Lauræ*, de quibus, & earum situ, peculiariter tractat P. Bollandus *in Actis Sanctorum*, ad vitam S. Euthymii (a) ubi ista: *Laura Pharan, itemque Sucea veteris: ambæ cum tertia ad Iordanem à S. Charitone extructæ: illa sex milliaribus versùs Orientem viâ Hierichuntinâ distabat Hierosolymis, à vico decem indè stadiis ad solem orientem sito appellata. Hæc erat in antè dicta ultra Thecue solitudine.* De ista solitudine *Thecue*, & Monachis ibi degentibus hæc tradit ibidem paulò ante ex Cassiano (b) *Summa vita ac sanctitate monachos diutissimè commoratos juxta Thecue vicum sex millibus passuum à Bethleemo, in solitudine vastissima quæ ducit versus Arabiam, & mare mortuum.* Charitonem ibi præcesserunt præfati *Patres* (Monachi) *qui in solitudine degebant prope mare mortuum*, quibus S. Chariton distribuit eleëmosynas. Ante istos circa illa loca fuit B. Germanus, & S. Eudocia, in Cœlesyria circa annum Christi centesimum. Istos præcesserunt Monachi temporibus Apostolorum; nuncupati *Therapeutæ*, sub quo nomine de illis tractat S. Dionysius Areopagita; seu *Esseni*, quo titulo illos designant Philo, & Iosephus Iudæi; Plinius & Solinus Ethnici, Eusebius Cæsariensis, aliique Christiani plurimi, adducti in antecedentibus (c) & illi, de quibus ista tradit Iosephus Antiochenus: (d) *Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores, surrexerunt strenuissimi, viri solitarii, contemplationique deditì, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt* Ioannes Hierosolymitanus de istis iisdem scribit: (e) Istis accinunt Cassiodorus, & Waldensis, relati in antecedentibus, & Cardinalis Baronius *tomo primo Annalium*, (f) ubi ista: *Et undè, rogo, tantoperè post Euangelii prædicationem, testante Philone, longè latèque per Orbem auctus est numerus Essenorum; nisi quòd iidem erant Christiani, prædicatione Apostolicâ ubique gentium propagati?* Quòd autem Monachi in primis post Christum seculis nuncupati fuerint *Esseni*, habetur ex eodem Baronio hîc suprà, atque aliis plurimis adductis in *Tractatu V. cap. 5. & 6, ac 7. & 8. & sequent.*

(a) ad 20. Jan. in prolegom. §. 1. num. 2.

(b) Collat. 6. cap. 1.

(c) n. 274. & seq.

(d) in Speculo perfectæ milit. Eccl. Chr.

(e) lib. de Instit. prim. Monach. c. 38.

(f) ad an. Christ. 64. num. XI.

PARERGON

(TRACTATUS VII.)

Liber de INSTITUTIONE PRIMORUM MONACHORUM, IN LEGE VETERI EXORTORUM, ET IN NOVA PERSEVERANTIUM, ejusque Auctor Ioannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus, auctoritati suæ asserti.

CAPUT I.

Ratio, seu motivum ad hunc Tractatum.

391. PARERGON dicitur, quod præter propositum additur. Propositum nostrum hoc loco est, Statûs Religiosi-monastici, à magno Propheta Elia primùm inchoati, & exindè perenniter propagati, exhibere Idæam. Judicio autem præstantissimorum virorum, & domesticorum, & exterorum, pro Religiosi-monastici statûs sanctitate & antiquitate, ac verâ origine demonstranda, & stabilienda, plurimùm conducit præfatus liber *de Institutione primorum Monachorum*; quia in eo explicatissimè monasticès totius forma, prima origo, auctor, locus, tempus, & modus traduntur: cujus auctoritate firmatâ, firmantur quoque (contra hæreticos) ac firmiter stabiliuntur, & antiquitas, & sanctitas monasticès, à sanctissimo, & in sacris paginis commendatissimo, Propheta Elia, ante bis mille & sexcentos annos inchoatæ, & ad posteros promanantis, jugiterque continuatæ.

Liber de Institut. primorum Monach. valde utilis Ecclesiæ,

392. Prætereà liber ille est monumentum venerabilis auctoritatis, non tantùm in Ordine Carmelitano, in quo plurimis seculis habitus fuit pro Regula; & Regula moderna à Pontificibus multis approbata, & confirmata, inde desumpta est, magis determinata, sicut pleniùs ostendetur cap. IV. sed insuper est velut pretiosa gaza pro universa Ecclesia, continens pulcherrimum argumentum, & testimonium pro immaculata Conceptione sacræ Virginis Deiparæ. Hinc Ferdinandus Quirinus de Salazar, Societatis Jesu in erudito opere, *de Immaculata Conceptione* (a) illud nuncupat *nobile, & antiquum pro immaculata Conceptione testimonium*. De ipso autem libri auctore, sub titulo. *Saculum IV.* scribit: *Floruit etiam hôc seculô Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Mariana immunitatis adstipulator in lib. de Institutione Monachorum cap. 32. ubi Elia nubeculam ad puritatem Virginea Conceptionis significandam transfert, idque antiquissimâ seculorum persuasione confirmat.* Ita quoque Petrus Oxieda, & Laurentius Aponte, tractantes de immaculata Virginis Conceptione, atque alii, adferendi *in Speculo Carmelitano*. (a) ubi peculiariter tractatur de mysterio illo, de quo etiam quædam adducta sunt hic suprà *Tractatu 3. cap. XII.* (b) Denique, ut benè notat P. Lezana: (c) *Legatur attentè, non cursim, aut carpiendi libidine, & ibi, cum claritate doctrina, ac sacrarum Scripturarum promptissima explanatione, spiritualia documenta, moralia instituta, regularia præcepta, mystica, & allegorica plurima reperiuntur, qua animum adæficacitèr pietatem, & Dei amorem efficaciter promoveant.* Et paulò ante: *Omnia qua ad vita monastica, ac Religiosa perfectionem necessaria, vel utilia esse possunt, mirabiliter amplectens.* Igitur Ecclesiæ Catholicæ, & totius monasticès plurimùm interest, perspicuè demonstrari, & firmiter stabiliri auctoritatem istius libri, videlicet sinceram fidem, ac pietatem auctoris ejus Joannis XLIV. Episcopi Hierosolymitani, & quòd liber hic sit ejus legitimus fœtus.

ejus pretiosa gaza,

(a) in Tra. de Concep. immacul.

nobile testimonium pro immacul. Concept. Deiparæ,

(a) To. 1. n. 215 & 219. ac seq.

(b) n. 171. & 172.

(c) in Anal to 3 ad an. Chr. 412 n. 6.

ad pietatem promovens.

393. Quantùm ad auctorem Joannem, ille idem ipse est, quem S. Anastasius Papa adhuc viventem miris celebrat encomiis, sicut cap. sequenti audiemus: quem mox defunctum S. Sozimus Papa *Sanctum* nuncupat: etiam *Sancti* titulo eumdem honorant S. Augustinus, S. Lucianus, & alii plures: & ut talis variis Martyrologiis ac Catalogis Sanctorum insertus legitur: ita quidem Joannes Molanus, illustre Universitatis Lovaniensis decus, *in Martyrologio*, seu *Auctario ad Vsuardi Martyrologium, die XII. Ianuarii* istis eum commemorat verbis: *Sancti Ioannis, Episcopi Hierosolymitana Ecclesia, Ordinis Carmeli Professoris.* Eadem leguntur in variis Martyrologiis aliis. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henschenius in *Actis Sanctorum* (d) hæc de eo scribunt: *S. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, memoratur hoc die à Molano in addit. ad Vsuard. à Galesinio (qui addit,* CUIUS RES DIVINÆ LEGUNTUR) *Ferrario, & aliis. Accepimus instituti Carmelitani virum perquàm eruditum commentarium meditari, quo Ioannis II. Episcopi Hierosolymitani 44. sanctitatem & publicam venerationem asserat. Ante eum fuit Ioannes, septimus ejus Sedis, qui ultimis Trajani vixit temporibus.* Ioannes igitur *Ordinis Carmeli Professor*, cognomento *Nepos*, fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antistes XLIV. (secundus istius nominis) medius inter Cyrillum, & Praylium. Notandum Nicephorum (e) erroneè existimasse, *Ioannem & Nepotem* diversos fuisse, medios inter Cyrillum, & Praylium; sed unus & idem est. *Ioannes* nomine, *Nepos* cognomine: id habetur ex Onuphrio insigni Chronologo, & ex Sebastiano Verronio in Chronicis, ad tempora S. Siricii recensente Patriarchas: *Hierosolymis*, inquit, *Ioannes secundus, Nepos cognomine*, & pluribus confirmatum videre licet apud Wastelium: (f) Quandoque etiam vocatur *Patriarcha*; quia Ecclesia Hierosolymitana Patriarchali dignitate posteà insignita fuit.

Io. Hierosol. Episc. XLIV Sanctus vocatus, à suo obitu usque in præsens;

(d) Januar. tom. 1. ad diem XII. pag. 719. col. 1.

cognomento ejus Nepos.

(e) in Eccl. hist. lib. 11. c. 24. & lib. 14. c. 30.

(f) lib. 2. Vindic. pro Joan. sect. 4 art. 1. §. 6. & 7. pag. 321.

Quòd

Quòd continuatâ mille seculorum (& ultra) serie, *Sanctus*, *Beatus*, *mirabilis*, *divinus* legatur nuncupatus à Pontificibus, Patribus, & illustribus Scriptoribus, relatis à præfato Wastelio (a) & à P. Lezana (b) patescet ex auctoribus, ferè ordine temporis cap. sequenti referendis cum omnimoda humilitate, & obedientia, ac submissione erga S. Sedem Apostolicam, quoad titulum ipsi tribuendum. Et ista de persona ipsius Joannis, & sanctæ vitæ ejus firmata per plurima secula traditione, sic paucis prævié commemorasse juvabit, de quibus mox uberiùs.

(a) lib. 3. Vindic. art. 4. qui est libri Coronis.

(b) Tom. 3. Annal. ad an. 416. n. 9 & seq.

394. Quoad præfatum librum continuatâ, & constanti plurium seculorum traditione habetur, ipsum Græcè scriptum anno Christi quadringentesimo duodecimo, tempore Arcadii Imperatoris: & in Carmelo servatum pro Regula per annos ducentos quinque, in pacis tranquillitate (à dicto anno 412. usque ad 617.) & deindè in magna tribulatione usque ad annum Dom. 1099. ac post annos circiter quadraginta duos (sub annum 1141.) per Aymericum Patriarcham Antiochenum, aut ejus jussu, traductum è Græco in Latinum: ac tandem circa ann. 1209. (paulò ante aut post) ex illo concinnatam fuisse Regulam Ordinis, traditam à S. Alberto Patriarcha Hierosolymitano. Ista est Carmeli Ordinis traditio, & Scriptorum domesticorum, atque etiam plurimorum exterorum assertio. Libri istius exemplaria vetusta manuscripta, titulum istum: *Liber de institutione primorum Monachorum* &c. in variis Orbis regionibus extant: impressa quoque Venetiis anno 1507. inserta antiquo Speculo Ordinis: sed ea mendis non paucis respersa sunt. Extat etiam impressum in *Bibliotheca Patrum*, editionis Parisiensis: sed editio illa libri hujus, non paucis, nec parvis scatet mendis; cùm enim ea sit ex exemplari Venetæ impressionis anni 1507. satis vitiosæ, insuper nova accessêre menda; nempè cùm ibi liber ille impressus sit cum commentario Philippi Riboti, sententiæ variæ Patrum, à Philippo Ribori adscripta pro commentario in illa impressione Parisiensi insertæ sunt ipsi textui. Libri autem hujus editio expolitiori penu, correctiori limâ, & diligentissimâ collatione veterum codicum manuscriptorum per P. Petrum Wastelium factâ, est Bruxellensis an. 1643. inter opera Joannis Nepotis primum habens locum: & sub finem adjectæ sunt *Notæ variarum lectionum*. Indè autem prodiit impressio altera Romæ anno 1653. in principio *tomi 3. Annalium Carmelitarum* per P. Lezana: utraque igitur editio illa accuratissima est. Liber hîc *De Institutione primorum Monachorum* etiam impressus est in opere P. Thomæ à Iesu *de variis Regulis Carmelitarum*.

olim per octo secula loco Regulæ in Ord. Carm.

ejus editio in Bibliotheca Patrum mendosa.

395. Quod præfati PP. Bollandus, & Henschenius scribunt: *Accepimus, instituti Carmelitani virum perquàm eruditum commentarium meditari, quo Ioannis II. Episcopi Hierosolymitani 44. sanctitatem & publicam venerationem asserat*, ille est præfatus P. Petrus Wastelius, qui scripsit *Vindiciarum libros tres*: in primo agitur de libro *De Institutione primorum Monachorum*, & luculentis argumentis ipsi Ioanni asseritur: in tertio ostenditur orthodoxa fides ac sancta vita Ioannis, quodque ipsius nomen insertum sit variis Martyrologiis, Kalendariis Sanctorum, & Breviariis ac Missalibus, ubi etiam de Officio ejus Ecclesiastico sub ritu *duplici*: totius autem libri Coronis, veluti Synopsis (a) iste est titulus: *Sanctè finè, dignè vita, diem extremum clausit Ioannes Hierosolymitanus Episcopus XLIV.* De eodem subjecto luculenter scripsit P. Lezana, *tomo 1. 2. & 3. Annalium Carmelitarum*, (b) nec non præfatus P. Thomas à Iesu *in Commentario super Regulam Carmelitanam*, & P. Franciscus Bonæ Spei in opere inscripto *Visio Eliæ*, in annexa appendice, nec non *in Armamentarii Carmeli utraque parte.*

P. Petrus Wastelius Ioannis sanctitatem asseruit.

(a) Sect. 6. art. IV. pag. 634. & seq.

(b) tom 1. in Appar. c. IX. to. 2. & 3. variis locis: videatur Index.

CAPUT II.

Testimonia, & elogia Patrum, Historicorum & illustrium Scriptorum, in Ioannem Hierosolymitanum Episcopum XLIV.

396. S. Anastasius Romanus Pontifex in litteris ad ipsum Ioannem datis anno Christi CCCCII. hæc, inter alia, scribit: *Splendorem tuæ sanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, subindè quodammodò parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porrò autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quòd me tantum de cœlestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per universum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem.* Epistola illa extat *tomo 1. epistolarum Romanorum Pontificum*, & inter opera S. Hieronymi *tomo 9. in serie secunda*. S. Zosimus etiam Papa, in litteris datis an. 417. post obitum Ioannis, ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, aliosque Africæ Patres, mittens ad illos Epistolam Praylii successoris ipsius Ioannis: nomen *Sancti* tribuit Ioanni. S. Augustinus *libro 2. contra litteras Petiliani cap. 51.* sic orthodoxam Ioannis fidem deprædicat: *Cathedra quid tibi fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet: Quibus nos in Catholica unitate connectimur.* Idem S. Augustinus libro *de gestis Pelagii cap. 14.* eum *Sanctum* nuncupat: *Hoc etiam, ait, usus est testimonio sanctus Ioannes, Hierosolymitanæ Antistes Ecclesiæ.* S. Ga-

Insigni elogio celebratur à S. Anastasio Papa:

Sanctus nuncupatur à B. Zosimo Papa,

& à S. Augustino,

ac à SS. Gamaliele, & Luciano. 397. S. Gamaliel apparens S. Luciano Presbytero, & ei significans, ubi S. Stephani Protomartyris, & suæ, ac aliorum reliquiæ conditæ essent, mandans adire Joannem Episcopum Hierosolymitanum, & etiam ipse S. Lucianus identidem ipsum Joannem *Sanctum* appellant. *Vade in civitatem quæ dicitur Aelia, quæ est Hierusalem, & dic sancto Ioanni, qui est in ea Episcopus: Quamdiu clausi sumus, & non aperis nobis? & maximè quia temporibus tui sacerdotii oportet nos revelari?* Et infra: *Et iterum Dominus Gamaliel eadem similitudine, eodemque schemate, apparuit mihi, sicut in prima visione, dicens: Quare neglexisti ire, & dicere sancto Episcopo Ioanni?* Et rursùs: *Cumque hoc in ecstasi, hoc est, in excessu mentis audissem, statim expergefactus, benedixi Dominum, & perrexi ad civitatem ad sanctum Ioannem Episcopum.* Lezana *in Annalibus Carmelitanis*, cùm præfata verba adduxisset, subdit: *Hic sistat lector, ac videat nomen* SANCTI *Ioanni nostro concessum, non ab iis, qui inter mortales vitam degerent, sed à cœlestis patriæ cive Gamaliele, qui, utpote in Dei essentia conspiciens ea, quæ ad Ierosolymorum urbem, (undè ipse erat) ejusque Antistitem spectabant, haud ignoraret Ioannis fidem orthodoxam, probitatem, ac sanctitatem, verbis illis,* SANCTO EPISCOPO JOANNI *indicatam. Vndè, etsi post tertiam revelationem, ac sibi factam comminationem, aliumque mentis excessum, pergit Lucianus dicens:* BENEDIXI DOMINUM, ET PERREXI AD CIVITATEM AD SANCTUM IOANNEM EPISCOPUM. *Vbi titulo* SANCTI *adjuncto nomini proprio Ioannis, non appellativo Episcopi, quod majoris emphasis, & energiæ signum est, Gamalielis exemplo ipsum decorat, prout etiam facit in sequentibus.*

398. Ecclesiæ Trevirensis, Leodiensis, Cameracensis, Beluacensis, Aurelianensis, Pictaviensis, Cenomanensis, & aliæ antiquissimorum Episcopatuum habentes proprium Breviarium, maximè in Germaniis & Galliis, & alibi quas refert Wastelius *lib. 3. Vindiciarum pro Ioanne Ierosolymitano XLIV sectione ultima, articulo 4.* in Divino officio identidem titulum *Sancti* tribuunt Ioanni. Antiphona ad *Magnificat*, apud omnes est: *Hodie sanctus Ioannes Pontifex cum maximo Cleri plebisque tripudio, pretiosi protomartyris Stephani reliquias in sanctam transtulit Ecclesiam Sion: ubi quondam Archidiaconi functus est officio: cujus pia apud Deum sit pro nobis intercessio.* Antiphona prima *ad Laudes* incipit, *Regressus Lucianus presbyter à sancto Ioanne Episcopo:* Denique Responsorium Lectionis nonæ, *Sanctus Ioannes Episcopus lacrymatus præ gaudio, benedixit Deum, & dixit ad Lucianum presbyterum; Oportet me indè transferre beatum protomartyrem Stephanum, qui tamquam Angelus apparuit positus in concione hominum.* Hinc infertur: *Adeoque simul hic concurrunt pro Ioannis Hierosolymitani sanctitate antiquitas, universitas, & sanctitas, nè dicam & ipsa cœlestis revelatio.* Ita Wastelius ibidem. Etiam in variis Ecclesiis in Hispania eadem legi, & cani scribit Lezana *in Annalibus* (a).

& in officiis divinis plurimarum Ecclesiarum.

(a) ad an. Chr. 416. n. 1.

399. Theodoretus Cyrensis Episcopus (qui vixit tempore Ioannis, ac post ipsum) *in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 35.* ita de Ioanne effatur: *Hierosolymis præerat Ioannes, vir admiratione dignus.* Et cap. 38. eumdem nominat *admirabilem Ioannem.* Nimirum titulus *Admirabilis*, usu ipsius Theodoreti, imò etiam Chrysostomi, Palladii, Ruffini, aliorumque illius ætatis Scriptorum usu tribuitur non nisi præjudicatis Sanctis. Appellationis causam exponunt Chrysostomus, ac ipse Theodoretus in Commentariis super Psalterium, Psalmo 4. ad, *Quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.* Ita Wastelius (a) Aurelius Cassiodorus, Senator, eruditione & pietate clarissimus, *in Ecclesiastica historia tripartita lib. 10. cap. 25.* eodem ipsum commendat epitheto: *viri mirabilis.* Idatius* Lemicæ Gallæciarum Episcopus, *in Chronico Continuationis Eusebii*, ad annum primum Olympiadis CCXCVI. sic de Ioanne scribit: *Hierosolymis Ioannes, Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus, Episcopi habentur insignes: Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleëm Iudæ viciniâ consistens, præcipuus habetur in cunctis. Post Arianos, qui Hierosolymis ante Ioannem Episcopi fuerint, Idatius, qui hoc scribit, scire non potuit. Hunc verò sanctum, cum sanctis Eulogio, Theophilo, & Hieronymo, vidit & infantulus & pupillus.* Anno quoque tertio Olympiadis CCXCVIII. *Hierosolymis Ioanne Episcopo præsidente, sanctus & primus post Christum Dominum Martyr Stephanus revelatur.* Anno autem quarto Olympiadis CCCXIII. de eodem hæc scribit: *Quo verò tempore sancti Ioannes. Hieronymus, & alii, quot suprà diximus, obierint &c. referentium sermo non edidit.* Alia ex eodem, atque aliis de Ioanne præconia videri poterunt apud Wastelium (b) Palladius *in Lausiaca historia cap. 121.* (c) circa annum Christi 400. eum *Beati* titulo commemorat, & testatur Pinianum virum illustrem, & ejus uxorem Melaniam, se cum aliis Romam venientem, non parvo honore affecisse, refecisse, & abundantissimis viaticis excepisse, *propter beatum Ioannem Episcopum*, ut vel hinc etiam innotescat, quantâ opinione & reverentiâ Ioannes noster Hierosolymitanus apud clarissimas personas in Vrbe esset. Ita Lezana *Tomo 2. Annalium, ad an. 409. num. 4.*

vocatur & vir. mirabilis, admirabilis.

(a) lib. 3. vindic sect. ult. art. 4.

* al. Hidatius.

INSIGNIS,

SANCTUS,

(b) lib. 3. Vindic. sect. 6 art. 4

(c) in Vit. Patrum lib. 8. c. 20.

BEATUS,

400. Ado Archiepiscopus Viennensis, circa annum Christi 879 *in Martyrologio, ad diem III. Augusti* similiter eum *Beatum* nuncupat: *Beatus Episcopus sub omni celeritate ad fratres & coepiscopos vicinarum urbium misit.* Et infra: *Aderant tunc temporis testes miraculorum cum Beato Ioanne Eustomius Sebastenus, & Eleutherius Ierichuntinus pontifices.* Ibi peculiariter notandum, quòd inter tres Episcopos ibi nominatos, solus Ioannes appelletur *Beatus.* S. Cyrillus Constantinopolitanus, qui claruit seculo duodecimo sub finem, & decimo tertio sub initium, circa annum Christi 1200. in libro *de processu, & Regula Ordinis Carmelitani*, eum appellat *Virum mira*

VIR MIRÆ VIRTUTIS *miræ virtutis & perfectionis ... propter sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatum*: verba ejus adducentur pleniùs capite sequ. Nicephorus Callistus circa annum Christi 1350. *in Ecclesiastica historia libro 14. cap. 30.* eum Divinum nuncupat; DIVINUS, *Cyrillo divinus Ioannes successerat.* Joannes de Vineta, Nicephoro suppar, *in Chronico* (quod habetur in Speculo Carmelitano *a*) eum vocat *virum miræ virtutis, & perfectionis.*

(a) to. 1. num. 876.

401. Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, circa annum Christi 1460. *in Catalogo Sanctorum lib. 11. cap. 8.* cujus titulus SANCTUS, est, *De sanctis Hierosolymitanis Episcopis*, ex Ecclesiastica historia Eusebii, & Ruffini, refert S. Cyrillum, & ejus successorem Joannem: *Decimus septimus* (Hierosolymitanorum Episcoporum sanctus) *successit Cyrillus, de quo supra* (b): *Decimus octavus autem, & ultimus Ioannes, de quibus duobus in libro XI.* (Ecclesiasticæ historiæ scilicet Eusebii, & Ruffini) *mentio habetur.* Joannes Grossi, aliquantò posterior *in Viridario* agens de sanctis Ordinis Carmelitani, inter eos refert MIRACULIS CLARENS. Joannem hunc, de quo ista: *S. Ioannes Patriarcha vel Episcopus Hierosolymitanus, Eremita montis Carmeli.* Arnoldus Bostius circa annum Christi 1490. *in Speculo historiali, lib. 5. cap. 67.* cujus titulus est: *De S. Ioanne Carmelita, Episcopo Hierosolymitano XLIV* epitomen vitæ ejus texens, hæc, inter alia scribit: *Mortuo Cyrillo Patriarchâ Hierosolymitano, is Ioannes propter suam sanctitatem factus est Ecclesiæ Hierosolymitanæ Pontifex, quam exindè devotè, religiosè, & pacificè rexit quadragesimus quartus à B. Iacobo Apostolo ejusdem Ecclesiæ primo Episcopo.* Et paulò ante initio capitis istius: *Mortuo Cyrillo Episcopo seu Patriarchâ Hierosolymitano, Ioannes quondam Eremita montis Carmeli efficitur 44. Episcopus Hierosolymitanus. Prosper Aquitanicus* [*Ioannes Monachus, ob vitæ puritatem, & prophetiæ gratiam, quam à Domino meruit, illustris habetur, qui Hierosolymis post Cyrillum Ecclesiam recipit gubernandam.*] Joan. Palæonydorus sub idem tempus scribens, *in Fasciculo tripartito* (c) sic de eodem: *Tempore Honorii, & Arcadii Imperatorum circa annos Domini CCCC. fuit quidam nominatissimus montis Carmeli Eremita, sancta, religiosaque vita, nomine Ioannes.* Et infra de eodem adfert præfata Prosperi verba: denique post alia: *Tandem Ioannes XLIV. Patriarcha Hierosolymitanus plenus sanctitate, post paralyticorum curationem, cæcorum illuminationem, solvens debitum, viam transiit universæ carnis anno Domini CCCCXXXII. pridie idus Ianuarii.* Diem obitûs XII. Ianuarii tradunt etiam ceteri: quoad annum verisimilior est CCCCXVI.

(b) de eo egerat lib. 3. c. 44.

propter sanctitatem assumptus Pontif.

(c) in Fasc. cic. trip. l. 2. c. 6.

402. Ioannes Molanus an. 1583. *in Auctario ad Vsuardi Martyrologium* (d) ad diem XII. Ianuarii eum inter Sanctos refert verbis supra relatis: ita quoque Petrus Galesinius sub idem tempus: & sub initium hujus seculi Philippus Ferrarius *in Catalogo generali Sanctorum* ad eundem diem: nec non PP. Bollandus & Henschenius in *Actis Sanctorum* etiam ad eumdem diem, verbis jam ante, capite præcedenti recitatis. Istis concinit Scripturarum illustris interpres Gaspar Sanctius, ejusdem Societ. Ioanni titulum *Sancti*, & *Divi* tribuens. Ita quidem *in expositione cap. XVIII. libri 3. Reg. ad vers. 43.* ubi de nubecula in Carmelo visa à S. Eliâ: *in hac nube S. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus agnoscit B. Virginem.* Ad *vers. 1. cap. XVII.* ipsius nomini *Ioannes* præponit D. quod supponi solet pro *Divo.* Hinc Ioannes Nadasi, etiam Societatis Iesu, *in Anno cœlesti parte I. ad XII. Ianuarii* eum inter cœlites invocandos sic recenset: *Sancte Ioannes, Patriarcha Hierosolymitane, ora pro nobis.* Atque ita jam vidimus, Ioannem à tempore quô obiit, usque in præsens, habitum, & nuncupatum *Sanctum*: cujus proindè Epitomen vitæ, hîc consequenter attexere convenit.

(d) Antv. impressum an. 1583.

habitus, & nuncupatus Sanctus *ab obitu usque in præsens.*

403. Nativitas ejus in Annalibus Carmelitanis (a) refertur ad annum Christi circiter 351. Arnoldus Bostius *in Speculo historiali* (b) ista de adolescentia ejus tradit: *Ioannes tempore juvenili cernens, quàm raræ sunt amicitiæ, quàm fallaces amores, quàm lucra difficilia, pecunias quasi fumum adolescens contempsit. Tandem seculo vale dicens, & cum sanctis Prophetis sua collocare ossa disponens, eremum montis Carmeli expetiit, quâ se credidit facilè posse celari, ne à parentibus inveniretur. Ab Adolescentia ergò seniori ibidem deserviens, tantâ humilitate emicuit, ut ipsi quoque seniori stuporem obedientiæ ejus incuteret.* Ferè eadem habet Palæonydorus (c): in Carmelo Pater, seu Superior institutus, quomodò se erga suos gesserit, eos verbo, & exemplo ad perfectionem promovendo, refert S. Cyrillus in libro, de quo paulò ante: *Cæteros consortes suos ejusdem montis Monachos, exemplo suo & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem inquirendam, secundùm Propheticam disciplinam vitæ monasticæ, per Eliam Prophetam institutæ.*

(a) tom. 2. ad an. Chr. 351. n. 2.
(b) lib. 5. cap. 67.

Io. Hierosol. adolescentia pia, in Carmelo.

(c) in Fasc. tripart. l. 2. c. 6.

404. Quòd Ioannes monasticam vitam egerit, apertè satis eruitur ex S. Hieronymi epistola 62. ad Theophilum Alexandrinum, ubi agens de Ioanne, ipsum *Monachum* nuncupat. Quòd autem in Carmelo, & ibi Pater, seu Superior fuerit, ac indè ad Hierosolymitanam cathedram evocatus, concors est historicorum, & præcipuorum Scriptorum Ordinis Carmelitani, & aliorum plurimorum traditio: præcipuos adduxisse, seu nominasse sat erit. Ioannem Molanum ipsum *Ordinis Carmeli professorem* nuncupantem audivimus hîc supra: ita quoque alii: S. Cyrillus idipsum expressè tradit, & ita scribens (d) asserit: *Fuit autem tempore Arcadii, & Honorii Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum vir miræ virtutis & perfectionis, Ioannes nomine.* Ioannem Grossi, & Palæonydorum, ac Arnoldum Bostium de Ioannis incolatu in Carmelo, jam ante audivimus. Thomas Waldensis *cap. 3.* adducendus disertè tradit, *Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum* Carme-

Monachus fuit,

Pater Religiosorum in Carmelo;

(d) in libro de processu Ord.

id traditione concordi doctorum stabilitur,

Carmelitam: Et Baptista Mantuanus; *Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit.* Ferè eadem scribit Joannes Vinetus, seu de Vineta *in Chronico Ordinis* (a) & ante istos omnes Philippus Riboti, *in prologo Speculi Ordinis*, ante annos trecentos: *Ioannes qui fuit eremita montis Carmeli, & postea Episcopus Hierosolymitanus.* (b) Alios plurimos prætermittentes, nè longior recensus tœdio sit, ad *Annales Ordinis* per P. Lezana remittimus. Videri poterit *Tomo primo in Apparatu cap.* 9. *& Tomo* 2. *ad annum* 371. *num.* 12. ubi ista, inter alia: *Comprobant intentum Ordinis Kalendaria, non tantum neoterica, sed etiam vetusta.* Et infra: *Accinit ad propositum copiosissimus Scriptorum Chorus, qui uno veluti ore hunc Ioannem Carmelitam, vel Carmelitis accensendum putant*: & deindè: *De nostris autem Auctoribus, quamvis superfluus labor videatur eos recensere; quia pro perpetua, & constanti traditione hoc apud illos semper fuit, nihilominùs vel compendio dumtaxat aliqui vetustiores referendi, ex quibus plures tanta auctoritatis sunt, ut non nisi à turbata mentis hominibus reprobari queant.* Ibi consequenter plurimos recenset.

(a) in Speculo Carm. to. 1. num. 876.

(b) in eod. to. n. 15.

405. Quoad exteros etiam plurimi sunt, qui cum præfato Molano adstruunt, hunc Ioannem Ordinis Carmeli professorem. Ferdinandus Quirinus de Salazar adfertur in sequentibus. Hieronymus Platus *de bono status religiosi lib.* 2. *cap.* 22. de Ordine Carmelitarum scribit: *Ipso anno salutis* 412. *Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham, qui ex hoc ipso Ordine antea fuerat, eique præfuerat, Regulam ei condidisse.* Laurentius De Aponte (c) agens de Ioanne Episcopo Hierosolymitano XLIV. *Hic enim sanctissimus Pater de Institutione Monachorum Carmelitarum, cujus ipse extiterat Religionis, ad Caprasium scribens.* Iacobus Salianus, antiquitatis Ecclesiasticæ veteris Testamenti investigator, & illustrator, inter præcipuos meritò referendus, *in Annalibus veteris Testamenti* (d) Religiosam monasticam Ioannis vitam in Carmelo hisce tradit verbis: *Post diuturnam vitæ religiosæ cum Fratribus montis Carmeli professionem* (*Hierosolymis, post S. Cyrillum, factus Pontifex*) *ad alias evocatus curas, non potuit eos ampliùs domesticis exemplis, verbisque instituere: rogatus à Fratribus, maximeque à Caprasio; quem ille Præpositum suo loco relinquebat, ad eorum consolationem, certioremque institutionem, edidit librum, in quem non pauca, partim ex Scriptura mandavit litteris, partim ex traditione seniorum, quibuscum à puero vixerat; qui & ipsi à majoribus eadem per manus acceperant.* Ipse quoque Ioannes in libro illo suo *de Institutione primorum Monachorum*, Elianæ Carmelitanæ Religionis alumnum se fuisse manifestè satis (ut inficiari queat nemo) ipse indicat *cap. primo* his verbis: *De ipso fundatore, & primis ejus discipulis, ceterisque hujus Religionis priscis professoribus, succinctè edisseremus, sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores antè nos intellexerunt; & nobis, tam in veteri, quam in nova lege doctrinis & exemplis philosophati sunt: ut per hæc discas, quantâ Sanctorum præcipuorum auctoritate hæc nostra vita Religio confirmetur.* Ibi notanda illa: *hujus nostræ conversationis sectatores & hæc nostra vita religio.* In consequentibus tractans de S. Elia, ejusque discipulis, Filiis Prophetarum, quandoque repetit, *Prisci nostræ Religionis professores.* Denique majoris etiam auctoritatis pondus jam dictis apponimus, Officium scilicet Canonicum à Sede Apostolica sæpiùs approbatum pro festo S. Cyrilli Alexandrini ad diem 28. Ianuarii, ubi de S. Cyrillo legitur, quòd *adolescens ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, ut Christiana vita perfectione imbueretur, se contulerit: cujus consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus, cælestem vitam in terris aliquamdiu egit.* Quibus Carmeli incolatus, & Joanni & (ejus exemplo) S. Cyrillo, patenter adscribitur.

& exterorum assertis confirmatur,

(c) in Sap. c. 1. n. 4. digres. 2. §. 3.

(d) ad an. mundi 3121 ante Chr. 930.

& ipse Ioannes id testatur:

Ecclesiæ auctoritas adstipulatur.

406. *Propter ejus sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ XLIV successit.* Ita S. Cyrillus Constantinopolitanus (a). Onuphrius Panvinus *in Chronico Ecclesiastico*, id refert ad annum Christi 389. Cùm autem juxta eumdem Onuphrium, & Genebrardum, Sedem illam tenuerit annis XXIX. consequenter obitus ejus incidisset in annum circiter 418. Alii nonnulli verisimiliùs assumptionem ejus ad cathedram Hierosolymitanam adscribunt anno Domini 386. traduntque, quòd Sedem illam tenuerit annis triginta, ac obierit anno 416. Id de anno decessûs illius verisimilius est; cùm anno sequenti 417. Zosimus Papa (b) adstruat, Hierosolymitanum Episcopum Praylium successorem sancti Joannis: sicut paulò post audiemus. Igitur Joannes ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præsulatum assumptus fuit tempore Siricii Papæ, cui successit Anastasius (de quo mox) & huic Innocentius, sub quo obiit. Cùm pius Imperator Theodosius, devotionis causâ, in habitu primati hominis Hierosolymam profectus esset, qualiter eum Joannes Patriarcha receperit, & præmissâ oratione, Deo revelante, cognoverit, Georgius Cedrenus *in Annalibus*, ad tempora Theodosii Magni refert his verbis: *Magnus Theodosius Hierosolymam intrare cupiens, eò, habitu privati hominis, se contulit: venitque ad portam S. Anastasiæ* (rectiùs verteretur *Anastasis*, sive *Resurrectionis*) *Eam cùm pulsasset, famulus quidam aperuit. Cùm verò omnes lucernæ essent extinctæ, Imperatoris introitu universæ accensæ subito sunt, ut in solemnitate. Ianitor autem attonitus miraculo, eum ad Ioannem Pontificem adduxit; qui eum ut agnosceret,* Deum

(a) in libro de processu Ordinis sui.

assumitur ad Cathedr. Hierosol. Ecclesiæ.

(b) in Ep. ad Aurel. Ep. Carth.

Theodosius Imp. devotionis causâ clam Hierosol. venit:

prophetico spiritu eum cognoscit Ioannes.

Deum rogando est consecutus, beatumque prædicavit; qui cùm esset Imperator, tali habitu venisset adoratum sacra loca.

407. Joannis humilitas, observantia erga Apostolicam Sedem,& studium puritatis Orthodoxæ fidei, etiam eruuntur ex ipsius litteris ad Anastasium Romanum Pontificem, ipsum consulentis circa Ruffini, & Origenis dogmata, & ex ipsius Pontificis responso, in epistola ad ipsum Joannem, undè quædam adducta sunt jam ante. (a) In ea Pontifex sic ad Joannem: *Pro tanto igitur praconio, quod in merita mea effusissimè contulisti, amori tuo gratias ago.* Et infrà: *Ruffinus, de quo me consulere dignatus es, conscientia sua habet arbitrum divinam majestatem . . .* additque, Ruffinum Origenis scripta in Latinum sermonem derivando, *quamdam puris mentibus nebulam excitasse injectam, fidem Apostolorum, majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere.* Indè patet, quòd Ioannes, quantùm ad se, humiliter consulendo ipsum Pontificem; quantùm ad Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, reverenter, & magnificè scripserit. Ubi illæ Anastasii Pontificis litteræ ad Ioannem extent, dictum est jam ante. (b) Litteræ illæ ab Anastasio datæ fuêre anno 402. (aut circiter) & eodem etiam obiit. Ioannes Orthodoxæ, catholicæ fidei puritati conservandæ, & hæresum erroribus elminandis intendens, usque ad finem vitæ, adhuc paulò ante obitum unà cum aliis tredecim Episcopis Diospoli (Lidda aliter dicitur) congregatis, Pelagii hæreses damnavit, & ipsum Pelagium suas hæreses damnare coëgit; ideò illa Synodus miserabilis Pelagio fuit, sicut de ea scribit Baronius (c). *Sed Pelagio quidem ipsi miserabilis fuit, utpotè in qua suam ipsius coactus est hæresim condemnare, cujus intrinsecus erat obstinatus assertor. Cæterùm utcumque res acciderit, constat quidem in eo Concilio tunc erectum esse trophæum de hæresis Pelagianæ proprostrata victoria.* Hinc patet, quòd si Ioannes aliqnandò Pelagium dilexisse perhibeatur; nequaquàm tamen ejus faverit erroribus; cùm eos damnaverit, & Pelagium ad eos damnandos compulerit; ita quidem, ut in eo Concilio tunc per ipsum Ioannem, & Episcopos alios ibi præsentes, *erectum trophæum fuerit de prostrata hæresi Pelagiana,* sicut jam ex ipso Baronio audivimus. Inter cætera præcipua gesta ejus, celebratissima est reliquiarum S. Stephani prima translatio, & exaltatio, quam Ecclesia peculiari festo, seu officio celebrandam decrevit die 3. Augusti: Deus autem inventionem, & translationem illam reliquiarum S. Stephani temporibus illius fieri voluit paulò ante ejus obitum, & singulari istâ gratiâ, sub finem vitæ ejus, ipsum affecit, sicut ipse S. Gamaliel B. Luciano his verbis significavit: *Dic sancto Ioanni, qui est in ea* (Hierusalem) *Episcopus . . . Temporibus tui sacerdotii oportet nos revelari.* Quanto autem teneræ devotionis affectu, & quantâ cum solemnitate se habuerit in ista inventione, & translatione, videre licet in historia ejus à B. Luciano & B. Adone tradita; etenim *lacrymatus est præ gaudio.* Et infra de eodem, & sociis ejus: *Osculantes sanctas reliquias, iterum clauserunt. Et tunc cum psalmis & hymnis portaverunt reliquias beati Stephani in sanctam Ecclesiam Sion.*

Ioannis observantia erga Apost. Sedem.

(a) n. 396.

(b) n. 396.

Ioan. Hierosol. Pelagii hæresim damnat;

(c) ad an. Chr. 415.

S. Stephani reliquias transfulit,

Lacrymans præ gaudio.

408. De obitu, & sepultura ejus, ita scribit Arnoldus Bostius in Speculo historiali (a). *Tandem igitur S. Patriarcha Ioannes, post curationem duorum paralyticorum, & illuminationem unius cæci, plenus dierum & sanctitate, naturæ debitum solvens, viam universæ carnis, orans, & psallens, ingressus est anno Domini* * 432. *secundo idus Ianuarii. Corpus autem ejus in Ecclesia Hierosolymitana honore congruo sepelitur multis clarens miraculis.* Ferè eadem habet Palæonydorus hìc suprà, & paucioribus verbis Ioannes Grossi in Viridario suo (b) ubi sic: *Sanctus Ioannes &c. Iste fuit XLIV. Episcopus post Beatum Iacobum Apostolum in Ecclesia Hierosolymitana: ubi ejus corpus multis clarens miraculis, requiescit.* Quòd Bostius ait, *secundo Idus Ianuarii*, ibi *secundo* ponitur pro *pridie* (scilicet XII Ianuarii) qui dies etiam ab aliis notatur. Quantùm ad annum, legendum potiùs CCCCXVI. nam in Zosimi Romani Pontificis epistola ad Aurelium Episcopum Carthaginensem &c. de Praylio Hierosolymitano Episcopo dicitur: *in locum quondam sancti Ioannis Episcopus est ordinatus;* ergò tunc Ioannes decesserat. Eundem annum etiam verisimiliorem reputat Lezana in Annalibus Carmelitarum (c): ubi ista: *Ad magis propria sub hoc tempore Carmelitæ vocamur: ad funus nempe nostri Ioannis Hierosolymitani Antistitis, qui, juxta plurium computum, sub anno 416. spiritum Deo reddidit. Ejus porrò mortem inter Sanctorum pretiosas connumerari debere, quæ dicemus, satis, superque ostendere videntur; præmissâ tamen & reservatâ S. Sedis Apostolicæ Romanæ reverentiâ, cujus è Vaticano responsa in simili causa spectanda fore, ex capite 1. de reliq. & venerat. Sanctor. Catholici cuncti expectare debemus.*

(a) lib. 5. cap. 67.

moritur;

* verisimiliùs an. 416.

(b) in Spec. Carm. to. 1. num. 591.

(c) To. 3. ad an. 416. num. 9.

CAPUT III.

Libri de Institutione primorum Monachorum, *auctor Ioannes Hierosolymitanus Episcopus* XLIV.

409. QUòd libri præfati auctor sit iste Joannes, stabilitur in duplici fundamento; videlicet inscriptione omnium veterum exemplarium, quibus præfigitur dictus titulus, & auctoritate Scriptorum opus istud Joanni attribuentium. Quoad inscriptionem libri in vetustis exemplaribus MSS. hæc est: IOANNIS XLIV. EPISCOPI HIEROSOLYMITANI LIBER DE INSTITUTIONE PRIMORUM MONACHORUM, *in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum;* & initium est: *Principium*

Libri de institutione primorum Monachorum &c. inscriptio in MSS antiquis exempl. ostendit ejus auctorem esse Ioan. Hierosol. XLIV

cipium Religionis hujus, & quemadmodùm, ac undè ipsa primò processit, rectè petis, dilecte Caprasi. Ita in manuscriptis exemplaribus antiquis Carmeli Gandensis, Bruxellensis, Mechliniensis, nec non in exemplaribus Venetiis impressis anno MDVII. ac ceteris.

idem tradunt Scriptores domestici & exteri:

S. Cyrillus Carmeli montis Eremita, deinde Prior Generalis in *libro*, seu *epistola ad Eusebium de processu, & variis Regulis Ordinis Carmelitani*, ista tradit: *Fuit autem tempore Arcadii & Honorii Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos, ejusdem montis Monachos, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem inquirendam.* Et paulò infra: *In Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ XLIV. successit.* Et post pauca: *Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officii non posset ulteriùs jugem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit. Scripsit enim eidem Caprasio Librum de Institutione nostræ Religionis, eloquio, & litteris Græcis (quibus tunc Terra sanctæ Ecclesia maximè utebatur) in quo Libro primariam nostræ Religionis institutionem, & Fundatorum ejusdem dignitatem, atque priscorum Professorum gesta sancta, & gloriosas virtutes, exterioremque habitûs ornatum, prædictus Ioannes propterea brevi & lucido eloquio ordinatè descripsit; ut successores dictorum Patrum in illo libro, tamquam in nitido speculo, institutionem suam intuentes, eam observare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum, ex totis præcordiis imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis eremitis montis Carmeli legendum, & observandum tradidit, tempore Honorii Imperatoris anno Domini* 412.

410. Eadem referunt Scriptores alii domestici, & exteri: Philippus Riboti *in insigni, egregio opere* (ita nuncupant Trithemius, Arnoldus Bostius, & alii) decem librorum *De origine, & profectu, & peculiaribus gestis Ordinis Carmelitani*, quod primum locum obtinet in tomo primo Speculi Carmelitani, in prologo scribit: *Ioannes, qui fuit Eremita montis Carmeli, & posteà Episcopus Hierosolymitanus, cum summâ diligentiâ scripsit primariam hujus Religionis institutionem, & exemplaria gesta fundatorum, ac priscorum professorum Religionis nostræ.* Et paulò infra, initio capitis primi: *Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, in libro de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum in Carmelo.* Idem consequenter frequentissimè repetit, sicut videre licet *in Speculo Carmelitano tomo* 1. (a) Arnoldus Bostius omninò similia scribit in *Speculo historiali libro* 5. *cap.* 67. & seq. undè quædam inserta sunt *Speculo Carmelitano tomo primo.* (b) Contractiùs illa habet in *Breviloquio tripartito* (quod typis excusum extat in *Vinea Carmeli*) ubi *part.* 1. *c.* 1 hæc habet de illo libro: *Fuit de Religione prædicta miræ sanctitatis nomine Ioannes, superiùs sæpiùs nominatus:* & paulò infrà: *Hic videns, quòd propter ministerium suscepti officii, suis cum sodalibus Religiosis manere non posset, Fratrem Caprasium eis Patrem constituens, librum illis scripsit (superiùs allegatum) anno Domini quadringentesimo duodecimo, tempore Innocentii Papæ primi: in quo Libro primariam suæ Religionis institutionem, & Fundatoris dignitatem, & gesta sancta comprehendit.* Ista eadem adstruunt alii Historici Ordinis, sicut videre licet in eodem *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, locis hìc ad marginem notatis, videlicet Thomas Bradley Episcopus Dromorensis in Hibernia *in Chronico* (a) Ioannes de Vineta, etiam *in Chronico* (b) Petrus Brunus *in Tabulari* (c) Ioannes Palæonydorus, *in Fasciculo tripartito* (d). Balduinus Leersius *in Collectaneo exemplorum* (e).

(a) nu. 46. & 49. &c.
(b) n. 1172.

(a) n. 761. & seq.
(b) n. 876.
(c) n. 891.
(d) n. 935.
(e) n. 1488.

atque alii illustres Scriptores domestici,

411. Ex aliis scriptoribus Ordinis, tres selegisse sat erit: Thomas Waldensis *in Doctrinali antiquitatum Ecclesiæ & fidei* (f) scribit: *A Ioanne, Patriarcha Hierosolymitano, primò Carmelita, Regulam vivendi, Græcè scriptam, accepit, quam pleniore, post, sub Alberto itidem Patriarcha, formâ, digestam inspexit.* Quo tempore Ioannes ille *primò* (seu, ut alia lectio habet, *priùs*) Carmelita, ad Hierosolymitanam cathedram fuerit assumptus, consequenter refert: *Hic Ioannes, quantùm reor, XLIV. à S. Iacobo, tempore quô Siricius post Damasum, Romæ rexit, Hierosolymis ipse sedit, & refecit Ecclesias.* (Ioannes ad Præsulatum assumptus fuit sub Siricio Papa, sicut capite præcedenti vidimus) de isto Ioannis libro (seu Regula) addit Waldensis: *scriptum fuisse ad Caprasium, Monachum montis Carmeli. Quod hactenùs translatum in Latinum habetur volumen.* Ioannes Soreth in Commentario super Regulam Ordinis, sub initium: *Pater Religiosorum in monte Carmeli ... Ioannes ... de quo libro undecimo historiæ Ecclesiasticæ cap.* 21. *Hierosolymis post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparavit sedes: Hic cernens, quod propter occupationem suscepti officii non poterat integrè in monte Carmeli moram trahere; scripsit Caprasio librum de institutione hujus Religionis primariâ, & fundatorum ejus dignitatem, ac priscorum professorum gesta, exterioremque habitûs ornatum, brevi & lucido eloquio ordinatè exaravit.* Baptista Mantuanus *in Apologia* (g) *Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit; ipse antiquorum Carmelitarum vitas scripsit, incipiens ab Elia usque ad sua tempora: & extat ad hunc usque diem liber ille, quem ego vidi, tenui, ac legi.* Aliorum veterum domesticorum testimonia de libro illo à Ioanne Hierosolymitano Episcopo XLIV. scripto, videri poterunt apud præfatum P. Wastelium, *lib.* 1 *Vindiciarum*, cujus iste titulus est: *Vindiciarum operum, & auctoritatis Ioannis Nepotis Sylvani, Hierosolymitani Episcopi XLIV. Liber primus: quo opusculi ipsius de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum, inscriptio,*

(f) tom. 3. tit. 9. c. 89.

(g) vid. in Spec. Car. to. 1. num. 860.

tamquam

tamquàm ipsa verè germana, statuitur, & defenditur: ubi sub initium *sect. 1. art. 1.* istam statuit assertionem: *Sit igitur ad Dei gloriam majorem, opusculi hujus nostri propositio: Liber de institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum; sive Regula ipsa vetus montis Carmeli Eremitarum; Ioannis illius est, qui ordine quadragesimus quartus censetur inter Hierosolymitanos Episcopos, sive honorarios Patriarchas, successor B. Cyrilli, antecessor autem Praylii.* Assertionem illam consequenter confirmat luculentissimis auctoritatibus, & rationibus, per plures Articulos. Inter externos disertè adstruentes librum illum *de Institutione primorum Monachorum* scriptum à præfato Ioanne Hierosolymitano Episcopo 44. adducit testimonia Ioannis Molani *in Bibliotheca sua Theologica* (quæ manuscripta Antuerpiæ asservatur in Bibliotheca publica) & aliorum multorum, quæ ibi videri poterunt; nè hic prolixiores simus, duos, aut tres audivisse sat erit.

412. Iacobus Salianus, in Ecclesiastica historia veteris Testamenti præcipuè versatus, librum illum accuratè legit, ac expendit, & in eo contenta fidenter, ac constanter vera, & rata habens suis inserit *Annalibus veteris Testamenti*. Is autem de libro illo ita censet (a) *Quoniam verò hoc primùm loco se offert magnus Elias, vir Propheta, potens opere & sermone, atque inter hujus avi Prophetas longè clarissimus, libet, nonnulla de eo huic inserere narrationi, quæ circa annum Domini quadringentesimum Arcadio & Honorio Imperatoribus, tradidit Ioannes Hierosolymitanus Antistes, ordine quadragesimus quartus, ut est in ejus Opusculo, quod in Bibliotheca veterum Patrum relatum est, qui vel antiquorum Scriptorum monumentis, vel Hebræorum traditionibus Ierosolymis edoctus, ea scire potuit, quæ in illum librum mandavit, cui titulum indidit*: De institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, et in nova perseverantium. Aubertus Miræus in libro *de origine & incrementis Ordinis Carmelitani*, sub initium: *Creverat mirum in modum nova Virginis proles, quàm scriptis jam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha quadragesimus quartus (quem Molanus inter Sanctos refert) Regulam è Scriptura sacra consiliis, & veterum Patrum, qui ab Elia tempore Carmelum incoluère, documentis contextam, ei præscripsit.* Ferdinandus Quirinus de Salazar *in Appendice ad Commentarium in Proverbia*, seu in insigni, & erudito Tractatu pro Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ, *Seculo quarto, argumento 12. cap. 42.* de illo scribit: *Floruit etiam hoc seculo Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Marianæ immunitatis adstipulator in libro, de institutione Monachorum.* Deindè refert, quosdam existimare, istum librum scriptum non fuisse à Ioanne præfato: ipse verò suam sic subjicit sententiam: *Vidi certè, atque evolvi non pauca antiquitatis monumenta, ut in hac controversia aliquid certò definirem. Nihil tamen comperi, quod non suaderet, præmissum Ioannem Carmelitanum fuisse, & dictum de Institutione Monachorum librum ab ipso conscriptum.* Aliorum plurimorum idem adstruentium catalogum ptolixum habet P. Lezana *cap. 9. Apparatus, ad Tomum 1. Annalium*, ubi, inter alia, ista: *Ex eis tandem, qui eumdem librum eidem Ioanni adscribunt, vel eum ipsius nomine referunt variis in locis, seu scriptis, nunc casu, nunc seriò, quamvis plures sint, quàm à nobis numerari queant, aliquos tamen notabimus, & de exteris quidem (domesticos enim nostros omnes numerare, fastidium proculdubio generaret.) Hi sunt*, &c.

(a) to. 4. ad an. mundi 3123. n. 6.

Aubertus Miræus.

Ferdinandus Quirinus de Salazar.

& alii plurimi.

413. De libri istius *de institutione primorum Monachorum* auctoritate hactenùs audivimus Scriptores orthodoxos. Testimonium etiam efficax haberi solet, quod petitur ab ipsis inimicis: hostes monasticès, & antiquitatis ejus hæretici sunt. Ipsi interim veritate perspicuà convicti, librum illum, in quo ipsa monasticès antiquitas, & institutio in veteri Lege perspicuè traditur, indubitanter admittunt eum à Joanne XLIV. Hierosolymorum Episcopo scriptum fuisse, & (quod in sequentibus peculiariùs confirmabitur) in Carmeli Ordine per multa sæcula loco Regulæ habitum, ac tandem ab Aymerico Patriarcha Antiocheno è Græco in Latinum traductum. Ita quidem hæreticus auctor Catalogi magnæ Britanniæ, Centuria 14. editionis Basiliensis in folio, agens de *Palladio primo Scotorum Apostolo, & de Ioanne XLIV Hierosolymorum Episcopo*, ubi de illo Joanne ista: *Ejus, inquam, Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma, Hieronymi atque Epiphanii in se concitavit scripta: quibus tamen ipse sui studii rationem reddens, respondit, se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum: ediditque librum contra sui studii obtrectatores; & De Institutione primorum Monachorum librum, allegoriis plenum, quem è Græco translatum vidi.* Centurià autem 2. tractans de Aymerico Patriarcha Antiocheno, ejus occasione, hæc de præfato Joanne, & ejus libro scribit: *Præfati Ioannis librum, quem Græcè scriptum illucusque servaverant, in Latinum sermonem transtulit: ut deinceps esset ex Hebrais, Latinis, & Græcis, Latina Religio.* Eadem ferè scribuntur in Bibliotheca Gesneri, verbo: *Ioannes Hierosolymitanus.*

Libri ejusdem auctoritatem asserunt etiam hæretici, contra se testimonium adducentes.

414. Pro indubitata fide antiquitatis libri istius, speciali dignum est notâ: Quòd liber iste olim varias nomenclaturas, seu titulos habuerit: apud plures inscriptus legitur: *Institutio antiqua Religionis Carmeli, seu Institutio antiquissima*: ita eam indigitant S. Cyrillus in libro, *de processu, & variis Regulis*: & Sibertus de Beke (qui claruit circa annum Christi 1318. Provincialis Alemaniæ) in libro *super Regulam Ordinis.* Ita quoque Philippus Riboti. Ioannes autem Bacho in libro *de institutione Ordinis hujus* eum appellat: *Historiam de antiquitate Ordinis.* Thomas Bradley Episcopus Dromorensis, & passim alii, vocant *librum de Institutione*

Libri istius olim variæ intitulatio

Idem tradunt successivè alii historici Ordinis, sicut jam ante audivimus.

416. Librum illum etiam antecedere annum Christi 640. atque etiam 514. & non esse scriptum à Joanne Patriarcha Hierosolymitano sub Hormisda Papa, ulteriùs declaratur in *Vinea Carmeli, parte* 8. *cap.* 14. & à P. Lezana *in Apparatu ad Tomum* 1. *Annalium cap.* 9. ubi tandem concludit: *Maneat ergo, ut veritas inconcussa, libri istius auctorem Ioannem Hierosolymitanum, prout probatum manet, extitisse*: quod toto isto capite firmissimis auctoritatibus, & demonstrationibus stabilitum videri poterit. Ibidem quorumdam scrupulos removet: & alibi (a). (a in Annal. to. 1. ad an. 412. n. 6.)

CAPUT IV.

Liber de institutione primorum Monachorum *per octo secula in Carmeli Ordine habitus, & servatus loco Regulæ: ex eodem Regula moderna desumpta: indè etiam evidens est signaculum antiquitatis ejus.*

417. ANtiquitas, pietas, & perfectio libri Joannis XLIV. *de institutione primorum Monachorum* indè etiam evidenter demonstratur, quòd per octo secula in Carmeli Ordine habitus, & servatus fuerit loco Regulæ. & quòd Regula moderna Carmelitana ex illo desumpta sit, plerumque etiam quoad ipsas sententias, quæ in Regula nulla alia reperiuntur: & quidem quòd liber ille per octo ferè secula habitus & servatus fuerit in Ordine, loco Regulæ, testatur præfatus S. Cyrillus (b): *Professores* ait *nostræ Religionis satagerunt ad perfectionem, & finem vitæ solitariæ tendere, secundùm formam institutionis Prophetæ Eliæ, per dictum Ioannem in præfato libro descriptæ: in cujus disciplina usque ad tempora Heraclii Imperatoris. per annos circiter ducentos quinque, ad exemplum Fundatorum, & pristorum Patrum dictæ Religionis pacificè in Terra sancta conversati fuerunt*: videlicet ab anno Christi 412. usque ad sexcentesimum decimum septimum, quo Cosdroës Terram sanctam invasit, ac devastavit: & post annos viginti duos (Christi DCXXXIX.) Humar totam Terram sanctam obtinuit, & post eum successores ejus Saraceni per annos quadringentos sexaginta possederunt: intereà Ordinis hujus Religiosi, *permanserunt sub disciplina monastica vitæ eremiticæ, per Eliam Prophetam instituta, & in prædicto Ioannis libro descripta .... multis tribulationibus, & injuriis à paganis per annos circiter quadringentos sexaginta afflicti*: videlicet ab anno 639. usq; ad 1099. quandò de Hierosolyma, & consequenter de tota Terra S. triumphavit Godefridus Bullonius, & exercitus Christianus. Exindè Regula eadem (seu liber ille Joannis pro Regula) observata fuit usque ad annum 1141. circa quem per Aymericum Patriarcham Antiochenum illa ex Græco in Latinum traducta fuit: in cujus observantia continuarunt usque post annum 1205. quo (seu aliquot annis post) Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, perspectâ Regulâ illâ antiquâ, seu, ut S. Cyrillus præfatus tunc in Carmelo vivens, in dicto libro testatur: *Lectâ institutione* (seu Regula) *antiquâ in prædicto Ioannis libro descriptâ ... certam vitæ formulam Latino eloquio scripsit*: Regulam videlicet, quæ usque in præsens (in nonnullis punctis per Summos Pontifices attemperata exercitiis Ordinum Mendicantium) servatur.

Liber de Inst. prim. Monach. loco Regulæ fuit.

(a) lib. de processu, & Reg. Ord.

per annos circiter ducentos:

indè digesta est Regula moderna:

418. Quòd Regula moderna ex præfato libro sit à S. Alberto extracta, & magis determinata, concors est traditio Historicorũ, & aliorum illustrium Scriptorum Ordinis hujus, quos inter singulariter venerandus Philippus Riboti, S. Paginæ Magister, Provincialis Cathaloniæ, qui an. Chr. MCCC. LXX. præstantiora Ordinis monumenta in unum volumen digessit, & illustravit. Is *lib.* 8. *cap.* 8. accuratissimam facit collationem Regulæ à S. Alberto traditæ cum illo libro Ioannis, ad oculum demonstrando, quòd, & undè quælibet puncta Regulæ S. Alberti desumpta sint ex isto libro Ioannis. Sic, ut *quæ in libro Ioannis in generali suadendo scribuntur, Albertus in speciali statuat, & determinet*. Et hoc est, quod Thomas Waldensis adductus hìc suprà (a) tradit: *à Ioanne Patriarcha Hierosol. primò Carmelita, regulam vivendi Græce scriptam accepit, quam pleniore post sub Alberto itidem Patriarcha formâ digestam inspexit*. Arnoldus Bostius, *in Speculo historiali libro* 6. per capita undecim (*à capite* 13. *usque ad* 23) præ cæteris historicis Ordinis luculentiùs tractavit de Regula Ordinis: & quidem capitis 15. is est titulus: *Qualiter nulla, aut pauca Albertus in prædicta Regula inseruerit, quam Ioannes quadragesimus quartus Episcopus priùs in institutione hujus Religionis non scripsit: sed quæ Ioannes in generali suadendo scripserat, Albertus in Regula in speciali determinavit*: ubi ista: *Quòd Ioannes in dicto libro suadendo in generali dixerat, Albertus amputando scrupulum dubitationis in Regula statuendo in speciali determinat*. Consequenter id prolixè demonstrat. Quòd liber ille Ioannis in Ordine habitus, & servatus fuerit loco Regulæ, scribunt quoque Aubertus Miræus, Hieronymus Platus, Iacobus Salianus, & alii plures, adducti à P. Lezana in Annalibus. (b) Assertio itaque ista: *Regula S. Alberti quoad substantiam eadem est, & veluti compendium Regulæ contentæ in libro Ioannis Hierosolymitani: sic quòd ea, quæ in isto libro in generali suadebantur, in Regula Alberti magis in speciali determinentur, & præcipiantur*: stabilitur in duplici fundamento, videlicet auctoritate Scriptorum (quibus res illa nota esse potuit, & debuit) sicut jam vidimus: atque etiam in perspicua ad oculum demonstratione, factâ utriusque collatione.

(a) n. 412.

(b) tomo 1 Annal. in Appar. c. 9. n. 6. & seq.

& patet ex utriusque collatione:

419. Quòd

convenientia etiam est quandoque quoad ipsas sententias.

419. Quòd S. Albertus *Institutionem antiquam* (id est, monasticam eremiticam vivendi normam in libro Joannis descriptam) in quo articuli varii *non erant determinati*, sed dumtaxat in generali commendati, non tantùm legerit; sed Regulam, quam scripsit, indè quoad substantiam sumpserit, suadet omninò ratio; ne videlicet Albertus alia & nova tradere, & præcipere videretur; sed potiùs, quæ anteà quidem in usu, & observantia erant, juxtà anteriorem Regulam, hortatoriam magis, quàm præceptivam, ipse determinavit, & quæ antea erant monita, fecit præcepta. Certè si quis accuratè librum Joannis (seu, *Institutionem antiquam* in eo contentam) & *Regulam S. Alberti* accuratè conferat, reperiet convenientiam, non tantùm quoad substantiam, sed etiam in variis quoad ipsa verba, & sententias. En specimina aliquot.

Deo serviendum corde puro, & bonâ conscientiâ.

Liber Ioannis cap. 7. *Conscientiam bonam ad eum habeas: ex fide non ficta, sed vera mihi deservias; totum hoc ad hunc finem tibi suadeo, ut de corde puro, & conscientia bona,*

Regula S. Alberti, in Prologo: *In obsequio Iesu Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deservire.*

In cellis sigillatim meditandum & contemplandum.

(a) cap. 21. Liber Ioannis (a) agens de Carmelo, & Religiosis ibi habitantibus: *Religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis & speluncis, ac cavernis, atque cellis incessanter duxerunt, juxta fontem Eliæ &c. sigillatim habitantes soli in cellis montis Carmeli.*

Regula S. Alberti, (a) *juxta fontem in monte Carmeli:* & posteà: *Singuli vestrûm singulas habeant cellulas separatas:* & paulò infrà: *Maneant singuli in cellulis suis die ac nocte in lege Domini meditantes.* (a) in Prologo.

Arma spiritualia sumenda contra dæmonem & vitia.

(b) cap. 48. Liber Ioannis (b) *Monachum nunquam debere inermem incedere, inter tot latrantium concupiscentiarum, & vitiorum canes: inter tot invisibiles spiritualium nequitiarum bestias,* (dæmones scilicet)

Regula S. Alberti, (b) *Quia verò tentatio est vita hominis super terram: adversarius quoque vester diabolus &c. omni solicitudine studeatis indui armaturâ Dei.* (b) cap. de armis spirit.

Accingendi lumbi cingulo castitatis.

(c) cap. 44. Liber Ioannis (c) *Lumborum accinctio significat, Monachum debere mortificationem membrorum illorum circumferre, in quibus luxuriæ seminaria continentur.*

Regula S. Alberti (c) consequenter hæc arma (ex libro Ioannis desumpta) profert: ac imprimis: *accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis.* (c) cap. de armis spir.

Fide potissimum muniendus Monachus.

(d) cap. 48. Liber Ioannis (d) *Debet Monachus fide munitus, resistendo, eas* (tentationes) *longiùs propulsare.*

Regula S. Alberti: (d) *Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere.* (d) eod. c. de armis spirit.

Spes in Deo solo ponenda.

(e) cap. 6. Liber Ioannis (e) *Ne in te, vel in alio homine spem ponas, sed in Domino.*

Regula S. Alberti (e) *De solo Salvatore speretis salutem.* (e) de arm. spirit.

Deus, & proximus quomodò diligendi.

(f) cap. 6. Liber Ioannis (f) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua;* & paulò infrà: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Regula S. Alberti (f) *Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tamquam vos metipsos.* (f) eod. cap.

Silentii commendatio præcipua.

(g) cap. 21. Liber Ioannis (g) Silentium his verbis commendat: *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium:* & infrà: *Teste Sapiente, in multiloquio non deerit peccatum . . . proptereà dixit Propheta: & cultus justitiæ silentium.*

Regula S. Alberti (g) illud maximè inculcat iisdem ferè verbis: *Quemadmodum Propheta testatur: cultus justitiæ silentium est:* & infrà: *Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet: in multiloquio non deerit peccatum:* & infrà: *Silentium, in quo cultus justitiæ est* &c. (g) cap. de Silentio.

In Superioribus cogitandus Christus.

(h) cap. 47. Liber Ioannis *h* sic commendat humilem obedientiam ergà Superiores: *Quoniam* (inquit) *si eis non obedieritis, Christum, qui eos posuit super capita vestra, spernetis. Ipse enim Præpositis ait: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Regula S. Alberti (h) *Vos quoque cæteri fratres, Priorem vestrum humiliter honorate, Christum potiùs cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra: & Ecclesiarum Præpositis ait: qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* (h) in Epilogo.

CAP. V.

CAPVT V.

Scrupuli aliqui, circa personam Ioannis objecti, removentur.

Sancti aliqui falsò traducti in suspicionem hæresis.

(a) vid. in ejus vita in Speculo Carm. to. 2. n. 565. 566. & seq.

420. QUod contigit S. Cyrillo Alexandrino, & Memnoni Ephesino, Episcopis, ut ab adversariis Nestorianis, seu Nestorii fautoribus vocarentur hæretici, & ut tales falsò judicarentur, ac in carcerem traderentur (a) itidem S. Chrysostomo in suspicionem adducto conniventiæ cum Origenistis, ut propterea Hieronymus Chrysostomum (sub Barnabæ voce) monuerit acriter *in epistola ad Principiam:* qua de re plura videre licebit *in Annalibus Baronii ad annum Christi* 402. ubi ipsius Chrysostomi innocentia declaratur. Et sicut etiam olim dissidia intercesserunt inter S. Epiphanium, & S. Chrysostomum, de quibus etiam Baronius *ad an. Christi* 402. ubi ista: *Hoc insuper anno concertationes haud leves inter S. Ioannem Chrysostomum, atque S. Epiphanium Episcopum Constantiæ Cypri, Constantinopoli intercesserunt.* Et quidem in tantùm, ut Epiphanius cum Chrysostomo communicationem habere nollet. Similiter inter Theotymum Scythiæ Episcopum, sanctitate celebrem, & ipsum S. Epiphanium, disceptationes tunc ibi erant, sicut ibidem refert Baronius: nec non inter ipsum S. Chrysostomum, & Theophilum, ac S. Cyrillum successivè Alexandrinos Episcopos, qui nomen S. Chrysostomi diptychis, seu tabulis sacris abolitum voluerunt, donec meliùs informati, in sacro Albo illud reposuerunt. Ita quoque inter S. Hieronymum, & S. Augustinum, de quibus etiam Baronius *ad annum* 394. sub his titulis: *Hieronymi querela de Augustino:* ubi ista: *Novis censuris ab Augustino pulsatur Hieronymus. Hieronymus redarguit Augustinum. Charitas inter Hieronymum, & Augustinum illibata servata.* Ejuscemodi exemplum etiam habemus *in Actis Apostolorum cap.* 15. in SS. Apostolis Paulo, & Barnaba: *Ad Galatas* 2. in Petro & Paulo.

Patres sancti subindè dissidia habuerunt, illibatâ charitate:

ita inter SS. Epiphan. & Hieronymū ex una, ac Ioan. Hier. ex altera:

421. Sic etiam inter ipsum S. Epiphanium & S. Hieronymum ex una parte, & Joannem hunc Hierosolymitanum ex altera, dissentiones fuerunt non leves. Cur autem seculo quarto, & quinto, quibus vivebant omnes jam præfati Patres, inter varios orthodoxos, etiam Sanctos, controversiæ aliquæ fuerint, sic declarat Wastelius (b): *Difficultates,* inquit, *ortæ sunt inter ipsos Domini Sacerdotes, & Monachos, in odium videlicet hæresis, omniumque in doctrina novitatum: quo in genere multùm valebat, vel sola de novitate suspicio, narratio quoque aliqua parte probabilis. Fuit autem illud pugna Ecclesiæ Dei utile, ut non citò nova hæreses in Orientali Ecclesia exurgerent. Quatenùs quoque viri sancti erant, mutuam non destruebant charitatem, sed eam in Domino ædificabant, tametsi in medio error aliquis fortè erat, Deo hoc permittente, ob commune conservationis fidei bonum. Et ferè* SANCTORUM *illud* BELLUM *fuit, ad defendendam Ecclesiam, nè in ipsam irreperent periculosissima Origenis dogmata, sub specie perfectionis spiritualis, maximè autem propter viri apud omnes Christianos summam auctoritatem.* Præterea animadvertendum, quòd circa annum Christi quadringentesimum, quando variarum hæresum pestis grassabatur, nonnulli ex Patribus, ob communicationem aliquam cum aliquo erroribus infecto, suspicionem de hæresi incurrerint: quin imò ex eo quòd quispiam laudaretur ab aliquo suspecto de hæresi, suspectus ipse redderetur. Id ex Cardinale Baronio, atque aliis, variis exemplis in SS. Basilio, Gregorio Nazianzeno, & aliis præfatis confirmat Michaël Muñoz in *Propugnaculo Eliæ* (a) Ioannis nostri Hierosolymitani innocentiam propugnans.

(b) lib. 3. Vindiciarū sect. 2. art. 1

ex dissidiis olim utilitas Ecclesiæ proveniens.

(a) lib. 2. tit. 2. c. 4. art. 4.

de Ioannis Hierosol. orthodoxa fide, & sancta vita testes viri præstantissimi.

422. Sed Ioannis hujus orthodoxam fidem, & sanctam vitam nonnè satis, imò plenissimè testificatam reddunt suprà *cap.* 2. allatæ auctoritates S. Anastasii Papæ, S. Zosimi Papæ, & aliorum? Alioqui ipse Romanus Pontifex: Quomodò [*splendorem sanctitatis*] in eo veneraretur? Quas [*in Domino habebat virtutes*] coleret? Sanè speciosissimum illud Ioannis præconium: [*Tui Episcopatus ordo perspicuus per universum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem,*] subindicare videtur, tantam ipsius claritatem fuisse, ut eam offuscare non potuerint intentatæ illi olim calumniæ. *Credendum igitur Divos Epiphanium, & Hieronymum, qui in ea sententia videbantur esse, de Origenismo Ioanni appingendo, eam postea retractasse, quia vel ex falso rumore, vel ex simulatione aliquorum, ortam fuisse, autumarent.* Ita Lezana *Tomo 2. Annalium* (b). Æquè convincit auctoritas S. Augustini, asseveranter contestantis, se cum *Anastasio, Romana Ecclesia Pontifice, & ipso Ioanne, Hierosolymitanam cathedram tunc tenente;* IN CATHOLICA UNITATE CONNECTI. Verba ita sunt clara, ut superfluum sit, illustrando, aut premendo, quidpiam illis superaddi. Istam fidei Catholicæ in Ioanne sinceritatem confirmat consensus quasi universalis, semper continuatus usque in præsens, illustrium Scriptorum, ipsum *Sanctum, Beatum, Divinum, admirabilem, insignem,* nuncupantium, sicuti *capite* 2. audivimus. Hic congruunt ea quæ idem Lezana scribit, *Tomo 3. Annalium* (c) ubi ex doctrina Cardinalis Baronii sic concludit: *Etenim, etsi olim sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solùm (ut hodie) illis tribueretur Christianis, qui vitâ functi, in cælo regnant cum Christo, sed & quibuscumque laudabilioris vitæ fidelibus: datum tamen aliquando homini hæretico nemo dicere jure poterit.* Ita Baronius (c). *Ex quo tale, pro Ioanne nostro vindicando, conficere possumus argumentum, ni fallimur (ut logici aiunt) ad hominem, & efficacissi-*

(b) ad an. Chr. 402. num. 5.

consensus generalis de Ioan. Hier. sincera fide:

(c) ad an. Chr. 416. num. 15.

argumentū efficacissi.

(d) in proœ. capitulat. ad Martyrol. Rom. cap. 7.

cacissimum, inquit Lezana, ita concludens: *Titulus sancti, vel sanctitatis numquam homini haeretico datus fuit (quae est major Baronii) Titulus Sancti, seu sanctitatis datus est Ioanni Hierosolymitano, tùm viventi, tùm vitâ functo, ab Anastasio Papa, Zosimo Papa, S. Augustino, S. Paulino, Luciano Presbytero, Idacio Episcopo Lemicensi, qui omnes ipsum cognoverunt, imò à S. Gamaliele in caelis cum Christo regnante, (omittimus Martyrologia, Catalogos Sanctorum, & Officia Ecclesiastica, ac innumeros posteriores) ut constat ex adductis. Ergo &c. Vincat ergo veritas à nobis pro posse vindicata, dum aliud, ut diximus, S. Sedes Romana non decreverit sentiendum.*

in Ioan. Hierosolym. cur invecti S. Epiphan. & S. Hier,

423. S. Epiphanio, & S. Hieronymo motivum praecipuum invectivarum in Joannem Hierosolymitanum fuit suspicio de Origenismo: sed ab ea se ipse expurgavit peculiari libro, de quo ista Gennadius, & ex illo Trithemius *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & alii: *Ipse autem Ioannes studii sui rationem reddens, respondit: se non fidem Origenis imitatum, sed ingenium. Scripsit enim ob hanc causam vel maximè opus notatu dignum contra obtrectatores sui studii.* Cur autem Joanni non licuerit imitari, non fidem, sed ingenium Origenis; cùm id fecerint viri alii sanctitate, & eruditione spectatissimi? ut mox audiemus. Caeterùm, *De Origene semper fuit varia Doctorum opinio: quibusdam haereticum asserentibus, aliis ipsi fraudem affirmantibus impositam.* Ita Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Constat quidem ejus scripta magnis quibusdam respersa fuisse erroribus: sed ab aliis inserta fuisse, non pauci arbitrantur. Imò seculo quarto quasi totus mundus Origenis scripta admirabatur, & venerabatur, teste Vincentio Lirinensi, libro *de prophanis haereseos novitatibus*, ubi ista, inter alia. *In Origene plura adeò mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis adsertionibus ejus fidem, quivis ille facilè judicaret. Nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio; quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quae est illustrata martyrio. . . . Tanta ejus vis ingenii tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè multùm longèque superârit.* Certè libro suo *de Viris illustribus* testatur Hieronymus, S. Pamphilum *tanto operum Origenis flagrasse desiderio, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit*: è quibus nactum se Hieronymus gloriatur in duodecim prophetas viginti quinque Quaestionum volumina: quae tanto se amplecti, ac servare gaudio scribit, ut Croesi opes habere se credat. *Si enim laetitia est* (addit) *unam Epistolam habere martyris; quantò magis tot millia versuum, quae mihi videntur sui sanguinis signasse vestigia?* Ita S. Hieronymus de Origene. Tanto enim in pretio erant Origenis opera, ut ea non solùm omnes penè illorum temporum Graeci, sed & Latini Graecè intelligentes, sancti scilicet Hilarius (aut si mavis Heliodorus interpres ipsius) Eusebius Vercellensis, Victorinus Pictavionensis martyr, Ambrosius, & ipse Hieronymus, qui horum omnium testis est, exscribere, vertere, deflorare, & in proprios labores transferre satagerent.

Origenis scripta respersa erroribus:

ea nondum corrupta quanto olim in pretio habita.

etiam apud S. Hieronymum,

& alios Patres,

424. Haec, & alia, ex ipso S. Hieronymo, & aliis, de Origene videri poterunt apud Petrum Wastelium *libro 3. Vindiciarum sect. 3. art. 1.* Ibi consequenter, & variis locis, luculenter tractat de Origene, & scriptis ejus (videatur in fine Index, verbo *Origenes*) Ibidem & in antecedentibus, ac consequentibus toto illo *libro 3.* plenissimè Joannem vindicat à suspicione Origenismi, & *sect. 6.* (quae est ultima) refutat nonnullos imputantes eidem Episcopo, favorem erga haereticos Pelagianos. Sedècontrà ipsius zelus contra Pelagium & ejus errores, satis manifestus est ex dictis *cap. 2.* ubi vidimus, ipsum cum tredecim aliis Episcopis in Synodo Diospolitana condemnasse errores Pelagii, & ipsum Pelagium coëgisse, illos condemnare. *Quod verò ad Pelagium spectat, tantum abest, ut Pelagianismo unquàm faverit Ioannes, ut potiùs contrà illum Concilio Palaestino interfuerit, in quo Pelagius à Patribus propterea est absolutus, quòd Catholicum adhuc simulans, haeresim tunc anathemate damnavit, teste S. Prospero, libro contra collatorem cap. 16. & lib. Pariaxariston contra Pelagianos. Neque mirum, quòd sancti illi Palaestini Patres à veteratore decepti sint, cùm eâdem vafritie circumventus sit Sozimus Pontifex, ut constat ex ejus epistola ad Aurelium, & Episcopos Africae, cujus initium est: Postquàm à nobis Caelestinus. Ergò cùm eo tempore Pelagius Catholicus haberetur, mirandum non est, quòd veluti Catholico Ioannes nonnihil faverit.* Ita Ildephonsus de Flores *in Commentario ad cap. 24. Ecclesiastici* (a): ubi etiam alia habet pro defensione ipsius Joannis, nec non libri ejusdem, *de institutione primorum Monachorum.* De utroque copiosiùs tractant saepè nominati Wastelius *tribus libris Vindiciarum* & Lezana *to. 2. & 3. Annal.* variis locis: (videndi Indices verbo *Ioan. Hierosol.*) ad quos (ne prolixiores hìc simus, & actum agamus) lectorem plura desiderantem remittimus.

de Ioannis Hierosol. innocentia qui potissimè scripserint,

(a) sect. 36. num. 1689.

CAPUT VI.

Scrupuli nonnulli circa praefatum librum, eximuntur.

SCrupulos etiam quorumdam circa praefatum librum *De Institutione primorum Monachorum*, ex levibus ortos fundamentis, imò ex suppositis falsis, eximere convenit: ne deinceps alii illis offendantur.

425. Scrupulus primus est: Quòd liber ille non videatur Graecè scriptus fuisse. Sed ècontrà, Graecè scriptum fuisse, probatur tum ex ipso textu, sicut sigillatim demonstrant PP. Wastelius (b) & Lezana (c) tum ex auctoritate Scriptorum: etenim ista concors est omnium historicorum domesticorum

(b) Vindic. l. 1. sect. 1. art. 5.

(c) Annal. to. 1. in Appar. c. 9.

&

Liber de instit. prim. Monach. Græcè scriptus.

& illustrium Scriptorum traditio. Quoad domesticos, irrefragabile est testimonium S. Cyrilli sæpè prænominati, his verbis: *Scripsit (Joannes) eidem Caprasio librum de institutione nostræ Religionis, eloquio, & literis Græcis*: & capite sequenti agens de Aymerico Patriarcha Antiocheno, refert ea, quæ suo tempore, aut paulò ante acciderunt, videlicèt, quòd, & cur illum curaverit in Latinum traduci: *Intelligens autem quosdam eorum, qui ab Occidente supervenerant, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ eremiticæ, in prædicto Ioannis libro descriptæ: & perpendens, hoc ideò maximè contingere, quia Græcas literas ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Eadem omninò tradunt Joannes de Vineta, circa annum Domini 1360. *in Chronico*. Philippus Riboti anno 1370. *in Volumine decem librorum*, &c. Arnoldus Bostius *in Speculo historiali*: & alii Ordinis historici: quibus concinit Thomas Waldensis, verbis *cap. præcedenti* relatis: *A Ioanne . . . Regulam vivendi Græcè scriptam accepit* (Ordo scilicet Carmeli) *quod hactenùs translatum in Latinum habetur volumen.* (a) Præfatorum Philippi Riboti, & Joannis de Vineta libri impressi sunt *in Speculo Carmelitano, tomo 1.* ubi de libro præfato Ioannis, *Græcè scripto*, videri poterit, locis hìc ad marginem signatis (b) nec non in *Vinea Carmeli* (c) Ita quoque (de exteris) Iacobus Salianus, *in Annalibus veteris Testamenti* (d) ubi sic ad propositum: *Græcè ab auctore editum, latinitate, donare curavit ante annos omninò quingentos Aymericus Antiochenus Patriarcha.* Aubertus Miræus in libro *de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani* (e) idem sic adstruit: *Aymericus Lemovicensis, Antiochenus Patriarcha, & Apostolicæ Sedis in Oriente Legatus, Institutionem Eliæ penè collapsam conspicatus, Regulâ Ioannis è Græco in Latinum traductâ, & à multis Latinis, qui eò commigraverant, exactiùs perceptâ, dejectos animos in avitam observationem erigere studuit.* Istis conformiter scribunt alii.

Traductus in Latinum.

(a) in Doctrin. fid. to. 3. tit. 9. c. 89.
(b) n. 290. & seq. & n. 876. & 878.
(c) num. 9. & 20.
(d) in Annal. vet. Test. to. 4. ad an. mundi 3113. n. 6.
(e) in principio.

426. Studiosè autem, eruditè, & valde luculenter hoc punctum, de libro illo Græcè scripto, pertractavit præfatus Wastelius (f) & Lezana (g): uterque plurimos Græcismos in illo libro notat, & lectionem Scripturæ Græcorum propriam. Lezana autem denique rationem assignat, cur in eo libro subinde vulgata Latina lectio repetiatur: *Quòd verò aliquando auctor libri istius Latinus videatur non Græcus, eo quòd sæpiùs pro Græco textu 70. vulgatum Latinum substituat: quam ob causam Bellarminus, & alii putarunt eum non Ioannem Hierosolymitanum, qui Græcus erat, sed alium recentiorem Latinum fuisse. Vitio Aymerici Interpretis, non auctoris, id aliqui tribuunt, quasi nimis scrupulosè pro Græco contextu, quem in Ioanne libri auctore reperit, Latinum supposuerit; sed tamen quod isti vitium vocant, prudentiam nos potiori jure appellare debemus: boni enim, & prudentis interpretis munus*

(f) lib. 1. Vindic. sect. 1 art. 5.
(g) Annal. tom. 1 in Appar. c. 9.

Interpres ejus cur Latinum vulgatum textum fuerit secutus:

Interpretis boni munus:

est, non tam verbum pro verbo, quàm sensum sensui aptare. Quod docuit expressè S. Hieronymus magnus Bibliorum Interpres (a) *de optimo genere interpretandi disserens, de quo, inter alia, esse dicit, non verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu. Pro quo refert Tullium, qui ita sæpius fecit, & Horatium dicentem: Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres. Et inferiùs: Si ad verbum interpretor, absurdè resonant. Nominat etiam Hilarium, qui hanc interpretandi regulam sæpiùs amplexatus est. Referri & innumeri possunt, qui ita quoque gesserunt. Cur ergò mirabile erit Aymericum hujus libri interpretem ita gessisse? mirabilius quidem esset, hanc boni interpretis regulam non observasse. Cùm enim pro simplicibus, & omninò Latinis Carmeli deserti Eremitis eum transferret, apud quos Græcus contextus vix notus esset (propter eos enim hæc translatio facta est, qui venerant ex Europa, ut diximus) quid ni faceret? Nonne saniori consilio duriora Græcorum exemplarium verba ad dulciora, & ipsis notiora Latinorum codicum accomodaret? Sanè, ut mala alias fidei auctor Ioannes Balæus superiùs relatus dixit: ideò hunc librum in Latinum sermonem transtulit Aymericus, ut deinceps esset ex Hebræis, Latinis, & Græcis Latina Religio. Prudentissimè ergò aliqua, quæ ex Græco textu in præfato libro citabantur, juxta vulgati Latini versionem, pro Latinæ Religionis usu convertit, quemadmodùm alii Græci sermonis interpretes sæpiùs fecisse, pro comperto est.*

(a) in Epist. ad Pamach.

427. Animadvertendum, quòd in libro isto plures sint Gallicismi, seu idiotismi proprii Gallicæ linguæ; cùm enim Aymericus Patriarcha Antiochenus, & S. Bertholdus, atque alii plures in Carmelo tunc habitantes, Galli essent, ipse Aymericus, aut S. Bertholdus, aut alius Gallicæ nationis, librum illum è Græco immediatè in Gallicam linguam traduxisse videtur, in gratiam eorum istius nationis, qui Græcæ linguæ ignari erant, nec Latinam callebant: exinde autem, dum Latinitate donatus fuit, idiotismi Gallici irrepserunt: quod etiam rectè notavit P. Petrus Wastelius diligentissimus investigator & illustrator omnium hunc librum concernentium, sicut testis est liber ipse ab eo restitutus suo nitori, & ipsi vendicatus integro libro, ac illustratus notis variarum lectionum, in quibus sub initium ista: *Non est dissimile veri, quòd Græcus quispiam, Gallicè meliùs peritus, quàm Latinè, librum verterit in sermonem Gallicum, & alius indè in Latinum.* Si tamen immediatè de Græco in Latinum traductus fuerit per interpretem Gallum, facilè etiam proprii idiomatis dialecti transferendo influxerunt, & quidem etiam de industria ipsius interpretis, ob rationes jam antè auditas. Quis autem interpres libri istius fuerit, disserit idem ipse P. Wastelius libro 1. Vindiciarum sect. 1. art. 5. sub finem, ubi refert ex Molano, interpretem ejus dici ipsum Aymericum: non quòd ipse per se id præstiterit, sed quia jussu ejus id factum, sicut testatur S. Cyrillus, & alii Ordinis historici. Tandem articulum

Verisimiliter translatio fuit è Græco immediatè in Gallicum, & indè in Latinum:

culum istum sic finit ibi Wastelius: *Frequentes idiotismi lingua Gallica innuunt, interpretem fuisse hominem Gallicanum, aquè atque ipse erat Dominus Aymericus.*

Latinum textum in translatione usus interpres, & cur.

428. Scrupulus secundus est, quòd in illo libro Scripturæ sacræ, textus plerumque non allegetur juxta codices Græcos, sed magis juxta Latinam nostram vulgatamque editionem: ergo non videtur esse auctoris Græci. Sed respondeo, id quod jam statim, vulgatam lectionem eo in libro deprehendi, præsumptâ licentiâ Latini interpretis. Interpres enim pro contextu Græco, quem certè juxta Ecclesiæ Græcæ usum in auctore reperit, lectionem Latinam supposuit; errore interpretum multorum communi inductus, qui timerent, ne fortè esse scandalo posset infirmis animadversa non minima illa lectionis diversitas. Quod quidem dictum sit, non ut hunc nostrum interpretem defendere cupiam multitudine peccantium; sed quia scire refert, etiam apud aliorum Græcorum Latinos interpretes; Origenis, exempli gratiâ, Eusebii, Chrysostomi, Cyrilli nostri Alexandrini, Theodoreti, Theophylacti, Euthymii, contextum Latinum reperiri, verum abusu. Ita rectè P. Wastelius *libro* 1. *Vindiciarum* pro isto Joannis libro (a). Ibi consequenter alias quasdam difficultates proponit, & enodat (b).

(a) sect. 2. art. 1.
(b) art. 2. 3. 4. & 5.

429. Scrupulus tertius: In volumine isto nonnulla reperiuntur quæ ad verbum transsumpta sunt ex sanctorum Patrum Latinorum commentariis. Ita idem Wastelius *articulo* 6. ubi consequenter varia adducit exempla. Tandem ad illa respondet: Hinc tantùm sequi hallucinatum aliquoties fuisse descriptorem codicis Veneti impressi. ex quo editio illa Parisiensis adornata est... Hunc quispiam exscripsit impuriùs, & omissis uno in loco propriis Auctoris, iisque ad non paucos versus, alienis assumentis, illis contaminatum edidit: & ut simpliciter dicam, occœcatus unus in transscribendo oculus multa legentibus cœca exemplaria dedit: omnia, inquam, quæ impressa sunt ad illam impuritatem, quæ Parisiis primùm cusa, vulgataque, Salmanticam usque, & Antuerpiam, ac Coloniam, pauco illo tempore sese dispertiit. Nullo hic adjutus est codice manuscripto; incidit tantùm in illam antiquam & multimodis mendosam editionem Venetam anni MDVII. Sed utinam exscribendo, novis ipse erratis librum non fœdavisset; contentusque fuisset iis mendis, quas dolor erat in eo exemplari comperire. Hactenùs ibi Wastelius, consequenter alia ad idem intentum adferens. Plura circa hæc videri poterunt *in Speculo Carmelitano tom.* 1 *num.* 180. *nec non* 190. *&* 191. Testor ego * in omnibus manuscriptis vetustis exemplaribus libri *de Institutione primorum Monachorum*, quæ vidi, nec non in impresso Veneto anni MDVII. sententiam istam *Reor hoc & septuagesimi Psalmi titulum significare* &c. (quæ in Bibliotheca Patrum textui libri, tamquàm ejus, inserta est) expressè notari in istis exemplaribus, quòd sint verba commentarii, & non textus libri *de Institutione primorum Monachorum*: quodque illis hæc præmittantur: *Hieronymus in epistola ad Paulinum.* Ita quoque istis ex S. Ambrosio verbis: *Hinc illi processerunt viri* &c. quòd ponantur per modum commentarii, & quòd in prædictis exemplaribus præponantur ista: *Ambrosius in epistola ad Vercellenses capit. XIV.* (in exemplari codicis Gandensis capitulo XIII.) Similiter ante ista: *Ioannes Elias dicitur, non secundùm stultos Pharisaos*, in iisdem exemplaribus præponitur: *Hieronymus in Commentario super Matthaum.* Interim ista in exemplari in Bibliotheca Patrum, & in aliis exemplaribus indè prodeuntibus istæ tres sententiæ textui libri *de Institutione* &c. insertæ sunt, tamquam ejusdem libri; ex margine, seu ex commentario sic malè intrusæ in textum. Id quoque censendum de istis verbis *capitis* 45. ubi agitur de *Melota*, & inter parenthesim ponitur. (*Quod etiam taxus appellatur*) ut rectè notat dictus P. Wastelius (a) *adjectitium interpretis, vel cujusvis alterius.* Cæterùm, dolendum, impressionem illam in Bibliotheca Patrum nævis istis, & aliis respersam, atque itidem editiones alias indè derivatas. Editionem correctioris limæ, ad fidem veterum codicum manuscriptorum, accuratissimâ collatione factam reperiet lector apud præfatum Wastelium *tomo* 1. *Operum Ioannis*, sub initium (& ibi sub finem Notæ sunt variorum lectionum) & indè *tomo* 3. *Annalium Carmelitarum* per Ven. P. Lezana, sub initium idem liber sic suo nitori restitutus impressus est.

Patrum aliorum sententia quòmodò in textum irrepserint.

* Fr. Daniel à V. Maria.

in Bibliotheca Patrum valdè mendosè impressus liber De inst. prim. Monach.

(a) sect. 2. art. 7.

430. Scrupulus quartus qui novissimè quempiam tam graviter offendit, ut eâ occasione identidem librum, seu ejus auctorem, censurando nuncupet *Pseudo-Ioannem*; videlicet est historia, in isto libro *cap.* 47. descripta his verbis: *Indutos albis Dominus praostendit Sabacha patri Elia. Ante quippe filii sui Elia nativitatem vidit Sabacha in somnis viros candidos, qui ipsum salutabant.* Eâ occasione; (occasione, inquam, historiæ istius apparitionis, seu visionis virorum candidorum factæ Sabachæ in nativitate filii sui Eliæ, sic à Joanne descriptæ in suo illo libro) liber ipse, seu ejus auctor Joannes identidem, & quidem ter in spatio paucarum linearum, nuncupatur *Pseudo-Ioannes*: censuræ verba sunt ista (b): *Neque album fuisse docere nos poterit Pseudo-Ioannes, dicens, quòd Elias per hoc docuit Monachos, hanc Religionem profitentes, debere pallio supervestiri albo, quemadmodùm eos indutos albis Dominus praostendit Sabacha patri Elia &c. Etenim totum hoc de Sabacha commentum non habet Auctores SS. Epiphanium & Dorotheum, ut pratenditur, sed fabulatores quosdam non admodum vetustos.* Sequitur rursùs post aliquot lineas: *Pseudo-Ioannes, & Pseudo-Ioannes Carmeliticus.*

Sabacha pater Elia vidit in nativitate filii viros candidos, ipsum salutantes;

(b) in vita S. Alberti Patr. Hier. c. 13. num. 139.

431. Sed contra: Quòd non sint *fabulatores non admodum vetusti*, qui historiam illam

historia illa tradita à Patribus, & illust. Script.

illam de Sabacha, & visione illa ipsi exhibita, tradunt; & consequenter quòd immeritò, imò immeritissimè liber ille Joannis, seu ejus auctor, occasione istius historiæ ter consequenter tam severè censuretur *Pseudus*, manifestum est ex dictis hic suprà *Tractatu* 3. *cap.* 2. (a) ubi videre licet, historiam illam traditam, & receptam à S. Epiphanio (quantum ad Dorotheum videatur hìc suprà *num.* 419.) S. Isidoro, Cassiodoro, Metaphraste, Aloysio Lipomano, Laurentio Surio, aliisque illustrioris notæ Scriptoribus, Ecclesiæ etiam auctoritate probatam; atque ita in paucis istis censuræ verbis: *Totum istud de Sabacha commentum* &c. *fabulatores non admodùm vetustos*, duo sunt apertè veritati contraria, nempè quòd sit *commentum*, & quòd *à fabulatoribus non admodùm vetustis*; cùm illud sit traditum à S. Epiphanio ante annos mille trecentos, à S. Isidoro abhinc annis mille, à Metaphraste, & Cassiodoro ante octingentos, & ab aliis ante, ac post: quos nuncupare *fabulatores*, nonnè indignum esset? Igitur nec talis est Joannes, aut ejus liber, de quo hìc agitur. Repeto: Sed quid si illud esset commentum, an ideo liber ille, seu auctor, potest dici *pseudus*? si ita, profectò cùm vix ullus liber historicus (Canonicis exceptis) reperiatur, in quo non aliquid notari possit, sequeretur omnes esse *pseudos*, quod absit.

(a) n. 149.

431. Ex dictis patet, quàm levibus, imò falsis argumentis, nonnulli ducti, librum præfatum tam severè censuraverint. Alia ab eodem censore adversùs librum accumulata, sunt *crambe recocta;* nempè scrupuli, quos dudum ante removerant supra nominati PP. Wastelius, Lezana & alii (b). Nonne similes censores ponderare deberent regulam istam à S. Augustino (c) traditam Scriptoribus: *Vna in his saluberrima regula retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non reprobemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.* Hinc graviter monet Cardinalis Baronius: (d) Nobilia ingenia magis laborare debere, ut ea, quæ per plurima secula recepta sunt, consistant: & ut firmiùs persistant, quæque adversantia dissolvere, pro tuenda, & confirmanda antiqua traditione, & possessione, quæ convelli non potest sine magna perturbatione, præsertim in traditionibus, nemini nocivis, sed econtrà Ecclesiæ universali, seu particulari valde utilibus. Ita Baronius. Utilitates autem (inter alias) ex libro isto provenientes, non tantùm Ecclesiæ particulari (Ordini Carmelitano) sed etiam in universam Ecclesiam promanantes, sunt illæ, de quibus hìc suprà *cap.* 1. nempè quòd liber ille sit munimentum, & propugnaculum adversùs hæreticos Monasticen, & Ordines Religiosos Monasticos omnes cavillantes, quod sint *secta nova, & vana.* Sed Monasticês totius & antiquitas, & sanctitas evidenter resplendent in hoc libro, in quo traditur Monasticês totius exordium à sanctissimo Propheta Elia; & ejusdem incrementa per ipsius discipulos, & posteros, videlicet duplicis spiritûs ejus hæredem Eliseum, ceterosque Filios Prophetarum: quibus eâ ætate nihil sanctius erat. Est præterea liber ille pro asserenda immaculata Conceptione sacræ Virginis Deiparæ *nobile, & antiquum monumentum.* Ita censent suprà nominati Societatis Jesu, insignes Conceptionis immaculatæ assertores, Ferdinandus Quirinus de Salazar, Petrus Oxieda, ac alii plures.

(b) vide cap. 1. sub fin. hic sup.
(c) epist. 119.

Regula saluberrima à S. August. pro Script.

(d) in Append. ad to. 1. Annal.

regula similis à Card. Baronio.

Ecclesia utilia notabiliter contenta in libro de Instit. prim. Monach.

CONCLUSIONES BINÆ, EX BINIS PRÆMISSIS.

Ioannes Hierosol. celebratus testimoniis, ac præconiis è cælo, & in tribus Orbis partibus, Asia, Africa, & Europa: de Libro ejus suppar est testificatio.

De orthodoxa, & sancta Joannis Hierosolymitani vita, deque ejus libro *De institutione primorum Monachorum*, quamvis luculenta testimonia hactenùs adducta sint ordine temporis, ab ejus obitu usque in præsens: pro conclusione tamen hujus Tractatûs expedit, perspicere, istum esse veluti universalem, conspirantem consensum Scriptorum illustrium in plerisque Christiani orbis regionibus; quin & è cælo testimonium habetur de Ioanne.

Traditio, & consensus generalis de sanctitate Ioannis Hierosol.

433. PRÆMISSA PRIMA: IN CÆLO: S. Gamaliel gloriosus, apparens S. Luciano, Ioanni *Sancti* titulum tribuit: *Sanctus Ioannes: sanctus Episcopus*, sicut videre licet in historia Inventionis S. Stephani apud Surium *ad diem* 2. *Augusti*. Quàm gratus Deo esset sub finem vitæ suæ, habetur quoque ex testimonio ipsius S. Gamalielis, asserentis (Dei nomine) *temporibus Sacerdotii tui oportet nos revelari*. Deus igitur ipsum speciali illâ gratiâ translationis, & exaltationis Reliquiarum S. Stephani, S. Gamalielis &c. honoravit, & lætificavit paucis diebus ante obitum; obiit enim (juxta verisimiliorem opinionem) anno Christi 416. die XII. Ianuarii: inventio autem, & exaltatio illa S. Stephani, &c. facta fuerat sub finem anni præcedentis (415) octavo * Calendas Ianuarii id est, die 25. * Atque ita dumtaxat intercesserunt dies 17. aut 16. inter illam inventionem, & Ioannis obitum: quem sibi à Deo revelatum fuisse, indicant ista ipsius verba in principio ultimi sui sermonis, seu homiliæ, cujus hoc est initium: *Lugubris Oratio hæc est, cùm etiam sit postrema, sicut mihi innotuit; sed tamen & magno gaudio plena. Lugubris quidem; quia non amplius loquar vobiscum: multo autem gaudio referta; quoniam tempus resolu-*tionis

in cælo.

* al. septimo
* al. 26.

(a) edit. Bruxell. an. 1643. pag. 515.
(b) tom. 2. Vindic. sect. 9.
(c) vide hic sup. n. 397.

tionis meæ instat, ut sim cum Christo. Habetur inter ejus opera ultimo loco (a) esse autem ipsius, probat P. Wastelius (b).

in Asia,

434. In Asia: Hierosolymis, aut propè, Lucianus eodem titulo identidem ipsum honorat. (c) Etiam in Terra sancta in Syria Theodoretus Cyrensis Episcopus nuncupat *Admirabilem:* Palladius Galata *Beatum.* In Carmelo à S. Cyrillo, patriâ Constantinopolitano, habitatione Palæstinæ, dicitur *vir miræ virtutis:* (d) & de libro: *Scripsit librum de institutione nostræ Religionis, eloquio, & litteris Græcis.* In Africa: S. Augustinus (e) testatur de ejus orthodoxa fide, quodque cum eo *in unitate fidei connectatur:* & eum defunctum honorat titulo *Sancti.* In Europa Græca: Vocatur à Nicephoro *Divinus Ioannes* (f).

(d) vid. n. 400.
in Africa,
(e) vid. n. 396.
in Europa: in Græcia: in Italia:
(f) n. 400.

435. In Europa Latina: In Italia. Adhuc in vivis existens miris laudibus deprædicatur à S. Anastasio Papa (g) à S. Zosimo mox ab obitu *Sanctus* scribitur, (h) Ab Aurelio, Cassiodoro dicitur *Vir mirabilis:* à Petro Galesinio, *in Martyrologio, Sanctus*, additque: *Cujus res divinæ leguntur:* (i) à Philippo Ferrario, Ordinis Servorum B. Mariæ *in Catalogo generali Sanctorum* relatus, ibidem *Sanctus:* à Laurentio De Aponte: *Sanctissimus Pater*, (k) Baptista Mantuanus de ejus libro testatur. *Quem ego vidi, tenui, ac legi.* Romæ *Annales Ordinis* scribens P. Lezana, in illis luculenter demonstrat Joannis sanctitatem, & hactenus asserta de ejus libro (l).

(g) n. 396.
(h) n. 396.
(i) n. 393.
(k) in Sap. c. 1. n. 4. digres. 2. §. 3.
(l) to. 1. & 3. locis ante cit.

in Hispania,
(m) vide hic suprà n. 399.

436. In Hispania ab Idatio Episcopo Lemicæ in Gallæcia intitulatur *Insignis, Sanctus:* & iste Joannem aliquando vidit, & novit, (m) in Ecclesiis etiam variis in Officio Canonico canitur *Sanctus Ioannes;* Gaspar Sanctius, Societatis Jesu, *Sanctum* scribit, & libri ejus auctoritate utuntur ipse quoque, & Ferdinandus Quirinus de Salazar, Hieronymus Platus, jam ante adducti, nec non Franciscus Suarez, verbis etiam hic suprà relatis. (n) Ildephonsus autem de Flores singulari studio, & sanctam Joannis vitam, & genuinum ejus opus, librum præfatum asseruit in Commentario in caput XXIV. Ecclesiastici (o). Et isti omnes Societatis Iesu. De libro Ioannis scripto anno Christi CCCCXII. & exindè pro Regula habito usquead tempora S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, qui inde Regulam breviorem confecit, peculiariter tractat Philippus Riboti Cathalanus: sunt & alii domestici, & exteri Hispani, qui istis adstipulantur.

(n) hic sup. num. 155.
(o) n. 1689. & seq. & ante.

in Gallia:

437. In Gallia etiam Ecclesiæ plures in Canonico Officio divino festo Inventionis S. Stephani canunt: *Sanctus Ioannes* &c. à S. Adone Viennensi nominatur *Beatus*, à Prospero Aquitanico: *Ob vitæ puritatem & prophetiæ gratiam illustris*, à Ioanne Grossi Tolosano, *Sanctus, clarus miraculis,* (videatur de istis *capite* 2.) à Ioanne de Vineta Armorico: *Vir miræ virtutis:* qui de ejusdem libro hæc tradit: *Scripsit eloquio, & litteris Græcis, in quodam libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & Fundatorum ejus dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta, & gloriosas virtutes, exterioremque habitûs ornatum.* Et paulò infrà: *Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis, Religiosis Eremitis montis Carmeli, legendum, & observandum tradidit, tempore Honorii Imperatoris anno Domini CCCCXII.* Et aliquantò post, agens de Aymerico Patriarcha Antiocheno: *Fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* (a) Ferè eadem scribit B. Ioannes Soreth. Præfatorum verba recitata sunt in antecedentibus *cap.* 2. & 3. *ac* 4.

(a) in Chron. inserto Spec. Carm. n. 876. & 878.

in Germania,
(b) vid. n. 398.

438. In Germania: in pluribus Ecclesiis identidem de eodem canitur in Officiis divinis: *Sanctus Ioannes.* (b) Ioannes Trithemius Abbas Ordinis S. Benedicti, in opere de B. Virgine in Urticeto, libro 2. cap. 8. citans librum ejus, scribit: *Ioannis Hierosolymitani Patriarchæ Sanctissimi.* Ioannes Nadasi Societatis Iesu, illum cum aliis Sanctis invocandum proponit: *Sancte Ioannes, ora pro nobis.* (c) In Belgio, imprimis in Hollandia: Ioannes Palæonydorus de eo scribit, quòd fuerit *sanctæ religiosæque vitæ . . . plenus sanctitate*, ac clarus miraculis. De libro: *Scripsit Librum de Institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium. Ipse floruit temporibus Archadii, & Honorii Imperatorum circa annos Domini CCCC. Incipit sic. Principium Religionis hujus* &c. id est initium libri. (d) In Brabantia: à Ioanne Molano scribitur *Sanctus*, (e) & de ejus libro testimonium ab eodem perhibetur: à PP. Bollando, & Henschenio plures referuntur, qui ipsum ut *Sanctum* in Martyrologiis commemorant. (f) In Flandria: de Ioanne, & ejus pia adolescentia, perfecta conversatione, ac sancto fine, dequè ejus libro, quæ tradat Arnoldus Bostius videatur *cap.* 2. & *cap.* 4. (g)

(c) vid. n. 402.
in Belgio,
(d) in Fasc. trip. lib. 1. c. 6. & in præfat.
(e) vid. hic sup. n. 393.
(f) ibid.
(g) n. 403. & infrà, & 418.

in Anglia,

439. In Anglia, & Hibernia: Thomas Waldensis in Doctrinali Antiquitatum fidei Catholicæ, quæ tradat, & asserat de Ioanne ex Carmelo ad Ecclesiam Hierosolymitanam assumpto, & libro ejus loco *Regulæ* tradito & servato, ab Alberto Patriarcha pleniore formâ digesto, jam ante audivimus (h) Ibidem alius, quæ de libro illo, è Græco in Latinum traducto, & à se viso, testetur, etiam dictum est. (i) In Hibernia Episcopus Dromorensis Thomas Bradley identidem utens auctoritate libri *De Institutione primorum Monachorum* ipsum Ioannem nuncupat *Sanctissimum Patrem;* (k) de illo, & libro ejus, tradito pro *Regula*, scribit & ista: (l) *Carmelitana Religio etiam jure Canonico est approbata. Imprimis Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus anno Domini CCCCXII. Eremitis montis Carmeli suâ potestate ordinariâ Regulam tradendo, etiam hôc ipsô Religionem hanc approbavit, sivè approbatam declaravit.* Id enim Patriarchæ, & Episcopi jure suo potuerunt usquead Concilium Lateranense anno Domini 1215. quando Ordinum Religiosorum approbatio reservata fuit Romano Pontifici.

(h) n. 411.
(i) n. 413.
(k) vid. in Spec. Car. to. 1. num. 833.
(l) Ibid. n. 838.

Pontifici. De Ioanne hoc, & vitæ ejus sanctitate, deque libro ipsius *De Institutione primorum Monachorum*, frequens mentio est *in Speculo Carmelitano, in utroque tomo.* Et ista hactenùs adducta sunt veluti PRÆMISSA PRIMA.

Probabilia quæ sint.

(a) 1. Topic. cap. 1.

(b) de diff. Topic. c. 3.

440. PRÆMISSA SECUNDA: Philosophi, & cum illis Theologi, docent, ac velut fundamentum quoddam, seu axioma receptum, tradunt cum Aristotele (a): *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his maximè notis.* Quem locum explicans Alexander, ait: *Probabilia sunt, quæ omnibus, vel pluribus, vel sapientibus probantur, iisque vel omnibus, vel pluribus, vel maximè cognitis, & probatis:* & Boëtius (b). *Probabile vero* (inquit) *est, quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, atque præcipuis.* Econtrà: *Inopinabile autem est, quod est contra opinionem omnium, vel plurium, vel maximè sapientum.* Quantùm ad Ioannis personam, nonnè illi qui eodem locò, aut tempore vixerunt, & ipsum viderunt, aut ex aliorum relatione cognoverunt, omni exceptione majores censendi sunt *maximè noti, & probati?* Tales sunt imprimis S. Lucianus, habitans Hierosolymis, aut propè, à Deo destinatus ad Ioannem, quem etiam vidit Idatius: & eodem tempore vixerunt S. Anastasius Papa, S. Zosimus, S. Augustinus, Theodoretus; qui omnes de ipso perhibent testimonia, jam antè adducta: sed potissimè ipsum noscebat S. Gamaliel, in cælo Beatus, in Verbo speculans, qualis esset, nempè *Sanctus:* sic identidem ipsum indigitat. Ab istis fama de Ioannis sanctitate, quasi de manu ad manum tradita fuit usque ad præsens seculum. Quantùm ad librum ejus *De Institutione primorum Monachorum:* Quòd in Ordine hoc habitus, & servatus fuerit loco Regulæ, & quòd Græcè scriptus, in Latinum traductus fuerit, operâ, seu jussu Aymerici Patriarchæ Antiocheni, nonnè ista potissimè scire censendi sunt Domestici; utpotè *maximè cogniti, & probati; ac sapientes*, seu scientes, seu qui notitiam præ cæteris habere possunt? & proximè alii, qui peculiariter de libro illo tractarunt, adducti jam ante *cap.* 3? Ex binis illis, veluti Præmissis, istæ binæ inferuntur Conclusiones.

Ioannis sanctitatem tuentur antiquitas, & universitas;

441. CONCLUSIO PRIMA. Ex dictis habetur traditio, & conspirans consensus Scriptorum generalis quoad tempora, & regiones, de sancta vita Ioannis, & præfato ejus libro. Igitur concluditur primò, quantùm ad Ioannis sinceram fidem (imò & sanctimoniam) si fas esset comparativè ad alios sanctimoniâ, & eruditione spectatissimos, loqui de Ioanne, perspicuum esset, ipsum tantis, & tam multis commendari testimoniis, & elogiis Summorum Pontificum, & Sanctorum, ac Doctorum, quantis (similibus, aut certè majoribus) alii complures sanctitate & doctrinâ illustres vix deprædicantur, quotusquisque enim istis omnibus, aut similibus effertur præconiis Ioanni attributis: à S. Anastasio Papa: *Splendorem tuæ sanctitatis, & quas in Domino habes virtutes* & aliis, quæ sequuntur: à SS. Zosimo Pontifice, Augustino, Gamaliele, & aliis plurimis *Sanctus:* ab Idatio *Insignis:* à Theodoreto, & Cassiodoro *Vir mirabilis:* à Nicephoro *Divinus:* à S. Cyrillo Constantinopolitano, & aliis pluribus: *Vir miræ virtutis, & perfectionis?*

(a) lib. 3. Vindic. sect. 6. art. 4. in fine

decretum de ejus cultu sacro;

442. Hic subjicere convenit, quod præcipuus Ioannis, & operum ejus defensor P. Petrus Wastelius, post adducta varia testimonia sanctitatis ejus, concludens scribit: (a) *Si de præstantissimorum Patrum agamus consensione, viri, ut dicebam, sanctitatem etiam tuentur antiquitas, universitas, & sanctitas.* Consequenter refert, quòd in variis Capitulis Generalibus *decretum pro toto Ordine fuit, ut singulis annis die duodecimo Ianuarii de eodem Episcopo Ioanne Officium Ecclesiasticum fieret ritu duplici ... Atque usu receptam fuisse ordinationem (juxta jus, quod tunc adhuc penes ipsos Ordines erat, nunc autem sapienter id sibi servat S. Sedes Apostolica) usque etiam nostrum Belgium, antiqua hic manuscripta docent tam Missalia, quàm Breviaria.* Ita quoque ab eruditione singulari & pietate, ac variarum lucubrationum multitudine celebratus P. Ioannes Baptista de Lezana *in Annalium Carmelitarum Tomo* 3. (b) *Cùm enim à Zosimo Papa; D. Augustino sæpiùs; Luciano presbytero (quem etiam alii inter sanctos annumerant) Idacio Episcopo; Ioanne auctore vitæ S. Epiphanii; Adonis, Galesini, & Molani Martyrologiis, quæ modo retulimus; Breviariis quoque plurimarum Religionum, & Ecclesiarum Hispaniæ, Germaniæ, & Galliæ, quæ supra num. 1. attulimus, innumerisque aliis auctoribus, quos, ne prolixi simus, solùm confusim adduximus, Sanctus, vel Beatus nuncupetur; adeò, ut uno verbo dici possit, quòd à quinto sæculo, in quo diem clausit extremum, usque ad novissimum (in quo Desiderius Erasmus, & Marianus Victorius, glossas, seu notas edentes ad opera D. Hieronymi, neque tamen supra modum periti Ecclesiasticarum rerum, primi nomen ipsius commacularunt) semper ut Sanctus habitus fuerit, non obstantibus controversiis cum Hieronymo, & Epiphanio; videtur illi negari non posse genus illud canonizationis, antiquum satis in Ecclesia, quod vel Episcoporum consensu, vel Christiani populi receptâ traditione fiebat, prout optima nota Theologi, Waldensis noster, Cardinalis Bellarminus, & alii doctissimi suis scriptis consignarunt. Veruntamen, modestiæ, humilitatis, & obedientiæ versùs S. Sedem Apost. limitibus tenti, id non asserimus, & rei tantæ judicium ipsius examini, & sententiæ omninò relinquendum censemus, sicut in causis Luciferi Calaritani, Ioannis Cassiani, Fausti Regiensis, & quorundam aliorum prudentiores efficiunt.* Conformiter scribit Ildephonsus de Flores Societatis Iesu, *in Commentario ad cap.* 24. *Ecclesiastici* (c) ubi cùm adduxisset elogia sanctitatis Ioanni data à S. Augustino, S. Zosimo, Idatio, & aliis, tandem subjungit: *Equidem ut Sanctorum*

(b) ad an. 416. n. 10.

Sanctus, & Beatus nuncupatus à plurimis,

& per plura secula habitus

an canonizatus:

hæc relinquenda sententia Sedis Apostolicæ.

(c) sect. 36. n. 1690.

rum Canonismum ad Christi Vicarium pertinere agnosco; hæc antiquorum, recentiorumque testimonia pro Ioanne adscribenda existimavi; ne quispiam de Patriarcha a magnis viris atque præsertim à Summo Pontifice, commendato, facilè præjudicaret. Eadem nos protestamur.

443. CONCLUSIO SECUNDA: Concluditur secundò, quoad Librum præfatum: Cùm exemplaria ejus omnia vetera præferant titulum auctoris *Ioannis Hierosolymitani* &c. & concors sit Scriptorum Domesticorum traditio, & assertio, aliorumque illustrium consensus, quòd ab illo Joanne liber iste scriptus sit Græcè anno Domini quadringentesimo duodecimo: quodque in Ordine hoc annis ferè octingentis habitus fuerit pro Regula, & ex Græco in Latinum traductus, operâ, seu jussu Aymerici Patriarchæ Antiocheni: istis habenda fides certa, & indubitata (moraliter scilicet) sicut Ordinum Religiosorum ceterorum traditionibus similibus, & historicis illorum de rebus suis fides indubitanter, seu absque contradictione adhibetur (imò & Ethnicis historiis) V. g. in Ordine S. Benedicti de ejus institutione, & Regula per S. Benedictum; ita quoque in Ordinibus Cisterciensi, Præmonstratensi, Carthusiensi, & Ordinum Mendicantium, ac ceteris: sic etiam in Societate Iesu de S. Ignatio, de libro piissimo, pariter & utilissimo exercitiorum ab ipso conscripto.

Librum de Instit. prim. Monach. esse ejus, moraliter certum:

id confirmatur exemplis plurimis.

444. Ad hoc propositum Arnoldus Bostius *in Prologo Speculi historialis* scribit: *Nonnè de Ordine Prædicatorum fuerunt, qui de eorum Ordine scriptitarunt? aut alterius Religionis fuit, qui de S. Francisco, & ejus Religione scripsit? numquid minoris auctoritatis sunt censendi, qui de Ordine nostro tractatus ediderunt, quàm illi qui de propriis Ordinibus libros composuerunt? Minimè. Cuilibet enim domestico meliùs constat de rebus domesticis: nam unicuique experto in sua facultate credendum est....* Istis concinit P. Lezana (a). *Cum unusquisque (teste Aristotele lib. 1. Moral. c. 3.) ea rectè judicet, quæ cognoscit, ambigendi locus non erat, quin unius familiæ, seu Reipublicæ homines de iis, quæ in ipsa acciderunt, ceteris aptiùs judicare possent, ac proindè veluti legitimi testes testimonium de ipsis proferre.... cùm domestici Ordinis ii sint, qui ejusdem negotia tractaverunt, & de quorum scientia, visu, vel auditu dubitari non possit... Quod & probat intemeratus, & inoffensus omnium Sacrarum Religionum, quæ in Ecclesia florent, usus, quo semper peculiaria, & domestica ipsarum, alumnorumque gesta à domesticis auctoribus descripta fidem apud exteros quoscumque promeruisse, omnibus compertissimum est*; præsertim cùm multorum seculorum continuatâ & constanti traditione quidpiam receptum est, & etiam alii plures illustres Scriptores iisdem adstipulantur, prout in præsenti, de *Ioanne Hierosolymitano*, & ejus libro de *Institutione primorum Monachorum*, sicut hactenùs vidimus.

(a) in Appar. ad to. 1. Annal. Carm. c. 9. n. 1. & 2.

445. Sic quoque fide historicâ, recipiuntur ea, quæ in Bibliotheca Patrum inserta sunt, & passim vitæ plurimæ Sanctorum in operibus P. Laurentii Surii, & Actis Sanctorum P. Ioannis Bollandi, & Sociorum: quæ tamen pleræque haud majoribus, & non paucæ nequidem tantis testimoniorum monumentis roborata sunt, sicut præfata de libro isto Ioannis Hierosolymitani tradita à tam multis viris præstantibus. Ista dicimus, non animo in dubium revocandi vitas istas, & Ordinum aliorum traditas historias: quas, & alias similes, fide historicâ recipimus, & amplectimur; sed similiter de libro isto Ioannis, in antiquis monumentis, & continuatâ multorum seculorum traditione ipsi asserto, nè quis supercilio censorio illum perstringat, & impetat, ex levibus fundamentis, seu scrupulis, imò & manifestè falsis, sicut *cap. præcedenti* vidimus. Congruunt hîc ista Arnobii, vetusti Scriptoris (a). *Ab hominibus hæc scripta: & illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edisserata sermonibus: & quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta paribus sumite, atque habetote momentis. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis, & quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini, necesse est, esse vera.*

(a) lib. 1. contra Gentes longè post medium.

TRACT.

TRACTATUS VIII.

De Religioso Monastico Statu Seculo IV & V. ac de Ordinibus S. Antonii, S. Basilii, & S. Augustini.

CAPUT I.

Religiosus Monasticus Status à S. Elia Propheta inchoatus, exindè jugiter continuatus usque ad Seculum IV.

Id probatur ex libro DE INSTITUTIONE PRIMORUM MONACHORUM.

446. IN libro præfato (de quo & ejus auctore, sermo fuit Tractatu præcedenti per totum, scripto anno Domini quadringentesimo duodecimo, initio seculi quinti) non dialecticis ratiocinationibus, sed ex Scripturis sanctis, & traditionibus vetustiorum, veluti per manus acceptis, Monasticês initia, & incrementa traduntur: in principio (a) autem hæc statuitur assertio: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, a quo sancta primæva institutio exordium sumpsit. Ipse enim obtentu contemplationis divinæ, & desiderio sublimioris profectûs, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, religiosam & prophetalem vitam eremiticam primus hominum à proposito ducere cœpit, quam sancto dictante Spiritu, & mandante inchoavit, & instituit.* Sequitur: *Quod evidenti sacræ Scripturæ testimonio comprobatur.* Consequenter per plura capita ex Scripturis traditur vitæ monasticæ à S. Elia primùm exercitæ, & in se expressæ forma: *Quoniam, ut per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis æquaretur Angelis imitatione conversationis, seipsum propter Deum Virginitate perpetuâ primus hominum spontè decoravit. Qui seipsum prorsus abnegans, & voluntati propriæ abrenuncians, semper Superioris, id est, Dei voluntatem promptè secutus fuit: quemadmodum de eo scriptum est. Abiit quòcunque eum ferebat voluntas, scilicet Dei.* Sequitur: *Et fecit juxta verbum Domini. Quia scilicet de terra, & cognatione sua, & de domo patris sui in solitudinem recessit.* Ita capite 9. ubi ista ex Scripturis Sanctis sublimi eloquio uberiùs traduntur.

Religiosus Monasticus status,

(a) Cap. 2.

inchoatus ab Elia,

expressâ vitæ formâ,

447. Sequitur (b). De ejus discipulis, Filiis Prophetarum: *Denique* Elias in monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito inchoaverat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit... *Hos itaque Domini devotos viros Elias, secundùm formam, a Deo ei traditam, habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros.* Ibidem ratio redditur, cur discipuli isti S. Eliæ, dicti fuerint *Filii Prophetarum, & Prophetæ*: deinde agitur singulatim de primis quatuor discipulis ejus. Tum *cap.* 16. in brevi epitome traditur continuatio Monasticês à S. Elia inchoatæ, & successio posterorum ejusdem: *Ideò Elias, ut suo exemplo animos omnium prædictorum Monachorum ejus discipulorum provocaret ad suæ religionis exercitium, studuit secundum formam per Deum sibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, uti abstinentia parsimoniæ, domare concupiscentias carnis, nitere candore castitatis, abnegare libertatem voluntatis.* Consequenter refertur, qualiter eandem vitæ formam exemplo, & verbo tradiderit suis discipulis, qui illum tam aure cordis, quàm executione operis susceperint, & deinde isti aliis sequacibus suis. Ista autem consequenter pleniùs referuntur, sicut in ipso Opere perspicere licebit, videlicet quomodò post raptum Eliæ illi in prælatura successerit Eliseus, qui *sollicitus fuit cuneos monachorum Filiorum Prophetarum sigillatim visitare: quos cupiens consolari de absentia Eliæ, operabatur coram eis signa, & virtutes: tum ne in vacuum videretur gratiam Dei recepisse, tum ut per hoc eis ostenderet se gerere vices Eliæ: tum etiam ut sic eos solidaret in perseverantia vitæ monasticæ...* Miracula illa referuntur *capite* 26. quod his finitur verbis: *Per hæc itaque prædicta signa, & plura alia manifestavit Eliseus religiosis viris Filiis Prophetarum Eliæ discipulis duplicem Eliæ spiritum esse in eo completum. Et propterea prædicti omnes monachi receperunt eum pro Elia in Patrem eorum præcipuum, & magistrum.* Deindè *cap.* 27. agitur de Rechabitis discipulis Elisei: Disciplinam propheticam monasticam sectantibus, qui relictis omnibus, extra urbes commorabantur: plerique quidem conjugio utentes: & isti erant veluti nunc sunt Tertiarii Ordinum Religiosorum: illi autem qui Eliam, & Eliseum etiam in Virginali castitate imitabantur, erant veri nominis Religiosi. De quibus latiùs actum est in Tractatu V.

(b) c. 10.

in discipulis continuatus,

Succedente in prælatura S. Eliseo.

Rechabitis imitantibus,

448. Cap. 29. tractatur de successione posterorum S. Eliæ, & S. Elisei, & de eorum præservatione à captivitatibus Israelitarum. *Quoniam ergo prædicti monachi, dum regebantur per Eliseum, & etiam post ejus decessum, quærebant ex totis eorum præcordiis Dei regnum; pro quo facilius consequendo terrenas divitias, & carnales delicias respuebant, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitabant; ideo præservavit eos Deus a captivitatibus, ad quas ante Incarnationem Christi Iesu induxit populum Iudæorum, propter peccata eorum*, sicut Propheta in persona Domini dixit his verbis: *Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in Charmel sedebit. Et opus justitiæ erit pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ*

à captivitate Israëlitica præservatur,

& in requie opulenta. Licèt namque temporibus Iudaicarum captivitatum esset desertum in Carmelo, ita quòd Carmelus non in munitionem, vel ædificium, sed in saltum verè reputabatur; populus tamen Monachorum illic habitantium faciebat in solitudine illa judicium Dei, & servabat in Carmelo justitiam cœlestis Regni: sicut Propheta prædixerat, Habitabit, inquit, in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit. Cujus justitiæ opus erat pax, quâ ab invicem perimebant bellum. Et cultus prædictæ justitiæ erat silentium, quo in ore vitabant multiloquium. Cultus quoque dictæ justitiæ erat securitas, quâ à corde fugabant inimicorum metum. Animadvertendum, quòd *Charmel* Hebraicè idem sit, quod *Carmelus. Capite* 31. demonstratur, quòd *Sub veteri Lege ejusdē Religionis cum illis qui in novâ,* Monachi posteri S. Eliæ, sub veteri Lege, fuerint ejusdem Religionis cum illis, qui in nova Lege. *Antiqui namque hujus montis Monachi, etsi non nomine, tamen rectâ fide fuerunt Christiani veri, sicut sunt Monachi moderni: quoniam illi fidem firmam in Christum habuerunt, à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & corpora, ac animas suas Deo obtulerunt: de quibus Apostolus sic ait:* (a) *Circuiêrunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, & afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ: & hi omnes testimonio fidei probati fuerunt.*

(a) Hebr. 11.

449. *Cap.* 32. *& sequentibus* refertur, quomodò S. Joannes Baptista in spiritu, & virtute Eliæ, inter Eliæ posteros in desertis degens, eos disposuerit ad Christi Fidem, quam deinde prædicatione Apostolorum susceperunt, facti Apostolorum côadjutores; nam *Eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, Fidem Christi per Phœnicen, & Palæstinam prædicârunt, dilatantes dogma Fidei, & moribus vitæ, ac monasticâ conversatione Ecclesiam Dei insignissimam demonstrantes.* Eadem tradunt Theodoretus, Cassiodorus, Waldensis, & alii.

propagatur, & in Fide Christi seminanda côoperatur,

450. Denique *cap.* 44. *& seq.* describitur habitus S. Eliæ, & posterorum ejus, sub veteri, & novâ Lege. Qualiter autem ab Elia Monasticês totius primordiali fonte, indesinenti fluxu intra alveum suum, usque ad seculum quartum, tum demum rivuli particulares, videlicet S. Antonius, S. Hilarion, S. Macharius, S. Basilius, & alii sint derivati, sic paucis exponitur *cap.* 16. ejusdem libri, ubi sub finem, ista: *Quamvis in diversis mundi partibus post Eliam surrexerint in Lege nova diversi Monachorum Principes, secundum diversa instituta specialia suos discipulos in observantiâ vitæ monasticæ regulantes, ad nullum tamen alium finem, nec per alios gradus intenderunt suos discipulos principaliter perducere, quàm ad hunc finem, & per hos gradus, per quos Elias ad finem, & perfectionem vitæ Monasticæ, secundùm formam per Deum ei traditam, suos discipulos perduxit. Propter quod prædicti Monachorum Principes, in sana doctrina vitæ monasticæ, fuerunt velut quidam particulares rivuli ab Elia, tamquam à primordiali & universali omnium rivulorum fonte, derivati,* videlicèt præfati S. Antonius, S. Hilarion, S. Macharius, atque alii. Hactenus ex libro illo delibata ista paucula hic sufficiunt, quæ pleniùs hauriri ex ipso fonte, & dulciùs degustari poterunt. Deinceps autem ulteriùs exponendum est, qualiter præfati, atque alii *particulares rivuli ab Elia, tamquam à primordiali, & universali omnium rivulorum fonte, derivati,* quasi in immensum aucti fuerunt seculo quarto, & deinceps.

indesinenter usque ad Secul. IV.

Exinde diversi Monachorū Principes,

ut rivuli ab Elia scaturientes,

451. In eodem libro *De Institutione primorum Monachorum cap.* 40. & sequentibus agitur de antiqua veneratione à tempore S. Eliæ exhibita Virgini Deiparæ, in typo Nubeculæ S. P. Eliæ præmonstratæ, ubi ista: *Legimus quidem in libro Regnorum, quòd, Elias ascendit in montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, ... In septima autem vice. Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari in Carmelum.* Sequitur: *Deum, sub figurata visione, revelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria:* inter quæ (ad præsens propositum) sunt ista: *Quòd quædam infantula nasceretur, quæ ex utero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur. ... Quæ infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodùm nubecula illa de mari amaro orta, sine tamen aliqua amaritudine.* Sequitur: *Revelavit Deus Eliæ; quòd quædam infantula, scilicet Beata Maria, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur.* Igitur Beata Virgo per nubeculam illam significata, sicut Nubecula illa, de mari orta, valde tamen distinctæ qualitatis ab ipso est: mare amarum, & ponderosum, opacum; nubes vero valdè est semota ab his imperfectionibus, dulcis, levis, lucida, sic Beatissima Virgo, licèt orta de humana natura, tamen tota pulchra sine macula humanæ propaginis, venustissima apparet. Deinde *cap.* 42. declaratur, qualiter Virgo Maria manens virgo conceperit, & genuerit Deum, qui in illam *sicut pluvia in vellus descendit. Quoniam vellus, pluviam in ipsum sine strepitu descendentem accipiendo, vel reddendo, non rumpitur, sed integrum servatur. Ita quoque te decet taliter absque strepitu operationis humanæ in nubeculam, id est, Virginem Mariam placido illapsu descendere, & curtum tuum, id est, æternam naturam tuam humanæ naturæ in utero Virginis jungere: ut Virgo te Deum simul & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur, sed integra in sua Virginitate conservetur.* Sequitur: *Ecce cæli contenebrati sunt, & ventus, & nubes: & facta est pluvia grandis. Per cælos honor, virtus, & celsitudo Filii Dei intelligitur, cujus adventum Propheta dicebat: Domine, inclina cælos tuos & descende. Per nubem Virgo Maria, sicut dictum est, designatur; per ventum verò Spiritus sanctus significatur: quemadmodùm per Prophetam dicitur:*

Conceptio immaculata B.V.M. in Nubecula,

ab Elia prævisa, & in ea mysteria alia magna,

flabit spiritus ejus & fluent aquæ. Igitur cæli, & nubes, & ventus fuerunt contenebrati: quoniam virtus altissimi ita obumbravit illi Virgini; quod Dei Filius, per operationem S. Spiritûs, junxit sibi ex carne Virginis illius animatum corpus humanitatis, quasi umbraculum suæ divinæ lucis .... Et tunc facta est pluvia gratiæ grandis: quoniam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: de cujus plenitudine omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia, ut ait Ioannes Euangelista.

CAPUT II.

Religiosum Monasticum institutum seculo quarto mirè propagatum & multiplicatum.

451. Seculo quarto, post sævissimas Diocletiani & Maximiani, aliorumque Æthnicorum persecutiones, Constantino Magno Imperium adepto, Ecclesia florere & cultus Religionis ampliari, & Vinea Domini novos botros germinare cœpit; ita quòd in eâ videretur impletum, istud in Canticis Canticorum (a): *Hyems transiit, imber abiit & recessit. flores apparuerunt in terra nostra.* Et quidem flores multiplices, Monachorum, ac sacrarum Virginum. Seculum enim quartum inter cætera omnia fœcundissimum extitit Monasticæ propaginis, primùm quidem in Ægypto, & Palæstinâ, deinde etiam in aliis Orbis regionibus: ut testatur S. Chrysostomus (b): *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso prorsus omnem illam Eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus.* Teste Palladio (scribente (c) Seculo quarto ea quæ vidit) in Monasteriis circa Alexandriam erant circiter bis mille; inter Alexandriam, & montem Nitriæ, circà lacum, qui dicitur MARIA, erant quinque millia; & isti erant Esseni, seu Essenorum posteri, quod & successio in eundem locum, & identitas exercitiorum persuadent, habeturque ex supradictis; & in vicina solitudine viri perfecti sexcenti: quorum vitæ rationem refert, & hæc inter cætera: *Circa horam nonam licet stare, & audire in unoquoque Monasterio Hymnos & Psalmos Christo canentes, & preces ad Hymnos emittentes, adeo ut existimet quispiam se sublime elatum transmigrasse in Paradisum deliciarum.* Ibi consequenter cap. 9. scribitur de Abbate Or habente Monasteria mille fratrum, & quod ad eum convenirent tria millia Monachorum. Joannes Moschus *in Prato Spirituali* scribit in Scithi fuisse Patres quasi ter mille & quingentos.

Monastices propagatio, *& multiplicatio Seculo quarto,* *in variis mundi partibus,* *Describitur.*

(a) Cant. 2.
(b) Homil. 8. super Matth.
(c) in Hist. Lausiaca c. 7. & in Paradis. Heraclid. c. 2.

453. Azorius (d) ad hoc propositum scribens refert ex S. Athanasio in vita S. Antonii, quòd *in monte Monasteria tamquàm tabernacula, plena divinis choris, psallentium, orantium, lugentium, qui infinitam regionem quandam, & oppidum, à mundana conversatione sejunctum, videbantur incolere.* Ex S. Hieronymo, in vita S. Hilarionis tradit, quod *in Palæstina innumera fundaverit Monasteria.* De Isidoro, quòd *in uno ejus Monasterio plus quàm mille morarentur.* De Apollonio, quòd *plus quàm quinquies mille Monachis præesset.* De Ammonio *patre trium millium Monachorum, qui omnes variis spiritus sancti donis fulgebant.* Similiter ad Abbatem Or *conveniebant quoque tria millia.* Serapion *pater erat decem millium Monachorum.* Macharius in Tabenna *habebat septem millia discipulorum.* Ex Theodoreto scribit, *in Palæstina, in Ægypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, in Syria, infinita fuisse Monasteria*: in quibus omnibus experiri licebat illud delectabile: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* O verè felicia Ecclesiæ, & Monastices secula, quando Ægypti & Palæstinæ Deserta tot Monachis ornata erant.

(d) Instit. tom. 1. lib. 12. cap. 21.

454. Ruffinus libro 2. de Vitis Patrum hæc scribit: *Venimus autem ad quandam civitatem Thebaidis nomine Oxyrinchum, in qua tanta religionis deprehendimus bona, ut ea nemo dignè valeat enarrare. Repletam namque eam Monachis intrinsecus vidimus omni ex parte circumdatam.* Et infrà: *Sed nec portæ ipsæ, nec turres civitatis, aut ullus omnino angulus ejus Monachorum habitationibus vacat; quique per omnem partem civitatis die ac nocte Hymnos ac Laudes Deo referentes, urbem totam quasi unam Dei Ecclesiam faciunt.* Et paulò post: *De his autem quæ erga nos ab ipsis populis gesta sunt, videntibus transire nos per civitatem suam, & velut Angelis occurrentibus, atque honorem deferentibus, quomodò enarrem? aut de ipsis Monachis, & virginibus, quorum innumeræ multitudines (ut suprà diximus) in illâ urbe habentur? requirentes enim à S. Episcopo loci illius, viginti millia virginum, & decem millia Monachorum inibi haberi comperimus.* Vix tot hoc tempore in magnâ aliquâ Provinciâ reperiuntur. Plura ad hoc propositum videre cupiens adeat Annales Ecclesiasticos Baronii & Carmelitarum Lezanæ (a).

(a) ad an. Chr. 328. & ante ac post.

455. Illis etiam temporibus Monasticæ & Eremiticæ vitæ splendorem illustriorem reddiderunt plures Sanctissimi Episcopi, ut S. Epiphanius, *ab ineunte ætate à Monachis præstantissimis institutus, & longissimo tempore versatus in disciplinâ Monastica*, ut testatur Sozomenus *lib. 6. cap. 32.* Magistrum habuit primùm Lucianum Monachum doctrinâ & virtute clarissimum, Catholicæ Religionis præclarus pugil, & Salaminæ in Cypro Episcopus, doctrinam vitâ, & vitam doctrinâ comprobavit ad usque ætatis centesimum decimum annum, & tres menses. Spiridion Episcopus Trimithuntinus etiam in Cypro. S. Joannes Chrysostomus suo tempore celeberrimus (quem Monachum fuisse, & Regulas quasdam Monasticæ exercitationis scripsisse, habetur ex vitæ ejus Scriptoribus, specialiter Georgio Patriarcha Alexandrino) S. Gregorius Nazianzenus (per annos tredecim unà cum sancto Basilio in cœno-

Tum floruerunt plerique sanctissimi Episcopi, *ut S. Epiphanius,* *sic & S. Spiridion,* *S. Ioannes Chrysostomus,* *S. Gregorius Nazianz. & S. Basil.*

cœnobio conversatus verisimiliter in Palæstina circa Jordanem, aut Carmelum) cujus frequenter meminit S. Amphilochius quondam SS. Basilii, & Gregorii Nazianzeni in eremo socius, de quo in Martyrologio Romano ad diem 23. Novemb. ista: *Iconii in Lycaonia Sancti Amphilochii Episcopi, qui Sanctorum Basilii & Gregorii Nazianzeni in eremo socius.)* & alii non pauci; Episcoporum enim veluti seminaria erant tum Monasteria. *Solebant ex Therapeutis, & Asceticis, quasi viris perfectis, creari Episcopi, imo Episcopi erant Therapeutæ, ut patet ex S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Gregorio, S. Augustino, qui vitam contemplativam jungebant actioni.* Ita Cornelius à Lapide, *in Epistolam 3. Ioannis.* Plura ad hoc propositum Baronius *ad annum Christi* 328, ubi refert, S. Athanasium ex Monachis creasse Episcopos, & subjungit: *Negari quidem non potest, fuisse Monachismum seminarium in Ecclesia Dei Sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilii, Gregorii, Chrysostomi, & alii tam in Oriente quam in Occidente viri spectatissimi prodiere.* Fuerunt & alii præcellentes Monachismi Exercitatores, & Illustratores. Theodori Duo, alter in Monte Nitriæ, discipulus S. Ammonis, alter in Hispania, seu Lusitania, in Eremo Metellinensi, de quo Flavius Dexter in Chronico (a) & in Martyrologio Romano ad diem 20. Aprilis. S. Abraham, qui relictâ sponsâ, in Eremum secedens, mirabilem se præbuit, insigni strategemate Mariam neptem suam lapsam revocavit, prout in vitis Patrum refertur. Alter quoque Abraham Ægyptius, qui inter cæteras sententias memorabiles, rogatus de modo, quo nos Dæmones impugnant, pungens nostram desidiam, respondit: *Dæmones nobiscum non pugnant; quia voluntatem eorum facimus; sed nostræ nobis voluntates Dæmones facti sunt, & tribulant nos.* Ejusque Præceptor Sisoi haud minùs spectabilis virtutis. S. Arsenius divinitùs hac voce ad Eremum vocatus: *Fuge homines, & salvaberis*, virtutibus omnibus consummatus, perfectissimæ Conversationis Monasticæ clarissimum speculum se exhibuit; in meditatione mortis, & Divini rigoris assiduus erat, identidem ex summa humilitate ingeminans: *Domine nihil boni feci coram te: sed præsta mihi secundùm benignitatem tuam, saltem modò habere benè vivendi principia.* & hujus discipuli, digni tanto Magistro, Daniel, Alexander, Zoilus. Priori illud in vitis Patrum monitum, Religiosis meritò ruminandum tribuitur: *Quantùm corpus viruerit, tantùm Anima exsiccatur; & quantùm exsiccatum fuerit corpus, anima tantùm crescit.* Nec tantùm in Ægypto, Palæstinâ, Africâ, & Europâ tum Monachorum agmina cumulabantur, sed eorum virtutis, & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis fama, Orbis terrarum fines pervasit, ac ad usque Indos pervenit, ipsosque ad ejusdem vitæ studium excitavit, adeò ut complures eorum, *relictis omnibus rebus, in solitudines contenderent, atque in mortali corpore, eorum, qui corpore expertes sunt, vitæ rationem susceperint*, prout scribit Joannes Damascenus in devotissima lectuque dignissima *historia SS. Barlaam & Iosaphat* Regis in India, qui Patre Rege, totoque ferè regno ad Christianam fidem perductis æternum pietatis & Religionis exemplum seculis cunctis præbens, cœlestis regni desiderio terrenum reliquit, & pro amplissimis, auroque fulgentibus Palatiis, ac regiis diademate & purpura luteam casulam, & vilem tunicam elegit.

S. Amphilochius

& plures alii.

Monachismus SS. Episcoporum in Ecclesia Seminarium

(a) circa ann. 300.

quorum Sanctitas Angelica toto Orbe celebris.

456. Etiam in Sacris Virginibus tùm Monastica vita magnopere celebrabatur: clarissima tunc extitit S. Syncletica, cujus vita à S. Athanasio conscripta, exemplar, & Apophtegmata, seu Theoremata (*libro 5. in Vitis Patrum* inserta) utilissima documenta sunt pro Sanctimonialibus. In Hispania singulariter enituit Virginitatis flos laureatus sanguine martyrii in binis Sanctimonialibus Eulalia & Leocadia sub annum 301. Aliquantò post (anno 361.) Licinii persecutio sustulit quadraginta Virgines & Martyres, earumque Magistrum Ammonem: de quibus plura Baronius in Annalibus. (a) Sub annum 362. Publia nobilissimis orta natalibus, cum aliis Sacris Virginibus insignis Victoriæ triumphum retulit de Juliano Apostata. Id ex Theodoreto refert idem Baronius in Annalibus ad istum annum. Sub finem istius seculi celebrabantur Melaniæ duæ senior & junior, ac Paula Romana Monastici Ordinis propagatrix (de qua luculenter S. Hieronymus) & aliæ. Sed quid referendis paucis aliquot (tamen illustrioribus magisve nominatis) detineor; cùm sicut sanguis millium, & myriadum Martyrum in prioribus tribus seculis profusus, semen fuit Christianorum, ab initio aureæ hujus ætatis quartæ, sub Sylvestro & Constantino Magno fructificans in mille millia per universum Orbem; sic quoque felicissimis illis temporibus Virgineorum florum semina, flagello persecutionum excussa magnis creverunt auctibus; ut testatur ejus ævi Scriptor illustris Eusebius Ecclesiæ Cæsariensis in Palæstina Episcopus (b) asserens exprimi facilè non posse, quot illarum myriades suo tempore vixerint? Similia scribit S. Basilius (c) etiam S. Gregorius Nazianzenus, Sanctimonialium per totum Orbem esse plurimam multitudinem dicit, singillatim verò in Armenia nihil esse clarius, & pretiosius quàm cœtus Sacrarum Virginum. Sed fidem penè excedit, quod ait S. Ambrosius: *Discite quantas Alexandria totiusque Orientis & Africana Ecclesia, quotannis Virgines sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic Virgines consecrantur.* Timebant aliqui, ex hoc, mundum, defectu posteritatis, periturum. Sed S. Doctor breviter: *Quis, inquit, quæsivit uxorem, & non reperit?* Inter celebriores Virgines sacras istis temporibus commemoratur quoque Sara, *quam ex Ierosolymitano Dominici Sepulchri cœnobio à Ioanne nostro Antistite ad Cyrillum Alexandrinum Præsulem* (ipso

etiam Sacræ Virgines in Monastica vitâ præcellentes

S. Syncletica

Eulalia cum Leocadia

(a) ad ann. 316.

Publia & aliis

Melania & Paula.

Martyres innumera

(b) lib. 3. Evang. demonstrat. cap. 6. fol. 129.

(c) Epist. 2. ad Amph.

quarum fama per universum mundum percrebuit.

Sara Virginis Sanctitas

(ipso expostulante ut praesset Virginum Cœnobio ea in urbe ab ipso, juxta dicta superiùs, extructo) transmissam fuisse, tradit noster Bostius; & sequuntur Paleonydorus, Coria cum aliis posterioribus. Ita Lezana (a) de ea narratur quòd per tredecim annos à fornicationis spiritu fortiter impugnata, numquàm oraverit, ut recederet à se turpis illa pugna, solùm dicere solita: *Domine da mihi fortitudinem.* Cùm aliquandò illam infestiùs tentasset, ipsaque viriliter restitisset, apparens ei fornicationis spiritus dixit: *Tu me vicisti Sara*, & illa: *Ego non te vici, sed Dominus meus Christus.* Mirabilissimum quoque illud de ipsa eodem libro refertur, quòd, scilicet, cum sexaginta annis habitasset suprà alveum fluminis, (Nili videlicet, quo in loco Cyrillus hoc Cœnobium condiderat) *nunquam inclinata est, ut flumen ipsum aspiceret.*

(a) In Annal. Carm. ad an. 417.

tentatione probatur.

& mortificatione stupenda.

457. Porrò Monachismi, & Anachorismi persecutionibus Tyrannorum (de quibus jam ante) seculo tertio valde diminuti, restauratores, ac propagatores fuere S. Chariton in Palæstinâ, deindè S. Antonius in Ægypto, S. Hilarion etiam in Palæstina, S. Basilius in Ponto: & S. Eusebius Episcopus Vercellensis in Italia, & S. Martinus in Gallia (ubi in uno eorum Monasteriorum, etiam Episcopus existens, cū Octoginta Monachis, quantùm curæ pastorales sinebant, degebat) S. Athanasius Romæ, S. Patricius in Hibernia, & alii alibi. Istis igitur felicissimis temporibus Monasticū Institutum, prioribus seculis ferè unicum seu ejusdem rationis, in varias dispertitum fuit Congregationes, seu Ordines, in substantialibus quidem inter se convenientes, in variis autem quasi accidentalibus discrepantes. Quòd verò in primis quatuor seculis Monasticum Institutum indivisum, & unicum dumtaxat, nempè Propheticum Elianum ab ipso S. Propheta Elia inchoatum, ab Eliseo mirificè auctum, in filiis Prophetarum, Rechabitis, & Essenis continuatum, à Christo consummatum, ab Apostolis practicatum, à S. Marco & Essenis ei adhærentibus, atque aliis (qui è Carmelo, aliisque locis descendentes ab Apostolis in fide instructi, & Baptizati, eorum sunt facti coadjutores) per varias regiones propagatum, & per prima secula jugiter conservatum, atque sanctâ, ac mirabili conversatione apud omnes commendatum; quodque omnes ferè, & singuli Monachi, & Eremitæ illis temporibus ad Propheticum & Elianum Institutum quadamtenus spectent, veluti Eliæ posteri & assectæ, seu saltem imitatores, Patrum, Doctorum, & Historicorum luculentis testimoniis comprobat P. Joannes Baptista de Lezana, in Apparatu ad tomum 2. Annalium Carmelitarum, ac in decursu istius operis. Id ipsum succinctè demonstrabitur in speculi Carmelitani tomo 2. post vitam S. P. Eliæ, sub isto titulo (b) FUNDAMENTA XII. *quibus superstruitur totius Monastices, & peculiariter Carmelitanæ Religionis antiquitas, ac continuata successio. In iisdem stabilitur veritas, & resplendet evidentia Iuris, quô Carmelitano Ordini asseruntur sancti veteres Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & Virgines sacræ*: & ibi peculiariter ponderandum FUNDAMENTUM VI (a) cujus iste est titulus: *In primis Ecclesiæ Christianæ seculis Monasticum, & Eremiticum institutum unicum erat, & indivisum: & Monachi, Therapeutæ, Anachoretæ, fuerunt Monastices, seu vitæ Religiosæ à S. Elia inchoatæ, per filios Prophetarum, & Essenos continuatæ, ac propagatæ cultores; quidam successione, quidam dumtaxat imitatione.* Et FUNDAMENTUM XII. *Religiosi monastici status prima scaturigo, & fons, indesinentis fluxus usque in præsens, magnus Propheta Elias. Hinc de antiquitate, & sanctitate Religiosi monastici status, mendacia Hæreticorum manifestata, & explosa, ac Dogma Catholicum stabilitum.*

Monachismi persecutionibus diminuti restauratores.

Monasticum Institutum hoc tempore dispertitum in diversos Ordines,

in substantialibus convenientes,

antehac indistinctum nempe Elianum.

quò spectant omnes ferè Monachi ut Eliæ posteri, assectæ.

(b) N. 177. & seq. ad usque 367. pag. 72. ad 99.

(a) N. 308. & seq.

Quo sensu, probatur.

458. Seculo igitur quarto sub medium, & sequentibus, redditâ Ecclesiæ pace, Ordo Monasticus, & Eremiticus, à sanctissimo Propheta Elia, seu fonte, originaliter scaturiens, per ejusdem sequaces continuatus, usque ad Christum (à quo perfectionis complementum accepit) per SS. Apostolos quoque verbo & exemplo commendatus, instar fluminis cujusdam indesinenti fluxu intrà sui alvei limites profluentis: sed tandem, sic auctis quasi in immensum Monachis, & Monasteriis (veluti quandoque flumina accessione torrentium, dum nimium redundant, in plures se secant partes, & canales, qui omnes ad idem mare profluunt) Monasticum Institutum, ante unicum & indivisum, in varias est dispertitum congregationes: ita ut multorum coactio, sub iisdem, seu similibus institutis, censeretur una Religio, à Congregatione alterâ separata, sicque sub suis Præpositis independenter ab aliâ ordinata. Undè Ordinum diversitas, & distinctio orta est feliciter, atque varietas Religiosorum: qui omnes tribus votorum clavis trinæ Professionis suffixi, propriis sibi efformatis crucibus seu piis exercitiis, & austeritatibus, ac vitæ formulis, ad eumdem cuncti tendunt finem: qui est, Christo, Monasticæ Conversationis excellentissimo exemplari, conformari in hac vita & consociari in altera. Tunc impletum fuisse videtur illud Psalmi *Adstitit Regina* (Ecclesia) *a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Varietas enim illa Institutorum Monasticorum in eadem fidei consensione mirè Ecclesiam exornat. *Nec impedit Ecclesiæ unitatem, quæ perficitur per unitatem fidei & charitatis, & mutuæ subministrationis, secundùm illud Apost. ad Ephes. c. 4. vers. 16. Ex quo totum corpus est compactum, scilicet per fidem, & connexum, scilicet per charitatem, per omnem juncturam subministrationis, dum scilicet unus aliis servit.* Ita S. Thomas (b) Conformiter scribit S. Bernardus (c) *Sicut multæ mansiones in unâ domo, ita hic Ordines multi sunt in unâ Ecclesiâ. Et quomodò hic divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; ita ibi distinctiones gloriarum, sed una domus.* In Ecclesia triumphante etiam multi sunt cœlestium spirituum Ordines, & Hierarchiarum munera varia. Sic & in uno corpore multa sunt membra ad diversas

Ordinum distinctio orta feliciter.

Varietas Religiosorum ad ornatum Ecclesiæ.

(b) 2. 2. q. 113. art. 2. ad 1.

(c) Epist. ad Abbat. Clun.

versas deputata functiones. Igitur post seculum quartum præcipui & illustriores post præfatos Charitonem, Antonium, Hilarionem, Basilium, Monastici Instituti propagatores & fundatores, subsequentibus seculis fuere, magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Bruno, S. Norbertus, S. Romualdus, S. Dominicus, Seraphicus Franciscus, S. Franciscus de Paula, S. Ignatius, atque alii nonnulli, quibus meritò accensetur S. Teresia: de quibus hìc plura subnectere, & extrà propositum esset, & superfluum; cùm historiæ passim obviæ sint, atque Annales omnium fere Ordinum præfatorum, de eorumdem ab illis fundatorum Ordinum Origine, progressu, & viris illustribus conscripti, & editi passim extent. Sufficit verò jam perspexisse Religiosi monastici status in genere, ab exordio mundi usque in præsens adumbrationem, originem & propagationem, tamquam in brevi tabella expressam. Deinceps verò peculiariter Carmelitani Ordinis Fundamina, exordia, & accrementa succinctè tradentur, tum ejusdem antiqua monumenta proferentur, & illustrabuntur.

FVNDAMENTA IV.
CARMELITANÆ HISTORIÆ.

459. QUemadmodum ædificia, ut firma sint, superstrui debent fundamentis & basibus, quibus non satis stabilitis, corruunt structuræ impositæ. Sic in Historiis sua requiruntur stabilimina quibus innitantur. Fundamentum seu basis cujusvis Historiæ censenda veritas; nam ea deficiente nil nisi mendacium, aut commentum habetur. Fundamenta quoque Historiarum sunt auctoritates referentium: qui quò probiores, & magis veraces, eò major est historiarum probabilitas. Hinc primum, & solidissimum historiarum fundamentum est Divina auctoritas revelans, nobis tradita in litteris sacris, cui falsum subesse, est impossibile; cum Deus sit ipsa summa prima veritas. Post Divinam revelationem, primarius honor debetur Ecclesiæ, Summorum Pontificum, & Patrum assertis, ac declarationibus, quas ponè subsequuntur aliorum virorum sanctimoniâ, aut eruditione præstantium auctoritas, nec non Scripturæ authenticæ, atque alia rationum momenta.

Historia Fundamenta necessaria.

Quænam solidissima.

460. Quoad Carmelitanam Historiam ea potissimè versatur circa istud assertum: *Sanctus Propheta Elias fuit Eremita, Religiosus Monachus: Monachorumque Princeps: & Carmelitani Ordinis Patriarcha: à quo hæreditariam tenet successionem.* Veritatis istorum fundamenta nec non Carmelitanæ historiæ propugnacula, sunt quatuor præcipua, videlicet I. SCRIPTURA SACRA. II. AUCTORITAS PATRUM, ILLUSTRIUM SCRIPTORUM, ATQUE SUMMORUM PONTIFICUM. III. UNIVERSALIS, ET CONSTANS TRADITIO OMNIUM HUJUS ORDINIS HISTORICORUM, ET SCRIPTORUM. IV. CARMELI ET ALIORUM LOCORUM QUÆ SS. ELIAS, ELISEUS, ET FILII PROPHETARUM INCOLUERUNT, JUGIS INCOLATUS, DONEC ORDO TOTUS A BARBARIS PULSUS SEDIBUS, ET NATALI SOLO EXTORRIS, IN EUROPAM TRADUCTUS FUIT. Fundamenta ista quatuor pariter etiam sunt totidem propugnacula; & ut talia hìc consequenter statuuntur.

Carm. Hist. Fundam. IV.

ut totidem propugnacula.

FUNDAMENTUM I.
Scriptura Sacra.

461. QUoad veritatem istius asserti: *S. Elias Monachus fuit, & Monachorum primus auctor, Princeps*, eâ fundari in Scriptura Divina ecquis in dubiû revocet; cum id tam apertè adseverant, præcipui Monasticarû rerum Scriptores (referendi Fundamento sequenti) & alii plures; atq; in ipsis Sacris litteris evidenter sit expresû, aut perspicuè indè eruatur, si attendatur quid sit Religiosus, Eremita, Monachus? Religiosi status essentia consistit in Paupertate voluntaria, Castitate perpetua, & Obedientia integra, voto firmatis. Imprimis Paupertatem, omniumque rerum abdicationem, expressô mandato Deus Eliæ injunxit, dicens (a): *Recede hinc* scilicet de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui; non solum animo, ut terrenis possessionibus tui generis & caducis mundi divitiis cor tuum non apponas: sed etiam opere non possideas. (Ita quidem S. Elias id præstitit, ut nè quidem victualium quidpiam conferret, aut haberet.) *De torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te.* Mendicatum igitur cibum accepit nunc à corvo, nunc à vidua, nunc ab Angelo. Et quia paupertatem summam amplexus erat, à vidua Sarephtana non panem delicatum, aut multum, sed dumtaxat *buccellam panis*, & quidem *subcinericei* postulavit. Paupertatem similiter ejus magnam testantur vestis ejus pauperrima melotes ex pilis camelorum confecta, & habitaculi carentia; frequenter enim sub dio degebat, veluti dum quadraginta diebus, & noctibus ambulavit in deserto, & quandoque aliàs: subindè autem pro domo illi erat specus, sive antrum in Carith, aut spelunca in monte Oreb, & potissimum in Carmelo. *Cælum pro tecto, humum, pro thoro, solitudinem pro mensa habebat* inquit S. Chrysostomus *libro de virginitate*, & in Homilia 2. ad populum Antiochenum, sic inter cætera: *Quid enim dic mihi, Eliâ pauperius? . . . Ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit: quoniam enim omnium pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putavit inferiorem, nec philosophia sua dignam; ideò tantam pauperiem amplexatus est.* Sic & Eliseus

primum est S. Scriptura

asserens Eliam Monachum

(a) 3. Reg. 17.

& Monachorum primum Auctorem.

Religiosi status essentia consistit in tribus votis.

Quæ servavit Elias ejusque sequaces.

Votum Paupertatis.

Eliseus primarius Eliæ discipulus *relictis bobus cucurrit post Eliam*. Atque ità *relictis omnibus secutus est Eliam*. Ita Apostoli, quando Christus vocavit eos, *relinquebant omnia, & sequebantur eum*: sic Petrus, & Andreas fratres, *relictis retibus, secuti sunt eum. Sic etiam Iacobus & Ioannes Zebedæi, fratres, relinquentes patrem & navem, vocantem Christum secuti sunt*, Matthæi 4. ità Abulensis *in caput* 19. *libri* 3. *Regum quæstione* 23. Et istud insigne est vocationis ac sequelæ ad Dei famulatum exemplum, dum ad unã Eliæ vocem omnia omninò relinqueret, & ab omnibus omninò rebus sequestratus, totus transivit ad Dominum. Atque ità dicere poterat: *Ecce ego reliqui omnia*.

462. Ità quoque eorum discipuli *Filii Prophetarum*, polentâ & herbis agrestibus victitabant & eleemosynis, ut habetur ex capite quarto libri quarti Regum. Propterea Theodoretus (2) scribit: *Filios Prophetarum nil proprii possedisse, sed vixisse in communi, ut jam faciunt Religiosi*. Idem in caput XI. ad Hebræos ista verba: *Circuierunt in melotis, egentes*, explicans: Ità, inquit, *Elias ille magnus: ità Eliseus illius gratiâ hæres: ità plurimi Prophetæ, qui ne domos quidem habebant*. Hinc S. Isidorus inquirens: *Unde studium paupertatis defluxerit?* Respondet: quòd *ab Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum*.

(2) quæst. 19.

463. Castitatem Eliæ innuunt ista: *Accinctisque lumbis currebat*. Et illa: *Vir pilosus, & Zonâ pelliceâ accinctus renibus*. Quòd præcinctio lumborum in Elia denotet castitatem, declarabitur hic infrà libro 7. cap. 2. Id etiam innuit Joannes Cassianus libro 1. de Institutis cœnobiorum, agens de cingulo monachi: *Accinctis lumbis, inquit, jugiter oportet incedere. Hoc enim habitu etiam illos ambulâsse, qui in veteri Testamento professionis hujus primordia, Eliam scilicet & Eliseum, divinarum Scripturarum auctoritate monstratur ... Quorum prior, qui in veteri Testamento virginitatis jam flores, & castimoniæ, continentiæque præfigurabat exempla*. Ita quoque S. Gregorius Nyssenus Oratione 7. in Cantica ad caput 4. *Elias insignia vitæ continentis exempla præbuit*. S. Epiphanius virginitatem S. Eliæ commendat variis locis, & quidem in libro, seu epistola ad Matidium & alios, inscripta, *Ancoratus*, his verbis: *Elias erat in virginitate, ut prærogativâ virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem*. S. Hieronymus libro 1. contra Jovinianum, his in eum invehitur verbis: *Eliam ergò quàm stultè in Catalogo posuerit maritorum, me tacente manifestum est. Si enim Ioannes Baptista venit in spiritu & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est; utique non solùm in spiritu ejus venit, sed etiam in corporis castitate*. Idem tradunt passim Patres alii. Hinc insignis eruditionis vir Ægidius Camartus Generalis Minimorum, in libro de S. Elia Thesbite, cap. 6. sect. 8. scribit: *Elias illibatum virginitatis florem custodivit. Is autem thesaurus adeò magnus est, ut ob hanc causam Elias miris laudibus ex communi Patrum sententia celebretur*. Alia quædam ex eodem, hîc paulò infrà sequuntur. Castitatem S. Elisei adstruunt passim Patres iidem, qui de S. Eliæ virginitate agunt: satis erit hic audivisse S. Epiphanium: qui hæresi 63. agens de virginitate, dicit eos esse virgines, qui Angelicam in terris æmulantes vitam, seipsos castrârunt propter regnum cœlorum, & in medium producit SS. Eliam, Eliseum, & Joannem. *Elias, inquit, & Eliseus, & Ioannes, & omnes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum, rectè secundum Evangelicam Domini ordinationem seipsos propter regnum Dei castrârunt*. De castitate S. Eliæ (pariter & de ejusdem paupertate, ac obedientia) luculenta testimonia videre licebit in ejus vita. (a)

Castitatis.

(a) vide Tom. seq. pag. 56. 57. & seq.

464. Eadem est ratio Filiorum Prophetarum, eamdem vitæ rationem tenentium, quibus congruit istud S. Chrysostomi libro de virginitate: *Nam si uxores habuissent & liberos, haud facilè adducti essent, ut & in solitudine viverent, & suas familias contemnerent*. Sic etiam Lezana, expendens historiam descriptam *libro* 4. *Regum cap*. 4. de collectis herbis agrestibus, & per cocum in ollam grandem paratis, deque panibus hordeaceis distributis centum viris (Filiis scilicet Prophetarum) colligit eorum castitatem, eò quòd inter centum viros nulla referatur mulier, quæ saltem coquinæ eorum adstaret. Hinc S. Hieronymus libro de virginitate, ad Eustochium: *Virgo, inquit, Elias, virgo Eliseus, virgines multi Filii Prophetarum*.

465. Obedientiam Eliæ (qualis esse potest in aliquo Ordinis Fundatore, & Superiore) & quòd voluntati propriæ abrenuntians, semper Superioris, id est, Dei voluntatem prorsus secutus fuerit, ut loquitur Joannes Jerosolymitanus, testantur ista: *Fecit juxta verbum Domini*, & pòst: *Iuxta præceptum tuum feci omnia hæc*. Quinimò: *Profundè, & altè considera, & invenies, quòd Deus plus quàm decem præcepta imposuerit Eliæ*, inquit eruditus Commentator Joannes Sylveira, idque accuratè declarat, & ostendit exactissimam, ac promptissimam Eliæ obedientiam, ob quam meritò exemplar & prototypon religiosæ obedientiæ fuerit. Obedientiam promptissimam Elisei, *ad unam Eliæ voculam omnia relinquentis, & sequentis*, expendens S. Chrysostomus, confert cum obedientia Apostolorum, sequentium Christum vocantem: *Perpende, ait, fidem & obedientiam vocatorum: cuncta illicò relinquentes fecerunt, quod Eliseus quoque sub Elia legitur implêsse*: qui mox, etiam nè quidem parentes salutaturus, abire ausus fuit, nisi cum licentiâ Eliæ Superioris sui. Obedientiam Filiorum Prophetarum eruunt Doctores ex istis verbis cap. 2. lib. 4. Regum: *Adoraverunt eum proni in terram*, veluti Superiorem & Patrem loco Eliæ: quem suum ipsi Superiorem, & spiritualem Patrem agnoscerent in ejus pallio, qui priùs eodem officio fungebatur. Et ex eo quòd capite 6. ejusdem libri, licentiam ab ipso petierint, ædificandi cellulas circa Jordanem.

& obedientia.

466. Com-

466. Communis est Theologorum sententia, requiri ad substantiam Religiosi status, ut ista tria etiam voto firmata sint. Id in SS. Prophetis Elia, Eliseo, & eorum discipulis Filiis Prophetarum non defuisse, luculenter satis declaratum est. Ideò hîc breviter expediendum. Imprimis vota in usu fuisse in veteri lege constat ex multis Scripturę locis: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* (a) Ità frequenter alibi, & quidem peculiariter quo-ad castitatem, eruitur ex *capite* 56. *Isaiæ Prophetæ* promittentis præmia magna Eunuchis spiritualibus, & Sapientię capite 3. dicitur *Felix Spado* &c. Patres autem plures Eliam, & Eliseum referunt inter *Eunuchos*, seu *Spadones* spirituales, de quibus Christus *Matthæi cap.* 19. *Qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Plura ad hoc propositum vide infrà in parte 2. Synopsi 2. num. 1369. & seq. num. 1376. & seq.

(a) Eccl. 5. v. 3.

Quod fit ex voto, magis est meritorium.

467. Insuper indubitatum est, istos SS. Prophetas, & eorum discipulos plures fuisse Sanctissimos, & à Deo illuminatissimos, atque ita (præterquàm quòd lumine naturali, fide instructô, id notum sit) sciebant opus quodlibet bonum Deo gratius esse, & magis meritorium ex voto factum, quàm sine illo: & quòd ad perfectionem requiratur omnimoda sui abnegatio, quâ quis ità seipsum abneget, ut non possit retrocedere; atque ità necessariò includit votum. Erant quoque ipsi perfectionis majoris, & Deo placendi desiderio studiosissimi. An non indè evidenter credibile, eos paupertatem, castitatem, & obedientiam servasse ex aliquali voto? Illa confirmantur ex votis, seu juramentis Essenorum.

sic fecerunt prophetæ & eorum discipuli.

468. Propter has rationes Patres tradunt Apostolos servâsse paupertatem, castitatem, & obedientiam ex voto: quamvis illud Scriptura non exprimat. Nam ex eisdem locis, & verbis quibus Christus Dominus paupertatem, castitatem, & obedientiam consuluit; consuluisse ętiam infertur perpetuitatem; ergo & immobilitatem ejus, seu firmitatem, propter quam votum adhibetur. Eâdem est ratio in SS. Elia, Eliseo, & Filiis Prophetarum. Propterea passim Patres eos nuncupant *Monachos*, & *veraciter Monachos*, imò & *Principes Monachorum*. Quomodò autem *Monachi*, & *eorum Principes* verè dici possent, si essentialia Monachi in illis deficerent? Hinc plures disertè adstruunt, ipsos tria illa vota emisisse. Ità Ægidius Camartus Generalis Minimorū libro de gestis Eliæ ait: (b) *Omnium Monachorum parentem, qui tria essentialia Religionis vota primus ipse opere adimpleverit.* Et Joannes Carthagena, (c) *Eliam ejusque Successores, tam paupertatis votum, quam reliqua substantialia Religionis emisisse.* Qui circa hæc plura requirunt, videre poterunt Annales Ordinis, per Ven. P. Lezana Tomo primo in Apparatu, aut Armamentarium Carmeli R. P. Francisci Bonæ Spei, ubi hæc differuntur, resoluuntur, & authoritatibus Patrum, ac Doctorum confirmantur, Scuto primò: *Sanctissimus Dei Propheta Elias in antiqua Lege spiritu prophetico novit perfectionis religiosi status in Lege nova futuri substantiam.* Scuto 2. *Vota, etiam castitatis, de qua potissima difficultas, non fuerunt in Lege veteri prohibita.* Scuto 3. *Sanctissimus Dei Propheta Elias obedientiam, paupertatem, & castitatem opere servavit.* Scuto 4. *Sanctissimus Dei Propheta Elias Filios Prophetarum, Essenos &c. habuit sibi in obedientia, paupertate & castitate successores, quorum fuit Fundator, Patriarcha, & Princeps.* Scuto 5. *Filii Prophetarum, Esseni &c. obedientiam, paupertatem & castitatem in antiqua Lege opere servaverunt.* Consequenter stabiliuntur S. Prophetæ Eliæ atque etiam Filiorum Prophetarum, & Essenorum vota. Excerpta ex isto Armamentario, seu ejus epitomen habis hîc infra, *parte 2. Synopsi 2. Scuto 6.*

& Apostoli,

etiam Elias Eliseus &c.

(b) cap. 6. sect. 8.

(c) Lib. 17. homil. 2. obiect. 7.

quod ulteriùs ostenditur

469. Et hactenus quidem de tribus istis Paupertate, Castitate, & Obedientia, in quibus voto firmatis consistit essentia Religiosi status. Alia verò etiam Religiosis peculiariter competentia, ut sunt Vita communis, exercitia Divinæ præsentiæ, & psalmodiæ, solitudo, silentium, fraterna charitas, cura quoque salutis proximorum, SS. Prophetis Eliæ & Eliseo, ac Filiis Prophetarū non defuisse, habetur quoque ex Sacro Textu. Et quidem quoad vitam communem. Quòd Filii Prophetarum in communi vixerint, hoc est conventualiter, sub uno Superiore, satis liquet ex *Capite* 2. *libri* 4. *Regum*, unde habetur, quòd in Galgalis, in Bethel, in Jericho fuerint Collegia Filiorum Prophetarum; in quibus simul conventualiter habitabant. Id confirmatur ex istis *cap.* 4. *libri* 4. *Regum* verbis: *Filii Prophetarum habitabant coram eo* scilicet Eliseo, Patre & Principe illorum omnium: & ex istis *cap.* 6. *Dixerunt autem Filii Prophetarum ad Eliseum: Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis.* Dicunt *coram te*, idest in uno loco, coram te nos regente, docente, & dirigente, quasi nostro duce & Magistro in Religiosa vita. Ità Cornelius in illum locum. Quod etiam mensa communi uterentur, & eodem cibo omnes vescerentur, habetur ex eodem *capite* 4. *libri* 4. *Regum*, ubi sic Eliseus ad ministrum, seu coquum: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum Filiis Prophetarum.* Et infrà: *Infuderunt ergo sociis* (scilicet in scutellas) *ut comederent:* & aliquantò post: *Infunde turbæ* (idest multitudini, seu Congregationi filiorum Prophetarum) *ut comedant.* Exercitium Divinæ præsentiæ, & consequenter meditationis, contemplationis, satis indicant ista aliquoties repetita verba: *Vivit Deus in cujus conspectu sto.* Quòd simul psalmos, & hymnos canerent, & ideò *Prophetæ*, idest *psallentes*, & *Filii Prophetarum* dicerentur, declarabitur in sequentibus. Quòd solitudinem adamarent, patet ex locis quæ inhabitarunt, inter quæ fuerunt præcipua in Carmelo, in solitudine Jordanis. Fuerunt quoque in Monte Ephraim, in Monte Galaad, atq; aliis locis solitariis. Quòd fraternam inter se charitatem servarent, & silen-

Præter vota, observârunt ut Religiosi solent,

Vitam communem,

Exercitium divinæ præsentiæ,

Solitudinem,

(a) Isa.32. v.16.17. silentium colerent, testantur ista: (a) *Justitia in Charmel sedebit*: Quid ibi per justitiam intelligatur, mox subjungitur: *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Sed de istis plura in sequentibus. Quòd etiam quandoque saluti proximorum vacarent, colligunt passim Doctores ex Historia Sunamitidis adeuntis Carmelum, de qua peculiariter infrà ubi de Carmelo. Multitudo Filiorum Prophetarum discipulorum SS. Eliæ, & Elisei per varia Collegia dispertitorum, eruitur ex capite primo libri 4. Regum: ubi referuntur, *quinquaginta viri sequentes Eliam*, & totidem eum post raptum perquirentes. Et capite 4. dicuntur simul cum S. Eliseo habitâsse *centum filii Prophetarum.* Sic etiam cap. 18. libri 3. Regum, Abdias loquens Eliæ, dicebat, se *centum Prophetas, quinquagenos, & quinquagenos* in speluncis absconditos pavisse: quos Eliæ alumnos fuisse colligitur ex eo, quòd Abdias ob illos pastos gratiam ab Elia postulet. Quinimò tanta fuit discipulorum Eliæ & Elisei multitudo, ut Mons Carmelus, quamvis latè se extendês, atq; alia loca illis non sufficerent; propterea post raptum Eliæ dixerunt ad Eliseum: (b) *Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis* &c. de quibus S. Hieronymus (c) *Ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis*: & de victu subjungit: *Herbis agrestibus victitabant.* Atque ità latissima Jordanis replebant deserta, & etiam ad alias solitudines sese propagabant. Sed de his plura videri poterunt hîc infrà (d) ex Ægidio Camarto, & Thoma Waldensi. Porrò filios Prophetarum tamquam Superior, & Pater ex Dei ordinatione visitabat quandoque S. Elias (similiter & S. Eliseus post ejus raptum) ut constat ex capite 2. libri 4. Regum: *Dominus misit Eliam* in collegia Prophetarum Bethel, Jericho, & Jordanis ad visitandum ea, volebat enim mandare ipsis aliqua, quæ facerent. Sicut etiam post raptum sui Magistri, idem præstitit Eliseus, ad instruendos Religiosos illos in vita Monastica.

(b) 4.Reg. 6.

(c) Epist.ad Rustic.

(d) P.2. Synopsi 1. *Elias Visitans ut Superior.*

Successio Elisei. 470. Successio Filiorum Prophetarum & posterorum S. Eliæ Prophetæ colligitur ex istis: (e) *Prophetas facis successores post te*: quod non de solo Eliseo, sed & de aliis multis intelligendum, de quibus ibidem: *Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt*: nam ad mentem Joannis Jerosolymitani, quia Elias Monachos successores suos post se instituit ad vitam monasticam observandam, secundùm formam à Deo sibi traditam, & quia ipsi obtemperabant prompto corde illi Sancto Prophetæ, meruerunt ob hoc benedici à Sapiente. *Prophetas* dicit, *facis successores post te*, Elias enim fœcundum instituendi Prophetas suum spiritum Eliseo reliquit, quò Prophetas faceret successores post se. Et hunc perstitisse in Prophetis posterioribus, argumentum est, quòd in primo post Eliam Propheta, & in ultimo veteris Testamenti ac primo novi, Baptista comperiatur Christi Prænuncio, qui *venit in spiritu & virtute Eliæ.* Ità Michaël Muñoz in Pro-

(e) Eccl. 48.

& alii consequenter in eodem spiritu Elia.

ut S. Joan. Baptista.

pugnaculo Eliæ. (a) Idem confirmatur ex collatis inter se verbis Isaiæ, & aliis Michææ, de quibus vide explicationem infrà Fund. IV. num. 493. atque istis Act. Apost. cap. 3. *Vos estis filii Prophetarum*, & illis cap. 11. *In his autem diebus supervenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam: surgens unus ex eis nomine Agabus*, &c. (quem fuisse Monachum docet noster Joannes, & Mantuanus in Parthenicis libro 3. cum aliis, de quibus hîc infrà) atque illis cap. 15. *Iudas & Sylas, cum essent Prophetæ, verbô plurimô consolati sunt fratres.* Prophetarum filios, Eliæ & Elisei sequaces, coadjutores fuisse Apostolorum refert Josephus Antiochenus lib. de perfecta Militia primitivæ Ecclesiæ, cap. 12. *Eliæ & Elisei sequaces, qui de Monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam, fidem Christi constantissimè sparserunt.* Et cap. 13. v. 1. Actuum. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores.* Et hos fuisse Religiosos refert Eusebius Cæsariensis libro 2. cap. 3. Ecclesiasticæ Historiæ. *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant Prophetici Ordinis viri plurimi.* Alia versio habet: *florente jam, ac sese multiplicante apud Antiochiam Ecclesiâ, & quamplurimis illic à Ierosolymis quoque Prophetis* (idest Filiis Prophetarum) *cum quibus erant Paulus & Barnabas comparentibus.* Et post pauca: *& Agabus ibi unus ex Prophetis.* Notanda illa: *Quamplurimis Prophetis.* Quod de Prophetis strictè dictis, id est futura prædicentibus, intelligi nequit; (cum ii semper pauci numerô, non plurimi, fuerint.) Sed de viris Propheticam Monasticam vitam à S. Propheta Elia inchoatam profitentibus, nuncupatis *Filiis Prophetarum* & *Essenis.* Atque illis cap. 2. *Erant in Ierusalem habitantes viri Religiosi.* Plura videri poterunt hîc infrà parte prima, lib. 5. per totum, nec non hîc suprà cap. 5. Porrò Religiosæ Monasticæ conversationis originem, & successionem potissimè in Carmelo fuisse, ipsius etiam sacri Textus, atque aliorum plurimorum Authoritatibus, peculiariter declarabitur hîc infrà *Fundamento IV.*

(a) lib. 1. tit. 1. c. 3. art. 2.

Agabus & plures alii Viri Prophetici

Successione continuatâ, præsertim in Carmelo.

FUNDAMENTUM II.

Authoritas Patrum, Illustrium Scriptorum, & Sedis Apostolicæ.

471. Scripturarum Sanctarum expositio optima, & securissima censetur ea, quæ SS. Patrum, Doctorum Orthodoxorum, & Sedis Apostolicæ authoritatibus innititur. Pro fundamento Religiosi Monastici Status in SS. Prophetis Elia & Eliseo, eorumque discipulis, nec non Ordinis Prophetici Eliani in Carmelo instituti, aliquot jam sunt adducti textus sacri, & alii (quoad Carmelum) referentur in sequentibus. Nunc igitur declarandum restat, quòd Patres, Doctores, & Pontifices conformiter nostræ explicationi scribant. Et quidem quòd S. Elias Religiosam Monasticam vitam, primùs in-

Fundamentum alterum quo probatur Religiosi status institutum in Carmelo

Patrum, Doctorum & Pontificum consensus

quòd Elias Religiosæ Monasticæ vitæ auctor & fundator,

ceperit, & aliis tradiderit, atque ita ejus Auctor, Princeps, & Fundator fuerit, disertè adstruunt plerique Patres: & quidem *Scripturarum divinarum auctoritate* S. Eliam primum auctorem, & Principem esse monasticæ conversationis, cujus ipse primordia fundavit, disertè tradunt S. Hieronymus, S. Isidorus, Cassianus, & alii plures, referendi in hujus Speculi Parte 2. Synopsi primâ per totam. Præterea Patres passim Eliam nuncupant *Habitatorem deserti, Eremitam, vitam solitariam agentem, Principem Eremitarum*: Ità plerique in illud *Lucæ primo*, ubi de S. Ioanne Baptista: *Præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Et in istud *Matthæi XI. Ipse* (Ioannes Baptista) *est Elias*; sic explicant: *In deserto*, inquiunt, *Elias, in deserto Ioannes*, aut: *Vita austeritas rigorque mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt: uterque in eremo, uterque zonâ pelliceâ cingebatur.* Sed circà istud plura in sequentibus. Alii plurimi eum *Monachum*, & *veracitèr Monachum* appellant, eorum verba adducentur in sequentibus, præsertim in 2. Synopsi parte primâ, nè alioqui in limine prolixiores simus.

Eremitarum Princeps,

Monachorum exemplar,

Alii Eliam Monachis omnibus proponunt tamquam exemplum, exemplar, prototypum, Speculum & ideam Religiosæ Monasticæ conversationis. Ità quidem Monasticam conversationem auspicaturus S. Antonius (teste S. Athanasio in ejus Vita cap. 2.) *Ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud Speculum vitam suam componere cœpit.* Hinc Macharius, ejusdem Antonii discipulus, suos hortabatur, ut *Eliam, Eliseum, ac Filios Prophetarum veteris Testamenti veraciter Monachos, imitarentur.* Sic & Cassianus hîc antè & Zozomenus & alii suprà c. 4. adducti, testantur olim Monachos S. Eliæ vitam, virtutes, habitum in memoriam revocâsse, & prospexisse, ut secundū istud exemplar operarentur, & se illi conformarent. *Ad exemplū Eliæ Thesbitæ pellibus se induebant, ut singuli ex pelle corpori circumjecta, virtutē Prophetæ semper in memoriam revocantes, &c.* Ita Zozomenus. (a) Itaq; S. Elias cęteris monachis fuit prototypon, seu primū exemplar monasticæ conversationis, sed, juxta doctrinā S. Thomæ, exemplar debet esse perfectius, aut æqualis perfectionis cū exemplato, scilicet in ea ratione in qua est exemplar. Et secundùm eumdem, exemplar est, ad cujus imitationem fit aliquid: faciebant enim S. Antonius, & Monachi alii, juxta exemplar à Deo monstratum in Elia primo Monachorum, & ideò suum spiritum mensurabant per spiritum Eliæ; nam juxta Philosophum: *Primum in unoquoque genere, est mensura cæterorum.* Per accessum enim, vel recessum ab illo primo, cognoscimus perfectionem aliorum in eodē genere.

(a) in Eccl. Hist. lib 3. cap. 13.

reliquis omnibus perfectius.

Aristot. 10. Metaph. tex. 2.

Expenditur voluntaria Paupertas Eliæ & sequacium.

472. Alii voluntariam Paupertatem Eliæ, Elisei, & Filiorum Prophetarum deprædicant. S. Chrysostomus, verbis jam antè adductis, & S. Ambrosius: *Elias ita indigus erat omnium, ut nihil haberet suum.* S. Bonaventura (b) *Non enim mihi eos, qui accusant paupertatem, afferas, sed eos qui per eam fulserunt. Cum hac Elias educatus, raptus est: beata illa rapina: cum hac Eliseus claruit.*

(b) in Opusc. de paup. Christi art. 2.

S. Asterius, Homiliâ adversus avaritiam, S. Elisei paupertatem sic quoque deprædicat: *Eliseus hic erat Propheta, terrenis quidem bonis carens, incorporeis autem, ac cœlestibus copiosè instructus: Philosophus ab aratro, sine domo, ac lare: veste unâ ac simplici utens.* Theodoretus: *Quòd autem vita Prophetarum nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus* (Eliseus) *nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium: nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosq; ab aliis allatos.*

473. Castitatem eorumdem adstruit S. Hieronymus, verbis jam antè relatis, qui ibidem Eliam, non tantùm *Virginem*, sed & *Messorem Virginum* nuncupat. Ejusdem Virginitatem adstruit quoque veneranda Patrum universitas. Ità Camartus Minimorum Generalis, in erudito opere de gestis Eliæ, tractans de Castitate ipsius: *Eam*, inquit, *communi consensu Patres omnes asserunt, Ignatius, Origenes, Iustinus, Athanasius, Basilius, Ephrem, Gregorius uterque, scilicet Nazianzenus & Nyssenus, Chrysostomus. Theodoretus. Ex Latinis verò Tertullianus. Cyprianus, Hieronymus. Philastrius, Augustinus, adeòque tota Theologorum schola, qui omnes unanimi consensu, ex Scripturæ auctoritate, Eliam Eremi incolam fuisse docent, & procùl a matrimonio viventem in perpetua Virginitate.* Sic de Eliseo S. Andelmus: *Nonne propter pudicitiæ virginalis infulam, magistri fretus melote, enormem Iordanis gurgitem diremit?* Ita quoque alii. Hinc S. Ephrem & alii, illum referunt inter *Eunuchos* spirituales, *Qui propter Regnum cœlorum se castraverunt.* Obedientiâ quoq; ipsorum, Silentiū, Solitudinē, item Orationis, Meditationis, Contemplationis, Divinæ præsentiæ exercitia in ipsis commendant, laudibus extollunt, & in exemplum passim Patres proponunt, sicut videre licebit in vita S. Eliæ, & S. Elisei, tomo 2.

Castitas eorundem extollitur,

Obedientia, Silentiū, solitudo, oratio,

474. Peculiariter Patriarchatum Ordinis Carmelitani adstruunt S. Eliæ omnes Ordinis hujus alumni, ipsum nuncupantes *Patrem nostrum*, ità quidem S. Angelus Martyr, & S. Teresia, & in Officio Canonico de S. P. N. Elia. Quoad exteros (sigillatim in sequentibus adducendos, hic autem obiter nominandos) Ioannes Molanus, & Ioannes Gillemannus, in Martyrologiis ad XV. Kalendas Iulii scribunt: *S. Elia Propheta Domini, Carmelitanæ Religionis Patriarcha.* Abbas Trithemius: *Elias Propheta Domini, rectè & Catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur.* Werneius Rovelinck: *Elias Propheta, auriga Israël & origo Religionis Carmelitanæ.* Gilbertus Genebrardus agens de Institutione Ordinis Carmelitarum: *Eorum*, inquit, *origo repetenda à Prophetis Elia, & Eliseo.* Ista brevitati hìc à nobis intentæ sufficiant: alii plures conformitèr scribentes videantur hìc infrà Parte 2. Synopsi 1. Hinc Universitas Cantabrigensis in Angliâ, quondam celebris, in binis decretis circa Ordinis Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli originem, *Fratres dicti Ordinis successores esse SS. Prophetarum Eliæ, & Elisei, pronuntiavit, decrevit, declaravit.* Decreta illa integra habes hic infrà in Appendice ad Partem primam (a).

Patriarchatus Eliæ adstruitur,

ab Universitate Cantabrigensi expressè decretu comprobatur,

(a) § 5. n. 517. & seq.

475. Adhæc

Auctoritate Sedis Apostolica confirmatur,

475. Ad hæc, pro antiquitate Ordinis hujus inchoati per S. Eliam, & jugiter continuati per ejusdem sectatores ac successores, gravissimum accedit pondus ab auctoritate Summorum Pontificum expressissimis verbis adstruentium Ordinis hujus à S. Elia institutionem, fundationem, & hæreditariam successionem, istis terminis in suis Ordini huic concessis Diplomatibus utentium: *Ordinem ipsum, & illius personas . . . Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Ita quidem Sixtus IV. Innocentius VIII. Julius II. & Gregorius XIII. Joannes XXII. scribit, Carmelitanum Ordinem *ab Elia & Eliseo in monte Carmeli inchoatum.* Ita quoque Alexander V. Bullam Ioannis confirmans. Clemens VIII. Sanctos Prophetas Eliam & Eliseum *Carmelitani Instituti Auctores,* & modernos Carmelitas esse *ipsorum hæredes.* Auctoritates istæ Summorum Pontificum (& Bullæ in quibus referuntur) & similes Sacræ Congregationis Rituum, pleniùs referentur, & expendentur posteà (a) ubi etiam eadem confirmabuntur binis revelationibus cœlestibus, Ecclesiæ Auctoritate approbatis.

(a) in parte 2. Synopsi 1.

FUNDAMENTUM III.

Universalis, & constans Traditio domesticorum Historicorum, & Scriptorum de Patriarchatu S. Eliæ in hoc Ordine, & hæreditaria successione ab eodem.

Pro tertio Fundamento universalis & constans Traditio,

476. Regula juris est, quòd *in possessionum, vel hujusmodi negotiis hi potissimùm assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat.* Itaque jure meritò, pro fundamento historiæ Carmelitanæ, & Patriarchatus S. Eliæ in hoc Ordine assumendi, & admittendi domestici Ordinis, *Qui ejusdem negotia tractaverunt, & de quorum scientia, visu, vel auditu dubitari non possit.* Cùm enim *unusquisque* (teste Aristotele lib. 1. Moral. cap. 3.) *ea rectè judicet, quæ cognoscit,* ambigendi locus non est, quin unius familiæ, seu Reipublicæ homines de iis, quæ in ipsa acciderunt, cęteris aptiùs judicare possint; ac proindè veluti legitimi Testes, testimonium de ipsis proferre. Certum namque, & indubitatum est, testem quemlibet eò esse magis idoneum ad testandum, quo majorem certioremque notitiam habet, aut habere potest ejus rei, de qua testandum est: atqui Carmelitæ majorem, & perfectiorem habent, aut habere possunt notitiam suæ primæ Institutionis; tùm ex Traditione à majoribus per manus acceptâ, & ad posteros transmissâ; tùm ex diligenti antiquorum monumentorum, frequentique pervolutatione; cum in eo ipso cœtu degant, & ejus membra sint, in quo hujusmodi Traditio accipitur, & vetusta monumenta faciliùs ad manum sunt. Sic Iosepho Iudæo de rebus Iudaicis, Plinio ethnico & aliis, de suis Italis Historicis de Italia, Benedictinis Scriptoribus de suo Ordine, atque ita

Legitimorum testimonium fide dignorum,

in cæteris fides præstatur. Hìc quoque congruit, id quod scribit Melchior Canus tractans de Historiæ humanæ auctoritate, hanc primã statuens Regulam: *Prima lex ex hominum probitate, integritateq; sumetur, quæ omninò res locum habet, cùm quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, accepisse &c. in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerunt, piaculum est.*

asserentium ubiq; & semper, originem ac successionem continuatã Ord. Carm ab Elia,

477. Porrò Ordinis hujus Historici omnes, ubique locorum, & semper originem, & successionem continuatam, hæreditariam Ordinis à S. Propheta Elia deducunt: & ii omnes Regulam Ordinis, fundamenta, & monumenta antiquitatis, & cætera, quæ Ordinem concernunt, viderunt, inspexerunt, palpârunt, aut per Traditionem quasi de manu ad manum acceperunt: ita ut hic locum habeat istud Psalmi 77. *Patres nostri narraverunt nobis, non sunt occultata à Filiis eorum in generatione altera. Quanta mandavit Patribus nostris, nota ea facere Filiis suis, ut cognoscat generatio altera: Filii qui nascentur, & exurgent, & narrabunt Filiis suis.* De ista constanti, & universali Traditione audire libeat gravissimi Patris de Lezana assertum. *Hanc scilicet communem nostrorum sententiam de successione hæreditaria ab Elia repetenda, antiquam semper Ordinis Traditionem fuisse, adeòq; firmam, & constantẽ, ut numquam alius præter ipsum, titulo Fundatoris, aut Institutoris creditus, vel nominatus reperiatur.* Subdit: *Nec enim vel leviter suspicari licet, tot viros Sanctitate, & Doctrinâ cõspicuos, qui in Ordine nostro, Dei gratiâ, omni seculo claruerunt, in hac re vel inscitiâ seductos, vel ambitione seductores extitisse.* Quæ verba benè notanda: sicuti & illa Melchioris Cani: *in quibus mendacium suspicari, piaculum est.* Istam autem Traditionem esse universalem, & constantem in hoc Ordine, ad oculum patebit percurrenti loca, & tempora, quibus claruerunt Ordinis hujus alumni, assertores Eliani Patriarchatus. Plura ad hoc propositum adferentur in sequentibus (a).

à quibus gravissimus P. Lezana diserte affirmat,

ex irrefragabili Traditione,

(a) Parte 2. Synopsi 1. & 2.

quæ constans habenda & universalis,

478. Traditio enim illa censenda constans & universalis, quæ (respectivè) semper, & ubique viget, & viguit. Traditionem autem illam de Patriarchatu Eliæ in hoc Ordine ubiq; (in omnibus Regionibus ubi Ordo existit, aut extitit) & ab ipso Elia usque in præsens, semper viguisse, jam paucis declarandum. Imprimis quoad loca, Palæstinæos, Syros, & Græcos audiamus. Ioannes Ierosolymitanus Antistes libro integro, cui titulus est: *De Institutione primorum Monachorum,* scripto anno Christi 412. Ordinis Carmelitici originem à S. Propheta Elia & jugem successionem usquead Christi in cœlos Ascensionem, ac deinceps ad sua usque tempora luculenter tradit. Liber ille, sectus in septem partes, seu libros partiales, totus hic insertus est parti primæ hujus Speculi. Itaq; de illo libro, & ejus Auctore, plura in sequentibus. S. Brocardus patriâ Ierosolymitanus eumdem Ordinis hujus processum à S. Elia, tradit in Statutis antiquis Ordinis editis anno Domini 1171. Vide hic infrà: S. An-

semper & ubiq; vigens,

ut videre est in Statutis Ordinis,

in Vita S. Angeli Ierosolymitani, S. Angelus itidem Jerosolymitanus (anno Christi 1220. martyrio decoratus) Carmelitas nuncupabat *successores Prophetarum*, & SS. Prophetas *Eliam ac Elisæum Patres nostros*, & miracula plura specialiter ad illorum invocationē fecit, de quibus in ejus vita per Enoch Patriarcham Jerosolymitanum *cap.* 4. Undè in Divino Canonico Officio Ecclesiæ Auctoritate approbato, ad diem 5. Maji, Lectione quintâ de eo legitur: *Insignem sanctitatu virum patribusque suis Eliæ ac Elisæo persimilem miraculis Deus similibus illustravit.* *ex ejus Officio Canonico* Guilielmus de Sanvico Carmeli incola, & ibidem circa annum 1280. Prior in libro *de multiplicatione Ordinis hujus in Terra sancta* (inserto huic operi parte prima *libro* 9. per totum) *cap.* 1. *Fundatorem Ordinis Eliam* nuncupat: & capite ultimo tradit, Ordinem in Carmelo, *à tempore Eliæ & Elisæi Prophetarum continuè, & incessanter in contemplatione Dei perstitisse.* *& aliis Terræ sanctæ monumentis.* S. Cyrillus, natione Græcus, patriâ Constantinopolitanus, habitatione Carmeli incola, librum scripsit per modum Epistolæ Directum ad Eusebium Priorem montis Neröi circa annum Christi 1210. *De processu, & variis Regulis hujus Ordinis*, in quo Regulam Ordinis identidem nuncupat: *Propheticam disciplinam vitæ Monasticæ per Eliam Prophetam institutæ.* *Conformiter assertum est à variis Scriptoribus,* De ipso Auctore & isto Libro plura vide hîc infrà *in Prænotatione ad Partem primam, & libro* 8. *cap.* 1. atque ibi *in Notis.* Et isti quidem omnes Terræ sanctæ incolæ fuerunt. Ne autem in longo Auctorum recensu Lectorem diutiùs hic cum fastidio detineamus, per Europæ Regna, & Provincias cum celeritate transcurrentes, ex singulis præcipuos dumtaxat Scriptores commemorabimus. *in tota Europa doctrina fama notis.* Exordiemur autem ab Italia, ubi celeberrimâ opinione eruditionis, & pietatis floruit Baptista Mantuanus Ordinis Generalis *Theologus insignis, & Poëta verè pius, cujus integrum corpus extat Mantuæ.* *In Italiâ,* Ita de eo Possevinus & plures alii. Is passim in suis scriptis Eliam Religiosorum ac Monachorum omnium Principem, ac specialiter Carmelitani Ordinis Patriarcham & Fundatorem statuit: & quidem in *Dialogo de vita Beata.* Et *lib.* 2. *de Patientia cap.* 27. Et *libro* 3. *Parthenices*, agens de Carmelo, & Elia, atque de Ordine ab eo instituto, tradit, Carmelitas *propaginem esse Prophetarum. Reliquias antiqui generis, Vatumque propaginem.* Eadem etiam confirmat in *Apologia* inferenda *Parti* 2. hujus Speculi. Ita quoque Baptista Ferrariensis, Martinus cognomine Italus, Nicolaus Aurificus, Christophorus Silvestranus, Camillus Ausilius, Franciscus Voërsius, Thomas Saracenus, Philocalus Caputus, atque alii viri celebres scriptis suis S. Eliæ Patriarchatum asseruerunt, & propugnârunt. Istis jure hîc accensendus, imò non immeritò omnibus præferendus Ven. P. Joannes Baptista de Lezana, Hispanus quidem natione, patriâ Matritensis, ast meliori vitæ suæ portione habitator, Doctor, & Scriptor Romæ, qui in quatuor Tomis Annalium præ cæteris omnibus luculenter, perspicuè, solidissimè, & ordinatissimè Ordinis originem, & successionem deducit à S. P. Elia usque ad Eliani spiritus æmulatricem S. Teresiam. Sic & Michaël Muñoz Cordubensis Romæ vixit, & scripsit insigne opus *Propugnaculum Eliæ*, in quo propaginem Carmeliticam, nec non totius Monastices initia à S. Elia deducit. Similiter Joannes à Jesu Maria Calaguritanus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicæ, annis 30. commoratus in Italia, præsertim Romæ, undè quædam producentur in sequentibus.

479. Ab Italia transeamus ad Hispaniam, in qua abhinc annis trecentis (anno Christi *Hispaniâ,* 1370.) Philippus Riboti Doctor Sacræ Paginæ, Provincialis Cathaloniæ, edidit insigne volumen, cui titulum præfecit *de Institutione, & peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum*: quod ordinatissimè distributum in decem libros, locum obtinet primum in hoc Speculo. In eo Ordinis à S. Elia institutio, & successio usque ad tempus ipsius auctoris perspicuè traditur. Aliquantò post Bernardus Olerius, etiam ex Cathalonia, Prior Generalis, in libro, de quo ista Possevinus: *Bernardus Olerius Hispanus Magister Carmelitarum, scripsit ad Urbanum VI. de antiquitate Ordinis sui &c. in quo demonstrat successionem Fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli ab Elia, & Elisæo sanctis Dei Prophetis.* Liber ille locum habebit in Speculi hujus parte 2. Bernardus de Montesa Provinciæ Aragoniæ Vicarius Generalis per Hispaniam idem declarat in *Elucidationibus ad librum de Institutione primorum Monachorum.* Claruit an 1470. Post istos alii, numero benè multi, eruditione celebres (è quibus aliquot dumtaxat celebriores nominabimus) libris & voluminibus integris idem argumentum calamis subegerunt. Didacus Martinez à Coria in Opere cui titulus est: *Dilucidatium* seu *Demonstratio chronologica antiquitatis Ordinis Dominæ nostræ de monte Carmelo*, Emmanuel Romanus *in Elucidationibus antiquitatis Ordinis*, Thomas à Jesu in Libro *de antiquitate ejusdem Ordinis*, & in erudito Opere *de variis Regulis*, Franciscus à S. Maria in Opere cui titulus est *Historia Prophetica*, & alii plures. Silentio neutiquam involvenda Seraphica Teresia, clarissimis verbis Patriarchatus Eliani assertrix, variis in locis. Ita quidem in libro *de fundationibus Monasteriorum cap.* 29. Verba ejus adferentur in sequentibus (a) Lusitania, inter non paucos *(a) n.* 1345. eruditione atque pietate præstantes Eliani Patriarchatus defensores, habet Joannem de Victoria in *Hierarchia Carmelitana*, & Joannem de Sylveira, notissimum in Sacra Evangelia, & Apocalypsim Commentatorem.

480. Gallia quoque plures protulit Eliani Patriarchatus assertores insignes. *Galliâ,* Præcipui sunt Ioan. Grossi Tholosanus Ordinis Generalis electus an. 1389. in *Viridario Ordinis*, quod subsequitur *in Parte secunda.* Ioannes de Vineta Armoricus, Provincialis Franciæ circa an. 1370. in *Chronico Ordinis* à suo Protoparente Elia usque ad annum Christi 1240. Illud etiam inseretur *Parti secundæ hujus Speculi.* Ioannes de Ciminetho Metensis circa an. 1330. in

in Opusculo inscripto *Speculum Ordinis*, de quo latiùs in eadem *Parte 2. hujus Speculi*. Ioannes Soreth Generalis Ordinis, quem meritò *virum Sanctæ vitæ, & in Divinis Scripturis eruditissimum* nuncupat Trithemius. Is in Commentario super Regulam, sub initium, succinctè successionem Ordinis (præcipuos ejus eventus recensendo) tradit à S. P. Elia usquead tempus datæ per Albertum Patriarcham Regulæ. P. Leo à S. Ioanne, iteratis vicibus Provincialis Turoniæ, & Assistens Generalis, in variis libris eleganter scriptis, peculiariter in Typo vestis Religiosæ, in Delineatione Observantiæ Rhedonensis, & in Floribus Sanctorum concione de S. Elia. P. Mathias à S. Ioanne, etiam Turoniæ ac deindè Vasconiæ Provincialis, in insigni *Historia Panegyrica Ordinis hujus, originem & successionem hæreditariam habentis a magno Propheta Elia.* Id ibi luculenter, & solidè præstitit, sicuti etiam Dorotheus à S. Renato in *Commentario Theologico Historico super Libros Regum, & Apocalypsis.* Ex Patribus Discalceatis P. Thomas Aquinas, in erudito Opere: *De Patriarchatu Ordinis Carmelitani sanctissimo Propheta Eliæ vindicato, & totius Monastices Principatu eidem adserto.* Suo isti titulo veraciter correspondet ipsum opus: sicuti etiam aliud, cui titulus est: *Successio S. Prophetæ Eliæ in Ordine Carmelitano*, Auctore Ludovico à S. Teresia. Præfata opera typis edita sunt Parisiis.

481. In Germania, Monachatum, & Patriarchatum S. Eliæ asseruerunt etiam libris integris plures, imprimis Ioannes de Hildensheim Westphalus, *in Defensorio Ordinis hujus*, scripto per modum Dialogi, in quo per aliquot capita demonstrat, quòd *in Carmelo Elias fuerit primus Fundator hujus Ordinis.* Istud Opusculum habebit locum suum *in parte secunda hujus Speculi.* Claruit iste circa annum Christi 1360. Aliquantò posterior fuit Ioannes Gluel, *Prior Coloniensis, de Aquisgrani civitate Imperiali oriundus: Vir in Divinis Scripturis egregiè doctus... Scripsit inter cætera studii sui Opuscula, volumen, hujusce Religionis cultoribus non abjiciendum, de origine & profectu Ordinis sui.* Ita Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi etiam alia ejusdem opera recenset. Istius libri initium est: *Notandum hic de origine.* In Polonia Blasius Palatius de origine & profectu, ac Provinciis hujus Ordinis, undè quædam adducentur in sequentibus.

Germania,

482. Belgium quamvis extensione cæteris arctius, numero tamen Scriptorum Historicorum Ordinis, aliis Regionibus, & Regnis compar, aut suppar haberi potest. Celebriores sunt Arnoldus Bostius Flander, cujus aliqua huic Speculo inserentur videlicet in *Parte 3.* Liber *de Patronatu B. Virginis Mariæ Parte 5.* Liber *de Viris illustribus Ordinis*: in *Parte 2.* agetur de ejusdem *Speculo historiali*: & in Vinea Carmeli editum fuit ejusdem *Breviloquium Tripartitum*: in quibus omnibus Ordinis initia, & progressum deducit à S. Elia. Claruit circa annum Christi 1490. Ioannes Palæonydorus seu de Aqua Veteri, Batavus natione, Bostio contemporaneus, etiam inter præcipuos Ordinis Historicos habitus, de origine & progressu Ordinis à S. Elia usquead sua tempora tribus complexus est libris, cui propterea titulum indidit *Fasciculi Tripartiti*, variis in locis typis editi. Balduinus Leersius Atrebatensis, duobus istis aliquantò anterior (obiit an. 1483.) edidit *Collectaneum exemplorum Ordinis hujus* (inserendum *Parti 3. Speculi hujus*) in quo sub initium hanc statuit, & probat assertionem: *Primi sui Institutores, ac Fundatores Elias, Eliseus.* Ioannes Geerbrandus Leidanus, in Historia Ordinis luculenter scripta, & Ægidius Faber Doctor Lovaniensis, ac Petrus Lucius etiam Theologiæ Doctor, patriâ Bruxellensis, ille in *Ordinis Chronico*, hic in *Compendio historico Ordinis*, atque in aliis de Ordine editis Opusculis. Petrus Wastelius Flander, Theologiæ Doctor, Belgicæ Provincialis, & Provinciæ ejusdem ac Hiberniæ Commissarius Generalis, de Historia, & antiquitate Carmelitana optimè meritus, ab annis circiter 50. (anno 1611.) scripsit Tractatum Apologeticum pro libro *de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum.* Deindè multorum annorum spatio, magno cum labore, per Belgium & Galliam, in Bibliothecis præcipuis, Ordinis hujus antiquitates & vetustiora monumenta scrutatus, indefatigabili studio magnum edidit volumen *Vindiciarum libros tres*, in quorum primo docet, & confirmat, *Eliam Thesbyten apud veteres dictum fuisse veri nominis Monachum.* Et infrà: *Eliam, Eliseum, ac Filios Prophetarum veri nominis fuisse Monachos.* Et posteà monstrat *Essæos, de quibus Philo & Iosephus, posteritatem fuisse Sanctorum Eliæ & Elisei.* Franciscus Bonæ Spei, annis plurimis Lovanii & alibi Philosophiæ, Theologiæ ac Sacræ Scripturæ Lector, & Regens, ac deindè Provincialis, in erudito Opere *de Magni Prophetæ Eliæ S. Ordinis Carmelitarum Fundatoris visione*, peculiariter etiam tractat, *De Ordinis Carmelitarum à S. Patriarcha Elia Institutione, ejusque hinc omnium verè & perfectè Monachorum Primatu*: & istud plurimis auctoritatibus confirmat. Novissimè verò confecit *Armamentarium Carmeli*: unde Synopsis sequitur hic infrà in parte secunda Speculi hujus (a).

Belgio,

(a) n. 1356. & seq.

483. Anglia, & Hibernia, ultima Europæ versus Occidentem Regna, olim inter Provincias Ordinis hujus non modò haud postremæ, imò inter omnes primæ censeri poterant, præsertim quoad viros omnigenâ eruditione præcellentes, quos inter nominatissimi sunt Ioannes Bacho circa annum Christi 1330. Provincialis Angliæ, quo *vix Orbis Christianus illâ ætate doctiorem produxit*, inquit, Pitseus. Thomas Waldensis, *Vir verè doctissimus, & sanctus* (scribit Possevinus) nuncupatus *potentissimum Wiclephistarum, & Hussitarum flagellum.* Et Thomas

Anglia & Hibernia,

mas Bradley Episcopus Norwicensis in Hybernia, sanctæ vitæ odore, & doctrinâ celebris (undè, & de quibus plura in sequentibus, ne hîc debito prolixiores simus.) Similiter Guilielmus Conventrensis, & Nicolaus Linnensis (seu de Linna) circa an. 1360. Joannes Hornebius an. 1370. Richardus Lavinghamus an. 1380. Nicolaus Cantalupus an. 1440. Qui omnes, atque etiam alii, Theologiæ Magistri, doctrinâ præstantes, pro Ordinis sui hæreditariâ à S. Eliâ successione, aut circà Historiam ejusdem, libros integros scripsêre. De quibus videri poterunt Lelandus, & Pitsæus de Angliæ Scriptoribus, nec non in *Speculi hujus parte 2.* Synopsis prima *cap.* 3. & 4.

Estque ea traditio universalis quoad tempus.

484. Et hactenùs quidem de Traditione illa universali quoad loca; sed & quoad tempus etiam talem esse, ex dictis colligi potest. Gradatim quidem ascendendo, & cursim præcipuos aliquot dumtaxat nominando, hoc præsenti seculo originem, & successionem Ordinis à S. Propheta Elia voluminibus, libris, seu Tractatibus integris asseruerunt (ut ex pluribus aliquot præcipuos nominemus) PP. Joannes Baptista de Lezana, Thomas à Jesu, Franciscus à S. Maria, Michaël Muñoz, Petrus Wastelius, Matthias à S. Joanne, Franciscus Bonæ Spei, & alii plures. Pro seculo præcedenti (ab anno 1500. & deinceps) nomināsse sufficeret præfatam Virginem Seraphicam Teresiam (cujus solius testimonium æquivalet multis) & Baptistam Mantuanum: quibus meritò accensendi Joannes Paleonydorus, Ægidius Faber, Petrus Lucius, & alii nominati jam antè. Ascendendo ad præcedēs, quod incipit ab anno 1400. eandem originem, & successionem scriptis tradiderunt præfati Thomas Waldensis, Thomas Bradley, Joannes Soreth, Arnoldus Bostius, & alii. Ulteriùs progrediendo proximè post annum Christi 1300. Angliæ, Ordini huic, & Orbi illuxit fulgidum eruditionis sydus Joannes Bacho: eodem seculo claruerunt quoque Joannes de Hildensheim, Philippus Ribotì, Joannes de Vineta, Joannes Grossi, atque alii, qui similiter de eodem subjecto, doctrinæ suæ monumenta posteris reliquerunt. Seculo anteriori, hoc ipsum scriptis asseruerunt Guilielmus de Sanuico, & Sibertus de Beka, & (teste Enoch Patriarcha Jerololymitano) adstruit S. Angeli auctoritas. Gradum faciendo ad seculum undecimum (quod inchoatur ab anno 1100.) in eo Sanctitatis radiis Ordinem collustrârunt S. Bertholdus, & S. Brocardus, successivè Priores Generales (de quibus hîc infrà lib. 8. cap. 2. & 3.) venerantes pro Ordinis Patre, & Fundatore S. P. Eliam: tunc quoque Ordini huic aggregatus fuit S. Cyrillus, etiam in Generalatu successor, Eliani Patriarchatus assertor ex præcipuis.

Ostenditur, per secula assignatis Scriptoribus.

Ordo anterioribus seculis valdè à Saracenis afflictus & minoratus.

485. Seculis anterioribus Ordo valdè afflictus à Saracenis Terram Sanctam occupantibus (sicut hîc infrà libro 7. cap. 6. & libro 8. cap. 1. videre licebit) minoratus fuit in Religiosis, & Scriptoribus: intereà Traditio de Patriarchatu Eliæ in hoc Ordinē; exarata, & consignata, ac intimè impressa extitit in ipsa Religiosorum Carmelicolarum vivendi normâ secundum *disciplinam Monastica vita eremitica per Eliam Prophetam instituta*, nec non in ipsa Regula, seu libro pro Regulâ tunc habito, de quo *libro* 8. *capite* 1. Eadem erat vitæ Religiosæ ratio ab anno 639. ad usque (ascendendo) quadringentesimum duodecimum. Anno autem 412. scriptus est (ut jam ante dictum) præfatus liber *de Institutione primorum Monachorum*. Sed tam in veteri, quàm in novâ Lege fuisse illam Traditionem ante istum librum scriptum, habetur ex eodem libro. Vide hîc infrà *libro* 1. *cap.* 1. & ibi in Notis, circa illa verba: *Sicut hac omnia ...... tam in veteri, quàm in nova Lege* &c. Undè & Salianus, ibidem referendus, asserit istum Joannis librum scriptū partim ex Traditione Seniorum, quibuseum à puero vixerat, *qui & ipsi à majoribus eadem per manus acceperant.* Atque ità habemus Traditionem illam *de Patriarchatu S. Elia* constantem, & universalem, & quoad loca, & quoad tempus; & quidem etiam scriptô assertam à plurimis eruditione, & virtute præclaris viris, qui testes sunt omni exceptione majores, seu assertores Patriarchatus Eliani in hoc Ordine, nec non hæreditariæ, & jugiter continuatæ successionis ab ipso S. Elia.

Traditio de Patriarchatu Elia permansit

impressa in vivendi Norma Carmelicolis exarata.

Assertor est Joannes Hierosolymitanus,

486. Quid si unicus dumtaxat rei illius assertor esset, & historicus Joannes Jerosolymitanus Patriarcha in præfato libro *de Institutione primorum Monachorum*? An non unius ipsius authoritas sufficere possit? Is qui negaret meritò exploderetur verbis Theophili Raynaudi, in simili. *Ille bellum se argutatorē monstrabit, qui hâc unâ securi magnam partem Lucubrationum de vita Sanctorum exciderit, & nominatim qua ex S. Hieronymo habemus, aliis intacta, ut vitam S. Pauli Thebai, & S. Hilarionis, ac narrationem de Malcho, & de muliere septies ictâ. Concidet item vita S. Antonii, à solo S. Athanasio descripta, & inter figmenta reputabitur: quod nemo sanus, aut sobrius dixerit.* Sic in Actis Sanctorum, Scriptis Patrum, & Historicorum etiam Judæorum, Ethnicorum, innumera reperiuntur solitariè, ab uno solo tradita, & ea ut vera recipiuntur. Cur id Joanni præfato denegetur?

& unicus sufficiens,

esto, vixerit aliquot seculis post S. Eliam,

487. Sed dicet quispiam Carmelitanæ historiæ & antiquitatis æmulus: Joannes ille, & cæteri Carmelitanæ historiæ Scriptores vixerunt aliquot annorum centuriis post S. Eliam, ideò illis fides habenda non videtur. Respondet (in simili) pro nobis præfatus Raynaudus: (a) *Si enim solis Auctoribus aqualibus, aut supparibus credendum sit, oleum atiq; lusit & operam omnem Iosephus Hebreus, in describendis priorum mundi atatum Historiis, nec non in gestis quibusdam enarrandis, qua fuerant à Moyse pratermissa.* Consequenter exemplis aliis pluribus id confirmat, & incommoda gravissima ibidem declarat, si non nisi authoribus supparibus fides habenda, nec in materia historiæ Ecclesiasticæ Traditiones (qualis illa

(a) Scapular. Marian. p. 2. q. 1.

nec opus, ut Authores suppares sint, quibus credatur.

illa est nostra de Patriarchatu S. Eliæ in Ordine Carmelitano) admittendæ. Et hactenùs quidem de Traditione illa intra Ordinem: eam autem vigere non tantùm in hoc Ordine, sed etiam apud ipsos Summos Pontifices, habetur ex dictis Fundamento 2. & magis declarabitur hîc infrà in parte 2. Synopsi primâ. Imò esse universalem, & omnium penè gentium ac temporum (prout animadvertit Sanchez jam statim referendus) habetur ex iis, quæ hîc infrà, fusiùs adferentur. Sed & Saracenos Syriam incolentes, olim Ordinis hujus Religiosos, ut Eliæ progeniem, & successores coluisse, tradit Thomas à Jesu, libro de antiquitate Ordinis Carmelitani. Id sanè mirum est, Ordinē hunc, in barbarâ illâ Natione, etsi unà cum aliis Christianis afflictum, per annos quadringentos sexaginta non oppressū ab iis esse, nec interiisse, sed perstitisse, interdictâ dumtaxat pallii albi gestatione, ob rationem hîc infrà *libro 7. cap. 6.* declarandam. Quanti ponderis ea sit Traditio universalis, & constans in hoc Ordine, atque etiam apud exteros non paucos, expendunt Franciscus Suarez verbis alibi (a) adducendis, & Gaspar Sanctius, qui cùm dixisset, illud de processu Ordinis Carmelitani à S. Elia. *Non solùm illius Ordinis, sed & omnium penè Gentium constantem, & perpetuā Traditionem subdit: Communis, conspiransque consensio nullo interrupta tempore, eam habet auctoritatem, quam nulla nisi magna fides convellere, aut infirmare posset.*

(a) Num. 1157. & 1158.

Conclusio ex præmissis moraliter & historicè certa.

488. Ex hactenus dictis sic concluditur: Historicis quibusvis Ordinum Religiosorum, Regnorum, Provinciarum, Civitatum, etiam Ethnicis, fides passim habetur (nisi ubi manifestè, sive ex malitia, sive ex inscitia errâsse convincuntur) & ut veræ ac certæ, morali & humanâ, ac historicâ certitudine suscipiuntur historiæ ab illis consignatæ, & universali, ac concordi Traditione semper habitæ ut veræ; omnes autem Historici Ordinis hujus, & ex iis plures sanctitate, ac eruditione eminenti insignes, Ordinis originem, & continuatam successionem referunt ad S. Eliam: nec hactenus in Ordine alius quispiam Institutor, Author, Fundator, Patriarcha agnitus fuit: estque ea universalis, & constans Traditio. Itaque illa ut vera, & certa, quæ prudenter negari, aut in dubium revocari non possit, suscipienda, & tenenda.

Ord. Carm. Fundator Elias.

FUNDAMENTUM IV.

Hæreditaria, continuata successio in Carmelo, & aliis locis, quæ SS. Elias, Eliseus, & Filii Prophetarum incoluerunt.

489. Carmeli, Carmelitanive Ordinis historiam texere hîc non est propositum (id præstitum in Annalibus Ordinis) dumtaxat quædam succinctè proponentur magis notabilia, quæ in eo contigerunt, & sunt veluti vestigia continuati semper in Carmelo incolatus certaque indicia. Quòd magnus Dei Propheta Elias, & ejus discipulus Eliseus Carmelum incoluerint, & eorum sequaces post ipsos, augusta Regum historia testatur luculenter: imprimis *libro 3. cap. 18.* ubi sic Elias ad Achab: *Congrega ad me universum Israel in monte Carmeli ..... misit Achab ad omnes filios Israël, & congregavit Prophetas in monte Carmeli.* Ibi consequenter refertur miraculum illud stupendum de igne ad preces S. Eliæ descendente, & devorante holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam. Et hæc in Carmelo. Eodem *capite* sub finem: Elias *autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: ascende, & prospice contra mare...... In septimâ autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Libro autem 4. Regum *cap. 1.* refertur historia Ochoziæ ægrotantis, & mittentis in Carmelùm ad S. Eliam tres quinquagenarios Principes: & de duobus ex illis, & quinquagenis qui erant cum eis, ab igne de cœlo descendente consumptis. *Ubi omnes Interpretes per montem accipiunt Carmelum. Et cum dicitur sedere, non intelligitur simplex habitatio, sed permansio habitationis ex more linguæ &c. Interpretes intelligunt habitationem, maximè Abulensis:* qui rectè etiam notat, dici in illa historia: *Ascende: non quia Elias maneret in aliquo loco infimo, manebat enim in monte Carmelo, sed quia ipse descensurus erat de monte, & posteà ascensurus per viam per quam veniebant nuntii Ochoziæ.* Quòd autem istud: *Sedentique in vertice montis,* juxta phrasim Hæbraicæ linguæ significet habitationem, habetur ex variis locis aliis: *Super flumina Babylonis illic sedimus.* Propter istam Eliæ moram in Carmelo usque ad suam translationem *in Martyrologio Romano 20. die Iulii* dicitur: In monte Carmelo Sancti Eliæ Prophetæ. *Quòd si objicias, quòd Elias non ex monte illo, sed ex ripa Iordanis raptus est, responderi potest, non quidem permansisse in illo monte usque ad articulum translationis suæ, sed ibi habuisse domicilium usque ad illum diem, quô, Dei monitu, indè discessit, levandus in cœlum. Sed adhuc obstat quod 4. Regum 2. dicitur.* Cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in coelum, ibant Elias et Eliseus de Galgalis, *& non dicitur* de monte Carmelo. *Occurritur verò dicendo, non ità habuisse Eliam fixam habitationem in illo monte, quin interdum ad alia loca diverteret, cum Divinum obsequium, vel ratio sui muneris id postularet.* Ità Franciscus Suarez. Tom. 4. de Religione. (a)

Solidissimum denique fundamentum Carm. Historia.

hæreditaria continuata successio ab Elia.

cujus incolatus in Carmelo.

(a) Tract. 9. lib. 2. c. 10.

permanenter asseritur.

490. Ista etiam Eliæ commoratio ordinaria in Carmelo conformis est locutionibus Patrum: ad illam enim alludens Basilius in Epist. ad Chilonem discipulum dixit: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo.* Sic etiam ait Nazianzenus *oratione 16. de pauperum amore* initio: *Pulchra res solitudo, & quies, idq; me docet Elia Carmelus.* Ubi Nicetas exponit; *id est Elias in Carmelo degens quemadmodum 3. Regum liber narrat.* Et in Oratione alia: *Elias in Carmelo libenter*

benter cælesti Philosophiæ operam dabat. Et S. Gregorius Nyssenus: *Elias quidem Carmelum incolebat, clarus autem mons propter virtutem inhabitantis, & famâ celebris.* Et Abulensis: *Manebat Elias in monte Carmelo, nam ex eo tempore, quô Deus fecit miraculum, mittendo ignem super Sacrificium suum in monte illo, habuit Elias devotionem manendi in eo, & semper mansit usque ad tempus, quô raptus est in curru igneo. Vndè quandò ibant ad eum quinquagenarii Regis Ochoziæ, dicitur, quòd manebat in monte Carmelo: & sedebat, quia ibi religiosam vitam colebat.*

Donec raptus in curru igneo,

491. Istis adstipulantur Sanctius in caput 17. libri 3. Regum, & Tirinus ibidem ad versum 1. ità scribens: *Elias postquam adolevit, discipulos (qui Filii Prophetarum dicti sunt) collegit non in uno loco, & illis Monasticæ vitæ novam formam, ferè adinstar Rechabitarum indixit, qui divinis ex professo laudibus cantandis toti vacarent, ut vidimus etiam in aliis Prophetis tempore Samuelis, 1. Regum 19. vers. 20. In hos maximè grassata fuit, (crediderim odiô Eliæ) ira & furor Iezabelis, & illorum magnam stragem, & in proxima triennali fame, & exinceps edidit. Non ergo una erat, & certa Sedes Eliæ, sed pro variâ discipulorum suorum necessitate, vel solatio nunc in Galgalis, nunc in Bethel, nunc in Iericho (ut colligitur ex 4. Regum 2. vers. 1. 3. 5.) nunc aliis locis degebat: sed omnium frequentissimè in monte Carmelo. Vbi & Eliseus Eliæ primarius Discipulus commorari solebat: & uterque montem illum pluribus miraculis celeberrimum reddidit. Ibi Elias igne cælesti victimas absumpsit, & 450. Sacerdotes Baal neci dedit, cap. 18. vers. 38. & 40. Ex eodem monte bis 50. milites Ochoziæ regis eodem igne cælesti prostravit, teste Abulensi.*

ibidem discipulis vitæ Monasticæ normam indixit,

492. Quoad Eliseum igitur id quoque indubitatum; cùm individuus magistri sui socius fuerit: eoque in cœlum curru igneo rapto, ipse *abiit in montem Carmeli.* (a) Sic etiam post suscitatum Sunamitidis puerum rediit *ad dilectum sibi Carmelum*, (scribit Salianus) antequam tenderet in Galgala; quia sicuti Eliæ, ità & Elisei, & Filiorum Prophetarum ea præcipua erat habitatio. Quòd autem ibi (quamvis Filios Prophetarum per varia loca dispersos visitandi gratiâ, subinde huc atque illuc proficisceretur) ordinaria ejus mansio esset, eruitur ex facto Sunamitidis, ipsum in Carmelo quærentis: de qua *libro 4. Regum cap. 4.* ista: *Excurram usque ad virum Dei* (scilicet in Carmelum) *& revertar. Qui* (vir ejus) ait: *Quam ob causam vadis ad eum? Hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum.* Et infrà. *Venit ad virum Dei in montem Carmeli.* Indè etiam Liranus, Abulensis, Franciscus Suarez, & alii deducunt, in Carmelo fuisse Oratorium, seu Synagogam, ad quam, causâ devotionis, & instructionis per Religiosos ibi commorantes, devoti Judæi Sabbatis, & Festis confluere solebant. Sufficient hîc ea quæ Suarez scribit loco jam ante citato cui conformiter alii exponentes illa verba *quam ob causam* &c. cap. 4. lib. 4. Regum.

(a) Lib. 4. Reg. c. 2. v. ult.

ubi & S. Elisei commoratio ordinaria,

Igitur Suarez: *In his*, inquit, *verbis insinuantur duo, unum est habuisse illam fœminam consuetudinem adeundi illis diebus Carmelum, ad conveniendum Prophetam illic habitantem. Aliud est, solitam esse illuc ire causâ religionis ad verbum Dei cum aliis audiendum à Propheta, vel orandum & canendum Divinas laudes, sicut mos erat Hebræis eundi ad Orationis loca in diebus Sabbatorum, & Calendarum, & festivis aliis, ut docuit Lyranus, & latiùs Abulensis q. 30.* Undè concludit: *Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis, & Divini cultus destinatum.*

& sequacium post apti Eliæ,

493. Quod autem istorum sequaces semper Carmelũ incoluerint etiam ex aliis eruitur Scriptoribus Ducentis circiter annis post raptum Eliæ (circa annum mundi 3308. ante Christum 745.) Michæas Propheta hæc de Carmeli incolis scribebat: *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli.* Igitur tunc *saltus*, seu *solitudo Carmeli* habebat viros solitarios, *habitantes solos in saltu.* Illa intelligenda de Carmeli incolis (prout ea explicant Joannes Jerosolymitanus) satis patet, si singula expendantur: *habitantes soli* (idest solitarii) *In saltu*, saltus locus est incultus, sylvestris, & ne quis dubitet, additur *in medio Carmeli.* Michæas igitur ibi *gregem Dominicæ hæreditatis* ex his *solis*, sive Monachis coactum hominibus, qui in montibus ad interiora, divinâ gubernatione, minabantur deserti, ab hostium unguibus vindicandum vaticinatur. *Pasce*, pro pasces *populum tuum*, qui non te ad iracundiam suis excessibus concitavit. Hic est, *grex*, *hæreditate* tibi contingens, non pecorum, aut armentorum, sed eorum hominum, qui soli dicuntur degere per deserta Carmeli, aliasque montium eremos terræ promissionis vastissimas. *Habitantes* dicuntur *soli*, quia à *monos* soli sunt compellati. *Grex* propter melotarum indumenta, *In medio Carmeli pascetur Basan, & Galaad. Greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, Religiosi Eliætani, ut Gregorius Nyssenus Homil. 7. & Rupertus commentantur in Cantica lib. 3. cap. 3. *Pascentur*, ad metaphoram gregis observandam. *Iuxta dies antiquos.* Idest, ut priùs, antequàm terra vastitati daretur hostili.

494. Anno circiter mundi 3308. ante Christum 641. trecentis post ejusdẽ S. Eliæ raptum, Propheta Isaias hæc de Carmeli incolis vaticinabatur: *Habitabit in solitudine judicium, & justitia in Charmel* (id est Carmelo) *sedebit. Et erit opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.* Ista intelligenda de viris solitariis in Carmelo an non manifestè evincunt ista? in *Charmel* id est Carmelo, & pro confirmatione additur: *in solitudine*: ubi inter Fratres vigebat *pax*, & quià inter turbas, & in multi-loquio frequens est peccatum, ibi in solitudine erat *cultus justitiæ silentium.* Ecquis, inquam, emunctæ naris (ut dici solet) non illicò sub-

in solitudine.

subodoretur ex istis omnibus simul junctis, *habitantes soli, in saltu, in medio Carmeli, in solitudine, in Charmel ubi est cultus justitiæ silentium,* non designari totum populum Israeliticum, sed aliquam ejus partem, seu congregationem religiosam, in solitudine potissimè commorantem, cujus præcipua colonia Carmelus?

Pythagoras illic cum Eliæ posteris conversatus,

495. Annis ferè quadringentis pòst eumdem Eliæ raptum, Pythagoras ille celeberrimus in Phœniciam navigavit, & Carmelum conscendit, ac ibi aliquamdiu moratus fuit: refert Jamblicus Chalcedonensis Philosophus, *in ejus vita cap.* 3. cujus verba sunt. *Ab Ægyptiis quibusdam nautis opportunissimè in littora, quæ subsunt Carmelo, monti Phœniciæ, appellentibus, transvectus fuit Pythagoras: ubi solus in templo, ut plurimùm, degebat. Homines autem loci illius benignè ipsum, datis dextris, exceperunt. ... Si quid contulissent rerum, summam hominis æstimationem pretiumque prævidentes, libenter conferebant.* Infrà subjungit: *Iam tum descendens à summis extimisque Carmeli collis visus &c. Hic mons multis inaccessus erat.* Mansit itaquè in Carmelo cum incolis eremitis, Eliæ posteris, cum ipsis quandoque conferens: & ad imitationem eorum, solitariam vitam ibi agentium, etiam ipse *solus in templo* (ab Elia ædificato, *Semnion*, nuncupato) *ut plurimùm degebat.* Eamdemque vitæ rationem eo loco æmulabatur, & didicit, quam discipulis posteà tradidit, prout palàm innotescit ex collatione Instituti professionis Propheticæ cum dogmatibus Pythagoricæ scholæ. Id per plura, & ad oculum declarat Lezana *To.* 1. *Annal.*

eandem vitæ rationem æmulatus,

Alibi etiam commoratus quandoque Elias cum posteris,

496. Loca alia in quibus SS. Eliam & Eliseum, eorumque discipulos Filios Prophetarum quandoque inhabitâsse, aut frequentâsse adstruunt Sacræ litteræ, sunt Jericho, seu ejus suburbana, Galgala, Samaria, mons Ephraim, & pleraque deserta Judææ. Post Carmelum verò, præcipua mansio fuisse videtur circa Jordanem, de qua libro 4. Regum capite 6. & S. Hieronymus *Filii Prophetarum ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis.* Ibi autem, atque in deserto Jerichuntino seculis multis continuatum fuisse Propheticum Elianum Institutum, habetur ex iis quæ Plinius, Genebrardus, Dominicus Soto, Boulducus, & alii, referunt de Essenis, Eliani Instituti sectatoribus, & continuatoribus. Sufficiant hic pauca verba Genebrardi: *Eliseus ... construxit cellas Prophetis in Iericbuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros.* Et certè S. Joannem Baptistam, qui venit in spiritu, & virtute Eliæ à puero conversatum fuisse in desertis, maximè circa Jordanem, ex Euangelicâ habetur attestatione. Quod autem inter Essenos, & unus ex iis vixerit, censent auctores celebres. Sequentibus seculis, in quibus locis olim à SS. Prophetis Elia, & Eliseo, ac Filiis Prophetarum frequentatis Ordinis hujus mansiones fuerint, vide hic infrà libro 9. cap. 1. Sed nunc ad Carmelum. Annis septuaginta septem ante Christi nativitatem in Carmelo notabilis contigit historia, ex S. Cyrillo, Petro Dorlando, Joanne Paleonydorò, & aliis relata in Annalibus Ordinis hujus Tomo primo ad istum annum de Emerentiana: & aliquantò pòst, circa Christi ortum, historia Agabi ab eodem Dorlando, & Baptista Mantuano, libro 2. Parthenices.

maximè circa Iordanem,

& in deserto Iericbuntino

ubi circa Iordanem & S. Ioan. Baptista conversatus.

Notabile quod accidit Emerentianæ in Carmelo

Carmeli Patres adiit (tunc omnis Eremi
Cura fuit penes hos, & cælibis otia vitæ)
Moribus auxilium fractis habiturus, ut altam
Se tulit in Montis requiem, sylvasque silentes
Per secreta tulit gressum Speleæ: virûmque
Vivendi cæleste genus miratus, amorem
Imbibit immensum cœli.

Ibi consequenter de eodem Agabo sequitur:

Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore, cum magno fidei mysteria Paulo
Edidicit: Mariæ primus cum Patribus ædem
Vertice Carmeli posuit.

ibi Agabus Sacellum D. Virg. extruxit,

Nempè Oratorium, seu Capellam in Carmelo ad honorem Virginis Deiparæ construxit, unà cum aliis Carmelicolis. Sed notandum ibi à Mantuano *vertice Carmeli* poni phrasi poëticâ; Sacellum enim ab Agabo constructum fuit in declivio, seu à latere montis: & quadraginta pòst annis translatum, seu aliud ædificatum fuit in summitate ejusdem. Fuit enim in Carmelo duplex Sacellum, seu potius unum translatum de loco in locum diversum ejusdem montis. Nam anno Christi 38. adhuc in vivis existente Virgine Sacratissimâ, id cœptum fuit per præfatum Agabum, & alios in declivio, seu latere Montis, de quo vetustus Scriptor Josephus Antiochenus temporibus Apostolorum vicinus, in *Speculo perfectæ militiæ Christianæ cap.* 12. ubi ista: *Viri solitarii, contemplationique dediti, SS. Prophetarum Eliæ & Elisei imitatores, qui de Monte Carmelo descendentes &c. In Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium* &c. De isto Josepho plura videri poterunt hîc infrà libro 5. cap. 8. Postmodùm verò anno Christi 83. in montis summitate seu vertice ex priori loco translatum, seu mutatum Sacellum, seu Oratorium istud, consecratum fuit eidem Deiparæ Virgini, prout latiùs referetur hic infrà libro 6. cap. 5. In priori Oratorii illius fabricâ auctor, seu socius etiam fuit Henoch de Amathim, cujus mentionem faciunt Sixtus IV. Innocentius VIII. & alii in suis Bullis huic Ordini concessis.

posteà translatum ex declivio montis.

497. Ex hactenus dictis, an non satis confirmatum, posteros & successores SS. Propherarum Eliæ in Carmelo perstitisse usque ad Christi nativitatem, & diu pòst? quod confirmant auctoritates plurimorum, in sequentibus adducendæ: sufficiet hîc Joan. Jerosol. libro de Institut. primorum Monachorum (vide hîc infrà lib. 3. c. 5.) tradens *Eliseũ & cæteros Eliæ discipulos religiosos viros Filios Prophetarum, nec non eorum, tam veteris quàm novæ Legis, successores; & diu pòst, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum aliis eremis, eorum Religioni commodis, prætulisse.* Ibi etiam refert, quòd in disseminanda

Posterorum Eliæ mansio in Carmelo usque ad nativitatem Christi,

coadjutores Apostolorum fuerunt in prædicanda fide.

da fide, Apostolorum coadjutores fuerint, & Oratorium in Carmelo ad honorem B. Virginis Mariæ construxerint.

Ad varia inde loca propagati,

498. De istorum SS. Eliæ, & Elisei posterorum successione, & continuatione in Carmelo, & in aliis locis, ad quæ à Carmelo propagati erant, peculiariter tractat Thomas Waldensis in Doctrinali fidei, Tomo 1. lib.3. art.1. cap.4. ubi, inter alia, ista: *Elias zelans multiplicare Religionem Prophetarum sanctorum solicitè huic rei operam dedit...... Primum quidem statuit eos multos, & post eum Eliseus, in monte Carmelo.* Consequenter ex Scripturis ostendit, eos valdè multiplicatos, ad varia loca propagatos fuisse: & de eorum successione, ac continuatione in Carmelo, & alibi, infrà.

Confirmatur ex Ethnicorum & Judæorum scriptis,

499. Ista, de continuata successione posterorum, & sequacium SS. Prophetarum Eliæ & Elisei in Carmelo usque ad, & diu post Christi nativitatem, atque in cœlis ascensionem, confirmari possunt etiam ex ipsis Ethnicorum, & Judæorum scriptis. Primo enim post Christum seculo *Carmelus mons celebri Religionis gloriâ frequentabatur, usque adeò, ut Gentiles eum in summa veneratione haberent, ut Oraculum indè peterent, ut ex Strabone, Tacito, aliisque est clarum,* inquit Thomas Demsterus. (a) Et quidem Cornelius Tacitus, ac etiam Suetonius Tranquillus scribentes sub annum Christi 120. de Vespasiano referũt quòd Carmelum conscenderit, Oraculum, quod ibi celebre erat in Oratorio Eliæ, consulturus. Sed de his latiùs in *Vinea Carm. parte 3. c.16.* Levinus Torrentius in Suetonium ad illa verba, subdit: *Carmelũ vocant Tacitus, & Suetonius Deũ qui sine nomine est, & regnat in æternum. Hoc verò Dei Oraculum* (inquit Basilius Anguissola Theologus, & Orator Apostolicus) *non fuisse Gentilium, qui ibi non commorabantur, certum est; neque à Iudæis, contra quos tamquam hostes procedebat, petiisse, manifestum est: undè reliquum est, confirmari ibi Religiosos Carmelitas commoratos esse. De sortium verò confirmatione, loquitur Suetonius gentium more.* Sic ille. Quòd idem intellige de Cornelio Tacito. Etenim ut rectè Cardinalis Baronius: *observare est in Scriptoribus Gentilibus omnibus, qui rerum Christianarum meminerunt, eadem obscurè, concisè; dubiè, & haud usquequaque fideliter referre.* Aliquantò post istos celebris erat apud Romanos Balbinus vir Consularis, familiaris Imperatori Antonino: cui scribens in quadam Epistola, sic mentionem facit Religionis vetustæ, in Carmelo: *Mons, inquit, est nomine Carmelus: in quo vetus Religio, & Sanctitas antiqua est: Elias illic sacrificia semper offerebat, apparent etiam nunc vestigia de ara Sacrificiorũ.* De isto Balbino qualis fuerit, scribitur in vita S. Telesphori Papæ apud PP. Bollandum, & Henschenium *Tomo 1. Ianuarii ad diem 5.* ejusdem mensis. Aræ istius adhuc suo tempore (circa annum Christi 1170.) existentis meminit quoq; oculatus testis Beniaminus Tudelensis, Judæus in Itinerario, quod ex Hebraico latinum factum Benedicto Aria Montano Interprete, Antverpiæ ex officina Plantiniana prodiit, in quo aliquantò post initium de monte Carmel, seu Carmelo, hæc memorantur: *In ipso monte Eliæ Prophetæ antrum visitur, juxta quod Christiani Sacellum construxerunt, S. Eliæ dictum. In summo verò montis dorso vestigium extat altaris diruti, & combusti in diebus Achab, cujus in Eliæ historia illustris fit mentio; est Ara illius locus circularis quatuor ferè cubitorum diametro.* Quòd ait, *Christiani* (scilicet Carmelicolæ Religiosi) *Sacellum construxerunt S. Eliæ*, veriùs dixisset, instaurarunt; nam illud verisimiliter idem est, quod in Lege veteri ab *ipso S. Elia* constructum, & post illius raptum ei dedicatum fuit. De quo Gilbertus Genebrardus *in Chronographia libro 1. ad ann. mundi 3284.* Aubertus Miræus & plures alii. Istud igitur *Eliæ Oratorium, & ara sacrificiorum in Carmelo* tẽporibus Imperatoris Vespasiani, atq; etiam Antonini similiter Imperatoris (cui dictus Balbinus familiaris erat) & vetus Religio, ut Balbinus loquitur, an non satis innuunt, tunc quoq; Eliæ posteros in Carmelo commorantes, ista conservasse, & conservari curasse? Proindè meritò in vita S. Telesphori, ad diẽ v. Januarii dicitur: *Sub Antonino Imperatore florescẽte Ecclesia statu floruisse quoq; vetustum Prophetici, seu Eliani Ordinis Institutum Monasticum.* Et infrà: *S. Telesphorus Carmelitana Religionis, hoc tempore Ethnicis quoque Scriptoribus cognita, sectator extitit.* De aliis S. Eliæ posteris, successione, seu æmulatione, qui istis, & sequentibus temporibus in Palæstina, Ægypto, & alibi claruerunt, agitur Tomo 2. Annalium Carmelitarum: & præcipui commemorabantur tomo sequenti, videlicet S. Eudocia, & B. Germanus, S. Frontonius, S. Eugenia, S. Helenus, S. Chariton, S. Onuphrius, & alii: quos prospexisse S. Eliam tamquam primùm Monasticæ disciplinæ exemplar, ibidem declarabitur. Nam istis temporibus, primis post Christum seculis, Monachos, eremitas, anachoretas omnes vixisse *ad instar Eliæ*, sicut loquitur Cardinalis Baronius (a) & S. Eliam fuisse æmulatos, in veste, victu, habitatione, & observantia monastica, sicut luculenter declaratur in Annalibus Carmelitanis, & etiam hîc infrà, ac pleniùs Tomo sequenti. Ex eodem Eliano Instituto etiam ad Apostolicam Cathedram sublimatus fuit S. Dionysius, cujus festivitas per totum Ordinem Carmelitanum solemnizatur die 19. Januarii Officio Duplici, auctoritate Apostolicæ Sedis approbato, & demum anno Christi 1609. recognitò à S. Congregatione Rituum, subscribente Eminentissimo Cardinali Bellarmino, in quo ad Matutinum Lectione 4. ista leguntur: *Dionysius imitatus Sanctissimos illos Monastici instituti Duces, qui ædificatis sibi casulis prope fluenta Iordanis, & turbis Vrbium derelictis, herbis agrestibus victitabant, Anachoreticam, seu Monasticam, & verè propheticam vitam aliquamdiu egit, indè ad summum Pontificatum assumptus, Valeriano & Galieno Imperatoribus, Ecclesiam gubernavit.*

500. Intereà seculo secundo, post præfatum

Marginal notes:

(a) Historia Scotica cap.15.

& fit mentio de altari Eliæ,

& de sacello instaurato à Carmelicolis,

posteris Eliæ ibi tum commorantibus.

quos æmulati, tunc plures in Palæstina, Ægypto &c.

viventes illis temporibus omnes ad instar Eliæ,

(a) Ad an. Chr.340.

Ex eodem Instituto Eliano creatur Papa S. Dionysius,

quem colit Ordo Carm. dupl. Officio,

approbato à S. Congregat. Rituum.

Carmelicolæ Seculo 1. *&* 2. *perpessi gravissimas persecutiones infidelium,*

tum Antoninum Imperatorem, & tertio, usque ad finem, Carmelicolæ à Gentilium persecutionibus frequētibus in Christianos haud immunes fuēre: & plures eorum in variis Terræ Sanctæ locis, præcipuè circa Antiochiam Syriæ, haud longè à Carmelo, persecutorum gladio occubuerunt: illisque temporibus pauciores Sanctum Carmeli montem incolebant, latitantes in antris, ubi tuti esse possent. Qualiter deindè Eremicolas in Carmelo, & aliis Terræ Sanctæ locis, persecutionibus sævissimis, maximè Diocletiani, dispersos & diminutos S. Hilarion instauraverit seculò quartò, habetur ex ejusdem memorabili elogio, apud Aubertum Miræum, è Græcorum vetustis monumentis desumpto, in quo hæc inter alia:

dispersi & diminuti restaurantur Seculo IV. à S. Hilarione,

Hilarion Tabathensis Palæstinus, natu Gentilis,
...... Eremi cultor,
Essenorum dispersorum, in Carmelo Palæstin.
Reparator magnificus.

Ipsum autem etiam Carmelum aliquandò incoluisse, colligitur ex S. Cyrillo Constantinopolitano Carmeli incola, in Epistola præfixa Oraculo Angelico, eum nuncupantem *Coëremitam*. Seculis quarto, & quinto Carmeli vinea uberrima extitit, protulitque botros præstantissimos: ex iis sunt S. Cyrillus, posteà Patriarcha Alexandrinus, & Joannes, è Carmelo assumptus ad Cathedram Jerosolymitanam, post S. Jacobum, XLIV. De utroque in Divino officio Canonico iteratis vicibus à Sacra Cardinalium Congregatione approbato, ad diem XXVIII. Januarii in Matutinis, Lectione 4. ista leguntur. *Cyrillus Episcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Episcopi Alexandrini ex fratre nepos, à quo adolescens Athenas studiorum causâ missus, cum plurimum profecisset, ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, ut Christianæ vitæ perfectione imbueretur, se contulit: cujus consuetudine in Carmelum Montem secedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus, cœlestem vitam in terris aliquamdiu egit.* De Joanne vide plura hîc infrà in prænotatione ante partem primam Speculi hujus. De S. Cyrillo sic quoque (inter alia) Abbas Trithemius: (a) *Cyrillus Episcopus Alexandrinus, natione Græcus, montis Carmeli quondam decus, & cultor insignis, vir doctus & Sanctus* &c. Baptista Mantuanus libro primo Fastorum ad diem XXVIII. Januarii etiam commemorat.

Carmelum incolente,

cum S. Cyrillo, posteà Alexandrino Patriarcha, & Ioanne Hierosolymitano.

(a) Libr. de Scrip. Eccl.

501. Quòd autem illis temporibus (circa annum Christi quadringentesimum) Carmelus floreret disciplinâ Elianæ Monasticæ observantiæ, his auctoritatibus, & rationibus confirmatur: S. Gregorius Nazianzenus solitudinis tunc cultor insignis in suo Apologetico de se scribit: *Vt ab omni negotio feriatus, tranquillè Philosopharer, mecumque ipse, & cum spiritu colloquium haberem, Eliæ Carmelum animo agitabam:* seu, ut Bilibaldus reddidit: *Carmelum præferebam:* & in Oratione de fovenda paupertate, sic iterum Carmelum sibi proponit: *Pulchra sunt solitudo, & quies, quod me Elias docet Carmelus:* & alter Gregorius Nyssenus, in *oratione de Baptismo: Quæro Eliæ Prophetæ Carmelum.* Cur isti *animo agitabant, quærebant Carmelum?* An propter rupes, arbusta, plantas? Non tam viliter sentiendum de sanctis istis viris: sed quòd propter anachoresim, asceticamque vitam, quam eo in monte exerceri sciebant ab Eliæ & Elisei, & Filiorum Prophetarum sectatoribus, quorum consortium desiderabant. Tales ergò tunc erant in Carmelo. Ita P. Lezana in Annalibus. (a) Ad hoc intentum sunt quoque illa, quæ Cardinalis Baronius in Annotationibus ad diem 20. Julii scribit in Martyrologio: *De Æde, Eliæ nomine, Dominicum, nuncupata, extat epigramma S. Gregorii Nazianzeni ... De templo* ELIÆ *per Basilium Imperatorem restituto meminit Cedrenus in Compendio Histor. in Basilio.* Et Cornelius à Lapide in cap. 18. libri 3. Regum, ubi ista: *Nicephorus lib. 8. cap. 3. asserit, Helenam Magni Constantini matrem in Carmelo templum ædificasse Eliæ Prophetæ.* Nicephori referentis Ecclesias, seu Ædes sacras, quas S. Helena in Terra sancta erexit, hæc ad propositum scribit: *Aliamque ad acclivitatem montis Eliæ Thesbitæ*, id est, in Promontorio Carmeli, sicut scribit Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ, in tribu Isachar, num. 21. ubi post descriptionem Carmeli, subjungit: *Carmeli Promontorium, ubi S. Helena Ecclesiam construxit.* Porrò de Carmelo jugiter culto à S. Eliæ posteris, à Seculo IV. usq; ad XII aut circiter, plura videri poterunt in sequentibus Parte 1. libro 8. cap. 1. 2. & 3. Tom. 3. Annal. Ordinatque etiam Speculi hujus Tom. sequenti, Parte 4. in *Actis Sanctorum.*

Carmelus florebat disciplinâ Elianæ Monasticæ observantiæ,

cujus ibi cultor insignis S. Gregorius Nazianzenus.

(a) Tom. 3. ad an. 444. n. 14.

Helena Constantini mater templum Eliæ ædificat,

& plures illic in Eliana Religione tunc florebant,

502. Anno Christi sexcentesimo decimo septimo (juxta S. Cyrilli computum hîc infrà libro 8. cap. 1.) Cosdröes Rex Persarum Ierosolymam adveniens, totam Terran sanctam devastavit. Aliquantò pòst Humar Rex Arabiæ, sectâ Mahumetanus, cum ingenti multitudine Saracenorum Terram sanctam ingrediens, eam totam obtinuit anno circiter sexcentesimo trigesimo nono. Exindè per annos quadringentos sexaginta gemuit sub tyrannico illo Barbarorum duro jugo. Interèa Ordinis hujus Religiosi *Carmeli montem non deserentes, jugiter in eo, & in quibusdam aliis eremis Terræ sanctæ permanserunt, sub disciplinâ Monasticæ vitæ eremiticæ, per Eliam Prophetam instituta, & in prædicto Ioannis libro descripta.* Ità S. Cyrillus hîc infrà (a): Plura circa ista videri poterunt in Annalibus Ordinis.

Terram S. devastavit hoc tempore Rex Persarū Cosdröes, & paulò pòst totam subjungavit Humar Rex Arabiæ.

Religiosi Carm. tamē permanserunt in Eremis.

(a) Lib 8. c. 1. n. 291.

503. Anno Domini millesimo nonagesimo nono Ierosolyma, & consequenter tota Terra sancta per Godefridum de Bulyon, & exercitum Christianum ab infidelium potestare erutæ, dominio Christianorum fuerunt restitutæ. Tunc Carmeli Vinea tam diu crudelibus infidelium manibus pampinata, rursùs cœpit esse florida, & vindemiis spiritualibus opima. Confluentibus enim undiquè peregrinis, & maximè de Regionibus Europæ, numerus Fratrum in monte Carmelo valdè

Terra S. restituta an. 1099.

Carmelus reflorescit & multiplicatur.

valdè multiplicatus est: ità ut omnes in monte Carmeli commodè recipi non possent; propterea se contulerunt ad desertas Terræ sanctæ solitudines, in quibus prædecessores eorum antiquitùs habitaverant. Ità referunt istorum temporum Scriptores S. Cyrillus, hîc infrà *libro* 8. *cap.* 1. & Guilielmus de de Sanvico *libro* 9. *cap.* 1. Vide utrobique in Notis. Præcipui fuere SS. Bertholdus, Brocardus, Cyrillus, successivè Archimandritæ in Carmelo, & totius Ordinis Generales, qui multis virtutum signis in Terra sancta, & præsertim *in monte Carmelo, ubi in unum cum Sancto eorum successore Cyrillo, Resurrectionis diem præstolantes, sanctam Trinitatem tres simul miraculis stupendis prædicant*. Ità Arnoldus Bostius *Libro de Viris illustribus hujus Ordinis cap.* 1.

restitutus & reformatus ab Aymerico,

504. Dum sic refloresceret Ordo in Carmelo, totaque Terra sancta, Aymericus Patriarcha Antiochenus circa annum Christi 1141. in Carmelo quid præstiterit, paucis complectitur Onuphrius Panvinus *In Chronico Ecclesiastico ad præfatum annum.* 1141. ubi ista: *Ordo Carmelitarum restitutus & reformatus ab Aymerico Malafaida Lemovicensi, Patriarcha Antiocheno &c.* Sed de istis plura in sequentibus, peculiariter *libro* 8. *cap.* 2. atque inter cætera: *In hoc monte Carmeli in honore B. Mariæ Virginis Dei Genitricis Monasterium ædificari faciebat, muro alto circulariter circumdatum*: sed morte præventus non consummavit. Ab illo tempore usque ad Albertum Patriarcham Ierosolymitanum, in Carmelo, & alibi Ordo perstitit sub veteri Instituto, & adjunctis ordinationibus ab Aymerico traditis. Conversationem illorum in Carmelo exprimit Iacobus de Vitriaco Præsul Acconensis Carmelo vicinus in *Historia Ierosolymitana* (verbis infrà referendis) cap. 52. ubi hæc inter cætera: *Ad exemplum*, inquit, *& imitationem sancti Viri, & solitarii Eliæ Prophetæ, in monte Carmelo . . . Vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquam apes Domini dulcedinem spiritualem mellificantes*, Alia quædam ex eodem mox adducentur.

multi Viri Sancti imitatores Eliæ commorantur,

505. Anno Christi MCCV. Albertus à Vercellensi Sede Episcopali ad Patriarchatus Ierosolymitani Cathedram evectus fuit: qui mox Carmeli Religiosis, atque unà cæteris omnibus ejusdem Carmelitici Instituti Regulam compendiosam, ex illa priore à Ioanne itidem Patriarcha Ierosolymitano extractam scripsit, & tradidit, cujus initium est istud: *Albertus Dei gratiâ Ierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo Filiis Brocardo & cæteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta Fontem Eliæ, in monte Carmeli morantur &c.* De isto Brocardo, & Regula illi tradita sic mentio fit in Fasciculo temporum Werneri Rolevinck: *Albertus Ierosolymitanus Patriarcha, Fratrum Eremitarum S. Dei Matris in Carmelo Monasterium in melius erigit, Sanctoque loci illius tunc Priori Brocardo, mortui suscitatione, quàm pluribusque miraculis corusco, & suis Confratribus, Regulam, jure suo ordinario, tradidit &c.* Iste enim Patriarcha Monasterium ab Aymerico inchoatum, perfecit, adjuvante Rege Ierosolymitano. Sub ista Regula, mox à variis Pontificibus approbata, & deindè ab Innocentio IV. modificata, in magna temporum varietate, & calamitate, in Carmelo, & aliis Terræ sanctæ locis perstitit usquead annum Christi 1291. quo (anteà per totam Terram sanctam omnibus Ordinis hujus Monasteriis igne ferroque consumptis) Carmeli Monasterium incendio traditum, & Fratres omnes *Salve Regina* canentes gladio trucidati fuerunt: postquam Religiosi Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei posteri, & sequaces ibi continuè & incessanter perstiterant, per annos circiter bis mille, ducentos, viginti, & unum. Illûm numerum exprimit præfatus Wernerus Rolevinck in Fasciculo temporũ his verbis: *Deifera Mariæ in Carmelo ad quatuor milliaria Civitati vicinum ab eis igne crematur. . . . Tunc Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, duobus millibus ducentis viginti & uno annis perstiterant.* Eumdem assignant Guilielmus de Sanvico hîc infrà, Arnoldus Bostius, ac Philippus Riboti *libro* 10. *cap.* 5.

Regula compendio traditur.

à Pontificibus approbata, dein modificata.

observata à Carmelicolis usque ad an. 1291.

quo Monasterium igni traditum,

Eliani superstites in Carmelo perseverant.

506. Ex hactenùs dictis manifesta est veritas istius Summorum Pontificum asserti de Ordine Carmelitano: quòd *à SS. Prophetis Elia & Eliseo, & aliis Patribus, qui Montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam teneat.* Et Decreti Universitatis Cantabrigiensis: *Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo ... & Fratres dicti Ordinis, prout nobis apparuit per chronicas, & alias scripturas antiquas, imitatores ac successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisei, pronunciamus, decernimus, & declaramus.* Nec non Iacobi Saliani: *In Carmelo, totaque Chananitide Manipulos, sui æmulos, atque imitatores instituit, ad cœlestem vitam mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit; tot seculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum temporumque varietates, constantes reddidit magni sui Patriarchæ sectatores.*

Ex dictis colligitur origo Ordinis Carm. ab Elia.

& successio hæreditaria continuata.

507. Denique Fundamentis quatuor jam præjactis & stabilitis hæc superstruitur conclusio, seu assertio. Carmelitanæ historiæ præcipuæ tam firmæ, & inconcussæ veritatis habendæ, quàm aliorum quorumvis Ordinum historiæ, videlicet S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, &c. Ord. Prædicatorum, Ordinis Minorum &c. & quidem etiam recentiorum ut Societatis Iesu &c. cujus hæ historiæ inter primarias censeri possunt, de Soc. Iesu à S. Ignatio fundatâ, de S. Francisco ejus socio Societatis Iesu alumno, de nomine Societatis Iesu, de libro Exercitiorum à S. Ignatio composito, de Professione per tria vota simplicia constituente veri nominis Religiosos, atque alia: & quidem ista sunt veluti fundamenta seu partes præcipuæ Historiæ Societatis Iesu. Sed an ista certiora & veritatis magis exploratæ, quàm Carmelitanæ Historiæ; & an Carmelitanæ Historiæ primariæ minùs firmæ censendæ, judicium esto penes æquos arbitros, ex jā dictis & infrà dicendis in toto Carmelitani Speculi hîc subsequentis decursu.

Carmelitana Historia firma veritatis,

non minùs quàm historia aliorum Ordinum,

concluditur ex præjactis IV. Fundamentis.

'ECVLI CARMELITANI PARS PRIMA.

LIBRI DECEM

Institutione, & processu Ordinis Prophetici Eliani, Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & de peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum.

operibus, seu Tractatibus quatuor præcedentium Patrum, IOANNIS XLIV Antistitis Hierosolymitani, CYRILLI Constantinopolitani, GULIELMI DE SANVICO Carmelitolæ, & SIBERTI DE BEKA Gelriensis

PER

PHILIPPVM RIBOTI

Magistrum in Sacra Pagina, Præfati Ordinis Provincialem in Cathalonia, anno Christi M. CCC. LXX scripti, & digesti

idem antiquorum exemplarium MSS. inter se, & cum impresso Veneto, collatorum, prodeunt Annotationibus illustrati, operâ P. F. Danielis à Virgine Maria, ejusdem Ordinis Exprovincialis in Provincia Flandro-Belgica.

PRÆNOTANDA

irca Auctores decem librorum de Institutione, ac processu Prophetici Eliani Ordinis Beatissimæ Virg. Mariæ de Monte Carmeli.



Pus hoc digestum est ex quatuor Patrum vetustiorum, venerabiliumque Scriptorum præfatorum Ordinis hujus libris, seu Tractatibus, per Philippum Riboti anno Christi M. CCC. LXX. (sicut ipse testatur libro 10. cap. 5.) inter se convenienter adaptatis, insertisque concinnè Patrum sententiis. In eo ordinatè, solidè, & eruditè intur Ordinis hujus primæva Institutio, successio, eventus varii, habitus, Regula, transmigratio uropam, confirmatio, & exemptio. De Auctoribus istis, ut Lectori magis innotescant, & indè r operi concilietur authoritas, quædam testimonia, seu elogia præmittuntur. DANIEL A V. M.

. De Ioanne Episcopo Ierosolymitano XLIV. (qui claruit circa annum Domini quadringentesimum) & ejus libro de *Institutione primorum Monachorum*, in hoc volumine primum occupante locum.

Oannes (*cognominatus* Nepos) *ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ cathedram assumptus ex Carmelo, medius fuit inter Cyrillum, & Praylium. Nuncupatur à plerisque* Episcopus, *aut* istes, *& ab aliis* Patriarcha; *eò quod Patriarchali titulô Ecclesia Ierosolymitana postmodùm it insignita. Ex plurimorum elogiorum in eum copia quædam hic adferentur: Theodoretus Cyren- piscopus, & Cassiodorus illum* admirabilem *deprædicant, Theodoretus quidem in Ecclesiastica oria.* (a) Hierosolymis autem post admirabilem Joannem Praylio Ecclesiæ cura ommissa fuit. *Cassiodorus verò.* (b) Hierosolymorum Ecclesiæ præsidebat Ioannes, vir abilis, successor Cyrilli. *Nicephorus in Ecclesiastica Historia* (c) *eum* divinum *nuncupat:* rosolymis. *ait*, Cyrillo divinus Ioannes successerat. Deindè autem post Nepotem lesiæ ibi habenas sibi commissas gubernaverat Praylius. *Erat* Nepos *cognomen Ioan-: quòd etiam clarè exprimit Onuphrius in Chronico ad annum Christi* 389. *annotans Antisti- Hierosolymitanos:* Ioannes secundus, *inquit*, cognomentô Nepos: *tribuit ei regiminis os XXIX. Totidem annos, & quòd fuerit successor Cyrilli, ac prædecessor Praylii habet quoque ertus Genebrardus* (d) Patriarchis .... Hierosolymis Cyrillo, mox Ioanne Secundo is 29. *& infrà* (e) Patriarchis .... Ierosolymis Ioanne Secundo, deindè Praylio. *Et ex Historicis, ac Chronographis hìc sufficiant. En jam etiam potioris auctoritatis asserta.*

. *Imprimis S. Anastasius Papa* (vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ solicitudinis, *ut de statur S. Hieronymus* (f)) *sic, inter cætera elogia, ad ipsum Ioannem scribit.* Splendorem tuæ san-

Ioannes 44. Episc. Ierosf. magnis encomiis apud Auctores celebratus.

(a) Lib. 5. cap. 38.

(b) Lib. 10. Historiæ Trip. cap. 25.

(c) Lib. 14. c. 30.

(d) Chronographiæ lib. 3. ad annum Christi 388.

(e) Ad an. 406.

(f) Epist. ad Demetriad.

sanctitatis, & eas, quas in Domino habes virtutes, subindè quodammodò parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. *Et paulò infrà:* Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per universum orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. *Post Ioannis obitum B. Zosimus, etiam Romanus Pontifex, in litteris datis anno Christi* 417. *sic ejusdem honorificè meminit:* Ecce Epistolam Hierosolymitani Episcopi Praylii, qui in locum quondam Sancti Ioannis Episcopus est ordinatus. *Et ista nonnè (locô apologiæ) sufficere possunt ad asserendam (contra nonnullos) ejusdem intemeratam fidem? cujus etiam præclarum dedit testimonium S. Augustinus libro de gestis Pelagii cap.* 14. *similiter eum* Sanctum *nuncupans?* hoc etiam *ait* usus est testimonio Sanctus Ioannes Hierosolymitanæ Antistes Ecclesiæ. *Et de eodem, & sincera ejus fide lib.* 2. *contra litteras Petiliani cap.* 51. *hæc scribens:* Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius sedet; vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodiè Ioannes sedet? Quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis. *Ipse quoque ille est Ioannes, cujus mentio fit in officio Inventionis Reliquiarum S. Stephani: quas, divinâ revelatione, inventas, ipse, convocatis aliis Episcopis, solemnissimè transtulit, de qua translatione Idatius in Chronico suo ad annum* 3. *Olympiadis CCXCVIII.* Hierosolymis, Ioanne Episcopo præsidente, Sanctus, & primus post Christum Dominum Martyr Stephanus revelatur. *In illa inventionis historia à B. Luciano, & S. Gamaliele, sicut etiam ab aliis pluribus,* Sanctus *ipse vocatur: Etiam Sanctorum Catalogis, ac Martyrologiis variis inscriptus: & quidem à Ioanne Molano in Martyrologio ad diem* 12. *Januarii:* Sancti Ioannis Episcopi Ierosolymitanæ Ecclesiæ, Ordinis Carmeli professoris. *Ad eundem diem PP. Bollandus & Henschenius in percelebri suo Opere* Acta Sanctorum *scribunt:* S. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus: memoratur hoc die à Molano in Addit. ad Vsuard. à Galesinio (qui addit: cujus res divinæ leguntur) Ferrario, & aliis. *Ibidem rectè animadvertunt, quod iste fuerit* Ioannes Secundus Episcopus Jerosolymitanus XLIV. (*scilicet temporibus Siricii, Anastasii, & Innocentii Pontificum, ac Arcadii, & Honorii Imperatorum*) *& quòd* alius ante eum fuerit Ioannes, Septimus ejus sedis, qui ultimis Trajani vixit temporibus. *Ità ibi præfati Patres: & Ioannes Nadasi etiam Societatis* IESU *in Anno cælesti parte prima ad* 12. *Januarij eum inter cælites invocandos sic recenset:* Sancte Joannes Patriarcha Hierosolymitane &c.

Etiam à Summis Pontificibus.

Et à S. Augustino.

Atque in Martyrologiis.

4. *De Ioanne illo, & libro ejus* de Institutione primorum Monachorum *& tempore quô scriptus fuit: quodque is liber per octo ferè sæcula in Ordine habitus, & servatus fuerit pro Regula, accuratè tractat S. Cyrillus Constantinopolitanus (de quo statim) hic infrà libro* 8. *cap.* 1. *testificans, librum illum* Græcè scriptum, *&* jubente Aymerico Patriarcha Antiocheno, in Latinum traductum: *quodque liber ille, receptus & servatus fuerit tamquam Religiosæ & Regularis vitæ norma. Hæc, inquam, scribit testis ipse oculatus, aut sicut ab oculatis acceperat; quippe qui eô tempore in Carmelo degebat, quô Aymericus Patriarcha in vivis adhuc erat. Quod autem Regula Ordinis ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita, quæ (auctoritate Summorum Pontificum in nonnullis moderata) usque in hodiernum diem observatur, indè sit desumpta, sigillatim declaratur eodem libro* 8. *c.* 4. *Et hæc tanquam certissima, & in Ordine recepta tradunt cæteri Historici, & Scriptores Ordinis: quos inter præcipuos: Thomas VValdensis, in præclaro Opere* DOCTRINALI FIDEI: *libro* 3. *(qui est de sacramentalibus) rescribens contra VVicleff, impugnantem antiquitatem Ordinum Religiosorum cap.* 89. *hæc de Ioanne, & ejus libro, in Ordine Carmelitano pro Regula acceptato adstruit:* A Ioanne *inquit* Patriarcha Hierosolymitano, primò Carmelita, Regulam vivendi, Græcè scriptam, accepit, quam, pleniore, post, sub Alberto itidem Patriarcha, formâ, digestam inspexit. Hic Ioannes, quantum reor, XLIV. à S. Iacobo, tempore quô Siricius, post Damasum, Romæ rexit, Hierosolymis ipse sedit, & refecit Ecclesias, ut habetur lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ, qui tempore Arcadii & Honorii Imperatorum, ad Caprasium, Monachum Montis Carmeli, de peculiaribus gestis Carmelitarum (quod hactenùs translatum in Latinum habetur volumen) descripsit. *Thomas Bradley Episcopus Dromorensis in Hibernia, in chronico hujus Ordinis cap.* 4. *hæc de eodem habet:* Ioannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus (qui tempore quò Siricius post Damasum Romæ rexit, Hierosolymis ipse sedit, & refecit Ecclesias ut habetur libro 2. in Ecclesiastica Historia) temporibus Arcadii & Honorii Imperatorum ad Caprasium Monachum Sanctæ Mariæ Virginis, de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, hæc descripsit, &c. *Quoad auctoritatem ex Ecclesiastica historia adductam ab utroque præfato Thoma:* Tempore quo Syricius post Damasum &c. *ea desumpta videtur ex Ecclesiastica Historia Ruffini libro* 2. *cap.* 21. (*juxta partitionem in impressione Basileensi*

De ejus libro: de Institut. prim. Monach. S. Cyrillus. Thomas Waldensis & alii.

tusi an. M.D.LXII.) ubi ista: In urbe Roma post Damasum Syricius Ecclesiæ suscepit sacerdotium: apud Alexandriam verò, defunctô Petrô, Timotheus, & post hunc Theophilus: in Hierosolymis autem post Cyrillum Ioannes, Apostolicas reparant sedes.

5. *Conformiter istis scribit Arnoldus Bostius in Breviloquio Tripartito* (c) (*quod typis extat editum in Vinea Carmeli*) Fuit de Religione prædicta vir miræ sanctitatis, nomine Joannes, superiùs sæpè nominatus, tempore Arcadij Imperatoris, Ierosolymitanus Patriarcha, & Episcopus XLIV. post S. Jacobum, de quo habetur (d) in Histor. Ecclef. In Ierosolymis post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparavit sedes. Hic videns, quod propter ministerium suscepti officij, suis cum sodalibus Religiosis manere non posset, Fratrem Caprasium eis Patrem constituens, librum illis scripsit (superius allegatum) anno Domini quadringentesimo duodecimo, tempore Innocentij Papæ primi: in quo libro primariam suæ Religionis Institutionem, & Fundatoris dignitatem, & gesta sancta comprehendit; ut successores illorum Patrum in libro illo, tanquam in nitido speculo, institutionem suam intuentes, eam propensiùs observare conarentur. *Ioannes Paleonydorus in Fasciculo Tripartito Historiarum lib. 2. cap. 6. cujus titulus est*: Circa Honorij & Arcadij Imperatorum tempora Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymorum &c. *Et infrà*: Hierosolymis post Cyrillum Ecclesiam cœpit gubernandam. De hoc Gennadius de illustribus viris ità refert. Ioannes Episcopus scripsit librum, in quo probat, se non Origenis fidem, sed dogmata secutum .... Scripsit verò ipse Ioannes, ad instantiam fratris Caprasij, Prioris Carmeli, librum de Institutione Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium. *Consequenter tradit, librum illum in Ordine receptum pro Regula, & per Aymericum in Latinum translatum: & indè per Albertum Patriarcham Ierosolymitanum conscriptam Regulam magis determinatam. Ex jam dictis patet, quàm hallucinentur nonnulli, qui alitèr sentiunt de illo libro, ejusque Auctore, plus volentes sapere in domo aliena, quàm ipsi domestici oculatissimi, etiam sanctitate, aut singulari eruditione illustres in propriâ. Sed ista hìc obiter, alibi latiùs.*

(c) Partic. 3. cap. 1.

(d) Ruffin. lib. 2. c. 21.

Arnoldus Bostius, & Paleonydorus de eodem.

6. *Præfatis Domesticis adstipulantur etiam exteri non pauci: imprimis Aubertus Miræus, antiquitatis Ecclesiasticæ illustrator insignis, in peculiari libro*, de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani, *sub initium*: Creverat mirum in modum nova Virginis proles, quam scriptis, ac legibus temperari opus erat: quam obrem Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha XLIV. (quem Molanus inter Sanctos refert) Regulam è Scripturæ Sanctæ consiliis, & veterum Patrum, qui ab Eliæ temporibus Carmelum incoluêre, documentis contextam, ei præscripsit. *Consequentèr refert librum illum de Græco in latinum traductum per Aymericum, ac denique per B. Albertum, Ierosolymorum Patriarcham*, contractum in quandam regulam breviorem, compendiô & perfectione laudatam. *Id etiam rectè notavit pius, & eruditus Auctor Hieronymus Platus, hæc de eo scribens* (e) Anno salutis CCCCXII. Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham, qui ex hoc ipso Ordine antea fuerat, eique præfuerat, regulam ei condidisse.

Nec non Aubertus Miræus, & Hier. Platus.

(e) De bono Stat Relig. l. 2. c. 22

7. *Ex isto libro multa excerpsit, & in suos Annales transtulit Iacobus Salianus, qui de eo, illiusque auctore ità scribit* (f) Quoniam verò hôc primùm locô se offert magnus Elias vir Propheta, potens opere & sermone, atque inter hujus ævi Prophetas longè clarissimus, libet nonnulla de eo huic inserere narrationi, quæ circa annum Domini quadringentesimum Arcadio & Honorio Imperatoribus, tradidit Ioannes Ierosolymitanus Antistes, ordine quadragesimus-quartus, ut est in ejus Opusculo quod in Bibliotheca veterum Patrum relatum est, qui vel antiquorum Scriptorum monumentis, vel Hebræorum traditionibus Ierosolymis edoctus, ea scire potuit, quæ in illum librum mandavit, cui titulum indidit: DE INSTITUTIONE PRIMORUM MONACHORUM IN LEGE VETERI EXORTORUM, ET IN NOVA PERSEVERANTIUM. *Ejusdem libri auctoritate utuntur passim alij illustres Scriptores: Franciscus Suarez Tom. 4. de Religione* (g) *tractans de Ordine Carmelitano, & de vocatione Eliæ ad vitam solitariam expressam libro 3. Regum cap. 17. scribit*: Subjungitur vocatio Dei illum vocantis ad solitariam, & eremiticam vitam. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te. Quem locum luculentèr ad hoc propositum expendit Ioannes Ierosolymitanus lib. de Institutione primorum Monachorum à cap. 3. usque ad 9. *Ferdinandus Quirinus de Salazar in libro inscripto*: Defensio pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione *argumento 12. c. 42. sub titulo*: SECULUM IV. *Hæc*: Floruit etiam hôc seculô Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Marianæ immunitatis adstipulator in lib. de Institutione Monachorum cap. 32. ubi Eliæ nubeculam ad puritatem virgineæ Conceptionis significandam transfert, idque antiquissima sæculorum persuasione confirmat: sed

Ex eo multa excerpsit Salianus.

(f) ad an. mundi 3123.

(g) Tract. 9. lib. 2. c. 10. n. 2.

Ejusdem auctoritate usus Doctor Suarez.

Ferdinandus Quirinus, atque alij non pauci, celebres.

(a) In Sapient. c. 1. n. 4. digress. 2. §. 3.

(b) Part. 3. n. 1671.

(c) Tom. 1 lib. 1. c. 3.

(d) Disp. 3. Præsup. 3.

Liber ille suo restitutus nitori.

de hac re nos supra. *Laurentius de Aponte, laudatus Auctor,* (a) *agens de Ioanne Episcopo Hierosolymitano XLIV. sic inter cætera de illo, & præfato ejus libro.* Hic enim Sanctissimus Pater de Institutione Monachorum Carmelitarum, cujus ipse extiterat Religionis, ad Caprasium scribens. *Plura ex eodem vide hic infra lib. 6. c. 1. Ità quoque Ildefonsus de Flores in Commentario ad cap. 24. Eccles.* (b) *Ioannes Sylveira commentario in Euangelia* (c) *& alij: sed præ cæteris, latiùs & accuratius atque ex professo P. Franciscus Bonæ Spei in libro* DE VISIONE ELIÆ (d) *& in Appendice Apologetica isti libro annexa. Et in Armamentario Carmeli num.* 673. *& sequentibus, usque ad num.* 678. *nec non* 891. *ad* 898. *& n.* 968. *Istis omnibus locis librum præfatum Ioanni vindicat, & nævos quosdam à nonnullis Auctori, & libro ejus appictos plenissimè detergit, eò (ne hic prolixiores simus) Lectorem remittimus.*

8 *Liber iste extat in Bibliotheca Patrum editionis secundæ & tertiæ, sed satis incorrectus; nam quædam sententiæ aliorum ejus textui immixta, & nonnulla omissa, aut alterata. Vtinam Bibliothecæ istius Collectoribus, atque aliis nonnullis, videre contigisset libri istius antiqua exemplaria MSS. atque etiam præfatorum Auctorum de eodem libro, ejusque Auctore testimonia simul conjuncta. Eundem librum commentario illustratum evulgavit P. Thomas de Iesu. Studiô autem, & diligentiâ P. Petri VVastelij à mendis expurgatus, suoque nitori restitutus prodiit inter opera ipsius Ioannis (ei tribus libris vindiciarum per ipsum Wastelium asserta) & primum occupat locum: indeque translatus est in Tomum tertium Annalium à P. Ioanne Baptista de Lezana: qui eodem tomo 3. nec non tomo 2. ab anno Christi* CCCLI. *usque ad finem istius tomi: Atque etiam tomo primo in Apparatu cap. 9. per totum, accuratè, & luculenter tractat de Ioanne illo Ierosolymitano ac de illius libro:* De Institutione primorum Monachorum *sæculis multis habito pro Regula, ac de Græco in Latinum traductio. Et iste liber hic consequenter (ad fidem vetustorum exemplarium MSS.) sectus in partes, traditur libris septem prioribus, hinc indè insertis sententiis Patrum, & aliorum Scriptorum, ipsiusque Riboti. Vide hic infrà Notas in Prologum Philippi Riboti. Plenior tractatio de hoc libro, & ejus Authore commodiùs alibi erit.* (e)

(e) In parte 5. Speculi hujus.

§. 2. De S. Cyrillo Constantinopolitano (Carmeli incola facto circa annum Christi 1171. postmodum Ordinis hujus Generali) & libro ejus hîc consequenter inserto.

Cyrilli tres, sanctitate, & eruditione celebres.

Tertius Constantinopolitanus.

9. CYrilli, *doctrinâ, & sanctimoniâ illustres, fuerunt plures, quos inter celebriores habentur tres primus Ierosolymitanus Episcopus, circa annum Christi trecentesimum quinquagesimum primum (juxta computum Baronij) successor Maximi, & prædecessor præfati Ioannis XLIV. Secundus Alexandrinus Episcopus, qui præsedit (loco Papæ Cælestini) in Concilio Ephesino: Tertius Constantinopolitanus natione, exindè Carmeli incola circa annum Christi* 1173. *& (post S. Brocardum) Generalis Ordinis: Et de isto, ac ejus libro, de processu, ac Regulis hujus Ordinis (in quo etiam Regula primitiva, prout ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano prodiit, continetur) hic consequenter quædam dicenda. Ipsius S. Cyrilli per plura sæcula festivitas agitur in toto Carmelitano Ordine sub ritu duplici, die 6. Martij, ad quem in Missalium, & Breviariorum Calendariis vetustis, & recentioribus legitur:* Sancti Cyrilli Presbyteri Montis Carmeli, tertii Generalis Ordinis: *aut* Sancti Cyrilli Presbyteri, & Confessoris: Duplex: *Et in Missalibus Missa, ac in Breviariis Officia extant. In officio Canonico, Ecclesiæ authoritate approbato, ad horas, & etiam ad Missam ista recitatur Oratio:* Deus qui Beato Cyrillo Doctori Sacrum in Monte Carmeli facienti, Angelicô aspectu futuri sæculi statum revelasti, tribue nobis, ejus imitatione terrena despicere, & ad æterna jugiter aspirare &c. *Et ad Matutinum, in secundo nocturno, hæc inter cætera:* Cyrillus Carmelita, Constantinopolitanus, nobilibus parentibus ortus, cum ab infantia Joannis Baptistæ, & Samuelis exemplô Deo se dicasset, in clericalem postea militiam adscriptus ad presbyteratus Ordinem est evectus. Quo in ordine sic ad omnia genera doctrinarum capescenda se tradidit, ut insignis ab omnibus haberetur. *Et infra:* Cum autem inter Patriarcham Constantinopolitanum, & beatum Cyrillum dissensio, de Spiritus Sancti processione, orta esset; nimirùm, illo asserente, à Patre solum; Cyrillo verò constanter affirmante, à Patre & Filio Spiritum Sanctum procedere; volens à Græcorum erroribus abesse, in somnijs admonitus à beata Virgine, omnia sua pauperibus elargitus, Syriam versùs navigavit, ad montemque Carmelum pervenit: ubi sumptô Dei Genitricis habitu, jejuniis, orationibus, & charitatis officiis Deo gratissimus effectus, divinis etiam revelationibus dignatus est. *Quæ de S. Cyrillo, & revelationibus illi à Deo factis, scripsit circa annum Christi* 1290. *Gulielmus de Sanvico, vide hic infra libro 9. cap. 3. & quæ Arnoldus Bostius anno Domini* 1489. *habes in notationibus ad idem caput. Ad præfatum diem 6. Martii Ioannes*

It in Ordine Carmelitano colitur sub ritu duplici.

Constantinopoli tendit in Carmelum.

annes Molanus in Martyrologio sic eundem commemorat : In Monte Carmelo beati Cyrilli Presbyteri, Carmeli Eremicolæ perdevoti, cui Deus, tanquam fideli amico, de futuro mundi statu quam plura revelavit. *Eadem ferè habentur in Ordinis Martyrologio veteri, & recentiori. Ità quoque legitur in Martyrologio Francisci Maurolici, atque in Hagiologio Ioannis Gillemani, & in Catalogo generali Philippi Ferrarii, nec non in Actis Sanctorum per PP. Bollandum, Henschenium, & Papebrochium ad eundem diem* : *ubi ista* : de S. Cyrillo III. Priore Generali Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in Terra Sancta. *Consequenter varia ejus elogia, & vitæ epitome notationibus illustrata exhibentur.* *Ibi Divinis revelationibus illustratus. Martyrologiis & Catalogis Sanctorum insertus.*

10. *Ex aliorum plurimorum Scriptorum illustrium de ejusdem sanctitate, ac libris (peculiariter de præfato libro* : De processu sui Ordinis) *testimoniis, pauca intentæ hic brevitati sufficient* Wernerus Westphalus (*ut eum nuncupat Cardinalis Bellarminus* (a)) *cognomine* Rolevinkius Carthusiensis in Fasciculo temporum, *sic ejus meminit.* (b) Sanctus Cyrillus, mellislui Carmeli Prior, Doctorque, tum vitæ sanctitate, tum prophetiæ spiritu conspicuus, multa posteris sæculis profutura conscripsit, & copiosis miraculis Deo procurat gloriam, mundoque stuporem. *Iacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum lib. 12. ad an. D. 1199. sic eum commemorat* : Cyrillus, natione Græcus, ejusdem Ordinis, Montis Carmeli Generalis Prior, & ipse hâc tempestate anno D. 1199. & doctrinâ & propheticô spiritu illustratus, insignis multùm fuit: qui cum esset admodùm doctus, scripsit quædam ingenii sui opuscula: ad Abbatem Ioachim de Oraculo Angelico librum unum, qui incipit: Tempore annorum Christi: item de processu sui Ordinis librum unum. *Ita quoque Abbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* : Cyrillus presbyter & monachus Montis Carmeli, & ejusdem Ordinis tertius Prior Generalis. *consequenter nuncupat* eum virum sanctum, & prophetico spiritu illustratum, *& recenset scripta ejus, atque inter illa.* De processu Ordinis sui librum unum. *Arnoldus Bostius libro de Viris illustribus Ordinis hujus cap. 1. hæc inter alia de eo scribit*: Cyrillus Græcus, mellislui Carmeli Eremicola prænobilis, &c... Conscripsit etiam sacer hic Pater librum ad Fratrem Eusebium Eremitam Montis Neroi de processu sui Ordinis usque ad tempus suum. *De eodem, & libro illo huic volumini inserto sic quoque Ioannes Paleonydorus, celebris Historicus Ordinis hujus, in Præfatione ad Historiam Carmelitanam* : Magnus Cyrillus, Doctor Græcus, Constantinopolitanus, Montis Carmeli, & totius Ordinis, post Brocardum, Prior Generalis, scripsit ad Eusebium confratrem suum de processu Ordinis Carmelitarum à tempore Ioannis prædicti, usque ad dationem Regulæ per Albertum. Claruit anno Domini MCLXXXVIII. Incipit tractatus: HUJUS SACRÆ RELIGIONIS PRISCI PROFESSORES. *Plura de illo libro, & ejus Auctoritate videri poterunt in supradicto Armamentario Carmeli, num. 807. ad 814. & num. 847. ad 849. Vide etiam hic infrà notationes ad libri 8. Caput primum, ubi ex illo Armamentario quædam delibantur. Liber, seu Tractatus ille istius S. Cyrilli* de processu, & Regula Ordinis hujus *insertus est, libro 8. cap. 1. 2. & 3. nec non libro 7. cap. 6.*

(a) Lib. de Scrip. Eccles.

(b) Ad an. Chr. 1204.

Testimonia Scriptorum de ejus libris.

§. 3. De Guilielmo de Sanvico, qui floruit in Terra Sancta circa annum Christi MCCLXXX. & scripsit *Chronica Ordinis &c.* huic volumini intexta.

11. NOnnulli de Sanvico, *alii* de Samuco *nuncupant. Ioannes Paleonydorus, locô præcitatô, consequenter de eo hæc habet* : Gulielmus de Samuco scripsit Chronicam de multiplicatione hujus Religionis per Provincias Syriæ, & Europæ, & de perditione Monasteriorum Terræ Sanctæ. Incipit sic: RELIGIOSI CARMELITÆ SICUT IN TERRA SANCTA SUMPSERUNT EXORDIUM. Claruit tempore Rudolphi Imperatoris anno Domini MCCLXX. *Arnoldus Bostius, libro præfato, de Viris illustribus Ordinis hujus, inter cætera hæc de eo scribit*: Guilielmus de Sanvico, sancti, & uberrimi Carmeli Eremita, multarum artium, ac rerum notitiâ excellenter instructus, scripsit Chronica de multiplicatione suæ Religionis per Provincias Syriæ, & Europæ, & de perditione Monasteriorum Terræ Sanctæ. *De eodem, & scriptis ejus, illa habet Gesnerus, in Bibliotheca sua*: Guilielmus de Samuco, natione Syrus, seu Palestin. Eremita Montis Carmeli, Saracenorum violentiâ ab Achonensi Urbe fugatus, ad Cyprum pervenit, ac tandem scripsit Chronicon de perditione monasteriorum Terræ Sanctæ, ac de multiplicatione Ordinis per Europam, librum unum, in Regulam sui Ordinis librum unum, decretales Religiosorum librum unum, super sententias libros quatuor. Vixit anno 1280. *Fuit Prior in Monte Carmelo circa annum Domini 1289. pro ut in Annalibus Ordinis notatur. Agunt de eodem, & præstanti ejus doctrina, Trithemius,*

Guilielmus de Sanvico Carmeli incola, Auctor Chronici Carmelitani.

Quæ alia scripserit.

themius, Possevinus, & alii, eumque indigitant : non minus conversatione, quàm doctrinâ venerabilem. *Quidam fuisse natione* Gallum *putant* : *Gesnerus, & alii Syrum asserunt. Verisimilius est, oriundum ex Gallia, sed majori parte vitæ habitatorem fuisse Palestinæ, seu Syriæ; & ideò dici* Syrum. *Liber ille, seu Chronica, de novissima Ordinis multiplicatione in Terra Sancta, ejusdemque indè transmigratione in Europam, nonus est in hoc volumine.*

Sibertus de Beka scriptor eruditiss. quæ ediderit.

§. 4. De Siberto de Beka, seu Beke, scribente circa annum MCCCXX.

12. T*Rithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hoc eum elogiô commendat*: Sibertus de Beka natione Teutonicus, patriâ Gelriensis: Ordinis B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmelo: Prior Provincialis Alemaniæ inferioris: vir in divinis scripturis eruditissimus, & tam in jure Canonico, quàm in Philosophia Aristotelica, egregiè doctus: ingeniô subtilis, & clarus eloquiô: qui, non minus conversatione, quàm scientiâ clarus suo tempore effulsit. Scripsit quædam commendanda Opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis deduxit, è quibus feruntur, super sententias libri quatuor, Summa censurarum novi juris liber unus, super Regulam Ordinis liber unus, & quædam alia: Ordinale quoque Ordinis sui sagaci intentione correxit. Claruit temporibus Ludovici Bavari Imperatoris Quarti: & Ioannis Papæ vigesimi secundi, anno Domini MCCCXX. *In Annalibus Ordinis obitus ejus refertur ad annum Domini* 1331. *ubi, inter alia, hæc de eo*: Hâc tempestate clarus, & insignis in Ordine erat Sibertus de Beka .... Fuit hic Pater natione Teutonicus, patriâ Gelriensis, in sacris litteris valde eruditus. Scripsit super sententias, &c. Super Regulam Ordinis nostri librum alterum, qui extat in Speculo Ordinis .... *de eo agunt plures, qui ibidem referuntur. Desumpta ex illo libro Siberti in Regulam Ordinis inseruntur hic infrà libro octavo, capitibus quinto, & sexto. Ex istorum igitur quatuor libris, seu Opusculis, hoc volumen decem librorum de Institutione, &c. Ordinis hujus, concinnè digessit Philippus Riboti, de quo jam consequenter.*

Philippus Riboti ex præfatis 4. auctoribus digessit Speculum Carmelitarum.

§. 5. De Philippo Riboti, & hoc ejus Opere, elucubrato anno Christi MCCCLXX.

13. PHilippus, *cognomine Hispanicô* Ribot (*in omnibus exemplaribus MSS. & impresso Veneto, & passim apud Scriptores de eo tractantes legitur* Riboti, *aut* Ribotus) *natus Gerundæ in Cathalonia, & alumnus Conventus istius Civitatis, Autor est principalis, seu Compilator hujus operis. Trithemius libro de Viris illustribus Ordinis Carmelitarum sic censet de utroque.* Philippus Riboti, Prior Provincialis Cathaloniæ, vir in divinis scripturis studiosus, & eruditus, ingeniô promptus, eloquiô apertus, & regularis disciplinæ curiosus moderator, scripsit inter alia ingenii sui monumenta opus insigne de origine, & profectu Ordinis sui, quod prænotavit de peculiaribus gestis Fratrum Carmelitarum libri decem. *Ferè eadem habet libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Arnoldus Bostius, libro de Viris illustribus sui Ordinis, hoc de eodem Opere judicium suum scribit* : Philippus Riboti Prior Provincialis Cathaloniæ, Doctor suæ ætatis peracutus, egregium opus edidit de fundatione sacri Ordinis de Carmelo, per sacros Prophetas in Terra Sancta, & ejus multiplicatione in partibus Europæ, quod in decem libros, & quemlibet librum in octo capitula sufficienter distinxit, librum de peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum, totum opus prætitulans, aliaque multa edidit. *In Annalibus Ordinis singulariter commendatur variis locis idem Author, & opus hoc, & quidem Tomo primo in apparatu cap.* 10. *n.* 13. *in hunc modum*: Cui maximè debitores sunt Historici, ac Chronologi nostri, Philippus Ribotus est, egregius hoc sæculô Religionis alumnus. Fuit hic Philippus natione Hispanus, patriâ Cathalanus, in Sacra Pagina Doctor, sæpiùs in libro Ordinis pro Capitulis aliquot Generalibus vocatus diffinitor Generalis, & Provincialis Cathaloniæ. Zelô sui Ordinis incensus inter alia monumenta, quæ edidit, celebre illud, & sæpius à nobis relatum volumen SPECULUM ORDINIS appellatum composuit, in quo quæ de ipso Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha, B. Cyrillus Constantinopolitanus, Guilielmus de Samuco, & Sibertus de Beka scripserunt, decem libris compilavit. *Et Tomo quarto ad annum* 1386. *hæc inter cætera, de eodem opere*: Hoc est illud præclarum volumen, de quo sæpius nos egimus, quod generali vocabulo SPECULUM ORDINIS nuncupatur. *Ejus MSS. exemplaria vetusta extant variis in locis. Typis editum fuit Venetiis anno Christi MDVII. ast valdè incorrectè. Nunc demùm correctiori limâ, & diligentissimâ collatione ad accuratam fidem MSS. veterum Codicum, Gandensis, & Mechlimiensis, prodit, redditum primævo suo nitori, abstersis maculis mendorum quibus præfatum Venetum impressum respersum erat, notationibus illustratum. Et ista de illis quinque, voluminis hujus decem librorum auctoribus, hic dicta sufficiant: latiùs de ipsis tractabitur in parte quinta.*

Opus insigne, distributum in libros decem.

Et illud sequitur hic notis illustratum.

PRO-

PROLOGVS PHILIPPI RIBOTI

In Libros X. de institutione Ordinis Prophetici Eliani Beatiss. Virginis Mariæ de monte Carmeli.

PHIL. RIBOTI.

14. CVm populum Israël haberet Dominus ita peculiarem sibi; ut de ipso Exodi quartò diceret: *Filius meus primogenitus Israel*: docuit eum præ cæteris populis Deus, tanquam filium carissimum, per servum suum Moysen, specialibus doctrinis legis: quibus & voluntatem Dei bonam intelligeret: & intellectam operibus adimpleret: Sicut Propheta Psalmo centesimo quadragesimo septimo ait: *Annunciat verbum suum Iacob: Iustitias, & judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Populus autem ille, tamquam glorians, se ab Abraham carnalem originem traxisse: confidebat, illam originem sibi sufficere ad salutem sine imitatione operum Abrahæ, de qua fiducia redarguens eos Dominus, Ioannis octavo, ait. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ex confidentia siquidem illa populus prædictus non solùm legem Moysi adimplere omisit: sicut Ioannis septimo ait eis. *Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis legem facit*: Imò etiam legem illam scrutari, & intelligere neglexit, propter quod iram Dei incurrit, secundùm quod Josias rex quarti Regum vigesimo secundo ait. *Magna ira Dei succenssa est contra nos; quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent quod scriptum est nobis.* Quemadmodum autem populus Israeliticus præ cæteris populis fuit à Deo per Moysen doctus specialibus doctrinis legis: Ita Religiosi Carmelitæ præ cæteris viris illius populi fuerunt à Deo per Eliam Prophetam instructi specialioribus documentis, & institutis monasticæ Religionis: Quos (ne iram Dei incurrant) (a) oportet non quidem gloriari: quia talem, ac tantum Prophetam meruerunt habere Auctorem, & Institutorem suæ Religionis: sed magis imitari vitam illius Prophetæ, & scrutari, ac intelligere dogmata ejus, & instituta Religionis prædictæ, illaque operibus adimplere. Quæ ut intelligi promptiùs, & adimpleri efficaciùs queant: EGO FRATER PHILIPPVS RIBOTI, Magister in sacra pagina, Priorque Provincialis Provinciæ Cathaloniæ Religionis prædictæ, debitam adhibui diligentiam perscrutandi, & in unum volumen redigendi ea quæ præcedentes Patres hujus Religionis veridicè scripserunt de ejus primaria institutione, & documentis Eliæ, & de processu Religionis prædictæ per tempora tam Legis veteris, quam novæ; donec in novissimis diebus nostris fuit multiplicata per diversas Provincias Europæ.

Israelitæ non imitantes opera Abrahæ, in eo vanè gloriabantur.

(a) *Insignis monitio ad Carmelitas omnes.*

Ratio scriptionis hujus Operis.

15. (b) Fui autem in his maximè directus per quatuor præcedentes Patres hujus Religionis: quibus fuit curæ, de ea diligenter scribere. Quorum primus vocatus JOANNES, qui fuit Eremita montis Carmeli, & postea Episcopus Ierosolymitanus, cum summa diligentia scripsit primariam hujus Religionis institutionem, & exemplaria gesta fundatorum, ac priscorum professorum Religionis nostræ. Hic floruit temporibus Arcadij & Honorij Imperatorum. Secundus vocatus CYRILLUS, qui fuit Propheta, & Eremita montis Carmeli, scripsit de his in quibus processit Religio ista à tempore prædicti Ioannis usque ad dationem Regulæ Religionis prædictæ. Hic floruit tempore Imperatoris Henrici Sexti. Tertius vocatus GUILIELMUS DE SANVICO, qui fuit Eremita montis Carmeli, scripsit Chronicam de multiplicatione hujus Religionis per Provincias Syriæ & Europæ: & de perditione monasteriorum terræ Sanctæ. Hic floruit tempore Imperatoris Radulphi. Quartus vocatus SIBERTUS DE BEKA, Magister in sacra pagina, scripsit tractatum de consideratis super Regulam hujus Religionis. Hic floruit tempore Imperatoris Henrici septimi. Præsens ergo volumen intitularum LIBER DE INSTITUTIONE, ET PECULIARIBUS GESTIS RELIGIOSORUM CARMELITARUM, conficitur ex dictis memoratorum Patrum hujus Religionis, quorum sententiis interdùm, ad concordiam, annexi auctoritates aliorum, tam sanctorum quam cæterorum auctorum authenticorum. (c) Omnia quæ immediatè post allegationem cujuscunque auctoris scribuntur in hoc volumine sunt verba auctoris allegati, etiamsi capitulum mutetur, donec alius auctor subsequenter allegetur. Nam, quia non ambigo omnem humani eloquij sermonem calumniæ, & contradictioni æmulorum semper fuisse obnoxium; (d) Studui allegare litteris rubeis auctores, & libros à quibus sumuntur sententiæ, & auctoritates insertæ in hoc volumine; ut singuli eas in fonte suo legere valeant priusquam despiciant. Sicut enim ait beatus Isidorus soliloquiorum libro secundo. *Quia scripta medullitùs non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur;*

(b)

Aliàs de Samuco.

(c)

(d) *Monitum notabile Lectoribus, & Scriptoribus.*

guntur; cùm ante judicant quam intelligant, ante inculpant, quam iterando lecta perquirant. De meo autem modicum in hoc opere inserui; ne ordo historiæ, vel processus, impediretur. (e) Causa verò præcipua edendi hoc volumen fuit dispersio dictarum sententiarum, & auctoritatum, quæ dum in uno codice simul collectæ non legebantur; quælibet se solâ nostræ Religionis institutionem, & processum incompletè describebat. Cum autem in hoc volumine, sub compendio, in libris distinctis, per ordinem compinguntur: originem dictæ Religionis, & institutionem, & processum, atque statum satis perspicuè pandunt.

16. Distinguitur autem præsens Opus in decem libros partiales, quorum quilibet in octo capitula dividitur: & cuilibet libro præfatio brevis præponitur, comprehendens in summa materiam totius libri, & capitulorum ejus. *Primus Liber* describit institutionem hujus Religionis, sicut fuit per Deum Prophetæ Eliæ ad observandum proposita, & per Dominum Joannem Episcopum Ierosolymitanum exposita. *Secundus Liber* ostendit qualiter Elias dictam institutionem observavit, & ad eam observandam discipulos traxit, & habuit. *Tertius Liber* considerat de locis quæ primarij professores hujus Religionis incoluerunt, & qualiter in eis secundum dictam institutionem conversati fuerunt. *Quartus Liber* agit de ascensu Eliæ in Paradisum; & qualiter hæc Religio post eum fuit recta per Heliseum: & præservata à captivitatibus Iudæorum. *Quintus Liber* tractat de tempore in quo professores hujus Religionis primò baptizati fuerunt: & de viris qui eos baptizaverunt, & ad notitiam verbi Incarnati perduxerunt. *Sextus Liber* determinat de hujus Religionis titulis: & maximè, cur ejus professores vocentur FRATRES BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. *Septimus Liber* contemplatur habitum Religionis hujus, & causas mutationis, ac varietatis ejus. *Octavus Liber* declarat primos scriptores institutionis, & regulam Religionis nostræ, & correctionem, ac declarationem, atque mitigationem prædictæ Regulæ. *Nonus Liber* versatur circa multiplicationem hujus Religionis per Provincias Syriæ, & Europæ: & circa perditionem Monasteriorum Terræ Sanctæ. *Decimus Liber* monstrat exemptionem hujus Religionis, & approbationem, ac confirmationem nostri Ordinis. In his decem libris poterit verus Carmelita, quantùm scire sufficit, piè contemplari suæ Religionis originem, processum, ac multiplicationem, & fundatorum ac priscorum, ejus professorum dignitatem: & monasticæ vitæ Eremiticæ institutionem, ac finem: & dignè conversantium in ea beatam remunerationem. Obsecro ergo vos, fratres carissimi, hæc adinstar Sanctorum præcedentium Patrum amplectamini, legite & scrutemini, & intelligite, & experiamini, & observate; quoniam per observantiam horum iram Dei vitabitis: & adoptionem filiorum æternæ hæreditatis recipietis. Testante Sapiente Ecclesiastici quadragesimo octavo, & dicente Heliæ Patri nostro. *Beati sunt qui te* (f) *audierunt & in amicitia tua decorati sunt.*

Summarium hujus operis.

Hortatio ad Carmelitas.

Annotationes in Prologum.

DANIEL.

17. (a) OPortet non quidem gloriari, quia talem, ac tantum Prophetam meruerunt habere auctorem &c. sed magis imitari vitam illius. *Optimum id est, & saluberrimum monitum, cuivis Carmelitæ ruminandum, atque practicandum: cujus etiam gratiâ potissimè hoc opus concinnatum est, ut scilicet in eo, tamquam in speculo, Sectatores Ordinis hujus suam à Sancto illo Propheta Elia institutionem, nec non illius virtutes, virtutumque præmia intueantur, & indè ad imitationem incitentur. Atque ita quilibet sibi dictum reputet:* Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in Monte Carmeli, per Patrem tuum Eliam, ejusque filium virtutum illius exercitatione te exhibeto.

Doctrina utiliter cuilibet Carmelitæ practicanda.

(b) Fui in his maximè directus per quatuor præcedentes Patres. *Hoc igitur opus concinnatum est per Philippum Riboti anno Christi 1370. ex libris seu tractatibus istorum quatuor vetustorum scriptorum, de quibus sigillatim est actum jam statim in Prænotatione.*

(c) Omnia quæ immediatè post allegationem cujuscumque authoris scribuntur in hoc volumine sunt verba Auctoris allegati, etiamsi capitulum mutetur. *Id bene animadvertendum; nè unius authoris verba alteri tribuantur, sicut contigit Collectoribus Bibliothecæ Patrum tomo 7. inserentibus textui hujus libri quasdam sententias aliorum. V.G. S. Ambrosij & S. Hieronymi. Vide hic infra notas ad libri 4. caput 8. & libri 5 cap. 2.*

Notanda quædam pro operis hujus lectione.

18. (d) Studui allegare litteris rubeis authores, & libros. *Nos verò nomina authorum majusculis, & libros unde desumpta sententia litteris distinctis apud Typographos nuncupatis* cursif, *exprimi curavimus. Præterea, ut perspicuum magis sit, cujus authoris sint quælibet, etiam* [illegible] *marginem nomina ipsorum litteris Majusculis annotantur: Omnia autem, quæ postea sequuntur sunt ejusdem auth*[illegible] *onec alius nominetur similiter: Insuper pro majori claritate, & certitudine, quandò finis alicujus Capitis, & initium sunt ejusdem authoris, equidem ad initium capitis in Margine apponitur:* idem &c. *suntque semper verba ejusdem authoris, donec majusculis alius nominetur. Ante illa quæ Ribotus de suo intexuit præmittitur semper* ACTOR, *& ad marginem* RIBOTI, *seu* PHILIP. RIBOTI.

(e) Causa vero præcipua edendi hoc volumen fuit &c. *eadem movit ad editionem ejusdem voluminis, & aliorum librorum, ac tractatuum, de Ordinis Institutione processu, Sanctis. Vide Præfationem generalem.*

(f) Audierunt *in sacro Textu est* viderunt.

LIBER I.

LIBER PRIMVS

De Institvtione Ordinis Monastici in Lege veteri, ac de qvatvor gradibvs, qvibvs ad perfectionem vitæ Religiosæ pervenitvr.

PRÆFATIO.

Libri primi summariũ. 19.  Liber iste primus agit totus de primo hujus Religionis Fundatore, Et de dictæ Religionis Origine, ac primariâ ejus institutione: id est, de forma perveniendi ad propheticam perfectionem, & ad finem Monasticæ vitæ Eremiticæ. Habet autem Capitula Octo. *Capitulum primum* de primo hujus Religionis Fundatore: quô tempore floruerit, à quo genitus, unde ortus, & ubi in suis primordijs conversatus. *Secundum*, quòd Elias monasticam, & propheticam vitam Eremiticam primus hominum, Deo mandante, inceperit: & quod Deus formam perveniendi ad finem, ac perfectionem illius vitæ, partim apertè, partim mysticè, expresserit. *Tertium*, quòd ad perveniendum ad perfectionem propheticam, & finem Monasticæ vitæ Eremiticæ, expediat Monacho terrenis possessionibus, & divitijs abrenuntiare. *Quartum*, quòd oporteat Monachum carnales concupiscentias crucifigere, & propriam voluntatem relinquere, ut perveniat ad perfectionem propheticam, & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ. *Quintum*, quòd ut attingatur perfectio prophetica, & finis Religiosæ vitæ Eremiticæ conveniat Monacho solitudinem quærere: atque humana consortia, & præcipuè mulierum vitare: & in continentia vivere. *Sextum*, quòd ad apprehendendum perfectionem propheticam, & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ, præexigatur, ut Monachus sit in charitate: Et qualiter debeat Deum, & proximum diligere ad hoc, ut sit in charitate. *Septimum*, qualiter Monachus per quatuor præmissos gradus ad perfectionem propheticam perveniat, & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ attingat, & in eo quiescat. *Octavum*: qualiter Monachus debeat humiliter perseverare, dum pervenerit ad perfectionem propheticam, & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ. Phil. Riboti.

CAPITVLVM PRIMVM.

De primo hujus Religionis Fundatore quo tempore floruerit: à quo genitus, unde ortus, & ubi in suis primordijs conversatus.

(a) Ioan. Ierosol. 20. (a) Ioannes xliv. Episcopus Hierosolymitanus *in libro de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium ad Caprasium Monachum in Carmelo.*

(b) Principium Religionis hujus, & quemadmodũ, ac undè ipsa primò processit, rectè (b) petis, dilecte Caprasi, ante alia perscrutandũ. Quã-*Præfatio de libri hujus occasione, & subjecto.* vis namque conversationis bujus ratio in sola experientia consistat, ut nequaquam possit hæc ratio plenè verborum doctrinâ nisi ab experto tradi, nec etiam à te totaliter percipi, nisi eam pari studiô, ac sudore per experientiam apprehendere laboraveris; multò tamen efficaciùs poteris susceptæ hujus professionis assequi disciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs incitari, cum auctorum, atque Fundatorum ejus, agnoveris dignitatem, & primariam ipsius religionis sciveris institutionem. Propter quod, ut ordine debitô procedamus, de supremo hujus religionis fundatore, & primaria ejus institutione eloqui paulisper inchoabimus: deinde aliqua sancta gesta, & gloriosas virtutes, & exteriorem habitus ornatum, (c) de ipso Fundatore & primis ejus discipulis; cæterisque hujus religionis priscis professoribus, succinctè edisseremus; (d) sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores ante nos intellexerunt; & nobis tam in veteri, quàm in nova lege, doctrinis, & exemplis philosophati sunt: ut per hæc discas, quantâ sanctorum præcipuorum auctoritate hæc nostræ vitæ religio confirmetur: & cum quanta mentis securitate formam hujus conversationis sequentes, non per novitates præsumptas, neque per *inanes fabulas*, sed per approbata totius vitæ monasticæ primaria exemplaria *viam* ad corda nostra *Dominô dirigimus*, & *semitas* veniendi ad nos *Deo nostro rectas facimus*, ut cum *venerit & pulsaverit confestim ei aperiamus*, qui ait: *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* (c) (d) 2. Petri 1. Ioan. 1.

(e) Apocalyps. 3. 21. (e) Scito ergo, & animadverte, ab initio regni Achab regis Israël usque ad *Christi* adventum in carnem, decades annorum circiter nonaginta quatuor fluxisse, per quas, ut chronographi tradunt, cœpit Achab regnare ante incarnationem Domini Iesu. In diebus verò hujus Achab regis Israël, & in regno ejus, fuit quidam propheta magnus (f) de tribu Aaron, cui nomen erat Elias, ex patre vocato (g) Sabacha, ortus in civitate Thesba, quæ est in regione Galaad: ex qua Thesba Elias est Thesbites dictus. Qui Elias postmodum fuit habitator civitatis Galaad, quæ condita in monte Galaad ab illo monte nomen accepit: sicuti & regio monti illi circumvicina trans Jordanem, sita in sorte dimidiæ tribus Manasse.

Elias Propheta de tribu Aaron, natus Thesbe.

CAPITVLVM II.

Quòd Elias monasticam vitam & prophetalem eremiticam primus hominum, Deô mandante, incœperit: & quòd Deus formam perveniendi ad finem, ac perfectionem illius vitæ, partim apertè, & partim mysticè ei expresserit.

(h) Idem Ioan. 22. (h) HIc Propheta Dei Elias Monachorum princeps primus exstitit, à quo sancta primæva institutio exordium sumpsit. Ipse enim obtentu contemplationis divinæ, & desideriô sublimioris profectus, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, religiosam, & prophetalem vitam eremiticam primus hominum à proposito ducere cœpit, quam sanctô dictante Spiritu, & mandante inchoavit, & instituit. Quippe Deus ei apparens mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & se à turbis in deserto absconderet, atque deinceps in eremo monasticè, secundum formam ei indictam viveret. Quod evidenti sacræ scripturæ testimoniô comprobatur: legimus enim ita de hoc scriptum in libro Regnorum. *Factum est verbum Domini ad Eliam dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Hæc autem præmissa salubria mandata, ad quæ implenda Spiritus sanctus Eliam instigavit, & desiderabilia promissa, ad quæ adipiscenda eum erexit, tanto debent majori intentione non solum historicè, sed potiùs mysticè à nobis Monachis Eremitis per singula verba pensari, quantò in eis plenior comprehenditur institutio, id est *forma ad perfectionem* propheticam, & finem religiosæ vitæ Eremiticæ perveniendi.

Monachorum princeps primus.

Religiosam Eremiticam vitam Deo inspirante, & mandante inchoat.

3. Reg 17. Id evidenti scripturæ testimonio probatur.

23. Cujus vitæ duplex dignoscitur esse finis: unus quidem, quem per laborem nostrum, & virtuosum exercitium, divinâ adjuvante gratiâ, acquirimus: Hic autem est, offerre Deo cor sanctum, & purum ab omni actuali sordê peccatorum: quem finem attingimus, cum sumus perfecti; & in Carith, id est, in charitate illa absconditi, de qua sapiens ait, *Universa delicta operit charitas*: ad quem finem volens Deus Eliam pervenire, ei dixit; *Abscondere in torrente Carith.* Alius autem hujus vitæ finis est ex mero Dei dono nobis collatus, videlicet non solùm post mortem, sed etiam in hac mortali vita aliqualiter gustare in corde, & experiri in mente, virtutem divinæ præsentiæ, & dulcedinem supernæ gloriæ. Hoc autem est de torrente voluptatis Dei bibere. Quem finem promisit Deus Eliæ dicens. Et ibi *de torrente bibes.* Propter utrumque finem horum duorum est prophetalis vita Eremitica à Monacho assumenda, testante Prophetâ. *In terra*, inquit, *deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi*, ô Deus, *ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Per hoc enim quod in terra deserta, invia, & inaquosa, manere elegit, ut sic *in Sancto*, id est corde puro à peccato, appareret Deo, monstrat primum electæ per eum vitæ solitariæ finem; qui est *offerre* Deo cor sanctum; id est ab omni actuali peccato purum. Per hoc autem quod addit: *Vt virtutem tuam viderem, & gloriam tuam.* monstrat manifestè, secundum dictæ vitæ finem, qui est jam in hac vita aliqualiter experiri, sed mysticè *videre, in corde*, virtutem divinæ præsentiæ, & gustare dulcedinem supernæ gloriæ.

Religiosæ Eremiticæ vitæ finis duplex.

Proverb. 10

Psalm. 62.

24. Ad primum autem horum, scilicet puritatem cordis, pervenitur per laborem, & exercitium virtuosum, divinâ gratiâ adjuvante: Et per puritatem cordis, & per perfectionem dilectionis, devenitur ad secundum; scilicet ad experimentalem notitiam divinæ virtutis, & gloriæ cælestis; dicente Dominô: *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Idcirco Deus per ea quæ in superioribus omnibus præmissis verbis sancto Eliæ prophetæ proposuit; illi primo, & præcipuo Monachorum principi, & nobis eum imitantibus, suadere maximè voluit, ut simus *perfecti, sicut & pater* noster *cælestis perfectus est*: & *super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Quapropter ut ad perfectionis finalis, & visionis gloriæ promissæ valeamus dona pertingere; formam ad hæc perveniendi per Deum in dictis verbis beato Eliæ propositam curemus aure intentâ distinctè per ordinem percipere, & opere adimplere. Loquens enim Dominus sancto Eliæ, ait tàm in veteri, quàm in nova lege, cuilibet Monacho Eremitæ: (i) *Recede hinc*, scilicet à rebus caducis mundi & transitorijs: & *vade contra orientem*: id est contra originalem tuæ carnis cupidinem: *& abscondere in torrente Carith*, ne in urbibus moreris simul cum turbis: *Qui est contra Iordanem*: ut scilicet per charitatem sis *divisus* à delictis: His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conscendens ibi *de torrente bibes.*

Ioan. 14.

Matth. 5.

Coloss. 3.

(i)

(k) *bibes.* (k). Sed ut * hoc queas perseverare, *corvis præcepi ut pascant te ibi.* Hæc autem omnia intelliges meliùs, si per singula discurrendo, ea distinctè per ordinem exponamus.

*Supple in.

CAP. III.

Quòd ad assequendam perfectionem propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ expediat Monacho terrenis possessionibus, & divitijs abrenuntiare.

IDEM IOAN. IEROSOL. Recede hinc *dictum Eliæ quid significet.*

25. EA quæ tibi suadeo, sigillatim intellige per ordinem, & discrete. Nam primò dixi tibi in mea jussione: *Recede hinc*, scilicet *de terra & cognatione tua, & de domo patris tui*, non solum animô, ut terrenis possessionibus tui generis, & caducis mundi *divitijs cor tuum non apponas*, sed etiam opere, ut ipsas non possideas. *Nisi enim quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Quoniam licet possessæ divitiæ non claudant divitiis introitum cælestis regni, si cor suum ad eas non apponat; Sapiente dicente: *Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in thesauris pecuniæ:* attamen per hoc quod Sapiens protinùs subdit, dicens: *Quis est hic, & laudabimus eum?* innuit manifestè difficultatem reperiendi talem virum, qui divitias possidens ad eas cor non apponat: Cor enim humanum facilè hæret his quæ frequentat. Propterea dum possidentur divitiæ, natæ sunt majorem flammam accendere in corde, & vehementiorem cupidinem gignere: quemadmodum Sapiens ait: *Saturitas divitis non sinit eum dormire.* Occupatus quippe in supervacuo possessarum divitiarum amore, cum habeat ipse rebus domesticis intendere, affligitur assiduè ab ærumna continuarum curarum, quæ non sinunt ad ipsum ingredi desiderium, adimplendi verbum quod audivit divinorum præceptorum. *Ærumna enim sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentia introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Propter quod dives difficilè intrabit in regnum cælorum.* (l) Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ Eremiticæ pervenire; ibique de torrente bibere; *Recede hinc*, scilicet à rebus mundi caducis, relinquendo corde, & opere omnes possessiones terrenas & facultates propter me: quoniam facilior, & tutior via ad perfectionem propheticam tendendi, & tandem ad regnum cælorum perveniendi est ista. *Omnis enim qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet jam in hac vita*, prægustans meæ suavitatis dulcedinem cunctis terrenis centupliciter prævalentem, & tandem *vitam æternam possidebit.* Ecce breviter audisti primum gradum, quô conscendere possis ad propheticæ perfectionis summum.

Genes. 12. Lucæ 14. Eccli. 31. Ecclesiastæ 5. Marc. 4. (l) Mat. 19. Matth. 19.

CAP. IV.

Quod oporteat Monachum carnales concupiscentias crucifigere, & propriam voluntatem relinquere, ut perveniat ad perfectionem propheticam & finem religiosæ vitæ Eremiticæ.

IDEM IOAN. Vade contra Orientem *quid indicet.*

26. NUnc attende secundum. Sequitur enim in exhortatione mea. *Et vade contra Orientem*, scilicet contra originalem tuæ carnis cupidinem. Scire namque debes quod *in die ortus tui non est* à peccato *præcisus umbilicus tuus:* quoniam *in peccatis natus es totus.* Quemadmodum in persona cujuslibet hominis geniti à viro ex femina, ait propheta: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ab hoc autem originali peccato, in quo concipitur homo, illud provenit quòd *caro* hominis *adversùs Spiritum concupiscit. Video*, inquit Apostolus, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hæc est lex peccati, illa *lata porta*. per *quam* quis *intrat* cum ei consentit, *& spaciosa via*, per quam homo ambulat, dum secundum eam vivit, *quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Accedentem vero ad servitutem Dei, oportet abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam, & stare in justitia, & in timore Dei, & præparare animam suam*, non ad requiem, neque ad delicias, sed *ad tentationem* & angustias: quoniam *oportet per multas tribulationes introire in regnum Dei. Angusta* namq; *est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Quoniam pauci sunt electi, *& pusillus est grex cui complacuit patri dare regnum.*

Ezech. 16. Ioan. 9. Psalm. 50. Galat. 5. Eccli. 2. I. Petri 2. Act. 14. Matth. 7. Luc. 12.

(m) 27. Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & usque ad finem monasticæ vitæ Eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere; *Vade contra Orientem*, hoc est contra originalem tuæ carnis cupidinem: *& non regnet peccatum in tuo mortali corpore, ut obedias concupiscentijs ejus. Ego enim novi iniquos in diem judicij reservare cruciandos, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentias immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt. Post concupiscentias* ergo *tuas non eas, & à voluntate tua avertere:* eam prorsus relinquens, & recto superioris arbitrio usque ad mortem propter me humiliter submittens. *Non est enim discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Ego verò, dominus prophetarum, & magister, *descendi de cælo*, non *ut faciam voluntatem meam*, sed *voluntatem ejus qui misit me Patris, factus ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quamobrem *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

(m) Rom. 6. Eccli. 18. Lucæ 6. Ioan. 6. Ad Philipp. 2. Matth. 16. Lucæ 9. Lucæ 14.

28. Si ergo vis contra Orientem, id est contra

tra originalem tuæ carnis cupidinem *post me venire*; attende qualiter oportet te crucem bajulare. (n) Sicut namque crucifixus quis jam non pro sui animi voluntate membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem, sed illic tantùm hæret immobiliter, ubi crucifigens ea fixerit; ita oportet te cruci sic affixum esse, & temetipsum abnegare, ut non ad id quod tibi placet, teque delectat ad præsens, tuam voluntatem convertas, sed quò te voluntas mea constrinxit, tuam universam voluntatem applicare debeas: ut jam *non hominum desiderijs, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivas temporis*. Et quemadmodum ille qui crucis patibulo est affixus, præsentia non contemplatur præteritorum obliviscitur, de crastino non sollicitatur, nullâ carnali concupiscentiâ permovetur, nullâ superbiâ, nullâ contentione, nullâ ultione, nullâ æmulatione succenditur, sed cum adhuc suspiret in corpore, se mundo credit esse defunctum, illuc tantùm præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illicò transiturum; ita quoque te timore * Deo confixum; oportet his præmissis omnibus esse defunctum, illic tantùm oculos animæ tuæ habendo defixos, quò te sperare debes singulis momentis migraturum. Hoc ergo modò *vade contra Orientem*, id est, contra originalem tuæ carnis cupidinem. Sic enim *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentijs: semper mortificationem Christi in carne sua circumferentes: ut & vita Christi in corporibus eorum manifestetur.* In quam cum fuerint transformati, pervenient per illam ad supernam gloriam: quemadmodum eis Apostolus ait: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo: cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ecce ostendi succinctè secundum gradum quô pervenire queas ad prophetalis perfectionis statum.

(n) *Comparatio pulcherrima hominis crucifixi, & mortificati.*

1. Petri 4.

*Habetur in non nullis exempl. *Domini.*

Gallat. 5.
2. Corint. 4.

Collos. 3.

CAP. V.

Vt attingatur perfectio prophetica, & finis religiosæ vitæ Eremiticæ, convenit Monacho solitudinem quærere, ac humana consortia vitare, & in continentia vivere.

IDEM IOAN. IEROS. 29. MOdò amplectere tertium. Sequitur in persuasione mea: *Et abscondere in torrente Carith.* Nolo enim te ulteriùs *morari inter turbas in urbe: Quoniam vidi iniquitatē, & contradictionem in civitate: die ac nocte circundat eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & Injustitia: & non defecit de plateis ejus usura, & dolus*: propter quæ omnia vitanda, ipse propheta in exemplum tibi datus, maluit in solitudine habitare, quam in urbe. *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Ait nimirum Sapiens: *Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum. nec alliges duplicia peccata: nec enim eris in uno immunis.* Sed quia ut ait Sapiens, *in mono* (id est in uno, seu singulari) *degens, non eris à peccato immunis*, propterea debes solitarius pavere, & flere, id est, officium Monachi exercere ((o) Μονος enim Græcè, dicitur latinè unus, sive singularis, aut solus; Ἄχος autem Græcè, dicitur latinè tristis: Inde dictus est Monachus: quasi singularis, & tristis) *tua scilicet, & alterius peccata solitarius lugens. Et hoc est tibi eligibile, quam *inter turbas* conversari *in urbe*. Si enim, teste Sapiente, *in uno*, id est, in monade, seu singularitate, aut solitudine *degens, non eris à peccato* usquequaque immunis, quantò magis, ipsô testante, *si te immittas in populum, duplicia tibi peccata alligabis?* Ac per hoc pavere ampliùs, & flere te oportebit. Declina ergo *frequentias turbarum*, nè in civitate positus facere compellaris, quæ te non tam natura cogit facere, quam voluntas: videlicet nè alterius furore movearis, nè aliena bella patiaris, nè te capiat oculus meretricis, nè forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus, nè avaritiæ, cæterorumque vitiorum alligeris vinculis, quæ omnia vitantur solitudine. *Quis enim dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit, nisi qui ei dedit in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis: idcirco contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.* *Onager* quidem animal solitudinem diligens, illum significat qui remotus à turbis popularibus solitarius conversatur: *Cujus* peccatorum *vincula* Deus *solvit*, & *liberum* à peccati servitute eum *dimittit*: dum sibi *domum* in solitudine constituit, & *tabernacula ejus in terra salsuginis*, quæ sitim accendit, ut justitiam cælestis patriæ sitiat, quæ tandem satiat. *Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* (p) Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, *ibique de torrente bibere; abscondere in torrente Carith*, colens scilicet in abscondita solitudine silentium. Quippe sciens imbecillitatem tuam, & vas fragile, quod portas, timere debes in urbe offendere, nè inter *turbas* impingas, & corruas atque frangaris. *Sedebis ergo solitarius & tacebis: quia bonum est homini præstolari cum silentio salutare Dei.*

Psalm. 54.

Psalm. 54.
Eccli. 7.
Monachi officium quod.

(o)

*In aliquibus exempl. habetur *sua*.

Eccli. 7.

Solitudinis & vitæ solitariæ utilitas.

Matth. 5.
(p)

Thren. 3.

30. Quamobrem *abscondere in torrente Carith* qui *divisio* interpretatur: quia expedit ad tui propheticam perfectionem, ut ita *absconsus* ab humano, & *divisus* sis consortio, quòd etiam mulieri non jungaris, conjugio. *Bonum enim est homini mulierem non tangere.* Porrò *hoc ad utilitatem tuam dico, & ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obsequendi* (q) Oportet enim te dividi ab his quæ te impediunt, nè perfectè tendas in Deum. *Sollicitudo verò sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocant Dei verbum*, ac per hoc impedit animum, nè perfectè diligat Deum. Teste enim sapiente, *qui diligunt eum conservabunt verbum illius: qui verò cum uxore est sollicitus est, quæ sunt mundi*, & propterea retrahitur, nè perfectè inhæreat dilectioni Dei: cogitat enim quomodo

1 Corinth. 7.

(q)

1.Cor.7. *modo placeat uxori: qui autem sine uxore est, solli-*
citus est quæ sunt Domini, & cogitat quomodo pla-
Matth.13. *ceat Domino.* Quamobrem *si non es alligatus uxo-*
ri; noli quærere uxorem. Beatior enim eris, si sic
secundùm consilium meum permanseris: ut sis ex il-
lis eunuchis *qui se ipsos castraverunt propter regnū*
Isaiæ 56. *cælorum.* Quoniam *dabo eis in domo mea locum,*
& nomen melius à filiis, & filiabus, & nomen sem-
piternum dabo eis quod non peribit. Ecce expres-
si tibi tertium gradum, quò pervenire valeas
ad propheticæ perfectionis altum.

CAP. VI.

Quod ad apprehendendam perfectionem propheticam, & finem religiosæ vitæ eremiticæ, exigatur ut Monachus sit in charitate, & qualiter debeat Deum, & proximum diligere.

IDEM IOAN. *Peccatum deturpat in homine Dei imaginem.*

31. AModô percipe quartum. Sequitur e-
nim in admonitione mea: *Qui*, scili-
cet Carith, *est contra Iordanem.* Certè *Iordanis*,
descensio eorum, interpretatur: per quam hoc in
loco non absurdè peccatum significatur. Quid
enim facit tam descendere homines à dignita-
te imaginis, & similitudinis Dei, in miseriam,
& turpitudinem, quam peccatum; quod est,
Proverb.14 trangressio divinorum præceptorum? Teste
Deut.28. enim Sapiente, *Miseros facit homines peccatum.*
Hinc Moyses populo præcepta Dei transgres-
suro dixit: *Descendes, & eris inferior*; Omnis
Creaturarum amor cor hominis inquinat. enim natura, licet in suo genere sit munda, su-
periori tamen comparata redditur turpis, &
immunda, & à sua dignitate cadit: atque sor-
descit res nobilis, cum inferiori naturæ misce-
tur: licet in suo genere natura inferior non
sordidetur. Nam & aurum cum argento sor-
didatur, si ei misceatur. Ego autem, testante
sacra scriptura, feci tam excellentis naturæ ho-
minem, quòd eum constitui universæ naturæ
præsidem. Quamobrem licet creaturæ sint
mundæ in suo genere, humana tamen corda
cadunt à sua dignitate, & sordescunt in crea-
turarum fruitione. Hinc de his, qui corda in
rebus creatis figunt, per prophetam dicitur: *Fa-*
Osee 9. *cti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Hinc
Zachar. 11. rursum per prophetam alibi scribitur, *Vastata*
est superbia Iordanis, id est peccati. Quia vide-
licet undè peccatores, contemnendo Dei præ-
ceptum, in peccato contra Deum superbiunt,
indè in vastitatem corruptionis, & abomina-
tionis *descendunt*, dicente propheta, *Corrupti*
Psalm.52. *sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* *Ca-*
rith vero *divisio* interpretatur per quā charitas
merito intelligitur, quia ipsa sola hominem *di-*
vidit à Jordane, id est, à peccatorum descen-
sione. Hæc namque *Carith*, charitas perhibe-
tur esse contra Jordanem, id est, contra pec-
catorum *descensionem*; quia, sicut ait Aposto-
lus, Quantumlibet homo cæteris omnibus
1.Cor.13. bonis polleat, *etiamsi loquatur omnibus linguis, &*
habeat omnem prophetiam, & omnem fidem, &
omnem scientiam, & distribuat omnem substantiam
suam in cibos pauperum, & tradat corpus suum, ita
ut ardeat, charitatem autem non habeat, nihil ei
prodest: nec transfertur à morte peccati in vitam.
Qui enim non diligit, manet in morte. Ab hac 1.Ioannis 3.
tamen morte *dividitur* homo per charitatem,
& *ad vitam*, dicente Ioanne Apostolo, *trans-*
fertur: *Nos*, inquit, *scimus quoniam translati su-* Ibid.
mus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres.
Benè ergo *Carith*, id est, charitas, est *contra*
Iordanem, scilicet contra peccatorum descen-
sionem: quoniam, sicut ait Sapiens; *Universa* Prov.10.
delicta operit charitas. Tu ergo, fili mi, si vis
perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ Ere-
miticæ pervenire, & *contra Iordanem*, id est,
peccatorum descensionem, *abscondi* debes *in*
Carith, id est, in charitate, ibique de torrente
bibere, *diliges Dominum Deum tuum ex toto cor-* Matth.22.
de tuo, & ex tota anima tua, & ex totâ mente tua.
Nam cum hoc adimpleveris; tunc perfectus *Charitatis*
eris, & *contra Iordanem in Carith*, id est, in cha- *præstantia.*
ritate absconderis. Si autem hoc adimplere re-
nueris, *miser* & reprobus efficieris, & non in
Carith, sed in *Iordane*, id est, in peccatorum
descensione eris. Si enim quidquam aliud amas
plusquam me; jam non me diligis ex toto corde
tuo, nec es in *Carith*, id est, in charitate: quare
non es dignus videre me. *Qui enim amat patrem,* Matth.10.
aut matrem plus quam me, non est me dignus: aut qui
amat filium aut filiam super me non est me dignus.

32. Sed & si quidquam aliud tantùm amas
quam me; nondum me diligis ex toto tuo cor-
de, nec es *in Carith*, id est, in charitate. Si e-
nim me ex toto tuo corde diligeres, quantum-
cumque anima tua, & cætera omnia essent ti-
bi cara, eis omnibus dilectionem meam præ-
ferres, & cuncta quæ cor tuum ab ea averte-
rent, protinùs respueres, & odio haberes: *Si* Lucæ 14.
quis enim *venit ad me, & non odit patrem suum* *Charitas erga se qualis*
& matrem & uxorem & fratres & sorores, adhuc *esse debeat.*
autem & animam suam, non potest esse meus disci-
pulus. Si verò cor tuum mihi tantô amore of-
feras, & te ipsum mihi tantâ dilectione com-
mittas; ut quod nolo, & tibi prohibeo quan-
tumlibet sit difficile caveri, totum tamen a-
more mei vites & odias; quod autem volo, &
tibi præcipio, quantumcumque sit durum fie-
ri, nihilominùs totum amore mei serves, &
adimpleas; tunc incipis me utcumque dilige-
re ex toto tuo corde, & ex tota anima, & ex
tota mente, & in *Carith*, scilicet in charitate
esse. *Qui* enim *habet mandata mea, & servat ea,* Ioan.14.
ille est qui diligit me. Primum autem omnium est Marc.12.
mandatum; Audi Israel: Dominus Deus tuus Deus Deu.6.
unus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente
tua. Hoc est primum & maximum mandatum.
Quod quia non potest servari sine dilectione
proximi, eò quòd *qui non diligit fratrem suum* 1.Ioan.4.
quem videt, non potest Deum diligere quem non vi-
det; ideò *secundum mandatum simile huic est; Dili-*
ges proximum tuum sicut te ipsum: scilicet in quo,
& propter quod, debes diligere teipsum: In bo-
no verò, & non in malo debes te diligere: si
enim in malo te diligeres, jam non teipsum
amares, sed odio haberes: *Qui* enim *diligit ini-* Psalm.10.
quitatem,

Matth. 7. Tobiæ 4. Rom. 13. *quitatem, odit animam suam.* Ideoque proximum debes diligere sicut te ipsum, in bono, & non in malo: ut *omnia quæcumque vis ut faciant tibi homines, facias & tu illis: & quod ab alio oderis tibi fieri, id ne tu aliquandò alteri facias. Dilectio* enim *proximi malum non operatur.* Quapropter hoc in proximo amare, & operari debes per quod justus fiat, si malus est: aut per quod justus permaneat, si bonus est.

33. Rursùs te debes diligere, non propter te ipsum, sed propter Deum. Quod enim propter se diligitur, in eo finis lætitiæ, & vita beata constituitur; cujus adipiscendæ etiam spes jam hoc tempore consolatur. In te verò, vel in alio homine, non debes spem beatæ vitæ ponere. Ierem. 17. *Maledictus* enim *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Debes ergo in Domino finem tuæ lætitiæ, & vitam beatam constituere, Rom. 6. Apostolô dicente: *Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam in Christo* Iesu *Domino nostro.* Ergo si liquidè advertas, Deum debes diligere propter seipsum, te vero non, propter te ipsum, sed propter Deum. Cumque debeas diligere proximum tuum sicut teipsum, debes utique eum diligere non propter se, nec propter te, sed propter Deum. Hoc autem quid aliud est, quàm in proximo diligere Deum? 1. Ioan. 5. *In hoc,* inquit Ioannes Apostolus, *cognovimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligimus & mandata ejus facimus.* Quæ omnia utique in præparatione animi facis, si Deum diligas propter seipsum, & si propter Deum diligas proximum sicut teipsum. Matth. 22. Rom. 13. 1. Petri 4. *In his* quippe *duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ. Plenitudo enim legis est dilectio.* Propter quod ad eam præcipuè habendam hortatur Petrus Apostolus dicens: *Ante omnia mutuam in vobumetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Sed tantò minus Carith, id est, charitas tua operit peccata, & est, *contra Iordanem*, id est, contra peccatorum descensionem, quantò minus Deum, & proximum diligis. Minor quippe dilectio minorem meretur peccatorum dimissionem, sicut scriptum est: Lucæ 7. *Cui minus dimittitur, minus diligit*: tantò verò magis Carith, id est, charitas tua operit peccata, & est *contra Iordanem*, id est, contra peccatorum descensionem, quantò magis Deum, & proximum diligis: quoniam major dilectio majorem meretur remissionem peccatorum, quemadmodum scriptum est: Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ecce exposui tibi quartum gradum, quô attingere queas ad prophetalis perfectionis bonum.

CAP. VII.

Qualitèr Monachus per quatuor præmissos gradus ad perfectionem perveniat, & finem religiosæ vitæ eremiticæ attingat & in eo quiescat.

34. Restat nunc attendas qualiter ad culmẽ perfectionis propheticæ, & finem monasticæ vitæ eremiticæ per hos præmissos quatuor gradus pervenias. Sequitur enim in propositione mea: *Et ibi de torrente bibes.* Nempe expedit tibi Sapientis exemplô *abstrahere à vino carnem tuam, ut animã tuam transferas ad sapientiam, devitesq; stultitiam. Luxuriosa* enim *res est vinum, & tumultuosa ebrietas. Quicumque his delectatur non erit sapiens:* Propter quod ut faciliùs ad veram pervenias sapientiam, à vino in *Carith* abstinebis, & in remedium tuæ sitis, ac tutamentum vitæ tui corporis, bibes ibi de torrente materiali, scilicet de aqua torrentis. Reminiscere tamen qualiter antequam dixerim tibi *& ibi de torrente bibes*, præmisi: *Abscondere in torrente Carith*, Quod ideò prædixi; quia de hoc ut spiritualiter de torrente bibas, oportet te priùs in *Carith*, scilicet in charitate abscondi. In qua non ilico absconderis cum in ea esse incipis; quoniam sicut dictum est, non quantalibet charitas, sed sola perfecta operit universa delicta. Licet ergo mox ut me incipis ex toto corde tuo diligere, sis verè in *Carith*, id est, in charitate; non tamen es protinùs absconditus in *Carith*, id est, in charitate: quia non confestim es totaliter divisus ab actuali cupiditate peccati. Non enim mox quiescunt, immò insurgunt in te carnales concupiscentiæ, & cogitationes immundæ, conantes cor tuum in vetita trahere, & à dilectione mea totalitèr evellere: propter quod nondum potes perfectè diligere me, ex toto tuo corde. Nam etsi cor tuum retineat tunc assiduè dilectionem meam habitualiter in te; adhuc tamen non potest tranquillè per actualem amorem perfectè ferri in me. Quoniam, ne totaliter decidas à mea dilectione, oportet te, tunc intendere ad expugnandum insurgentes cogitationes immundas, & carnales concupiscentias, contrarias dilectioni meæ. Quas cum velut illicitas edomueris, non tamen continuò in *Carith*, id est, in charitate absconditus eris: quia nondum me ex toto corde tuo perfectè amabis. Adhuc enim restabunt multa tibi licita, quæ per me nec præcepta sunt tibi, nec vetita: ut nuptiæ, divitiæ, negotia sæcularia, & similia, quæ suprà memoravi. Quibus cum te implicas, etsi cor tuum non divellant totaliter à meâ dilectione; tamen non facilè sinunt te de me cogitare, sed frequenter te impediunt à mei consideratione, & cor tuum subducunt à meæ dilectionis fervore. Quò quantò minus inflammaris, tantò minus ex toto corde tuo me diligis: quantò autem me minus diligis, tantò minus in *Carith*, id est,

Idem Ioan. Eccl. 2. Prover. 20. Charitatis perfectæ & imperfectæ pulcherrima descriptio.

est, in charitate absconderis: & quantò minus in charitate absconderis, tantò minus ad perfectionem propheticam, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ tendis.

35. Tu ergo fili mi, ut promptus queas abscondi in *Carith*, id est, in charitate, & ad finem destinatum pertingere, ibique de torrente bibere, evita non solùm ea per me tibi prohibita, quæ te totaliter à meâ dilectione separant, ut sunt carnales concupiscentiæ ei contrariæ, & cogitationes immundæ; sed etiam diffuge ea quæ te ab ardore dilectionis meæ retardant, ut sunt ea quæ tibi propterea superiùs dissuasi, scilicet divitiæ, & nuptiæ, ac cætera quæ in se negotia sæcularia implicant:
2. Timoth. 2. *Nemo enim militans Deo implicat se negotijs sæcularibus; ut ei placeat cui se probavit.* Illa verò summo studiô exquire quæ te ad meæ dilectionis ardorem vocant: ut sunt præcepta legis meæ, & ea quæ propterea tibi suprà persuasi, scilicet paupertas, & carnalis concupiscentiæ crucifixio, obedientia, & voluntatis propriæ abrenunciatio, continentia, & eremi solitudo. Nam si in mandatis, & in consilijs meis taliter exercitatus fueris, ut non solùm cogitationes immundas, & carnales concupiscentias dilectioni meæ contrarias, sed etiam cætera fervorem dilectionis meæ impedientia, & retardantia à te fugaveris; & si ea quæ amori meo opitulantur, ita elegeris, ut inde tam ferventi amore me totaliter diligas, tamque vehementi dilectione mihi tranquille adhæreas, quòd nullum desiderium contrarium dilectioni meæ, vel ejus impeditivum in mente tuâ sentias; tunc incipis me diligere perfectè ex toto tuo corde, & in *Carith.* id est, in charitate absconditus esse, atque finem destinatum pertingere.
(r) 1. Timoth. 4. (r) *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quidquid enim tibi in lege meâ præcipio, aut consulo, sive de fugandis à te cogitationibus immundis, & carnis, ac mundi concupiscentijs, ut cor tuū ab his purum teneas; sive de exhibendis proximo officijs, & vitandis ejus offensis; ut sine reprehensione conscientiam bonam ad eum habeas: sive de impendendis cultui meo obsequijs, ut ex fide non ficta sed vera, mihi deservias; totum hoc ad hunc finem tibi suadeo, ut de corde tuo puro, & conscientiâ bonâ, & fide non ficta, prodeat liberè charitas tam fervens & vehemens, tamque pacificè cor tuum totaliter sine renisu conjungens, ut nihil penitùs contrarium dilectioni meæ, vel ejus retardativum cor tuum in se sentiat, sed tranquillum in amore meo totalitèr conquiescat: Quod nihil aliud est, quam habere cor purum ab omni peccati actualis sorde, & esse absconditum in *Carith*, id est, in illa charitate de quâ sa-
Prover. 10. piens ait: *Universa delicta operit charitas.* Cum ergo ad finem hunc prophetalis, ac monasticæ vitæ eremiticæ perveneris, & ita in *Carith*, id est, in charitate absconditus fueris, tunc ibi de torrente bibes: quia in hac tam perfecta tui conjunctione ad me, potabo te, & tuos sodales, illo torrente, de quo Propheta mihi lo-
Psalm. 35. quens ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Scriptum est enim: *Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo; dabit pro terrâ silicem, & pro silice torrentes aureos, eritque omnipotens contra hostes tuos; & acervabitur tibi argentum. Tunc super Omnipotentem delicijs affluet, & elevabis ad Deum faciem tuam.* Iob. 22.

Charitas perfecta in quo sita: ejus efficacia

36 Ubi vide, si ad Deum ex toto corde tuo, sicut præmittitur, revertaris, qualiter in bonum gradatim ædificaberis. Primò quidem *longè facies iniquitatem à tabernaculo*, id est, à corde *tuo*: Quia aliter cum Omnipotente conjungi non posses, sicut scriptum est: *Si dixerimus quoniam Societatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Quoniam *iniquitates nostræ diviserunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem ejus à nobis.* Secundò *pro terra*, id est, terrenis affectionibus, & divitijs à te dimissis, *dabit* tibi Deus *silicem*, id est, fortem & ardentem charitatem. est enim silex lapis durus & focarius, à quô salit ignis, & significat illam perfectam charitatem, de quâ Sapiens ait: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atq; flammarum.* Hanc dat Deus sicut ait Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Tertiò *pro silice*, id est, forti & perfecta charitate servata à te, *dabit* tibi Deus *torrentes aureos*; illas, videlicet, ineffabiles & suaves delicias spirituales, de quibus scriptum est: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ preparavit Deus his qui diligunt eum.* Hæ quidem deliciæ dicuntur *torrentes*, quia instar torrentis cum impetu, & magnâ voluptatis abundantiâ, ad mentem prophetæ confluunt: Sicut scriptum est, *Torrens redundans fons sapientiæ.* Sed sicut torrens ortô solis ardore citò arescit; ita dapes illæ spirituales ortâ carnis cupiditate, mox à mente prophetæ discedunt, & torrescunt. Sunt verò hi torrentes aurei, id est, fulgentes tam ex ardore dilectionis Dei, ex quâ ad mentem Prophetæ profluunt, quam ex manifesta notitia Dei, ad quam hominem propheticum secretè perducunt. Sicut Dominus ait: *Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quartò cum ad talem Dei notitiam perveneris, *erit omnipotens contra hostes tuos* visibiles & invisibiles, protegēs te ab eis; sicut ipse ait: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Quintò *acervabitur* inde *tibi argentum*, de quo Propheta ait: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne* id est, charitate *examinatum.* Quia enim propter charitatem Dei mundum & consortia hominum relinques ut purô corde Deo inhæreas; merebe- ris divino abundè perfrui colloquiô; ita ut occulta etiam futura interdum revelentur tibi à Deo. *Tunc ergo super Omnipotentem delicijs* inæstimabilibus *affluet & elevabis ad Deum* liberè contemplandum *faciem* mentis *tuam.* Ecce docui qualiter ad perfectionem propheticam pervenias, & finem monasticæ vitæ eremiticæ attingas.

(Marginal references, right column: 1. Ioan. 1. — Isaiæ 59. — Cant. 8. — Rom. 5. — 1. Cor. 2. Isai. 64. — Prover. 18. — Ioan. 14. — Psalm. 90. — Psalm. 11.)

CAP.

CAP. VIII.

Quod Monachus debeat humiliter perseverare dum pervenerit ad perfectionem propheticam, & finem religiosæ vitæ Eremiticæ.

Idem Ioan. 37. DEinceps oportet ultimò videas, quomodo in perfectione propheticæ vitæ Eremiticæ perseverare debeas. Sequitur enim in promissione mea, *Corvisque præcepi ut pascant te ibi.* Quod utique ad tui consolationem necessarium judicavi. Nempè licet inenarrabilibus afflues delicijs quamdiu bibes de torrente meæ voluptatis; duplici tamen ratione tuum gaudium nondùm erit plenum: Primò quidem, quoniam vehementissimè ex totis tuis præcordijs desiderabis tunc faciem meam clarè conspicere, quam tamen non poteris perspicuè videre: *Non enim videbit me homo & vivet*: quia *ego lucem inhabito inaccessibilem*, quàm nullus homo in hac vita vidit, sed nec videre poterit. Secundò, quoniam dum in illis ineffabilibus delicijs, quas bibes de torrente meæ voluptatis, requiescere diutiùs conaberis, repentè tamen propter fragilitatem tui corporis ab eis semotus ad te ipsum reverteris, *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hac utique duplici ratione, quia scilicet faciem meam non poteris clarè cernere, & quia oppressus corruptibili corpore, non valebis diutiùs permanere in illa gloriosa gustatæ dulcedinis contemplatione; orabis tunc, si vis in perfectione perseverare, & dices, incipiens gemere: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Verùm nè tunc irremediabilibus gemitibus, & cordis mœstitudine inconsolabiliter dissolvaris ex desiderio videndi me, & fame gustandi suavitatem dulcedinis gloriæ meæ; ad consolationem tui. *Corvis præcepi ut pascant te ibi.* Quippe corvorum nomine rectè intelliguntur sancti prophetæ, tibi in exemplum dati à me; quia nequaquam de justitiæ suæ luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam, & infirmitatis propriæ notitiam, peccatorum in se nigredinem confitentes ajunt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Proindè de eorum quolibet scriptum est: *Qui præparat corvo escam suam, quando ejus pulli clamant ad Deum vagantes, eò quòd non habeant cibos?*

Exod. 33. I. Timoth. 6. Sap. 9. Psalm. 62. I. Ioan. I. Iob 38.

38. Corvus hujus est naturæ, quod pullorum suorum, in ortu candidorum, ora hiantia, hucque illucque in nido vagantia, & cibos expetentia, respicit: quibus cibum non priùs ministrat, donec per pennarum nigredinem proprij coloris similitudinem in eis recognoscat. Postquam vero nigrescere eos inspicit, totis suis viribus eos deinceps pascit. Sic interdum Prophetæ sancto à me misso nascuntur pulli, scilicet discipuli, ad tantam tandem gratiam pervenientes ejus exemplò, ut bibant de torrente voluptatis meæ, quemadmodum & propheta ille: Sed cum ex infirmitate propriæ naturæ nondum fuerint ad gustandam illam suavitatem perducti, debent, huc illucque vagantes, desideriò ad me clamare: eò quod desideratos cibos illius internæ dulcedinis nequeant adhuc sumere, & juxta id quod scriptum est, *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, debent tunc se per humilitatem adhuc reputare pullos, id est, parvulos in bono & formidare nè boni augmentum offendant ex malo. Scriptum est enim, *In multis offendimus omnes*: Et ipsi plerumque à peccatis suis memoriam avertunt, & considerare, infirmitatem propriam nesciunt, ac per hoc humilitatis nigredinem, quam assumi oportet contra mundi nitorem, non ostendunt. Tantò autem minus spiritualem illam refectionem interiùs sumere possunt, quantò exteriùs per cultum vitæ præsentis magis quasi nitescunt. Corvus ergo in pullis ora hiantia respicit, sed antequam cibum ministret, corpus indui pennarum nigredine in eis quærit: quia à me missus propheta priusquam ad absconsam escam voluptatis meæ discipulos perducat; admonet eos, & exspectat, ut exemplò sui à nitore vitæ præsentis per humilis pœnitentiæ lamenta nigrescant, & peccatorum propriorum in se nigredinem recognoscant. Qui si in confessione vitæ præteritæ lamenti sui gemitus, velut nigrescentes plumas, ex interioribus proferant, ilicò propheta eis hiantibus in ore præparatam à me escam ministrat: quia ad gustandam dulcedinem de torrente voluptatis meæ emanantem eos invitat, quos tantò ardentius de torrente reficit, quantò veriùs à mundi nitore eos nigrescere per humilis pœnitentiæ lamenta cognoscit. Sed ut sciant discipuli se escam ad quam propheta eos vocat, à me accipere, rectè præponitur sub petitione, *Qui præparat corvo escam suam, quandò pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eò quod non habeant cibos?* Subaudis, Nullus præparat nisi Deus, qui sicut scriptum est, *dat escam pullis corvorum invocantibus eum.*

Similitudo pulcherrima à corvorum pullis albis. Matth. 18. Iacob 3. Iob. 38. Psal. 146.

39. Tu ergo, fili mi, cum ad perfectionem propheticam, & finem monasticæ vitæ Eremiticæ perveneris, & de torrente voluptatis meæ biberis, nè inde de tanta suavitate gustata extollaris, repentè ab ea ad tempus removeberis, propter fragilitatem, & corruptionem tuæ carnis. Cave ergo tunc *ne de perfectionis tecto descendas tollere aliquid* ex his quæ renuncians abdicasti: *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Quamobrem quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens temetipsum, persequere, donec venias ad destinatum bravium supernæ vocationis.* Non enim qui hæc præscripta inceperit, sed (t) qui in eis *perseveraverit*

Matth. 24. Luc. 9. Philipp. 3. (t) Matth. 24.

severaverit usque in finem, hic salvus erit. Et propterea vagans instar pullorum corvi, debes ad me incessanter clamando, dicere: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum.* Nam si ad illam dulcedinis meæ prægustatam suavitatem non confestim reducaris; hoc ideò fiet, primò ut scias te non ex tuis meritis, sed ex mea gratia ad illam suavitatem priùs pervenisse: Secundò; ut ardentiùs eam desideres, & multipliciùs desiderando capacior reddaris ad eam adipiscendam. Ne autem interim à perfectione penitùs corruas, *Corvis præcepi ut pascant te ibi*: quia sanctis prædecessoribus tuis prophetis mandavi, ut te doctrinâ exemplorum humilis pœnitentiæ pascant, quâ peccatorum nigredinem in se humiliter cognoscebant, & nitorem vitæ carnalis vitabant. Qua propter ut interim sapiens esse queas; eorum doctrinâ avidè pascaris, ut scribitur, *Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens, & in prophetis vacabit.* Quoniam si eorum exemplô à nitore vitæ præsentis, per propriæ fragilitatis notitiam, & veræ humilitatis notitiam, instar pullorum corvi, totus nigrescas; & per devotam orationem, & humilem, ac debitam peccatorum confessionem, copiosos lamenti gemitus, velut nigrescentes plumas, ad Deum proferas; & si instar pullorum corvi à turbis urbium elongans, & in solitudine degens, à gloria carnalis vitæ, & possessionum, cæterarumque mundi divitiarum nitore totus nigrescas; reducet te Deus iterum ad gustandam dulcedinem escæ effluentem de torrente voluptatis suæ. Hinc enim scriptum est; *Considerate corvos qui non seminant, nec metunt, quibus non est cellarium, nec horreum, & Deus pascit illos.* Ecce docui te quomodo debeas humiliter perseverare in perfectione propheticæ vitæ Eremiticæ.

Psalm. 41. Eccl. 39. Lucæ 12.

Annotationes in Librum primum.

40. **A**D CAP. I. (a) Ioannes XLIV Episcopus Hierosol in libro de Instit. primorum Monachorum &c. *Annotandum, & declarandum hic esset, quis ille Ioannes, & qualis iste liber de Institutione Monachorum; sed jam ante in prænotatione quadam de ipsis dictæ & subinde sermo recurret, & tractatio longior de eisdem commodiùs habebitur in parte 5.*

Caprasius quis sit.

(b) Petis, dilecte Caprasi: *Caprasius ille quondam discipulus Ioannis, Authoris hujus libri, Carmelicola erat, & Pater, seu Præfectus* (*Hebraice* Abba, *Græcè* Archimandrita) *Monachorum, seu Eremitarum Montis Carmeli. Quæ gesserit, & quando obierit panditur tom. 3. Annalium Carmelit. Vide ibi in Indice verbo* Caprasius. *Ejusdem meminit* S. *Cyrillus, hic infra lib. 8. Cap. 1.*

(c) De ipso fundatore, & primis ejus discipulis &c. edisseremus. *Ita habent exemplaria MSS, in Veneto impresso pro* edisseremus, *est* disponemus. *Wastelius in notis ad hoc caput rectè animadvertit, errorem aliquem Interpretis in illa periodo intercessisse, & quod ex Græco in Latinum traductio sic ordinatius sonaret.* Deinde aliqua sancta gesta, & gloriosas virtutes, & exteriorem habitus ornatum ipsius fundatoris, & primorum ejus discipulorum, cæterorumque hujus Religionis priscorum professorum edisseremus

Liber de instit. Monachorum scriptus ex traditione majorem.

.. (d) Sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ Conversationis sectatores ante nos intellexerunt, & nobis tam in veteri, quam in nova Lege doctrinis, & exemplis Philosophati sunt: *inde habetur, quod author libri hujus scribat ea, quæ aut ipse per experientiam didicerat, & à Patribus præcedentibus per traditionem acceperat, dum ejusdem Prophetici Eliani instituti cultor in Carmelo moraretur, ibidem Pater, seu Archimandrita. Ideo identidem repetit;* nostræ Religionis. *& etiam alibi disertè asserit, ea quæ scribit hic, se ex traditione veterum Patrum habere: sic libro sexto Cap. 1. sub medium, tractando de Nubecula, præfigurante Virginem Deiparam, asserit, illud mysterium, quasi per manus ab ipso S. P. Elia, ac posteris, & successoribus, continuatè traditum: quod etiam notat Salianus libro 4 Annalium, ubi agens de Ioanne XLIV. Antistite Ierosolym. & hoc libro, ait:* Partim ex scripturis, partim ex traditione Seniorum, quibuscum à puero vixerat, (*Ioannes ipse*) qui, & ipsi à Majoribus eadem per manus acceperant, conscriptum fuisse.

Ad an. Mundi 3123

(e) Scito, & animadverte ab initio Regni Achab Regis Israël, usque ad Christi adventum in carnem decades annorum circiter nonaginta quatuor fluxisse. *Decas annorum sunt decem anni. Est is modus loquendi proprius huic authori. Achab regnum Israël suscepit (juxtà Salianum) anno mundi ter millesimo centesimo decimo sexto, ante Christum nongentesimo trigesimo septimo Igitur decades sunt annorum 94. minus annis tribus.*

Decas annorum quid.

DANIEL A V. M.

Elias de tribu Aaron.

(f) De tribu Aaron. *Idem tradunt* S. *Epiphanius in libro de sanctis Prophetis, Dorotheus in Synopsi Prophetarum, S. Isidorus in libro de Patribus veteris testamenti, Metaphrastes in Commentario vitæ S. Eliæ sub initium.*

Ejus Pater Sabacha.

(g) Sabacha Genitorem *Eliæ* Sabatha *nuncupatum fuisse tradunt, iidem Epiphanius de vitis Prophetarum, Dorotheus in Synopsi Prophetarum agens de Elia, atque alij. Nonnulli scribunt* Sobac, *De mirabili visione ei ante filij nativitatem exhibita agitur lib. 7. Cap. 5.*

Elias Monachorum Princeps.

41. AD CAP. II. (h) Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit. *Id quoque adstruunt alij Patres, & Doctores. S. Hieronymus ad Paulinum scribens de Institutione Monachi:* noster (*monachorum scilicet, qualis ipse erat*) Princeps Elias, *inquit. Iisdem ferè verbis utitur S. Isidorus, & alij. Vide hic infra n. 57.*

Iubetur relinquere mundana omnia.

(i) Recede hinc, scilicet à rebus caducis mundi; *quæ mentem à Deo sequestrant, aut certè plurimum impediunt ab eius amore, illique perfectè placendi studio: ea potissimum sunt tres, à S. Ioanne Apostolo expressè paucis illis verbis:* Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: *voluptates scilicet carnis, divitiæ, & propria voluntas honorem aucupans. Ab istis igitur recedere debet, qui ad culmen perfectionis Religiosæ conscendere intendit. Id præstant in Religiosis paupertas, Castitas, & obedientia, quas, quod, & qualiter edoctus fuerit, exercuerit, & suis discipulis tradiderit magnus Propheta Elias hic consequenter declaratur.*

(k) Sed ut hoc queas perseverare. *Ita habet Codex Ms. Gandensis cæteris antiquior, & accuratior: continet verò ea lectio Gratiismum Alia exemplaria habent* in hoc. *Ita Wastelius in notis variarum lectionum ad hoc caput.*

AD CAP. III. (l) Tu ergo fili mi si vis perfectus esse, recede hinc scilicet à rebus caducis. *Fundamentum enim Religiosæ Professionis est sancta paupertas, seu abdicatio voluntaria terrenarum possessionum, estque ea ordine prima, & quasi parens aliarum omnium virtutum, ut scribit S. Ambrosius; unde meritò à sapiente hoc elogio extollitur.* Beatus vir qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. *Propterea ab hac virtute Religiosum Monasticum Institutum auspicatus fuit Elias:* Quid enim Elia pauperius? *inquit S. Chrysostomus?* Ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit, ut præter amictum illum (*melotem*) nihil amplius possideret. *Vide plura hic infra lib 2. Cap. 1. & 8. & parte 5. in vita S. Eliæ ad diem 20 Iulij.*

Lib. 5. in Luc. Eccli. 31.

Homil. ad populum Antiochenum.

42. AD CAP. IV. (m) Tu ergo, fili mi, si vis perfectus esse, . . . à voluntate tua avertere. *Voluntatis propria renunciatio, id est, obedientia,* sola virtus est, quæ *teste S. Gregorio* cæteras menti inserit, insertasque custodit.

Lib. 35. Moral c. 10

C

stodit: *Est quoque de substantia Religiosæ Professionis, & ita Deo grata ut hoc eximio elogio à spiritu Sancto decoretur*, melior est obedientia, quam victimæ. *Etenim in victimis caro aliena per obedientiam autem voluntas propria mactatur, & offertur Deo. Quòd etiam hanc amplexus fuerit, & suis tradiderit S. Elias declarabitur infra lib. 2. cap. 1 & 8. Discipuli quoque ejus filij Prophetarum obedientiam præstiterunt ipsi Eliæ tamquam Archimandritæ, & post ejus mortem Elisæo.* Ideò venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram, *veluti Superiorem & Patrem loco Eliæ prout latius infra lib. 4. cap. 3.*

1. Regum. 15.

4. Reg. 2.

(n) Sicut Crucifixus: *Est illa insignis similitudo perfectissimæ obedientiæ Monasticæ, se habere tamquam mortuum propriæ voluntati, & quasi cruci affixum.*

Ad Cap. V. (o) Monos Græcè Latinè dicitur unus. *Rectè notat noster Wastelius, illam Parenthesim videri, aut ex marginali adnotatione irrepsisse in textum, aut claritatis gratiâ additam ab Interprete. Hac occasione animadvertendum, etiam pro sequentibus, quod licet Interpretis boni partes sint, sensum reddere omnium, attamen subindè necessariò quædam mutare, vel de suo addere, ut proprietates alterius linguæ suis proprietatibus explicet, aut etiam, nè si verbum è verbo transferat, nimiâ obscuritate lectori tædium pariat. Risum autem mereretur is, qui exinde concluderet, codicem talem è Græcorum fontibus non emanasse: ita Wastelius.*

(p) Tu ergò fili mi, si vis perfectus esse .... abscondere in Torrente Carith, colens scilicet in absconsa solitudine silentium. *Utrumque illud, solitudo, & silentium in sequentibus, peculiariter lib. 3. Cap. 5. magnopere commendatur, tamquam medium ad meditationem & contemplationem (Prophetici Carmelitici Instituti primariam partem) opportunum, ac necessarium. Hinc Regula ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano ex hoc libro Ioannis extracta, & in compendium redacta, magisque determinata (ut ex sequentibus patescit) tanta est in commendatione Cellæ, & solitudinis, atque silentij, ut nulla sit Regula, quæ efficacioribus verbis illa præscribat.*

Silentium medium ad perfectionem.

(q) Oportet te dividi, ab his, quæ te impediunt, ut perfectè tendas in Deum. *Religiosus monasticus status omnia submovet impedimenta, nè anima perfectè, & totaliter in Deum tendat. Unum eorum (præter divitias & propriam voluntatem) sunt voluptates carnales, etiam licitæ: ideo de Monastici status essentia est quoque castitas. Quam propterea etiam Elias, & Discipuli ejus filij Prophetarum amplexati fuêre; etenim ut scribit, S. Hieronymus ad Eustochium de servanda Virginitate.* Virgo Elias, Virgines multi filij Prophetarum. *Quod autem tres illas Monasticas & Religiosi status essentiales virtutes servaverint etiam ex aliquali voto, ostensum est alibi.*

43. Ad Cap. VI. (r) Tu ergo, fili mi, si vis perfectus esse, debes abscondi in Carith, id est in charitate. *Totò hoc capite tantoperè commendatur charitas, quæ adeò necessaria est in cœnobiis, ut sine ea nil cætera omnia prosint. Proinde de ea meritò scribit S. Hieronymus.* Charitas Religiosos, Charitas monachos facit: sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt dæmones, cum hac verò sunt Paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli. In Reg. Monasticis cap. 1.

Ad Cap. VII. (s) Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona; *ideo Regula nostra meritò monet (in Prologo) quod debeant Religiosi,* Christo de corde puro & bona conscientia deservire. *Quæ verba hinc translata sunt in ipsam Regulam, quam potissimè ex hoc libro concinnatam fuisse peculiariter declarabitur libro 8. Cap. 4. Doctrina hujus capitis insignis est, instruens qualiter amovenda sint impedimenta perfectæ Charitatis: quodque ad eam necessaria sit vitiorum impugnatio, & sui mortificatio.*

Ad Cap. VIII. (t) Qui in eis perseveraverit usque in finem hic salvus erit. *Perseverantia omnium virtutum corona dicitur. Ad hanc suavissimè invitat, qui perseverantiæ præmium monstrans, ait* Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Præmium est in exitu, perseverantis est corona. Exoratum est inane, cui suus non apponitur Epilogus.* Apocal. 2.

NOTANDUM EX DICTIS.

44. EX *hactenus dictis perspicuum est (& ex dicendis confirmabitur) quam verum id sit, quod de libro isto Ioannis XLIV. de Institutione primorum Monachorum, vir quidam, & doctrina, & pietate valde spectabilis, enunciavit his verbis:* Etsi liber Historicus primò aspectu videatur, quatenùs de Eliæ ortu, Monachatu, gestis, locis, ubi commoratus fuerit, discipulis, & aliis hujusmodi, ex Sacræ Scripturæ præsertim testimoniis disserit, sub Historiæ tamen cortice exhortatoria Regula est, omnia quæ ad vitæ Monasticæ, ac Religiosæ finem necessaria, vel utilia esse possunt, mirabiliter amplectens; ut puta, de contemptu rerum terrenarum, propriæ voluntatis abnegatione, solitudine, castitate, charitatis perfectione, perseverantia, oratione, & aliis similibus, ex variis mysticis arcanis, & allegoricis interpretationibus desumptis. *Vide plura ad hoc intentum hic infrà post librum septimum.*

Lezana tom. 3. Annalium Carmel.

Notabile circa librum de instit primorum Monachorum.

Dies posterior quandoque magister est Prioris; atque ità, dies diem illuminans. *Propositum meum ab initio fuit, Annotationes subjicere singulis libris (præcedentibus me similiter aliis illustribus Auctoribus) sed à viris intelligentibus monitus, & reipsâ advertens, commodius fore Lectoribus, si singulis capitibus sua immediatè subnectantur Notæ; ita (aliorum præstantium Scriptorum exemplò) deinceps fiet.*

LIBER II.

LIBER SECVNDVS

De magno Propheta Elia, primo Monasticæ vitæ authore, et exemplari, eiusque discipulis, ac posteris.

PRÆFATIO.

45. Liber iste secundus agit de vita monastica, quam Elias secundùm formam per Deum ei expositam, in eremo duxit: & de viris quos in observantia dictæ vitæ discipulos habuit: Specialiter autem de quatuor Prophetis, quos ad dictam vitam traxit: & qualiter suos discipulos illius vitæ disciplinam docuit. Habet autem capitula octo; *Capitulum primum*: Quòd Elias monasticam vitam eremiticā secundùm formam per Deum ei propositā incœperit, & ad perfectionem ac finem dictæ vitæ pervenerit, & in ea perseveraverit. *Secundum*: Quòd Elias disposuerit successores habere in observantia monasticæ vitæ eremiticæ: & quâ ratione ipsi in Sacra Scriptura appellati fuerunt Prophetæ. *Tertium*: Quòd aliqui ex dictis Eliæ Prophetæ discipulis fuerint à Deo spiritum prophetiæ consecuti: & quâ ratione dicti discipuli fuerint etiam in Sacra Scriptura Filij Prophetarum appellati. *Quartum*: Quòd Jonas Propheta fuit per Eliam à mortuis resuscitatus, & ejus discipulus effectus, & à Deo spiritum prophetiæ consecutus. *Quintum*: Quòd Elisæus Propheta fuit perfectus Eliæ discipulus, & idololatras persecutus, & signis clarus. *Sextum*: Quòd Michæas Propheta adhæsit Eliæ in disciplinâ Prophetica vitæ monasticæ, & tandem accepit spiritum prophetiæ. *Septimum*: Vnde Abdias Propheta fuit ortus, & qua ratione factus Eliæ discipulus. *Octavum*: Quòd Elias tam factis quàm verbis exemplar monasticè vivendi se discipulis suis præbuit, & quod quicquid perfectionis est in monachorum vita, ab Elia tamquam à primo exemplari originem traxit.

Libri secundi summarium.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quòd Elias monasticam vitam eremiticam; secundùm formam per Deum ei expositam, incœperit, & ad perfectionem, ac finem dictæ vitæ pervenerit & in ea perseveraverit.

Ioan. Ierosol. 46. IOANNES XLIV. EPISCOPVS JEROSOLYMITANVS, *in libro de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.* Elias itaque auditâ à Deo præfatâ lege perveniendi ad perfectionem Propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ, & perseverandi in eadem; considerans quomodò *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*: propter quod ex totis suis præcordiis studuit (a) ad dictã perfectionem Propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, & legem ad eam perveniendi, quam à Deo audierat, opere adimplere: sicuti de eo ita legimus scriptum in superiore lectione libri Regnorum: *Abijt ergo Elias, & fecit juxta verbum Domini. Cumque abijsset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem: Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi: & bibebat de torrente.* Hæc autem præmissa verba exponemus, tam Historicè, quam mysticè: quia utroque modô de Elia verificata fuere. *Abijt ergo Elias*: quò abiit? *Contra Orientem*: hoc est, contra originalem suæ carnis cupidinem. Quia enim in carne ejus non habitabat bonum, *arbitratus fuit, se esse debitorem non carni, ut secundùm carnem viveret. Si*, inquit Apostolus, *secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ideo Elias, ut spiritu perfectè Deo viveret, *Crucifixit carnem suam, cum vitiis, & concupiscentiis, mortificans membra peccati, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam*, altiori quodam modo præ antecessoribus suis. Quoniam ut per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis, æquaretur Angelis imitatione conversationis, seipsum propter Deum virginitate perpetuâ primus hominum sponte decoravit.

Rom. 2. — (a) *Elias vitam Monasticam Eremiticam auspicatur.* — 3. Reg. 17. — Rom. 8. — Galat. 5. — Coloss. 3.

47. ISIDORVS *Libro secundo de origine Officiorum capitulo quadragesimo tertio* ait: Nunc autem quæ sit sacræ virginitatis integritas, vel à quo tam sancti propositi studium sit exortum, breviter intimabo. Quantum enim ad vetus Testamentum attinet, Elias, Jeremias, & Daniel castitatis, & continentiæ primi studuisse noscuntur. S. Isidorus.

48. HIERONYMVS *Libro primo contra Iovinianum*: Eliam ergo quam stultè posuerit, scilicet Jovinianus, in catalogo maritorum, me tacente manifestum est. Si enim Ioannes Baptista (*Lucæ* 1.) venit in spiritu, & virtute S. Hieronymus. — *Elias, & Ioannes Bap. Virgines.*

tute Eliæ: & Ioannes virgo est, utique non solùm in spiritu ejus venit, sed etiam in corporis castitate.

CASSIANVS. CASSIANVS *Libro primo de Institutis monachorum capitulo primo*: Prior, scilicet Elias, qui in veteri Testamento virginitatis jam flores, & castimoniæ, continentiæque præfigurabat exemplâ.

IOANNES XLIV. EPIS. IEROS. 49. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Qui seipsum prorsus abnegans, & voluntati propriæ abrenuntians, semper superioris, id est, Dei voluntatem promptè sequutus fuit: quemadmodum de eo scriptum est: *Abiit quocumque eum ferebat voluntas*: scilicet, Dei. Sequitur: *Et fecit juxta verbum Domini.* Quia scilicet de terra, & cognatione sua, & de domo Patris sui in solitudinem recessit, Deo pro ipso aliud melius tunc providente: ut scilicet à morte eriperetur, & ad perfectionem vitæ monasticæ traheretur. Quippè populus Israël, per Achab Regem recenter seductus, adorabat tunc Baal, tanquàm Deum largitorem pluviarum, & fertilitatum, cæterorumque temporalium bonorum: Non advertebat autem populus ille, omnia hæc provenire à vero Deo Israël, & non à Baal; sicut Dominus per Prophetam conqueritur dicens: *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, vinum & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Ob hoc volens Elias tunc Regi Achab, & populo Israël ostendere illum esse verum Deum, quem ipse colebat, & Baal esse falsum Deum, quem rex, instigante Reginâ, noviter à populo adorandum introducebat; prædixit eis verbô Domini, quod quantumlibet invocarent Baal, pluviam eis largiri non posset, *nec annis istis ros, aut pluvia super terram descenderet*; donec pro hoc ipse Elias Deum Israël pe[t]oraret. Et quia propter carentiam pluviæ sequuta fuit tunc fames vehemens in Regno Samariæ, ideo quærebat eum rex interficere. Sed Elias priusquam à Rege quæreretur, *fecit juxta verbum Domini.* Quoniam nè à Rege inveniretur, *recessit*, nutu Dei, *de terra, & de cognatione sua, & de domo Patris sui* in solitudinem, relinquens de cætero mundanas divitias, non solum mente, sed etiam opere: ne per domesticam curam, aut per facultates, & terrenas possessiones, impediretur à consequutione perfectionis vitæ monasticæ, ad quam per Deum tunc vocabatur ipse.

Elias voluntariè pauper & obediens.

Oseæ 2.

CHRYSOSTOMVS. 50. CHRYSOSTOMVS *in Commentario super Matthæum Homilia XLVI.* Unde mirabilis factus est Elias? nonne à libera ad regem propalatione? nonne à Zelo qui erat in eo ad Deum? nonne à repudiatione possessionum? nonne à melota, spelunca, & montibus?

IOANNES XLIV. EPISC. IEROSOL. 51. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra.* Sequitur: *Cum abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem*: quia scilicet squalorem eremi ex tunc Elias, cum silentio æquanimiter sustinens, monachalem vitam eremiticam primus hominum à proposito servare studuit: quam bene secundùm etymologiam nominis in solitudine torrentis *Carith* inchoavit. Interpretatur enim *Carith*, divisio, ut etiam nomen loci in quo sedit, indicaret, eum esse *divisum* à consortio, & vita sæcularium hominum. *Sedit* itaque solitarius *in torrente Carith*, deducens *quasi torrentem lachrymas per diem, & per noctem*; ut sic esset *contra Iordanem*, id est, contra peccatorum *descensionem*: Quatenùs ex suæ vitæ conversatione innotesceret, quàm rectè à proposito primus hominum officium monachi ipse tunc inchoaret. *Monachus* enim deinceps ipse fuit, *singularis*, sive *Solus*, & *tristis* sedit, peccataque sua, & aliorum solitarius uberrime luxit.

Elia vita Eremitica in Carith.

ISIDORVS. 52. ISIDORVS *libro secundo de origine officiorum, capitulo quinto decimo*: Unde autem ad Monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis hujus conversationis extitit auctor, cujus isti habitum imitantur? Quantum enim attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi principes Elias, & discipulus ejus Elisæus fuerunt.

Elias, & Elisæus Principes vitæ monasticæ.

IOANNES XLIV. EPIS. IEROSOL. 53. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus, ut supra*: Mysticè autem, vide qualiter hic adimplevit quod suadetur: *Cumque abiisset Elias contra orientem* id est, contra originalem suæ carnis cupidinem, *sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem*: quia in *Carith*, id est, in Dei charitate eum *dividente à Iordane*, id est, à peccatorum *descensione*, ex tunc semper extitit, sicut ipse ait: *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto.* Iure autem merebatur ipse ante celsitudinem divinæ Majestatis stare, quia in tanto culmine perfectionis gressum animi fixerat, ut nullus ex mulierum natis fuerit unquam eô potior in plenitudine perfectionis. Licèt namque Salvator dixerit, *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*: Eliam tamen Ioanni esse æqualem, Angelus Gabriel evidenter testabatur, dum Zachariam affans, Ioannem *in Spiritu & virtute Eliæ* præire Christum asseruit. 3. Reg. 17. Matth. 11.

AVGVSTINVS. 54. AVGVSTINVS *in libro Quæstionum novi & veteris Testamenti quæstione vigesima sexta*: Dictum est, à Spiritu Sancto ad Zachariam, cujus meriti futurus esset Ioannes. *Veniet*, inquit, *in Spiritu & virtute Eliæ*, parem ergo Ioannem Eliæ ostendit, & Dominus dicit. *Nemo major inter natos mulierum Ioanne Baptistâ.* Non dixit, omnium major est, hoc est, æqualem habet, majorem non habet. (b) Elias ergo par illi est, non utique minor. Lucæ 1. Lucæ 7. (b)

IOANNES XLIV. EPIS. IEROSOL. 55. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Cujus Eliæ cor, dum in deserto ex ferventi charitate intra se concaleret, *& in meditatione* sua *ignis* divini amoris *exardesceret*, gustabat frequenter ineffabilem Dei gloriam, & *sedebat*, id est, quiescebat, *in torrente* voluptatis divinæ, quô Deus potat diligentes se, dicente Propheta: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed quamvis satageret tunc Elias in contemplatione tam ineffabiliú deliciarum assiduè requiescere; oppressus tamen corruptibili corpore, nequibat in eis diutissimè permanere. Qui ad semetipsum reversus modo, lætabatur in corde tacitè ex recordatione suavitatis gustatæ? modò verò gemebat validè ex desiderio, & fame gustandi suavitatem Psalm. 38. Psalm. 35. *Ibi modò exultat, modo gemit.* 3. Reg. 17.

tem dulcedinis tam jucundæ. Sequitur: *Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes manè: similiter panem & carnes vesperi.* Quibus cibis Elias exinanitum corpus in deserto reficiebat, tantùm ne deficeret. Nec dubium, quin Deus panem, & carnes illas ministraret, per corvos ei deferenda. Sic enim, antequam ad torrentem *Carith* iret, prædixit ei
1. Petri 5. Deus: *Corvis præcepi, ut pascant te ibi.* Propter quod Elias dum in *Carith* existeret, confidens in Domino, escam suam *in manu Dei committebat, cui cura erat de eo.* Illa autem omnia ad
Matth. 6. hanc vitam necessaria *adjiciebat* ei Deus, quia ipse *primum quærebat regnum Dei & Iustitiam ejus.* Mysticè verò, Prophetæ prædecessores sui, dicti *corvi*, ratione Superiori, *deferebant ei panem* doloris & pœnitentiæ, *& carnes* humilitatis veræ. *Manè*, id est, quando ipse ex recordatione suavitatis gustatæ lætabatur: Similiter *& vesperi*, dum scilicet de absentia illius suavi-
Psalm. 79. tatis gustatæ tristabatur.

56. Quippe nè de ineffabili jucunditate sibi substracta ipse ex tristitia dissolveretur, *corvi deferebant ei panem*; de quo scriptum est, *cibabis nos pane lachrymarum.* Nam sicuti Prophetæ eorum exemplis sibi in divinis scripturis relictis, reducebant ei ad memoriam nigredinem suorum peccatorum; ex quorum consideratione satiabatur ipse lachrymarum dolore: propter quod humiliter reputabat se indignum bibere illam ineffabilem suavitatem, quam non ex suis meritis, sed ex Dei gratia considerabat se prius gustasse; similiter nè in lætitia ex recordatione suavitatis gustatæ ipse per inanem gloriam extolleretur, *corvi deferebant ei carnes*: quia Sancti Prophetæ eorum exemplis ad memoriam ei reducebant suæ carnis fragilitatem, & corruptiones, quæ auferebant ab eo illas delicias tam suaves. Cujus fragilitatis pa-
Isaiæ 40. stus agnitione humilis manebat, in se cernens quod *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tan-*
Psalm. 41. *quam flos fœni.* Tam igitur ex fragilis carnis consideratione, quàm ex peccatorum suorum recordatione, *fuerunt ei lachrimæ suæ panes die ac nocte: Dum* corvi, id est, Prophetæ, *dicebant ei quotidie, ubi est Deus tuus?* Hæc verò dicentibus Prophetis; recordatus scilicet, quod ex peccatorum nigredine, & ex propriæ carnis fragilitate movebatur ipse ab illa arcana Dei participatione; *effundebat in se animam suam*: quia per devotam orationem, & humilem peccatorum confessionem, copiosos lamenti gemi-
Eccl. 1. tus ad Deum proferebat. Sequitur: *Et bibebat de torrente*, id est, de aqua torrentis, *abstrahens*
Proverb. 18 *à vino carnem* suam: *ut animum* suum *transferret ad* illam salutarem *sapientiam*, de quâ scriptum
Psalm. 41. est: *Torrens redundans fons sapientiæ.* Sic rursum in Spiritu raptus transibat Elias *in locum Tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*: A cujus ubertate inebriabatur ipse, & torrente voluptatis ejus potabatur. Hoc itaque prædictô modô Prophetalem vitam monasticam ducebat Elias in eremo.

ANNOTATIONES.

57. (a) Elias itaque studuit ad finem Monasticæ vitæ Eremiticæ pervenire ..... altiori quodam modô præ antecessoribus suis scilicet in observantia castitatis, paupertatis, &c. *Hinc Cassianus* Eliam quoque & Ieremiam probamus non fuisse sub lege, qui cum licitò uti conjugio, absque reprehensione potuissent, perseverare tamen Virgines maluerunt. Sic Elisæum ac reliquos ejusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mandata. *Propterea passim Patres Eliam nuncupant Monachorum (quibus essentialiter competunt castitas, paupertas, & obedientia)* Authorem, Principem, Institutorem, Antesignanum. *Ita quidem S. Hieronymus Epistolâ ad Paulinum, agens de Authoribus Monachorum*; auctoritate Scripturarum Eliam Principem adstruit. *Sic quoque S. Isiderus jam ante adductus*: hujus (*Monastici*) Principes Elias &c. *Et præfatus Cassianus referendus hic infrà libro 7. Cap. 2. tractans de Institutis, & habitu Monachorum, ait*: In veteri testamento professionis hujus (*scilicet Monasticæ*) fundasse primordia Eliam, & Elisæum: *Et Rupertus Abbas hic infrà Cap. 3. ipsum nuncupans* Auctorem & Institutorem filiorum Prophetarum, quos fuisse Monachos consentit Authoritas Patrum. *Ita etiam passim alii plures veteres, & recentiores*: Ex his sufficiant hôc locô verba Ægidii Camarti Generalis Minimorum, qui vitam, gesta, & decora Sancti Eliæ *præ cæteris investigavit, & uberiùs enucleavit in opere peculiari, cui titulus*: Elias Thesbites, *in quo Cap. 6. Sect. 8. id peculiariter pertractat, asseritque inter cætera*, Eliam id habere præeminentiæ supra cæteros Prophetas, quod non solùm Virginitatem coluerit .... sed & omnium Monachorum parentem fuisse, qui tria essentialia Religionis vota primus opere implevit. Et hoc ipsum, *inquit, ibidem*, quotquot de Monasticis rebus scripserunt, Asseruerunt. *Idcircò Eliam* Principem *nuncupantes* Monachorum; *quia primus Monasticæ vitæ substantialia servavit, & aliis tradidit. Sed ista in peculiari Tractatu latiùs confirmata sunt.*

Daniel.
Cassianus collat. 21. cap. 4.
Elias primus essentialia Religionis Monasticæ implevit.

58. (b) Elias ergo par illi (*Ioanni Baptistæ*) est, non utique minor. *Illam Eliæ, & Ioannis Baptistæ equalitatem adstruunt quoque, alii Patres, & quidem S. Hieronymus, atque cum eo S. Thomas super caput 11. Matthæi his verbis*: Elias ergo Joannes dicitur quòd juxta aliud testimonium Euangelii venerit in spiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus Sancti, vel gratiam habuerit, vel mensuram: sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ & Joannis pares sunt. *Eandem paritatem Petrus Chrysologus sermone 88. de S. Ioanne baptista, sic paucis exprimit*: Joannes ergo Eliæ venit in Spiritu, & in ejus virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentia, & omnibus Eliam virtutibus repræsentat. *Nec minus perspicuè adstipulatur Petrus Damianus*, quis *inquiens* major Eliâ, qui unam virtutem, & unum cum Ioanne spiritum habuit.

Ioanni Baptistæ æquiparatur.
Serm. 2. de S. Vitali.

CAP. II.

Quòd Elias disposuerit successores habere in observantia Monasticæ vitæ Eremiticæ: & quâ ratione ipsi in sacra Scriptura appellati fuerint Prophetæ.

59. Denique (a) Elias in monastica vita Eremitica, quam primus hominum à proposito inchoaverat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit. Qui ut Pater primus Monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcircò ad eum, in solitudine torrentis *Carith* tunc latentem, confugiebant; ne per Regem Achab, & Reginam Iezabel cogerentur, sicut & cæteri populares, adora-

(a) Ioan. Ierosol.
Elias discipulos vitæ Eremiticæ exercitatores, & successores habet.

adorare Baal. Viri quippe isti timore Dei repleti, cernentes Eliam ita *verbô Domini* tunc *continere cælum*, quod *pluviam non dabat super terram*, ad eum tanquam ad magnum veri Dei cultorem accedebant * occultè in solitudinè *Carith*, ut sub ejus doctrina in cultu veri Dei persistere possent, & idololatriam vitarent. Hos itaque Domini devotos viros Elias, secundùm formam à Deo ei traditam, habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros. Quos etiam docuit *Prophetare*, id est, ad laudem Dei psalmos, & hymnos, cum instrumentis musicis, canere. Consideravit enim quod *bonum est confiteri Domino, & psallere nomini eius altissimo, ad annunciandum manè misericordiam* suam, *& per noctem veritatem* suam *in decachordo psalterio cum cantico in cithara.* Sapiens igitur de his omnibus Eliam commendans, sibi in laudem ejus ait: *Prophetas facis successores post te.* Hæc autem sapientis verba quidam in cortice considerantes, ad hunc sensum interpretari conati sunt: ut quia Eliæ prædixit Deus, *Elisæum unges Prophetam pro te*: ideo æstimaverunt sapientem consequenter Sancto Eliæ dixisse, *Prophetas facis successores post te.* Quasi ex hoc licuerit suos successores facere *Prophetas*, id est, futura prænunciantes: quia Deus ei dixit: *Elisæum unges Prophetam pro te.* Sed an hic sensus intentioni Sapientis conveniat, non satis patet. Ait enim Apostolus Petrus: *Non voluntate humanâ est aliquandò allata prophetia: sed Spiritu Sanctô inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Quomodò ergò Elias faceret Prophetas, id est, futura prædicentes; qui non à voluntate humana, sed à solo Spiritu Sancto efficiuntur? quemadmodum & Apostolus Paulus testatur, dicens: *Alij datur operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio Spirituum. Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Non est ergo putandum, quòd Elias Prophetas tales fecerit, quos solus Spiritus Sanctus constituit. Quapropter præmissum sensum ab intentione Sapientis devium relinquentes, ad mentem Sapientis enucleandam properamus.

Margin: * In solitudinibus errantes *ad Hebr.* 11. — *Illos instruit.* — Psalm. 91. — Eccli. 48. — 3. Reg. 19. — *Verba illa: Prophetas facis successores post te explicantur.* — 2. Petri 1. — 1. Cor. 12.

60. Scimus quidem in divinis scripturis nõn solum istos appellari *Prophetas*, qui futura prævident, & prænunciant; sed etiam illos qui ad hoc officium sunt instituti, ut cum instrumentis musicis devotè Deum laudent, & ei psallant. Quid enim aliud est, quod in libro Paralipomenon sic legitur? *Porrò cantores filij Asaph stabant in ordine suo, iuxta praeceptum David, & Asaph, & Æman, & Idithum Prophetarum David:* Hoc quippè in loco Asaph, Æman, & Idithum, ideo dicti sunt Prophetæ David, quia per eum erant instituti cantores ad psallendum Deo cum instrumentis musicis. Quemadmodum alibi in eodem libro sic scribitur. *David, & Magistratus exercitus segregaverunt in ministros filios Asaph, & Æman, & Idithum, qui prophetarent cum citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum, dedicato sibi officio servientes.* Et post pauca: *Idithum in cithara prophetabat super omnes confitentes, & laudantes Dominum.* Filij ergo Asaph, & Æman, & Idithum hoc in loco dicti sunt *Prophetare*, non ideò, quia futura prævidenr, vel prænunciarent, sed quia Deum laudabant, & cum instrumentis musicis ei psallebant: sicut paulò post ibidem scribitur: *Universi sub manu Patris sui ad cantandum in templo Dei, distributi erant in cymbalis, & psalteriis, & citharis in ministeria domus Dei, juxta regem: Asaph videlicet, & Idithum, & Æman.* Quamobrem dum sapiens Sancto Eliæ dixit: *Prophetas facis successores post te*; non ideò hoc dixit, quod Elias suis successoribus Spiritum prævidendi vel prænunciandi futura conferret; sed ideò potiùs, quia Elias Monachos successores post se instituit, non tantùm ad vitam Monasticam observandam secundùm formam à Deo sibi traditam; sed etiam ad hoc officium, ut scilicet *Prophetarent*, hoc est, ut in psalmis, & canticis, & hymnis devotè Deo psallerent: & ut Deum non solùm corde, & ore, sed etiam cum instrumentis musicis laudarent. Et propterea (b) appellati sunt *Prophetæ*, id est, *Psallentes*: & eorum vita dicta est *Prophetica*, id est, ad Psalmos cum instrumentis musicis Deo canendos dedicata. Et quia in Psalmis taliter Deo canendis, & in observanda vita Monastica secundùm formam per Deum traditam Eliæ, obtemperaverunt ipsi promptô corde Sancto illi Prophetæ; meruerunt ob hoc benedici à Sapiente, dicente eorum Patri Eliæ: *Beati sunt qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt.*

Margin: Propheta quandoque accipitur, ut idem sit quod Psaltes. — 2. Paralip. 35. — 1. Paralip. 25. — Ibid. — Eccli. 48. — (b) — Eccli. 48.

61. Hi quidem sunt illi Prophetæ Domini, quorum liber Regnorum meminit, centum fuisse per Abdiam à nece præservatos, & in speluncis absconditos, cum Regina Iezabel cæteros eorum interficeret: Quos divina scriptura illic appellat *Prophetas Domini*; non quia tunc futura prævidêrent, seu prænunciarent; sed quia, ut prædiximus, cum instrumentis musicis Psalmos, cantica, & hymnos Deo devotè psallebant. Quod ex his tibi perspicuum fiet: legimus enim in libro Regnorum, quod cum Eliæ indicasset Abdias, se in speluncis abscondisse, & observasse centum ex dictis Domini Prophetis; Elias mox in monte Carmeli populo Israelitico dixit: *Ego remansi Propheta Domini solus.* Sed cum Elias tunc non ignoraret centum ex his Prophetis Domini per Abdiam fuisse à nece præservatos; quomodò, salvâ à mendacio conscientiâ, poterat vir Dei populo dicere, *Ego remansi Propheta Domini solus*? Absit autem vel suspicari quod mentiretur tantus Propheta, cujus *verbum*: teste Sapiente, *ardebat quasi facula*; vel arbitrari quod ignoraret tunc alios Prophetas Domini præter se vivere. Quomodò namque hos vivere ignoraret Elias; qui neque numerum Prophetarum Baal ignorabat, quos tunc revelabat quadringentos quinquaginta, & Prophetas lucorum quadringentos esse? nonne etiam per Abdiam recenter certificatus erat, quod centum Prophetas Domini Abdias ipse in speluncis absconderat, & à morte præservarat? Cum ergo hos Prophetas Domini vivere Elias non ignoraret; quomodò verum loquebatur populo dicens; *Ego remansi Propheta Domini solus*: Nisi

Margin: 3. Reg. 18. — Eccli. 48. — *Illa: ego remansi Propheta Domini solus, explicantur.*

Nisi ideò verum diceret, quia sciebat quòd nullus præter eum erat tunc in regno Israël *Propheta Domini* talis, qui futura prænosceret per Spiritum Domini, vel prænunciaret; quamvis eô sciente, essent tunc in Israël hi *Prophetæ Domini*, quos Abdias in speluncis abscondens à morte præservarat? Sed quia isti viri sunt in Scriptura divina *Prophetæ* appellati, eò quod devotè cum instrumentis musicis Deo canebant, non autem eò quod futura tunc prævidecent, vel prænunciarent, sicut solus Elias in regno Israël tunc per Spiritum Domini futura prævidebat & prænunciabat; propterea ad hunc sensum verè, & à sua mente procul mendaciô, Elias dixit tunc populo: *Ego remansi Propheta Domini solus.* Nullus quippe præter eum Propheta, prænoscens per Spiritum Domini futura, in regno Israël tunc remanserat: quoniam filij Israël eos omnes occiderant: quemadmodum Elias fugiens postmodùm in speluncam montis Horeb, propter metum Reginæ Iezabel, volentis etiam eum occidere, conquerens de nece dictorum Prophetarum, Domino dixit: *Dereliquerunt pactum Domini Filij Israël, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus.* — 3. Reg. 19.

ANNOTATIONES.

DANIEL. — *Eliana posteritatis successio.*

62. (a) Elias in Monastica vita Eremitica successores post se in perpetuum relinquere disposuit. *Discipuli ejus primi fuerunt Elisæus, Ionas, Micheas, Abdias, Propheta (de quibus statim) & alij* filij Prophetarum *nuncupati, quorum asseclæ, & successores fuerunt Rechabitæ, Esseni, Assidæi, nec non Carmelicolæ, Monachi, seu Eremitæ, tum in veteri, tum in nova lege jugiter conservati & continuati in Carmelo, & indè ad alias Regiones propagati. Propterea Pontifices Romani plures in suis diplomatibus huic Ordini concessis scribunt de Religiosis Carmelitis, quod* Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi, & aliorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam teneant. *Ita disertè Sixtus IV. Iulius II. & Gregorius XIII. ferè similibus verbis utuntur alij. Sed de his latiùs alibi.*

Prophetæ *varia acceptio.*

63. (b) Appellati sunt Prophetæ, id est psallentes. *Nomen illud* Propheta *in Sacris* Litteris *variè accipitur. Primò quidem, & frequentiùs pro eo, qui futura prænunciat, & occulta pandit. Tales fuerunt Moyses, Elias, atque alij plures. Secundò supponitur pro homine divinis laudibus, & Psalmis canendis specialiter deputato; ut idem fere sit, quod* Psallens, *seu* psalmista. *Tertia acceptio cum illa secunda ferè coincidit, dum in Scriptura sacra Propheta sumitur pro homine pio, justo, & Sancto, Dei cultui specialiori modô addicto, vitam à mundo alienam agente, cum Deo conversante, & qui propterea veluti divinæ voluntatis interpres, opere, & sermone, precibus etiam, & quandoque signis, & miraculis alios in via Dei instruit, docet, & ædificat. Ita Lezana capite 2. in apparatu ad tomum primum Annalium: ubi accurate de illis disserit: sic Dionysius Carthusianus in caput 18. lib. 3. Regum, agens de centum illis Prophetis, quos Abdias abscondit, ne occiderentur à Iezabel, scribit,* vocatos fuisse Prophetas, vel quia Prophetiæ gratiâ coruscabant, vel quia discipuli erant Prophetarum maiorum, intenti divino obsequio, Psalmis, atque eloquiis Prophetarum Sanctorum.

CAP. III.

Quod aliqui ex prædictis Eliæ discipulis fuerint à Deo Spiritum prophetiæ consecuti: & quâ ratione in sacra Scriptura Filij Prophetarum *appellati sint.*

IOAN. IEROSOL. — *Elias discipulos suos statuit in Carmelo.*

64. Cum autem de spelunca montis Oreb, in qua aliquamdiu manserat, fuisset Elias, jussu Dei, reversus in terram Israël, recollectis ipse in unum suis discipulis in monte Carmeli, protinùs studuit, secundùm formam à Deo sibi traditam, denuò inducere eos ad observandam vitam monasticam: quos etiam sollicitè docuit disciplinam propheticam, ordinans, ut devotè in psalterio, & cithara, & cymbalis jubilationis Deum laudarent. Cui officio prius non potuerant perfectè intendere propter graves persecutiones, quas passi fuerant à Rege Achab, & præcipue à Iezabel uxore sua. Sedatis autem per Deum persecutionibus illis, ex tunc quosdam horum monachorum excellentes viros, cæteris perfectiùs cum instrumentis musicis Deo in Psalmis devotè jubilantes constituit Deus Prophetas. Qui videlicet, sicut Elias, ventura prophetarent. Per hunc quippe psalmorum jubilum aperiebant ita devotè Domino penetralia mentium, ut frequenter in eorum corda immitteret Deus Prophetiæ Spiritum. Propter quod, dum de occultis certificari à Domino volebant, ad hunc psalmorum jubilum devotissimè recurrebant. Hinc in libro Regnorum legimus, quod Elisæus in hac disciplina eruditus, dum per Regem Iosaphat esset quadam vice de futuris consultus, & deesset sibi tunc Prophetiæ Spiritus; psalten ad se adduci fecit, in cujus cantu cor devotè Domino aperiens, Prophetiæ Spiritum de quæsitis à Deo accepit.

Psalmodia jubilo Prophetæ Spiritum obtinent aliqui.

S. GREGORIUS.

65. GREGORIUS *homilia prima super Ezechielem*: Vox etenim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc Omnipotenti Deo ad cor iter paratur; ut intentæ menti vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quò ostendam illi Salutare Dei.* Quod enim latinè *Salutare*, hoc Hebraicè IESUS dicitur. In Sacrificio igitur laudis fit in IESU, iter ostensionis; quia dum per psalmodiam compunctio infunditur, via nobis in corde fit, per quam ad IESUM in fine pervenitur. Sicut ipse de sua ostensione loquitur, dicens: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Hinc quoque scriptum est: *Cantate Domino, Psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum Dominus nomen illi.* Ipse etenim super occasum ascendit, qui mortem resurgendo, calcavit. Cui dum cantamus, iter facimus, ut ad nostrum cor veniat, & sui nos amoris gratiâ accendat.

66. IOAN-

IOANNES XLIV. EPIS. IEROSOL.

66. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus* ubi supra: Divinâ itaque disponente sapientiâ, ex tunc factum fuit, quod Elias multiplicatis istis monachis, per eum institutis, quosdam ex eis excellentes Prophetas, qui futura prævidebant, assumpsit ad hoc officium; ut scilicet cum eò, & post eum, dictos monachos solicitè in vita monastica, secundùm formam à Deo sibi traditam erudirent, & in disciplina prophetica, id est, in Psalmis in psalterio canendis, eos instruerent; & ita diligenter eorum curam gererent, ac si Filij eorum essent: Et propterea (a) hi monachi, qui prius, ut prædiximus, vocabantur *Prophetæ*, postmodum vocati sunt *Filij Prophetarum*: quia dictorum excellentium Prophetarum hujus Religionis erant discipuli, & in Prophetica, ac monastica disciplina, sub regimine ipsorum, quasi Patrum suorum, constituti; & inde imitatores Sanctorum morum, & virtutum illorum Prophetarum. Et sub hoc titulo, quô dicebantur *Filij Prophetarum*, fit sæpè in libro Regnorum de his monachis mentio.

(a) — *Filij Prophetarum qui sint.*

RVPERTVS ABBAS.

67. *Super Cantica in expositione quarti Capituli*: GREGES CAPRARVM, QVI APPARVERVNT DE MONTE GALAAD: Utique greges sunt rationales, qui tunc apparuerunt cum illi viri esse cœperunt, de quibus Apostolus dicit: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis & in cavernis terræ.* Apparuerunt, inquam, de monte Galaad, id est, de civitate ejusdem nominis, sita ad radicem montis Galaad, cujus habitator fuit Elias sicuti scriptum est: *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad, ad Achab. Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto; si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Hæc dixit, & fecit ille primus Auctor, & Institutor eorum qui dicti sunt filij Prophetarum: quos fuisse monachos in veteri testamento consentit auctoritas Patrum: Qui tunc dicuntur apparuisse; quia jam dictus eorum Institutor Elias sic repentè illic * inducitur, ut antea nusquam Scriptura meminerit, quis fuerit vel unde progenitus. Illi autem in solitudinem fugerunt propter sanguinem quem persequebatur *Iezabel* secundùm nomen suum, quod interpretatur *fluxus sanguinis* interficiens Prophetas Domini.

Hebr. 11. — 3. Reg. 17. — *Patrum authoritas astruit, Eliam Institutorem Monachorum.* — * 3. Reg. 17 — *Iezabel* idem quod *fluxus sanguinis.*

ANNOTATIO.

DANIEL.

68. (a) HI Monachi, qui priùs vocabantur Prophetæ: fuerunt postmodum appellati filij Prophetarum. *Ita quoque Lyranus in Caput 2. libri 4. Regum tractans de filiis Prophetarum, ait*: Erant isti viri Religiosi. vacantes orationi & contemplationi: *& aliquanto post*: dicebantur filij Prophetarum, id est, discipuli eorum: sicut dixit Rabbi Salomon super istum locum. *Abulensis in caput 6. lib 4. Regum quæst. 1. de ijsdem scribit*: Erant filij Prophetarum conjuncti viventes conventualiter per diversa Collegia, & ibi vacabant laudibus Dei, & vitæ Religiosiori, quam cæteri homines; *& paulò post*. Horum habebat curam Elisæus, *scilicet post raptum Eliæ*, in illius locum ab eis receptus, *ut dicitur*, lib. 4. Cap. 3. *Illos filios Prophetarum, discipulos, & posteros SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi jugiter perstitisse sub veteri lege, usque ad tempora Apostolorum, etiam sub isto nomine, declarabitur infra lib. 5. ad Cap. 7.*

Filij Prophetarum qui.

CAP. IV.

Quòd Ionas Propheta fuerit per Eliam à mortuis resuscitatus, & ejus discipulus effectus, Spiritumque Prophetiæ à Deo consecutus.

IOAN. IEROSOL.

69. IOANNES XLIV. EPISCOPUS HIEROSOLYMITANUS, *ubi supra*: Igitur cum eorum Religio esset jam tempore Eliæ ita multiplicata, quod tam in eremis, quam in civitatum suburbiis erant plures eorum cunei; necesse fuit, ut præter Eliam, quidam ex eis excellentes Prophetæ, discipuli Eliæ, cunctos eorum regerent, & gubernarent. Quos Prophetas monachi prædicti vocabant *Patres suos*, & ipsi dicebantur filij dictorum Prophetarum. Et inde inolevit, quod (a) rectores hujus Religionis semper appellati sunt à suis subditis *Patres*. Horum autem Prophetarum Eliæ discipulorum, non quidem omnium, sed paucorum, id est, quatuor ex præcipuis, decet hic aliqua succinctè memorari. Inter hos Prophetas Eliæ discipulos primus, ordine temporis, ad vitam monasticam per Eliam vocatus fuit Sanctus Ionas, de regione Geth, quæ est in Ofir, Filius illius *mulieris viduæ*, cui *ligna colligenti* in Sarepta Sidoniorum Elias obviavit, & in cujus domo latuit dum Rex Achab *per omnes gentes, & regna* eum ad mortem perquiri fecit. Hunc (b) Ionam puerum Elias tunc resuscitavit à mortuis, cum sustentaretur in domo suæ matris.

Superiores olim dicebantur PATRES. — (a) — *Ionas Eliæ discipulus.* — 3. Reg. 17. — 3. Reg. 18. — (b)

S. HIERONYMVS.

70. HIERONYMVS *in prologo super Ionam*: Sanctum Ionam Hebræi affirmant filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta mortuum suscitavit, matre posteá dicente ad eum: *Nunc cognovi quia vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo veritas est.* Ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocavit *Amathi*; *Amathi* enim in nostra lingua veritatem sonat. Et ex eo quod verum Elias loquutus est, ille qui suscitatus est, filius dicitur veritatis.

3 Reg. 17. — Ionæ 1.

IOANNES IEROSOL.

71. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Quem ob hoc mater ex devotione tradidit Eliæ, erudiendum in disciplina Prophetica vitæ monasticæ. Et factus Eliæ discipulus ministrabat ei. Cum autem oraret Deum Elias pro pluvia in monte Carmeli, misit semel hunc Ionam puerum, ut de monte prospiceret, si aliquid in mari appareret: *Qui cum contemplatus esset, ait: non est quidquam & rursus dixit ei* Elias *revertere septem vicibus. Et in septima vice vidit* Jonas *nubeculam parvam, quasi vestigium hominis* * *ascendentem de mari.* Quod cum Eliæ renunciasset, agnovit Elias pluviam grandem tunc descensuram super terram. Quam pluviam fore venturam Ionas, per Eliam missus, Regi Achab, eam desideranti, indicavit. Post raptum verò Eliæ in cœlum, Ionas ab Elisæo in Ramoth Galaad missus unxit Iehu in Regem Israël, ad ulciscendum necem Prophetarum, Eliæ discipulorum. Demùm

In Carmelo conspicit nubeculam ascendentem à mari. — 3. Reg. 18. — * Iuxta LXX. Interp. viri.

mùm monitus à Deo Ionas, ut Niniven pergens, prædicaret, eam intra quadraginta dies subvertendam, vidit, Sanctô revelante Spiritu, Ninivitas per suam prædicationem convertendos ad pœnitentiam, & consecuturos Dei misericordiam. Ideò, nè falsa videretur nunciare, renuebat illuc ire; donec in mare projectus, & à bellua marina devoratus, post triduum à pisce in terram evomitur. Qui, Sanctô revelante Spiritu, sciens conversionem gentium fore ruinam Hebræorum, prædicans Ninivitis; ideò de eorum conversione dolebat; quia hac occasione suum populum Israël ruiturum timebat. Sed Dominus ostenders ei tempus novissimæ ruinæ populi Israël nondum venisse, jussit eum ad terram Israël redire, & Prophetare *terminos Israël, ab introitu Emath usque ad mare solitudinis restituendos* per Ieroboam Regem Israël.

Ejus missio in Niniven, & prædicatio.

4. Reg. 14.

COMESTOR.

72. COMESTOR *in Historia Scholastica super decimo quinto Capitulo Quarti Libri Regũ*: Hic Ionas prædixit signum eversionis Ierusalem, quod, cum viderint lapidem luctuosè clamantem, propè sit finis. Et cum viderint in Ierusalem gentes universas, tunc tota illa civitas irrecuperabiliter everteretur. Mortuus est, & sepultus in spelunca unius Iudicis Israel. Cujus sepulchrum monstratur in una urbium Geth, in viculo juxta sephorum.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

73. (a) RΕctores hujus Religionis semper appellati Patres. *Sic Elisæus Eliam nuncupabat Patrem* 4. *Reg.* 2. *Ita & ipse Elisæus* 4. *Regum* 13. *dicitur* Pater *hoc est lingua Syra* Abba, *sic enim passim nuncupati fuere Superiores hujus Ordinis usque ad tempora Aymerici Patriarcha Antiocheni: qui statuit, ut deinceps dicerentur* Priores *vide infra lib.* 8. *Cap.* 2. *& ibi in Notis.*

74. (b) Jonam puerum Elias tunc resuscitavit à mortuis. *Quod puer ille vidua Sareptana, ad preces Elia resuscitatus, fuerit Ionas Propheta, expressè tradunt alij plures, scilicet S. Epiphanius, S. Isidorus, Dorotheus, Rupertus, Haymo, Carthusianus in Ionam & alij: quinimo scribit Lyranus quod* secundum omnes Doctores Hebraicos, & Latinos, iste Ionas fuerit filius Mulieris viduæ, quem suscitavit Elias. *Ita ille:* Nec refert, *inquit* Lezana, quod hæc sententia communiter à modernis rejiciatur, tum quia Ionas Hebræus fuit, non Sidonius, aut Sareptanus; tum quia aliàs nimis longævus esset quandò Prophetavit. Non enim propter hæc antiquorum Patrum traditio deserenda est, cum potuerit, ex Patre Hebræus, & ex Matre Sidonius, aut Sareptanus esse, & Prophetare valde senex. *Obitus ejus in Annalibus Ordinis adscribitur anno mundi* 3216 *ante Christi ortum* 837. *ejus, tamquàm Sancti memoria habetur in Martyrologio Romano ad diem* 21. *Septembris.*

Ionas filius vidua Sarepta, & Elia discipulus comprobatur.

CAP. V.

Quod Elisæus Propheta Eliæ discipulus, Idololatras persecutus & signis clarus fuerit.

IOAN. IEROSOL. (a)

75. IOANNES XLIV. EPISC. IEROS. *ubi suprà.* Alius Propheta, & (a) supremus Eliæ discipulus, fuit Sanctus Elisæus, ex Patre vocato Saphat, de urbe Abelmaula, sita in regione Zelmaan: & sicut in libro Regnorum legitur, dum de spelunca montis Oreb reverteretur Elias in terram Israël, inveniens hunc Elisæum in agro arantem, misit super eum pallium suum; & ita elegit eum in discipulum: qui post impositionem pallij, par boum mactans, convivium populo fecit: & indè, (b) relictis Patre, & Matre, ac terrenis omnibus, Eliam sequens, & ei ministrans, ejus monasticam, & Propheticam vitam imitatus est:

3. Reg. 19. *Elisæus Eliæ discipulus supremus.*

(b)

AMBROSIUS.

AMBROSIUS *Libro primo de Officiis Capitulo sexagesimo quarto*: Cæterùm Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi fortè ut Elisæus, qui boves suos occidit, & pavit pauperes, ex eo quod habuit; ut nullâ curâ teneretur domesticâ, sed, relictis omnibus, in disciplinam se Propheticam daret.

IOAN. IEROSOL.

76. IOANNES *Quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus, ubi supra*: Hoc Sanctô Elisæô nascente, magnum contigit prodigium: una quippe imago ex vitulis aureis, quos filij Israël adorabant, in ortu Elisæi acutè mugivit. Quod cùm sacerdos Domini in Ierusalem audisset, divinô nutu ait: Propheta natus est in Israël, qui sculptilia deorum destruet, & fusilia. Beatus quippe Elisæus postquam discipulus Eliæ fuit factus, Spiritum Prophetiæ accepit, per quem Spiritum indicabat Regi Israël omnes insidias, quas contra eum Rex Syriæ parabat. Qui vice quâdam exercitum Regis Syriæ percussit cæcitate, & adduxit ad Regem Israël in civitate Samariæ. Hanc quoque civitatem obsessam à Rege Syriæ, & oppressam fame, relevavit Elisæus à fame, & obsidione. Denique per signa, & prodigia, quæ incessanter operabatur, revocabat populum Israel ad veri Dei cultum, destruens miraculis, & prædicatione cultum falsorum Deorum. Quod perspicuè tunc monstravit, cum unum ex religiosis filijs Prophetarum, scilicet Ionam, in Ramoth Galaad misit, ut ungeret Iehu in regem Israël: Qui mox ut fuit in Regem unctus, jussu Elisęi omnes Prophetas Baal occidi fecit, & statuam de Phano Baal proferens, combussit; ædemque destruens, de Israël Baal delevit. Mortuus autem Elisæus sepultus fuit juxta sepulchrum Abdiæ Prophetæ in civitate Samariæ. In cujus sepulchro cum quidam posuissent cadaver unius hominis mortui, revixit homo ille, mox ut tetigit ossa Elisæi.

Prodigium in ejus Nativitate.

4. Reg. 6.

Gesta ejus mira.

4. Reg. 9. & 10.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

77. (a) SUpremus Eliæ discipulus fuit S. Elisæus: *Supremus meritis, duplici Elia Spiritu, prodigiorum patratione, Prophetiâ, & Monastici Ordinis propagatione: Propterea à S. Hieronymo, alijsque Patribus, simul cum Elia Monachorum* Princeps, ac Dux *nuncupatur*: quem unctio fecit Prophetam, pallium autem contubernalem (*Elia*) & Monachum, *ut scribit Santhez in Caput* 19. *lib.* 3. *Regum*: Qui innumerabilium Religiosorum parens, atque propagator ea semina annis penè 80. jecit (quæ superveniens Euangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit. *Ita salutamus in ejusdem Epitaphio*

Elisæus cur supremus Elia discipulus.

78. (b) Relictis Patre, ac matre, & terrenis omnibus Eliam sequens &c. *singularis fuit ea vocatio Elisæi, sic subito relinquentis omninò omnia, ut liber & expeditus transiret totus ad Dominum.* Qua in se exemplum dedit Religiosis, *inquit Cornelius à Lapide, dum scilicet*, ad unam Prophetæ voculam, aut pallij iniectionem ad Dei famula-

Relictis omnibus Eliam sequitur.

In Cap. 19. lib. 3. Reg.

mulatum incaluit, & Patri Matrique valedicens, omnia in prolusionem Euangelicæ paupertatis abdicavit à se, atque contempsit *ut loquitur Saliatus ibi supra. Hinc de eo canit Ecclesia.*

In festo S. Elisæi ad Matut.

Hic vir exemplum dedit abdicantibus
Mundo: Prophetam dum Eliam sequitur,
Relictô Patre, atque sæcli rebus,
Consociari optans cæli civibus.

CAP. VI.

Quòd Micheas Propheta adhæserit Eliæ in disciplina Prophetica vitæ monasticæ, & tandem acceperit spiritum Prophetiæ.

(a) IOAN. IEROSOL.

79. (a) MIchæas quoque Propheta, ex Patre vocato Hyremla, fuit Eliæ discipulus. Sed iste non est ille Micheas Morasthites, qui temporibus Joathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda Prophetavit, & in duodecim Prophetarum numero includitur: Quoniam iste Michæas, Eliæ discipulus, longè ante Prophetavit, scilicet in diebus Achab, Ochoziæ, & Joram Regum Israël. Qui adhæsit Eliæ, cum Elias de spelunca montis Oreb fuisset, jussu Dei, reversus ad terram Israel: Et eruditus Michæas iste per Eliam in disciplina Prophetica vitæ monasticæ, cum esset ipse ex filiis Prophetarum, tandem accepit à Deo Spiritum Prophetiæ. In quo spiritu prædixit Regi Achab duplicem belli victoriam, quam Achab obtinuit de Benadad Rege Syriæ. Sed quia Achab in secunda victoria Regem Syriæ Benadad morte dignum, quem ceperat, permisit abire illæsum; ideo Michæas Regi Achab in spiritu Domini dixit: *Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Quod ei evenit. Nam dum ascendisset Achab cum Josaphat Rege Juda in Ramoth Galaad, & præliaretur ibi contra Benadad Regem Syriæ, unus de parte Benadad tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, casu percussit Regem Achab inter pulmonem & stomachum: ex quo vulnere eadem die Achab vesperè obiit, juxta verbum quod locutus ei fuerat Michæas, dicens: *Audi Sermonem Domini: Vidi Dominum super solium suum sedentem, & omnem exercitum Cœli assistentem ei, à dextris, & à sinistris; & ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Israel, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? & dixit unus à sinistris verba hujuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: in quo? & ille ait: egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: decipies, & prævalebis.* Postea autem, cum regnaret Ioram filius hujus Achab, redarguebat eum Michæas, de cultura idolorum: quem Rex Joram præcipitio interfecit. Et ita martyriô coronatus, sepultus est in Morasti solus, juxta sepulturam Senachim.

Michæas Eliæ discipulus quis sit.

Ejus Prophetia.

3. Reg. 20.

3. Reg. 22.

Martyrio decoratus.

ANNOTATIO.

80. (a) MIcheas ex Patre vocato Hyremla. In M. S. *Mechliniensi legitur* Heremla. *Libro 3. Regum cap. 22. legitur:* Michæas filius Iemla. *Ejus res gesta peculiariter illustrantur tom. 1. Annalium hujus Ordinis, & ibi mors ejus illata à Ioramo Rege Israel Idololatra refertur ad annum mundi 3130 ante Christi ortum 914. In iisdem annalibus etiam alterius Micheæ cognominati* Morasthites, *gesta, & Prophetia de Carmelo, & incolis ejus describuntur.* DANIEL.

CAP. VII.

Unde Abdias Propheta fuerit ortus, & quâ ratione factus Eliæ discipulus.

81. (a) ALter vero Propheta discipulus Eliæ fuit Beatus Abdias, de terra Sichem, ortus in agro Bethacaran, qui, ut in libro Regnorum legitur, *timuit ab infantia sua valdè Dominum.* Et priùs quidem Abdias dispensator Regis Achab existens, cum Regina Iezabel interficeret Prophetas Domini, tulit ipse, sicut prædiximus, centum ex illis Prophetis Eliæ discipulis: quos, durante illâ persecutione, quinquagenos in speluncis abscondens, pane & aquâ pavit. Deinde, mortuô Achab, Rege, cum filius ejus Ochozias Rex duos Principes quinquagenarios ad Eliam misisset, qui, orante Eliâ, fuerunt cum suis ab igne de cœlo descendente combusti; rursus misit Rex hunc Abdiam cum quinquaginta viris: qui in monte Carmeli coram Elia genua flectens pro anima sua, & pro animabus suorum quinquaginta, Eliam humiliter exoravit. Porrò Elias cernens Abdiæ humilitatem, & recolens, quod centum suis discipulis vitam restauraverat; vicissitudinem ei rependit: quoniam sibi, & suis quinquaginta, vitam clementer servavit. Hanc ergo gratiam ab Elia obtentam Abdias recognoscens, relictô obsequiô Regis Ochoziæ, (b) factus fuit discipulus Eliæ, dimissis propriis filiis in domo cum sua uxore. Igitur quia centum Prophetas Eliæ discipulos paverat, accepit & ipse à Deo Spiritum Prophetiæ. In quo spiritu prævidit Idumęos adjuturos exercitum Assyriorum contra Hebræos: propter quod Prophetavit, dictos Idumæos tandem per exercitum Nabuchodonosor dissipandos.

(a) IOAN. IEROSOL.

3. Reg. 18.

4. Reg. 1.

Abdias ex dispensatore Achabi discipulus Eliæ.

(b)

Elias fuit exemplum, & idea virtutum omnium.

82. COMESTOR *in Historia Scholastica super decimoquinto capitulo quarti libri Regum:* fuit autem Abdias de terra Sichem (c) de agro Betaniorum, quinquagenarius ille, cui pepercit Elias, qui, relictô obsequiô Regis, factus est Eliæ discipulus. Cujus sepulchrum usque hodie cum mausolæo Elisæi, & Joannis Baptistæ, in Sebaste venerationi habetur.

COMESTOR

(c)

ANNOTATIONES.

DANIEL.

83. (a) ALter verò Propheta discipulus Eliæ fuit beatus Abdias. *Hieronymus in prologo ad Abdiæ Prophetiam hæc de illo scribit:* Hebræi hunc dicunt esse, qui sub Rege Samariæ Achab, & impiissima Iesabel, pavit centum Prophetas in specubus. *Et aliquandò*

Abdias, Elisæus, Ioan. Baptista, eodem sepulchro conditi.

quantò post: Sepulchrum quoque ejus usque hodie, cum Mausolæo Elisæi Prophetæ, & Baptistæ Joannis, in Sabaste venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur.: *Et aliis nonnullis interjectis*: hic igitur quia centum Prophetas paverat, accepit gratiam Prophetalem: & de Duce exercitus, fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat; nunc in toto orbe, Christi pascit Ecclesias.

84. (b) Factus fuit discipulus Eliæ dimissis propriis filiis in domo, cum sua uxore. *Istum Abdiam Eliæ discipulum fuisse tradunt quoque Epiphanius de vitis Prophetarũ, Dorotheus in Synopsi & alij apud Lezanam tom. I. Annalium. Alia quædam de illo discutientur hic infra libro 4. in notis ad caput 4.*

(c) De agro Bethaniorum. *Ita habet exemplar Venetum impressum: in Gandensi M.S. legitur* Bechanorum, *in Mechliniensi autem* Betacaron.

C A P. VIII.

Quòd Elias tam factis quam verbis exemplar monasticè vivendi se suis discipulis præbuerit, & quidquid perfectionis est in Monachorum vita, ab Elia tamquam à primo exemplari originem trahat.

Ioan. Ierosol.

85. **I**OANNES XLIV. EPISC. JEROS. *ubi suprà.* Quoniam autem qui aliis seipsum præbet exemplar vivendi monasticè, necesse habet ut vitam suam ita rectè intra se componat, nè cæteros per malum exemplum offendat, dicente Domino; *Væ homini illi per quem scandalum venit*: propterea vir Dei Elias sic vitam suam in se disposuit, quod ab omni offendiculô eam tersit. Sed quia non sufficit Magistro monasticæ vitæ Propheticæ, ut studeat sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines, nisi suô exemplô ad bonum provocet consortes, dicente Apostolo: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*: Ideo Elias, ut suô exemplô animos omnium prædictorum Monachorum, ejus discipulorum, provocaret ad suæ religionis exercitium, studuit secundùm formam, per Deum sibi traditam; pollere coram eis frugalitate paupertatis, uti abstinentiâ parcimoniæ, domare concupiscentias carnis, nitere candore castitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere fervore charitatis.

Matth. 18.

Tit. 2.

86. Et quia in ejus imitatione decrevit Deus consistere hujus Religionis monasticam perfectionẽ; propterea Elias ipse magna Propheticæ disciplinæ & monasticæ vitæ exemplaria, scilicet gesta sui, & merita, demonstravit in cordibus professorum hujus religionis, per quæ ipsi ornarent penetralia mentis: ut videlicet ad imitationem ejus sæculo, ac terrenis omnibus, ex totis præcordiis renunciantes, & carnales concupiscentias, per continentiam, & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam superiori humiliter submittentes, à conspectu etiam hominum absconsi, monachalem vitam Eremiticam, quam Elias ipse in solitudinibus, & maximè in monte Carmeli, duxit, Monachi prædicti in eodem monte, & in aliis eremis, ac locis, ad hunc finem continuarent; quatenùs eam accolentes, liberiùs etiam mentes suas cum Deo per amorem perfectè unirent. Qui dum per legem disciplinæ Propheticæ, & vitæ monasticæ, per Eliam eis traditam, pergunt, & ardenti amore dogmata Eliæ tam aure cordis, quam exequutione operis audiunt, proculdubio de animarum suarum salute securi sunt. Quemadmodum testatur sapiens, Sanctum Eliam ita alloquens: *Beati sunt qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt.*

Præsertim Monasticarum.

Eccli. 48.

87. Quidquid ergo virtutis, & perfectionis est in hac nostra religione Eremitica, ab hoc Propheta Dei Elia, tanquam à primordiali, & principali Monachorum authore, exemplariter emanavit: & primò quidem in præmemoratos viros filios Prophetarum, ejus discipulos; deindè ab illis, in cæteros religionis nostræ professores, eis tam in monastica eorum conversatione, quam in locorum habitatione succedentes; & demùm ab his in reliquos alibi degentes. Sed & (a) omnium monachorum conversatio perfecta, ab Elia, & à dictis ejus discipulis filiis Prophetarum est derivata. Quamvis enim in diversis mundi partibus post Eliam surrexerint in lege nova diversi Monachorum Principes, secundùm diversa instituta specialia suos discipulos in observantia vitæ monasticæ regulantes, ad nullum tamen alium finem, nec per alios gradus intenderunt suos discipulos principaliter perducere, quam ad hunc finem, & per hos gradus per quos Elias ad finem, & perfectionem vitæ monasticæ, secundùm formam per Deum ei traditam; suos discipulos perduxit. Propter quod prædicti Monachorum Principes, in sana doctrina vitæ monasticæ, fuerunt velut quidam particulares rivuli ab Elia, tanquam à primordiali, & universali omnium rivulorum fonte, derivati.

Ab Elia, tamquam primo Authore omnis monastica conversatio emanavit.

(a)

88. ISIDORVS *libro secundo de origine officiorum Capitulo decimoquinto*: Unde autem ad Monachos studium defluxerit paupertatis? vel quis hujus conversationis extitit auctor? cujus isti habitum imitantur? quantum enim attinet ad auctoritatem veterum scripturarum, hujus propositi Principes Elias, & discipulus ejus Elisæus fuerunt, sive filij Prophetarum, qui habitabant in solitudine: urbibusque relictis, faciebant sibi casulas propè fluenta Jordanis. Hujus etiam propositi in Euangelio Ioannes Baptista auctor extitit, qui eremum solùm incoluit, locustis tantum, & agresti melle nutritus. Iam demùm progeniti sunt conversationis hujus nobilissimi Principes, Paulus, Antonius, Hilarion, Macharius, cæterisque Patres, quorum exemplis per universum mundum adolevit sancta institutio Monachorum. *Hæc ille.*

Isidorvs.

Id scripturâ auctoritaté constat.

A N N O T A T I O.

(a) **O**Mnium Monachorum conversatio Sancta ab Elia derivata. *Id Scriptura, Patrum & Doctorum venerabili Authoritate constat ex ante dictis, & confirmabitur ex dicendis.*

Daniel.

LIBER TERTIUS

DE CARMELO, ET ALIIS LOCIS, IN QUIBUS CULTORES PROPHETICÆ MONASTICÆ RELIGIONIS PRIMITUS CONVERSATI FUERUNT.

PRÆFATIO.

RIBOTI. *Libri tertij Summarium.*

89. Liber tertius agit de locis, quorum fuerunt incolæ primævi professores hujus conversationis: specialiter autem de monte Carmeli, ubi hæc Religio ab initio plantata fuit, & semper viguit: Et etiam de genere Monachorum, sub quo ipsa consistit. Habet autem hic liber capitula octo. *Primum*: Quòd in exordio hujus Religionis primi ejus professores, propter graves quas patiebantur persecutiones, nullius loci fuerint incolæ, à quo possent denominari congruè. *Secundum*: Quòd dicti hujus Religionis professores fuerint consequenter per Deum de suis persecutionibus vindicati, & securitati manendi in regno Israel restituti. *Tertium*: Quâ ratione Elias ex tunc, ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem elegerit præ aliis eremis Carmeli montem: & de situ, ac descriptione Carmeli, in quo ipse mansit, & quòd alius sit ille Carmelus ubi Nabal habitabat. *Quartum*: Quòd Elias magnis miraculis montem Carmeli decoraverit, & populum Israel ad Deum in eo converterit, & incredulos ibi cremaverit. *Quintum*: Quòd multi hujus Religionis Patres, tam veteris, quam novæ legis, sint jugiter conversati monasticè in monte Carmeli, ad imitationem Eliæ, & quâ ratione hujus Religionis omnes professores appellentur Carmelitæ, quamvis non omnes manserint in monte Carmeli. *Sextum*: De diversis mansionibus quas dicti Carmelitæ habuerunt in solitudine, & quid mysticè significet mansio cellæ. *Septimum*: Quâ ratione Elias, & Elisæus, licèt præcipuè conversarentur in solitudinibus, habuerunt cuneos filiorum Prophetarum in civitatibus, quos post eruditionem in rudimentis vitæ monasticæ transferebant ad solitudines longè ab urbibus. *Octavum*: Cur professores hujus Religionis vocati sint Anachoretæ: & de triplici monachorum genere: & sub quo comprehendantur Carmelitæ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quòd in exordio hujus Religionis primi ejus professores propter graves, quas patiebantur, persecutiones, nullius loci fuerint incolæ, à quo possent denominari congruè.

IOAN. IEROSOL.

90. IOANNES XLIV. EPISC. IEROS. *ubi suprà.* Intereà sciscitaris, dilecte Caprasi, quâ ratione Monachi in hac religiosa disciplina conversantes appellentur Carmelitæ. Cum namque Elias conversationem hanc non in Carmelo, sed in *Carith*, jussu divinô, inchoaverit, videtur nonnullis, ut asseris, quod deberent potius *Carithæ* appellari, quam *Carmelitæ*. Verùm diligenter si advertas, perpendes voluisse Deum, quod Elias conversationem, quã ab eo acceperat observandam, ideò in solitudine *Carith* inciperet, & ibi ad tempus, à facie Regis Achab, & Reginæ Iezabel, lateret: ut ad eum haberent facilem, licet occultum, accessum. quidam viri timorati, quorum ipse in vita monastica pater fieret. Tunc enim, ut jam prædiximus, viri quidam Deum timentes confugerunt illuc ad Eliam; nè per Achab, vel Iezabel compellerentur, sicut cæteri populares, adorare Baal. Hi paucô tempore in *Carith* cum Elia Monasticè conversantes, didicerunt ab eo illius loci significationem mysticam, conversationi Monachali necessariam: quam supra exposuimus. Deus autem non jussit, quod Elias ideò inchoaret hanc conversationem monasticam in *Carith*, ut illic eam plantaret; hoc est, ut diuturnam mansionem ipse, & ejus discipuli in loco illo facerent; quoniam locus ille erat ineptus habitationi monasticæ, propter carentiam aquæ. Vndè post dies aliquantos, quibus Elias in eo sedit, jussu divinô ab eo discessit: quia torrens siccatus fuit. 3. Reg. 17.

Elia discipuli cur non à Carith Carithæ dicti

91. In diebus autem illis Elias, propter Regis Achab, & Reginæ Iezabel idololatriam, & alia eorum, ac populi, peccata, (a) ita continebat virtute divinâ cœlum, quòd nec rorem, nec pluviam dabat super terram: sed erat fames vehemens in Samaria. De qua fame indignata valde contra Eliam Regina Iezabel, procuravit ut Rex Achab faceret ad mortem perquiri eum per omnes gentes, & Regna. Propter quod Elias in nulla eremo poterat tunc securè (a)

Achab & Iezabel cur persecuti Eliam, & ejus discipulos.

securè religiosam vitam monasticam assiduè colere; sed vagus, & profugus eam excolebat, modò in eremo torrentis *Carith*, modò in domo mulieris Sareptanæ, modò autem in deserto Bersabée, modò verò in spelunca montis Oreb. Quem cum non reperirent, effudit Regina Iezabel ultionem famis in ejus discipulos, interficiens aliquantos, quos deprehendit ex Prophetis Domini. Quos & aliâ ratione usque ad mortem persequebatur: quia cum ipsa esset idololatra, moliebatur cultum Baal per totum Regnum Israel extendere, & cultum veri Dei de Israel delere: ad quem jugiter restaurandum Elias noviter instituerat, ut dictum est, religionem horum Prophetarum, Deo devotè psallentium: Qui in eremis latitantes in nulla solitudine regni Israel audebant tunc jugem moram trahere, propter metum Regis Achab, & prædictæ Iezabel uxoris suæ: sed, sicut ait Apostolus, (b) *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ.* Quamobrem cum tunc in *Carith*, vel alibi jugiter non manserint, non potuerunt à *Carith*, dici *Carithæ*, neque ab alio loco potuerunt denominari congruè: quoniam propter persecutiones quas patiebantur, nullius loci fuerunt tunc incolæ, qui, teste Apostolô, compellebantur hinc, & indè, & vagari, ac fugere.

(b) Hebr. 11.

Illud Apostoli circuierunt in melotis dictum de Elia, & ejus discipulis.

ANNOTATIONES.

DANIEL A V. M.

92. (a) ITa continebat virtute Divinâ cœlum &c. *in pœnam scilicet obdurati populi, Idolorum cultu Deum ad tam acerbam ultionem provocantis, ut vel sic emendarentur.*

Circuierunt in melotis &c. dicta de Elia & discipulis ejus.

(b) Circuierunt in melotis &c. *Illa de Elia, & posteris ejus dicta docent S. Thomas in illum locum, & in 2.ª 2.æ quæst. 187. Artic. 6. & passim sic exponunt Interpretes; Theodoretus Cyrensis Episcopus:* Circuierunt &c. Ita, *inquit*, Elias ille magnus: ita Elisæus illius gratiæ hæres: ita plurimi Prophetæ, qui ne domos quidem habebant, sed ligna excidentes, sibi tuguria, casasque construebant. *Haymo in eundem textum:* Eliam eximium Prophetarum, hic vult intelligi & filios Prophetarum. *S. Ambrosius Epistolâ 82. ad Vercellenses:* Elias, Elisæus &c. pelliceis tunicis, & caprinis exuviis induti, inopes, atque egentes, angustiis, & doloribus afflicti in solitudinibus errabant.

CAP. II.

Quòd cultores hujus Religionis fuerint per Deum de suis persecutionibus vindicati, & securitati manendi in regno Israel restituti, sicuti Eliæ in spelunca montis Oreb prædictum fuerat.

IDEM IOAN. IEROS.

Elias cur fugerit ad montem Oreb?

3. Reg. 19.

93. DEmùm compatiens Deus tribulationi eorum, & finem debitum ei imponere volens, apparuit Eliæ manenti in spelunca montis Oreb, & dixit ei: *Quid hic agis Elia?* Quasi redarguens ipsum, eò quòd non manebat in regno Israel. Elias autem, de hoc se excusans, respondit Domino: (a) *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladiô, & derelictus sum ego solus: & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Sicut autem ait sapiens, (b) *audivit* tunc Elias *in Oreb, judicia defensionis.* Quoniam Deus ostendit rem sibi in visione mirabili; judicia quibus se, & suos cultores* defendere decreverat de omnibus illis, qui de regno Israel cultum Dei veri abjecerant, & suos Prophetas occiderant, & ibi cultum Baal introduxerant, & observabant: Quorum quosdam per Azahelem, alios per Iehu, nonnullos verò per Elisæum occideret, & de regnô Israel extirparet. Ad Eliæ quoque consolationem revelavit tunc sibi Deus, adhuc in regnô Israel plures ejus discipulos, & veri Dei cultores remansisse, qui pactum Dei non dereliquerant; quos secum ab inimicis eorum defenderet, & deinceps cum eo in regno Israel, in tranquillitate pacis, servaret. Undè dixit ei: *Egredere, & sta in monte coram Domino: Qui egressus, stetit in ostio speluncæ. Et ecce spiritus grandis, & fortis subvertens montes, & conterens petras, transfit antè Dominum. Non in Spiritu Dominus. Et post spiritum, commotio. Non in commotione Dominus. Et post commotionem, ignis. Non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. Ibi Dominus. Spiritus* quippe *grandis, & fortis transiens,* protendit Azahelem, quem Deus, in prædicta visione, ostendit Eliæ transiturum per regnum Israel, *subvertendo montes,* id est, majores, & *conterendo petras,* id est, fortes populi Israel.

(a) Ibidem.

(b) Eccli. 48.

* *Defendere pro ulcisci.*

3. Reg. 19.

3. Reg. 19.

Ejus ibi mirabilis visio.

94. Hinc *Azahel* interpretatur *fortitudo Dei*: quia per eum prævaluit Deus, subvertere majores, & conterere fortiores populi Israel, qui ab ejus cultu recesserant. Quemadmodum Elisæus Propheta Azaheli prædixit: *Ostendit mihi Dominus, te Regem Syriæ fore: Et scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies gladiô, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.* Hæc autem omnia testatur liber Regnorum, manifestè per Azahelem posteà in populo Israel completa fuisse. Et quidem justè: Nam sequitur, *Non in spiritu Dominus.* Meritò enim in Azahele populum *conterente* non erat Dominus, ad parcendum populo: quia Deum per idololatriam à se abjecerat. * *Commotio* verò transiens præmonstravit Iehu, quem Deus in prædicta visione ostendit Eliæ, transiturum per regnum Israel, commovendo indè domum Achab. Hinc *Iehu* interpretatur *commotio*: quia per eum commovit Deus de regno Israel domum Achab, quæ cultum Baal in regno Israel introduxerat, & cultum veri Dei abjecerat, & Dei Prophetas occiderat: quemadmodum Jonas Propheta ipsi Iehu prædixit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te in Regem super populum Domini Israel: & percuties domum Achab Domini tui, & ulciscar sanguinem servorum meorum Prophetarum, & sanguinem omnium servorum Domini, de manu Iezabel: perdamque domum Achab, & interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israel: Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrael, nec erit qui sepeliat eam;*

4. Reg. 8.

Cujus mysteria declarantur.

* Apud 70. Interp. *commotio.*

4. Reg. 9.

tam. Hæc autem omnia testatur liber Regnorum perspicuè, per Iehu in domo Achab posteà completa fuisse. Et quidem justè. Nam sequitur: *Non in commotione Dominus*: quia in domo illa per Iehu, ut præmittitur, *commota* non erat Dominus à quo per idololatriam totaliter recesserat; meritò enim in Iehu commovente domum Achab non erat Dominus ad indulgendum illi domui: quia à Deo per idololatriam totaliter recesserant. *Ignis* autem transiens, designavit Elisæum, quem Deus in prædicta visione ostendit Eliæ transiturum per regnum Israel instar ignis consumendo pueros idololatrarum. Hinc (c) *Elisæus*, interpretatur, *Dei mei salus*: quia consumptis per eum filiis idololatrarum, quibus in nomine Domini maledixit, advenit *Dei salus* suis cultoribus. Nec mirum si hoc pueris illis accidit. Nam sequitur: *Non in igne Dominus.* Meritò enim in Elisæo, consumente instar ignis pueros, non erat Dominus ad propitiandum illis pueris: quoniam à parentibus nutriebantur ad cultum idolorum.

Elisæus igni comparatur.

(c) *Interpretatio nominis Elisæi.*

95. *Sibilus* verò *auræ tenuis* transiens, significat Eliam, cui Dominus in prædicta visione ostendit, quod esset per regnum Israel transiturus instar *Sibili auræ tenuis*: vocans scilicet suos discipulos, & cæteros Dei servos ad refrigerium pacis, persequutionibus eorum sedatis. Hinc (d) *Elias* interpretatur *Deus Dominus*: quia Deus decrevit pro eis ostensurum se Dominum inimicis eorum, quibus per eum, ut præmittitur, consumendis, hos in regno Israel pacificè servaret: eò quod ibi, scilicet in his per quos transiit *Sibilus auræ tenuis*, erat *Dominus*, à cujus cultu per idololatriam, ipsô teste, non recesserant: *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoraverit eum osculans manum.* His itaque omnibus Eliæ in visione præostensis, exponens eam sibi Deus dixit: *Vade, & revertere in viam tuam per desertum in Damascum: Cumque perveneris illuc*: scilicet in persona non quidem tui, sed Elisæi; *unges Azahel Regem super Syriam*, id est, ungendum, seu promovendum à me prænunciabis Azahelem in Regem Syriæ; *& Iehu unges*, id est, prænunciabis ungendum, & promovendum à me *in Regem Israel*: *Elisæum autem unges*, id est, ungendum, sive promovendum prænunciabis, *Prophetam pro te*: ut, scilicet post tui raptum, Prophetet Azaheli, & Iehu: & prænunciet eis ipsos à me promovendos in Reges. Hos quippe tres viros Azahelem, Iehu, & Elisæum ad prædictas dignitates promovit Deus, ut exequerentur *judicia*, quæ in prædicta visione ostenderat ipse Eliæ. Et propterea dixit Deus rursùm Eliæ: *Et erit quicumque fugerit gladium Azahelis, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus.*

(d) *Interpretatio nominis Eliæ.*

3. Reg. 19.

3. Reg. 19.

3. Reg. 19.

ANNOTATIONES.

96. (a) Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum. *Tam flagrans fuit ejus Zelus, ut sic eum efferat Ecclesiasticus*; Surrexit Elias Propheta quasi ignis &c. *Propterea dum tam ferventer Zelat Zelum legis receptus est in cœlum.*

Daniel. Cap. 48.

1. Mach. 2.

(b) Audivit tunc Elias in Oreb Iudicia defensionis. *Illa, quæ hoc capite traditur expositio visionis S. Eliæ in spelunca montis Oreb insignis est, & profunda Sapientia.*

(c) Elisæus interpretatur Dei mei salus: *Aut ut alij scribunt*: Dei mei salutare vel Deus salvans. *Quidam illa 4. Regum 13. verba*; Dedit Dominus Salvatorem Israeli *exponunt de Elisæo. Ideo Ioas Rex Israel sic eum allocutus est*: Pater mi, currus Israel, & auriga ejus.

Elisæus idem quod Dei salus.

97. (d) Elias interpretatur Deus Dominus. *Idem tradunt S. Athanasius de fuga sua, S. Hieronymus de nominibus Hebr. Malachiæ 4. 6, Isidorus in libro de Patribus veteris Testamenti, quò præcelsa ejus, & supereminens Sanctitas adumbratur, inquit Lezana, tomo 1. Annalium, ubi etiam adfert alias ejusdem nominis interpretationes. Iuxta Chrysostomum, Bedam, Sedulium, & alios Elias solem denotat in nomine.*

Elias idem quod Dominus Deus.

CAP. III.

Quâ ratione Elias ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem elegerit præ aliis eremis Carmeli montem, & de situ, ac descriptione Carmeli, in quo ipse mansit; & quòd alius sit ille Carmelus ubi Nabal habitavit.

98. Reversus itaque jussu Dei Elias de spelunca montis Oreb in terram Israel, confestim instar *auræ tenuis Sibilavit*, id est, convocavit suos discipulos, & cæteros Dei servos, ad Deum deinceps in regno Israel securè colendum; nuncians, sicut à Deo acceperat, quod eos in pace dimitteret *Dominus*, sedatis eorum persequutionibus. *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoraverit eum osculans manum.* Quia ergò ex tunc, & non anteà, fuit Eliæ, & suis discipulis, liberum, in regno Israel securè conversari; studuit ipse deinceps (a) Religionem quam inchoaverat, in loco idoneo plantare. Anno quidem decimô regni Achab Regis Israel, ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem, (b) elegit, præ aliis eremis, Carmeli montem; tamquam commodiorem ad Propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam meliùs, & exercendam.

Ioannes Ierosol.

Elias discipulos convocat ad Carmelum anno decimo regni Achab.

(a)

(b)

99. Gregorius Nazianzenus *in libro suo Apologetico*: Quæ vobis de loco silentij, & quietis deferimus, vos probate: nam quòd aptum sit silentium, & eremus ad Philosophandum, docet Elias, libenter Carmeli montis rupe contentus.

S. Greg. Nazianz.

100. Ioannes xliv. Episc. Hier. *ubi supra*: Mons quippe Carmeli præbet Eremitæ homini ex sua solitudine, silentium, & quietem; ex suis antris, congruam mansionem; ex suo saltu jucunditatem; ex suo eminenti situ aërem salubrem; ex suo fonte aquæ vivæ, haustū dulcem: propter quæ omnia Elias in monte isto nedùm habitare elegit, verum etiam (c) domum orationi consecratam, appellatam *Semnion*, in eo ædificavit: Quæ ideò *Semnion* dicta fuit, quoniam (d) Elias, & ejus discipuli, dè eorum

Ioan. Ierosol.

Carmeli montis descriptio.

(c)

(d)

Semnion aut sacra ædes in monte Carmelo erecta ab ipso Elia Virgini pariturae.

eorum tabernaculis, & speluncis, egredientes ad domum illam, honestè tribus vicibus quotidiè conveniebant: non quidem ad refectionem corporalem, vel ad aliqua corporis ministeria peragenda; sed (e) ad Creatorem omnium litaniis, & orationibus suppliciter placandum; & ut unusquisque eorum cum Propheta diceret: *Vesperè, manè, & meridiè, narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam.* (f) Conveniebant namque ibi in unum ad psalmos, cantica, & hymnos, corde, & ore, ac cum instrumentis musicis, in laudem Dei canendos: ad volumina quoque legis, & Prophetarum à Patre eorum audienda, pariterque legenda. In quorum disciplinis atque exercitiis instituti, ad perfectam, beatamque vitam, studiis jugibus, in eremo Carmeli coalescebant, secundùm formam vitæ monasticæ per Deum creditam Eliæ.

(e) (f) Psal. 54. *Studium sacræ scripturæ.*

PHILIPPUS RIBOTI.

101. ACTOR: Est autem mons Carmeli in terra Sancta, in ejus occidentali plaga situs, juxta magnum mare, in confinio Provinciarum Fœnicis, & Palestinæ.

GLOSSA.

102. GLOSSA *super sexto decimo capitulo Isaiæ Prophetæ*: Carmelus mons est inter Fœnicem, & Palestinam, eminens Ptholomaidi, in quo Elias oravit.

PHILIPP. RIBOTI. *Carmeli montis descriptio.*

103. ACTOR: Hic mons, sicut latinè vocatus est *Carmelus*, ita hebraicè est *Chermel* dictus, qui cessit in possessionem Tribui Azer dum terra promissionis filiis Israel sorte dividebatur; sicut in decimo nono capitulo libri Iosue legitur. Distat autem iste mons à civitate Nazareth tribus milliaribus, à civitate autem Ptholomaida quatuor milliaribus, à civitate Cæsarea sex leucis, sed à civitate Sancta Ierusalem triginta duabus. Hic mons fertilis est in pascuis, herbis, & fructibus, olivis consitus, arbustis, vineisque condensus. Habet etiam plurimum saltus, & eremi, ac solitudinis. Iuxta hunc montem, ad partem ejus aquilonarem est civitas quædam, quæ olim *Porphiria* appellabatur, nunc autem *Cayphas* vocatur. In parte hujus montis quæ supereminet civitati Cayphas, sive Porphiriæ, est unus fons, qui *Eliæ fons* nuncupatur: quia de illius fontis aqua Elias Propheta bibebat, quandò in speluncis ac cavernis ac tabernaculis hujus montis propè præfatum fontem cum discipulis suis Religiosam vitam Propheticam, & solitariam ducebat; in orationibus ac silentio & jejuniis, atque aliis diversis carnis mortificationibus ibidem in cultu divino persistens.

IACOBUS DE VITRIACO.

104. IACOBUS *de Vitriaco librô primô historiarum Orientis, & Occidentis, capitulo quinquagesimo secundo*: Est autem alius Carmelus, trans Iordanem, juxta desertum solitudinis, in quo latuit David, fugiens à facie Saul, ubi erat habitatio Nabal viri stulti. Hic autem Carmelus in quo conversatus est Elias, situs est in maritimis, distans ab Accon quatuor milliaribus.

GLOSSA.

105. *Glossa super nono capitulo Prophetæ Amos*: Duo sunt Carmeli, unus inter Fœnicem, & terram promissionis, ubi oravit Elias: alter in tribu Iuda ad austrum, ubi fuit Nabal Carmelites.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

106. (a) Religionem quam inchoaverat, in loco idoneo plantare, *scilicet in Carmelo. Id contigit anno mundi ter millesimo centesimo vigesimo septimo, ante Christi ortum nongentesimo vigesimo sexto: ad quem proindè Ordinis Institutio, & origo primordialis referenda est: quamvis ab anno ante Christum nongentesimo trigesimo, (quando Dei jussu se abscondit in Torrente Carith, & ibi aliqui devoti viri ad eum congregari cœperunt) aliqua fuerit ejus quasi inchoatio, seu adumbratio. Sed de istis latius in Annalibus Ordinis tomo 1. variis locis, & in Vinea Carmeli parte 2, cap. 6*

Elias quô annô mundi Religionem suam instituerit.

107. (b) Elegit præ aliis Eremis Carmeli montem tamquam commodiorem &c. *Accurata, & magis ampla Carmeli descriptio est in Annalibus Ordinis tomo 1. Hæc, inter cætera, ibi*: Montis figura triangularis fermè, angulô unô Nazareth, aliis duobus occiduum mare, & austrum respiciens. Habet hic mons plurimum saltus, Eremi, & solitudinis, & ad radices profluentem fluvium, Belum appellatum, & versùs Acconem tendentem. Fertilis valdè est pascuis, herbis, fructibus, & oleis, arbustis vineisque condensus; ita ut per illum frugum ubertas, atque rerum abundantia, quasi proverbialiter significetur. Ierem. 2. V. 7 illis verbis: *Induxi vos, in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus.* Adcò aspectu, visuque mirabilis, ut jure de cœlesti sponsâ Cantic 7. v. 5. dicatur: *caput tuum, ut Carmelus.* Angulus occidentalis qui respicit Septentrionem dicitur *Promontorium Carmeli*: est valdè eminens, & prominet mari, estque Sanctior pars ipsius montis; quia fuit ibi habitatio S. P. nostri Eliæ. Ibi prævidit B. Virginem sub typo Nubeculæ, ibi attraxit ignem de cœlo ad comburendos duos quinquagenarios, & alia mirabilia operatus est .... In summitate Promontorij sunt ruinæ Conventus in tempore, quo S. Ludovicus attulit in Europam nostros Patres: vocatur ab incolis Turcis S. ELIAS. Adhuc extant aulæ, & Cellæ integræ ex lapide quadratô. Retrò ad Orientem est ædicula prima in toto Orbe ædificata in honorem B. V. MARIÆ, distans circiter ducentos passus à dicto Conventu. *Hæc ibi. Consequenter agitur de fonte S. Eliæ, de stabulo exciso in rupe, & loco nuncupato* Cavernæ Religiosorum, *ubi magna est multitudo Cavernarum (olim erant habitacula Religiosorum) & in iis lecti, ac fenestra excisa in rupe. Advertendum autem, quod decor Carmeli majori ex parte perierit, quandò Religiosi omnes ibi à Turcis trucidati fuerunt: & verificatum istud Ieremiæ 4.* Aspexi, & ecce Carmelus desertus. *Vide hic infrà libro 9. cap. 8.*

Carmeli accurata descriptio.

108. (c) Domum Orationi consecratam, appellatam Semnion in eo (*Carmelo*) ædificavit; ut in eo ipse, & discipuli ejus filij Prophetarum Deo vacarent. *Concurrebant etiam ad illud fideles statutis diebus, ut à Prophetis verbum Dei audirent, pro ut latius infrà. Ideò à nonnullis etiam* Synagoga *nuncupatur. Post raptum Eliæ, illud ab ejus Discipulis, ipsi dedicatum, jugiter conservatum fuit.*

In eo Oratorium dictum Semnion.

(d) Elias, & discipuli ejus ad domum illam tribus vicibus quotidiè conveniebant: *Ex istis, & aliis illis capite 5. sequenti verbis*: Quotidiè ad Semnion horis statutis convenerunt, celebrantes in pace, cum timore, & reverentiâ Creatoris, quæ ad cultum pertinent divinitatis, & ad Iustitiam regni cœlestis. *In regula Ordinis per B. Albertum Patriarcham Ierosolymitani indè hoc prodiit statutum.* Oratorium pro ut commodius fieri poterit, construatur in medio Cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis.

109. (e) Ad Creatorem omnium litaniis, & Orationibus suppliciter placandum conveniebant. *Indè habetur, contra Kemnitium, & alios quosdam recentiores hæreticos,* Litaniæ *nomen & ejusdem usum haud novellum, imò & ante magni Gregorij tempora in Ecclesia, atque etiam tempore Legis veteris fuisse.*

Litaniæ nomen antiquum.

(f) Conveniebant ad volumina quoque Legis, & Prophetarum à Patre (*id est Rectore seu Superiore*) eorum audienda, pariterque legenda. *Indè habetur, filios Prophetarum peculiariter studio sacræ scripturæ intendisse: quod confirmabitur in sequentibus. Eadem de Essenis scribunt Philo Iudæus, & Eusebius Cæsariensis.*

CAP. IV.

CAP. IV.

Elias magnis miraculis montem Carmeli decoravit, & populum Israel ad Deum convertit, ac incredulos ibi cremavit.

IOAN. IEROSOL.

110. IOANNES XLIV. EPISC. IER. *ubi suprà*: Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solùm exemplô sui, qui ex tunc quamdiu in hoc mundo mansit, scilicet (a) per sexdecim annos, montem istum incoluit; sed quia præ cæteris eremis in quibus habitavit, montem hunc quibusdam magnis miraculis specialiter insignivit, per quæ Deum Israel esse verum Deum manifestè idololatris monstravit. Cum enim (b) ante Eliæ ortum fuisset de eo in Jerusalem Patri suo dictum: *Puer hic judicabit Israel in gladio & igne*; non est dubium, vaticinium illud fuisse per Eliam in monte Carmeli adimpletum. Testante namque sacrâ libri Regnorum historiâ, dum populus Israel simul cum Achab Rege eorum, fuisset per Prophetas Baal seductus, & Deô verò derelictô, ad colendum Baal deditus; tunc Elias Zelum Dei in præcordiis gerens, & de populi transgressione dolens, congregatô universô populô cum Rege, in hoc monte Carmeli, mirum judicium eis proposuit: videlicet, quod Baal à populo Deus reputaretur, si suos Prophetas, ei in hoc monte sacrificaturos, ita exaudiret, ut ad vorandum eorum sacrificium de cœlo ignem mitteret: alioquin quod Baal à populo protsùs respueretur, & Deus Israel verus Deus à populo firmissimè crederetur, si Baal non valente per ignem suos Prophetas exaudire, Deus Israel ignem de cœlo mitteret ad vorandum sacrificium, quod Elias in hoc monte sibi offerret. Cumque propositio Eliæ populo placuisset; sed Baal super sacrificio, per suos Prophetas sibi oblato, ignem de cœlo mittere non posset; tunc Elias in hoc monte Carmeli altare Deo ædificavit: ubi sacrificium offerens, cunctis videntibus, ignem de cœlo descendentem, ad vorandum suum holocaustum, à Deo Israel impetravit: Sicque populum Israel, per Prophetas Baal, prius in errore detentum, ad unius veri Dei cultum in monte Carmeli Elias tunc reduxit: Prophetas verò Baal, qui populum seduxerant, nè iterùm ipsum deciperent, omnes in torrente Cison gladiô interfecit.

(a) *Elias quamdiu manserit in Carmelo.*

(b)

3. Reg. 18.

Ejus ibi miracula.

Victoria de Baalitis.

111. Ampliùs verò cùm Rex Achab, & populus Israel per Prophetas Baal decepti, tribus annis & sex mensibus incessanter invocassent Baal pro pluvia, tamen Baal in diebus illis pluviam eis dare non poterat, nec solvere verbum Eliæ, quod prædixerat: *Non erit annis his ros, neque pluvia, nisi juxtà oris mei verba*: ideò ostensâ tantò tempore ipsius Baal impotentiâ, tandem claruit eis Dei Israel magna potentia.

3. Reg. 17.

Quoniam Elias tunc fusâ, in hoc monte Carmeli, ad Deum Israel oratione, mox ab ipso abundantem pluviam illi populo obtinuit. Prætereà cum Elias Ochoziæ Regi Israel ægrotanti, suos legatos remisisset, nuncians ei quòd ideò meritò moreretur, quia sprетô Deô Israel, moliebatur super sua infirmitate consulere Beelzebub Deum Accaron; Rex de hac destinatione nimiùm commotus, in Eliæ necem spirans, ad eum in monte Carmeli principem quemdam quinquagenarium misit cum quinquaginta viris; ut si spontè venire ad Regem renueret, eum invitum ducerent. Princeps ergo ille, criminis Regis particeps, cum suis quinquaginta in Eliam bacchans, eum, sedentem in vertice Carmeli, *hominem Dei*, irrisoriè appellavit: cui & superbè præcepit, ut de monte descendens, ad Regem veniret. (c) Elias autem intelligens in sua persona Deum verum per illos satellites inhonorari, ignem de cœlo super montem Carmeli descendere fecit, qui principem illum, cum suis quinquaginta devoravit. Cumque Rex magis irâ accensus alium Principem cum quinquaginta viris rursum misisset; Elias ut priùs ignem de cœlo descendere fecit, qui eum cum suis quinquaginta in monte Carmeli combussit.

4. Reg. 1.

(c) *In quinquagenarios duos cur Elias ignem à cœlo descendere fecerit.*

112. ORIGENES *in homilia super istud Matthæi octavo: Cum autem introisset Iesus Capharnaum*: Illi quondam ad Eliam in Carmelo ascendentes quinquagenarii mox in infidelitate sua igne combusti sunt.

ORIGENES.

113. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: His itaque evidentissimis ignis, & gladij judiciis monstravit Elias hominibus incredulis, quòd ille esset verus Deus, quem ipse in monte Carmeli colebat, & non Baal, quem perfidus Rex Achab, cum filiis Israel, adorabat, neque Beelzebub, ad quem, Deô verò spretô, sacrilegus Rex Ochozias mittebat.

IOANNES IEROS.

AVGVSTINVS *libro primo de sermone Domini in Monte, capitulo decimo septimo*: Magni autem, & Sancti viri qui jam optimè scirent mortem istam, quæ dissolvit animam à corpore, formidandam non esse, secundùm eorum tamen animum qui illam timerent nonnulla peccata morte punierunt. Quò & viventibus utilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset si viverent, minueretur. Non temerè illi judicabant quibus tale judicium donaverat Deus. Indè est quod Elias morte multos affecit, & propriâ manu, & igne divinitùs impetratô.

AVGVSTINVS.

ANNOTATIONES.

114. (a) PEr sedecim annos montem istum incoluit Elias, *videlicet duodecim, aut tredecim, post institutum Ordinem Propheticum, & aliquot annis etiam ante. Ita annales Ordinis tomo 1.*

DANIEL.

(b) Ante Eliæ ortum Patri suo dictum; Puer hic judicabit Israel in gladio, & igne. *De visione illâ ante Eliæ ortum Patri ejus exhibita, & ejusdem prognosticatione dicetur libro 7. cap. 5. Quod, & qualiter judicaverit Israel in gladio (interficiendo Prophetas Baal atque Lucorum) & in igne (cœlitus eò immissô in binos quinquagenarios, & bis quinqua-*

quinquaginta Milites) graphicè descriptum habetur lib. 3. Regum Cap. 18. & lib. 4. cap. 1.

Elias cur fecerit ignem de cœlo descendere in impios.

115. (c) Elias autem intelligens in sua personâ Deum inhonorari, ignem de cœlo &c. *utique non ex vindictæ animo, sed ardentissimò divini honoris Zelò. sicut Christus ementes, & vendentes flagellò ejecit ex templo. Ita & Elisæus pueris, qui ad Idolorum cultum à parentibus educabantur, maledixit in nomine Domini. Vide lib. 4. Cap. 4. hic infrà, & ibi in notis.*

CAP. V.

Quòd multi hujus Religionis Patres, tàm veteris, quàm novæ legis, sint jugiter conversati monasticè in monte Carmeli, ad imitationem Eliæ: & quâ ratione omnes hujus Religionis professores appellentur Carmelitæ; quamvis non omnes manserint in Carmeli monte.

IOANNES IEROSOL.

116. IOANNES XLIV. EPIS. IEROS. *ubi suprà:* Quoniam ergo Elias præ cæteris eremis in quibus habitavit, montem Carmeli tanquam commodiorem ad plantandam in eo Propheticam religionem vitæ monasticæ, & docendam meliùs, & exercendam, ut dictum est, elegit; quem etiam montem præfatis miraculis clarissimè decoravit, quibus Deum Israel esse verum Deum palam populo ostendit; & Baal tanquam falsum Deum reprobavit; ideò Elisæus, & cæteri Eliæ discipuli religiosi viri filij Prophetarum, nec non eorum, tam veteris quam novæ legis, successores, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum aliis eremis, eorum Religioni commodis, prætulerunt: Et propterea (a) in eremo dicti montis præcipuè, ad exemplum, & imitationem illius Sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ. prædicti Religiosi secundùm formam, per Deum Eliæ traditam, in justitia Propheticæ vitæ monasticæ, Domino Deo Israel devotâ mente jugiter servierunt: ubi religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis, & speluncis, ac cavernis, atque cellis continuè, & incessanter duxerunt juxta fontem Eliæ, ob ejus sanctitatem, & loci devotionem, ac majorem servandæ vitæ Eremiticæ opportunitatem: ibique passionibus animæ viriliter resistentes, peremerunt nequitiam; & bonorum actuum exercitatione secuti sunt cordis munditiam.

Elias Carmelum præ cæteris eremis elegit, & incoluit.

Et similiter discipuli, ac posteri ejus.

(a) *Viventes juxta formam ab Eliâ traditam*

(b) BALBINUS.

117. (b) BALBINUS *in Epistola ad Antoninum Imperatorem:* Mons est nomine Carmelus, in quo verus Religio, & sanctitas antiqua est. Elias illic sacrificia semper Deo offerebat. Apparent etiam & nunc vestigia de ara sacrificiorum.

IACOBUS DE VITRIACO.

Iacobus de Vitriaco libro primo Historiarum Orientis & Occidentis, capitulo quinquagesimo secundo: Quidam ex Religiosis viris ad exemplum, & imitationem Sancti viri & solitarij Eliæ Prophetæ, in monte Carmelo, & maximè in parte illa quæ supereminet civitati Porphyriæ, quæ hodie Caiphas appellatur, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, non longè à monasterio Beatæ Virginis Margaretæ, vitam solitariam ducebant, in alvearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes.

118. IOANNES XLIV. EPIS. IEROS. *ubi suprà:* Qui ad ministeria se divina disponentes, omnibus contentionibus, & certaminibus privati, cum silentio, in unanimitate animorum, quotidiè ad Semnion horis statutis convenerunt, celebrantes in pace, cum timore, & reverentia Creatoris, quæ ad cultum pertinent divinitatis, & ad justitiam regni cœlestis: Quemadmodum prædicta de eis, & de eorum loco, Isaias Propheta in persona Domini vaticinatus fuit, dicens: *Habitabit in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit: Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Ubi vide, quam pulchrè describit Propheta per ordinem bonam eorum vitam à posteris Monachis Carmelitis imitabilem: primò quidem, ipsi sigillatim habitantes soli in cellis montis Carmeli, citabant cotidiè semetipsos ad judicium discernendi in propria mente, si cogitationes accusarent, vel defenderent eos de aliquo iniquo, id est, deviante à rectitudine divinæ justitiæ. Ideò prædixit Propheta, *Habitabit in solitudine judicium.* Secundò, dum testimonium illis reddebat conscientia de quocumque iniquo; exercebant ipsi officium *Monachi*: quoniam *sedebat* inter eos *justitia in Carmelo*, quâ illud iniquum *tristes*, *& soli* puniebant per veram pœnitentiam, & emendabant illicò. Ob hoc prædixit Propheta, *& justitia in Carmelo sedebit.* Tertiò, cum nil iniquum reperiebant in viribus animæ expiandum, tunc *opus* quo ipsi cæteras vires animæ perfectè conservabant in concordia cum recta ratione, erat interna *pax justitiæ*: idcircò prædixit Propheta, *Et erit opus justitiæ pax.* Quartò, quia, teste Sapiente, *In multiloquio non deerit peccatum; qui* autem *custodit os suum, custodit animam suam*: ideò ipsi, ut essent securi à peccato, *colebant* assiduè *justitiam silentiô*: propterea dixit Propheta: *Et cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.* De his autem omnibus, commendans eorum vitam, Dominus prædixit: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, internæ scilicet; *& in tabernaculis fiduciæ*: de obtinenda scilicet jucunditate supernæ gloriæ, *& in requie* mentis *opulenta*; videlicet ex gustu, & contemplatione deliciarum procedentium de torrente voluptatis meæ.

IOANNES IEROSOL.

Isaiæ 32.

Norma vitæ Eremiticæ à posteris Eliæ in Carmelo servata.

Proverb. 10

Prov. 13.

119. Quia ergò dicti Monachi, ad exemplum Eliæ, coluerunt jugiter in Carmelo justitiam vitæ monasticæ, proprerea (c) appellati sunt Carmelitæ, à monte scilicet Carmeli: cujus fuerunt incolæ secundùm modum prædictum, residentes ibi *in justitia* assiduè, sicut Propheta prædixit: *Iustitia in Carmelo sedebit.* Sed & cæteri hujus Religionis Monachi habitantes alibi, cupiunt etiam idcircò Carmelitæ appellari; quia eorum Religio, & sancta conversa-

(c) *Eadem etiam alibi observata fuit.*

E

versatio, est ab illis viris derivata, & sumpta; qui modò prædictô satagerunt in monte Carmeli assiduè religiosam vitam Prophetæ Eliæ, & usque nunc satagunt, humiliter imitari. Omnes quippe hujus Religionis veri sectatores, tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur se humiliter sequi illam sanctam, & Propheticam justitiam vitæ monasticæ, quam Propheta Dei Elias servavit, & instituit; & quam esse sequendam ipse, secundùm formam à Deo sibi creditam, verbô pariter & exemplô discipulis suis tradidit, & in eremo montis Carmeli residendo docuit maximè, ac demonstravit.

ANNOTATIONES.

DANIEL. *Eremitæ Carmeli in cellis habitantes.*

120. (a) IN Eremo dicti Montis (*Carmeli*) Religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis, & speluncis: *Hinc Albertus Patriarcha Hierosolymitanus in Regulam transtulit illa prologi verba:* Eremitis qui juxta fontem in monte Carmeli morantur. *Et infra, Articulo* 1. Singuli vestrum singulas habeant Cellulas separatas: *& paulo post*: maneant singuli in Cellulis suis, aut juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, &c. *Indè, & ex aliis à nobis subinde Annotatis, liquet Regulam illam à B. Alberto traditam, esse extractum, seu compendium libri Ioannis, quod peculiariter libro 8. cap. 4. per totum declarabitur.*

Balbinus qualis.

(b) Balbinus *vir fuit celebris familiaris Imperatori Antonino. Videri poterit de eo Bollandus in Actis Sanctorum ad diem 5. Ianuarij, in notis ad vitam S. Telesphori Papa. Hujus montis meminerunt etiam Ethnici alij: tempore veteris legis Iamblichus Chalcedonensis in vita Pythagora cap. 3. (ubi etiam de templo Carmeli) sub nova Suetonius Tranquillus, & Cornelius Tacitus describentes res gestas Vespasiani.*

Carmelitæ à Carmelo dicti.

121. (c) Appellati sunt Carmelitæ, à monte scilicet Carmeli: *sic à Cistercio Cistercienses; à Præmonstrato, Præmonstratenses; à Carthusia, Carthusiani denominantur. Quando autem nomen illud* Carmelitæ *primum inditum fuerit posteris S. Eliæ, haud certò constat. In usu tamen fuisse suprà annos mille ducentos, habetur ex hoc libro Ioannis scripto anno 412 sed verisimiliter tantum sic primum nuncupati fuêre Religiosi incolæ Carmeli, itaque ab accolis, aut vicinis. Ab aliis autem tam isti, & magis alij ejusdem Instituti in aliis Eremis, aut locis habitantes, nuncupati antiquitus fuêre generali nomine, primùm* Prophetæ, *&* filij Prophetarum, *deinde* Rechabitæ, Esseni, viri Prophetici Ordinis, *posteaque* Religiosi, Therapeutæ, Monachi, Eremitæ &c. (*Vide infrà libro 6. cap. 6. 7. 8.*) *Sic Monachi habitantes in Cassino, Atrebati ad S. Vedastum, in Brabantia Affligenij, à vicinis passim dicuntur* Cassinenses, Vedastini, Affligenienses, *ab aliis verò communi nomine* Benedictini.

CAP VI.

De diversis mansionibus quas dicti Carmelitæ habuerunt in solitudine, & quid mysticè significet mansio cellæ.

PHILIP. RIB.

122. AUCTOR: Mansiunculæ, in quibus prædicti Monachi Carmelitæ in solitudinibus Terræ-sanctæ sigillatim residentes habitaverunt, variis sunt nuncupatæ nominibus. Quoniam dictæ sunt *Antra, Spelunca, Caverna, Tabernacula, Casula, & Cella.* *Antrum* est dictum quasi atrum, id est obscurum; eò quod sit locus in densitate arborum, vel in profunditate terræ, seu rupium absconsus, & aliqualiter obscurus. *Spelunca* verò est concavitas saxorum, seu rupium, naturaliter, & nullô hominum artificiô facta. *Caverna* autem est locus concavus humano ingenio perfossus, vel perforatus. *Tabernaculum* est habitaculum à tabulis dictum; eò quod de tabulis construi soleat; vel quia tabulis inter stantibus tentoria funibus distenta appendantur, ad vitandum solis ardores, imbriumque tempestates, & frigoris rigores. *Casa* autem est agreste habitaculum, palis, & virgultis, atque arundinibus contextum, quibus homo possit tueri à vi frigoris, vel caloris injuria; & indè diminutivè dicitur *Casula*, id est parva casa. Quodlibet autem prædictorum habitaculorum, communi nomine (a) dicitur *Cella*, eò quòd celet, & abscondat manentem in se. In quali habitaculo jussit Deus Eliam manere, dicens ei: * *Abscondere in torrente Carith*: Nam qui vitam solitariam desiderat dignè colere, debet in absconsa mansione habitare, exclusô à se totô sæculô, ut se totum includat cum Deo.

Quid antrum. Spelunca. Caverna. Tabernaculum. Casa. Casula. Cella. (a) * *Vide supra lib. 1. cap. 5.*

(b) S. BERNARDUS.

123. (b) BERNARDUS *in libro de vita solitaria ad fratres de Monte Dei*: Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum, non latebræ, sed secretum. Cellæ siquidem, & cœli habitatio cognatæ sunt: quia sicut cœlum, & cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis; & quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. In cella Dominus & servus ejus sæpè colloquuntur, sicut vir ad amicum suum; in qua crebrò fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponso suo sponsa sociatur; terrenis cœlestia, humanis divina uniuntur. Siquidem sicut templum Sanctum Dei, sic cella est servi Dei: In templo enim & in cella divina tractantur, sed crebrius in cella. In templo visibiliter, & figurativè aliquandò Christianæ pietatis Sacramenta celebrantur, & dispensantur: in cellis verò sicut in cœlis, ipsa veritate, ipsô ordine, & si nondum ipsa puritatis majestate, & æternitatis securitate, res ipsa omnium Sacramentorum fidei nostræ assiduè celebratur. Et cum in cellis jugiter cœlestia actitantur; cœlum cellæ, & Sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu, proximum efficitur. Nec jam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cœlum longa, vel difficilis via invenitur: A cella enim in cœlum sæpè ascenditur, vix autem unquam à cella in infernum descenditur; nisi, sicut dicit Psalmista: *Descendant in infernum viventes*, videlicet nè descendant morientes. Hoc enim modo cellarum incolæ sæpè in infernum descendunt: sicut enim assiduè contemplando revisere amant gaudia cœlestia, ut ardentius ea appetant; sic & dolores inferni, ut horrescant & refugiant. Moriens autem vix, aut nunquam aliquis in infernum à cella descendit; quia vix unquam nisi cœlo prædestinatus in ea usque ad

Cella commendatio insignis. à Cella in cœlum facilis via. Psalm. 54. à cella ad infernum vix descenditur.

ad mortem persistit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui, cella fovet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinis perfectionem perducit, & colloquio Dei dignum efficit. Alienum verò vel spurium abdicat à se citius, & projicit. Unde Dominus ad Moysen ait: *Solve calceamenta pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra Sancta est.* Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus Sanctus (id est cella) diu non patitur, sed à se projicit quasi abortivum, evomit tanquam inutilem, & noxium cibum, nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis: Venit enim pes superbiæ, & asportat eum manus peccatoris, & movet eum, & expulsus non potest stare, sed fugit miser, nudus & tremebundus, sicut Cain à facie Domini, impulsus vitiis, & dæmonibus; ut qui prior invenerit eum, morte animæ eum afficiat, & occidat: Vel si aliquamdiu duraverit in cella, non virtutis constantiâ, sed pertinaci miseria, sic cella est ei quasi carcer, aut sicut viventi sepultura; nec solitarius, sed solus dicendus est, cui cella, non cella, sed carcer & reclusio est: Verè enim solus est, cum quo Deus non est: Verè reclusus est, qui in Deo liber non est.

Cella amatores non sunt homines vitiosi & indevoti.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Cellæ commendatio.

124 (a) Dicitur cella, eò quod celet; *celas, & abscondis à turbis hominum, in quibus frequentes sunt occasiones peccatorum, & suos Cultores idonea reddis vasa cælestium charismatum. Ita zelosus ille Ordinis Pater Generalis Nicolaus Gallicus in inflammante opusculo nuncupato* Ignea Sagitta *capite 9. ubi etiam (inter alia) hæc de cella.* O quam benè appellatur Cella vinaria; nam in eâ Spiritus Sanctus, veros Cellitas, vinô Devotionis mirificô sobriè inebrians, suavis contemplationis glorioso lectulo facit obdormire.

Libri de Vita solitaria quis auctor.

(b) Bernardus in libro de Vita solitaria *Extat liber ille, seu Epistola, inter opera D. Bernardi, sed à nonnullis adscribitur Guilielmo Abbati, S. Bernardo contemporaneo, etiam eruditione, & Sanctitate Conversationis insigni. Cujuscumque sit, magna est pietatis, & eruditionis: estque insignis illa, & vera prærogativarum Cellæ deprædicatio: utiliter Religiosis (peculiariter Carmelitis ex primaria Institutione solitudini dicatis) commendanda, & menti imprimenda, ut eò magis cella ametur, & incolatur.*

CAP. VII.

Quâ ratione Elias, & Elisæus, licet præcipuè conversarentur in solitudinibus, habuerint cuneos Filiorum Prophetarum in civitatibus; quos, post eruditionem in rudimentis vitæ Monasticæ, transferebant ad solitudines, longè ab urbibus.

IOAN. IEROSOL.

Elias, & Elisæus potissimè in Eremis degebant.

125. IOANNES XLIV. EPIS. JEROS. *ubi suprà:* Licèt autem Elias, & Elisæus, cum cæteris ejusdem propositi religiosis viris, Filiis Prophetarum, manerent, præcipuè in eremis; jubente tamen Deô, propter utilitatem sui populi, civitates, & villas interdum frequentabant, miracula in populis operantes, & futura eis prædicentes, vitiaque hominum castigantes, & eos ad Deum revocantes, atque ad suam propheticam religionem multos attrahentes. Unde (a) in suburbanis quarumdam civitatum, & villarum Terræ-promissionis, maximè autem in Galgala, & in Bethel, & in Hiericho, & in Samaria habuerunt cuneos Filiorum Prophetarum virorum religiosorum; sicut legitur in libro Regnorum; apud quos manebant, dum ad civitates, & villas veniebant. Et illos de populo, quos ad suam propheticam religionem trahere poterant, primò quidem (b) in his conventibus faciebant erudiri, & in disciplina prophetica, & in rudimentis religiosæ vitæ monasticæ; ut eos paulatim à conversatione urbium distraherent; quos postmodum ad eremos transferebant. His enim monachis Filiis Prophetarum habitantibus in urbibus, postquam erant in rudimentis disciplinæ propheticæ, & vitæ monasticæ eruditi; videbantur urbes quasi carceres, & solitudo eis paradisus apparebat. Saluti ergo suæ perfectiùs providere curantes, monasticam, ac prophetalem vitam longè ab urbibus ducere malebant in solitudine; quam appetentes, ad eam secedebant nutu prophetarum, qui eos regebant. Hinc in libro Regnorum legimus, hos filios prophetarum dixisse ad Elisæum: *Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis: eamus usque ad Iordanem, & singuli tollant de silva materias singulas, ut ædificemus ibi locũ nobis ad habitandum.* (c) Erant autem ipsi tunc ita multiplicati, quòd jam non valebant omnes in solitudine montis Carmeli commodè recipi: propter quod ad nutum prophetarum per quos regebantur, eligebant sibi non solum montem Carmeli, sed & alia, præter montem hunc, loca eremitica, proposito suo, & devotioni opportuna, & præcipuè illa, quæ per Eliam, vel Elisæum, fuerant portentis decorata: Quoniam igitur Elias, & Elisæus in Iordanis flumine magnis claruerant miraculis (nam aquæ Iordanis palliô Eliæ percussæ in duas partes fuerant bis divisæ, præbentes iter siccum Prophetis præfatis; & Naaman leprosus in Jordane lotus à lepra fuerat per Elisæum mundatus, & sanitati restitutus) ideò aliqui horum Monachorum Filiorum Prophetarum, devotione prædictorum miraculorum permoti, & aquarum opportunitate tracti, (d) faciebant sibi Tabernacula in solitudine propè fluenta Iordanis, prout eis dictabat Propheta Dei Elisæus: Quemadmodum in libro Regnorum legimus Elisæum dixisse eis: *Ite,* scilicet ad Iordanem. *Et ait unus ex illis: Veni ergò & tu cum servis tuis: Respondit, ego veniam. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Iordanem cadebant ligna.* Pro Tabernaculis sibi ibidem ædificandis.

(a)

(b)

Quandoquidem tamen ipsi, & Filij Prophetarum in urbibus morabantur.

4. Reg. 6.

(c)

Multitudo discipulorum Eliæ, & Elisæi.

(d)

4. Reg. 6.

126. HIERONYMUS *in Epistola ad Rusticum Monachum de vita Monachi*: Filij Prophetarum, quos Monachos in vetere legimus Testamento, ædificabant sibi casulas juxta fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polentâ, & herbis agrestibus victitabant.

S. HIERONYMUS.

Habitantes in casis circa Iordanem.

IOANNES XLIV. EPISC. IEROSOL. *ubi suprà:* Quidam autem dictorum Monachorum Filiorum

IOAN. IER.

liorum Prophetarum in monte Effraim suam mansionem elegerunt. Horum meminerat Giezi famulus Elisæi, dum dicebat Naaman Syro: *Dominus meus misit me ad te dicens: modò veniunt ad me duo adolescentes de monte Effraim, ex filiis prophetarum.* Isti quidem segregantes se à turbis, quas videbant colere vitulum aureum, quem Jeroboam posuerat ad adorandum in Bethel, secesserunt nutu Elisæi in solitudinem montis Effraim: nè possent exemplô populi idololatriâ infici; sed vacarent in solitudine liberiùs divino cultui. Ab his itaque memoratis viris Filiis Prophetarum inolevit, quòd plerique nostri generis Monachi, non solum in monte Carmeli; sed in diversis solitudinibus Terræ promissionis, sunt in disciplina Prophetica vitæ monasticæ, ad imitationem eorum, laudabiliter conversati.

4. Reg. 5.

In monte Ephraim.

Et aliis Terra S. Eremis.

ANNOTATIONES.

Daniel.

Discipuli & posteri Eliæ etiam in urbibus loca habebant.

127. (a) IN Suburbanis quarundam Civitatum & villarum &c. habuerunt cuneos Religiosorum. *Igitur ab initio Institutionis Ordinis Prophetici, ejus alumni, etsi potissimùm morarentur in Eremis, & locis solitariis, attamen etiam in urbibus (aut juxta eas) mansiones habebant. Quod etiam subsequentibus temporibus semper practicatum fuit. De mansione celebri (per modum Seminarij, seu Novitiatus) in Ierosolymis agetur libro 5. cap. 4. Quod etiam in nova lege urbes inhabitaverint satis significat S. Cyrillus hic infra libro 8. cap. 1. referens quod circa annum Domini sexcentesimum trigesimum nonum alumni hujus Religionis coacti fuerint dimittere mansiones, quas habebant in urbibus, & villis (æque perspicuè idem adstruunt Sibertus de Beka verbis eodem libro 8. capite 6. referendis, & Guilielmus de Sanvico infra libro 9. cap. 1. sub initium) ea tamen mansiones in urbibus rariores erant, frequentiores autem in Eremis: ubi non erant per modum Monasterij, sub clausura (saltem ordinariè) sicuti hoc tempore; at Congregationes erant Cellularum, non aliquô septô, seu muro cinctarum, hinc indè ab invicem localiter distantium. Congregationes illæ Cellularum succedentibus temporibus nuncupatæ fuerunt* Mandræ, *atque etiam quibusdam in locis* Lauræ.

Sed tamen rariora.

Illa erant quasi Seminaria, seu Novitiatus.

128. (b) In his Conventibus faciebant erudiri in Disciplina Prophetica, & in rudimentis Religiosæ vitæ Monasticæ. *Erant igitur isti Conventus, seu Collegia, tanquam seminaria, seu Novitiatus; & ibi etiam pueri Iudæorum bonis moribus, & litteris imbuendi tradebantur. Vide tom. 1. Annal. Ordinis.*

(c) Erant autem ipsi (*Filij Prophetarum*) tam multiplicati. *De multitudine Congregationum Monasticarum, seu Collegiorum per S. Eliam institutorum ista (inter cætera) scribit Minimorum Generalis Ægidius Camartus de Elia Thesbite cap. 5.* Montes, deserta, vicos omnes obtinuerunt à mari cui adhæret Carmelus.

Lib. 1. Chron. ad ann. mundi 3272.

129. (d) Faciebant sibi Tabernacula propè fluenta Iordanis, & in solitudine Ierichuntis, atque aliis Terræ Sanctæ Eremis. *Hinc Genebrardus* Elisæus miris, & inusitatis operibus insignis 4. Regum 6, &c. construxit Cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros: fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis. *Essenos autem sinceræ fidei, veri nominis Monachos, & SS. Prophetarum Eliæ, ac Elisæi posteros fuisse declaratum est in Tractatu de Essenis.*

CAP. VIII.

Cur professores hujus Religionis vocati sint Anachoretæ, ac de triplici Monachorum genere, & sub quo genere comprehendantur Carmelitæ.

Idem Ioan. Ieros.

Anachoreta quid significet.

130. PRædicti autem Monachi à plerisque fuerunt *Anachoretæ* idcircò appellati; quia corda sua angentes jejuniorum inediis & cæteris corporis angustiis, non timuerunt, ut dictum est, ab imitatione Eliæ incessanter & continuè penetrare vastos secessus solitudinis montis Carmeli, & aliarum eremorum Terræ promissionis: ubi (a) cogitationibus Sanctis, & intensione orationum, ac cæteris armis justitiæ muniti, non solùm occultas diaboli insidias vincebant; sed & apertos conflictus dæmonum calcantes, tantô conatu (b) mentes suas, ad exemplum Eliæ Principis eorum, sursum in Dei contemplatione elevabant, ut in cœlestibus choris putarentur translati, & *revelatâ facie gloriam Dei specularet*, perfruentes colloquiô Dei, cui puris mentibus inhærebant. (a) (b) 2. Corint. 3

Gerardus Episc. Laodic.

131. Gerardus Episcopus Loadicensis, *in libro de conversatione virorum Dei in Terra Sancta morantium, ad Guilielmum Presbyterum*: Aliud est genus Religiosorum qui sigillatim habitant à sæculi rebus alieni, quod laudabile semper fuit. Hi sunt qui ad exemplum Eliæ silentium solitudinis præferunt tumultibus civitatis: Amant enim secretam contemplationem Deitatis. Unde David à sæculi molestiis in solitudinem fugiens se elongabat. *In terra*, inquit, *deserta, invia, & inaquosa: sic in Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Hanc quippè gloriam Moyses in deserto, hanc tandem Elias in solitudine quæsierunt videre. Hinc & Salvator in monte, seorsùm à turbis, inter Moysen & Eliam, gloriosus effulsit. Psalm. 62.

Isidorus.

Monachorum tria genera.

132. Isidorus *libro secundo de Origine officiorum capitulo decimo quinto*: Tria sunt optima Monachorum genera, primum genus est cœnobitarum, id est, in communi viventium, ad instar Sanctorum illorum qui temporibus Apostolorum in Ierosolymis venditis, ac distributis suis omnibus, indigentibus, habitabant in Sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, & anima una, & cor unum in Deum. Secundum genus est Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes, deserta loca, & vastas solitudines sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem, scilicet Eliæ, & Ioannis Baptistæ, qui eremi secessus penetraverunt. Hi quippe incredibili mundi contemptu, solâ solitudine delectabantur, herbis tantum agrestibus victitantes, pane solô, & aquâ contenti, quod eis per certa intervalla temporum deferebatur. Sicque secretissimi penitùs, & ab omni hominum conspectu remoti, divino tantum colloquio perfruuntur; cui puris mentibus inhæserunt,

ſerunt, & propter cujus amorem non ſolùm mundum, ſed etiam hominum conſortia reliquerunt. Tertium genus eſt Anachoretarum, qui jam cœnobiali converſatione perfecti, includunt ſemetipſos in cellulis procul ab hominum conſpectu remoti, nulli ad ſe præbentes acceſſum, ſed in ſola contemplatione Dei viventes.

CASSIANVS. 133. CASSIANVS *in libro collationum Patrum, capitulo ſexto, collatione decima octavâ*: De perfectorum numero, &, ut ita dixerim, fœcundiſſima radice, Sanctorum etiam Anachoretarum poſt hæc flores fructuſque prolati ſunt. Cujus profeſſionis Principes Sanctum Paulum, & Antonium novimus extitiſſe: qui ſeſe ſeriò ſublimioris perfectionis contemplationiſquè divinæ, ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt. Ita ergò proceſſit ex illa, quam diximus, diſciplina cœnobitarum aliud perfectionis genus, cujus ſectatores Anachoretæ, id eſt ſeceſſores, meritò nuncupantur: eò quòd nequaquam contenti hâc victoriâ, quâ inter homines occultas inſidias diaboli calcaverunt, ſed apertò certamine, ac manifeſtô conflictu dæmonibus congredi cupientes, vaſtos eremi receſſus penetrare non timeant, ad imitationem ſcilicet Ioannis Baptiſtæ, qui in eremo totâ ætate permanſit, Eliæ quoque, & Eliſæi, atque illorum de quibus

Hebr. 11. Apoſtolus ita memorat: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: In ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cavernis terræ.*

PHILIPPVS RIBOTI. 134. ACTOR: ſicut ergò, ſecundùm Iſidorum, Monachi Eremitæ imitantur Eliam: ita ſecundum Caſſianum Anachoretæ imitantur Eliam, & Eliſæum filioſque Prophetarum. Unde licèt Iſidorus diſtinxerit tria optima genera Monachorum, tertium tamen genus, ſcilicet Anachoretarum, videtur coincidere cum ſecundo genere, ſcilicet eremitarum, ſicut ipſe alibi ſcribit.

S. ISIDORVS. 135. ISIDORVS *ſeptimo Ethimologiarum capitulo decimo tertio*: Plura ſunt genera Monachorum: cœnobitæ ſunt, quos in communi viventes poſſumus appellare; cœnobium enim

Anachoreta, & Eremita ferè idem. plurimorum eſt. Anachoretæ ſunt, qui poſt cœnobialem vitam deſerta petunt, & ſoli habitant per deſerta, & ab eo quod procul ab hominibus receſſerunt, tali nomine nuncupantur: ſed Anachoretæ Eliam & Ioannem: Cœnobitæ Apoſtolos imitantur: Eremitæ hi ſunt, qui & Anachoretæ, ab hominum conſpectu remoti, eremum, & deſertas ſolitudines appetentes; nam eremus dicitur, quaſi remotior.

PHILIP. RIBOTI. 136. ACTOR: Videtur ergò propriùs diſtingui tertium genus ex primo genere, ſcilicet cœnobitarum, & ex ſecundo, id eſt eremitarum confectum, eorum ſcilicet Monachorum, qui ita, exemplô Eliæ, abdicatis poſſeſſionibus, & facultatibus terrenis, ſervant vitam ſolitariam in cellis ſeparatis, quod nihilominus, exemplô Apoſtolorum, proprietate abdicatâ, habent omnia communia, diſtribuenda tamen per ſuperiorem, ſingulis prout cuique opus eſt: (c) (c) Sub quo genere comprehenduntur his diebus Carmelitæ, ut dicetur libro octavo, capitulo tertio, & aliis quatuor capitulis ſequentibus, quamvis dudum comprehenderentur ſolum ſub ſecundo Monachorum genere, ſcilicet eremitarum, ut ex dictis patet.

ANNOTATIONES.

DANIEL. 137. (a) Cogitationibus ſanctis .... ac cæteris armis Iuſtitiæ muniti, occultas diaboli inſidias vincebant. *Iſta pro Regula (quæ libro 8. cap. 3. ponitur) mutuata, aliquantò luculentiùs declarat B. Albertus Patriarcha titulô* de Armis ſpiritualibus, *ubi hæc inter cætera*: Muniendum eſt pectus cogitationibus Sanctis. *Et* omni ſollicitudine ſtudeatis indui Armaturâ Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias inimici. *Hinc, & ex aliis alibi notatis, ac potiſſimùm ex toto capite quarto libri octavi, perſpicuum eſt, Regulam ab Alberto ſcriptam, eſſe deſumptam ex hoc libro Ioannis Ieroſolymitani, non tantùm quoad ſubſtantiam, ſed quandoque etiam quoad ipſas dictiones.*

Regula moderna Carmelitarum deſumpta ex libro Ioan. Ieroſolymit.

138. (b) Mentes ſuas, ad exemplum Eliæ Principis eorum ſursùm in Dei contemplatione elevabant *Sic S. Eliſæus Magiſtri ſui exemplô contemplabatur ſe* ſtare in conſpectu Dei: *Ita S. Ioannes Baptiſta à puero in deſertis,* in Spiritu, & virtute Eliæ, *ab hominum commercio ſeparatus, cum Deo converſabatur Similiter S. Antonius, S. Macharius, atque alij vetuſti Monachi magni Eliæ æmulatores, ſecreta interioris Eremi ſectantes, jugi legis Dei meditatione, ac cæleſtium contemplatione mentem impinguabant.*

(c) *Sub quo genere comprehendantur his diebus Carmelitæ, cujùs Inſtituti olim fuerit, & nunc ſit hic Ordo; an contemplationi, & ſolitudini deſtinatus peculiariter, an etiam proximorum ſaluti vacans, an eremiticus, an verò cœnobiticus, declaratur latiùs in Vinea Carmeli parte 8. cap. 13.*

LIBER QVARTVS

De ascensu S. Prophetæ Eliæ in Paradisum, successore illius Elisæo, et huius regimine, ac præservatione Carmelicolarum a captivitatibus Iudæorum.

PRÆFATIO.

139. Liber iste quartus agit de ascensu Eliæ in Paradisum: Et quomodò Elisæus habuit post Eliam regimen hujus Religionis, & magisterium: Et qualiter durante lege veteri Monachi hujus Religionis, fuerunt præservati à captivitatibus Judæorum. Habet autem octo capitula. *Primum*: Quòd Elias fuerit vivus ex hoc mundo in Paradisum voluptatis translatus, & quod illic vivet feliciter usquè ad Antichristi tempus. *Secundum*: Quòd Elias sit tempore Antichristi Iudæos ad fidem Christi conversurus, & ab Antichristo martyrium suscepturus, & post tres dies resurgens gloriosè in cœlum ascensurus. *Tertium*: Quòd dum Elias in Paradisum voluptatis ascendit, regimen hujus religionis Elisæo commiserit: qui à Filiis Prophetarum in Patrem receptus fuit. *Quartum*: Quòd Elisæus susceptô hujus Religionis regimine, cuneos Filiorum Prophetarum sigillatim visitaverit, & qualiter coram eis multa miracula fecerit. *Quintum*: Quòd Jonadab cum Rechabitis ab eo descendentibus fuit Elisæum in monastica vita eremitica imitatus. *Sextum*: Quòd Elisæus Filios Prophetarum ad observantiam vitæ monasticæ induxerit, & eis in necessariis vitæ, etiam miraculosè interdùm, ministraverit. *Septimum*: Quòd Monachi montis Carmeli fuerint propter eorum justitiam à captivitatibus Iudæorum per Deum præservati, & per eum cibô doctrinæ monasticæ pasti. *Octavum*: Quòd licèt Monachi Rechabitæ essent tempore transmigrationis Judæorum in Ierusalem inclusi, ipsi tamen non fuerunt in Babilonem ducti, sed propter meritum obedientiæ fuerunt in Terrâ Sanctâ relicti.

Summarium Libri IV.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quòd Elias fuerit vivus ex hoc mundo in Paradisum voluptatis translatus, ubi degit feliciter usque ad Antichristi tempus.

Ioan Ierosol.

140. Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus, *in libro de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.* Legitimè itaque Elias administra à Religione per eum institutâ, agnovit per divinam revelationem, quòd Deus volebat eum ab hoc mundo elevare per turbinem ignis in Paradisum voluptatis: Pergens ergo ad locum undè assumendus erat in cœlum, profectus est cum Elisæo, ejus discipulo ad Jordanem, quem Elias palliô suô involutô percussit: &, sicut sacra libri Regnorum tradit historia, divisæ tunc fuerunt aquæ Iordanis in duas partes, cedentes illis viris Dei; qui transierunt per siccum alueum fluminis. Cumque pariter incedentes sermocinarentur; ecce currus igneus, & equi ignei eis apparuerunt, qui utrumque ab invicem diviserunt: quoniam remanente Elisæô in terra, (a) Elias *receptus in curru equorum igneorum,* ascendit per *turbinem* ignis *in cœlum,* id est, in Paradisum voluptatis: qui, longô maris & terræ tractu à nostra habitabili secretus, adeò est editus, ut pænè usque ad cœlum attingat. In quo loco unà cum Enoch, qui longè antè illic Eliam præcesserat, vivet ipse Elias in magna quiete carnis & Spiritus, usque ad tempus Antichristi: sed tunc in hunc mundum revertetur: quemadmodum testatur Dominus, dicens: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Matth. 17.

Elias cum Elisæo sicco pede Iordanem transit.

4. Reg. 2.

(a) *Curru igneo in Paradisum transfertur.*

S. Gregorius.

141. Gregorius *in homilia festi Ascensionis Christi*: In veteri Testamento cognovimus quod Elias sit raptus in cœlum: sed aliud est cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippè aëreum est terræ proximum. Unde & aves cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ Regionem repentè duceretur: ubi in magna jam carnis, & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat. Ille enim mortem distulit, non evasit. Notandum est quoque quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet apertè monstraretur; quia homo purus adjutoriô indigebat alienô.

Ibi in magna animi, corporisque quiete degit.

Per

Per Angelos quippè illa facta, & ostensa sunt adjumenta; quia nec in cœlum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat.

Augustinus.

142. Augustinus *in libro nono super Genesim ad litteram, capitulo sexto:* Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt Sancti, quando, peractô operis die, denarium pariter accepturi sunt: vel sic esse quemadmodum sunt homines qui ex istâ vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit. Iam enim aliquid melius habet, quàm in hac vita posset: quamvis nondùm habeat, quod ex hac vita rectè gesta, in fine habiturus est.

Augustinus.

Senectute non marcescens.

An cibis corporalibus vescatur.

Augustinus *libro primo de peccatorum meritis, cap. 3.* Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis (scilicet Eliæ, & Enoch) qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Elias, & Enoch per tam longam ætatem senectute marcuerunt: Nec tamen credo eos jam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit, nisi quia isti fortassè nec his cibis egent qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyrida panis sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita in Paradiso fortasse pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exire indè meruisset. Habebat enim, quantùm existimo, de lignorum fructibus refectionem contra defectionem; & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

ANNOTATIO.

Daniel a V. M.

Elias degit in Paradiso terrestri.

143. (a) Elias &c. Ascendit in cœlum, id est, in Paradisum voluptatis terrestrem, *scilicet in quo creatus fuit Adam. Ita tradunt S. Irenæus lib 5. contra hæreses cap. 5. S. Hieronym. Epist. 61. ad Pammachium, S. Thomas prima parte quæst. 102. Art. 2. ad 3. & alibi, atque alij communiter. Ibi unà cum Enoch felicissimam ducens vitam, mortis debitum specialissimô Dei miraculô usquè modò non exsoluit. Ita tradit veneranda Patrum, & Doctorum Authoritas. An ibi beatificâ Dei visione fruatur, & num adhuc sit in statu promerendi: Quod rectè, & piè ab Ecclesia invocetur: Qualiter cognoscat preces sibi oblatas: Quódque ab antiquissimis temporibus in Ecclesia, Græca, & Latina templa, & altaria ei fuerint dicata, & festum ejus solemnizatum, atque in eo Officium Ecclesiasticum de ipso recitari solitum, latè declaratur in vita S. Eliæ, & accuratè, ac luculenter pertractat Lezana in Annalibus Ordinis hujus tomo 1. & in consultis variis Consulto 3. Videri quoque poterunt dicta, circa ista, in vinea Carmeli parte 2. cap. 10. atque ibidem in Coronide sub finem.*

CAP. II.

Quòd Elias sit tempore Anti-christi Iudæos ad fidem Christi conversurus, & ab Anti-christo martyrium susceptururus, ac post tres dies resurgens gloriosè in cœlum ascensurus.

Phil. Rib.

(a) Elias ante diem judicij redibit in mundum.

144. Actor: (a) Antè autem diem judicij mittet de Paradiso terrestri Deus Eliam in hunc mundum, ad consolationem suorum electorum, præcipuè verò ad conversionem Iudæorum, tunc per Antichristum decipiendorum. Sic enim promisit Deus per Prophetam suum Malachiam in persona Domini dicentem. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet cor Patrum ad Filios, & cor Filiorum ad Patres eorum.* Malach. c. 4.

August.

Convertet Iudæos ad Christum.

145. Augustinus *libro vigesimo de Civitate Dei capitulo vigesimo nono:* Per hunc Eliam magnum, mirabilemque Prophetam expositâ sibi lege, ultimô tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium. Ipse quippe antè adventum judicis Salvatoris non immeritò speratur esse venturus, qui etiam nunc vivere non immeritò creditur: Curru namque igneô raptus est de rebus humanis, quod evidentissimè sacra scriptura testatur. Cum venerit ergò, exponendo legem spiritualiter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt, *convertet cor Patrum ad Filios*, ut, scilicet etiam Filij, id est Iudæi, sic intelligant legem, quemadmodum eam Patres, id est Prophetæ, intellexerunt. Sic enim *cor Patrum convertetur ad Filios*, cum intelligentia Patrum perducetur ad intelligentiam filiorum; & cor filiorum ad Patres eorum, dum in id quod senserunt illi, consentient & isti. Malach. 4.

Phil. Rib.

Eccli. 48.

Cum eo veniet Enoch.

Confirmabunt fideles in fide Christi.

146. Actor: Teste namque sapiente Elias *inscriptus est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Cum Elia autem veniet tunc Enoch, & ut ex undecimo capitulo libri Apocalypsis, & ex glossis ejus colligitur: Ambo testificabuntur Christum Iesum fuisse illum verum Messiam, quem Deus promiserat in scripturis sacris pro salute humani generis venturum. *Et prophetabunt* Elias & Enoch *diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eis nocere, sic oportet eos occidi: hi habebunt potestatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ eorum. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum. & devorabit inimicos eorum. Et potestatem habebunt super aquas, convertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum de Christo: bestia, scilicet Antichristus, qui ascendet de abysso malitiæ, faciet adversus eos bellum, & vincet eos & occidet:*

Et

Occidentur ab Antichristo.

Et corpora eorum jacebunt per tres dies & dimidium in plateis civitatis magnæ, scilicet Ierusalem, ubi & Dominus eorum Crucifixus est. Et videbunt omnes de tribubus & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum quæ non sinentur poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt de morte eorum, & jucundabuntur, & munera mittent ad invicem, quoniam hi duo Prophetæ, dum viverent, cruciaverunt eos qui habitant super terram. Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ intrabit in eos: Et stabunt hi Prophetæ super pedes suos resuscitati, & timor magnus cadet super illos qui videbunt eos. Et audient hi Prophetæ vocem magnam de cælo eis dicentem: Ascendite huc. Et ascendent dicti Prophetæ in cælum in nube ad perfruendum gloriâ cælesti.

Tertia die resurgent & gloriosi in cœlum ascendent.

ANNOTATIO.

DANIEL.

Inde ante diem judicij redibit in mundum.

147. (a) ANte diem judicii mittet de Paradiso terrestri Deus Eliam in hunc mundum, *videlicet, ut contra Antichristum pro Christi fide testimonium perhibeat, unà cum Enoch. Ista communis est sententia Patrum, & Interpretum in verba illa Malachiæ* 4. Ecce ego mittam vobis Eliam &c. *& Apocalypsis* 11. Hi sunt duæ Olivæ, *nec non illa Christi Domini apud Matthæum cap.* 17. Elias quidem venturus est, & restituet omnia. *Similia sunt apud Marcum cap.* 9. restituet omnia, *id est* convertet homines ad Christum, *ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Theodoretus, Guido noster, & alij conformiter ad ista verba Malachiæ*, ut convertat cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.

CAP. III.

Quòd Elias in Paradisum voluptatis ascendens regimen hujus Religionis commiserit Elisæo: qui à Filiis Prophetarum in Patrem receptus fuit.

IOANNES IEROSOL.

148. IOANNES XLIV. EPIS. JEROS. *ubi supra.* Priusquam Elias autem de hoc mundo transferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, suâ imminente translatione, Monachos discipulos suos Filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis providere; qui eos omnes generaliter loco ejus regeret, & gubernaret. Propter quod descendentes ipse, & Elisæus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & deinde in Iericho. Nam, sicut prædiximus, in his locis habitabant viri Religiosi Filij Prophetarum, Eliæ discipuli, quos ipse visitans commonuit, ut in proposito disciplinæ Propheticæ & vitæ monasticæ perseverarent, & ut de imminenti ejus corporali absentia tristes non fierent. Quibus visitatis, valefaciens, perrexit cum Elisæo ad Iordanem. Sequebantur autem eos quinquaginta viri de Filiis Prophetarum, qui steterunt è contra longè, quandò Elias, & Elisæus Iordanem transibant pede siccô. Quô pertransitô, dixit Elias ad Elisæum: *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Habebat autem Elias duplicem Domini spiritum, videlicet spiritum occulta, præsertim futura, prophetandi, & spiritum miracula faciendi. Quorum spiritum non unum solum, sed duplicem prædictum postulans Elisæus, dixit: *Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Prædixerat autem Deus Eliæ, dum manebat in monte Oreb in ostio speluncæ: *Elisæum filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges Prophetam pro te.* Per quæ Domini verba intellexerat Elias, non quidem quod Elisæus esset ei successurus in spiritu signorum; sed solùm quod, post translationem ejus ex hoc mundo, esset ei Elisæus successurus in altero spiritu, scilicet Prophetico. Propter quod Elisæo, petenti suum duplicem spiritum, respondit: *Rem difficilem postulasti*: Perpendens tamen à Deo, quod si Elisæus esset dignus videre modum illum arcanum, & mirabilem, quô Deus sublevaret eum in cœlum, impetraret quod ab eo postulaverat; confestim adjecit: *Veruntamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti*: Et quia Elisæus vidit eum tolli à se, ideò quod ab eo postulaverat obtinuit, succedens Eliæ tam in spiritu signorum, quam in spiritu Prophetiæ; quemadmodum sapiens testatur, dicens: *Elias in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus.*

Eliâs ante suum raptum visitavit discipulos, eis præficit Elisæum.

Qui ab eo duplicem spiritum postulat.

3. Reg. 19.

Et obtinet.

149. Videns itaque Elias discipulum suum Elisæum suo spiritu plenum, novit à Deo eum factum perfectè idoneum ad regendum suos discipulos Filios Prophetarum: propter quod totius Religionis per eum institutæ commisit tunc sibi regimen, & magisterium: Et in hujus signum tradidit tunc Elisæo suum insignem * Religionis habitum, relinquens ei pallium suum, dum ferebatur in cœlum. Quô Elisæus se operiens abjecit à se vestimenta sua, in duas partes scindens ea, ut Filij Prophetarum videntes eum habitu Eliæ indutum, agnoscerent eum spiritu Eliæ repletum, & sic reciperent eum promptiùs pro Elia in Patrem eorum & Magistrum. Et rediens indè percussit bis palliô Eliæ Iordanem, videntibus viris Religiosis Filiis Prophetarum, qui è contra erant ejus regressum exspectantes: Et cum primâ vice non fuissent divisæ aquæ, in secunda tamen vice, divisis hinc indè aquis Iordanis, transiit Elisæus per siccum alveum fluminis.

* *Forsitan insigne.*

Ideò recipitur loco Eliæ in Patrem & Magistrum.

150. GREGORIUS *libro primo dialogorum capitulô secundô*: Elisæus quoque Magistri pallium ferens, atque ad Iordanem veniens, percussit semel, & aquas minimè divisit. Sed cum repentè diceret: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? percussit fluvium Magistri palliô, ac iter inter aquas fecit. Perpendis Petre, quantum in exhibendis virtutibus humilitas valet? Tunc exhibere Magistri virtutem potuit, quandò Magistri nomen ad memoriam reduxit. Quia enim ad humilitatem sub Magistro rediit, quod Magister fecerat, & ipse fecit.

S. GREGORIUS.

151. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Cernentes ergo Filij Prophetarum, Iordanem miraculosè cessisse Elisæo, agnoverunt eum succedere Eliæ in duplici spiritu prædicto. Propter quod ad invicem dixerunt: *Requievit spiritus Eliæ super Elisæum. Et venientes in occursum ejus* (a) *adoraverunt eum proni in terra*, recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum Patrem & Magistrum, quem vide-

IOAN. IEROSOL.

4. Reg. 2. (a)

(b) videbant habitu Eliæ, & spiritu dotarum. (b) Præbuerunt autem ex hoc actu formam suis successoribus, ut quandò ab eis erit ablatus Pater eorum præcipuus; illum locô ejus in Patrem humiliter super se suscipiant, qui, exemplô Elisæi, erit ad eos per signa, & prodigia à Deo missus: Signis verò non apparentibus, omni sollicitudine unanimiter studeant illum ex eis in Patrem super se ponere, qui præcedat cæteros in spiritu, & virtute Eliæ, sicut Elisæus hos viros præcedebat, qui eum receperunt in Patrem super se.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

152. (a) ADoraverunt eum proni in terram, *adoratione dulia velut Superiorem & Patrem loco Eliæ. Quem suum ipsi Superiorem, & spiritualem Patrem agnoscerent in ejus pallio, qui prius eodem Officio fungebatur.*

Forma eligendi Superiorem in Ordine Carmelit. unde.

(b) Præbuerunt autem ex hoc actu formam suis successoribus &c. In Patrem humiliter super se suscipiant. *Ex illis, & sequentibus verbis, formavit Dominus Patriarcha Albertus Articulum primum Regulæ, ex hoc libro excerpta.* Illud, *inquit*, in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium assensu, vel majoris & sanioris partis ad hoc officium eligatur. *Et infra*: Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum humiliter honorate.

CAP. IV.

Quòd Elisæus susceptô hujus Religionis regimine, cuneos Filiorum Prophetarum sigillatim visitaverit, & coram eis miracula multa fecerit.

IDEM IOAN. IER.

Elisæus filios Prophetarũ visitat.

153. SUsceptô itaque Elisæus regimine Propheticæ Religionis per Eliam institutæ, sollicitus fuit cuneos Monachorum Filiorum Prophetarum sigillatim visitare: quos cupiens consolari de absentia Eliæ, operabatur coram eis signa, & virtutes: tum ne in vacuum videretur gratiam Dei recepisse; tum ut per hoc eis ostenderet se gerere vices Eliæ; tum etiam ut sic eos solidaret in perseverantia vitæ monasticæ. Nam cum esset apud Monachos Filios Prophetarum habitantes in Iericho, eis cernentibus dulcoravit Elisæus, ad petitionem virorum Iericho, amaras aquas civitatis, mittendo sal in aquam fontis. Cum autem indè ascenderet ad visitandos Filios Prophetarum habitantes in Bethel; viri civitatis illius, qui erant idololatræ, habebant ipsum propterea exosum; quia erat cultor veri Dei: in cujus contemptum provocaverunt tunc pueros eorum parvos, ut deriderent Elisæum. *Et egressi pueri de civitate, illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve.* (a) *Elisæus autem* per hoc intelligens Deum verum, cujus cultor erat, flocci pendi à viris civitatis, *cum respexisset pueros, maledixit eis in nomine Domini*: ut sic magnificaret in civitate nomen veri Dei, quem contemnebant illi. *Et mox egressi de saltu duo ursi, laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*: quod scientes viri civitatis, timuerunt valde nomen Dei Elisæi. Filij verò Prophetarum illic com-

Aquas amaras dulces reddit.

4. Reg. 2.

Irridetur à pueris Idololatris.

(a)

Qui ab ursis lacerantur.

morantes, visô hôc signô, cum gaudio & honore receperunt Elisæum in Patrem eorum, & Magistrum.

154. *Abijt* autem *indè* Elisæus *in montem Carmeli*, visitans & consolans Filios Prophetarum, habitantes ibi: apud quos tunc non diu mansit: quia desiderabat priùs cæteros Filios Prophetarum visitare, & tandem in montem Carmeli redire. Pergens ergò inde Samariam, visitavit Filios Prophetarum illic habitantes: ubi (b) relictam Prophetæ Abdiæ oppressam alienô ære, propter alimoniam quam fecerat Abdias centum Eliæ discipulis, quos absconsos servaverat in speluncis; Elisæus à debito relevavit; & victum sibi, & suis filiis ministravit, multiplicans miraculosè in magnam quantitatem parum olei, in domo mulieris inventi: quod ipsa vendens, & creditori satisfecit, & de reliquo pretij victum sibi, & suis filiis procuravit. Rediens ergo indè Elisæus in montem Carmeli, transiit per civitatem Sunam; ubi erat mulier quædam magna, ad quam Elisæus divertebat quoties per Sunam transibat, quem mulier prædicta in suo hospitio honestè recipiebat, in quo cœnaculum sibi fecerat, & ei decenter de suis facultatibus ministrabat.

4. Reg. 2.

(b)

Elisæus miraculosè oleum multiplicat.

155. HIERONYMUS *in Commentario super Matthæum*: Consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquæ, ut mulieres de substantia sua victum, & vestitum præceptoribus suis ministrarent.

HIERONYMUS.

156. IOANNES XLIV. EPISC. HIER. *ubi supra*: Quæ cum filio careret, eò quod haberet virum ineptum ad generandum, propter senium; promisit sibi Elisæus, in remunerationem dictæ hospitalitatis, quod filium de viro suo conciperet, & haberet. Et cum ita ei evenisset, contigit processu temporis quòd postquam puer creverat, mortuus fuit. Indicavit ergo mulier viro suo, se velle ad Elisæum ascendere in Carmelo. Cui vir nesciens filium esse mortuum, dixit: *Quamobcausam vadis ad eum? hodiè non sunt Kalendæ nec Sabbathum.* Quasi dicere vellet: si hodie esset festum, causam haberes ascendendi ad eum. (c) Consueverant siquidem devotæ personæ, benedictionem secum victualium afferentes, visitare diebus festis Elisæum, & cæteros Monachos montis Carmeli: præcipuè autem devotione audiendi ab Elisæo, & ab aliis Prophetis, verbum Dei.

IOAN. IEROSOL.

Sterilis filium impetrat.

4. Reg. 4.

(c)

Diebus festis personæ devotæ Carmelum visitabant.

157. HIERONYMUS *contra Vigilantium*: Hæc usquè hodie in Iudæa perseverat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos; ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & Patrem non habent in terra, nisi solum Deum, totius orbis foveantur ministeriis.

HIERONYMUS.

IOANNES XLIV. EPISC. IEROSOL. *ubi suprà*: Cum ergo venisset mulier illa ad Elisæum in monte Carmeli, corruens apprehendit pedes ejus, & dixit ei: *Nunquid petivi filium à te? Nunquid non dixi, ne illudas me?* Illusam se reputabat, eò quòd filium, quem sine ejus petitione sibi Elisæus à Deo impetraverat, ita citò perdidisset. Cernens autem eam Elisæus in amaritudine magna positam, surgens secutus est eam in domum suam, & ingressus in cubiculum, u-

IOAN. IEROSOL.

Elisæus puerum mortuum suscitat.

F bi

bi puer mortuus jacebat, fusâ ad Deum oratione, suscitavit Elisæus à mortuis puerum. Quem cum matri assignasset vivum, illa corruens ad pedes Elisæi adoravit super terram, gratias, reddens Deo, & Elisæo. Per hæc itaque prædicta signa & plura alia, manifestavit Elisæus Religiosis viris Filiis Prophetarum Eliæ discipulis, duplicem Eliæ spiritum esse in eo completum. Et propterea prædicti omnes Monachi receperunt eum pro Elia in Patrem eorum præcipuum & Magistrum.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Elisæus cur maledixerit pueris.

S. August. Serm. 204. de tempore.

158. (a) Elisæus intelligens Deum verum flocci-pendi &c. *Id eleganter (ut solet) sic declarat S. Augustinus*: Tempore Beati Elisæi tam ille, quam reliqui Prophetæ irrisui, & opprobrio habebantur: ita ut ab indisciplinatis pueris, culpâ, & iniquitate Parentum, tamquam insani, & arepticij blasphemarentur. Quare beatus Elisæus, non iracundiæ morbô commotus, sed zelô Dei succensus; ad corrigendum populum Judæorum, parvulos permisit lacerari: non ut vindicaret, sed potius, ut illos corrigeret: & mors filiorum fieret disciplina parentum.

Abdias qualiter Eliæ discipulus.

159. (b) Relictam Prophetæ Abdiæ oppressam alienô ære &c. relevavit. *Historia refertur libro 4. cap. 4. sub initium*: Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum &c. *Ejus conjugem fuisse Abdiam Prophetam tradunt Iosephus lib. 9. cap. 2. Theodoretus, Lyranus, Abulensis, atque alij in illum locum libri 4. Regum. At si Abdias ille (de quo plura libro 2. cap. 7. dicta sunt) fuerit Eliæ discipulus, & unus de Filiis Prophetarum, quomodò uxorem habuit; cum isti castitatem colerent? Nodus ille haud magnam habet difficultatem; nam ejus habetur solutio ex illis capitis 7. libri 2. verbis*: factus fuit (Abdias) discipulus Eliæ, dimissis propriis filiis in domo sua cum uxore. *Igitur Abdias uxorem, vel consentientem dimisit, vel, datô libellô repudij (quod eo tempore non illicitum erat) dereliquit, ut adhæreret Eliæ, & deinceps in castitate, ac reliquis Monasticis exercitiis Filiorum Prophetarum, Dei obsequio se manciparet, atque ita veri nominis Religiosus, quales in ea lege esse poterant, erat. Nec tamen quidpiam inconveniens fuerit, etiamsi ipse Eliæ discipulus, & ex Filiis Prophetarum unus, remansisset cum uxore, etenim quamvis Virgines multi Filiorum Prophetarum, ut scribit S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium, non tamen omnes: sed aliqui erant Matrimonij vinculo adstricti, cum eo divino cultui peculiariter addicti, & exercitiis Filiorum Prophetarum, quantùm ratio status sinebat, subjecti. Isti quodammodò esse poterant ejusdem Ordinis* Prophetici, & quasi Religiosi: *velut Tertiarij Ordinum Mendicantium quadamtenùs censentur istorum Ordinum, quorum sunt Tertiarij, etiamsi tria vota non emittant.*

Discipulorum Eliæ plures cœlibes, aliqui matrimonio juncti.

160. (c) Consueverunt devotæ personæ visitare diebus festis Elisæum & cæteros Monachos montis Carmeli. *Quod temporibus Eliæ, Elisæi, & subsequentium populus festis diebus ad Oratorium in Carmelo convenire soleret, causâ tum Orationis, tum instructionis recipiendæ, tradunt Interpretes Lyranus, Cajetanus, Abulensis, Serarius, Gaspar Sanchez, & alij in caput 4. libri 4. Regum versu 23. & quidem Sanchez id his verbis exprimit*: hinc constat, usitatum esse inter Hebræos, ut diebus sacris, atque solemnibus orationis, ac Religionis gratiâ, loca quædam adirent Religioni, & pietati destinata, qualia erant Oratoria, aut templa, aut Sanctorum cœnobia, qualia videntur fuisse illa, quæ instituerunt Elias & Elisæus; quorum præcipuum videtur fuisse in monte Carmelo, ubi magnus habitabat Prophetarum numerus, qui divinis laudibus assiduè vacabant.

Personæ devotæ festis diebus Carmelum adibant.

CAP. V.

Quòd Ionadab, cum Rechabitis ab eo descendentibus, fuerit Elisæum in monastica vita Eremitica imitatus.

IOAN. IEROSOL.

161. (a) Elisæus etiam per signa, & virtutes, quæ operabatur inter plebes, trahebat ad suam Propheticam Religionem multos devotos homines. Indè est, quòd vir Dei Jonadab, filius Rechab, sciens Elisæum à mortuis resuscitasse Sunamitidis filium, tractus fuit per hoc ad sequendum in Prophetica disciplina vitæ monasticæ Prophetam illum. (b) Cinæi verò, progenitores Rechab hominis Dei, qui ab inclyto Iabes legis doctore fuerant profundè in lege Dei eruditi, suos posteros legem Dei canere, & laudes ejus resonare docuerunt. Jonadab autem in his omnibus plenè instructus, ad majorem perfectionis cumulum, fuit, ut præmittitur, Elisæum Prophetam in monastica vita Eremitica imitatus. Et quamvis in virginali castitate Elisæum sequutus non fuerit, volens propter fragilitatem carnis tam se quam suos uti conjugiô, & prolem ad cultum Dei licitè procreare; tamen exemplô Elisæi, relictis omnibus, extra urbes, cum Cinæis ab eo descendentibus, in Tabernaculis habitavit: de quibus in libro Paralipomenon legimus: *Hi sunt Cinæi qui venerunt de calore*, hoc est, de fervore vitæ Religiosæ, *domus Rechab, canentes, atque resonantes, & in Tabernaculis commorantes.* Cinæi itaque ab hoc Rechab descendentes, & cum Jonadab filio ejus Religionem Elisæi Eremiticam sequentes, dicti fuerunt Rechabitæ: quorum Pater, scilicet *Ionadab*, per Elisæum Prophetam in disciplina Prophetica monasticæ vitæ Eremiticæ benè edoctus, injunxit ipsis Rechabitis; & cunctis ejusdem propositi per affinitatem eis conjunctis, cætera præter continentiam in institutione Elisæi consulta: *ut* videlicet *Patri* eorum semper *obedirent, & vinum in sempiternum non biberent, & domos non ædificarent, & sementem non sererent, & agros non possiderent, & vineas non plantarent nec haberent, sed*, in solitudine extra urbes, *cunctis diebus in Tabernaculis habitarent*: prout hæc, & alia, de ipsis plenius testatur Ieremias Propheta.

(a) *Ionadab filius Rechab discipulus Elisæi.*

(b)

1. Paralip. 2.

Ipse, & Rechabitæ vitam Eremiticam ducunt.

Hier. 35.

162. CASSIANUS *in libro Collationum Patrum capitulô quartô, collatione vigesimâ primâ*: (c) Elisæum, ac reliquos ejusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mandata, de quibus Apostolus ita dicit: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ.* Quid de filiis Ionadab filij Rechab dicam? quos Ieremiæ Prophetæ, offerenti ex præcepto Domini vinum, ita legimus respondisse: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri usque in sempiternum: Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non* planta-

CASSIANUS.

(c)

Ad Hebr. 11.

Rechabitarum arcta vita, & inde præmium.

Hieremiæ 35.

plantabitis, nec habebitis, sed in Tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris. Unde etiam ab eodem Propheta merentur audire: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Qui omnes offerre possessionum suarum decimas non contenti, sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potiùs Deo, ac suas animas obtulerunt, pro quibus nulla ab homine fieri commutatio potest: sicut Dominus in Euangelio testatur: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua.*

HIERONYMUS. 163. HIERONYMUS *in Epistola ad Paulinum Monachum de institutione Monachi.* Si cupis esse quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Habet unumquodque propositum Principes suos. Et ut ad nostra veniamus. Episcopi, & Præsbyteri habent ad exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem (id est Monachi) habeamus propositi nostri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios. Et ut ad scripturarum redeam auctoritatem, noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi Tabernacula propè fluenta Iordanis. De his sunt & illi filij Rechab, qui vinum, & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei voce per Ieremiam laudantur, & promittitur eis, quod non deficiet de stirpe eorum vir stans coram Domino.

Monachorum Principes recensentur.

ANNOTATIONES.

DANIEL. 164. (a) Elisæus etiam per signa &c. trahebat ad suam Propheticam Religionem multos. *Atque in tantum Propheticus Ordo fuit multiplicatus, ut Carmelus, & loca vicina casulis, seu mansionibus, & tota ferè Syria Collegiis Filiorum Prophetarum replerentur. Nam ut Ægidius Camartus Generalis Minimorum in erudito opere de Elia scribit:* Montes, deserta, vicos omnes obtinuerunt à mari, cui adhæret Carmelus, ad flumen usque Æthiopiæ ad quod usque mons Galaad protenditur. *Unde Eliano instituto illud Psalmi 79. applicat:* plantasti radices ejus, & implevit terram: operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei: extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.

Multitudo discipulorum Elisæi.

165. (b) Cinæi &c. *Religionem Elisæi Eremiticam sequentes, dicti fuerunt* Rechabitæ, Cinæi, & Rechabitæ; *qui, & quales fuerint, variis in locis diffusè, & declaratur, tomo 1. Annalium hujus Ordinis peculiariter de Rechabitis agitur ad annum mundi 3159. ante Christi ortum 894. ubi hæc inter alia:* Rechabitas Ionadabi posteros, Eliæ, & Elisæi discipulos fuisse, inter Prophetarum filios numerandos, & ejusdem Prophetici Instituti alumnos censendos, prout Boulducus confirmat, efficaciter comprobatur ex simili omninò vivendi ratione, quam hi omnes habebant. *Quod ibi sigillatim ostenditur ex illorum obedientia, paupertate, abstinentia, solitudinis incolatu, & votis. Quantum ad eorum castitatem, ibidem declaratur, quod licet inter eos aliqui fuerint, qui Virginalem Cœlibatum coluerint, tamen plures numerò fuisse Conjugij legibus adstrictos (& hi solum indirectè Ordinis Prophetici Affecla censebantur, ad eum modum, quo in lege Euangelica Tertiarij Ordinum Mendicantium ad eos referuntur, sit supra annotavimus: è contra inter Filios Prophetarum paucos conjugio, plures castimonia studuisse, de quibus sanctus Hieronymus, loco jam antè indicato:* Virgines multi Filij

Cinæi & Rechabitæ an & quâ ratione Religiosi.

Prophetarum. *Et illi veri Religiosi erant veteris legis, juxta modum, quô Religio fuit ante rerum omnium Complementum, quod est Christus. Ita Lezana dicto loco Annalium.*

166. (c) Elisæum, ac reliquos ejusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mandata: *Nimirum in observantia paupertatis voluntaria, castitatis perpetua, & obedientia integrâ, aliarumque Monasticarum observantiarum. Id eruditus Pater Petrus Wastelius librô primô Vindiciarum discurrens circa illa S. Hieronymi ad Eustochium Virginem verba:* Messor immissus est Virgo Elias, Elisæus Virgo, *sic eleganter declarat:* Equidem detegit se nova proles, neque ex lege orta, neque legem habens solam legem, sed legem ipsam perfectione longè superans, neque ipsum institutum in uno, vel altero virorum, vel in uno loco, sed in Collegiis, illisque positis in diversis locis, præcipuè autem montibus, ut vel ipsi suâ celsitudine mentis, emінentiam quoque testarentur vitæ.

Elisæus & discipuli ejus, in quo Mosaica superaverint mandata.

Wastel. L. 1 Vindic. sect. 5. art. 3. §. 4.

CAP. VI.

Quòd Elisæus Filios Prophetarum ad observantiam vitæ monasticæ induxerit, & eis in necessariis vitæ etiam miraculosè interdùm ministraverit.

167. IOANNES XLIV. EPISC. IEROS. *ubi suprà.* Denique Elisæus summâ cum diligentiâ creditos sibi Monachos Filios Prophetarum regebat, quos suô exemplô & magisteriô inducebat, propter regnum Dei meliùs consequendum, ad perfectionem inquirendam, secundùm formam disciplinæ vitæ monasticæ per Deum traditam Eliæ. Quibus etiam, de crastino non sollicitis, providebat in vitæ necessariis, non solùm per humanam industriam, imò interdum miraculosè supra naturalem potentiam. Legimus namque in libro Regnorum, quod cum esset fames in terra, & dicti Filij Prophetarum habitarent coram Elisæo, compatiens ipse fami eorum, dixit quâdam vice uni de famulis suis: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum Filiis Prophetarum. Egressus ille ut colligeret herbas agrestes, inveniens quasi vitem silvestrem, collegit ex ea colocynthidas, implens pallium suum, & nesciens quid esset, concidit in ollam pulmenti. Infuderunt ergo sociis, ut comederent. Cumque gustassent* Filij Prophetarum *de coctione hac, clamaverunt* ad Elisæum, *dicentes: Mors in olla vir Dei:* Mortiferum enim erat præ amaritudine colocynthidarum illud pulmentum. (a) (a)
Non fuit autem Elisæus iratus coquo. (b) Lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat, sed dixit eis: *Afferte farinam. Et cum attulissent* sibi, *misit in ollam:* & statim dulcorata fuit esca, fugatâ omni amaritudine ab ea. Iussit ergo Elisæus iterum infundi Filiis Prophetarum, qui tunc de ea dulcifacta lautè comederunt. (b)

IOAN. IEROSOL.

Elisæus suos exemplô & verbô instruit.

De vita necessariis providet.

4. Reg. 4.

168. Alterâ quoque vice, (c) cum *vir quidam* ex devotione attulisset *de Baalsalisa,* Elisæo *panes primitivos,* videlicet *viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera sua;* dixit Elisæus ministro suo, ut daret Filiis Prophetarum ad comedendum. Qui respondit. (d) *Quantum est* (c) 4. Reg. 4. (d)

Panes miraculosè multiplicat. *est hoc, ut apponam coram centum viris?* quasi diceret, parum, aut nihil erit inter tantos. Cui dixit Elisæus: *Da eis: quoniam comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis: qui comederunt,* & eis satiatis, *superfuit juxta verbum Elisæi*; multiplicantis miraculosè prædictos panes, sine aliqua extrinsica additione. Decebat quippè, ut *hæc omnia adjicerentur* eis, *non solliciti* indebitè, *quid manducarent aut quid biberent, aut quò operirentur*: quoniam (e) *primum* & ante omnia, *quærebant Regnum Dei & justitiam ejus; projicientes omnem sollicitudinem* suam in Deum, *cui cura est* de hominibus. *Matth. 6.* (e) *1. Petri 5.*

ANNOTATIONES.

DANIEL. 169 (a) Non fuit Elisæus iratus coquo, *exemplum præbens superioribus, cæterisque Religiosis, ne coquo, œconomo, aut ministris facilè succenseant, si in cibis parandis, aut ministrandis aliquid desit.*

(b) Lautioris mensæ consuetudinem non habebant. *Hinc Patres abstinentiam (quæ Religiosis esse debet commendatissima) Filiorum Prophetarum in exemplum proponunt*: Elisæus (*inquit* S. Hieronymus) Filios Prophetarum invitat ad prandium, herbis agrestibus eos alens. *Et S. Ephrem vides (ait)* charissime quibus alebantur Prophetæ, modicâ nimirum aquâ & bucellâ panis. *Et Georgius Stengelius agens de paupertate Eliæ, Elisæi, & Filiorum Prophetarum scribit*: Eliam suâ sponte pauperem fuisse; invenisset enim utique multos, qui ei etiam lautitias præparassent, si ipse voluisset. Sed contemptor aularum, maluit esse silvarum habitator; undè & Deus ostendit, quale esset inter Eremitas, & Palatinos discrimen: illos corvi pascunt; hi corvos. Eliam in hac paupertatis laude imitatus est Elisæus.... O quanta hæc paupertas! Tot Prophetæ ab alio debent sustentari? & sustentari non turdis, & ficedulis, sed pane & aquâ. *S. Hier. Epist. 22. ad Eustoch.* *S. Ephr. Paræn. 41.* *Streng. Tom 3. Divinorum judiciorum c. 14.*

170. (c) Cum vir quidam ex devotione attulisset Elisæo panes primitivos *videlicet in Eleemosynam. Inde habetur Elisæum, & Filios Prophetarum Eleemosynis fidelium sustentatos.*

(d) Quantum est hoc, ut apponam coram centum viris: *Erant igitur Filij Prophetarum multi numerò; cum in una congregatione, seu Collegio centum simul cohabitarent.*

171. (e) Primùm, & ante omnia quærebant regnum, Dei & Iustitiam ejus, projicientes omnes sollicitudines suas in Deum. *Quod Deus Religiosis sibi servientibus fideliter provideat, & quandoque etiam mirabiliter, latè ostendimus in Vinea Carmeli; nam quemadmodum est liberalis promissor, atque est fidelis redditor pro mensura fidelis obsequij, & in spiritualibus, & in temporalibus remunerator: juxta promissum suum*: Vos qui reliquistis omnia, centuplum accipietis *Testatur Sancta Teresia se id sæpè expertam: ideò suas hortabatur:* Curemus ipsæ tantum nè ei desimus: & certæ estote, illum nobis minimè defuturum. *Vin. Carm. part. 4. cap. 8.* *Aub. Miræus lib. de Orig. Ord. Carm.*

CAP. VII.

Quòd Monachi montis Carmeli fuerint propter eorum Iustitiam à captivitatibus Iudæorum per Deum præservati, & per eum cibô doctrinæ monasticæ pasti.

IOAN. IEROSOL. 172. Quoniam ergo prædicti Monachi, dùm regebantur per Elisæum, & etiam post ejus decessum, quærebant ex totis eorum præcordiis Dei regnum; pro quo faciliùs consequendo, terrenas divitias, & carnales delicias respuebant, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitabant; ideò (a) præservavit eos Deus à captivitatibus, ad quas antè incarnationem CHRISTI JESU induxit populum Judæorum, propter peccata eorum. Quod tamen ad majorem Iudaici populi cessit confusionem, ut ipse in fortissimis civitatibus, & munitis salvari non posset; cum Monachi Carmelitæ in aperta montis Carmeli eremo, & non munitâ, ab insultibus Assyriorum, & exercitus Chaldaici, per Deum tunc protegerentur. Sed causa hujus diversitatis fuit, ex parte quidem illius populi; legis divinæ prævaricatio: è contra verò ex parte dictorum Monachorum; ejusdem legis observatio. Quod totum benè significavit Propheta Dei Isaias, dum in persona Domini captivitatem, & terræ dissipationem, populo Judæorum venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens: *Plangite super Regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spina & vepres ascendent*, quantò magis super omnes domos gaudij civitatis? Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est. (a) *Carmeli Eremita à Chaldæorum exercitibus immunes.* *Isaiæ 32.*

173. Et paulò post de Monachis Carmelitis illius temporis contrariam sententiam subdens Propheta, in persona Domini, ait: *Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine judicium, & Iustitia in Charmel sedebit. Et opus Iustitiæ erit pax, & cultus Iustitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Licet namque temporibus Iudaicarum captivitatum esset desertum in Carmelo, ita quod Carmelus non in munitionem, vel ædificium, sed in saltum verè reputabatur; populus tamen Monachorum illic habitantium faciebat in solitudine illa judicium Dei, & servabat in Carmelo Iustitiam cœlestis regni: sicut Propheta prædixerat: *Habitabit*, inquit, *in solitudine judicium, & Iustitia in Carmelo sedebit.* Cujus *Iustitiæ opus* erat *pax*, quâ ab invicem perimebant bellum: Et *cultus* prædictæ *Iustitiæ* erat *Silentium*, quô in ore vitabant multiloquium. *Cultus* quoque dictæ *Iustitiæ* erat *Securitas*, quâ à corde fugabant inimicorum metum. Quippè Monachi illi ita erant ad invicem per pacem dispositi, quòd inter eos nullum erat bellum. Et sic erant in ore per silentium muniti, quod inter eos nullum erat, multiloquium. Et ita erant in corde quieti, & securi, quòd cor eorum non repræhendebat eos ante Deum. Ideò confidentes in Deo, eos protegente, cujus beneplacita faciebant semper, nullum habebant de inimicis metum. Teste enim Sapiente: *Cum placuerunt Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertit ad pacem.* Quia ergò ipsi studebant Deo per justitiam placere; ideò protexit eos Deus à timore, & insultibus inimicorum, & à captivitatibus Iudæorum, sicut promiserat, dicens: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*; scilicet virtutibus, & pascuis doctrinæ veræ Religionis uberibus. *Ibidem.* *Tempore captivitatis Babyl. in pace Deo serviunt.* *Silentium colentes.* *Proverb. 16* *Isaiæ 32.*

174. Quemadmodum Michæas Propheta, conclu-

concludendo terram Judæorum fore propter peccata eorum desolandam, dicens: *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & fructum cogitationum eorum*: Subdit aliter de his Monachis inquiens: *Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu: In medio Carmeli pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos.* Vbi Propheta primò orat Deum, nè populus Monachorum montis Carmeli concludatur simili sententiâ desolationis cum Iudæis: sed pascatur ut prius doctrinâ Religionis per Deum sub virga, id est, regula suæ directionis: ideò ait, *Pasce Domine populum tuum in virga tua*, de qua Psalmista: *Virga directionis virga regni tui.* Nè autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, specificat hunc solum, dicens, *gregem hereditatis tuæ habitantes solos in saltu*: Scilicet Carmeli. Secundò, prævidens Michæas se esse exauditum, prophetat venturum quod oraverat, dicens: *In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad.* Intellexit autem per *Basan* & *Galaad* hos Monachos montis Carmeli: Tum primò, quia quamplures eorum erant tunc de Regionibus *Galaad* & *Basan* oriundi: Tum secundò, quia *Basan* interpretatur *pinguis*: & cœtus horum Religiosorum fiebat *in medio Carmeli* pinguis pascuis divinis, scilicet doctrinis veræ Religionis. *Galaad* quoque interpretatur *acervus testimonij*, & Deus cœtum horum Monachorum acervavit in medio Carmeli, in testimonium contra populum Iudæorum; ut intelligeret populus, quod propter prævaricationem legis divinæ fuerit captivatus, & terra eorum desolata; cum hi religiosi, quia servaverunt legem Dei, remanserint liberi in terra illa; *in medio Carmeli.* Deinde exponit Propheta qualiter *in medio Carmeli* pascerentur, dicens: *Iuxta dies antiquos*: In quibus, scilicet sub *virga directionis regni Dei*, pascebantur ab Elia in monte Carmeli, doctrinâ Propheticæ vitæ monasticæ, secundùm formam institutionis hujus Religionis per Deum creditam Eliæ.

Michex 7. — *Habitantes soli in medio Carmeli.* — *Psalm. 44.* — *Michex 7.* — *Basan, & Galaad quid significent.*

ANNOTATIO.

DANIEL. — *Filij Prophetarum à captivitatibus Iudæorum præservati.*

175. (a) PRæservavit eos Deus à captivitatibus. *Id sic paucis adstruit Aubertus Miræus.* Illi verò Prophetarum filij, Essenivè Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in Egyptum traducti) miris exemplis cœptam Institutionem usque ad Virginis partum produxerunt; neque enim Chaldæorum, aut aliorum hostium feritas (quæ vindictam, spoliaque sitiebat) in homines innoxios, & nihil mortale curantes desæviit, Deô sic agente, ut tanti Vatis eruditio ad eum, cujus typum prætulit, illæsa pertingeret. *Ita ille in librò de Origine hujus Ordinis sub initium. Latius illa declarantur tomo 1. Annalium Ordinis, & apud Wastelium libro 1. Vindiciarum sect. 5. art. 3. Quosdam tamen illorum, seu ex Carmelo, seu ex aliis locis cum reliquo populo traductos fuisse, seu spontè cum reliquo populo commigrasse ad exteras regiones traditur in iisdem annalibus ad annum Mundi 3436. & seq. & in Vinea Carmeli parte 3. cap. 7. ubi etiam ostenditur, quod Propheta Daniel, & socij ejus Ordinis Prophetici cultores extiterint: & quod verisimiliter, tùm quoque aliqui in Hispaniam transmigraverint.*

CAP. VIII.

Rechabitæ Monachi licèt essent tempore transmigrationis Iudæorum in Ierusalem inclusi, tamen non fuerunt in Babilonem ducti, sed propter meritum obedientiæ in Terra Sancta relicti.

S. HIERONYMUS. — (a)

176. S. HIERONYMUS *in Epistola ad Paulinum Monachum de Institutione Monachi.* (a) Reor hoc & septuagesimi Psalmi titulum significare filiorum Ionadab, & eorum qui primi in captivitatem ducti sunt. Iste est Ionadab filius Rechab. qui in Regnorum libro scribitur currum ascendisse cum Iehu. Et hujus filij sunt, qui in Tabernaculis semper habitantes, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitûs Ierosolymam intrare compulsi, hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, urbe quasi carcere sunt reclusi.

IOAN. IEROSOL. — (b)

177. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Monachi etiam (b) Rechabitæ, quamvis essent in Hierusalem inclusi, dum exercitus Chaldaicus Ierusalem, & cæteram terram Iuda devastavit; ipsi tamen non fuerunt cum reliquo populo Iudæorum in Babylonem translati; sed in Terra promissionis derelicti; sicut & Monachi Carmelitæ prædicti. Quoniam Nabuzardan Princeps exercitus Regis Nabuchodonosor, dum prædictam captivitatem Iudæorum in Babylonem transferret, hos Monachos Rechabitas cum Ieremia Propheta liberos abire concessit.

Rechabitæ sicut & Carmelitæ ab exercitibus Chaldæorum immunes.

AVGVSTIN. — *Ierem. 35.*

178. AVGVSTINVS *super Psalmum septuagesimum*: Ionadab homo fuit quidam: Commendatur nobis ex prophetia Ieremiæ, qui filiis suis præceperat, ut vinum non biberent, neque in domibus residerent, sed in Tabernaculis habitarent. Præceptum autem Patris filij tenuerunt, & servaverunt, & ex hoc benedici à Domino meruerunt. Dominus autem hoc non præceperat, sed Pater ipsorum; sic autem hoc acceperunt tanquam præceptum à Domino Deo suo: quia etsi Dominus non præceperat, ut non biberent vinum, & in Tabernaculis habitarent, præceperat tamen Dominus, ut filij Patri obedirent. In ea ergo re sola filius non debet obedire Patri suo, si aliquid Pater ipsius jusserit contra Dominum Deum suum. Neque enim debet irasci Pater, quandò sic ei præponitur Deus. Vbi enim hoc jubet Pater quod contra Dominum non sit, sic audiendus est quomodò Deus; quia obedire Patri jussit Deus. Benedixit ergò Deus filios Ionadab propter obedientiam, eosque objecit inobedienti populo suo, exprobrans, quia cum filij Ionadab obedientes essent Patri suo, illi non obedirent Deo suo. Cum autem ageret ista Ieremias, id agebat cum populo Israël, ut pararent se ad captivitatem ducendos in Babylo-

Istorum obedientia & abstinentia præmiatur.

bylonium: & non resisterent voluntati Dei, nec sperarent aliud nisi quia futuri essent captivi. Videtur ergo indè coloratus titulus hujus Psalmi, ut cum dixisset, filiorum Jonadab, subjiceret, & eorum qui primi captivi ducti sunt, non quia filij Ionadab captivi ducti sunt, sed quia illis, qui captivi ducendi erant, oppositi sunt filij Ionadab; quia Patri obedientes erant, ut intelligerent illi propterea se fieri captivos, quia Deo obedientes non fuerunt.

IOANNES IEROS.

179. IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra*: Quemadmodum Ieremias & populi captivitatem, & Rechabitarum liberationem, prophetaverat in persona Domini, dicens: *Firmaverunt filij Ionadab filij Rechab praeceptum Patris sui, quod praeceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. Idcircò hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam, & Ierusalem universam afflictionem, quam locutus sum adversùm illos: eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt. Vocavi illos, & non responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Pro eo quod obedistis praecepto Ionadab, Patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis; proptereà dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Intellexit autem Deus per virum de stirpe Ionadab, non quidem principaliter carnalem ipsius Ionadab generationem, sed potiùs Religionis nostræ Eremiticæ genus. Neque enim filij carnales ipsius Ionadab, aut ab eis geniti, sed solùm Monachi in hac Religione eremitica eis succedentes, steterunt in conspectu Dei cunctis diebus: quamvis carnalis stirps Rechabitarum perduraverit usque in ruinam civitatis Ierusalem, à Tito, & Vespasiano patratam. Nam dum Beatum Iacobum Alphæi (qui paulò antè ruinam prædictæ civitatis decessit) Iudæi in dicta urbe lapidibus obruerunt; sacerdos quidam ex Rechabitis, nitebatur eum à morte eruere. Quoniam Apostolus Iacobus nunquam bibit vinum, & alias abstinentias grandes, similes Rechabitarum observantiis, sequutus fuit.

Ierem. 35.

Rechabitæ qua ratione filij Ionadab.

ANNOTATIONES.

180. (a) REor hoc & septuagesimi Psalmi titulum &c. *In Bibliotheca Patrum editione secundâ, & sequenti, illa S. Hieronymi verba ponuntur in libro de Institutione primorum Monachorum cap. 27. tamquam ejusdem textus: sed errore exscriptoris, qui (ut alibi notavimus ex Wastelio) hinc indè omissis propriis Authoris, aliena assumpsit: quoad hunc locum, in omnibus exemplaribus MSS. atque etiam impresso Veneto expressè præmittitur:* Hieronymus in Epistola ad Paulinum.

DANIEL. *In Bibliotheca Patrũ vitio scriptoris mendum.*

(b) *De Rechabitis alia quædam sunt dicta cap. 5. hujus libri, & ibi in notis, plura videri poterunt in Annalibus Ordinis tomo 1.*



LIBER V.

LIBER QVINTVS

De identitate Ordinis huius Ordinis sub Lege veteri, et nova: ac qualiter eius alumni baptizati, et fidem Euangelicam amplexati fuerint, atque eandem prædicaverint.

PRÆFATIO.

Summarium Libri V.

181. Liber quintus agit de tempore in quo professores hujus Religionis primo baptisati fuerunt. Et de viris qui eos baptisaverunt: & qualiter eos ad fidem, & ad notitiam incarnati Verbi preduxerunt. Habet autem capitula octo. *Primum*: Quòd licèt ex professoribus hujus Religionis aliqui fuerint olim Iudæi, & alij postea Christiani, hoc tamen non deroget hujus Religionis identitati, & unitati. *Secundum*: Quòd Sanctus Ioannes Baptista fuerit eximius hujus Religionis cultor, & in monastica vita Eremitica perfectissimus Prophetæ Eliæ imitator. *Tertium*: Quòd Beatus Ioannes Baptista professores hujus Religionis primò baptisaverit, & eis Christum non solùm venturum Prophetaverit, sed præsentem demonstraverit, eosque baptismô Christi baptisandos prædixerit. *Quartum*: Quòd tempore imperij Tiberij professores hujus Religionis Iudæos diversarum nationum ad eam traxerint, & mansionem in Ierusalem habuerint. *Quintum*: Quòd durante lege veteri, professores hujus Religionis, annis singulis in Ierusalem tribus vicibus convenire consueverint, & in anno quo Christus ascendit in cœlum, ipsi omnes propè domos Apostolorum in monte Sion manebant. *Sextum*: Quòd professores hujus Religionis ad domum Apostolorum in die Pentecostes accesserint, & plerique ab Apostolis tunc baptisati fuerint. *Septimum*: Qualiter residui professores hujus Religionis ad veram fidem baptismi Christi pervenerint, & eos Apostoli baptisaverint. *Octavum*: Quòd Religiosi prædicti per Apostolos in doctrina Euangelij, & in allegoriis legis veteris eruditi, prædicaverint per Phœnicem, & Palestinam fidem Christi.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quòd licet ex professoribus hujus Religionis aliqui olim fuerint Iudæi, & alij posteà Christiani, hoc tamen non deroget hujus Religionis identitati.

Ioan. Ierosol.

182. IOANNES XLIV. EPISC. IEROS. *in libro de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.* (a) Intuentes quidam viri, Monachos montem Carmeli nunc habitantes esse Christianos; putaverunt, ut asseris dilecte Caprasi, eos non esse ejusdem Religionis cum illis Monachis, qui olim per Sanctum Prophetam Dei Eliam fuerunt in eodem monte instituti: pro eo, quia illi non fuerunt Christiani, sed Iudæi. Quam autem erroneè istorum virorum opinio à veritate deviet, ex sequentibus manifestum tibi fiet. Antiqui namque hujus montis Monachi, etsi non nomine, tamen rectâ fide fuerunt Christiani veri, sicut sunt Monachi moderni: quoniam illi fidem firmam in Christum habuerunt, à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & corpora, ac animas suas Deo obtulerunt: (b) de quibus Apostolus sic ait: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, & afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & in cavernis terræ: & hi omnes testimoniô fidei probati fuerunt.* Si ergò, teste Apostolo, illi *fuerunt probati testimoniô fidei*; quis non videat, quod ipsi non perfidi, qualis sunt moderni Iudæi, sed veri fuerunt orthodoxi? Quorum tempore si Dominus noster IESVS CHRISTVS, quem cupiebant videre, & audire, venisset in hunc mundum, sicut in nostris venit temporibus; non minùs facti fuissent, non solùm fide; sed & nomine Christiani, ejus doctrinam, & Sacramenta suscipiendo, quam sunt eorum successores. De illis enim Salvator noster loquens discipulis suis, ait: *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & justi, cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*

(a) Carmeli incola Eremita in veteri, & novâ lege ejusdem Religionis.

(b) Hebr. 11.

Matth. 13.

183. Sed quamvis Sacramenta gratiæ, quæ nos his diebus videmus in remissionem peccatorum à CHRISTO IESV instituta, illi non viderunt, & licet dogmata, & miracula, quæ ad salutem animarum, & confirmationem fidei diebus nostris audimus à Domino Iesu dicta, & fa-

& facta, illi non audierunt; hæc tamen omnia ipsi suis successoribus vaticinati fuerunt: Quemadmodum enim Beatus Petrus Apostolus ait: *Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.* Quamobrem non est existimandum successores illorum ad Religionem eorum ideò non pertinere, quia sunt Christiani; sed multò magis esset arbitrandum, ipsos successores nihil Religioni eorum attinere, si Christianitatis ritum ad animarum salutem consequendam non suscepissent; sicut eis illi Prophetæ vaticinati fuerant. Teste enim Beatô Petrô Apostolô, *de animarum salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratiâ Prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Quibus revelatum est quia non sibi-met-ipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt.*

Act. 3.

1. Petr. 1.

ANNOTATIONES.

DANIEL A V. M.

Identitas Eliana Carmelitanæ Religionis in vetri & nova lege declaratur.

184. (a) INtuentes quidam viri Monachos montis Carmeli &c: *Ea quæ hoc capite dicuntur de identitate Ordinis, seu Religionis Monachorum Carmelitarum, sub veteri & sub nova lege, variis rationibus, juribus & exemplis declarata sunt in Vinea Carmeli parte 8. cap 12. Nonne morali æstimatione eadem censentur Civitas, domus, navis, flumen, grex armentorum, cohors militum &c. etsi in illis successivè varia mutationes accidant? similiter Religiosus hic Ordo ab uno S. P. Eliâ originem ducens, & per continuatam, haud interruptam seriem successionis persistens, idem semper censetur moraliter, etiam inter multiplices temporum ac locorum, quas successivè subiit varietates.*

(b) De quibus Apostolus: Circuierunt &c. *Ista de SS. Elia, Elisæo, & eorum discipulis dicta passim tradunt Patres, & Doctores.*

CAP. II.

Quòd S. Ioannes Baptista fuerit eximius hujus Religionis cultor, & in monastica vita Eremitica perfectissimus Eliæ imitator.

IDEM IOAN. IEROS.

Filij Prophetarum Christum incarnandum præsciverunt

185. SVccessores ergo illorum Sanctorum Prophetarum, Monachi Filij Prophetarum; qui, sicut dictum est, in eremo montis Carmeli, & in solitudinibus propè fluenta Iordanis, ac in aliis desertis, & in urbibus Terræ promissionis habitabant; ab ipsis Prophetis incunctanter traditum, ut præmittitur, tenebant, Christum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & gloriosè resurrecturum: quem ex totis eorum præcordiis desiderabant, & sperabant venturum. Quos, sicut Deus per Eliam, & cæteros ejusdem propositi Prophetas, instruere de adventu Christi futuro dignatus fuit; ita etiam, ut de præsentia Christi in mundo per ejus præcursorem eos doceret; disposuit, quod prædictus præcursor sic ante Iesum Christum in spiritu, & virtute Eliæ præcederet, ut jam in sua pueritia monasticam eorum vitam Eremiticam, ab Elia Propheta institutam, assumeret: Quod nec Euangelista Lucas siluit, de ipso præcursore dicens: *Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu, & (a) erat in desertis:* Notanter autem ait Lucas, *in deserto:* quia Ioannes tam in desertis solitudinis Iordanis, sicut Filij Prophetarum, quam in desertis montium latuit; sicut Elias, & Elisæus.

Inter eos vitam Eremiticam exercuit S. Ioannes Baptista.

Lucæ 1. (a)

IACOBVS DE VITRIACO *libro primo historiarum Orientis & Occidentis, capitulo quinquagesimo tertio:* In solitudinibus autem Iordanis Beatus Ioannes Baptista, fugiens hominum turbas, ut liberiùs vacaret Deo, ab annis puerilibus delituit.

IACOBUS DE VITRIACO.

186. AMBROSIVS *in Epistola ad Vercellenses capite decimo quarto:* (b) Hinc illi processerunt viri Elias, & Elisæus, & Ioannes, qui pelliceis tunicis, & caprinis induti, inopes, atque egentes; angustiis, & doloribus afflicti; in solitudinibus errabant, inter alta, & condensa montium, invia rupium, speluncarum horrenda, fovearum vadosa. Quorum conversatione dignus orbis terrarum non erat.

S. AMBROSIVS. (b)

IOANNES *quadragesimus quartus Episcopus Ierosolymitanus ubi supra:* Cum ergo venit sacri plenitudo temporis, *fuit* ad dictos Monachos in desertis *missus homo ille à Deo, cui nomen erat Ioannes:* scilicet Baptista, monasticæ vitæ Eremiticæ, ab Elia institutæ, cultor eximius. Ambo enim tam Elias, quam Ioannes, fuerunt indumentis hispidis vestiti, luxu casti, victu frugi, conversatione solitarij, & deserta jugiter secuti. Fuerunt etiam electi per Deum præcursores Christi: Ioannes quidem adventus primi; Elias verò ultimi; dicente Domino: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Et propterea sacerdotes, & levitæ ab Hierosolymis per Iudæos ad Ioannem missi, intuentes eum in omnibus conversationem monasticæ vitæ eremiticæ, Eliæ præcipuè, sequi; quærebant ab eo: si ipse erat Elias. Quoniam, sicut Angelus Gabriel de eo prædixerat, *venit ipse in spiritu & virtute Eliæ:* ad exemplum cujus domo sui Patris, & terrenis opibus derelictis, conversatus fuit jugiter in desertis; & adinstar illius vinum, & ciceram non bibens, habuit ad imitationem ejus vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; ut testatur Matthæus Euangelista.

IOANNES IEROSOL.

Eliani instituti cultor eximius.

Matth. 17.

Ioan. 1.

Lucæ 1.

Ideò dicitur venisse in virtute & spiritu Eliæ.

187. CHRYSOSTOMVS *in Commentario super Matthæum homilia decima:* Neque hoc superfluum æstimavit Euangelista, dicere de solitudine & schola Ioannis. Etenim erat mirabile, & paradoxum, id est, inopinabile, in humano corpore tantam patientiam videre, quod utiq; & Iudæos magis attrahebat, magnum Eliam in ipso videntes, & ad beati illius memoriam ex his qui videbantur tunc missi.

CHRYSOST.

IOANNES XLIV. EPISC. IEROSOL. *ubi suprà:* Ideò Christus, sciens Ioannem expressam monasticæ vitæ Prophetæ Eliæ imaginem gerere; dixit de eo turbis: *Si vultis accipere, ipse est Elias.*

IOAN. IEROSOL.

Matth. 11.

188. HIERONYMVS *in Commentario super Matthæum:* (c) Ioannes Elias dicitur, non secundùm stultos Pharisæos & quosdam hereticos, qui

HIERON. (c)

qui reversionem animarum introducunt: sed quia juxta aliud testimonium Euangelij venerit in spiritu & virtute Eliæ, & eandem Spiritus Sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram. Sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ & Ioannis pares sunt: uterque in eremo, uterque zonâ pelliceâ cingebatur.

Eliæ & Ioannis Baptistæ comparatio.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

189. (a) ERat in desertis (Ioannes Baptista) *quod ipse Monachus, Monachorumque Princeps, & ejusdem cum Sancto Propheta Elia instituti, spiritus, & virtutis fuerit, ex sacris litteris, Patribus, & Doctoribus concorditer traditur, ab Historicis Ordinis Carmelitani, & in ejusdem Annalibus copiosè demonstratur Tomo 1. sub finem, & Tomo 2. sub initium, atque magis succinctè in Vinea Carmeli parte 3. cap. 11. sub finem. Et quidem quod Eremicola fuerit, ex Euangelica habetur attestatione. quodque monastica ab eodem Ioanne dimanans vita in Ecclesia altissimis defixa radicibus sit, inquit, Cardinalis Baronius; idque scribunt ferè omnes Patres, ut habet alter præstantissimus Cardinalis Bellarminus. Quod autem Elianum tenuerit institutum, & eundem habuerit spiritum, etiam Sacra pagina testimonio perspicuè comprobatur. Nemnè & Eremi incolatu, vestium hispiditate, victus parcitate, conversationis similitudine parique mentis rigore Ioannes Eliam semper expressit: adeò ut Iudæi eum Eliam in persona opinarentur! Propterea eum inter Essenos (SS. Prophetarum Eliæ & Elisæi sobolem) à puero vixisse, & unum ex eis fuisse scribunt Dominicus Soto, Zeglerus, atque alij: hic quoque ad propositum sunt ea, quæ hic suprà libro 2. cap. 1. & ibi in notis dicta sunt.*

S. Ioannes Bap. Monachorum Princeps.

Tom. 1. Annal. ad annum 31. In Controv. l. 2. de Monachis.

Elianum sectatus est institutum.

190. (b) Hinc illi processerunt viri Elias & Elisæus &c. *Ista sententia S. Ambrosij in editione Bibliothecæ Patrum inserta est textui libri de Institutione primorum Monachorum; sed apertò vitiò exscriptoris; nam in vetustis exemplaribus MSS. præponitur:* Ambrosius in Epistola ad Vercellenses, &c.

In Bibliotheca Patrum quo-ad librum Ioan. Ierosol. mendum.

191. (c) Ioannes Elias dicitur &c. *etiam ista S. Hieronymi verba in editione Bibliothecæ Patrum ponuntur, tamquam textus libri ipsius Ioannis; cum tamen sint Sancti Hieronymi, atque in omnibus exemplaribus MSS. ac impressis præponatur:* Hieronymus in Commentario &c. *Dolendum sanè istud Bibliothecæ Patrum Exemplar tot nævis respersum prodijsse. Vtinam aliquando ibi reponatur (si recudatur Bibliotheca illa) prout ex correctiori lima Wasteliana prodijt adornatus liber ille de Institutione primorum Monachorum.*

Iterum aliud.

CAP. III.

Quòd Beatus Ioannes Baptista professores hujus Religionis primò baptizaverit, & eis Christum non solum venturum prophetaverit, sed præsentem demonstraverit: eosque baptismô Christi baptizandos prædixerit.

IOANNES IEROSOL. (a) Ioannis 1. Lucæ 1. Lucæ 3.

192. IOANNES XLIV. EPIS. IEROS. *ubi suprà: Hic (a) Ioannes venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Praivit enim ante faciem Domini parare vias ejus. Anno* siquidem *quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, factum fuit verbum Domini super Ioannem,* habitantem *in deserto,* juxta fluenta Iordanis, ubi prædicti Religiosi Filij Prophetarum manebant. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Tunc, sicuti testantur Euangelistæ, *exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3.
Propterea Religiosi Filij Prophetarum montis Carmeli, & alij in Tabernaculis propè fluenta Iordanis, & in cæteris eremis Terræ promissionis habitantes, fuerunt tunc à Sancto Ioanne Duce eorum, sicut & cæteri de populo, baptizati.

193. Præparabantur autem ipsi per hoc ad unigenitum Dei filium dignè cognoscendum, qui tunc inter homines ignotus conversabatur: sicut ipse Baptista palam revelavit tunc Iudæis, dicens: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus est, & ante me factus est; cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Cùm ergo prædicti Religiosi voce præconis intellexissent unigenitum Dei filium esse præsentem in mundo, quem ex totis eorum præcordiis cupiebant videre, & à cæteris hominibus discernere; proposuerunt Baptistæ inseparabiliter assistere; scientes in ejus baptismo Dei filium esse manifestandum: sicut ipse Baptista testabatur, dicens: *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Quemadmodum autem IESUM absentem Ioannes eis euangelizaverat, ita postmodùm ipsum præsentem eis manifestavit. Venit enim IESUS à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Videns autem Ioannes IESUM venientem ad se, indice cum omnibus prodens, ait: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Vt autem hoc præcursoris testimonium credibilius redderetur, baptizatô IESU à Ioanne *confestim aperti sunt cæli, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie in ipsum:* tamquam digitô quôdam fidei omnibus demonstraret, hunc esse illum, qui eis à Ioanne in baptismo manifestandus, prædicabatur. Denique hunc, super quem columba mansit, verum esse Dei filium, vox Patris de cœlo tunc facta eos etiam docuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quamobrem Baptista, testimonium iterum perhibens Christo, extollebat ejus baptismum, dicens: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem super eum. Et ego nesciebam eum: Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.*

Ioab. 1. — *S. Ioannes Baptista baptizat, & instruit Filios Prophetarum.* — Ibid. — Ibid. — Lucæ 3. — Matth. 3. — Ioann. 1.

194. Ne itaque prædicti Religiosi spem salutis ponerent in præcursoris baptismo, ipse perfectiori baptismô, scilicet Christi, eos fore baptizandos prophetaverat, dicens eis: *Ego baptizavi vos in aqua; ille verò,* scilicet Christus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne.* Quamquam, ut Ioannes Euangelista testatur, IESUS non baptizaret, sed discipuli ejus. Verùm, quia ille dicitur præcipuè rem aliquam facere, cujus authoritate, & nomine eam alius facit; & quia Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum baptizabant homines in nomine Domini IESU; sicut Beatus Lucas testatur; & sub invocatione hujus nominis descendebat super baptizatos Act. 19.

 Spiri-

Spiritus Sanctus in specie ignis visibilis, ideò dixit Ioannes Religiosis prædictis: *ille*, scilicet

Matth. 3.

Christus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne.* Innuebat autem per hoc eis, quô tempore essent ipsi baptismo Christi baptizandi: quia scilicet tunc, quando Apostoli baptismum conferrent in nomine Domini Iesv Christi, & Spiritum Sanctum, in specie ignis visibilis, acciperent illi, qui ab eis baptizarentur sub invocatione nominis Christi: Quod ante Christi resurrectionem, & gloriosam ejus in cœlos ascensionem, factum non fuisse Ioannes Euangelista evidenter testatur, dicens: *Nondùm erat*

Ioan. 7.

spiritus datus; quia Iesvs *nondum erat glorificatus.*

ANNOTATIO.

Daniel.

195. (a) E*A qua hoc & sequentibus capitibus scribuntur, tradunt etiam cæteri Historici Ordinis, & latiùs pertractantur in Annalibus Ordinis sub finem, & confirmantur ex officio authoritate Ecclesiæ iteratis vicibus approbato pro festo Solemnis Commemorationis ad diem 16. Iulij, in quoad Matutinum lect. 4. sic cantatur:* Viri plurimi, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi institerant, & Ioannis Baptistæ præconiô ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ, atque probatâ, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt.

CAP. IV.

Temporibus imperij Tiberij professores hujus Religionis, Iudæos diversarum Nationum ad eam traxerunt, & mansionem in Ierusalem habuerunt.

Idem Ioan. Ieros.

Iudæi ante Christi adventum varias perpessi captivitates.

196. TEmporibus autem baptismum Ioannis præcedentibus, gens Iudæorum à diversis gentibus, & Regibus multas perpessa fuerat captivitates, & dispersa in diversas gentium Regiones: maximè autem ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ durissimas sustinuerat in lege persecutiones. Sicut namque refert sacra libri Machabæorum Historia, Antiochus ad tantum deduxit Iudæos opprobrium, ut legem Dei observare volentibus mortis infligeret tormentum: Quisque enim cogebatur idolis offerre Sacrificium, vel necis pati supplicium. Propter quod multos promiscui sexus de populo Iudæorum, oppressiones has, & abominationes ferre non valentes, oportuit propriam patriam relinquere, & in aliis diversis mundi Regionibus dispersos habitare, qui in dispersione genuerunt filios, loquentes idiomata, & linguas gentium illarum Regionum, in quibus nascebantur, & educabantur.

Et sic per diversas mundi regiones dispersi.

197. Ex his autem Iudæis, natis in Regionibus illis, multi, devotione tracti Terræ promissionis, tempore imperij Tiberij Cæsaris, ad terram illam, cum in pacis teneretur tranquillitate, remeantes, studebant Religiosè illic vivere, copulantes se prędictis Religiosis habitantibus in Terræ promissionis urbibus, & præsertim illis, qui manebant in Ierusalem: Quorum memoratus fuit Beatus Lucas in Actibus

Plures nati in externis regionibus, in Terra Sancta Religiosam capessunt vitam.

Apostolorum, dicens. (a) *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri Religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est.* Habebant siquidem prædicti Religiosi tunc mansionem maximè in Ierusalem: quia cum esset civitas insignis, & metropolis Iudæorum, in qua cultus divinus præcipuè vigebat, reperiebant in ea plures devotos Iudæos, qui se ad eorum Religionem convertebant. Quos, postquàm prædicti Religiosi in rudimentis disciplinæ Propheticæ, & monasticæ vitæ, erudierant, ad eremos transferebant.

(a) Act. 2.

ANNOTATIO.

Daniel.

198. (a) ERant autem in Ierusalem habitantes viri Religiosi, *etiam S. Chrysostomus, Theophylactus (apud Wasselium libro 1. Vindiciarum sectione 5.) & alij, illa de veteribus Religiosis exponunt. Verbum namque* Religiosi *propriè, ut decet, sumptum; denotat non quidem eos, qui communi, & veluti ordinariò modò Deum colunt; alias omnes Iudæi eô tempore, & omnes Christiani, nunc* Religiosi *appellari possent: sed illos, qui specialiter ex speciali munere Deo, & cultui ipsius dicati, & devoti sunt. Hæc enim est hujus nominis propria, & rigorosa usurpatio. Ita Lezana tomo 1. Annalium ubi multorum Authoritatibus ostendit istos Religiosos, fuisse ex Essenis, & Ordinis Prophetici professoribus.*

Religiosi viri, de quibus in Act. Apost. cap. 2 Eliani Instituti sectatores.

Ad an. mundi 4086. Christi 34. num. 28.

CAP. V.

Quòd durante Lege veteri cultores hujus Religionis annis singulis, in Ierusalem tribus vicibus convenire solerent, & annô quô Christus ascendit in cœlum, ipsi omnes prope domum Apostolorum in monte Sion manerent.

Idem Ioan. Ier.

199. PRæceperat autem in lege veteri Deus, tres festivitates peculiares, scilicet Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ, debere per Judæos solemniter celebrari: quas Iudæis alibi celebrare non licebat, quam in loco quem elegerat Deus nomini suo, sicut mandaverat Moyses in Deuteronomio. Et sicut ex libro Paralipomenon edocemur, templum quod erat in Ierusalem constructum, fuit locus ille, quem Deus elegit nomini suo: in quo loco annuatim tribus vicibus, scilicet in prædictis festivitatibus, omnes masculi plebis judaicæ debebant ex præcepto legis in conspectu Domini apparère. Quamobrem Religiosi viri Filij Prophetarum, Eremitæ montis Carmeli, & alij juxta fluenta Iordanis, & in cæteris eremis, & suburbanis civitatum Terræ promissionis habitantes, nè præcepta legis transgrederentur, annis singulis in Ierusalem ter venire consueverant, ut, juxta legis præceptum, tres festivitates peculiares, Paschæ, Pentecostes, & scenopegiæ, illic celebrarent.

Deut. 16.

Religiosi Filij Prophetarum ter per annum Ierosolymam veniebant.

200. Et ob hoc quam maximè mansionem Religiosi Filij Prophetarum habebant in Ierusalem, ut in dictis festis convenirent ad eam. Annô ergo in quo Christus ascendit in cœlum, omnes prædicti Religiosi mox post ejus ascensionem in Ierusalem convenerunt, ut ibi instans festum Pentecostes celebrarent. Habitabant

bant autem tunc in Ierusalem Apostoli Domini nostri Iesv Christi, propè mansionem dictorum Religiosorum, scilicet in illo (a) *cœnaculo grandi, & strato*, in quo Christus in die cœnæ fecit sibi *parari Pascha*, ubi Sacramentum Eucharistiæ instituit, & corpus suum sub speciebus panis sumendum discipulis tradidit, eosque sacerdotes ordinavit. Quod cœnaculum erat in monte Sion, in parte illa montis, quæ dicitur *mello*; ubi erat olim palatium, quod Rex David sibi construxerat. Et ita prædicti Religiosi fuerunt in habitatione tunc Apostolorum vicini.

(a) Marci 14.

Eorum mansio erat in loco dicto mello.

ANNOTATIO.

Daniel. Thom. wald. tit. 9. cap. 84. n. 2.

201. (a) E*Adem traduntur ab aliis Historicis Ordinis. De hospitio illo, in monte Sion, haud longè à Cœnaculo, in quo Christus cœnam ultimam instituit, Thomas Waldensis, de Sacramentalibus hæc habet*: Propè hoc cœnaculum contemplatione B Virginis Carmelitæ hospitium acceperunt, illuc ad festum Pentecostes descendentes.

CAP. VI.

Quòd professores hujus Religionis ad domum Apostolorum die Pentecostes accesserint, & plerique eorum ab Apostolis tunc fuerint baptizati.

Idem Ioan. Ier. (a) Act. 2.

202. (a) IN die itaque Pentecostes, sicut Beatus Lucas refert, *factus fuit repentè de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum* illius cœnaculi, ubi *erant* omnes Apostoli Christi, & discipuli *sedentes*: *Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Repletique sunt omnes Spiritu Sanctô, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Religiosi autem præfati in monte Sion, non multùm remotè à prædicto cœnaculo, ut præmittitur, habitantes, obstupuerunt audientes prædictum sonum insolitum resonare in cœnaculo Apostolorum. Et scire cupientes quidnam hoc esset, ad illud Apostolorum cœnaculum accesserunt. Qui cum illuc pervenissent, stupebant omnes, & mirabantur: quoniam non solum illi ex Religiosis qui in terra promissionis, sed etiam omnes illi, ex eis qui extra dictam terram in diversis Regionibus fuerant nati, audiebant Apostolos linguis suarum Regionum loquentes, & Deum magnificantes. Et propterea Religiosi magis stupebant, scientes Apostolos esse Galilæos, qui nunquam extiterant in eorum Regionibus, neque à quoquam homine docti fuerant loqui eorum linguis, seu idiomatibus: Alij autem ex Iudæis qui supervenerunt, audientes Apostolos loqui diversis linguis, & eos minimè intelligentes, irridebant, dicentes eos esse ebrios.

Festo Pentecostes audierunt Apostolos variis linguis loquentes.

203. Beatus verò Petrus Apostolus, cernens Religiosos, & quosdam alios ex supervenientibus, esse ebrios; incœpit detrahentibus obviare, ostendens Apostolos non esse ebrios, & probans per scripturas Prophetarum eos Spiritu Sanctô repletos. Euangelizavit quoque Religiosis, Iesvm à mortuis resurrexisse, & ipsum esse Deum, qui de cœlo Apostolis Sanctum effudit Spiritum, exhortans ut à prava generatione Iudæorum segregarentur. Auditis ergo sermonibus Petri, Religiosi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad cœtum Apostolorum: *Quid faciemus, viri Fratres?* Ad quos Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri* Iesv Christi, *in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*: aliisque pluribus verbis exhortatus est eos Petrus. Multi ergo ex prædictis Religiosis, videntes quod illi, quos Apostoli baptizabant in nomine Iesv Christi, recipiebant in specie ignis visibilis Spiritum Sanctum, recordati fuerunt advenisse tempus, de quo Dux eorum Beatus Ioannes Baptista, Christum prophetans, eis prædixerat, *Ille*, scilicet Christus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne*. Quamobrem acceperunt sermones Apostoli Petri, & baptizati sunt ipsa die in Christo, recipientes in signo ignis visibilis Spiritum Sanctum.

S. Petrus eos affatur.

Act. 2.

Illorum plures baptizantur.

Matth. 3.

ANNOTATIO.

(a) E*Andem historiam, quasi per manus filii traditam, Historici, & Chronologi Ordinis etiam vetustiores, unanimiter receperunt. Ita Lezana in Annalibus tomo I. ubi alia circa illam adducit.*

Daniel. Lezana ad an. mundi 4086. Christ. 34. n. 32.

CAP. VII.

Qualiter residui hujus Religionis alumni ad veram fidem baptismi Christi pervenerint, & eos Apostoli postmodum baptizaverint.

204. ALterâ autem die, cum illi ex prædictis Religiosis, qui nondùm ab Apostolis erant baptizati, essent causâ orandi in templo cum reliquis de populo, ad horam orationis nonam; suppliciter à Domino Deo postulabant, ut per signum eis ostenderet, si advenerat tempus illud, de quo Dux eorum Ioannes Baptista eis prædixerat, quod Christvs Iesvs eos *Spiritu Sanctô, & igne baptizaret*. Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, quia non viderant, neque audierant Christvm Iesvm manibus suis quemquam baptizasse. Ipsi tamen Ioannis vaticinium non perfectè intelligentes, sperabant, quod sicut Ioannes suis manibus eos baptizaverat, ita Christus propriis manibus eos baptizaret. Exaudivit autem tunc Deus orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Ioannis eos perduxit. Contigit enim eâdem horâ, Sanctô instigante Spiritu, Apostolos Christi Petrum & Ioannem ascendere in templum, & ad portam templi, quæ dicebatur Speciosa, obvium habere *hominem* quemdam, *annorum amplius quadraginta ex utero matris claudum*, rogantem eos pro eleëmosyna. Quem intuens Petrus cum Ioanne, dixit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Et

Idem Ioan. Ier.

Reliqui etiam credunt in Christum.

Act. 3.

Ibid.

Ob miraculum claudi sanati.

Et apprehensâ manu ejus dexterâ, levavit eum. Qui protinùs exiliens ambulavit, & intravit cum illis in templum, laudans Deum. Videntes autem prædicti Religiosi, & *omnis populus, eum in templo ambulantem, & laudantem Deum; & cognoscentes quod ipse erat qui ad eleëmosynam sedebat ad Speciosam templi portam, repleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum & Ioannem in porticu, quæ appellabatur Salamonis, cucurrerunt omnes ad eos:* Quibus Petrus prædicavit Iesvm, quem populus per ignorantiam interfecerat, à mortuis resurrexisse; in *fide* cujus, *& nomine*, & non in propria Petri, vel Ioannis, virtute, claudus curatus fuerat. Propter quod Petrus eis dicebat: *Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, dedit isti integram sanitatem in conspectu omnium vestrûm.*

Ibid.

205. Exhortabatur quoque eos Petrus, quod pœniterent, & converterentur ad fidem Christi, ut delerentur eorum peccata; probans, per scripturas Prophetarum, fidem Christi, & doctrinam esse ab eis suscipiendam, & omnes eam renuentes fore exterminandos. Ut autem vehementiùs religiosos attraheret, cognominans eos propriô titulô, quem à Prophetis traxerant, dixit eis: (a) *Vos estis Filij Prophetarum, & testamenti quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ: vobis primùm Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitia sua.* Igitur Religiosi præfati visô miraculô claudi, & audiiô sermone Petri, intellexerunt, quod sicut Christus, suô nomine per Petrum invocatô, dederat integram sanitatem claudo, ita illos baptizabat in igne, & Spiritu Sancto, super quos effundebant Apostoli aquam, nomen ejus Sanctum invocando. Hinc ergo perpenderunt, quod ideò Ioannes Baptista dixerat eis Propheticè: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*: quia super quos Apostoli aquam effundendo invocabant nomen Christi, Iesvs illos baptizabat, tribuens eis Spiritum Sanctum in specie ignis de cœlo missi. Quamobrem crediderunt perfectè in Iesvm, & cum eis multi eorum, qui audierant Petri verbum: quorum numerus fuit quinque millia hominum. Qui postmodùm ab Apostolis baptizati receperunt in signo ignis visibilis Spiritum Sanctum.

(a) Ibid.

Eos nominatim alloquitur S. Petrus.

Matth. 3.

Baptizantur, & Spiritum S. recipiunt.

ANNOTATIO.

Daniel.

206. (a) Vos estis Filij Prophetarum. *Sub ea igitur nomine posteri SS. Prophetarum Eliæ & Elisæi perstiterunt usque ad finem veteris legis, & initium novæ, quando etiam nuncupati fuêre*, Prophetici Ordinis viri. *Est autem* Ordo Propheticus, *seu* Ordo Prophetarum (*nonnulli vocant*: Institutum Propheticum, *alij* disciplinam Propheticam) *à Prophetis institutus, & propagatus per posteros, qui propterea dicti fuêre* Filij Prophetarum. *Vide supra libro 2. cap. 3. & ibi in notis Eusebius Cæsariensis illos nuncupat* Prophetas *ita scribens*: Qui in persecutione Stephani dispersi fuerant, prædicarunt, florente jam, ac sese multiplicante apud Antiochiam Ecclesiâ, & quamplurimis illic à Hierosolymis quoque Prophetis, cum quibus erant & Paulus, & Barnabas, comparentibus, *ita libro 2. cap. 3. Notanda verba*; Quamplurimis prophetis, *Prophetæ strictè dicti, hoc est futura prædicentes, pauci semper, non plurimi fuerunt. Igitur* Prophetæ *ijdem sunt de quibus capite 17. scribit, quod* Propheticam vitam ducebant: *De illis, qui in persecutione Stephani dispersi fuerunt, ista commemorantur in Adversariis Luitprandi num. 194. (ex impressione Plantinianâ Antuerpiæ anno 1640.)* magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes trajecerunt, & ad Hispaniam plurimi venerunt, erant ex Monachis montis Carmeli, prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conversi: in quibus Elpidius, & socij Pontifices à Sancto Iacobo creati, & post Martyres facti. *Numero autem 286. de eodem S. Elpidio dicitur*: S. Elpidium, & ejus socios, Episcopos fuisse de numero Religiosorum Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones Monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib. 2. cap. 3. Prophetici Ordinis. *Quòad præfata verba ex actis Apostolorum*: Vos estis Filij Prophetarum *per ea intelligendos posteros SS. Eliæ & Elisæi latius declarant Lezana & Wastelius: & hic concludens ait*: puto quod in universâ Scripturâ non reperies, ubi vocabulô Filiorum Prophetarum totus ipse intelligatur populus, vel non ipsa posteritas Sanctorum Eliæ & Elisæi.

Similiter Filij Prophetarum de quibus act. 3.

Euseb. in Hist. Eccl. l. 2. c. 3.

Lez. tom. 1 Annal. in apparatu. Wastel. lib. 1. vindic. sect. 5. art. 8.

CAP. VIII.

Quod Religiosi prædicti per Apostolos in doctrina Euangelij in allegoriis legis veteris eruditi, per Phœnicem, & Palestinam fidem Christi prædicaverint.

207. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis: cotidie quoque perdurantes in orationibus unanimiter in templo cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum.* Quibus omne spacium diei in studiorum exercitiis, & eruditione sacri Euangelij ducebatur. Habebant quoque tractatus sacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis lex vetus eis videbatur animali esse similis, eò quòd extrinsecè velut corpus habeat ipsam literam, & ea quæ secundùm literam designantur; intrinsecùs verò in litera, tamquam anima lateat cujusdam profundi divinique mysterij sensus invisibilis, & spiritalis. Quem illi, ab Apostolis edocti, sublimius & nobilius velut per speculum inspicientes, & ex ipsis literæ nominibus admirandas quasdam species intelligentiæ concipientes, divinâ, & profundiore Sapientiâ Sacrorum voluminum, tamquam copiosis dapibus, imbuebantur. Denique eorum multi quæ ab Apostolis hauserant cæteris effundentes, (a) fidem Christi per Phœnicem, & Palestinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei; & moribus vitæ ac monasticâ conversatione, ecclesiam Dei insignissimam demonstrantes. (a)

Idem Ioan. Iun. Act. 2.

Coadjutores Apostolorum prædicant fidem Christi.

208. (b) Ex Cronicis Roman. Fuit tempore prædicationis Christi, quod Fratres de monte Carmeli in Ierusalem accesserunt. Et quidam illorum annô septimô à passione Domini regnante Romano Imperio, usque ad tempus Titi, & Vespasiani Imperatorum apud Ierusalem in porta Aurea Religiosè consederunt. Et tempore Beati Petri Antiochiæ Cathedrati, ipsi in circumquaque Regione adjacente

(b) Cronicæ Rom.

In nonnullis exempl. legitur, *Catholicè pro fide insistebât.*

cente diversis locis Catholicæ fidei insistebant.

(c) Iosephus Ant.

In Carmelo Oratorium Deiparæ construunt.

209. (c) Iosephus Antiochenus *in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ, capite duodecimo*: Perfectorum militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi, viri solitarij, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, per Galileam, Samariam, & Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt. Quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.

ANNOTATIONES.

Daniel.

Religiosi posteri Eliæ ac Elisæi exemplo & verbo fidem Christi prædicant.

210. (a) Fidem Christi prædicarunt; dilatantes dogma fidei &c. *Eadem verbis similibus, & penè ijsdem referuntur à Waldensi in Doctrinali fidei lib. 2. cap. 14. Artic. 2. ubi ex Cassiodoro in Historia Tripartita de Monachis Hebræis (quos Philo, Iosephus, & alij Essenos nuncupant) hæc de illis*: Præcipuè verò insignissimam Ecclesiam demonstrarunt, & dogmata dilataverunt vitæ virtutibus, qui Conversatione monastica illô tempore fruebantur. *Vbi notanda potissimùm verba illa posteriora. Istis adstipulatur Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium dum agens de Essenis, indicat Christianam Religionem propagatam per eos, qui jam ante vita perfectiorû (qualem Christiani & Monachi ducunt) exercitatores erant*: Si quod natura, *inquit*, insitum est, ut habentium Symbolum sit faciliùs communicatio, quomodò non magis ex his, quam aliarum Sectarum Judæis Christiana Religio potuit propagari? *Explicatissimè accinit Adrianus Adrianius libro de Origine monastices cap. 2. ubi hæc de posteris SS. Eliæ & Elisæi, Essenis dictis*: Eliæ & Elisæi (*inquit*) discipuli Hesseni appellati ..... Sanctâ suâ conversatione victoriam adepti sunt Euangelicæ veritatis, haud dubium, post Martyres ipsi Christianorum spirituales milites, ipsorumque fortissimi. *Idem sequuntur Iudocus Badius, & Sebastianus Murrho Commentatores in Baptista Mantuani opera libro 3. Parthenices ad illos versus*:

Ad annum Christ. 64. n. 28.

> *Namque ipsi sese, mox ut vulgata salutis*
> *Fama fuit, Christi magnis junxêre ministris,*
> *Fautores operis Sancti, Sociosque laborum.*

Sed de his satis hic: ea latius pertractantur in Annalibus Ordinis, & in Vinea Carmeli parte 3. cap. 14. & 15.

Chronica Romana quæ.

211. (b) Ex Chronicis Romanorum *De quibus in Annalibus Carmelitanis, tomô primô in Appar. cap. 6.* Hanc Historiam, etsi forsan temporum injuriâ in tenebris latentem, inter fide dignas recensendam sufficienter confirmant, quæ inferiùs afferemus.

Iosephus Antiochenus quando vixerit.

212. (c) Iosephus Antiochenus: *est is vetustissimus Scriptor; quippe, qui vixit proximus temporibus Apostolorum sub ann. Christi 130. juxtà Possevinum, & alios.*



 LIBER VI.

LIBER SEXTVS

De Virgine Deipara, eivsqve pvritate ab originali peccato, olim in typo nvbecvlæ S. Prophetæ ELIÆ, et per evm suis discipvlis, revelata: cvi propterea pecvliariter famvlati, et ab ea intitvlati fvervnt: et de aliis eorvm nomenclatvris.

PRÆFATIO.

Summarium Libri VI.

213. Liber sextus agit de titulis quibus professores hujus Religionis decorantur. Specialiter verò docet cur prædicti professores *Fratres Beatæ* Mariæ *Virginis* appellentur. Habet autem capitula octo. *Primum*: Quòd Eliæ, & ejus discipulis fuerit figuratè revelatum, Virginem Mariam fore mundam nascituram absque sorde peccatorum. *Secundum*: Quòd veteribus professoribus hujus Religionis tempus significatum fuerit, in quo Beata Maria nasci debuit. *Tertium*: Quòd Religiosis Carmelitis fuerit præostensum, Beatam Mariam esse virginitatem servaturam exemplô eorum. *Quartum*: Quòd antiqui Carmelitæ pro incarnatione Filij Dei oraverint, & in suis orationibus exauditi fuerint. *Quintum*: Quâ ratione professores hujus Religionis *Fratres Beatæ* Mariæ *Virginis* appellentur, & quare huic Virgini specialiter famulentur. *Sextum*: Quòd hujus Religionis professores in lege veteri fuerint & *Prophetæ* & *Filij Prophetarum*, & *Carmelitæ*, appellati, & cur fuerint ita cognominati. *Septimum*: Quòd sub lege Euangelij professores hujus Religionis, fuerint & *Religiosi*, & *Fratres Beatæ* Mariæ *Virginis*, & *Monachi*, & *Eremitæ*, & *Anachoritæ* nuncupati, & quare his titulis fuerint decorati. *Octavum*: De illis titulis quibus professores hujus Ordinis nunc designentur, & quare aliis antiquis titulis modò non denominentur.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quòd Eliæ, & ejus discipulis fuerit figuratè revelatum, Virginem Mariam *fore mundam nascituram absque sorde peccatorum.*

Ioan. Ierosol.

214. Ioannes xliv. Episc. Ieros. *in libro de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium*: Postquam autem professores hujus Religionis fuerunt per Apostolos baptizati, & in sacri Euangelij eloquiis eruditi, intellexerunt plenè illud mysterium esse impletum, quod per Deum fuerat Prophetæ Eliæ in monte Carmeli revelatum. Legimus quidem in libro Regnorum, quod, *Elias ascendit in montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi, Revertere septem vicibus. In septima autem vice. Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari* in Carmelum. Ab eo autem loco montis Carmeli, ubi puer ascendebat, usque ad summitatem montis, unde poterat mare prospici, erant decem gradus. Quos cum semel puer ascendens, prospexisset contra mare, mandavit sibi Elias, sicut dictum est, ut iterum aliis septem vicibus per eosdem gradus revertens contra mare prospiceret: Et *in septima vice reversionis*, quæ tamen fit vicis octava prospectionis, (a) *vidit puer nubeculam* illam *quasi vestigium hominis de mari ascendentem* in Carmelum. Et dixit ei Elias: *Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis.*

3. Reg. 18.

Elias in Carmelo nubeculam à mari ascendentem conspicit.

3. Reg. 18.

(a)

215. Quid ergo Sacramenti rerum futurarum præter Historiam visio illa intrinsecùs contineret, & quid magni mysterij Deus Eliæ, tunc stanti prono, per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire, non palam omnibus, sed secretè suis consortibus. A quibus (b) traditum tenemus Deum, sub figurata visione, revelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria, quæ per ordinem explicabo: Primò, quod quædam infantula nasceretur, quæ ex utero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur: Secundò, tempus in quo hoc adimpleretur: Tertiò, quod hæc infantula virginitatem perpetuam * ad exemplum Eliæ amplexaretur: (c) Quartò, quod Deus jungens naturam suam humanæ, de virgine illa homo nasceretur: Per hoc namque quod ille puer Eliæ vidit de mari nubecu-

(b)

Mysteria quatuor tunc ipsi Eliæ revelata.

* *Ad exemplum Eliæ vide infra n. 231.*

(c)

nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Eliæ; quod quædam infantula, scilicet Beata MARIA, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare; (d) quæ infantula jam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa de mari amaro orta, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippè ponderosum est, & amarum: sed nubecula illa levis fuit, & dulcis. Sic quamvis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum & pondere vitiorum pressa, ut fateri cogatur, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*; Beata tamen MARIA de hoc mari, id est, natura humana, aliter fuit orta: Quoniam in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa de qua per Moysen figuratè est scriptum. *Ecce gloria Domini apparuit in nube.*

(d) *Inter illa erat: Immunitas Deiparæ ab originali.*

Id pulcherrimâ similitudine declaratur.

Psalm. 37.

Exodi 16.

ANNOTATIONES.

216. (a) VIdit puer Nubeculam &c. *Nubecula illa erat typus, & imago Virginis Deiparæ.* (*quæ ex mente Patrum Hieronymi, Cyrilli, Procopij, Ambrosij, est nubes illa, de qua Isaiæ 19.* Ascendit Dominus super nubem levem) *Denotabat autem nubecula illa istius Virginis purissimam Conceptionem ab omni peccato immunem, & Incarnationis Mysterium.* Vidit nubeculam albam; *inquit, celebris ille Theologus Iudocus Clichtoueus* continentem intra se speciem, & effigiem hominis: quò quidem indiciò sentiunt omnes, Eliam Divinæ Incarnationis indubitatò prænovisse Mysterium: & per nubeculæ candorem Sacratissimæ Virginis Mariæ candidissimam puritatem: per hominis autem vestigium, nubis ambitu, & continentiâ comprehensum, filium Dei susceptâ carne humanâ, in castissimæ Virginis utero degentem, intellexisse. *Hoc ipsum de nubeculâ illa, typô Virginis Deiparæ insigni, profitentur Thomas Waldensis, atque alij vetustiores, & recentiores, ut mox audiemus, & confirmat Authoritas Sacræ Rituum Congregationis. Vide notas ad caput sequens, sub finem.*

DANIEL. a V. M.

Nubecula de qua l. 3. Reg. c. 19. typus Virginis.

Clichtou. in serm. cum dixerint vobis.

Wald. tom. 3. de Sacrament. tit. 9. c. 89.

217. (b) Traditum tenemus Deum sub figurata visione revelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria *scilicet de Virgine Deum paritura, deque ejusdem Conceptione Immaculatâ, atque de Incarnationis mysterio, & tempore ejusdem. Hinc scribit S. Methodius Martyr, Episcopus Tyri (etiam dicitur Patarensis)* Puritatis etiam tuæ (*inquit*) Elias Propheta præscius, atque Imitator in spiritu cum esset, vitæ illius igniferæ sibi coronam colligavit, in hunc usque diem Divinô suffragiô morte superior declaratus. Te quoque, ejusdem Successor Elisæus, à Sapiente Magistro his Sacris initiatus, tamquàm jam existentem, quæ tamen nondum existebas, præfigurans. *Ita ille in homilia de S. Simeone, & Anna, seu de festo Purificationis. Extat in Bibliotheca Patrum. Dicit* præscius, atque imitator. *Etenim* Propheticô jam Spiritu (*ut Arnoldus Bostius in libro de Patronatu B. Virginis* MARIÆ *cap. 2. scribit*) Redemptorem mundi nasciturum conspicabatur de purissimâ Virgine: *etiam* imitator *fuit, Institutione vitæ Virginalis: quam, unà cum paupertate, & castitate, primus ipse servavit, & aliis tradidit, ad imitationem, & honorem ejusdem Virginis Deum paritura: prout eleganter Bostius ibidem*: anhela trahens in longinquum suspiria totum se transfudit in amorem tam superexaltandæ Virginis, cui & annulum aureæ suæ fidei, velut sponsæ suæ, amantium more, delegavit, & ad exemplum ejus, quasi ad sigilli Spiritualis imaginem, Elisæum, Michæam Morastiten, Abdiam, Jonam, ac cæteros, quos advocaverat (quorum & virtutibus tamquam quibusdam stellis Canonicæ micant Historiæ) secum, tamquam Mariæ Præcursores, continentiam Virginitatis edocebat. *Quod ibi consequenter dicitur*: Virginitatem ad exemplum Eliæ &c. *vide explicatum hic infra num. 232.*

Elias præscius fuit Virginitatis Deiparæ, & imitator.

Id pulcherrime declarant S. Methodius, & Arnoldus Bostius.

218. (c) Quartò quod Deus jungens naturam suam humanæ de Virgine illa homo nasceretur. *Tunc igitur Elias quando celebrem illam in Carmelo visionem habuit per eam expressiùs cognovit Incarnationis mysterium, & verbi incarnandi Matrem futuram purissimam, tum corpore, propter Virginitatem, quam spontaneè secutura erat, tum Spiritu, propter præservationem ab omni peccato, etiam ex utero Matris. Nullus dubitabit, quin in tantæ Virginis Matris Messiæ futuræ amorem, reverentiam, & devotionem pijssimus Propheta, tunc velutì æstuans, & succensus, quidquid in ipsius obsequium facere posset, opere perfecisset. Ordinis igitur institutionem, quam tunc cogitabat, procul dubio in Virginis beatissimæ gloriam, & honorem direxit. Ita Lezana tomo 1. Annalium Ordinis sub finem, ubi id multis authoritatibus comprobat. (Istis consonant jam antè ex Bostio relata) Sic quoque Ioannes Bacho, Theologorum sui temporis Princeps, Institutionem hujus Ordinis in Carmelo pro veneratione B. Virginis Mariæ factam adstruit*: Licet, *inquit*, omnes salvandi tempore Prophetarum filium Beatæ MARIÆ venturum venerati sint, secundum Augustinum in Epistola 29. ad Deo-gratias: Fratres tamen de Carmelo, tempore Eliæ & Elisæi, venturum venerantes, in Carmelo Beatæ Mariæ Religionem suam inceperunt, ut habetur in Historia de antiquitate Ordinis. *Intuituque Virginitatis futuræ Deiparæ, per nubeculam, è mari in Carmelum ascendentem significatæ, institutum suum S. P. Elias inchoavit, & eidem Virgini pariture dedicavit. Hinc summi Pontifices, Sixtus IV. Innocentius VIII. Iulius II. & Gregorius XIII. in suis diplomatibus huic Ordini concessis, his utuntur verbis*: Virgo Dei Genitrix gloriosissima, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, &c. produxitque Sacrum Ordinem B. MARIÆ de monte Carmelo &c. *aut* Sacrum Ordinem sub invocatione ejusdem B. MARIÆ de monte Carmelo, quem eadem virgo venustissima, & omnibus virtutum floribus insignita, edidit, propriique nominis titulô insignivit. *Nimirum Ordinem hunc* produxit, edidit, *ut causa exemplaris, & meritoria in destinatione Divinæ Majestatis.*

Elias Incarnationis mysterium, & immunitatem Virginis Deiparæ à peccato Originali præcognovit.

Bacho in Tract. de Instit. Ord. Carm. c. 1.

**Ad honorem Virginis istius Ordinem suum inchoavit.*

219. (d) Quæ infantula jam in suo ortu esset munda: *Est illud pulcherrimum testimonium, & antiquissima traditio pro immaculata Conceptione Virginis Deiparæ. Etenim sicut nubes à mari oritur, valde tamen distinctæ qualitatis ab ipso est: Sic Beatissima Virgo, licet orta de humana natura vitiata, & ponderosa peccatis, tamen tota pulchra, sine macula humanæ propaginis processit. Hinc Petrus Ojeda Societatis* IESV *gratulatur huic Ordini, quòd in eo à duobus millibus quingentis, & suprà annis; traditio ejusdem extiterit. Alter quoque ex eadem Societate* IESV *celebris Scriptor Ferdinandus Quirinus de Salazar, illam traditionem nuncupat*: nobile, & antiquum pro immaculata Virginis Conceptione testimonium. *Argumento autem 9. cap. 39. n. 11 hæc, inter alia, circa ista scripserat*: Nubecula illa parva, quasi vestigium hominis, orante in Carmelo Eliâ, de mari ascendere visa est, non magis pluviæ, quam MARIÆ puritatem prænuncians, atque præsagiens. Oriebatur scilicet nubecula illa dulcis ab initio: & MARIA (quæ nubes ab Hieronymo, & aliis sæpè Patribus appellatur) dulcis ab ipso Naturæ exortu, sine ulla peccati amaritudine exstitit: Ascendebat illa levis: Et hæc nullo umquam criminis pondere gravata super omnes homines altiùs ferebatur. *Et infra*: unum illud addam, quod ille quoque addit, eam de B. MARIÆ puritate præsagam, & Propheticam cognitionem ab Elia, Elisæo, & aliis suis discipulis manifestatam, ab illô porrò sequentibus perpetuâ successione per manus traditam fuisse, donec ortâ jam Mariâ, & visionem reipsâ comprobante, ædes sacra in Carmelo extructa fuit ejusdem puritatis præclarum monumentum.

Immaculatæ Conceptionis pulcherrimum testimonium.

In informat: pro Immaculata concept. fundam. 1.

In tract. de Immac. Concept. arg 12. c. 12

Id à Ferdinando de Salazar merito nuncupatur nobile & antiquũ.

Perpetua & continuata traditio inter Eliæ posteros de Virgine Immaculata in suâ conceptione.

220. Ejus-

Cap. 1. n. 4. digress. 2. §. 3.

220. *Ejusdem traditionis, atque argumenti authoritatem ponderavit Laurentius de Aponte sapientiam Salomonis explicans, & ita scribens*: Unam scripturæ figuram impossibile sit, ut non attingam: non aliâ ratione, nisi quia ad litteram eam reperio de Immaculata Conceptione intellectam à Joanne Episcopo Hierosolymitano, quadragesimo quarto, qui mille & ducentis propè ab hinc annis vixit: ut semel quam sit hæc opinio antiqua constet, ne dum novam quis dixerit à mendacio impunè abeat. Hic enim sanctissimus Pater de institutione Monachorum Carmelitarum, cujus ipse extiterat Religionis, ad Caprasium scribens. *Ibi consequenter adfert, & explicat textum hujus Capitis. Circa ista*: Quæ infantula jam in suo ortu, *subiungit*: hoc est in conceptione, nam ortum sumi pro principio, unde tantum est, ac si dixisset, in suo principio, esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Quid clarius? fuit, inquit, de mari amaro, hoc est concepta, compacta & ex aquis eruta amaris, ly enim (fuit) non quidem nativitatem ex utero, sed in utero significat, hoc est primam effoetationem, primumque conceptum. *Id cum ulterius confirmasset, tandem sibi applaudens de illo argumento evidenti, & insigni pro Conceptione immaculata, sic concludit*: quid clarius? habemus ergò ex revelatione Eliæ, Apostolorum confirmata sensu, nubeculam illam esse Virginem in suo conceptu sine ulla peccati contagione. Quid ergo ex scripturâ amplius desiderari potest ad ferendum de hac re calculum in hujus favorem articuli? *Ita meritò eruditus ille scriptor; est enim illa nubecula è salso mari orta, & Virginis Deiparæ ex humanâ propagine vitiatâ, concinna, imò convenientissima comparatio. Nam sicut nubecula è salso mari mox à suo ortu dulcis, & levis est, nullam umquam habens amaritudinem, ita purissima Virgo Maria, ex peccatrice natura, à primo suæ conceptionis instanti munda fuit, nullâ umquam infecta peccati cujusvis maculâ: sicut in nubecula illa, ceu typo, revelatum S. Prophetæ Eliæ. Ioannes quoque noster de Sylveira, inter præstantiores sæculi hujus æstimatus sacri Evangelij Commentatores, verba illa*: Ecce nubecula parva ascendebat de mari, *explicans, sic ad intentum*: In qua, *inquit*, mysterium Immaculatæ Conceptionis ei (*Eliæ*) revelatum fuisse, testatur antiquissimus, & gravissimus autor Joannes Hierosolymitanus, qui floruit circa annum 400. de Instit. Monachorum cap. 32. *Et infrà*: Nubes à mari oritur, valdè tamen distinctæ qualitatis ab ipso est: mare amarum, gravidum, & ponderosum, opacum, & sterilizans, nubes verò valde est semota ab his imperfectionibus, dulcis, levis, lucida, & fœcundans Sic Beatissima Virgo, licet orta de humana natura, tamen tota pulchra sine macula humanæ propaginis venustissima apparet. De hac parentis Eliæ revelatione mentionem faciunt gravissimi authores, *Plura circa hac videri poterunt in libro R. P. Francisci Bonæ Spei inscripto*; Magni Prophetæ Eliæ, Ordinis Carmelitarum fundatoris visio de Immaculata B. V. Conceptione. *De qua peculiariter tractatur disputatione 3. n 132. & n. 231. ac 232. plures ibi alij adducuntur scribentes de nubecula illa, typo Virginis Deiparæ insigni, ejusdemque Immaculatæ Conceptionis testimonio antiquissimo.*

CAP. II.

Quòd veteribus professoribus hujus Religionis tempus significatū fuerit in quo Virgo Deum paritura nasceretur.

IDEM IOAN. IER.

221. Significavit autem Deus Eliæ, in prædicta visione, quo tempore *nubecula illa*, scilicet Beata Maria, videretur à discipulis Eliæ *de mari*, id est, de amarâ & vitiosâ naturâ humanâ, oriri & *ascendere*. (a) Nam ostensum fuit in eadem visione quod nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse, semel per decem gradus ascendens, contrà mare prospiceret, & iterum aliis septem vicibus per eosdem gradus ad contemplandum contra mare rediret. Dixit enim Elias ad puerum suum: *Ascende & prospice contra mare*: Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: *Non est quidquam*. Quæro ergò, quid fuit puerum Eliæ semel per decem gradus ascendere ad prospiciendum contrà mare, & tunc nihil ei apparere? Certè hoc nihil aliud fuit, nisi quòd puer, id est, cœtus discipulorum Eliæ, contemplando ascendit; primò per illas decem generationes humanas à Beato Luca in genealogia Christi positas, quæ fuerunt ante diluvium ab Adam usque ad Noë in prima mundi ætate, & per eas discurrendo totum tempus quod fuit à Noë usque ad Adam, puer prospexit si forte eô tempore, nubecula, id est, infantula aliqua esset nata contrà mare, id est, contra solitam amaram & vitiosam propaginem naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi; ideò puer dixit, non est quidquam: Præceptô tamen Eliæ rediit iterum puer septies per decem gradus ad prospiciendum contra mare: & rursum ait illi, *Revertere septem vicibus*: & in primis sex nihil sibi apparuit.

3. Reg. 18.

Profunda, & insignis explicatio decem graduū ad verticem Carmeli.

221. Hoc autem, scilicet quòd iterum puer, id est, cœtus discipulorum Eliæ, sexies per decem gradus rediens nihil vidit; denotat eum ulteriùs per alias sex decades humanarum generationum contemplando ascendisse, quas Beatus Lucas in genealogia Christi texit, à Sem filio Noë usque ad Iamne, filium Joseph. Quarum generationum decas prima, incipiens à Sem filio Noë, terminata fuit in Thare filio Nachor. Secunda vero decas, incipiens ab Abraham filio Thare, terminata fuit in Salmon filio Naason. Tertia autem decas, incipiens à Booz filio Salmon, terminata fuit in Iona filio Eliachim. Quarta verò decas, incipiens à Ioseph filio Iona, terminata fuit in Elmadan, filio Her. Quinta autem decas, incipiens à Chosan filio Elmadan, terminata fuit in Ioseph filio Iuda. Sexta vero decas, incipiens à Semei filio Ioseph, terminata fuit in Iamne, filio alterius Ioseph. Per has quidem sex decades generationum, à Beato Luca in genealogia Christi positarum, ascendit puer, id est, cœtus discipulorum Eliæ, discurrendo scilicet totum tempus quod fuit à Iamne usque ad Sem, contemplando si forte eô tempore nubecula, id est, infantula illa esset nata: Et quia in toto illo tempore nata non fuit, ideò tunc discipulis Eliæ minimè apparuit. In septima autem reversionis vice nubecula eis apparuit: quia in tempore comprehenso intra septimam illarum generationum decadem, Beata MARIA nata, & visa à discipulis Eliæ fuit. *In septima*, inquit, *vice, Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Prædictus namque Iamne, in quo sexta illarum generationum decas terminatur, genuit filium nomine Melchi, à quo incœpit harum generationum decas septima. Hic ergo Melchi genuit Levi; & iste Levi duos habuit

Per sex primos gradus intelliguntur sex priores decades humanarum generationū à diluvio.

Expressarū in genealogia Christi.

In nulla illarum nata fuit Virgo Deipara.

habuit filios, unum qui à Beato Luca vocatur Mathat, sed ab aliis dicitur Melchi, nomen Avi sui retinens; & alium qui vocatus fuit Panthera. Iste verò Panthera genuit filium nomine Barpanthera: & hic Barpanthera genuit filium nomine Ioachim, qui ex Anna uxore sua genuit Beatam MARIAM: Et ita in septima reversionis vice, hoc est, in illa generationum decade, quæ fuit septima, ab illa in qua homines per Dei præceptum reversi fuerunt post diluvium ad multiplicandum genus humanum, nata fuit Beata MARIA, in medio scilicet illius decadis septimæ: quæ etiam fuit defuncta antequam prædicta generationum decas septima esset terminata. Sed priusquam Beata Dei Genetrix ab hoc sæculo migraret, (b) fuit in Nazareth, & in Ierusalem, & alibi, multoties à professoribus hujus Religionis visa.

Sed demum in septimâ.

(b) *Ipsa à posteris Eliæ sæpius visa fuit.*

ANNOTATIONES.

DANIEL.

223. (a) NAm ostensum fuit in eadem visione, quod nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse, semel per decem gradus ascendens &c. *Est ea (quæ hoc capite traditur) pulcherrima, & subtilis expositio Allegorica Historiæ, quæ libro 3. Regum, cap. 18. sub finem refertur, de puero Eliæ semel, & deinde septies per decem gradus ad verticem Carmeli ascendentis: fuitque ea traditio inter discipulos, & posteros ipsius S. Eliæ, quasi de manu ad manum ad usquè ipsum Ioannem XLIV. Episcopum Ierosolymitanum. Igitur per* decem gradus, quos primum puer ascendit, & nihil vidit, *intelliguntur decem generationes ante diluvium scilicet ab Adam usque ad Noë inclusivè, & hæc est ætas prima: Ætates aliæ sex, singulæ habentes generationes decem incipiunt à Sem, & terminantur in Iamne, quæ sunt sexies decem, id est sexaginta generationes. Septima autem ætas, seu denarius generationum initium sumit in Melchi. In medio autem istius generationis apparuit illa nubecula parva Virgo Deipara, de mari (id est genere humano peccatis depravato) ascendens, levis, non onerata pondere peccatorum, & dulcis, non infecta amaritudine culpæ Originalis. An non hinc manifestè apparet in Authore libri hujus profunda S. Scripturæ intelligentia, & ejusdem facilis explicatio, ac peculiaris interpretandi ac scribendi ratio? Sic supra in notis ad caput 1. annotavimus ejusdem loquendi formulam, vix alibi usurpatam,* de annorum Decadibus. *Ita quoque idem Author commentans in caput 1. Matthæi circa versum 17. cum annotasset, Lucam ponere generationes septuaginta septem (scilicet ab Adam usque ad Christum) Matthæum verò dumtaxat quadraginta duas (id est ter quatuordecim, seu sexties septem) scilicet ab Abraham usque ad Christum, etiam allegoricè numerum duo-&-quadragenarium ait esse numerum sex septimanarum; quia sicut tempore sex dierum creatus est mundus (qui positus est in opere & labore, & dolore) ita sexies septem generationes Christi nascentis in mundum, ad laborem & dolorem, mysterium continent operis & laboris. Et sicut die septimo cessatio fuit ab opere Dei mundum creantis, ita in Christo initium fuit septimæ Generationis. Occasione mentionis hic factæ operis illius imperfecti in Matthæum (à quibusdam haud bene S. Hieronymo, aut S. Ioanni Chrysostomo attributi, sed veriùs ipsi Ioanni XLIV. Episcopo Ierosolymitano vindicati per Wastelium) animadvertendum ex ipso Wastelio Libri hujus de Institutione Monachorum, & illius operis imperfecti in Matthæum eam esse Naturalem similitudinem, tantamque conceptuum inter se genuinam convenientiam, & easdem utrique communes dicendi formulas ut licet illa opera sint diversis edita partibus, appareat tamen satis esse ab eodem parente;*

Pulcherrima, facillima subtilisque Scripturæ explicationes allegoricæ testantur authorem libri eruditissimum.

Vide num. 21. & 40.

Opus imperfectum in Mathæū factus Ioannis Ierosol.

Wastel. lib. 1. Vindic. sect. 1. art. 9. & lib. 2. sect. 1. 2. 3. & 4.

224. (b) Fuit in Nazareth & in Jerusalem, & alibi multoties à Professoribus hujus Religionis visa. *Nam, ut Mantuanus noster in Apologia ad Sigismundum Gonzagam Cardinalem scribit:* Nazareth oppidum magis illustre, quam opulentum, unde Virgo Maria genus traxit, non longè distat à monte Carmelo: quô factum est, sicut accepimus ab antiquis, ut Patres nostri Filij Prophetarum, Eliæ successores, cum Joachim & Anna, Mariæ parentibus, sicut vicini solent, conversarentur. *Hinc ibidem paulo infrà tradit etiam ipsam quandoque Carmelum adiisse. Idem libro 3. Parthenices sic hac de re cecinit:*

B. V. Maria, ejusque Parentes, quandoque mutua colloquia contulerunt cum Religiosis Carmeli.

Huc igitur si quando quies, vacuumque negoti
Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipsa
Majestate loci, largè oblectata redibat
Propterea Montana viri Spelæa colentes
Auditô illius fatô sublime Sacellum
Apricis posuère jugis primi. &c.

Eadem ratione verbisque similibus adstipulatur celebris Homiliographus Ioannes de Carthagena, cum Nazareth tribus milliaribus tantum distaret ab Eliæ fonte; sive Carmeli vertice, quid mirum, si Sanctissima Virgo Eremitas Carmeli, cujus Sanctitas, & Religio totam Palestinam & Alexandriam illustraverat, non sæpè adiret, eosque suis colloquiis & necessitudine foveret. *Quæ confirmantur ex dictis in notis ad cap. 4. lib. 4. Vnde habetur quod accolæ, sive vicini montis Carmeli, quales erant Nazarethani, certis diebus devotionis, & Instructionis causâ Carmelum adire soliti essent; favet quoque intento Historia Emerentianæ, cujus erit mentio hic infrà, in notis ad Caput 4. Sed pro familiaritate illa mutua inter Beatam Virginem Deiparam, & Carmelicolas, & inde Sacello ei dicato potissimùm favet authoritas Sacræ Congregationis rituum, iteratis vicibus approbantis Officium Ecclesiasticum, quod in toto Ordine Carmelitano recitatur in festo Commemorationis solemnis ad diem 16. Iulij, in quo ad Matutinum lectione 4. hæc ad propositum:* Peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem, cujus colloquiis, ac familiaritate, frui feliciter potuère, adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.

Cartag. lib. 17. Hom. 3

Et confirmat etiam authoritas Sacra Congreg. Rituum.

CAP. III.

Quòd Religiosis Carmelitis fuerit præostensum Deiparam servaturam Virginitatem.

IDEM IOAN. IEROS.

225. QUemadmodum autem hæc nubecula, scilicet Beata MARIA, in septima prædictarum generationum decade fuit nata; ita etiam in eadem septima decade fuit à discipulis Eliæ visa in Carmelum spiritualiter ascendere. Nam antequam decem generationes descendissent à Melchi, à quo, sicut dictum est, decas septima incœpit, fuerunt docti professores hujus Religionis, in Ierusalem, à summo templi Pontifice, quod Beata MARIA Virginitatem Deo servare proposuerat ad (a) exemplum Eliæ, sicut præostensum fuit in prædicta visione: *In septima*, inquit, *vice, ecce nubecula parva*, scilicet Beata MARIA, *quasi vestigium hominis, ascendebat* in Carmelum: quæ ideò visa fuit quasi vestigium hominis ascendere in Carmelum, quia (b) in hoc suo spirituali ascensu non fœminam quam imitaretur, sed hominem habuit in exemplum. Antè quidem quam illa nubecula ascenderet in Carmelum, ascenderant utique Elias, & puer suus ad montem illum: *Ascendit*, inquit, *Elias in montem Carmeli.*

B. V. Deipara spiritualiter visa ascendere in Carmelum.

(a) Vide notas hic infra num. 232.

(b)

3. Reg. 18.

226. Interpretatur autem Carmelus, scien-

tia

Carmelus idem est quod scientia circumcisionis.

tia circumcisionis, ad quam scientiam ille præcipuè ascendit, qui ita scit præputium impudicitiæ à sua carne & mente circumcidere, ut non solùm se ab illicito carnalis contagionis cœno alienum per castitatem reddat; verùm etiam ab omni impudicæ voluptatis experimento se immunem per virginitatem Deo custodiat. Propterea quippè data fuit circumcisio in veteri lege, ut facta in virili membro, in quo libido solet dominari, castitatem mentis & corporis Deo servandam, & impudicitiam rescindendam indicaret. Nemo autem unquam adhanc ascendit circumcisionis scientiã priùs, quàm Elias & puer suus, id est, cœtus Filiorum Prophetarum, discipulorum ejus: Ipsi namque primi virorum seipsos per virginitatem perpetuam sponiè dedicantes, castraverunt prorsùs ab omnibus venereis voluptatibus mentes suas: & propterea appellati sunt *Carmelitæ*, quod est interpretatum, *scientes circumcisionem*; quia hoc quod circumcisio indicat sciverunt perfectè in seadimplere: Cupientes enim carnis, & mentis impudicitiam à se omninò rescindere, elegerunt primi virorum in virginitate perpetua Deo spontè vivere. Primò ergo ascenderunt verè ipsi in montem Carmeli, id est, in altitudinem scientiæ circumcisionis: quia altiùs cæteris præcedentibus hominibus inchoantes, sciverunt præputium impudicitiæ ita penitùs à se circumcidere, quòd elegerint primi hominum propter Deum virgines permanere.

Carmelitæ primi Virginitatis cultores, mentes suas à voluptatibus carnalibus resciderunt.

Hieronymus.

227. Hieronymus *in Epistola ad Eustochium de Virginitate servanda*: Alia fuit in lege veteri fœlicitas. Beatus qui habebat Semen in Sion, & domesticos in Jerusalem. Et maledicta sterilis, quæ non pariebat. Et ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum; quia vacuus erat orbis. Paulatim vero increscente segete, messor immissus est Virgo Elias, Virgo Elisæus, Virgines multi Filij Prophetarum. Inveniebatur ergo, ùt diximus, in viris tantùm hoc continentiæ bonum, & in doloribus jugiter Eva parturiebat.

Virgo Elias, Virgo Elisæus Virg. Filij Prophetarũ.

Ioan. Ierosol.

228. Ioannes xliv. Epis. Ierosol. *ubi suprà*: Ad hunc quoque Carmelum, id est, ad hanc altam circumcisionis scientiam, *nubecula* illa, scilicet Beata Maria, ideò *quasi vestigium hominis ascendebat*, quia (c) non fœmina, sed homo, id est, Elias exemplum ascendendi ei prebebat, quem ipsa imitari satagebat. Nam sicut Elias prius præputium impudicitię scivit à sua carne, & mente prorsùs circumcidere; dum primus inter homines studuit Deo virginitatem perpetuam spontè inchoare; ita postea Beata Dei genitrix præputium impudicitiæ scivit exemplò Eliæ à se penitus circumcidere, dum quasi vestigium hominis illius elegit prima fœminarum propter Deum in virginitate perpetua vivere.

(c) *Elias tempore prior fuit in Virginitate, quam Deipara: sed tamen ipsa prior & prima fuit dignitate, & causalitate morali. Vide notas n 232. & 233.*

V. Beda.

229. Beda *in homilia super missus est*: Verè (Maria) gratiâ erat plena, cui divinô munere collatum est, ut prima inter fœminas, gloriosissimum Deo Virginitatis munus offerret.

Ioan. Ierosol.

Ioannes xliv. Episc. Jerosol. *ubi supra*: Hinc sponsus ejus in epithalamio sibi ait gratulabundus: *Caput tuum ut Carmelus*. Ubi per *caput* rectè intelligitur *mens anima*: quia sicut in corporis membris caput præeminet; ita in viribus animæ mens est dignior: & sicut à capite membra; ita à mente cæteræ vires animæ reguntur: *Carmelus* vero, *cognoscens circumcisionem*, interpretatur. Rectè igitur sponsus huic Virgini congratulans, ait: *Caput tuum*, id est, mens tua, ô Dei Genitrix, est *ut Carmelus*, id est, verè cognoscens circumcisionem: quia prima fœminarum per spontaneam Virginitatem scivisti à te prorsùs circumcidere omnem veneream voluptatem.

Cantic. 7.

Etymologia Carmeli.

B. Virginis Deiparæ caput (id est mons) ut Carmelus.

230. Isidorus *libro primo de Origine officiorum, capitulô decimo septimô*: (d) Fœminarum Virginum caput Beata Maria est, ipsa earum auctrix est, ipsa mater nostri Capitis, qui est & Virginis filius, & virginum sponsus.

S. Isidorus. (d)

ANNOTATIONES.

Daniel.

231. (a) Ad exemplum Eliæ. *Vide statim infra nu.* 232.

Gallicismus.

(b) In hoc suo spirituali ascensu non fœminam, quam imitaretur, sed hominem babuit in exemplum. *Proprius is est Gallici Idiomatis loquendi modus; in eo enim nomen commune*, homo, *condistinguitur contra fœminam, ut significet* virum: *ex hoc loco, & aliis confirmatur id quod supra ex Wastelio diximus, interpretem libri de Institutione primorum Monachorum fuisse Gallum, & Gallici Sermonis proprias formulas inseruisse.*

Quo-ad virginalem castitatem Elias prior fuit tempore, quam B. V. Maria.

232. (c) Non fœmina, sed homo, id est, Elias exemplum ascendendi ei præbebat: *Ita quoque sub initium hujus capitis*: Maria . . . ad exemplum Eliæ. *In eundem ferè sensum Dominicus Soto, Spectatissimus Ordinis Prædicatorum Theologus scripsisse videtur in quartum Sententiarum distinctione 30. quæst. 2. art. 1. ubi tractans de voto Virginitatis à B. Virgine Deiparâ emisso, cum præmisisset, quòd antè ipsam, in veteri lege plures Virginitatem servassent, subjungit*: Undè quamvis nullam aliam habuisset B. Virgo revelationem, exemplum in sua gente haberet Virginitatis colendæ. *Sed quô sensu id accipiendum, quod SS. Virgo Deipara exemplum Virginitatis servandæ in Elia habuerit, cum ipsa dicatur*: sine exemplo placuisse Domino? *Scrupulum illum, ne quis eô offendatur, removet venerabilis & eximius Annalista Ordinis Lezana tomo 1. Annalium.* Intentum enim Joannis, *inquit*, (*idem dicendum de Soto*) solum est, Eliam priùs tempore B. Virgine huic se Virginitatis observantiæ mancipasse; quod est verissimum. Cum etiam verissimum sit, nec Joannes id refragetur, Beatam Virginem primam dignitate, eminentiâ, intentionis, & perfectionis Ordine in hujusmodi prærogativa extitisse. Quemadmodùm enim, licèt innocentia Abel, obedientia Isaac, patientia Job, & aliæ Patrum priscorum eximiæ virtutes tempore priores Christô fuerint; præstantiâ tamen, excellentiâ, ordine intentionis, & dignitate, charismatibus similibus ejusdem Christi cedunt; sic pariter de Virginitate Eliæ, eum Sanctissimæ Deiparæ Virginitate censendum, ita ut ille prior tempore fuerit, hæc verò prior in intentione, dignitate, & excellentia. Undè licèt aliquô modô, spectatâ scilicet temporis diuturnitate, B. Virginem ad Eliæ exemplum, eam observasse, & vovisse dici possit (quô sensu Joannes relatus loquitur) simpliciter tamen, & absolutè loquendo, potiùs è contrà affirmare debemus, Virginitatem videlicet Sanctissimæ Virginis exemplarem causam, & veluti finalem Virginitatis Eliæ, & aliorum Prophetarum fuisse. *Ratione scilicet declaratâ in notis ad caput 1. hujus libri: ubi ostendimus, Eliam ad exemplum, & honorem Virginis Deum parituræ, in typo nubeculæ præcognitæ Virginitatem servasse, & servandam suis tradidisse. Id quoque eruditè, & profundè explicat Wastelius libro 1. Vindiciarum sectione 5. artic. 4. ubi respondens ad quendam existimantem, quod nemo ante B. Virginem* Mariam *Virginitatem servaverit, seu voverit; quia id præjudicare videtur honori ipsius, quæ* Virgi-

Lez. ad annum mundi 4032. Christi 11. n. 4. & seq.

Illa autem prima est dignitate, eminentia, & perfectione.

Simile in virtutibus Abel & aliorum comparativè ad Christum.

Virginitas B. Mariæ fuit causa exemplaris & finalis Virginitatis Eliæ, & aliorum.

Qui intuitu Virginitatis istius castitatem sunt amplexati.

Virginitatis Primiceria à Patribus nuncupatur. Quod Carmelitanus, *inquit*, Ordo S. Eliæ hîc exemplum, dicit, idem re-ipsâ est, atque si dicat, intuitu Virginitatis futuræ Deiparæ, institutum suum istud Eliam inchoasse, significatæ per nubeculam ascendentem in montem Carmelum; ipsam autem Virginem MARIAM uti figuratam, per eandem nubeculam, idem mysterium in seipsa adimplevisse. Qui profectò honor, quòd ejus intuitu institutus fuerit propheticus ille Ordo, major omnium judiciô, est, quam si pro Virgineo voto, seu primatu ejus, contendere facias ipsa dumtaxat tempora. *Plura ad intentum videri poterunt apud Wallelium, & Lezana dictis locis: ibi enim, & alibi, ostendunt, quod etsi B. Virgo Deipara aliquò modò dici queat æmulata Eliam, aut alios veteris Testamenti, qui priores tempore Virginitatem servaverunt, ipsam tamen Virginem Sanctissimam simpliciter, & absolutè dignitatis, Eminentia, & præstantia Ordine, primum exemplar, & veluti finem in re tam ardua amplectenda appellari debere. Id quidam convenienter, & eleganter sic paucis declarant:* Elias primus omnium mortalium votivâ se castitate insignivit, & sic tamquam typus antecessit Virginem Deiparam summum prototypum. Et is fructus fuit anticipativè exempli Virginis Sanctæ.

Id cedit in majorem Deiparæ honorem.

Et sic typus præcessit summum prototypon.

233. (d) Fœminarum Virginum caput Beata MARIA est. *Ita quoque (præter Ioannem Ierosolymitanum, & Venerab. Bedam jam adductos) scribunt alij Patres, eam primam, quæ inter fœminas Virginitatis vexillum erexit, statuentes; inter viros autem* in veteri lege *primus Virginitatis* flores carpsit (*ut loquitur S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium*) Elias *cum suis discipulis. Alij autem Patres ipsam absolutè* primiceriam, primipilam, Principem, & ducem Virginum *nuncupant; tùm ratione eminentiæ, & ob singularissimas suæ Virginitatis prærogativas, tùm quòd fuerit inter omnes fœminas, & in novo testamento prima, quæ Virginitatem coluit, ejusque colendæ exemplum præbuit, tum quòd etiam respectu Virginitatis Eliæ, & aliorum in veteri lege ipsa fuerit causa exemplaris, & quodammodò finalis, tum denique, quod ipsa absolutè prima fuerit, quæ unà cum S. Iosepho concordi mente oretenus, & expressè Virginitatem vovit; sicque vovendi aliis exemplum præbuit; prout ex decreto Ecclesiæ, S. Augustino, & Waldensi demonstratur in Vinea Carmeli in Appendice. cap. 5.*

B. Virgo Maria Virginum caput, Princeps, primiceria,

Et causa exemplaris respectu omnium.

CAP IV.

Quòd Carmelitæ pro incarnatione Filij Dei oraverint, & in suis orationibus exauditi sint.

IOANNES IEROS.

234. IOANNES XLIV. EPISC. IEROS. *ubi suprà.* Tandem demonstratum fuit discipulis Eliæ, in eadem visione, quô ordine nasceretur Dei filius de hac Virgine. Nam mox ut puer Eliæ, scilicet cœtus discipulorum ejus, vidit nubeculam illam de mari quasi vestigium hominis in Carmelum ascendere, dixit Elias puero suo: *Ascende, & dic Achab, junge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia.* Signum quippè expressum imminentis incarnationis filij Dei fuit, quod *puer*, scilicet cœtus discipulorum Eliæ, vidit *nubeculam*, id est, infantulam illam quasi vestigium hominis *ascendere* per modum prædictum in Carmelum, hoc est, ad tantam circumcisionis scientiam, ut servare vellet virginalem continentiam. Unde cum cœtus professorum hujus Religionis audisset in Jerusalem, juvenculam illam vovisse Deo virginalem continentiam, confestim perpendit, quod adventus filij Dei propè, & in januis erat. Et quemadmodum Elias præceperat, ita ascendit tunc cœtus discipulorum ejus per orationem ad *Achab*, qui *fraternitas paternitatis* interpretatur: Significat enim Dei filium, inter quem & genus humanum, antequam ipse incarnaretur, erat fraternitas tantum paternitatis: quia à quo patre fuit Dei filius æternaliter genitus, ab eodem patre fuit creatum genus humanum. Hinc Dei filius non confunditur patrem suum appellare etiam patrem eorum, dicens: *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum:* Sed quia inter genus humanum, & Dei filium, antequam ipse incarnaretur, non erat fraternitas maternitatis: quoniam Dei filius nondum erat ex matre natus. Ideò optans cœtus discipulorum Eliæ, ut hæc fraternitas inter eos fieret, ascendit per orationem ad Achab; id est, ad Dei filium. Et sicut Elias præceperat, ità (a) suppliciter Dei filio dicebat, *Iunge currum tuum.* (b) Currus quidem à currendo est dictus: Est enim vehiculum circularis figuræ, & habilis ad portandum onus: Significat autem divinam filij Dei naturam, quæ est circularis, id est, æterna, carens, instar carri, principio & fine, per quam divinam naturam ipse *exultavit. Ut gigas ad currendam viam: portans*, ut Apostolus ait, *omnia verbô virtutis suæ.*

B. Virgo Deipara præfigurata per nubeculam.

3. Reg. 18.

Fraternitas paternitatis quid sit pulcherrimè declaratur.

Ioan. 20.

Similiter quid fraternitas maternitatis.

(a)

(b)

Psalm. 18.

Hebr. 1.

235. Dicebat ergo suppliciter tunc sibi puer, id est, cœtus discipulorum Eliæ, *junge*, nostræ scilicet naturæ, *currum tuum*, id est, æternam naturam tuam, & *descende* ad nos: *Ne te occupet*, id est, retardet, sed magis provocet *pluvia*: Scilicet quod *descendes sicut pluvia.* Decet enim te *sicut pluvia in vellus descendere.* Quoniam vellus pluviam in ipsum sine strepitu descendentem accipiendo, vel reddendo non rumpitur, sed integrum servatur. Ita quoque te decet taliter absque strepitu operationis humanæ in *nubeculam*, id est, Virginem MARIAM placidô illapsu descendere, & *currum tuum*, id est, æternam naturam tuam humanæ naturæ in utero Virginis jungere: ut virgo te Deum simul & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur; sed integra in sua virginitate conservetur. Fuerunt autem exauditi Eliæ discipuli in hac supplici eorum deprecatione, sicut sequitur in prædicta visione, *Cumque*, inquit, *se verteret huc*, scilicet ad contemplandam in adolescentula spontaneam virginitatem, *atque illuc*, scilicet ad deprecandam pro descensu filij Dei summam Deitatem; *Ecce cœli contenebrati sunt, & ventus, & nubes: & facta est pluvia grandis.* Per *cœlos* honor, virtus, & celsitudo filij Dei intelligitur, cujus adventum præstolans Propheta dicebat: *Domine inclina cœlos tuos & descende.* Per *nubem* Virgo MARIA, sicut dictum est, designatur. Per *ventum* verò Spiritus sanctus significatur: quemadmodum per Prophetam dicitur: *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Igitur cœli, & nubes, & ventus, fuerunt contenebrati: quoniam *virtus altissimi ita obumbravit* illi virgini; quod Dei filius, per operationem sancti Spiritus, junxit sibi ex carne Virginis illius animatum corpus humanitatis, quasi *umbraculum* suæ divinæ lucis: Quemadmodum Gabriel Angelus illi Virgini ita prædixerat: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissi-*

Divina natura & currus comparatio concinna.

Nubecula & venti explicatio subtilis & insignis appropriata Incarnationi Christi.

Psalm. 143.

Psalm. 147

Nubes est B. V. Deipara, ventus Spiritus S.

Lucæ 1.

tissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei. Et tunc *facta est pluvia* gratiæ *grandis*: quoniam *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis: de cujus plenitudine omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia*, ut ait Joannes Euangelista.

Joannis 1.

ANNOTATIONES.

Daniel.

236. (a) SUppliciter Dei filio dicebat (*coetus discipulorum Eliæ*) junge currum tuum, id est, æternam naturam tuam, & descende ad nos. *Quod, & qualiter discipuli S. Eliæ pro descensu & Incarnatione verbi, oraverint, & exauditi fuerint, declaratur à Lezanâ in Annalibus Ordinis sub finem. Hic congruit Historia ex S. Cyrillo, Petro Dorlando, Ioanne Paleonydoro, Guilielmo Pepino, Petro Morales, atque aliis multis luculenter in Annalibus Ordinis, & compendiosè in vineâ Carmeli descripta de tribus Carmeli Eremitis, qui annis septuaginta septem ante Christi nativitatem, in Oratione & jejunio persistentes, in spiritu rapti pulchram viderunt arborem, unde pulchrior germinabat virga, quæ speciosissimum producebat ramum, & ex eo prodibat flos purissimus, atque flagrantissimus, odore Dei ficô cœlum, & terram perfundens. Arbor indicabat Emerentianam Matrem S. Annæ: & hæc per virgam præfigurabatur: ramus autem ille denotabat Virginem Deiparam: & flos purissimus* IESVM CHRISTVM *significabat. Et id est quod frequenter in Ecclesia repetitur.* Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem, & super hunc florem requiescit spiritus almus.

Revelatio insignis facta Carmeli Eremitis, circa Christi, & consanguineorum ejus ortum.

De hac revelat. vid. Lezana to. 1. Annal. ann. 77. ante Christ.

237. (b) Currus quidem à currendo est dictus; est enim vehiculum circularis figuræ, & habilis ad portandum onus, significat autem Divinam filij Dei naturam, quæ est circularis, id est, æterna, carens instar currus principio & fine. *Circa ista rectè animadvertit Wastelius libro 1. Vindiciarum pro libro de Institutione primorum Monachorum.* Sim vanus, *inquit*, si non & hinc probavero efficaciter libri authorem fuisse græcum. Quid enim longius à communi sensu legi potuit, quam currum esse circularis figuræ & declarat interpretis licentia τρόχος (quod significat rotam, utique circularis figuræ, & carentem principio ac fine) traductum fuisse currum.

Currus, (verius rota) quomodò divinam naturam significet.

CAP. V.

Quâ ratione cultores hujus Religionis Fratres Beatæ Mariæ Virginis *appellentur, & quare huic Virgini specialiter famulentur.*

IDEM IOAN. IEROS.

Mysterium incarnationis filij Dei, de Virgine notum olim Eliæ posteris.

238. RɛEcensuerunt igitur hujus Religionis professores, Deum prædecessoribus eorum per visionem prædictam specialiter revelasse, infantulam quamdam fore nascituram, quæ ex utero matris suæ munda ab omni peccatorum sorde egrederetur; & instar eorum virginitatem spontaneâ amplexaretur; de qua Virgine Deus homo nasceretur. Contemplantes autem ipsi hæc omnia postmodùm fuisse adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepisse à filio Dei desideratum ab eis pluviæ, id est, gratiæ, beneficium, curaverunt devotione assiduâ deservire huic Virgini, dudum eorum prædecessoribus revelatæ, ac desideratæ, & posteà eis exhibitæ. Et studuerunt hanc specialiter Virginem ideò sibi ipsis in Patronam eligere; quia noverunt ipsam solam esse singulariter eis conformem in primitiis virginitatis spontaneæ. Quemadmodùm enim virginitas spontanea fuit primò per priscos professores hujus Religionis propter Deum inchoata, & in viris introducta; ita eadem virginitas fuit postmodùm per Dei Genitricem primò in fœminis introducta, & incœpta, sicut commemoravimus suprà: propter quod sicut Religiosi Carmelitæ sunt primicerij virorum sponte virginum; ita Beata MARIA est fœminarum votò virginum primiceria. Quæ conformitas primitiarum spontaneæ virginitatis, singulariter inter Dei Genitricem, & Religiosos Carmelitas dudùm prophetata, & posteà adimpleta, fuit causa quod Religiosi Carmelitæ Virginem MARIAM jam tempore Apostolorum dicebant sororem suam: & propter dictam conformitatem seipsos fratres Beatæ MARIÆ Virginis appellabant.

Qui ab ipsa dicti sunt fratres B. Mariæ Virginis.

De nomenclatura *sororis, & fratris* vide hic infrà num. 249.

239. Non arbitror autem quod negare velis, quin, eâdem Religione salvâ, professores ejus, ex causis diversis, possint in temporibus discretis designari variis titulis. Alioquin in illum incideres errorem, quod Religio Christiana non esset eadem in nobis quæ fuit in Apostolis, & Christi discipulis: quoniam Christianæ Religionis professores in exordio prædicationis, Christi, & Apostolorum non eodem designabantur cognomine, quô nunc designantur. Testante namque Beato Lucâ, cum Christianitatis professores priùs dicerentur *discipuli*; postmodùm tamen Antiochiæ primò cognominati fuerunt *Christiani*. Nunquid autem quia prius aliô quam nunc cognominabantur titulô, dicemus aliam fuisse in eis Religionem Christianitatis, quam sit in nobis? absit. Nec ergo debes absurdum reputare, Monachos nunc montem Carmeli inhabitantes ejusdem esse Religionis cum illis, qui in dicto monte conversabantur antè incarnationem Salvatoris: licet illi *Prophetæ, & Filij Prophetarum*, dicerentur; & isti, *Fratres Beatæ Mariæ Virginis* cognominentur. Tunc enim, ut diximus, ipsi vocabantur *Prophetæ*, quandò cum instrumentis musicis in psalmis, & canticis, Deo psallebant.

Religio identitate salvâ, successivè variis nominibus designari potest.

240. Adveniente autem novâ lege, ritus psallendi Deo cum omnibus illis instrumentis musicis cessavit, & fuit in alium mutatus; sicut ait Apostolus: *Implemini Spiritu sanctô, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*: Et quia ritus ille antiquus psallendi Deo cum instrumentis musicis nunc in nostra Religione non observatur, ideò ejus professores modò *Prophetæ* non appellantur. Tunc etjam ipsi rectè *Filij Prophetarum* dicebantur, quandò per prophetas, ut prædiximus, regebantur: nunc autem per prophetas non reguntur, ideò nec *Filij Prophetarum* vocantur: Sicut eos tunc appellari *Fratres B. Mariæ Virginis*, nullus Sanæ mentis diceret, cum Virgo MARIA nondùm nata esset: sed, sicut dictum est, postquam tam expressam, & propriam primitiarum spontaneæ Virginitatis conformitatem inter se, & Dei Genitricem cognoverunt adimpletam;

Ad Ephes. 5

Cur loco nomenclaturæ Prophetæ, *& Filij* Prophetiã *FF. B. Virginis Mariæ suppositã.*

tam; ipsi ex tunc *Fratres Beatæ* MARIÆ *Virginis* appellari fuerunt: & in memoriam visionis de ortu hujus Virginis, præostensæ sancto Prophetæ Eliæ, sub specie nubeculæ ascendentis de mari in Carmelum, Monachi prædicti, (a) anno incarnationis filij Dei octogesimô tertiô, diruentes eorum semnion antiquum, ædificaverunt ad honorem hujus primæ Virginis Deo dicatæ, capellam quamdam in monte Carmeli, juxta fontem Eliæ, in situ illo in quo Elias orans viderat *nubeculam* illam, *quasi vestigium hominis*, de mari ascendere in Carmelum: ubi professores prædicti, seipsos huic Virgini commendantes, singulis diebus (* in septem horis canonicis) ad effundendum dictæ Virgini, & ejus filio, sedulas preces, & supplicationes, atque laudes, ex tunc semper convenerunt; (b) ibique de verbo divino, culpisque vitandis, & animarum salute procuranda, humili colloquiô ad invicem contulerunt: & propterea cæteri, etiam ab eorum religione externi, eos deinceps *Fratres Beatæ* MARIÆ *Virginis de monte Carmeli* semper appellaverunt.

(a) *Capella in Carmelo dicata B. Virgini, quando vid. not. nu. 242.*

* Additium id videri notat Wastelius.

(b)

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

241. *Super Cantica in expositione quarti libri:* Capilli tui sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de monte Galaad. Greges caprarum quæ apparuerunt de monte Galaad, utique gregres sunt rationales, qui tunc apparuerunt cum illi viri esse cœperunt, de quibus Apostolus dicit. *Circuierunt in melotis, & in pellibus Caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ.* Apparuerunt, inquam, de monte Galaad, id est de Civitate ejusdem nominis, sita ad radicem montis Galaad, cujus habitator fuit Elias, sicut scriptum est: *Et dixit Elias, Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab. Vivit Dominus Deus Israël in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxtà oris mei verba.* Hæc dixit, & fecit ille primus Auctor, & Institutor eorum qui dicti sunt filij prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri testamento consentit auctoritas Patrum. Qui tunc dicuntur apparuisse; quia jam dictus eorū Institutor Elias sic repente illic inducitur, ut antea nusquam scriptura meminerit quis fuerit, vel undè progenitus. Capilli ergo tui, ô MARIA, mater misericordiæ, sunt similes gregibus istis, quia cogitatus tui adeò subtilissimi fuerunt, ut fugeres ad deserta gentium propter sanguinem quem synagoga effudit, sicut illi in solitudinem fugerunt propter sanguinem, quem persequebatur Iezabel, secundùm nomen suum, quod interpretatur fluxus sanguinis, interficiens Prophetas Domini. Ergo capilli tui, id est cogitationes tuæ, sunt sicut greges caprarum, id est similes illis gregibus; quia sicut illi, ita omnis meditatio tua, solitudinem, & requiem in omnibus quæsivit.

3. Reg. 17.

Elias auctor filiorum Prophetarum Monachorum veteris testamenti.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

242. (a) Anno incarnationis filii Dei Octogesimô tertiô. *Pro anno 83. legendum 38. eò quòd ex transpositione characterum numeralium error irrepserit, existimat Segerus Pauli Coloniensis (de re historica nostra benè meritus) in vita S. Thelesphori Pontificis & martyris ad diem 5. Ianuarij, Actis Sanctorum inserta per Agiographos præstantissimos Ioannem Bollandum & Godefridum Henschenium. Wastelius verò in notis variarum lectionum ad ista verba capitis XLIII. libri de institutione primorum Monachorum, verisimiliùs autumat legendum 43. Nos cum Annalista nostro Lezanâ Tomo 2. Annalium Ordinis utramque illam opinionem sua in hac parte probalitati relinquentes, numerum istum 83. retinendum potiùs sustinemus; illum enim expressè assignant Omnia libri istius exemplaria MSS. Et impressum Venetum: eundemque exprimunt passim Ordinis Historici alij. Sed animadvertendum ex dicto loco Annalium, non semel, sed bis capellam, aut Oratorium Carmeli colonos sua tutelari* MARIÆ *nuncupasse, aut, quod idem est, non unum, sed duplex fuisse tale Oratorium, etsi in eodem monte, diversò tamen tempore, ac locô erectum, mutatum, seu translatum. Alterum quidem in declivio, seu latere ipsius. Et illud ei dicatum fuit sub annum Christi 38. Alterum verò in montis summitate, vel vertice, annò Christi 83 Sicque Historiæ veritati, scriptorum diversitati, nostrorumque pietati, ac devotioni ergà communem Matrem, sibi pluribus titulis specialem, satisfactum erit. Ita annales Ordinis ibi. Eadem latius declarantur ad annum Christi 83. & in Apparatu ejusdem Tomi cap. 6. num. 11. & 12. ubi plurimorum illustrium scriptorum testimonia de utroque illo Oratorio, sive uno eodemque mutato, seu translato, videri poterunt. Quædam dumtaxat succinctè huc adducemus. Vetustissimus scriptor Iosephus Antiochenus in speculo perfectæ militiæ Christianæ cap. 12. hæc de priore seu primo loco & tempore constructo, memoriæ prodit.* In montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium, salvatoris Matri specialissimè servierunt. *De illo Ioseph vide in notis ad caput. 8. libri V. Testatur de eodem Oratorio S. Cyrillus Constantinopolitanus in libro de processu Ordinis hujus inserto huic operi, tempe illud adhuc perstitisse, & per B. Albertum Patriarcham Ierosolymitanum fuisse* renovatum *sub illud tempus, quo Regulam dedit. Vide hic infrà lib. 8. cap. 2. Ioannes Bacho in tractatu de Institutione hujus Ordinis cap. 3. & alio Opusculo inscripto:* Compendiū Historiarum & jurium &c. Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli, *sic illius paucis meminit.* Post incarnationem quoque Oratorium in Carmelo sub titulo Beatæ MARIÆ erexerunt. Propter hoc ab eâ rectè intitulati sunt. *Armachanus Hiberniæ Primas apud Waldensem in Doctrinali fidei agens de Eremitis seu Monachis montis Carmeli: hæc inter cætera de Oratorio illo refert:* Illi Eremitæ prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi, & in uno latere montis ipsius primò Ecclesiam, sive Oratorium in honorem B. Virginis construxerunt, *Sed ne hic prolixiores simus, ex alys plurimis (quorum testimonia pro hoc sacello Lezana in apparatu ad tomum 1. Annalium cap. 6. adducit, aut loca, ubi de eo tractant indicat) quosdam hic nominasse sat erit: suntque (inter cæteros) de domesticis Ioannes Grossius, Bernardus Olerius, Baptista Mantuanus quondam Generales Ordinis, Ioannes de Malinis, Arnoldus Bostius, Ioannes Paleonydorus Ordinis Historici: De exteris Ioannes Trithemius, Ascensius Badius, Sebastianus Murrho, Iudocus Clicthoveus, Doctor Navarrus, Hieronymus Platus, Emmanuel Rodriguez, Ioannes de Carthagena, Aubertus Miræus, Petrus Calvus &c. De eodem Oratorio egimus peculiariter in Vineâ Carmeli parte 3 cap. 13. per totum, & alibi hinc inde, & in sequentibus quandoque sermo recurret.*

Lezana ad ann. Christi 38. n. 22. & 23.

Oratorum, seu Capella in Carmelo Virgini Deipara dicatū anno Christi 38. & renovatum seu translatum an. 83.

Auctores de illo Oratorio scribentes.

243. (b) Ibique de verbo divino, culpisque vitandis, & animarum salute procuranda, humili colloquiô ad invicem contulerunt. *Eadem parumper sic mutata, Albertus inseruit Regulæ, ex hoc libro compendificata, articulô sextô:* Dominicis quoque diebus, vel alijs, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, ubi etiam excessus, & culpæ fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate mediâ corrigantur.

In illo Oratorio etiam colloquia spiritualia fiebant

CAP. VI.

Quòd, & cur hujus Religionis professores in Lege veteri fuerint Prophetę *&* Filij Prophetarum, *&* Carmelitę *appellati.*

PHILIP. RIBOTI.

244. **A**CTOR: Quidam ignorantes pluralitatem titulorum, diversis, ac justis rationibus nostræ Religioni attributorum, inciderunt in hunc errorem, ut illud quod in uno loco de nostra Religione sub uno titulo scribitur, & illud quod alibi de eadem sub alio titulo dicitur, putaverint de diversis Religionibus esse dictum. Ideò, ut huic errori obvietur, sciendum hanc Religionem octo præclaris titulis fuisse suis temporibus designatam, quorum tres fuerunt ei attributi sub lege veteri, & alij quinque sub lege Euangelij. Et licet titulus multis modis dicatur, tamen ut hic sumitur, titulus est signum, sive inscriptio laudis, & honoris illius rei cui inscribitur. Hæc autem inscriptio nihil aliud est, quam honorabilis quædam rei denominatio, sive designatio: Et dicitur titulus quasi titanus, id est illuminans, sive decorans, scilicet rem ipsam cujus est titulus. Professores ergo nostræ Religionis primo in lege veteri intitulati & appellati fuerunt (a) *Propheta*, id est psallentes, pro eo sicut supra librô secundô, capite secundo dictum est; quia ipsi per Eliam Prophetam fuerunt ad hoc officium instituti, ut propherarent, id est Deo psallerent, & ut ipsum non solùm corde, & ore, sed etiam cum instrumentis musicis laudarent. Deindè quia Elias quosdam ex professoribus hujus Religionis excellentes Prophetas assumpsit ad eam secum regendam: Ideò professores hujus Ordinis sunt intitulati, & appellati fuerunt *Filij Prophetarum*; quia, sicut supra, librô secundô capitulô tertiô fuit dictum, ipsi fuerunt dictorum Prophetarum discipuli, & sub disciplina regiminis eorum constituti.

Religio eadem diversis titulis denominari potest.

Titulus quid sit.

Apposita, & insignis declaratio.

(a)

Professores hujus Religionis olim dicebantur Propheta, & Filij Prophetarum.

245. Consequenter, quia Elias præ cæteris eremis montem Carmeli frequentavit, ac magnis miraculis decoravit, propter quæ sui discipuli ad ejus imitationem in monte Carmeli præcipuè habitare semper elegerunt, sicut supra, librô tertiô capitulô quartô & quinto dictum fuit: ideò professores hujus Religionis tertiò intitulati, & appellati fuerunt *Carmelita* à monte Carmeli; quia hæc Religio ab initio in dicto monte Carmeli plantata fuit, & ibi maximè semper viguit, & ab eo in cæteras mundi partes derivata fuit, ut supra libro tertio capitulo tertio & quinto dictum fuit. Ideò etiam vocati fuerunt *Carmelita*, quod est interpretatum, scientes circumcisionem; quia hoc quod circumcisio indicat, scilicet castitatem mentis, & corporis servandam, & impudicitiam, rescindendam, professores hujus Religionis sciverunt in se adimplere: Nam ipsi primi virorum spontaneam virginitatem custodientes, circumciderunt prorsùs ab omnibus venereis voluptatibus suas mentes, sicut supra capitulô tertiô hujus sexti libri dictum est. His ergo tribus titulis præfatis fuerunt jam sub lege veteri propter causas prædictas professores hujus Ordinis designati.

Et Carmelita à Carmelo.

Et ob rescissam impudicitiam.

ANNOTATIO.

(a) **D**E *Nomenclaturis illis* Prophetæ, Filij Prophetarum, Carmelitæ *videri poterunt nota ad caput 2. & 3. libri secundi & ad caput 5. libri tertij.* DANIEL.

CAP. VII.

Quòd sub Lege Euangelij alumni hujus Ordinis fuerint & Religiosi, *&* Fratres Beatæ MARIÆ Virginis, *&* Monachi, *&* Eremitæ, *&* Anachoretæ *dicti, & quare his titulis fuerint decorati.*

IDEM PHIL. RIB.

246. (a) **I**N novâ vero lege ipsi primò quidem intitulati, & appellati fuerunt *Religiosi*, quasi Deo religati, & ejus cultui totaliter mancipati; quia se à sæcularibus actibus prorsùs abstrahebant, & seipsos Deo religabant, totam vitam suam cultui divino dedicantes. Et sub hoc titulo memorat eos Beatus Lucas in secundo capitulo libri Actuum Apostolorum, sicut supra librô quintô capitulô quartô fuit dictum. Deinde autem ipsi secundò fuerunt *Fratres Beatæ* MARIÆ *Virginis* ideò intitulati, & cognominati; quia in primiciis virginitatis Spontaneæ fuerunt singulariter conformes Beatæ Virgini MARIÆ. Sicut enim ipsa fuit prima fœminarum quæ Deo vovit perpetuam Virginitatem; ita prisci professores hujus Ordinis primi virorum virginitatem perpetuam Deo obtulerunt, sicut supra capitulô tertiô hujus sexti libri fuit dictum. Propter quam primiceriam Spontaneæ virginitatis similitudinem singulariter repertam inter eos, & Dei Genitricem, professores hujus Ordinis jam tempore Apostolorum Virginem MARIAM appellabant (b) sororem suam, & seipsos Fratres Beatæ MARIÆ Virginis cognominabant, sicut supra capitulô quintô hujus sexti libri est dictum. Et quia in monte Carmeli ad honorem hujus primæ Virginis Deo dicatæ Genitricis Dei, annô incarnationis Christi octuagesimô tertiô capellam quamdam ædificaverunt, in qua eidem Virgini jugiter deservierunt: ideò etiam cæteri ab eorum Religione externi eos ex tunc *Fratres Beatæ* MARIÆ *Virginis de monte Carmeli* vocaverunt, sicut supra in hoc sexto libro, capitulô quintô fuit dictum.

(a) *In nova lege dicti fuerunt Religiosi.*

Et Fratres B.V.Mariæ.

Rationes hujus tituli.

247. Consequenter quia eorum conversatio à sæcularium vita discrepabat, quam fugientes extrà urbes soli in montibus, & solitudinibus præcipuè stabant, se, & mundum exemplô Eliæ lugentes: ideò tertiò intitulati, & appellati fuerunt *Monachi*, quasi tristes, & soli, à *monos* græcè, quod est *unus*, latinè, & a *chos* græcè, quod est *tristis* latinè. Et quia Monachorum alij sunt cœnobitæ, alij eremitæ: & professores hujus

Cognominati etiam fuerunt Monachi.

Eremitæ.

hujus Religionis, & Ordinis olim in eremis maxime degebant, propterea quartò intitulati, & appellati fuerunt *Eremitæ*, quasi à conspectu hominum remoti; quia solitariam vitam appetentes, desertas solitudines, montis Carmeli, & aliarum eremorum penetrabant. Quoniam autem in solitudine corda sua propter Deum jejuniis, & aliis variis afflictionibus angebant, ut mente in cœlestibus choris habitarent, sicut supra in tertiò libro, capitulò octavò fuit dictum, ideò quintò ipsi intitulati, & appellati fuerunt *Anachoritæ*, quasi corda angentes jejuniis, & afflictionibus, & quasi sursùm in cœlestibus choris mente habitantes. His itaque quinque titulis fuerunt professores hujus Ordinis sub lege nova decorati.

Anachoritæ.

ANNOTATIONES.

Daniel.

248. (a) E*Tiam aliis variis (præter istos octo, de quibus hoc & præcedenti capite) titulis seu nominibus, quandoque alumni hujus Religionis nuncupati fuere tam sub veteri, quam sub nova lege. Celeberrimum autem nomen, quo à Philone & Iosepho Iudæis, Plinio ac Solino Ethnicis, aliisque Orthodoxis scriptoribus frequenter appellati fuère, est* Esseni: *quos sinceræ fidei, & veri nominis Monachos, & Prophetici Eliani Ordinis Sobolem esse gravissimorum Scriptorum authoritatibus est in peculiari Tractatu* De Essenis *ostensum.*

S. Eliæ posteri dicti etjam fuerunt Esseni.

249. (b) Appellabant Sororem. *Impropriâ scilicet locutione, sicut Christus discipulos suos nuncupat* Fratres: Nuntiate Fratribus meis, *Et*: vade ad fratres meos. *Et alibi* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei . . . Ipse meus frater, & soror. *Ita quoque Religiosi Ordinis hujus jam olim, & modò dicuntur,* Fratres B. V. MARIÆ. *Rationem hujus appellationis, vide hic suprà capite 5. hujus libri sexti.*

Matth. 28. Matth. 12. Ioan. 20.

CAP. VIII.

De illis titulis quibus sectatores hujus Ordinis nunc designantur; & quare aliis antiquis titulis modò non denominentur.

IDEM PHIL. RIB. (a)

250. (a) PRædictorum autem octo titulorum, quidam sunt communes tam professoribus nostri Ordinis, quam aliis; quidã vero sunt speciales, & proprij professoribus hujus Religionis. Quippè professores hujus Ordinis communi titulò, sicut multi alij, vocantur *Religiosi* & *Monachi* & *Anachoritæ* & *Eremitæ*, propter causas prædictas. Sed quia his diebus ipsi magis inhabitant villas, & civitates, quam deserta, ideò ex dissuetudine quasi evenit quòd nunc rarò appellentur *Anachoritæ* vel *Eremitæ*. Specialibus verò titulis ipsi vocati fuerunt *Prophetæ* & *Carmelitæ* & *Filij Prophetarum*, & *Fratres Virginis* MARIÆ: Et horum quatuor specialium, & præcipuorum duos retinent his diebus: quoniam propter rationes prædictas adhuc ipsi appellantur *Carmelitæ* & etiam *Fratres Virginis* MARIÆ. Alios vero proprios titulos non valent modò retinere; quoniam ritus Deo psallendi cum instrumentis musicis dudùm in lege veteri observatus, adveniente novâ lege cessavit, & fuit in alium mutatus, sicut supra quintò capitulò hujus sexti libri dictum fuit. Quia ergò modus Deo psallendi cum instrumentis musicis quondam in lege veteri observatus, nunc in nova lege non servatur, ideò professores hujus Religionis modò non appellantur *Prophetæ*. Similiter etiam quia his diebus non solum in nostra Religione, sed etiam in tota Religione Christiana rarò reperiuntur aliqui habentes spiritum prophetiæ, ideò nostræ Religionis professores, cum à nullis Prophetis viventibus modò gubernentur, neque regantur, propterea ipsi nunc *Prophetarum Filij* non appellantur, sicut tunc appellabantur, quandò à Prophetis regebantur.

Qui isto titulorum nunc exoleti sunt:

Qui adhuc in usu.

251. Non autem novum est, immò antiquâ consuetudine approbatum, quod Religio aliqua ab illo loco intituletur ubi primò fuit orta & primitùs observata, & à quo in cæteras mundi partes est derivata: Sic enim Ordo Cluniacensium intitulatus est à Cluniaco, ubi primò fuit ortus, & observatus, & à quo in cæteras mundi partes est derivatus: Et Ordo Cistertiensium intitulatus est à Cistertio, & Ordo Carthusiensium à Carthusia: Et Ordo Hospitaliorum ab Hospitali Jerosolymitano Sancti Ioannis; quia dicti Ordines fuerunt in prædictis locis orti, & primitùs observati. Et idem est videre in multis Ordinibus aliis, quòd scilicet sumant suum titulum ab illo loco, ubi primò fuerunt incæpti, & à quo in diversas mundi partes sunt derivati. Quoniam ergò Religio nostra de monte Carmeli habuit initium in dicto monte Carmeli quoad residentiam loci, in quo fuit primò plantata, & ab illo monte in universos Christianorum fines fuit derivata, & multiplicata; ideò ipsa meritò est ubique intitulata *Religio de monte Carmeli*, & sic fuit semper appellata.

Ordines plures denominantur à loco institutionis.

ANNOTATIO.

Daniel.

252. (a) D*E antedictis, & variis aliis titulis, seu nomenclaturis, tam sub veteri, quam sub nova lege Ordinis alumnis attributis accuratè agitur in Annalibus Ordinis tomo primo in Apparatu cap. 7. & etiam tomò secundò, etiam in Apparatu cap. 4. nempe sub veteri lege dicti fuere* Prophetæ Filij Prophetarum, Rechabitæ, Esseni, Assidæi, *& quandoque* Nazaræi: *in nova autem etiam plerumque apud varios sunt nuncupati* Esseni *&* Essæi *(sicut ad caput præcedens annotatum est) ab aliis verò* Therapeutæ, Ascetæ, Ichetæ, *id est,* supplices, Bucoloni, Nonni, Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, *atque aliis nonnullis, quorum alia jam communia sunt, & alia exoleta. Animadvertendum autem, quòd ex ista varietate nomenclaturæ Obscuritas quædam subindè causata fuerit in Carmelitana Historia, dum videlicet apud Scriptores antiquos non sub speciali nomine Carmelitarum, sed sub aliis titulis agitur: & indè non ita perspicuum subindè est, an sub istis nominibus egerint de Ordine hoc Eliano Carmelitano. Sed id ex circumstantiis locorum, & temporum prudenter tum colligendum est. Hinc etiam in nonnullis occasio erroris accidit, ut dum quæ de ejusdem Ordinis cultoribus scribuntur propter diversitatem tamen nominum instituta distincta existiment. Sed debile, & nullum esse argumentum istud: S. Hieronymus, Palladius, Evagrius, Cassianus scribentes de Monachis, & Eremitis non meminerunt Carmelitarum sub isto nomine; Ergo tum non erant: etiam (præterquam quod sit ab Authoritate negata, sed non negante, quod à Philosopho repudiatur) simile est, ut si quis dicat: Seneca non scribit S. Petrum Apostolum fuisse Romæ: Ergo non fuit.*

Alia eorundem nomina.

Varietas nomenclaturæ occasionem obscuritatis causavit in Historia Carmelitana.

LIB. VII.

LIBER SEPTIMUS

De habitu hujus Ordinis, ejusque significatione, et qualiter, ac cur variatus fuerit.

PRÆFATIO.

Libri VII. summarium.

253. Liber iste septimus agit totus de habitu professorum hujus Religionis, & de significatione ejus, & qualiter fuit in aliquibus variatus. Habet autem capitula octo. *Primum*: Qualis generaliter debeat esse habitus Monachorum, & quòd illud quod à paucis circa eum præsumitur, debeat tamquam vanum vitari à fratribus. *Secundum*: Quòd exemplô fundatoris hujus Religionis debeant ejus professores incedere cinctis lumbis, & quòd hoc significet mortificationem luxuriosæ libidinis. *Tertium*: Quòd fundatores hujus Religionis & prisci ejus professores melotis induti fuerint, & cur eorum successores illas in alium habitum mutaverint, significantem illud idem quod melotæ significaverunt. *Quartum*: Quòd hujus Religionis professores scapularibus semper usi sint, & quid scapularia per significationem innuant. *Quintum*: Quòd antiqui hujus Religionis professores pallijs albis desuper vestiti fuerint, & quid illa pallia significent. *Sextum*: Cur hujus religionis professores pallia alba dimiserint, & pro eis pallia barrata assumpserint, quæ aliam significationem habuerunt. *Septimum*: Cur posteriores hujus religionis professores, dimissis pallijs barratis, incedant induti cappis albis. *Octavum*: Quòd deceat professores hujus religionis exemplô antiquorum Patrum baculos in manibus gestare, & quid hoc denotet ex sua significatione.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualis generaliter debeat esse Monachorum habitus, & quod à paucis circa eum præsumitur debeat tamquam vanum vitari à Fratribus.

Cassianus. (a)

Habitus Monachi debet esse, qui tegat corpus, & frigus pellat, alienus à vanitate & à sordibus mundus.

254. Cassianus librô primô de institutis Monachorum, Capitulo tertio. (a) Vestis Monachi sit quæ corpus contegat tantùm, & repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat injuriam, non quæ seminaria vanitatis, aut elationis enutriat, ita Apostolô prædicante: *Habentes autem alimenta, & operimenta, his contenti simus.* Operimenta, inquit, non vestimenta; id est; quæ corpus operiant tantùm, non quæ amictus gloriâ blandiantur, ita vilia, ut nullius coloris, vel habitus novitate inter cæteros hujus propositi viros habeantur insignia. Ita à studiosis accurationibus aliena, ut nullis rursus sint contractis per incuriã sordibus decolorata; Postremò sic ab hujus mundi separentur ornatu, ut cultui servorum Dei in omnibus communia perseverent. Quicquid enim inter famulos Dei præsumitur ab uno vel paucis, nec catholicæ per omne corpus fraternitatis tenetur; aut superfluum, aut elatum est, & ob id noxium judicandum est, magisque vanitatis speciem, quam virtutis ostentans. Et idcircò hæc quæ nec à veteribus Sanctis, qui hujus professionis fundamenta jecerunt, neque à Patribus nostri temporis, qui eorum per successionem instituta nunc usque custodiunt, tradita videmus exempla, ut superflua & inutilia nos quoque resecare conveniet.

ANNOTATIO.

255. (a) Vestis Monachi sit, quæ corpus contegat tantùm. *De vestibus antiquorum Monachorum, ferè per omnia similibus eis, quæ hoc libro septimo describuntur, accuratè tractat idem Cassianus dicto libro de Institutis Monachorum, & alibi: & quidem verbis penè ijsdem hujus libri, ut satis indè manifestum sit (id quod Petrus Wastelius peculiariter declarat libro 1. Vindiciarum) Ioannem Cassianum vetustum scriptorem librum hunc Ioannis Ierosolymitani, de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, non tantum legisse, sed & exscripsisse.* Daniel. Wastel. lib. 1. sect. 1. art. 1. pag. 26.

CAP. II.

Quòd exemplô Fundatorum hujus Religionis debeant ejus professores incedere cinctis lumbis: & quid hoc significet.

256. Ioannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus, in libro de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium. Investigatô in præcedentibus, Ioan. Epis. Jerosol.

demibus, & aliquantulum descriptô, fundatorum, & priscorum professorum nostræ Religionis cultu interiori, à nobis imitando; superest tibi breviter exponere, dilecte Caprasi, exteriorem habitus ornatum eorum, propositum nobis ad exemplum, per quem, interioris dispositionis illorum Patrum à nobis imitandæ, non modicam resenties notitiam. Teste namque Sapiente, *Amictus hominis annunciat de eo.* Quemadmodum fundator primus hujus Religionis fuit à Rege Ochozia cognitus, expositâ Regi per nuncios qualitate sui vestitus. Sciscitabatur namque Rex à suis nunciis, cujus figuræ, & habitus esset vir, qui eis occurrerat, & locutus fuerat. Cui respondentes nuncij, dixerunt: *Vir pilosus est, & Zonâ pelliceâ cinctus renibus.* Ex quo habitu confestim perveniens Rex in Prophetæ notitiam, ait: *Elias Thesbites est.* Zonæ quippè indicio, & hirsuti, incultique corporis specie, virum Dei indubitanter cognovit. Quoniam zona pellicea, velut quoddam speciale signum, impressum suis renibus perpetuò cohærebat: quia accinctis lumbis Elias dudum *cucurrerat*, à monte Carmeli usque *in Iezraël, ante* Regem *Achab*, Patrem Ochoziæ. (a) Hôc ergò suô exemplô docuit Elias Monachum hujus professionis debere cinctum renibus incedere. Nam & Joannes Baptista, qui *in Spiritu, & virtute Eliæ venit*, eum in accinctione lumborum imitatus fuit. De quo Euangelista sic ait: *Erat Ioannes vestitus pilis Camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus.*

Eccli. 19. — *4. Reg. 1.* — *Elias cinctus zona pelliceâ in renibus.* — (a) — *Lucæ 1. Marci 1.*

CASSIANUS *libro primo de Institutis Monachorum capitulo primo*: Itaque Monachum, ut militem Christi, in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis jugiter oportet incedere. Hôc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis hujus fundavere primordia, Eliam scilicet, & Elisæum, divinarum scripturarum auctoritate monstratur.

Cassianus. — *Ipsi & Elisaus professionis monasticæ fundatores.*

257. IOANNES XLIV. EPISC. IER. *ubi suprà*: Hujus autem zonæ habitus non parvum est, quod à Monacho exigitur, Sacramentum. Lumborum enim accinctio, & ambitus zonæ pelliceæ, significat Monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ Seminaria continentur: ut ita, videlicet, sint lumbi ejus zonâ pellis emortuæ exteriùs præcincti, quatenùs interiùs inveniantur Seminaria coitûs in eo prorsùs extincta: decantans dignè cum Propheta: *Factus sum sicut uter in pruina*: quasi, scilicet, gelu continentiæ ita constringendo in lumbis concupiscentiæ carnalis ardorem, sicut pruina congelando perstringit utrem. Hinc in sacra scriptura legimus, Eliam ideò primò omnium zonâ pelliceâ fuisse in lumbis cinctum, quia primus hominum hôc signô dedit Monachis exemplum restringendi in lumbis, & mortificandi, omnis luxuriosi motus incentivum; per modum de quo Apostolus ait: *Mortificate membra vestra quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam.*

Ioan. Ierosol. — *Præcinctio lumborum indicium continentiæ & mortis ad mortificationem.* — *Psalm. 118.* — *4. Reg. 1.* — *Coloss. 3.*

ANNOTATIO.

258. (a) Hoc ergò exemplô suô docuit Elias Monachum hujus professionis debere cinctis lumbis incedere, *videlicet in signum castitatis. Hinc in Regula Ordinis*: Accingendi sunt lumbi vestri cingulô castitatis. *In omnibus Ordinis hujus Constitutionibus cap. de Vestimentis præcipitur*: Religiosi semper sint accincti super tunicam zonis: *& capite de dormitione fratrum ordinatur*: Dormiant omni tempore succincti. *Quoad zonæ significationem isto capite à Ioanne Ierosolymitano indicatam, Consentit quoque Isidorus Pelusiota*, Præcinctio, *inquit*, nihil aliud significat, quam robur, & vim lumborum esse constrictam. *Et S. Dorotheus ait*, zonam esse signum accinctionis ad iter profectus spiritualis, *mortificationis quoque, maximè renum: imò, juxtà S. Gaudentium*, Omnium vitiorum. *Plura ad hoc intentum scribit Cassianus de Institutis Monachorum cap. 2. & 12. ubi notat, illos tantummodò in Scripturis sanctis referri cingulô seu zonâ fuisse cinctos in lumbis qui castitatem servarunt.*

Daniel. Carmelitæ jubentur diù noctuque esse cincti zonâ. — *In signum castitatis.* — *Et quod parati esse debeant ad profectum spirit.*

CAP. III.

Quòd Fundatores hujus Religionis, & prisci ejus professores melotis induti fuerint, & cur eorum successores illas in aliud mutaverint pallium, indicans illud idem quod melotæ significaverunt.

259. Melotas quoque gestasse Fundatores hujus Religionis, Eliam, scilicet, & ejus discipulos, Prophetarum Filios, Apostolus de eis loquens asseverat, dicens: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ.* (a) Dicitur autem *melota* propriè à mele animali (quod etiam * taxus appellatur) de cujus pilis, vel pelle vestis facta, quæ est valdè hispida, est *melota* propriè vocata. Quanquàm quælibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, sit *melota* vulgariter dicta. Nam & indumentum de Camelorum pilis, vel de pellibus caprinis, consuevit *melota* communiter dici à multis. Quô etiam habitu in nova lege Joannem Baptistam fuisse indutum, Euangelista testatur, dicens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.*

Idem Id. an. Ier. — *Elias & discipuli melotas gestarunt.* — *Hebr. 11.* — (a) — * *Id videtur adjectitium.* — *Melota quid?* — *Matth. 3.*

260. Hujus autem melotæ gestatio succedentibus temporibus derisum potiùs, quam ædificationem, eam videntibus, comparabat. Idcircò vestem illam cilicinam, circumspectam: cunctis; quæ ex hoc ipso nulla poterat spiritui emolumenta conferre, sed elationis concipere vanitatem; professores hujus Religionis concordi sententiâ refutârunt. (b) Locô autem ejus tunicam lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ, ejusdem coloris cujus existebat melota, quam subtùs Scapulare gestant, assumpserunt. Quoniam dictorum Sanctorum Patrum nostrorum, tam veteris quam novæ legis, exemplis ostenditur Monacho hujus professionis convenire vestem habere asperam, & magis

Melota cur dimissa. — (b) — *Et ejus locò assumpta tunica lanea ejusdem coloris.*

Religiosis competit vestis aspera magis conterens, quam fovens.

magis conterentem corpus quam foventem; sibique repugnare vestem habere pretiosam, & delicatam, seu mollem, ad delectandum carnem. Si enim habitatori solitudinis conveniret indumentis mollibus vestiri, concessisset utique Dominus hominem *vestimentis mollibus indutum* ita in desertis esse videndum, sicut *in domibus Regum*. Hoc autem vigilanter abnuit ipse, dicens: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt, & in deliciis, in domibus Regum sunt.* (Matth. 11. Lucæ 7.)

Melota, vestisque aspera quid innuat.

261. Hujus autem tam melotæ, quam vestis asperæ, gestatio significat Monachum (cujus officium est lugere se,& mundum) debere Deo exhibere sedulum pœnitentiæ fructum. In asperitate quidem vestis, punctio peccatorum; in colore autem ejus cinereo, vel nigro, pulvis ostenditur mortuorum. Et idcircò utrumque horum debet Monachus adhibere ad pœnitentiam: ut & in punctione asperæ vestis, recognoscat quid per culpam commisit, de quo pungatur, & doleat; & in colore vestis cinereo, seu nigro, perpendat quid per judicium meruit: quia mortem; nedum temporalem, sed æternam, quam paveat. Quemadmodum Propheta ait: *Accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* (Ierem. 6.)

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Melota propriè dicta à Mele animali.

262. (a) DIcitur Melota propriè à Mele. Meles *animal est, de quo Plinius lib. 8. cap. 38. habens pellem villosam, hirsutam & Asperam: & hinc* Melotæ *derivatio. Illud tamen nomen apud probatos Authores etiam accipitur pro pelle ovinâ, & cujusvis quadrupedis. Peculiariter verò isto vocabulo* Melota *denotatur habitus omnis rudis, & Asper conterens potius corpus, quam fovens. De his plura disserit Wastelius libro 1. Vindiciarum sect. 2. art. 7. ubi etiam rectè notat illud* (quod etiam taxus appellatur) *adjectitium esse Interpretis, vel cujusvis alterius.*

Melota est omnis habitus rudis.

Coloris castanei.

263. (b) Locô autem ejus (*Melota*) tunicam lanæ non pretiosæ ejusdem coloris assumpserunt. *Erat autem Melota coloris cinerei-nigri, id est castanei, ostrini, sive grisei, seu potius nigri naturalis non tincti (Gallicè* Couleur Tanuè) *& is color genuinus est Carmelitana vestis. Ideò in vetustioribus Ordinis Constitutionibus, de Vestimentis fratrum decernitur;* Vestimenta fratrum lanea sint ejusdem formæ: habeant Fratres tunicas griseas rotundas usque ad talos descendentes. *Et in Constitutionibus per V. Ioannem Soreth recognitis in Capitulo Generali Bruxellensi anno Domini 1466. publicatis, de vestimentis statuitur.* Vestimenta fratrum lanea sint, ejusdem formæ, ut habeant tunicas amplas griseas, ad nigredinem tendentes; *sic & in Constitutionibus Strictioris Observantiæ à Sede Apostolica iteratis vicibus confirmatis.* Vestimenta fratrum lanea sint, ex grossiori,& viliori panno, ejusdem formæ, ut habeant tunicas amplas griseas, nativi coloris ad nigredinem tendentes. *Plura circa hæc videri poterunt in Vinea Carmeli part. 4. cap. 8. peculiariter autem, & valdè accuratè atque ornatè de illis tractat R. P. Leo à S. Ioanne in Typo vestis Religiosa. Porrò tempore Schismatis perniciosissimi, quod sub annum Domini 1378. initium sumpsit, & supra quadraginta annos duravit, etiam Ordo scissus in duas partes, non pariùm turbatus fuit: Inter alia mala id fuit notabile, difformitas vestium, quibusdam enim in locis assumpta fuerunt nigra tincta, earumque usus paulatim per plures Provincias invaluit: Sed per Reformationem, unà cum Observantia Regulari, etiam Genuinus, & primævus vestium color renovatus fuit.*

(Part. 1. rubr. seu cap. 11.)

Carmelitana vestis color genuinus

CAP. IV.

Quòd professores hujus Ordinis superhumeralibus, seu Scapularibus usi sint semper, & quid Scapulare per significationem innuat.

IDEM IOAN. IER.

(a) *Superhumeralibus usi Elias, & posteri ejus.*

264. (a) SVperhumeralibus etiam prisci nostræ Religionis Professores, tempore legis veteris, utebantur. Præceperat enim Iudæis Lex, in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbriis funiculos, facere. Quas fimbrias cum funiculis dicti professores, juxta legis præceptum, in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. (Deut. 22.) Erat autem superhumerale vestis sine manicis usque ad renes descendens, in utroque latere aperta: brachiis etiam ea nudatis: cujus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. (b) Novæ autem legis tempore huic vesti in opertura colli junctum fuit caputium tegens caput & Scapulas. Idcirco hæc vestis ex tunc dicta fuit Scapulare: quia suô caputiô operit non solùm caput, sed Scapulas: Quam nostræ Religionis professores, fimbriis, & funiculis ab ea resecatis, usque nunc summa cum diligentia diebus, ac noctibus indesinenter gestant.

(b) *Superhumerale idem quod Scapulare: cui in lege nova adjunctum caputium.*

265. Per hoc autem quod hæc vestis, capite, & Scapulis eâ onustis, & opertis, jugiter à Monacho gestatur, denotat Monachum debere semper jugum obedientiæ super se humiliter ferre, & superiori suo irrefragabiliter subjacere; Apostolo Paulo ita prædicante: (c) *Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis. Ipsi pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Hoc enim non expedit vobis.* (c) Hebr. 13. Quoniam si eis non obediretis; Christum, qui eos posuit super capita vestra, sperneretis: Ipse enim Præpositis ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* In eo autem quod hac veste brachia, & latera corporis nudantur, ut expeditiora reddantur ad opus; significatur quòd Monachus eam gestans debet esse promptus ad exercendum opus Domini: quemadmodum Apostolus præcepit, dicens: *Itaque, fratres mei dilectissimi, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* (1. Cor. 15.) Et propterea omnem desidiam debet Monachus ab omni opere Domini repellere. Quoniam, sicut Propheta ait, *Maledictus homo, qui opus Domini facit negligenter.* (Ierem. 48.)

Scapulare denotat obedientiam humilem, & promptitudinem ad opus.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Superhumeralis, id est Scapularis usus antiquissimus in Ordine Carmeli.

266. (a) SUperhumeralibus etiam prisci nostræ Religionis, Professores tempore Legis veteris utebantur. *Hinc habetur antiquissimus usus superhumeralis, (sic nuncupati, quia humeros contegit) quod olim etiam dicebatur* Analabus *& quandoquè* Crux *(prout explicatessimè tradit S. Dorotheus, exponens vestes Monachi:* Analabus *inquit*, ponitur in formam crucis super humeros nostros. Hoc est, Crucis symbolum gestamus, juxta id quod dicit: Tolle crucem tuam & *inferius.* Habemus & Analabum, id est Scapulare, ab hume-

Nuncupatur etiam Anabolus, Crux, patentia.

Maximè privilegiatū est à B. V. Maria.

humeris pendens, quod est crux *Hinc etiam subinde* Patientia *nuncupatur Nunc magis usitatè* Scapulare *dicitur, à Scapulis, utpote tegumentum Scapularum, sive humerorum; quod etsi commune sit plerisque Religiosis, est tamen hôc tempore præcipua, maximeq; privilegiata vestis hujus Ordinis; sine quâ diu noctuque, nec in ullâ infirmitate, unquam esse potest Religiosus hujus Ordinis. Nam quamvis exemplô fundatorum hujus Ordinis, usus ejus semper fuerit tam in veteri, quam in nova Lege; præcipuô tamen cultu, honore, Affectuq; sumus illud amplexati, postquam amantissima nostra Mater, æternum amoris pactum cum nostri Ordinis Generali B. Simone Anglico sancivit; ut speciale tantæ Virginis patrocinium hâc quasi tesserâ communitum, non solùm in ipso Patre servaretur, verùm etiam Virginem inter, illiusque alumnos per immensa sæculorum spatia perennaret. Ita P. Leo à S. Ioanne in typo vestis Religiosæ sect. 9. Nam sicut iris olim signum naturale dumtaxat, deindè à Deo deputata fuit tamquam signum peculiaris pacti de non delendo iterum mundo per diluvium: ita Scapulare olim quidem venerabile; quia pars vestis Religiosæ, deindè ab ipsa Virgine Deipara assumptum fuit tamquam peculiare signum fœderis cujusdam inter eam & Ordinem hunc, & participative etiam inter alios quosvis, qui ejus amore illud suscipiunt, & piè gestant. Sed de his latius in sequentibus, præsertim parte 3.*

Ab ea assumptum in signum fœderis cujusdam.

267. (b) Novæ autem legis tempore huic vesti junctum fuit caputium. *In variis temporibus, & locis varius viguit Superhum talis, seu Scapularis usus; nam tempore veteris legis erat sine caputio, deinde verò superadditum fuit caputium (aliter etiam* cucullus *nuncupatur) quod quandoque Scapulari consutum fuit, vel ex eadem continua materia confectum, ita ut unum quid cum Scapulari haberetur: eô ferè modô, quô inter Carthusianos passim cernitur. Et certè talis in Anglia videtur fuisse usus, quando B. Simon Stock à gloriosa Virgine Deipara Scapulare accepit, ut habetur ex Episcopo Thoma Bradlao, & Arnoldo Bostio, & Annalibus Ordinis tomo quarto, ubi etiam traditur, quod & Sæcularibus, seu Confratribus Ordinis olim Scapulare cum caputio assuto tradi solitum fuerit: quod quoque de exteris tradit, & probat Theophilus Raynaudus in Tractatu de Scapulari Partheno Carmelitico, & hinc etiam in hodiernum usque diem in solemni actu Vestitionis, & Professionis Scapulare, & caputium sub una eademque benedictione tamquam unum quid traduntur.*

Scapulari olim caputium assutum fuit.

De Scapulari olim assuto Caputio vid. Annal. Ord. ad an. 1251 n. 28. & 29

268. (c) Obedite Præpositis vestris & subjacete eis &c. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. *Hæc Albertus Patriarcha deprompsit pro fine Regulæ (habetur his infrà cap. 3. libri 8.) dum sic fratres ad obedientiam hortatur.* Vos autem cæteri Fratres Priorem vestrum humiliter honorate, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum Præpositis etiam ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. *Ex istis, & aliis ad cap. 5. libri 6. & alibi annotatis, habetur quod Patriarcha Albertus ex illo libro Ioannis de Institutione primorum Monachorum desumpserit pro Regula quam concinnavit, non solùm ipsa præcipiendorum argumenta (quod plenius declarabitur libro 8. cap. 4.) Sed & ipsas quandoque dictiones, & phrasim.*

Regula Carmelit. ab Alberto Ierosol. tradita, & liber Ioannis Ierosol. quandoque etiam in phrasi & dictione conveniunt.

CAP. V.

Quòd antiqui hujus Religionis cultores palliis albis desuper vestiti fuerint, & quid illa significent.

IDEM IOAN. IER.

Elias pallio albo indutus incessit.

269. PAlliô quoque indutum fuisse primum fundatorem hujus Religionis Eliam Thesbitem, sacræ scripturæ auctoritate monstratur. Nempe hoc habitu operuit Elias vultum suum, cum in monte Oreb transiret Deus ante eum. Hoc quoque pallium misit ipse super Elisæum, quandò accepit eum in discipulum. Pallium autem istud fuit vestis rotunda, desuper corpus operiens, à collo usque ad medias tibias descendens, ante aperta, alibi clausa, superius angusta, inferius amplitudine expansa. Elias hoc pallium Elisæo dimisit, dum ab eo in Paradisum voluptatis ascendit. Docuit autem per hoc Elias Monachos, hanc Religionem profitentes, debere palliô supervestiri albô: quemadmodùm eos indutos albis Dominus præostendit Sabachæ Patri Eliæ. Ante quippe filij sui Eliæ nativitatem, vidit. Sabacha in somnis viros candidos, qui ipsum salutabant.

Illud dimisit Elisæo.

Præmonstratum fuit Sabachæ Patri Eliæ.

COMESTOR *in Historia Scholasticâ super secundo capitulo quarti libri*: Legitur quod (a) Sabacha Pater Eliæ nondum nati vidit in somnis viros candidatos se salutantes.

PETRUS COMESTOR (a)

270. IOANNES XLIV. EPIS. HIER. *ubi supra*: Quæ visio sibi præsignavit, quales ejus filius Elias imitatores suæ vitæ monasticæ habiturus esset. Cernens namque Sabacha viros candidos, vidit in spiritu Religiosos per Eliam instituendos: Quos ideò candidatos vidit, quia Eliam, velut monasticè vivendi exemplar, erant imitaturi, in candore nedùm mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporali habitus albi eos desuper tegentis. (b) Hujus autem pallij albi gestatio, significat Monachos istius professionis debere & puritatem mentis servare, & etiam Sanctimoniam carnis custodire: quemadmodum Apostolus præcepit, dicens: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Hinc (c) Elias, qui primus usum hujus pallij albi in Monachos introduxit, per hoc significavit, Monachum palliô albô opertum, debere exemplô ejus servare sanctimoniam, nedùm in mente, sed etiam in carne. Quatenùs vestimenta illa, de quibus Beatus Job Domino loquens, ait: *Pelle & carnibus vestisti me*; servet Monachus per sanctimoniam semper munda: sicut scriptum est: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

IOAN. IEROSOL.

Visio candidorum virorum facta Sabacha quid innuerit.

(b) *Pallium album denotat mentis puritatem.*

2. Cor. 7.

1. Thess. 4.

(c) *Pallij albi usum introduxit Elias, & cur?*

Iob. 10.

Eccle. 9.

ANNOTATIONES.

271. (a) SAbacha Pater Eliæ nondùm nati vidit in somnis viros candidatos se salutantes. *S. Epiphanius de vitis Prophetarum scribens de Elia illam visionem sic refert*: Viri niveum quendam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant. *Dorotheus in Synopsi Prophetarum in vita S. Eliæ his verbis eandem commemorat*: Cum nasciturus esset, *inquit*, Elias, pater ejus Sabbacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, & flammâ ignis veluti cibô, ali. *De hac visione plura videantur in Annalibus Ordinis. Ægidius Camartus, de rebus Eliæ, indè elicit, atque alijs rationibus eruditè sustinet, Eliam in utero Matris, sic ab Angelis albicantibus salutatum, à peccati Originalis maculâ, ac labe, veluti Baptistam, & Ieremiam, tunc purificatum fuisse. De quo etiam Lezana dicto loco Annalium.*

DANIEL.

Visio mirabilis Sabacha Patri Eliæ exhibita.

Vid Annal. Ord. to 1. anno mundi 3123 nu. 7.

(b) Hujus autem pallii gestatio significat Monachos istius professionis (*Carmelitica*) debere & puritatem mentis servare. *Et infrà*: Omni tempore sint vestimenta tua candida. *Hinc in formula investitionis, & professionis in hoc Ordine, dum album pallium, seu cappa imponitur, dicit Prælatus*: Sint semper tua vestimenta candida, in signum tuæ internæ puritatis. *Propterea*

Album pallium seu Cappa in Ord. Carmelit denotat, & monet candorem puritatis servandum.

quemvis Carmelitica Professionis alumnum rectè monet pius Scriptor Arnoldus Bostius.

Sit æquè ut vestis mens tua candida:
Sitque sic habitus utenti pædagogus.

272. (c) Elias primus usum hujus pallij albi in Monachos introduxit. *Simili pallio candido usos quoque fuisse ejusdem discipulos, & posteros Filios Prophetarum, & Essenos, atque etiam veteres Monachos, traditur in Annalibus Ordinis hujus Tomo 1, variis locis.*

CAP. VI.

Cur professores hujus Religionis pallia alba dimiserint, & pro eis pallia barrata assumpserint, & de horum significatione.

(a) S. CYRIL. CONSTAN.

273. (a) CYRILLUS EREMITA MONTIS CARMELI *in Epistola ad Eusebium Eremitam montis Neroi.* (b) Dum * Humar Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Saracenorum Terram Sanctam cepisset, & Christianos in ea degentes suo dominio subjugasset; Saraceni molestè ferebant, quòd nostræ Religionis professores veste albâ desuper induti incederent; cum soli eorum satrapæ hujusmodi coloris habitu desuper uterentur. Propter quod gestationem pallij albi dictis professoribus interdixerunt; pro quo professores prædicti pallium barratum tunc unanimiter assumpserunt. Quod pallium, sicut scis, ex septem partibus duplicis coloris ab invicem distinctis, sed consutis, ipsum totaliter integrantibus, perpendiculariter à collo usque ad talos descendentibus constat: Quarum tres sunt nigræ, sive griseæ, aliæ vero quatuor sunt albæ: quæ sic existunt in pallio ordinatæ. Indutum siquidem pallium ante à pectore descendendo usque ad pedes, est totaliter fissum, seu apertum, & partes fissionis sunt albæ. Secunda autem pars à latere dextero est nigra, & etiam secunda à latere sinistro. Tertia vero pars à latere dextero est alba, quem colorem retinet tertia à latere sinistro. Sed ultima pars retro in medio pallij existens est nigra. Hoc pallium professores hujus Religionis antiquitùs appellabant carpitam; postmodùm consueverunt ipsum vocare chlamydem, seu mantellum.

(b) * Quidam scribunt *Homar.*

Humar Terram Sanctam occupat.

Saraceni cogunt dimittere pallia alba.

Eorum loco barrata, id est partim alba, partim nigra assumuntur.

274. Hujus autem mantelli gestatio significat, Monachum debere Christi Euangelium in pectore semper per observantiam gerere. Color enim albus in eo consistens significat puritatem ex observantia Euangelij provenire Monacho hoc pallium gestanti. Qui color idcircò in quatuor partes est in pallio distinctus; quia Euangelium quadriformi Euangelistarum narratione distinguitur. Est enim Euangelium illud *vas, quod velut linteum magnum, quatuor initiis submitti, de cælo in terram,* vidit Apostolus Petrus: *In quo erant quadrupedia & Serpentia terræ, & volatilia cæli: dictumque est per Deum Petro: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus Absit à me Domine; quia nunquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox Dei iterum sibi dixit: Quod Deus purificavit tu nè commune dixeris. Hoc autem factum est per ter; & statim receptum est vas in cælum.* Considerandum ergò circa hoc quod observantia Euangelij à Monacho custodita, propter mortificationem carnis, ac candorem sanctitatis comparatur linteo. Quod licet quatuor videatur habere initia propter quadriformem Euangelistarum narrationem, sicut & pallium quatuor partes habet albas: Verumtamen sicut unum est pallium, ita unum est vas Euangelij; quia quatuor Euangelistarum una, & eadem est fides, & doctrina, quæ de cœlo per Dominum Christum submissa est in terram, scribentibus eam Euangelistis. In hoc vase visa sunt omnia quadrupedia & Serpentia terræ, & volatilia cœli. *Homo enim cum in honore esset non intellexit,* ideò *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quadrupedia itaque terræ sunt homines terrenis inhærentes, & Serpentes sunt homines virulenti, & dolosi, sed volatilia cœli sunt homines superbi. Omnia enim hominum peccatorum genera admittuntur ad observantiam Euangelij, sicut Dominus ait: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ideò in persona Petri dicitur Prælato congregationis Monachalis: *Surge, occide, & manduca.* Qui enim cibum foris positum manducat, traiicit illum in corpus suum. Sic peccatores extrà corpus Monachalis congregationis positi, postquam fuerint per doctrinam à Prælato peccatis occisi, & manducati, id est carne mortificati, sunt ad corpus Monachalis congregationis per professionem recipiendi. Licet enim Petrus respondérit, quòd nunquam manducavit aliquid commune vel immundum; vox tamen cœlestis sibi dixit: *Quod Deus purificavit, tu ne commune, vel immundum dixeris.* Quoniam cum peccatores per observantiam Euangelij fuerint peccatis mortui, non sunt à prælato reputandi immundi, sed mundi, id est per Deum purificati, præsertim cum hoc factum fuerit per ter, videlicet per tres partes pœnitentiæ, id est per contritionem, confessionem, & satisfactionem: Quod color, niger, in tres partes in dicto pallio distinctus, significat. Tunc enim recipitur vas cum quadrupedibus, Serpentibus, & volatilibus in cœlum; quoniam peccatores hoc pallium gestantes, & de peccatis pœnitentes, sicut & cæteri observatores Euangelij, non sunt repellendi, sed recipiendi ad unitatem congregationis Monachalis; cum etiam ipsi recipiantur ad Regnum cœleste, Dominô ita prædicante: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cælorum.*

Barrati pallij mystica explicatio.

Actuum. 10

Visionis mirabilis facta S. Petro insignis expositio mystica.

Psalm. 48.

Peccatores pœnitentes mundi fiunt coram Deo.

ANNOTATIONES.

275. (a) CYrillus Eremita montis Carmeli in Epistola ad Fratrem Eusebium Eremitam montis Neroi. *Sic habet vetustius, & correctius Exemplar M. S. Gandense: pro quo erroneè in Veneto impresso legitur:* ad Abbatem Joachim: *Quod etiam à Lezana tomo 3. Annalium annotatur. Ea igitur, quæ hoc capite referuntur, sunt pars libri, seu opusculi illius Epistolaris B. Cyrilli de processu, & variis Regulis Ordinis hujus, (quod integrum, cum insertis notis, primum locum occupat in Vinea Carmeli) De isto Cyrillo, quis, & qualis fuerit, dictum est suprà in Præmonitione ad hanc partem primam. num. 4.*

DANIEL. *Epistola Cyrilli ad Eusebium, malè à nonnullis inscripta ad Abbat. Ioach.*

276. (b) Dum

276. (b) Dum Homar &c. terram Sanctam cœpisset. *Id contigisse anno Domini sexcentesimo trigesimo nono scribunt S. Cyrillus (hic infrà lib. 8. cap. 1.) Guilelmus de Sanvico (etiam hic post lib. 9. cap. 1.) & alij Historici nostri, nec non Abbas Trithemius libro de Ortu & laudibus hujus Ordinis cap. 8. Baroniani autem computus sectatores id referunt ad annum Christi sexcentesimum trigesimum sextum. Verumtamen, quia B. noster Cyrillus natione Græcus, Patriâ Constantinopolitanus, & per plures annos Carmeli, & Terræ Sanctæ incola, rem gestam ad annum 639. refert Sanctitate, & vetustate celebris (utpote qui antequadringentos annos eam patriam incoluit, & sanctitudine decoravit jure meritòque recentioribus, etsi gravissimis, præferri debuit. Ita Lezana in Annalibus: qui aliquantò post ad annum 642. tractans de illa palliorum alborum dimissione, & assumptione barratorum, refutat quorundam opinionem existimantium, causam ob quam Religiosi hujus Ordinis, compulsi per Saracenos dimittere habitum de puro albo (qualem semper à temporibus Eliæ, & Elisæi portare consueverant) assumpserunt barratum, id est varij coloris, eam fuisse, quia pallium Eliæ, quandò per turbinem ignis cadens, descendit ad Elisæum, varietatem istam colorum susceperit.* Sed nullô id fundamentô niti videtur. Cum enim ignis ille verus non fuerit, sed Angeli, ignis speciem præ se ferentes; vel esto quod ignis foret, non esset comburens, sed illuminans, sicut de igne, qui in die Pentecostes super Apostolos cecidit, dicitur; ac proindè, sicut nihil Eliam læsit, sic nec ejus pallium. Accedit quod B. Cyrillus non istam, sed aliam mysticam, & probabiliorem hujus rei causam assignat, videlicet, ut per album colorem puritas Euangelij, & per nigrum pœnitentia, quæ Monachis maximè prâ oculis esse debent, denotarentur. *Sic idem Lezana.*

Homar quo anno cœperit Terram S.

Lezana to. 3. Annal. Carm. ad Ann. Christi 639. n. 7

Erroneè aliqui putarunt pallium Eliæ ex curru igneo demissum, fuisse ex parte combustum.

CAP. VII.

Cur posteriores hujus Religionis alumni dimissis palliis barratis incedant induti cappis albis.

PHILIP. RIBOTI. (a)

277. ACTOR: (a) Causa mutationis pallij albi in chlamydem barratam, fuit (ut dictum est, in præcedenti Capitulo) inhibitio Saracenorum, apud quos professores nostræ Religionis olim in Terra sancta degebant, sed propter Saracenorum persecutionem ab illa patria ad partes Europæ postmodùm transfretare compulsi sunt. In diversis autem Europæ partibus, ut puta in Italia, Alemania, Anglia, Francia, & Hispania, pallium barratum Christianis minùs Religiosum videbatur, & propter ejus varios colores in derisum à pluribus habebatur, propterea professores hujus Religionis desiderabant ipsum dimittere, & locô ejus alium honestiorem habitum assumere. Qui, licet gestationem melotæ, & pallij albi dudùm dimisissent, pro quibus tunicam nigram * & pallium barratum auctoritate propriâ assumpserant, sicut in tertio capitulo, & in sexto hujus libri dictum est: his tamen diebus pallium barratum dimittere, & in alium honestiorem habitum auctoritate propriâ mutare formidabant. Quoniam Gregorius Papa decimus, nuper in Generali Concilio per eum Lugduni celebrato annô Domini millesimô ducentesimô septuagesimô quartô, statuendo inhibuit, nè quis de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat.

In Europa pallia barrata in derisum habita.

* Id est cineream, seu ad nigredinem tendentem, sicut erat color Melotę de qua cap. 3.

278. Ideò nè contra istud statutum agere viderentur, procurante Fratre Petro de Amiliano Priore tunc Generali hujus Religionis, Papæ Honorio quarto fuit supplicatum per Dominum Gervasium, tituli Sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem, ut hujus pallij, sive mantelli gestationem possent Professores nostræ Religionis auctoritate Apostolicâ mutare in alium decentem habitum, ædificantem animas fidelium. Quam supplicationem idem Pontifex annô primô sui Pontificatus videlicet annô Domini millesimô ducentesimô octuogesimô quintô vivâ voce concessit. Idcirco dictus Prior Generalis disposuit Capitulum Generale pro mutatione dicti habitus convocare, Sed antequam dictum Capitulum celebraretur, contigit prædictum Papam Honorium quartum ab hoc sæculo migrare. Propter quod dubitabant fratres ad hujusmodi mutationem habitus procedere, donec dictus Dominus Cardinalis Gervasius ad illud exequendum eos per litteras suas corroboravit in hac forma.

Honorius IV Papa supplicatur, & annuit barrata posse dimitti.

Gervasius miseratione divinâ tituli Sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis, Religiosis viris in Christo sibi dilectis Priori Generali, ac cæteris Fratribus Ordinis B. Marię de monte Carmeli, in hoc instanti Generali, Capitulo congregandis, salutem, & sinceram in Domino charitatem. De statu Ordinis vestri prospero cogitantes, illa vobis suademus libenter per quę Ordinem ipsum optatum speramus suscipere incrementum, confidentes, nec immeritò propter hoc gratû Altissimo impendere famulatum. Recolimus siquidè quomodò felicis recordationis Dominus Honorius Papa quartus de consilio Fratrum vobis piâ ac providâ deliberatione concessit, ut habitum vestrum, sive varietatem ejus minus decentem & displicentem quam pluribus, in alium decentem mutaretis. Quare cum vos in negotiis hujusmodi procedentes maturiùs mandaveritis Capitulum Generale congregari, nè, ut, quod absit, occasione obitus Pontificis ejusdem ad hoc procedere dubiteris, tenore præsentium vobis suademus, quatenùs ad mutationem ipsam sine dubitatione aliqua procedatis, detrahentium, imò potius de tanto bono invidentium, ora claudentes, qui dicunt quod licet illud fuerit ex parte vestra petitum, non tamen, obsistente præventione mortis prædicti Domini Papæ, videtur plenè fuisse concessum. Ad id mentes vestræ minimè dirigantur; nam quod sic per Dominum Papam, & Fratres conceditur, firmum, & irrevocabile perseverat. Et si, quod Deus avertat, per aliquem vestrum, id contingeret impediri, præter hoc quod essetis exindè aliis in fabulam, & derisum, hi qui huc usque intercesserint pro vobis super hoc, & pro aliis negotiis vestris, præ pudore partes suas aliàs interponere non curarent. Cæterùm vos confidenter requirimus, & attentè rogamus, ut devotas vestras preces pro nobis apud Dominum effundatis; ut sic actus nostros in sua voluntate disponat, quòd ea semper meditemur interiùs, & exteriùs operemur, quæ nobis in præsenti veniant ad quie-

Gervasius Cardinalis animat, & urget varium habitum deponi.

Cum Papa de consilio Cardinalium concesserit.

 tem,

tem, & tandem ad vitam proficiant sempiternam. Valete.

279. Vigore itaque prædictæ litteræ Fratres corroborati in Capitulo eorum Generali in monte Pessulano, annô Domini millesimô, ducentesimô, octuagesimô septimô, in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ celebratô, pallium prædictum auctoritate dicti Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ dimiserunt. Et ad imitationem fundatorum, ac priscorum professorum hujus Religionis, ipsi eorum successores pallium album, quod dudum, à Saracenis compulsi, dimiserant, in Generali eodem Capitulo unanimiter reassumpserunt; cui pallio caputium album addiderunt. Quod pallium album, ut præmittitur, capuciatum, ex tunc cappam albam vocaverunt, quam usque in hodiernum diem gestant: idem in omnibus significantem quod & pallium album significabat, de cujus significatione in quinto capitulo hujus libri dictum est, Horum autem palliorum barratorum depositionem, & capparum albarum assumptionem Bonifacius Papa octavus Fratribus nostris confirmavit annô Domini millesimô ducentesimô nonagesimô quintô, scribens eis de Roma, septimo kalendas Decembris.

An. 1287. pallia barrata deponuntur, & alba resumuntur.

(b) BONIFACIUS PAPA VIII.

280. (b) BONIFACIUS PAPA OCTAVUS *in registro primi anni sui pontificatus*: Dilectis filijs Generali, ac cæteris Prioribus, & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sanè lecta coram nobis vestra petitio continebat; quòd olim bonæ memoriæ latino Hostiensi Episcopo, & Gernasio tituli Sancti Martini in montibus Presbytero Cardinali, significantibus per suas litteras inter alia continentes. Priori Generali cæterisque Fratribus vestri Ordinis in Generali tunc instanti Capitulo congregandis, quod felicis recordationis Honorius Papa quartus prædecessor noster de Fratrum suorum consilio eis piâ ac providâ deliberatione concesserat, ut eorum habitum, sive varietatem ipsius, minùs decentem, & displicentem quam pluribus, in alium decentem commutarent. Idemque Prior Generalis, & Fratres postmodùm in Capitulo congregati prædicto, deliberatione super mutatione hujusmodi præhabitâ diligenti, unanimiter statuerunt, ut ex tunc cæteri Priores, & Fratres ipsius Ordinis mantellis diversorum colorum, quibus uti consueverant, dimissis, omninò cappis albis imposterum uterentur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod circa hujusmodi mutationem habitus in hac parte providè actum est, ratum, & firmum habentes, id auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinió communimus: Nulli ergo hominum &c.

Honorius IV. Papa depositionem barratorum, & resumptionem alborum confirmat auctoritate Apostolicâ.

ANNOTATIONES.

281. (a) DE illa Capparum, seu palliorum barratorum mutatione in alba scribunt cæteri Historici Ordinis, & præ cæteris accuratius Lezana tom. 4. Annalium ad annum Domini 1285. & sequentes. DANIEL.

(b) *Bulla ista Bonifacij VIII. etiam extat in Bullario Ordinis Venetijs impresso anno 1507. & in Bullario Cherubini inter bullas Bonifacij VIII.*

CAP. VIII.

Quod deceat professores hujus Religionis, exemplô antiquorum Patrum, baculos in manibus gestare, & quid denotent.

282. JOANNES XLIV. EPIS. JEROS. *ubi suprà.* (a) Baculum denique, gestasse primos hujus Religionis professores, Elisæus, qui unus fuit ex ipsis, docet: Mittens enim Giezi puerum suum, ad suscitandum mulieris sunamitidis filium, dixit ei: *Tolle baculum meum in manu tua: & vade, & pones baculum meum super faciem pueri.* Quem utique non dedisset ei gestandum Propheta, nisi eum manu suâ solitus esset portare. Hôc autem suô exemplô docuit Elisæus, Monachum hujus professionis debere baculum in manu circumferre. Hujus verò baculi gestatio, spiritualiter monet, Monachum nunquàm debere inermem incedere, inter tot oblatrantium concupiscentiarum, & vitiorum canes; inter tot invisibiles spiritualium nequitiarum bestias: de quibus Propheta, postulans per Deum liberari, ait: *Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi.* Debet enim Monachus, fide munitus, resistendo eas longiùs propulsare; Apostolô Jacobô ita dicente: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Adversùs se etiam sævientes concupiscentiarum, & vitiorum canes, debet Monachus retundere, imitatione Dominicæ passionis, & ejusdem mortificationis exemplô; ita dicente Apostolô: *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

IOAN. IEROSOL. (a) *4. Reg. 4.* *Baculi gestatio quid innuat.* *Psalm. 73.* *Jacobi 4.* *Gallat. 5.*

283. Vides ergo, quia, sicut accinctio zonæ pelliceæ specialiter denotat, Monachum debere omnem luxuriosum motum extinguere in membris, in quibus seminaria coitus continentur, & castitate in illis membris pollere, ita gestatio pallij albi, Generaliter monstrat Monachum debere omnem culpabilem immunditiam à carne, & Spiritu suo repellere, & in utroque per virtuosam puritatem fulgere: & sicut gestatio scapularis significat, Monachum debere suo superiori propter Deum humiliter obedire, & opera Dei prompte exercere: ita baculi gestatio designat, Monachum nullis diaboli, aut mundi, vel carnis, tentationibus debere parere, sed longè à se eas propulsare. Melotæ autem, seu vestis asperę gestatio significat, Monachum debere per dignam pœnitentiam emendare omne quod ex ignorantia, vel ex infirmitate contigerit eum circa præmissa peccare. Hæc de nostræ Religionis habitu, & ejus significatione, à nobis breviter per-

Carmelitanæ vestis universâ explicatio.

Religiosus habitum suũ in veneratione habere debet.

perscripta, admonent hujus professionis Monachum, ut reverentiam sui habitus in opere, locutione, & cogitatione sua, semper circumspiciat, atque ea quæ sunt mundi perfectè deserat; & quod ostendit humanis, oculis habitu, hoc antè oculos Dei moribus prætendat, *amictus* semper *lumine vitæ, sicut vestimentô*, Scriptum est enim: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, nè nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Quod nobis præstare dignetur Dominus noster IESUS CHRISTUS, Dei filius, qui cum Patre, & Spiritu sancto, vivit & regnat Deus benedictus, & gloriosus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Psalm. 103.
Apocalyps. 16.

ANNOTATIO.

DANIEL.
Baculi usus olim inter Monachos.

284. (a) B*aculos gestare manibus, quod moris fuerit tum sub veteri testamento Prophetis Eliadibus, tum sub novo Monachis antiquis declaratur in Annalibus Ordinis tomo primo & secundo. Cassianus libro 1. de Institutis Monachorum cap. 8. utrumque testatur.* Ultimus *inquit* est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera appellatur, & baculus: quæ gestant ad imitationem eorum, qui professionis hujus præfiguravere lineas jam in veteri Testamento. *Id confirmat Historia S. Senuphij Monachi celeberrimi, suum superhumerale (seu scapulare) & baculum mittentis ad Theodosium Imperatorem pro armatura.*

Monachi in primis Ecclesiæ Christi sæculis vestitu utebantur instar Eliæ, & Elisæi.

285. *Notandum (occasionaliter) ex præfato Cassiano in præcitato libro, quod Monachi antiqui in primis quatuor post Christum sæculis vestes habuerint similes ijs, quibus in veteri Lege usi fuere SS. Prophetæ Elias, Elisæus & filij Prophetarum, Monachi veteris Testamenti, & Principes Monachorum. De Melote, & baculo jam audivimus: de Zona scribit cap. 2 istius libri primi De colobio, seu superhumerali agit eodem libro cap. 5. & de cappa, seu palliolo (quod* Mafortes *appellatum asserit) quò colla & humeri tegebantur, cap. 7. De quo & Baronius ad annum Christi 593. referens illud vestimenti genus commune fuisse Religiosis, & viris, & fœminis: Commune tamen fuit utrique sexui, quod ad tegendum collum, & humeros veluti pallium compositum erat, ob idque communi æque nomine,* Mafortes *diceretur. Quod autem pallium istud plerumque fuerit coloris albi (sicut erant ea, quibus usi fuerunt SS. Elias, Elisæus, Ioannes Baptista, & Esseni) declaratur in annalibus Ordinis hujus tomo 2. ad annum Christi 310.*

Ejusmodi etiam vestibus usos fuisse Sanctum Pachomium, & ejus discipulos tradunt Palladius hac, inter cætera, de eorum vestibus scribens. Quilibet habeat melotem caprinam albam, *& Sozomenus Asserens eos habuisse* pellem ovinam, vel caprinam, ad exemplum, Eliæ, item tunicam absque manicis, cucullum instar infantum, Zonam, & palliolum, humeros, & brachia contegens. Et hæc ad exemplum Eliæ.

ANIMADVERSIO NOTABILIS

Circa libros septem antecedentes.

286. *Finis hic est libri de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium supra annos Mille ducentos quinquaginta (anno Domini 412) scripti per Ioannem Nepotem, XLIV. Antistitem Ierosolymitanum, & per Philippum Riboti ab hinc annis trecentis concinnè distributi in septem partes, seu libros partiales, hic proximè præcedentes cum insertis quibusdam Patrum sententijs, & ipsius Philippi Riboti nonnullis adjunctis. Notas variarum lectionum libri illius ad fidem exemplarium vetustorum manuscriptorum, & excusi veneti anni 1507. exhibet Wasselius sub finem operum Ioannis Ierosolymitani*

In libro de Institutione primorum Monachor. relucent S. Scripturæ, promptissima explanatio, & spiritualia documenta plurima.

287. *Cæterùm benevolus Lector expendere poterit, an non verissimè Lezana tom. 3. Annalium hujus Ordinis de isto Ioannis libro enunciaverit:* Quod libri interior Doctrina nullatenus notari possit; nisi in media luce cæcutientes simus, nullô aliô aptiori mediô comprobari potest, quam Lectorem ut Judicem inter-pellando Legatur attentè, non cursim, aut carpendi libidine. & ibi cum claritate doctrinæ, ac Sacrarum Scripturarum promptissima explanatione Spiritualia Documenta, moralia instituta, Regularia Præcepta, mystica, & allegorica plurima reperientur, quæ animum ad pietatem, & Dei amorem efficaciter promoveant Quod præterea in eo tangitur de Ordinis antiquitate, consonum esse summorum Pontificum diplomatibus, Sanctorum Patrum scriptis, gravissimorum Doctorum, & scriptorum Historijs, Annales isti clamant. *Quo-ad ejus antiquitatem, & authorem, mirandum, & dolendum sanè, Neotericum quendam, & post eum aliquos alios sic hallucinatos, ut à recentiore aliquo editum suspicati fuerint.* Nisi cæci sumus, libri stylus manifestè demonstrat pervetustum, & antiquum valde ejus authorem esse, *inquit idem Lezana cap. 9. in Apparatu ad tomum primum Annalium: ubi hæc, & alia circa istum librum pertractat. Et sanè elucubratum ante annos trecentos extra omnem est controversiam, cum (ut jam dictum) à tanto tempore insertus fuerit huic volumini à Philippo Riboti, cujus exemplaria vetusta MSS. varijs in locis extant: superare etiam quadringentos imò & quingentos annos, & esse fœtum præfati Ioannis editum anno 412. eumque librum in Ordine per multa sæcula habitum, & servatum pro Regula, imò & Regulam ab Alberto Patriarcha traditam, quæ in hodiernum usque diem servatur, esse istius libri quasi compendium, perspicuum, & indubitatum reddent mox dicenda quatuor proximè sequentibus capitibus.*

Stylus manifestat sui auctorem pervetustum.

LIB. VIII.

LIBER OCTAVUS

De Regula Ordinis: per quos scripta, approbata, confirmata, et moderata fuerit.

PRÆFATIO.

288. Liber octavus agit de primis scriptoribus institutionis & Regulæ hujus Religionis, & in quibus temporibus, ac propter quas causas oportuerit institutionem, ac Regulam scribere, & per sedem Apostolicam approbare Regulam dictam, & confirmare, & aliquas ejus clausulas declarare, corrigere, ac mitigare. Habet autem capitula octo. *Primum*: Quòd institutio nostræ Religionis quæ priùs legebatur in Sacra Scriptura, fuerit per Joannem quadragesimum quartum Episcopum Jerosolymitanum in unum volumen redacta, & per longa tempora à professoribus hujus Religionis observata, sicut à Joanne fuerat scripta. *Secundum*: Quòd Aymericus Patriarcha Antiochenus professores hujus Religionis sub uno Priore colligaverit, quibus Albertus Patriarcha Ierosolymitanus ad eorum requisitionem de quibusdam articulis certam vivendi Regulam scripsit, & in monte Carmeli monasterium ædificavit. *Tertium*: In quo ponitur in sua forma hujus Religionis Regula, sicut per Albertum Patriarcham fuit scripta, & Fratribus ad observandum tradita. *Quartum*: Quòd nulla, aut pauca Albertus in prædicta Regula inserat, quæ Ioannes prius in institutione hujus Religionis non scripserat, sed quæ Ioannes in generali suadendo scripserat, Albertus in Regula in speciali determinat. *Quintum*: Quòd Regula hujus Religionis fuerit per Honorium Papam tertium approbata, & per Gregorium nonum & Innocentium quartum summos Pontifices confirmata. *Sextum*: Cur, & in quibus clausulis dicta Regula fuerit auctoritate sedis Apostolicæ per Dominum Fratrem Hugonem Presbyterum Cardinalem, & Fratrem Guilielmum Anteredensem Episcopum declarata, aut correcta, seu mitigata. *Septimum*: In quo dicta Regula ponitur in sua forma, sicut fuit per dictos Dominos declarata, correcta & mitigata. *Octavum*: Quòd ea quæ in dicta Regula extiterunt declarata, correcta, & mitigata, fuerint per plures summos Pontifices confirmata: Et quòd mox quô prior fuerit secundùm dictam Regulam electus, potest fungi officio Prioratus, nec oportet, ut priùs sit ab aliquo superiore confirmatus.

Libri VIII. Summarium.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod Institutio nostræ Religionis, quæ priùs legebatur in sacra Scriptura, fuerit per Ioannem XLIV. *Episcopum Ierosolymitanum in unum volumen redacta, & per longa tempora à cultoribus hujus Religionis observata, sicut à Ioanne fuit scripta.*

(a) S. Cyrillus.

(b) *Regula Ordinis hujus olim erat exemplum fundatoris, relucens in S. Scriptura.*

289. (a) Cyrillus Eremita montis Carmeli *in Epistola ad Eusebium*: Sacræ hujus Religionis prisci professores (b) Institutionem suam dudum in divina Scriptura, tanquam in amœno paradiso, speculabantur, ubi & Fundatorum dictæ Religionis virtuosa exemplaria, ab eis imitanda, ipsi intuebantur, à Prophetis commendata, & multis Sacrorum voluminum testimoniis approbata. Ex quibus dicti professores diversos profundæ sapientiæ tractatus deducebant, quibus, tamquam copiosis dapibus, reficiebantur. Fuit autem tempore Archadij & Honorij Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis, Joannes nomine, qui cæteros consortes suos, ejusdem montis Monachos, exemplô suô, & magisteriô solicitè inducebat ad perfectionem inquirendam, secundùm propheticam disciplinam vitæ monasticæ, per Eliam Prophetam institutæ: (c) Quam Joannes eis exponebat ex diversis dictis, tàm veteris quàm novæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis à Professoribus, & prædecessoribus suis. Qui tandem propter ejus sanctitatem in Pontificem Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ quadragesimus quartus successit.

Ioannes Ierosol. Episc. 44. vir miræ virtutis.

(c)

290. Hunc Ioannem charissimus ejus discipulus,

De Caprasio illo vide hic suprà lib. 1. c. 1. num. 20. & 40.

pulus, * Caprasius nomine, ejusdem montis, & Religionis Monachus, suppliciter flagitavit, ut quæ de Institutione hujus Religionis, & primis ejus fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda, frequenter disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breviter redigere in unum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur; nè oporteret eos librorum numerositatem evolvere. Ioannes ergò cernens, quòd propter occupationes suscepti Officij non posset ulteriùs jugem in monte Carmeli residentiam trahere: quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit.

Librum scribit de Ordinis hujus Institutione, & Fundatoribus.

(d) (d) Scripsit enim eidem Caprasio Librum de Institutione nostræ Religionis, eloquiô, & literis Græcis (quibus tunc Terræ Sanctæ Ecclesia maximè utebatur) in quo libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & fundatorum ejusdem dignitatem; atque priscorum Professorum gesta Sancta, & gloriosas virtutes, exterioremque habitus ornatum, prædictus Ioannes propterea, brevi, & lucidô eloquiô ordinatè descripsit; ut successores dictorum Patrum in illo libro, tanquam in nitido speculo, Institutionem suam intuentes, eam observare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum, ex totis præcordiis, imitarentur. Quem librum ipse Joannes sodalibus suis Religiosis Eremitis montis Carmeli legendum, & observandum tradidit, tempore Honorij Imperatoris, annô Domini quadringentesimô duodecimô. Et ex tunc Professores nostræ Religionis satagerunt ad perfectionem, & finem vitæ solitariæ tendere secundùm formam Institutionis Prophetæ Eliæ, per dictum Ioannem in præfato libro descriptæ.

Eum tanquam normam vitæ S. Eliæ, observandum tradit an. CCCCXII.

(e) (e) In cujus disciplina usquè ad tempora Heracly Imperatoris per annos circiter ducentos quinque, ad exemplum Fundatorum, & priscorum patrum dictæ Religionis, pacificè in terra Sancta conversati fuerunt.

291. Circa annum verò Domini sexcentesimum decimum septimum sacrilegus Cosdroës Rex Persarum Ierosolymam adveniens, totam Terram Sanctam devastavit. In qua, ex quo mala sumpsere exordium, per annos plurimos multiplicata fuerunt. Cum enim Christianissimus Imperator Heraclius de profano Cosdroe prædicto victoriam obtinuisset, & post recuperationem, Terræ Sanctæ cum triumpho ad propria remeasset, mox quidam Rex Arabiæ nomine Humar, discipulus perfidi Mahometi, atque Regni ejus successor tertius, cum ingenti multitudine Saracenorum contra Terram Sanctam veniens, eam totam obtinuit, Sanctamque Civitatem Ierusalem annô Domini sexcentesimô trigesimô nonô cœpit, alios ex Christianis hujus patriæ necans, alios ad suam perfidiam trahens: cæteros autem, etsi non perfidiæ, (f) suo tamen dominio subdens. Illô itaque tempore quamvis pauci, verùmtamen probatissimi Monachi nostræ Religionis, dimissis mansionibus quas habebant in urbibus, & villis, hunc Carmeli montem non deserentes, jugiter in eo, & in quibusdam aliis eremis Terræ Sanctæ permanserunt sub disciplina monasticæ vitæ eremiticæ, per Eliam Prophetam Institutæ, & in prædicto Ioannis libro descriptæ. Qui, sicut & cæteri Christiani hujus patriæ, (g) duro infidelium jugo dediti, multis tribulationibus, & injuriis fuerunt à paganis per annos circiter quadringentos sexaginta afflicti.

Anno Christi DCXVII Cosdroes Terram S. devastat.

Humar eandem totam & Ierusalem occupat an. DC. XXXIX.

(f) Vide Notas.

Quanta tunc calamitates ibi, & inter Religiosos Carmeli montis.

(g) *Afflictio illa duravit annis CCCC. LX.*

292. Clamaverunt autem ipsi, & cæteri hujus patriæ Christiani, *cum tribularentur*, *ad Dominum*: qui tandem *de necessitatibus eorum eduxit eos*; quoniam placuit ei civitatem Ierusalem (h) annô Christi millesimô nonagesimô nonô, & consequenter totam Terram Sanctam pedetentim à perfidis Saracenis liberare, & eam, ac indigenas, ejus fideles potestati, & dominio Christianorum reducere. Propter quod cœpit tunc cultus nostræ Religionis in monte Carmeli ampliari. Quamplures enim devoti peregrini, qui ab occidente supervenerant, odore hujus sancti loci tracti, & devotione Religiosorum eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renunciabant, & per contemplationem cœlestium, se eorum contubernio jungebant.

(h) *An. 1099. Ierosolyma, & deinde tota Terra Sancta Christianis restituta.*

Tunc Carmeli Religio refloruit.

ANNOTATIONES.

Daniel a V. M.

293. (a) Cyrillus Eremita montis Carmeli in Epistola ad Fratrem Eusebium. *Ita habet exemplar cæteris antiquius, & correctius, codicis Gandavensis MS. In Veneto impresso, & apud nonnullos, qui ejus utuntur authoritate, erroneè legitur:* ad Joachim Abbatem. *Vndè error ille irrepserit, annotat Lezana tomo 3. Annalium. Vbi ista:* Error porrò irrepsit in titulum ejus opusculi B. Cyrilli, illud appellando Epistolam ad Abbatem Ioachim, cum tamen non fuerit nisi Epistola ad Eusebium. Ex eo enim quòd Cyrillus aliam celebrem epistolam ad Ioachimum scripserit cum Oraculo Angelico, sibi divinitus ostenso, aliqui inadvertenter hanc ad Eusebium Epistolam cum illa ad Ioachimum missa confuderunt. *Liber iste, seu tractatus S. Cyrilli à nonnullis* Epistola *nuncupatur; quia per modum Epistolæ scriptus, & missus fuit ad Eusebium Priorem montis Nerorij, propè Antiochiam, pro ejusdem instructione, circa triplicem Ordinis Regulam, de qua hic consequenter. De S. Cyrillo, & isto ejus libro, seu Epistola (aut Epistolari tractatu) quædam præmissa sunt hic suprà, sub initium hujus partis num. 9 & 10. Qui de istis plura experit, adeat* Armamentarium Carmeli *per R. P. Franciscum Bona Spei, in quo nu. 807: & sequentibus liber ille vendicatur suo Authori S. Cyrillo, & num. 847. & sequent. ab errore Chronologico, et à quodam imputato; eò quod in illo scribatur, quòd tempore Arcadij & Honorij Imperatorum Ioannes Pater Religiosorum in monte Carmeli, ac deinde Patriarcha Ierosolymitanus anno Christi 412, librum de Institutione primorum Monachorum legendum, & observandum tradiderit. Attamen Ioannes ille tempore Theodosij senioris, Cyrillo Ierosolymis successerit. Respondet dicto locô præfatus P. Franciscus* per ly tempore Arcadij & Honorij intelligi, circa tempora, prout intellexit D. Carolus de Tapia Iurisconsultus Neapolitanus in opere suo Autentica ingressi cap. 7. n. 10. *Ibi Carolus ille Tapia sic ad propositum:* Circa Honorij, & Arcadij tempora .... Romanam Ecclesiam gubernante Siriciô, & postea Anastasiô, & deindè Innocentiô I. produxit Carmeli ubertima vinea Cyrillum Patriarcham Jerosolymitanum, Joannem item Præsulem XLIV. *Dictô Armamentarij locô etiam alia adfertur congrua responsio, & ex Waslelio libro 1. Vindiciarum sect. 1. articulo 3 sub finem, etiam hæc, videlicet, quod S. Cyrillus Græcus natione, Patriâ Constantinopolitanus, secutus fuerit chronologiam Sancti Nicephori quondam, Constantinopolitani Patriarchæ. Atque aliorum Græcorum, discrepantem à chronologia Latinorum jam communiter recepta. (Hac ratione etiam forsan annus instaurati per Aymericum Patriarcham Antiochenum*

Legendum Cyrillus ad Eusebium, non verò ad Ioach. Abbat.

Lezana ad ann. Christi 642. n. 6.

ebenum, Ordinis, & data per Albertum Patriarcham Regula, per ipsum S. Cyrillum designatus fuerit, pro ut hic infrà exprimitur. Et certè quo ad tempus quò Ioannes Ierosolymitanam cathedram tenuit sententiarum diversitatem magnam esse inter authores (præsertim Græcos inter ex una parte, & Latinos ex altera) manifestum ex eo, quod S. Nicephorus in serie Patriarcharum Ierosolymitanorum Ioanni tribuat annos Regiminis XVI. sed juxtà computum Latinorum (Genebrardi in Chronographia ad annum 388. & Onuphrij Panuini in Chronico ad annum Domini 389. atque aliorum) Ierosolymis ipse sedit annis XXIX. Ita quoque quô ad annos imperij, Arcadij, & Honorij, atque aliorum Imperatorum, antè, & post, discrepantia notabilis est inter Scriptores, præsertim, Græcos hinc, & isthinc Latinos. Id verò indubitatum est: illô tempore, quo Arcadius, & Honorius, simul Imperij sceptra tenuerunt, etiam Ioannem in Ierosolymitana Cathedra sedisse: & certum quoque est, Honorium adhuc in vivis fuisse, & imperasse annô Christi CCCCXII quô Ioannes librum, (de quo hic consequenter potissimè agitur) tamquam Religiosæ Monasticæ vitæ normam tradidit, sicut scribit Cyrillus istis verbis: Tradidit tempore Honorij Imperatoris anno Domini CCCCXII Non addit: Et Arcadij: quia is annô Christi CCCCVIII. obierat, successorem relinquens filium Theodosium puerum septennem. Porrò ea, quæ S. Cyrillus hic consequenter habet de Aymerico, & de libro illo Ioannis ex Græco in Latinum traducto, & de Regula Alberti, refert ipse tamquàm testis oculatus; illis enim temporibus ipse vixit in Carmelo. Atque ità ipsi, & ejus libro conveniunt ista Melchioris Cani libro 11. cap. 6. Magnis quippe, præclarisque virtutibus viri sanctissimi, atque optimi (qualis S. Cyrillus) id consequi meruerunt, ut in rebus hujusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarunt, se audivisse testati sunt, fides omninò illis habeatur.

Regula triplex hujus Ordinis, sed eadem in substantia.

294. (b) Institutionem suam in Divina Scriptura, tamquam in amœno Paradiso speculabantur. Ex hoc, & sequentibus duobus capitibus habetur: Quòd successivè in hoc Ordine fuerit Regula triplex, una tamen in substantia (sicut latius declaravimus, in vineâ Carmeli ad caput primum libri S. Cyrilli) Prima fuit non scripta, scilicet exemplum S. P. Eliæ in Sacra Scriptura expressum, & traditum quasi per manus à prioribus ad subsequentes, ab Ordinis Institutione in veteri Lege usque ad annum à Christo nato 412. Secunda fuit scripta per Ioannem Antistitem XLIV. Ierosolymitanum: qui quod prius quasi per traditionem servabatur, litteris commendavit: sub cujus observantia perstitit Ordo per annos ferè Octingentos, videlicet ab anno 412, donec compendiosior (de quâ statim) scriberetur per B. Albertum Patriarcham Ierosolymitanum. Tertia tradita fuit per præfatum Albertum Patriarcham, qui ea, quæ in illa Ioannis suadendo, & in Generali, præscribebantur; in Speciali determinat, pro ut videre licebit capite 4. sequenti. Et hæc in hodiernum usque diem servatur in Ordine, sed sub quibusdam modificationibus factis per summos Ecclesiæ Moderatores, ut in sequentibus declarabitur.

Ante Regulam Ioan. Ierosolymit. scripta Institutiones aliqua monastica.

295. (c) Quam Ioannes eis exponebat ...... ex nonnullis tractatibus editis à Prædecessoribus suis. Igitur ante istum librum Ioannis etiam alia Opuscula, seu tractatus de Origine, & successione Ordinis hujus extabant; quod & ipse Ioannes testatur in illo suo libro, sicut annotatum est suprà: num. 40. ad libri primi caput primum: sed, proh dolor! tempus edax rerum, & sævissima multorum sæculorum, per Cosdroem, Homar, & Saracenos persecutiones (de quibus hoc capite, & libro sequenti capite ultimo) nobis ea & pleraque alia vetusta monumenta abstulerunt. Sic etiam in sævissimo, atque vastissimo illo Christiani Orbis incendio persecutionum, per Diocletianum atque alios Tyrannos excitato, summâ jacturâ, maximoque totius Ecclesiæ detrimento non tantùm quam plurima veterum Scriptorum Ecclesiastica Historia monumenta, & à septem S. R. E. Notariis diligentissimè scripta, & recognita gesta martyrum absumpta sunt, sed & libri nonnulli sacri tum pariter interierunt, pro ut annotant Onuphrius Panuinus & Molanus:

Panuinus Præfat. de Rom. Pontifice Molan. tract. de Martyrol. c. 21.

296. (d) Scripsit eloquio & litteris Græcis (in exemplari codicis Mechlin. est: egregiò eloquiò in Gandavensi: Græcô eloquiô) En S. Cyrilli testimonium irrefragabile, ipse enim multâ Sanctimoniâ, sapientiâ, & propheticô Spiritu celebratus, scribit ea quæ vidit, aut ab aliis acceperit; qui viderant: & cum eo vixerant, etiam Sanctitate illustres, B. Bertholdus, & B. Brocardus. Liber enim ille per Aymericum è Græco in Latinum translatus fuit haud multis annis antequam ipse B. Cyrillus, jam grandævus, & Doctor famosus, Ordinem ingrederetur, videlicet tempore B. Bertholdi (ut mox dicetur ad caput sequens) qui adhuc superstes erat, quando B. Cyrillus, monente Virgine Deiparâ, in Carmelum venit. Quod Græcè primum fuerit scriptus, aliquoties declaratum est etiam in notis anterioribus. Idem tradunt Thomas Waldensis, Baptista Mantuanus, Arnoldus Bostius, Paleonydorus, & cæteri Historici Ordinis, atque de exteris Salianus, Miræus, & alij. Vide hic suprà num. 4. & seq. pag. 2. & 3.

Liber ille Ioannis Ierosolymit. fuit scriptus Græcè.

Fuit in Ordine receptus & servatus tamquam Regula, & quamdiu?

297. (e) In cujus disciplina per annos circiter ducentos quinque pacificè conversati fuerunt, hunc Carmeli montem non deserentes. Ex istis, & sequentibus tria habentur ab eodem B. Cyrillo disertè asserta: Unum, quòd Carmelus ab anno quadringentesimo duodecimo usque ad millesimum nonagesimum nonum semper habuerit incolas Monachos, seu Eremitas, Imitatores & successores S. P. Eliæ, pacificè quidem conversantes per annos ducentos quinque videlicet ab anno 412. ad 617. (juxta Baronium & alios ad annum 614.) Deinde ab incendio illo Persico, quod sub Chosroë Orientem Asiamque corripuit, haud immunes per aliquot annos, & deinde rursus sub Heraclio parumper respirantes, usque ad annum Domini 639. exinde usque ad an. Christi 1099 per annos quadringentos sexaginta gravi Saracenorum juge afflictos. Secundum in illis: Dimissis mansionibus quas habebant in urbibus, & villis, confirmatur id, de quo latiùs libro 3. cap. 7. Alumnos hujus Ordinis etiam olim habuisse loca tàm in Eremis, quàm in villis, & urbibus: sed tamen magis in Eremis. Tertium de præfato libro Ioannis, totô eô tempore in Carmelo & alibi habito, & servato pro Regula Ordinis. Idem tradunt cæteri Historici nostri vetustiores, & recentiores, atque Exteri non pauci: & in Ordine habetur tamquam primò verum. Hinc apparet (sicut jam ante annotavimus) insignis hallucinatio quorundam hujus sæculi Scriptorum, in dubium revocantium, an liber ille non fuerit à recentiori quodam conscriptus.

298. (f) Suo tamen dominio subdens Animadvertendum, quòd immediatè post ista, & ante illa. Illo itaque tempore &c. in libro, seu Epistola S. Cyrilli ad Fratrem Eusebium, sequatur: Saraceni autem molestè ferebant, quod nostræ Religionis Professores veste alba desuper induti incederent, & reliqua inserta libro septimo cap. 6. per totum, & verba ultima sunt: Appropinquabit enim Regnum Cœlorum. Cum enim totô illô sextô librô agatur de Habitu Carmelitano, Philippus Riboti convenienter ista ex hoc libro S. Cyrilli ibi inseruit. Porrò in Vinea Carmeli extat totum Opusculum S. Cyrilli unô consequenti contextu.

Per annos 460. Carmeli Ordo graviter afflictus.

(g) Duro infidelium jugo dediti, multis tribulationibus, & injuriis fuerunt à paganis per annos circiter quadringentos sexaginta afflicti. Quantas intereà calamitates perpessi fuerint panditur in Annalibus Ordinis tomo 3 Nonnihil autem respirarunt tempore Imperatoris Caroli Magni & Summorum Pontificum Leonis Quarti, & aliquantò post Adriani II. Stephani V. Sergij III. atque aliorum, qui Carmelicolis Eremitis compatientes, concessere Indulgentias Christi fidelibus, qui verè contriti & confessi Ecclesias dicti Ordinis devotè visitarent, & pias Eleëmosynas largiti forent, seu domos confractas reficerent, vel pro fabricis ipsarum Ecclesiarum munera darent, vel Confratriam dicti Ordinis assumerent, & eam intrarent, aut calicem pro missis celebrandis, vel tobalias sive mappas erogarent. Ista præstantibus dictus Leo IV. concessit Indulgentias septem annorum & totidem quadragenarum, & alij præfati remissionem tertiæ partis omnium peccatorum (id est pœnæ peccatis debitæ) Istorum fidem faciunt posteriorum Pontificum Sixti IV. Iulij II. & Gregorij XIII. Diplomata, in quibus eadem Indulgentiæ sub eadem verborum forma referuntur, & confirmantur. Sed de istis fusiùs alibi, & in Annalibus Ordinis tomo III. Istis temporibus aliqui ex Carmelo in Europam fugerunt à facie persequentium Saracenorum; & hinc indè (florentia, & alibi) loca ad Religiosam vitam apta acceperunt.

Intereà tamen Sum. Pontificum favore recreatus.

Anno 1099. Ierosolyma à Christianis capitur.

perunt. Vide infra, in Appendice §. 2. & ibi in notis.

299. (h) Anno Christi 1099. & consequenter &c. cœpit tunc cultus nostræ Religionis in Carmelo ampliari. *De Chosroë, Homar & succedentium Saracenorum persecutionibus, & qualiter S. Civitas Ierusalem, ac consequenter tota Terra sancta Christianorum Dominio reddita sint, & quomodò tunc Carmelus repastinatus fuerit, atque mirificè effloruerit, ac fructificaverit, luculenter describitur Tomo 3 Annalium Ordinis. De ijsdem quandoque etiam in sequentibus tractatio recurret. Interim accipe hæc paucula ex Cardinali Iacobo de Vitriaco in historiâ Orientis cap. 51 ubi postquam descripsisset recuperationem Civitatis Sanctæ Ierusalem factam per Godefridum de Bulyon, & consequenter totius Terræ Sanctæ, subdit:* Ex tunc cœpit Orientalis Ecclesia revirescendo florere, & cultus Religionis in partibus Orientis ampliari. *Et cap. 52. specialiter agens de Carmeli incolis, S. Eliæ sectatoribus & posteris:* Ad explum, & imitationem sancti viri & solitarij Eliæ Prophetæ in monte Carmelo . . . . vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquam apes Domini dulcedinem spiritualem mellificantes. *Vide plura Libro sequenti cap. primo, & ibi in Notis.*

Ex tunc refloruit Carmeli Ordo.

CAP. II.

Quòd Aymericus Patriarcha Antiochenus Professores hujus Religionis sub uno Priore colligaverit, quibus Albertus Patriarcha Ierosolymitanus, ad eorum requisitionem, de quibusdam articulis certam vivendi Regulam scripsit, & in monte Carmelo monasterium ædificavit.

IESU CHRISTUS. (a) Fautore Aymerico Patriarcha Antioch.

300. (a) ERat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in Terra sancta Apostolicæ Sedis Legatus, vir quidam amabilis Deo & hominibus, nomine Aymericus Malafaida, natione Lemovicensis, de villa appellata Salamiacum: Qui prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum, fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli laudabilem conversationem attendens, eos multùm specialiter suô tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem quosdam eorum qui ex Occidente supervenerant, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ eremiticæ, in prædicto Joannis libro descriptæ; & perpendens hoc ideò maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant codicem illum legere, (b) fecit librum illum de Græco in Latinum transferri. Et ut illorum improborum coërceretur audacia, tutaque inter eos esset seniorum Eremitarum hujus montis innocentia, ipsos (c) omnes per obedientiæ vinculum colligavit. (d) Statuit enim quod ex ipsis unus, qui diceretur *Prior*, deinceps eis ita præesset, ut quilibet aliorum obedientiam ei devoveret, sub cura cujus, & regimine, omnes viverent. Quibus licèt anteà semper unus ex eis præesset, quem *Abba* linguâ Syrâ, & *Patrem* Latinâ appellabant, sub regimine cujus etiam tunc temporis manebant, & cui etiam tamquam Patri, secundùm institutionem obediebant, (e) numquam tamen ad obediendum alicui in monte Carmeli sub certa clausura, se voto speciali priùs obligaverant, donec prædictus Patriarcha Aymericus eos ad hoc primum astrinxit. Inter quos ipse Fratrem suum habuit, scilicet Fratrem * Bertholdum perfectum Religiosum, sanctumque Præsbyterum: quem (f) de unanimi omnium assensu annô Domini MCXXI. in Primum Priorem eis instituit, & cui curam animarum cæterorum injunxit. Et (g) in hoc monte Carmeli, in honore Beatæ MARIÆ Virginis Dei Genitricis, Monasterium ædificari faciebat, muro aliô circulariter circumdatum: in quo quidem eos includere intendebat: sed priusquàm hoc Monasterium consummasset, sustulit eum de mundo Deus.

Qui præfatum Ioannis librum à Græco in Latinum transferri curavit. (b) (c) (d)

Et statuit, ut superior antè Pater vocatus, deinceps diceretur Prior. (e)

** De Bertholdo vide notas num. 308. in fine. (f) Legendum MCXLI. vid. Not. (g)*

301. Processu autem temporis, mortuô primô eorum Priore, videlicet Fratre Bertholdo, sub regimine cujus quadraginta quinque annis manserant: perplexitas magna eorum animos invasit de successore ejus instituendo: de cujus institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus, morte præventus, eis reliquerat. Tandem post lapsum temporis Fratrem Brocardum, virum perfectum, unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiserunt, sub regimine cujus trigința tribus annis permanserunt. Quô eis præsidente, Patriarchæ Ierosolymitano Domino Alberto proposuerunt, quòd à tempore quô prædictus Patriarcha Aymericus eos omnes sub cura unius Prioris per obedientiæ vinculum colligaverat, ipsi desideraverant vivere inclusi in Monasterio, sub observantia Religiosæ vitæ solitariæ, per Eliam Prophetam institutæ; qui (h) licèt per eorum institutionem essent certi, qualiter unusquisque eorum singulariter degens deberet ad perfectionem, & finem vitæ solitariæ tendere: quia tamen proponebant in hoc Carmelo includi in Monasterio, in quo nequaquàm fuerant adhuc inclusi; ideò priusquam in eo includerentur, obnixè requirebant à prædicto Patriarcha Alberto, ut juxta propositum eorum traderet eis de quibusdam articulis, per eos tunc sibi oblatis, conversationi monasteriali necessarijs, brevem vitæ formulam, quam tenere imposterùm deberent.

Primus Generalis superior mancupatus Prior B. Bertholdus, secundus B. Brocardus

(h) Religiosi in Carmelo olim in cellis separatis degebant.

Sub Alberto Patriarcha in Monasterio simul reclusi esse voluerunt.

302. Et *Primò* qualiter Prior cui promittenda erat ab alijs obedientia, esset deinceps in suo officio instituendus. *Secundò*: ut describeretur eis figura monasterij ædificandi, apta, & commoda ad vitam solitariam in eo observandam; & qualiter ipsi deberent conversari ibi. *Tertiò*: qui psalmi essent maximè ab eis in singulis horis canonicis dicendi, & qualiter ab eorum laicis deberent horæ dici. *Quartò*: an eis in Monasterio inclusis, liceret aliquid habere in proprio, vel saltem in communi, & qualiter deberent superventura eis bona distribui. *Quintò*: in qua parte, Monasterij potiùs deceret oratorium collocari. *Sextò*: si culpæ in aliquo eorum fratre essent deprehensæ, an illas, possent, & qualiter corrigere ipsi. *Septimò*: quantô tempore anni deberet jejunium ab eis observari, & quandò esset ab esu carnium abstinendum, vel quandò liceret eis carnibus vesci.

Brevem vitæ formulam circa decem articulos expetunt ab Alberto.

vesci. *Octavo*: Quibus armis quam maximè essent ipsi specialiter muniendi, contra diabolum pugnaturi. *Nono*: An liceret eis propriis manibus corporaliter operari, aut cessare totaliter ab opere corporali. *Decimo*: Quibus horis diei esset præcipuè silentium ab eis tenendum & quando liceret eis loqui. Nam quamvis ipsi essent in cæteris benè instituti, de præmissis tamen decem articulis dubietas, & opinionum diversitas apud eos exorta fuerat, de qua nequibant per institutionem eorum determinatè certificari.

(i) *Is inspicit, & examinat Ordinis Institutionem & Regulam per Ioannem præfatum.*

Regulam scribit breviorem.

(k) Error irrepsit in numero & legendum est MCCV. aut MCCIX *Vide Notas.*

(l) *Monasterium in Carmelo perficit: Capellam post Christi ascensionem Deiparæ consecratam renovat.*

303. Dictus autem (i) Dominus Patriarcha Albertus, lectâ primò Institutione eorum antiquâ in prædicto Joannis libro descriptâ, & visô quod nullus prædictorum articulorum plenè per eam determinabatur, annuit eorum humili requisitioni, & de prædictis decem articulis certam vitæ formulam continentem (statuta decem) secundùm quam vivere deberent, Latinô eloquiô eis scripsit, quã tempore sempiternô imposterùm ab eis, & successoribus eorum observandam ipse (k) annô Domini MCXCIX. tradidit. Quibus postmodum eodem annô Monasterium in hoc monte Carmeli, juxta fontem Eliæ Prophetæ, ædificari fecit: infra cujus septa includi, ac (l) renovari jussit Capellam, quam ad honorem Beatæ Dei Genitricis MARIÆ prædecessores eorum post Ascensionem Christi construxerant. Et eos omnes in antris, atque cellulis distantes, per hunc montem Carmeli habitantes, ipse Dominus Albertus tunc congregavit: Et in dicto monasterio, sub observantia vitæ Religiosæ solitariæ, per Eliam Prophetam institutæ, eos inclusit, ut ibidem conversarentur secundùm Regulam eis per ipsum noviter scriptam; quam tibi sic in sua forma transmitto.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Aymericus.

304. (a) ERat in diebus illis Patriarcha Antiochenus Aymericus. *Instaurationem per Aymericum in Carmelo factam sic paucis complectitur Onuphrius Panuinus in Chronico Eccles. ad annum Christi millesimum centesimum quadragesimum primum.* Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malfaida, Lemovicensi, Patriarcha Antiocheno, & Apostolicæ sedis trans mare Legato, in monte * Suriæ Carmelo: quorum primus Prior fuit Frater Bertholdus vir Sanctus *Quantum ad tempus, quô Aymericus ille Antiochiæ inthronizatus fuit, designat idem Author annum Christi 1137. ad illum ita scribens*: Aymericus Lemovicensis Gallus ex Subdiacono & Decano magnæ Ecclesiæ, III. Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcha annis quinquaginta. *Igitur obijt annô 1187. quô etiam successit Radulphus, ut ad eum notat idem Onuphrius. Aymericum annis 50. Patriarcham extitisse tradit etiam Genebrardus qui ejus obitum refert ad tempora Pontificis Vrbani III. qui Apostolicam sedem tenuit ab initio anni 1186 usque ad finem 1187.*

* Id est Syriæ.

Quo tempore is factus Patriarcha, & quando obierit. * Lib. 4. Chronolog. ad tempora Innocentij II.

Librum præfatum Ioannis Ierosf. fecit de Græco verti in Latinum.

305. (b) Fecit illum de Græco in Latinum transferri. *En alterum ejusdem B. Cyrilli testimonium, circa rem, tempore, & locô, quibus vixit, gestam; videlicet de libro illo è Græco (utique primitus Græcè scripto) in Latinum traducto sed de hoc satis suprà, & infrà rursùs sermo erit.*

306 (c) Omnes per Obedientiæ vinculum colligavit. *Illud* omnes *commodè intelligendum est, videlicet de ijs dumtaxat,* qui ex Occidente supervenerant, & qui spretis seniorum monitis non rectè ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ ambulabant: *non autem de aliis per totam Palæstinam, atque etiam extrà dispersis, de quibus infrà dicemus: multoque minus de senioribus Carmeli Eremitis, quos vita innocentiâ præditos esse affirmat: undè propterea dixit*: & ut illorum improborum (*eorum scilicet qui ex Occidentis partibus advenerant*) coerceretur audacia, tutaque inter eos esset Seniorum Eremitarum hujus montis innocentia; ipsos omnes per obedientiæ vinculum colligavit. *Quin & verbum ipsum* colligavit, *hoc indicat fuisse, videlicet sicut corpore per totum montem, sic & mente dispersos; cum juniores Obedientiæ vinculô obligari nollent, cui Seniores adstringebantur. Ita Lezana tomo 4. Annalium. Quòd, & qualiter illa*: Omnes per obedientiæ vinculum colligavit, *etiam absolutè de omnibus accipi possint, declaratum est in Vinea Carmeli; videlicet omnes colligavit sub uno Priore Generali, qualem antè non habebant, subjecti dumtaxat (ex obligatione voti obedientiæ in professione facti) suis Superioribus localibus, ab alio Generali non ita dependentibus Aymericus autem omnes, omnium* Conventuum, *seu Regularium mansionum Religiosos, subditos & Superiores, uni Supremo, & Generali per votum speciale, (ut loquitur S. Cyrillus) subjectos esse voluit: & hoc sensu* omnes colligavit. *Sed de hoc latiùs dicto loco in Vinea Carmeli. Insuper & hoc sensu simpliciter de omnibus id accipi potest*: Omnes colligavit, *scilicet commorantes in cellulis, & antris sparsim hinc inde per Carmelum, coadunavit, & in unum collegit, constituendo sub clausura, pro ut statim.*

Quomodo intelligendum, quod omnes per obedientiæ vinculum colligaverit.

Lez. to. 4. Annal. ad an. 1141. num. 5.

Vinea Carmeli n. 25. in fine.

307. (d) Statuit, quod ex ipsis unus qui diceretur Prior deinceps eis ita præesset &c. *Licèt anteà semper unus ex eis præesset quem* Abba *lingua Syra & Patrem Latina appellabant. Hinc, & ex capite 4. libri secundi habetur quod olim ad usque tempora Aymerici Patriarchæ Rectores, seu Superiores Ordinis hujus appellati fuerint* Abba, *seu* Pater. *Propterea non est quod quis miretur, dum in actu veterum Sanctorum hujus Ordinis leget nomen* Abba. *seu (ut communiter dici solet)* Abbas: *multoque minus eam ob causam taliter nuncupatos, & qui sub eis degebant huic Ordini abjudicet. Animadvertendum, quod licèt tempore præfati Aymerici Generaliter per totum Ordinem Superiores anteà vocati* Abba, *seu* Pater, *nuncupari cœperint* Prior, *illud tamen nomen in Ordine jam antè, quibusdam in locis fuisse in usu, præsertim in Europa, ubi verisimiliter ab initio adventus Carmelicolarum in eam, relictô nomine Syro* Abba, *ejus loco Latinum* Prioris *suppositum fuit. Sed & in Terra Sancta quandoque etiam nomen istud in usu fuisse colligitur ex Concilio Constantinopoli habito anno Christi 536. in quo actione prima, & in sequentibus ista legitur subscriptio*: Silas Presbyter & Prior Monasterij Eliæ subscripsi. *Istud Monasterium Eliæ fuisse Carmelitani Ordinis in Terra Sancta propè Carmelum ostendunt Ludovicus à S. Teresia (a) & alij: quod etiam confirmatur in vita S. P. Eliæ Francofurti impressa pagina 536.*

Superior antea Abba nuncupatus statuitur appellandus Prior.

(a) Ludovic. à S. Ter. lib. de successione Eliæ c. 164. & 179.

308. (e) Nunquam tamen ad obediendum alicui in monte Carmeli, sub certa clausura, se votô prius obligaverant. *Ita habet vetustum exemplar MS. Codicis Mechliniensis, in Exemplari Codicis Gandensis verò sic*: Numquam tamen ad obediendum alicui se votô speciali prius obligaverant: *Quam lectionem secuti sumus in editione libri S. Cyrilli in Vinea Carmeli: sed Codicis Mechliniensis lectio genuina magis videtur, ex ijs, quæ mox sequuntur*: Ipsi desideraverant includi in Monasterio: *& paulò infrà*: Proponebant in hoc Carmelo includi in Monasterio, in quo nequaquam fuerant adhuc inclusi. *Itaque cum usque ad tempora Aymerici, Religiosi, S. Eliæ posteri, & successores in Carmelo habitassent in cellis separatis, nullô murô, seu septô communi circumdatis (sicut passim olim S. Antonij, & S. Hilarionis temporibus, ac sequentibus, in Ægypto, & Palæstina veteres Monachi habitare solebant in desertis, & in montibus) Aymericus, tum ad coërcendam meliùs discolorum quorundam occidentalium audaciam, & fortè divagationes, tum ad munimentum contra incursiones prædonum; expediens judicavit, cellas omnes, murô altô circulariter circumdatô includi. Prætereà cum ab ipsa Ordinis institutione per S. P. Eliâ semper fuerit in Carmelo aliquis Superior, cui obedientiam cæteri præstabant ex voto; non tamen semper fuit aliquis communis, seu Generalis Superior (sicut in primordiis Ordinis erant S. P. Elias & post eum Elisæus) cui omnes tam in Carmelo, quam alibi speciali votô adstricti, obedientiam præstare tenerentur. Vtrumque igitur istud, & alia præstitit Aymericus, sicut mox latiùs declarabitur.*

Berthol-

Bertholdum perfectum Religiosum, sanctumq; presbyterum Ita habet codex MS. Gandensis. Alia exemplaria habent: Bertholdum virum Religiosum, sanctum, & famosum. Quoad B. Bertholdum, an Patriarcha Aymerici fuerit Frater Germanus, seu saltem ex eodem Patre, vel Matre; an verò à B. Cyrillo sic vocetur (juxta sacræ Scripturæ phrasim Matthæi 12 & Marci 3.) disseritur in Annalibus Ordinis. Ab aliis plerisque dicitur consanguineus, vel nepos: fuitque uterque ejusdem cognominis Malafaida.

Pro anno MCXXI. legendū an. MCXLI. declaratur.

309. (f) De unanimi omnium assensu anno Domini MCXXI. in primum Priorem eis instituit scilicet Bertholdum. Ibi errorem numeri in Apographis libri S. Cyrilli irrepsisse (ut facilè, & sæpè evenire solet) apparet. Præfatus enim Panuinus, & nostri oculatiores Historici id non anno MCXXI. Sed viginti annis posterius (MCXLI) contigisse censent. Verisimilius itaque pro anno MCXXI. (seu 1121.) Legendum est MCXLI. (vel 1141) Sic ex mutatione unius characteris numeralis magna persæpè oritur in Chronologiis perturbatio: prout in præsenti evenit; unus enim ille error multos secum alios traxit; peculiariter circa tempus regiminis sex primorum Priorum Generalium Ordinis. Porrò Reformationem seu innovationem illam Ordinis per Aymericum non ad annum MCXXI. referendam, evincit, quòd apud Historicos, Annalistas, seu Chronologos omnes pro comperto, & sine controversia sit, eô annô illum Patriarchatum gessisse Bernardum quendam, prout disertè habent Genebrardus, Onuphrius, Baronius, ac alij. Aymericus verò demùm circa annum 1137. ex Antiochena Ecclesiæ Decano ad ejusdem Patriarchatum assumptus fuerit, prout ex Onuphrio præfato, Genebrardo & aliis ostendit Lezana in Annalibus Ordinis tomo 3. sub finem. Ibidem Annotat & refellit quorumdam opinionem, assumptionem illam Aymerici referentium ad annum MCXLIII. Hinc concludit: Credendum igitur eam Epistolam (seu librum illum S. Cyrilli ad Eusebium) quò ad hunc annorum numerum ex anni 1141 cum 1121. transpositione à sciolo aliquo posteriori vitiatum fuisse. Quod facilè contingere potuit, cum numerus 1141. cum 1121. (seu MCXXI. & MCXLI.) unâ dumtaxat numerali notâ exceptâ, omninò conveniat. Illud itaque pro comperto sit, Instaurationem Ordinis per Aymericum non anno millesimo centesimo vigesimo primo, sed quadragesimo primo, aut circiter factam. Dixi circiter; quia nonnulli arbitrantur aliquantò post contigisse. Cæterùm nè quis historiarum parùm peritus ob illam difficultatem numeralem minoris hoc opus æstimet authoritatis; is advertat, passim in historiis Similes occurrere remoras. Sic in re gravissima circa annum Natalis Christi à condito mundo differens Cardinalis Baronius scribit quod in ea quæstione sudarint, & alserint tum antiquorum, tum recentiorum ingenia. Similia autem in historiis quam frequentissima occurrunt.

Lezan. to. 3. Annal. Card. an. 1121. nu. 4.

Baron. in Apparatu ad Annal. n. 118.

Aymericus in Carmelo monasterium construit.

310. (g) In hoc monte Carmeli in honore B. Mariæ Virginis Dei Genitricis Monasterium ædificari faciebat. Ita habet Codex vetustus MS. Mechliniensis. In aliis exemplaribus legitur: ad honorem Beatæ Margaretæ Vtraque lectio vera est. Monasterium enim istud primariò ad honorem Virginis Deiparæ, & secundariò B. Margaretæ dicatum fuit: & illud est, cujus meminit Iacobus de Vitriaco in historia Ierosolymitana capite 52.

Aymericus Patriarcha quæ fecerit in Carmelo.

311. Aymericus itaque in Ordinis renovatione, & instauratione præstitit sequentia. Imprimis Latinos nonnullos, seu Occidentales Eremitas, post recuperatam Terram Sanctam ad eum locum accedentes, & pro arbitrio suo cupientes vivere, ad votum obedientiæ, aliorum more emittendum, authoritate Apostolicâ adstrinxit; cum id priùs facere renuissent. Deindè librum Ioannis XLIV. Ierosolymorum Episcopi, ejusdem Carmeli montis quondam Archimandritæ, De Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium (qui locô Regulæ habebatur) in gratiam Latinorum Eremitarum, Græcas litteras ignorantium, ex eodem idiomate Græco (quô olim ante annos ampliùs septingentos conscriptus fuerat) in Latinum transferre curavit. Prætereà statuit, ut eorum Superior non ampliùs, ut ordinariè olim Syriacè Abbas, aut Græcè Archimandrita, sed Latinè Prior diceretur, & ut omnes tum in Carmelo, tum alibi habitantes subessent uni illi Priori tamquam Generali, & ideò Prior Generalis nuncupatur (in qua serie primus fuit S. Bertholdus, secundus S. Brocardus de quibus hic fit mentio, & sic consequenter, usque ad præsentem Reverendissimum P. Mathiam Orlandi in illa serie XLIII.) & illi speciali votô promittenda est obedientia. Nam licèt tàm in veteri, quàm in nova Lege semper in usu fuerint tria substantialia Religionis vota (sine quibus nulla perfecta potest esse Religio) ante Aymerici tamen tempora non semper fuit unus Superior Generalis, qui omnibus Eremitoriis, & Cœnobiis præesset, sed in singulis Eremiticis congregationibus (quæ quandoque Lauræ nuncupabantur) & Monasteriis, unus erat Superior lingua Syra Abba nuncupatus, cui cæteri obediebant. Attamen omnes quamvis essent locis sejuncti, eandem tamen solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ montis Carmeli; quia scilicet indè suam Institutionem acceptam referebant. Ita Guilselmus de Sanvico temporibus istis vicinus. Vide hic infrà libro 9. cap. 1. sub finem: & ibi in Notis. Aymericus autem, pro majori Ordinis unitate, commodiori regimine, & faciliori propagatione, statuit, ut deinceps unus Superior Generalis omnibus Cœnobiis, Eremitoriis, & Monasticis habitaculis præesset, & omnes ei subessent, ac in professione ei expresse voverent obedientiam sub hac, aut simili formula: Ego Frater N. facio professionem meam, & promitto obedientiam Deo &c. B. Virgini Mariæ de monte Carmelo, & R. P. N. Priori Generali Fratrum Ordinis ejusdem B. Mariæ Virginis de monte Carmelo &c Idque sub proprio nomine Prioris Generalis totius Ordinis: quod in Constitutionibus nostris parte 1. cap 5. ità strictè præcipitur, ut excommunicationem latæ sententiæ, juxtà Decreta Pontificia, incurrerent aliter faciens Deniquè cellas seu habitacula Religiosorum murô aliô circumdari per modum Monasterij curabat: sed morte præventus non perfecit.

Olim Monachi non uni determinato, aut pro certo loco obedientiam vovebant.

312. Animadvertendum hôc locô, pro confirmatione dictorum: quòd olim veteres Monachi, ut SS. Chariton, Antonius, Hilarion, cæterique per Palestinam, Ægyptum, & Thebaidem (quos veri nominis Religiosos fuisse prudens dubitaverit nemo) ita expresse uni particulari obedientiam voverint sicut modò practicatur non videtur: at potiùs, quòd Deo promitterent Paupertatem, & Castitatem. atque etiam obedientiam, præstandam quidem alicui Superiori, sed non determinate isti, aut illi, aut determinate in illo loco, seu Congregatione, sicut nunc expresse practicatur. Vnde antiquitùs quandoque etiam illàm nonnulli migrabant de uno loco in alium; nunc isti, nunc alteri obedientiam promissam exhibentes. Prætereà in Eremis ordinariè in cellis non junctis, nec murô, seu septô aliquô circumdatis, sed dissitis inter se, hinc indè dispositis sine aliqua communi clausura habitabant, sicut jam ante dictum est. Verumtamen in quibusdam locis extra Carmelum tàm sub veteri, quàm sub nova Lege (sicut patet ex dictis libro 3 cap. 7.) in urbibus, & suburbiis, imò & in Eremis aliquibus Monasteria, seu Conventus Religiosorum Ordinis hujus, sed peculiariter Virginum Monialium septô aliquô circulariter circumdati fuisse videntur. Ejusmodi verisimiliter erat illud in quo S. Euphrosyna (sub nomine Smaragdi sexum celans in habitu virili) habitavit. Nec dubitandum talia fuisse Monasteria in qua S Sara, & S. Euphrasia, atque aliæ Virgines olim vixerunt, & ex actis ipsius S. Euphrasiæ satis colligitur: idque exigebat virginei cœtus, fœminei sexus, custodia tutior.

Lez. to. 4. Annal. ad an. 1142. n. 15.

313. Porrò ex omnibus hactenus totô hoc volumine dictis habetur, & manifeste (contra nonnullos) concluditur sic cum Ordinis hujus Annalista Lezana: Maneat ergo ut inconcussa veritas, si adversariis placuerit, Aymericum nostri Ordinis Reformatorem, non formatorem; restitutorem, non institutorem; promotorem, & non authorem appellandum jure fore: prout etiam benè advertit præfatus Chronographus Onuphrius Panuinius in Chronico Ecclesiastico ad annum Christi 1141. verbis jam ante relatis; Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico: sic quoque Gualterus in Tabulis Chronographicis, sæculo duodecimo, asserit tempore Aymerici Ordinem hunc stabilitum fuisse, & ipsum Aymericum illius Protectorem, ac promotorem, satis indicans, non Institutorem, sed restauratorem fuisse. Plura circa hæc videri poterunt in Annalibus Ordinis

Aymericus Ordinis Carmelitani promoter, non author.

Annal Ord. ad an 1141 & 1142.

Olim in cellis separatis habitaverunt Carmelitæ.

314. (h) Licet per eorum Institutionem essent certi, qualiter unusquisque eorum singulariter degens, deberet ad perfectionem, & finem vitæ solitariæ tendere Ante tempora Aymerici Antiocheni, & Alberti Ierosolymitani Patriarcharum, tùm sub veteri, tùm sub novâ Lege Carmelicolæ, & ejusdem Instituti Monachi, seu Eremitæ

passim

passim etiam alibi in aliis eremis commorantes, magis solitariam, quàm cœnobiticam vitam degebant, habitantes in antris, cavernis, seu cellis ab invicem distantibus, septo, seu muro, non inclusis, ut jam dictum est, & ulteriùs declarabitur in Notis ad caput 3. Erant tamen etiam extrà Carmelum in Villis, & urbibus nonnullis (sicut ex dictis libro 3. cap. 7. & alibi habetur) mansiones Religiosorum Ordinis hujus: & in istis magis conventualiter vivebatur ut in istis instruebantur novitii antè quam ad eremos transferrentur. Vide hic supra libro 3. cap. 7. Ad hoc propositum etiam videri poterit vita B. Zozimæ in Vitis Patrum. Advertendum igitur, quod successu temporis ab ipsa Ordinis institutione varius fuerit in Carmelo, & aliis locis vivendi modus, præsertim quoad cellas, & locum refectionis. De cellis jam dictum. Quantum ad locum refectionis, in veteri Lege quandoque gregatim, & conventualiter habitasse, & in uno communi loco comedisse, habetur ex libri Quarti Regum capite 4. sub finem: Deindè successu temporis, aut etiam eodem tempore, in diversis locis singuli in suis cellis seorsim, & sigillatim commederunt (sicut patescet ex dicendis num 322) & sic fuit practicatum usque ad annum Christi MCCXLVII. *Exindè in communi refectorio simul comederunt, sicut videre licebit ex dicendis cap. 6. nu. 363. & cap. 7. num. 378. Quinimò eodem tempore diversis in locis varietas aliqua erat; cum in plerisque locis præsertim eremis, sigillatim viverent, & in aliis gregatim.* Sic *etiam nunc alius est regularis vita Ordo in Conventibus Eremiticis Ordinis hujus, & inter PP. Discalceatos, & inter alios: sic & varietas est aliqualis in Conventibus studiorum, Novitiatus, & cæteris. Plura ad hoc propositum dicentur hic infrà in Notis ad caput sextum num. 373. Porrò falleretur is, qui ob similes varietates successivè factas varium, aut diversum in substantia existimaret Ordinem, & non eundem; cum ista sint accidentalia. Ità in quolibet Regno, urbe, navi, legione, grege, homine successivè mutationes fiunt, manente identitate substantiali, seu morali; nam moraliter nunc eadem est Urbs Roma, quæ erat ante duo millia annorum: & ità de aliis.*

315. (i) Dominus Patriarcha Albertus, lectâ primò Institutione eorum antiquâ, & in prædicto Joannis libro descriptâ. *Liber ille præfatus Ioannis Ierosolymitani etiam passim alibi vocatur* Institutio antiqua, *aut* Institutio antiquissima *(Vide hic infrà nu. 349. & nu. 357.)* & Historia de antiquitate Ordinis. *Illam autem* Institutionem antiquam, *idest, Librum Ioannis (qui anteà, ut jam dictum, est, pro Regula servabatur) Albertus legit, antequàm Regulam suam magis determinatam, & compendiosiorem scriberet: & nulla, aut pauca in Regula illa sua inseruit, quæ Ioannes in dicto libro non habebat: sicut infrà capite 4. per totum accuratè declarabitur.*

Circa annum Regulæ data per Albertum Patriarch. Ierosol: quorundam errores.

Vide Annales Lez. ad an. 1171. 1199. & 1205.

316. (k) Anno Domini MCXCIX. eis tradidit. *Ita quidem habent pleraque Exemplaria: sed errorem in numeros irrepsisse, perspicuè, & ex certissimis historiis eruunt Lezana in Annalibus, Wasselius libro primo Vindiciarum, Segerus Pauli in Chronologia vitæ B. Simonis Stock, & alii. Verisimiliter pro anno* MCXCIX *(seu 1199.) suppositum fuisse* MCCIX *(sive 1209.) qui characteres numerales affines sunt, censent Wasselius, & Segerus. Lezana, cum Wernero Carthusiensi in fasciculo temporum, atque aliis, annum datæ Regulæ millesimum ducentesimum quintum statuunt. Nonnulli existimarunt annum datæ Regulæ* MCLXXI. *(seu 1171.) & illud mendum irrepsit in exemplar Bullæ Innocentii quarti, quam habet Laertius Cherubinus tomo 1. Bullarii inter Constitutiones Innocentii IV. num. 6. Porrò Regulam non anno millesimo centesimo nonagesimo nono, multoque minus millesimò centesimò septuagesimò primò datam, sed annò millesimò ducentesimò quintò, aut aliquantò post, hoc duplici fundamentò stabilitur. Alterum est, Albertum datorem Regulæ fuisse Patriarcham Ierosolymitanum (ut manifestum est ex ipsa Regula) & claruisse tempore Innocentii Papæ tertii, prout disertè tradit Trithemius libro de scriptoribus Ecclesiasticis his verbis.* Albertus Patriarcha Jerosolymitanus, vir doctus atque Sanctissimus: qui Fratribus Carmelitis adhuc in terrâ Sancta degentibus Regulam dedit: quam iidem Fratres, jam in Europa constituti per Apostolicam Sedem modificatam, & approbatam ubique profitentur. Ad instantiam Innocentii Papæ tertii descripsit luculentò sermone, & veraci statum Terræ Sanctæ libro 1. Regulam Carmelitarum lib. 1. *Hæc Trithemius.*

Regulam datam an. 1205. aut paulo post evidenter declaratur.

Alterum fundamentum est; quod is Albertus ab ipso Innocentio tertio ex Episcopo Vercellensis Ecclesiæ institutus fuerit Patriarcha Ierosolymitanus anno Christi millesimo ducentesimo quinto, uti constat ex ipsa bulla institutionis ejusdem, in Registro Vaticano, cujus pars inserta extat Annalibus Ordinis ad annum Christi 1205. & 1214. quo obiit, eique successit Radulphus, ut ex Authoribus ibi relatis, & ex Siberto de Beka cap. 5. hujus libri habetur. Bullam illam Innocentii tertii se in Registro Vaticano vidisse testatur Lezana dictô locô Annalium. Hinc sic concludere licet. Cum Regulæ Scriptor sit Albertus Patriarcha Ierosolymitanus, & is anno 1205 Patriarcha factus sit, & obierit anno 1214. manifestum est Regulam non fuisse datam ante annum millesimum ducentesimũ quintum, sed ipsô annô 1205. aut certè paucis post annis, saltem ante millesimum ducentesimum decimum quartum. *Quod aliqui existimant Albertum dedisse Regulam anno 1199. antequam esset Patriarcha, & postea appositum fuisse nomen Patriarcha, non habet verisimilitudinem, Vide Annales Ordinis, per ven. P. Lezana, tomo 4 ad annum Christi 1171. & 1199. & 1205.*

317. (l) Renovari jussit, (*Albertus*) Capellam, quam ad honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, prædecessores eorum post Ascensionem Christi construxerant. *Indè eruitur, Capellam illam jugiter perstitisse, conservatam à temporibus Apostolorum. De illa latius actum est supra libro 6. cap. 5. & ibi in notis.*

Capella in Carmelo Deiparæ dicata post Christi ascensionem, & semper ibi conservata.

CAP. III.

Regula Religionis hujus, sicut per Albertum Patriarcham scripta fuit.

(a) Ex eodem Cyrillo.

318. (a) ALbertus, Dei gratiâ, Ierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo Filiis (b) Brocardo & cæteris Eremitis, qui sub ejus obedientia, (c) juxta fontem, in monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis Sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deservire. Verùm quia (d) requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis; (b) (c) *Regulæ Prologus.* (d)

De Priore & obedientiâ illi promittenda.

319. Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium assensu, vel majoris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur; cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissum studeat operis veritate servare.

De cellis Fratrum.

320. Prætereà juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas; sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. *De cella & gubernio Prioris.* Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in Lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, *De mansione in cellis.*

De horis canonicis. tes; nisi aliis justis occasionibus occupentur.

321. Hi qui litteras norunt, & legere psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatâ consuetudine, ad horas singulas sunt deputati. Qui verò litteras non norunt, viginti quinque vicibus dicant *Pater noster*, in Nocturnis vigiliis: exceptis Dominicis & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari; ut dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis: in aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio; præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

De nil habendo proprium. 322. Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia Et ex his quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum Prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum: ita tamen, ut, sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter vivant.

De oratorio. 323. Oratorium, prout commodiùs fieri poterit, construatur in medio cellularum: ubi manè per singulos dies, ad audienda missarum solemnia, convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri poterit.

De capitulo, & correctione fratrum. 324. Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis: ubi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate mediâ corrigantur.

De jejunio, & abstinentia carnium. 325. Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observetis, à festo exaltationis Sanctæ Crucis, usque ad diem Dominicæ resurrectionis; nisi infirmitas seu debilitas corporis, aut alia justa causa, jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet Legem. Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis vel nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ.

Job. 7. 326. Quia vero *militia est vita hominis super terram*; & *omnes qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur. Adversarius*, quoque *vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*; omni sollicitudine studeatis indui armaturâ Dei, ut possitis stare adversùs insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus Sanctis. Scriptum est enim: *Cogitatio sancta servabit te*. Induenda est Lorica justitiæ; *ut Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tamquam vosmetipsos*. Sumendum est *in omnibus scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: Sine fide enim impossibile est placere Deo: & hac est victoria fides vestra*. Galea quoque salutis capiti imponenda est; ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. *Gladius autem Spiritus, quod est verbum Dei*, abundanter habitet in ore & in cordibus vestris. Et Ephes. 6.

In aliis exemplaribus MSS. legitur: *quia verò tentatio* &c.

2. Tim. 3. 1. Pet. 5. *De armis spiritualibus* Marci 12. Hebr. 11.

quæcunque vobis agenda sunt in verbo Domini fiant.

De assiduitate operationis. 327. Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium, pariter & exemplum: in cujus ore Christus loquebatur; qui positus est & datus à Deo prædicator, & Doctor Gentium, in fide & veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare. *In labore* (inquit) *& fatigatione fuimus inter vos, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi nos non haberemus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hac denuntiabamus vobis; quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem qui hujusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent*. Hæc via sancta & bona; ambulate in ea. 2. Thessal. 3.

328. Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta attestatur: *Cultus justitiæ silentium est*. Et rursus: *In silentio & spe erit fortitudo vestra*. Ideoque statuimus; ut ab hora vespertinâ usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis: nisi forte necessitas, vel causa rationabilis; aut licentia Prioris; silentium interrumpant. Aliô verò tempore, licèt silentij non habeatur observatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur: quoniam, sicut scriptum est, & non minus experientia docet, *In multiloquio non deerit peccatum*: &, *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*. Item, *Qui multis verbis utitur, lædet animam suam*. Et Dominus in Euangelio: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij*. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo; ne fortè labatur, & cadat in lingua sua; & insanabilis sit casus ejus usque ad mortem: custodiens cum Propheta vias suas, *ut non delinquat in lingua sua*: Et *silentium*, in quo *cultus justitia est*, diligenter & cautè studeat observare.

Isaiæ 32. Isaiæ 30. *Silentium verbis energicis commendatum.* Proverb. 10 Proverb. 13 Eccli 20. Matth. 12. *Et circumspectio in loquela.* Psalm. 38.

Exhortatio ad Priorem. Tu autem, Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & servetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. Matth. 20.

Exhortatio ad Fratres. Vos quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum humiliter honorate; Christum potiùs cogitantes, quam ipsum; qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum Præpositis etiam ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*; ut non veniatis in judicium de contemptu; sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Lucæ 10.

329. Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Si quis autem su- Lucæ 10.

perero-

Discretio commendatur.

pererogaverit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix. *

*Ibi finis est Regulæ, & Opusculi S. Cyrilli. In Bullario Rom. Cherubini additur. *Ex Acbon. Id. Ian. anno Domini MCLXXI.* Sed in nullo exemplari Speculi Ordinis id habetur: estque error in anno datæ Regulæ. Vide hic suprà num. 316. & confirmabitur ex jam dicendis.

ANNOTATIONES.

Daniel.

Albertus regulam dedit Patriarcha existens.

330. (a) ALbertus Dei gratiâ Ierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha. *Inde habetur, Albertum tradidisse Regulam, cum Patriarcha esset, videlicet anno* 1205. *aut paucis post, pro ut jam statim est dictum in Notis ad caput præcedens num*, 316. *Igitur haud verisimiliter annum data Regula fuisse* MCXCIX. *seu* 1199. (*ut aliqui existimarunt*) *quando Albertus nondum erat Patriarcha Ierosolymitanus, nec in terra Sancta, sed Vercellis (ibi Episcopus) adhuc morabatur. Magisque aberraverunt, qui Regulam datam putarunt anno* MC. LXXI. *ut etiam jam ante annotatum. Die* 8. *Aprilis hujus B. Alberti festum in Ordine Carmelitano duplici Officiô celebratur. Sanctitatem ejus, doctrina conjunctam, paucis verbis Sixti Senensis* (*in Bibliotheca Sancta libro* 4.) *commemorasse sufficiat.* Albertus, *inquit*, Patriarcha Ierosolymitanus, vir Sanctitatis, & doctrinæ admirandæ, qui Fratribus Carmelitis adhuc in terrâ Sanctâ commorantibus vivendi formam, Regulamque dedit. *De ejus Sanctitate, & gestis latius agetur parte* quarta *ad dictum diem* 8 *Aprilis.*

Eam dedit B. Brocardo Priori Generali.

331. (b) Brocardus, *ille, cui Regula inscribitur, fuit Prior Generalis, secundus, etiam Sanctimoniâ clarus, mortui Suscitatione quam-pluribusque miraculis coruscus (ut de eo referunt Wernerus in Fasciculo temporum & Historici Carmelitarum) cujus festivitas in toto Ordine Carmelitano solemnizatur die* 2. *Septembris: ad quem à Molano in Martyrologio, hoc elogio commemoratur:* Eodem die Beati Brocardi Presbyteri, & Carmeli Prioris Generalis, magnæ Sanctitatis viri.

Fons Eliæ in Carmelo.

332. (c) Iuxta fontem in monte Carmelo morantur. *Ita habent vetustiora exemplaria: in recentioribus additum est* Eliæ; *fons enim ille* Eliæ fons *passim dicitur. Ita Cardinalis Iacobus de Vitriaco:* In monte Carmelo, *inquit*, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, vitam solitariam agebant *De mirabili, & prodigioso casu, qui circa annum Domini* 1239. *in eo fonte contigit, agitur in Annalibus Ordinis tomo* 4. *& in Vinea Carmeli variis locis, & in Chronico Ioannis de Vineta* (*in parte* 2. *Speculi hujus*) *sub finem.*

Religiosi Carmelitæ cur Regulam ab Alberto postulaverint

333. (d) Requisitis à nobis, ut juxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulam *Erat autem illorum propositum, seu desiderium, includi in Monasterio ab Aymerico inchoato. Animadvertendum enim est, quod Ordinis hujus alumni, tum in veteri, tum in nova Lege habuerint etiam mansiones, seu Monasteria in urbibus, & quidem quòd tempore veteris Legis, licèt præcipuè conversarentur in solitudinibus, habuerint etiam cuneos Filiorum Prophetarum in civitatibus, traditur libro* 3. *hic suprà cap.* 7. *per totum. Quod id etiam tempore novæ Legis semper fuerit observatum, habetur ex dictis ibi in notis, & ex S. Cyrillo hic paulò ante: mansiones autem Monastica, seu Eremitica in Eremis, non erant ad instar Monasteriorum hujus temporis, sub clausura, sed congregationes erant cellularum ab invicem localiter distantium, non cinctarum, (saltem ordinarie) murô aliquô, sicut ad caput præcedens annotatum est. Sic in Carmelo, aliisque Eremis plerisque conversati fuerunt Ordinis hujus professores, donec more Latinorum Monachorum, sub initium data per Albertum Patriarcham Regula in Carmelo Monasterio fuêre inclusi: & exindè etiam alibi in Eremis, mansiones suas Eremiticas adaptantes juxta formam in Regula præscriptam, septô circulariter circumdederunt.*

Ordo Carmeli olim magis erat Eremiticus, quam Cœnobiticus.

334. *Antiquitùs itaque Ordo Carmelitanus magis erat Eremiticus quam cœnobiticus, seu potiùs Eremiticus cœnobiticus: Eremiticus quidem; quia maximè in Eremis consistebat: cœnobiticus verò quia mansiones illæ, congregationes cellularum (Græcè* Mandræ, *& hinc* Archimandritæ, *& quandoque* Lauræ *dicta) aliquam inter se unionem habebant, & unum Superiorem, quem* Patrem (*linguâ Græcâ seu Syrâ* Abba *nuncupabant) & quotidie statutis horis conveniebant ad Oratorium, seu Ecclesiam. Erat insuper varia vivendi ratio (ad eundem tamen finem tendens) pro-ut latiùs infra in Notis ad caput* 6. *in finem. Hoc autem tempore Ordo magis est Cœnobiticus, quam Eremiticus; plures enim jam extant mansiones intra civitates, quam extrà. Sed de his plura in Vinea Carmeli parte* 8. *cap.* 13. *Notas ulteriores circa Regulam (ne hic prolixiores opus principale nimis discontinuent) ad Tractatum de Expositione Regula ejusdem remittimus, dumtaxat annotantes hanc ejus esse prærogativam singularem, quòd eam servantibus promissa fit ab ipsa Beatissima Virgine* MARIA *& salus æterna, & liberatio à pœnis purgatorij. Id habetur ex Bulla Ioannis* XXII. *dicta* Sabbathina (*de qua in sequentibus*) *sed ad hoc requiritur sollicita ejusdem Observantia.*

Sed nunc magis Cœnobiticus.

Regula Carmelitana prærogativa singularis.

Ea ab Honorio III. & aliis approbata.

335. *Regula prædicta per Honorium. Tertium atque alios approbata, per Innocentium quartum, ac deinde per Eugenium quartum in quibusdam punctis moderata fuit, pro-ut in sequentibus dicetur. Quod attinet ad illius perfectionem, & excellentiam, ea indè habetur, quòd brevitate, & claritate omnia ea, quæ ad finem, & media vitæ Religiosæ spectant, mirificè contineat, & Omnigena virtutis, immoderatarum passionum refrænatio, ac mortificationis exercitia in ipsa resplendeant, quod cuivis legenti, & consideranti manifestum erit: & in ejusdem Expositione latius declarabitur.*

CAP. IV.

Quod nulla, aut pauca, Albertus in prædicta Regula inseruerit, quæ Ioannes priùs in Institutione hujus Religionis non habebat; sed quæ Ioannes in Generali suadendo scripserat, Albertus in Regula in speciali determinat.

Phil. Rib.

(a) Regula præfata desumpta ex supra-dicto Ioannis libro.

336. ACtor: In Regula in præcedenti capitulo posita, (a) Dominus Albertus nulla, aut pauca inserit, quæ non essent jam per Joannem in libro suo de Institutione hujus Religionis Fratribus, vel verbis suasa, vel exemplis Sanctorum Patrum præcedentium eis monstrata, sicut ex dicendis in hoc capitulo patebit. Verùm ea quæ Joannes in dicto libro suadendo in Generali dixerat, Albertus amputando à Fratribus scrupulum dubitationis, in Regula statuendo in speciali determinat. Hæc ergo est causa propter quam post descriptionem institutionis hujus Religionis oportuit maximè etiam dictam Regulam scribere, ut scilicet omnia à Fratribus servanda quæ in institutione fuerant in Generali eis suasa, breviter statuerentur in speciali, & determinatè perstringerentur in Regula.

Qualiter & cur?

Specialis & accuratissima declaratio de Regula: Alberti desumpta ex præfato libro Ioannis.

337. In primis ergo Albertus dum ait: *Multifariè, multisque modis &c.* Dicit diversa à diversis Sanctis Patribus fuisse instituta, gratiâ tendendi ad finem Religiosæ vitæ, sicut Joannes dixerat supra librô secundô, capitulô octavô: Quem finem Albertus dicit esse, scilicet *Christo fideliter deservire de corde puro, & conscientia bona*, sicut Joannes pulchrè declaraverat supra librô primô capit. Septimô. Deinde ibi: *Verum quia requiritis à nobis &c.* Ad requisitionem Fratrum dat eis vitæ formam, per quam ad dictum finem tendant, quam comprehendit sub decem statutis, respondentibus per Ordinem decem articulis Fratrum inter-

interrogatoriis, suprà in secundo capitulo hujus libri positis.

338. Quorum statutorum primum, respondens primo Fratrum articulo, est istud, ut fratres *unum ex eis superiorem habeant*: sicut de facto habebant, & semper habere consueverant, quorum primus fuit ELIAS, sicut patet suprà librô secundô. Denuntiat autem modum instituendi superiorem prædictum: ut scilicet *ex unanimi omnium* Fratrum *assensu, vel majoris & sanioris partis* ad prioratus officium *eligatur*. Quem modum Joannes in libro Institutionis hujus Religionis tacuerat: sed Albertus in regula tacet idoneitatem personæ eligendæ, quam Joannes expresserat supra librô quartô, capitulô tertiô. Statuit autem, ut Fratres seipsos abnegando, & voluntati propriæ abrenuntiando *obedientiam promittant* dicto Priori, *& promissam studeant operis veritate servare*: sicut Aymericus ordinaverat suprà eôdem librô, capitulô secundô, & Joannes plenè suaserat supra librô primô capitulô quartô; nam & Fratrum habitus hoc designat suprà librô septimô capitulô quartô. In hoc autem primo statuto nihil fuit umquam mutatum, sed ad ejus declarationem fuerunt ibi aliqua posteà addita, sicut dicetur in sexto capitulo hujus libri: Nam in primo fuerunt etiam aliqua annexa ad declarationem quorundam verborum in principio regulæ, scilicet in ejus salutatione positorum, sicut dicetur in sexto capitulo hujus libri. *Item quidam.*

De Superiore.

Qualiter instituendus.

De obedientia illi præstanda.

339. Consequenter in secundo statuto, respondente secundo Fratrum articulo ibi. *Præterea &c.* describit figuram monasterij ædificandi, aptam, & commodam vitæ solitariæ, in eo servandæ. Et determinat modum servandi eam, ut scilicet *singuli Fratrum habeant singulas cellulas separatas*, nè scilicet unus turbetur in meditatione, vel oratione per alium: *in quibus cellulis die, ac nocte maneant, meditantes in Lege Domini, & in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Hanc autem vitam solitariam servandam plenè suaserat Joannes suprà librô primô, capitulô quintô: quam primus hominum, Elias servavit à proposito, ut patet suprà librô secundô, capitulô primô. Ad cujus imitationem professores hujus Religionis eam semper servare consueverunt, maximè in monte Carmeli, ut patet suprà librô tertiô, capitulô tertiô & quintô, & etiam in aliis eremis, ut patet eôdem librô, capitulô septimô. In hoc autem secundo statuto nihil fuit umquam mutatum, sed ad declarationem ejus fuerunt ibi aliqua addita posteà, sicut dicetur in sexto capitulo hujus libri. *Item licet &c.*

De vita solitaria in cellis separatis.

340. Posteà in tertio statuto respondente tertio Fratrum articulo. *Hi qui litteras &c.* Statuit, ut in horis canonicis fratres litterati dicant ad laudem Dei illos *psalmos qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesia approbata consuetudine, sunt ad singulas horas deputati.* Fratres verò illitterati dicant ad singulas horas *Pater noster* certis vicibus sicut ipse taxat. Ab origine autem hujus Religionis consueverunt ejus professores psalmos psallere, sicut patet supra librô secundô, capitulô secundô & tertiô; ad quos canendos consueverant sub Lege veteri qualibet die in eorum Semnion ter convenire, ut patet suprà librô tertiô capitulô tertiô. Tempore autem legis novæ ex Generali Ecclesiæ consuetudine convenerunt ad orandum septies qualibet die, sicut patet supra librô sextô capitulô quintô: Sed quia inter Fratres de diversitate, numeroque psalmorum in singulis horis dicendorum erant opiniones diversæ, determinavit Albertus, ut ad singulas horas illos psalmos dicerent, qui *ex institutione Sanctorum Patrum, & approbatâ Ecclesia consuetudine* erant in Ecclesia sui Patriarchatus *ad singulas horas deputati.* Hoc autem tertium statutum in prima sui parte fuit posteà correctum, & aliter formatum, sicut dicetur in sexto capitulo hujus libri, *Item in tertio.*

De Officio divino, seu Horis Canon.

341. Demùm in quarto statuto respondente quarto Fratrum articulo: *Nullus Fratrum &c.* Statuit, ut singuli Fratrũ abrenuntient mundanis divitiis, & facultatibus terrenis. sicut plenè suaserat Joannes suprà librô primô, capitulô tertiô: quam abrenuntiationem servavit Elias, ut patet suprà librô secundô capitulô primô: Et Elisæus, ut patet eôdem librô, capitulô quintô: & cæteri ejusdem conversationis viri antiqui in exemplum nobis dati, ut patet suprà librô quartô capitulô quintô. Determinavit autem modum abrenuntiandi, ut scilicet *nullus Fratrum habeat* imò *nec dicat sibi aliquid esse proprium*; sed quæ habebunt, *sint eis omnia communia, distribuenda tamen per Priorem singulis prout cuique opus erit.* Quem modum abrenuntiandi introduxerunt Apostoli in primitiva Ecclesia, ut patet actuum secundô capitulô, & quartô: hunc modum Fratres usque ad istum Joannem firmiter observarunt. Hoc autem quartum statutum fuit posteà in ultima sui parte totaliter correctum, sicut dicetur in sextô capitulô hujus libri: Ibi scilicet: *Item licet*: aliqua etiam comprehensa in prima ejus parte fuerunt propterea corrigendo aliter formata, sicut dicetur sexto capitulo hujus libri. Scilicet: *Item in quarto*: fuerunt etiam ad declarationẽ ibi aliqua addita, sicut dicetur in eodem sexto capitulo hujus libri, scilicet: *Item post.*

De abdicatione proprietatis.

342. Tandem in quinto statuto, respondente quinto Fratrum articulo, *Oratorium &c.* Statuit ut Fratres in monasterio habeant Oratorium, & determinat locum, ut scilicet *construatur in medio cellularum*, non solùm ad horas canonicas in eo canendas, sed *ad missarum solemnia* de manè in eo à fratribus *audienda*; professores autem hujus Religionis consueverunt semper habere Oratoriũ, ad Deum horis statutis in eo laudandum & orandum, ut patet suprà libro tertio capitulo tertio, & libro sexto capitulo quinto; Notandum autem quòd hæc domus tribus nominibus nuncupatur in hoc libro, quia dicitur *Semnion* ut patet suprà libro tertio capitulo tertio. Dicitur similiter *Oratorium* ut patet suprà libro quinto, capitulo octavo. Dicitur etiam *Capella* ut patet suprà libro sexto capitulo quinto. *Semnion* autem Græcè videtur Latinè significare *conventiculum hone-*

De Oratorio.

Semnion quid significet.

L

honestorum. Est enim domus parva, ad quam Monachi secedentes conveniunt tantum gratiâ honestorum, scilicet divinorum officiorum, & salutis animarum, sicut suprà librô tertiô capitulô tertiô fuit dictum. *Oratorium* verò *ab oratione* est dictum: Est enim locus orationi tantum consecratus, ideò nemo aliquid in eo agere debet, nisi illud tantum ad quod est factum, & undè nomen accepit. *Capella* autem dicitur quasi *capiens laudem*: Est enim parva Ecclesia, seu domus, ad Deum in ea laudandum dedicata. Et sic eadem domus dicitur *Semnion* ratione conventus qui in ea fit ad honesta ibi exercenda. Dicitur etiam *Oratorium*, ratione orationum quæ ibi ad Deum dirigunturr. Et dicitur *Capella* ratione laudum quæ ibi Deo exolvuntur. In hoc verò statuto nihil fuit unquam immutatum, neque additum.

Capella quid?

343. Ulterius in sexto statuto, respondente sexto Fratrum articulo, ibi. *Dominicis quoque diebus &c.* Statuit, ut Fratres *tractent de salute animarum*, & de observantia regulari Ordinis custodienda, & ne omittatur, de culpis Fratrum corrigendis. Et determinat modum, atque tempus, ut scilicet correctio fiat *charitate mediâ*, & ut de his omnibus *tractetur dominicis diebus, vel* etiam *aliis, si opus fuerit*. Salutem autem animarum consueverunt professores hujus Religionis semper procurare in cellis, & Oratorio, ut patet supra librô tertiô capitulô tertiô, & quintô, & librô sextô, capitulô quintô, ad quam debet superior præcipuè esse intentus, verbô & exemplô, & cæteri ei obsequendo, ut patet libro primo capitulo octavo, ad exemplum scilicet Eliæ & cæterorum Patrum, de quibus habes suprà libro secundo, capitulo tertio & octavo: & libro quarto, capitulo quinto, sexto, & octavo. In hoc autem sexto statuto nihil fuit unquam mutatum, neque additum.

De salute animarum & correctione culparum.

344. Postmodùm in septimo statuto, respondente septimo Fratrum articulo, ibi. *Jejunium singulis diebus &c.* Statuit, ut Fratres carnalem concupiscentiam mortificent per abstinentiam, sicut Joannes suaserat libro primo, capitulo quarto, & Elias suo exemplo ostenderat, suprà libro secundo, capitulo octavo: determinat autem modum, ut scilicet Fratres *jejunent à festo exaltationis Sanctæ Crucis, usque ad diem Paschæ, exceptis diebus Dominicis, nisi infirmitas vel debilitas corporis aut alia justa causa suadeat solvi jejunium*: & ut *ab esu carnium semper abstineant nisi pro infirmitatis, aut nimiæ debilitatis remedio sumantur.* Jejunium autem professores hujus Religionis observare consueverant, ut patet suprà libro tertio, capitulo octavo: Esus verò carnium non legitur anteà eis fuisse interdictus, imò concessus, ut patet supra libro secundo, capitulo primo. Ideo hoc septimum statutum fuit in ultima sui parte posteà aliqualiter mitigatum, ut dicetur in sexto capitulo hujus libri, scilicet *Item in septimo.*

De jejunio, & abstinentia carnium.

Olim carnibus vesci concessum.

345. Deinde in octavo statuto respondente octavo Fratrum articulo, ibi. *Quia verò &c.* Præmonstrans vitam hominis super terram in tentationibus consistere, sicut dictum est suprà libro primo, capitulo quarto, statuit ut Fratres *induantur* spirituali *armatura Dei*, per quam *possint stare adversùs insidias inimici*: Et determinat eis sex species hujus armaturæ, quibus induantur, quarum prima est *cingulum castitatis*, quô *accingendi sunt lumbi Fratrum*, scilicet per modum à Joanne expositum libro septimo, capitulo secundo, & ab eo suasum libro primo capitulo quinto: & ab Elia, ejusque discipulis observatum, libro secundo capitulo primo, & libro sexto capitulo tertio. Secunda hujus armaturæ species est, fugatis à corde cogitationibus immundis, sicut suadetur libro primo, capitulo septimo, *Munire pectus cogitationibus sanctis*, exemplo antiquorum Patrum, de quibus habes supra libro tertio capitulo octavo. Tertia hujus armaturæ species est, *indui loricâ justitiæ*, id est, *dilectione Dei & proximi*, per modum in hoc statuto positum, & à Joanne suprà libro primo, capitulo sexto expositum. Quarta species est, *sumere in omnibus scutum fidei* exemplo priscorum Patrum, de quibus habes suprà libro quinto, capitulo primo. Quinta species est *galea salutis capiti imponenda*, id est spes, *ut de solo salvatore speretur salus* animæ, exemplo antiquorum Patrum, de quibus habes suprà libro quinto, capitulo primo. Sexta hujus armaturæ species est *gladius Spiritus*, id *est verbum Dei*, quod debet *abundanter habitare in ore & in cordibus* Fratrum, exemplo suorum prædecessorum, de quibus habes suprà libro quinto, capitulo octavo, & libro sexto capitulo quinto. In hoc autem octavo statuto nihil fuit unquam mutatum, neque additum.

De armis spiritualibus, collatio Regulæ Alberti cum præfato libro Joannis.

346. Subsequitur in nono statuto respondente nono Fratrum articulo ibi. *Faciendum est &c.* Statuit ut Fratres *faciant aliquid operis*, exemplo scilicet tam Apostoli, quod inducit, quàm antiquorum Patrum eorum, de quibus habes supra libro tertio capitulo septimo. Tangit autem quinque causas, propter quas opus corporale est exercendum. Prima, ad tollendum otium, sicut Ecclesiastici trigesimo tertio scribitur: *Mitte servum tuum in operationem ne vacet otio; multam enim malitiam docuit otiositas.* Hanc causam tangit Albertus ibi, *ut semper diabolus inveniat vos occupatos.* Secunda causa est, ad domandam carnalem concupiscentiam, in quantum per opus maceratur corpus. Hanc causam tangit Albertus ibi, & sunt verba Apostoli: *In labore inquit &c.* Tertia causa est ad vitandam cupiditatem alienarum rerum, sicut Primæ Thessalonicensium quarto dicitur: *Operamini manibus vestris sicut præcepimus vobis ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Hanc causam tangit Apostolus ibi: *Operantes, nè quem vestrum gravaremus.* Quarta causa est, ad victum quærendum per opus, sicut psalmo centesimo vigesimo septimo dicitur: *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Hanc causam tangit Apostolus ibi: *Nam cum essemus &c.* Quinta causa est ad evitanda fœda negotia, & lucra, ex quibus quidam, prætermissô opere corporali, necessaria sibi provident, quod reprobat Apostolus, oppositum eis denuntians, & ob-

Motiva quinque ad assiduitatem operationis, & fugam otii.

Psalm. 127.

& obsecrans ibi. *Audivimus enim inter vos &c.*

De silentio.

347. Ultimò determinat Apostolus modum operandi, ut scilicet opus fiat *cum silentio*, ibi: *His autem qui hujusmodi &c.* In hoc nono statuto nihil fuit unquam mutatum, vel additum. Postremò in decimo statuto, respondente decimo Fratrum articulo, ibi. *Commendat autem Apostolus &c.* Statuit, ut Fratres teneant silentium, exemplô scilicet suorum prædecessorum, de quibus habes supra libro tertio, capitulo quinto. Et determinat tempus, scilicet *ab hora vespertina, usque ad horam tertiam sequentis diei.* Silentium similiter suaserat Joannes supra libro primo, capitulo quinto. Statuit etiam ut aliô tempore Fratres *caveant à multiloquio*, exemplo scilicet suorum prædecessorum: de quibus habes suprà lib. 3. cap. 5. & lib. 4. c. 7. Hoc autem decimum statutum in prima sui parte fuit posteà correctum, & aliter formatum, sicut dicetur in sexto capitulo hujus libri, scilicet: *Item in decimo.* Ultimo ibi. *Tu autem Frater Brocarde &c.* Redit ad declarandum primum statutum, ut illic finiat ubi inceperat.

Superioris conversatio qualis esse debeat.

Præcipit ergò Priori, nè de suscepto Prioratu superbiat, sed magis humilietur sicut Christus mandat. Quam autem humiliter se debeat Superior in se, & cum subditis gerere, ostenditur suprà libro primo, capitulo octavo. Et habetur exemplum in Elia, suprà libro secundo, capitulo primo. Præcipit etiam Fratribus, ut *humiliter eorum Priorem honorent*, nè cum contemnendo, spernant Christum, sed *de obedientia mereantur vita æterna præmium*: Quam autem reverenter debeant subditi præpositum eorum honorare, eique obedire, exemplum habent in priscis patribus eorum, suprà libro quarto, capitulo tertio, & octavo.

Qualis Inferiorum erga Superiorem.

ANNOTATIO.

DANIEL.

348. (a) DOminus Albertus nulla aut pauca inseRit (*Regula*) quæ non essent jam per Joannem in libro Institutionis hujus Religionis &c. *Itaque Regula per Albertum tradita, non tam nova Regula est, quàm perfectio quædam, ac explicatio eorum, quæ minùs determinatè descripserat ipse Joannes, sicuti per singula Regulæ membra, imò & per minutissimos ejus articulos accuratè totô hoc capite ostendit Ribotus. Hoc ipsum tradunt Scriptores ex Ordine nostro gravissimi quique. Imprimis id satis indicat S. Cyrillus, hic ante capite 2. verbis istis:* Dominus Patriarcha (*Albertus*) lectâ primâ Institutione eorum antiqua, in prædicto Joannis libro descriptâ, & visô, quod nullus prædictorum Articulorum plenè per eum determinabatur, &c. *Perspicuè id etiam adstruit validus Wiccleffianæ Hæreseos expugnator Waldensis his verbis:* Ordo Carmelitarum à Joanne Patriarcha Jerosolymitano, * priùs Carmelita, Regulam vivendi, Græcè conscriptam, accepit, quam pleniori, post, sub Alberto, itidem Patriarcha formâ, digestam inspexit. *Ita ille. Non minùs apertè adstipulatur magnus Ordinis Instaurator, doctrinâ & Sanctitate conspicuus Ioannes Soreth in præfatione Expositionis Regulæ Carmelitanæ, dum ait:* In prædicti *inquit* Joannis (XLIV.) libro, de ipsorum (*Carmelitarum*) primaria Institutione non erant hi articuli, nisi in quodam generali involuti: quod cernens dictus Patriarcha Albertus, certam scripsit vitæ formulam, illa expressè continentem. *Similia scribunt Paleonydorus libro 3. cap. 2. Thomas de* JESU *de variis Regulis Carmelitarum parte 2. Lezana tomo 4. Annalium ad annum Christi* MCCV. *num. 16. ubi id declarat hac similitudine:* Quemadmodum ergo Philosophus quidam dixit, Dialecticam & Rhetoricam solùm differre sicut manum contractam à seipsa explicatâ, ita de libro Joannis, & Regula Alberti philosophandum; cum ea præcepta, quæ in illo solùm implicitè continebantur (etsi quantum ad historiam apertè loquatur) in Alberti Regula expressa sint. *Per plura etiam id pertractat Wastelius lib. 1. Vindiciarum sect. 1. articulo 4. ubi sigillatim, & demonstrativè declarat Albertum Patriarcham nil novi præscripsisse in Regula: sed in compendium redegisse, & restrinxisse magis, quæ à Ioanne dicebantur generaliùs, consiliaque aliquot vertisse in præcepta: imò Alberti Regulam imitationem habere libri Ioannis non tantùm in Sententia, sed & ipsa sæpius dictione: loca quædam (pro exemplis) hinc inde annotata sunt in antecedentibus.*

Regula illa Alberti extracta est ex supranominati Joannis libro.

Id variorum authoritatibus confirmatur.

* Aut ut in alio exempl. primò.

Regula Alberti compendium est libri præfati Ioannis, sed magis determinativum.

Ex hactenus dictis denique urgetur, quòd valde hallucinatus sit is, qui primus scripsit (& post se alios quosdam in erroris foveam traxit) præfatum Ioannis librum ad Caprasium de institutione primorum Monachorum videri à recentiori compositum; cum is per multa sæcula habitus fuerit in Ordine pro Regula: & ea quæ nunc servatur illius sit compendium. Id in hoc Ordine habetur tamquàm primò verum. An, & qualiter veritatem habeat, id quod nonnulli scripserunt, Regulam Alberti etiam extractam ex Regula S. Basilij, declaratum est in notis ad caput 6. libri S. Cyrilli in Vinea Carmeli, & latius in Annalibus Ordinis.

Inde apparet quorundam hallucinatio.

De Regula S. Basilij vid. Annal. Ordinis ad an. 412. n. 17. & 1205. n. 15.

CAP. V.

Quòd Regula hujus Religionis fuerit per Honorium Papam tertium approbata, & Gregorium nonum, & Innocentium quartum summos Pontifices confirmata.

SIBERTUS DE BEKA.

349. MAGISTER SIBERT DE BEKA *in Tractatu, de consideratis super Carmelitarū Regula*: Cum ergo professores hujus Religionis præfatam vitæ Regulam à Domino Alberto Patriarcha Jerosolymitano tempore Innocentij Papæ tertij, * anno Domini MCXCIX. suscepissent, contigit processu temporis, dictum Innocentium Papam tertium celebrare Romæ generale concilium anno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto in Ecclesia Salvatoris quæ * Constantiniana vocabatur. In quo Concilio dictus Papa nè nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem induceret, firmiter prohibuit, nè quis de cætero novam Religionem inveniret, sed quicunque ad Religionem converti vellet, unam de approbatis assumeret; Et qui domum Religiosam fundare de novo vellet, Regulam, & Institutionem de approbatis acciperet. Ea propter quidam Prælati Terræ-Sanctæ, in qua mons Carmeli dignoscitur existere, cœperunt ex tunc Fratres nostræ Religionis ita infestare, ac si contra prohibitionem dicti generalis concilij novam Religionem invenissent, vel Regulam approbatam non haberent. Fratres autem prædicti super his ad Dominum Radulphum Patriarcham Jerosolymitanum tunc recurrerunt; qui & ipse (mortuo ejus prædecessore Alberto) interfuerat dicto generali Concilio. Hic Patriarcha (b) Radulphus lectâ hujus Religionis antiquissimâ Institutione, & visâ autenticâ Regulâ Alberti Patriarchæ editâ, & Fratribus traditâ longè ante dictum Concilium generale, compescuit prædictos Præla-

* Leg. anno MCCIX. aut MCCV Vide hic suprà nu. 316.

* In aliis exemplaribus Constantina.

Ordo Carmeli impetitur, & qua occasione:

Radulphus Patriarcha Ierosol. fautor Ordinis Carm. (b)

Prælatos à dictorum Fratrum infestatione. Ad majus autem robur prestandum dictæ Regulæ, consuluit ipse Fratribus, ut eam peterent à Sede Apostolica approbari. Idcircò prædicti Fratres successori dicti Domini Innocentij, scilicet Honorio Papæ tertio dictam Regulam ostendentes, humiliter supplicaverunt sibi, ut eam approbaret. (b) Quam dictus Honorius Papa tertius anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto approbavit, tertio Kalendas Februarij: & ut eam observarent, Fratribus in remissionem peccatorum injunxit, de Reata scribens eis.

(b) *Honorius III Regulam approbat.*

HONORIVS III. PAPA.

* Habetur Bulla in Bullario Rom. Cherubini in Honor. III. num. VIII.

* In nonnullis *recepisse.*

350. HONORIVS PAPA TERTIVS *in registro decimi anni sui Pontificatus*: * Dilectis Filiis Priori, & Fratribus eremi de monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Ut normam vivendi regulariter, à bonæ memoriæ Jerosolymitano Patriarcha editam, quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter * suscepisse, impostetùm vos, & successores vestri, quantùm cum Dei adjutorio poteritis, observetis, in remissionem vobis injungimus peccatorum.

SIBERTVS DE BEKE.

351. MAGISTER SIBERTVS *ubi suprà*: Occasione autem horum verborum quibus Honorius Papa tertius in approbatione dictæ Regulæ loquens Fratribus, de ea dixit, *quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse*, insultabant quidam Prælati dicentes, assertioni Fratrum affirmantium, se suscepisse dictam Regulam ante prædictum Concilium generale, standum non esse, nisi Fratres legitimis documentis eam probarent. * Intendebant quoque dicti Prælati Fratribus contra formam dictæ Regulæ Priorem absque assensu Fratrum, vel majoris, & sanioris partis ipsorum instituere, fingentes dictam Regulam approbatam non esse. Fratres autem nostri coram summo Pontifice Gregorio nono probaverunt manifestè per registrûm sexti decimi anni pontificatus Innocentij Papæ tertij, quod dictus Papa Innocentius in prędicto sexto decimo anno scripsit Alberto Patriarchæ Jerosolymitano, ut cum Nuntiis Apostolicis destinaret quosdam viros providos, & fideles ad Soldanum Damasci, & Babyloniæ, &, si absque grandi dispendio Terræ Sanctæ posset fieri, satageret prævenire præfixum terminum ad celebrandum Romæ dictum generale Concilium, ducens secum aliquos viros in consilio providos, & in commisso fideles.

Nonnulli rursus Ordinem infestant.

* Exemplaria nonnulla habent *intentabant.*

Religiosi recurrunt ad summum Pontif.

352. Albertus verò Patriarcha prædictus, morte præventus, non potuit interesse dictô generali Concilio. Quod Concilium, sicut legitur in registro decimi octavi anni pontificatus dicti Innocentij Papæ tertij, fuit posteà celebratum anno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto, pontificatus scilicet dicti Innocentij anno decimo octavo. In quo Concilio interfuit Radulphus Patriarcha Jerosolymitanus, sicut in eodem Registro legitur, ubi agitur de annotatione prælatorum qui dicto Concilio interfuerunt. Ex eo ergò quòd Albertus tempore dicti generalis Concilij non erat, sed priùs fuerat Patriarcha Jerosolymitanus; & ex eo quòd ipse existens Patriarcha Jerosolymitanus dederat Carmelitis dictam Regulam, probabatur manifestè, quòd Carmelitæ ante dictum generale Concilium susceperant eam.

Declaratio evidens de Regula ab Alberto data ante Concilium Lateranense.

353. Quapropter summo Pontifici Gregorio nono humiliter supplicabant, ut dictam Regulam tanquam à sede Apostolica approbatam confirmaret, & ut inhiberet, nè quis præsumeret Priorem eis instituere absque assensu Fratrum, vel majoris, & sanioris partis ipsorum. Cum etiam in quarto dictæ Regulæ statuto scribebatur: *Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia*; fuit ex his verbis inter Fratres monasterij montis Carmeli altercatio orta super possessiones, domus, redditus, & loca quæ eis pro sustentatione vitæ eorum, à Christi fidelibus ex devotione offerebantur. Quidam enim Fratrum considerantes quod etsi nulli eorum liceat habere aliquid proprium, quia tamen dicta Regula concedit eis habere in communi, putabant per hoc eis esse licitum habere in communi possessiones & cætera prædicta. Alij autem Fratrum attentâ institutione hujus Religionis, & consideratâ exemplari vitâ fundatorum, & antiquorum Patrum hujus professionis, qui in monte Carmeli, & in aliis eremis vixerunt abdicatis possessionibus, & relictis facultatibus terrenis, dicebant non licere Fratribus habere hujusmodi loca, redditus, domos, & possessiones; sed neque caprarum, vel ovium greges, aut alia animalia officio arandi apta. Nec his obstat quòd Regula concedat Fratribus habere in communi, quia licet etiam Apostolis, & credentium multitudini in primitiva Ecclesia concederetur habere in communi (*nam erant eis omnia communia*) nihilominùs tamen ipsi possessiones non admittebant. Quotquot enim erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia venditorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat, ut scribitur in libro Actuum Apostolorum, capitulô secundô & quartô. Quapropter dicto summo Pontifici Gregorio nono, Fratres humiliter supplicabant, ut hanc etiam eorum altercationem fine debitô terminaret. Papa itaque Gregorius nonus, auditis prædictis Fratrum rationibus, primò Fratrum altercationi debitum finem imposuit. Secundò ne quis absque Fratrum, vel majoris, & sanioris partis ipsorum assensu, præsumeret eis Priorem instituere, prohibuit. Tertiò dictam Regulam, tamquam à sede Apostolica approbatam, confirmavit anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, de Perusio scribens eis octavo Idus Aprilis.

Dissidium inter Religiosos Carmeli circa possessiones, & reditus.

Recurrunt ad summum Pontif. Gregor. IX.

354. GREGORIVS PAPA NONVS *in registro tertij anni sui Pontificatus*: Dilectis filiis Priori, & Fratribus eremi montis Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex officij nostri debita circumspectione tenemur sollicitam adhibere cautelam; nè ij, qui ascendentes in montem orare cum Domino pedes suos laverunt, iterùm eos coinquinent, à contemplationis

GREGOR. PAPA IX.

Et dubium resolvit.

plationis ſpecula deſcendendo, & nè reſumendo terrenas facultates abjectas, quaſi quædam corporis indumenta habeant undè teneantur ad caſum, cum ſpiritualibus nequitiis pugnaturi. Hinc eſt quòd cùm lotis pedibus ſpeculam Domini aſcenderitis, vacaturi contemplationibus cœleſtium, & aſſumpſeritis contra ſpiritus malignos luctamen, terrenis omnibus abdicatis. Nos veſtro profectui aſpirantes, & volentes vobis coinquinandi pedes iterùm, & ſuccumbendi materiam amputare (c) auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus, nè in proprietatem de cætero eremi veſtræ loca, vel poſſeſſiones, ſeu domos, aut redditus alios recipiatis, ullô modô, vel præſumatis habere, præter aſinos, mulos, & aliquod animalium, ſeu volatilium ad nutrimentum. Quieti quoque veſtræ providentes, & paci, adiicimus, ut nullus in eadem eremo Priorem inſtituere abſque Fratrum, vel majoris, & ſanioris partis ipſorum aſſenſu præſumat. Ad hæc etiam Regulam approbatam à bonæ memoriæ Honorio Papa prædeceſſore noſtro, & ab eo vobis traditam in remiſſionem peccatorum obſervandam, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & in eodem loco perpetuis temporibus præcipimus obſervari.

Ne quis Priorem ipſis invitis inſtituat, inhibet.

Regulam ante approbatam confirmat.

SIBERTUS.

355. *Magiſter* SIBERTUS *ubi ſupra*: Poſteà etiam Innocentius Papa quartus anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto dictam Regulam confirmavit, ſexto Idus Junij ſub eadem verborum forma quâ Gregorius nonus eam confirmaverat, ſicut legitur in regiſtro ſecundi anni pontificatus dicti Innocentij Papæ quarti.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

356. (a) RAdulphus lectâ hujus Religionis antiquiſſimâ Inſtitutione: *eſt autem* Inſtitutio antiquiſſima *Liber Ioannis* XLIV. *Patriarchæ Ieroſolymitani, ſive ejuſdem ſubjectum, & contentum, videlicet deſcriptio Inſtitutionis Ordinis hujus facta ab antiquo, ſeu antiquiſſimo tempore, annis ampliùs nongentis antè Chriſti nativitatem in Lege veteri per S. Eliam: & indè traductus eſt Ordo ad Legem novam, ac jugitèr continuatus fuit. Vide hîc ſuprà Notas ad caput ſecundum num.* 315. *Liber ille Ioannis* (*ſeu* antiquiſſima hujus Religionis inſtitutio) *quandoque etiam nuncupatur*: Hiſtoria de antiquitate Ordinis. *Is ſectus in ſeptem partes, totus inſertus eſt huic volumini libris ſeptem Prioribus. De eo plura ſunt dicta hîc ſuprà in Prænotatione num.* 4. *& ſeq.*

Regula illa prævio miraculo approbata eſt.

357. (b) Quam (*Regulam*) Honorius Papa tertius approbavit. *Id contigit præviâ inſigni miraculô, quod referunt noſtri, & exteri Scriptores multi, & luculenter deſcribitur in Annalibus Ordinis ad annum Domini* MCCXXVI. *Illud primariò occaſionem præbuit inſtituendi Solemne Feſtum Commemorationis. Cujus Officiis tum vetuſtioribus, tum recentioribus, ab Eccleſia Approbatis ipſum inſertum extat: & quidem in eo quod iteratis vicibus ſub Paulo V. & Vrbano* VIII. *Recognitum fuit, ſubſcribentibus eminentiſſimis Cardinalibus Bellarmino, & de Torres in Officio prædicto Solemnis Commemorationis ad diem 16. Iulij lectione 5. his verbis*: Cum olim in Europa Ordo eſſet incognitus, & ob id apud Honorium tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo MARIA, planèque juſſit, ut inſtitutum, & homines benignè complecteretur. *Et ea fuit ratio, cur hic Pontifex tam benevolum ſe præbuerit huic Ordini, ut de eo in Annalibus Ordinis ſcribatur.* Fuit autem hic Pontifex noſtri Ordinis & Regulæ benignus confirmator, & egregius contra æmulos Protector, & Defenſor, ut propterea memoria ipſius ſemper nobis in benedictione futura ſit. Omninò Ordini huic, ſeu Chriſti fidelibus ejus Eccleſias viſitantibus, & verè pœnitentibus, inter cæteros Pôtifices maximas conceſſit Indulgentias videlicet omnium peccatorum (quoad pœnam) ſeu plenarias: quas ejus Succeſſores Nicolaus IV. Sixtus IV. Julius II. & Gregorius XIII. etiam confirmaverunt. *Quantum ad annum quô approbatio illa per Honorium tertium & miraculum illud facta fuêre, quidam referunt ad annum* MCCXVI. *Bzovius ad annum* MCCXVII. *Sed vetuſta Ordinis Bullaria MSS. & impreſſa, & Bullarium Laërtij Cherubini (quibus ſtandum) exprimunt* tertium Kalendas Februarij anno decimo Pontificatus Honorij tertij, *qui erat* MCCXXVI.

Ab Honorio Papa III, id ei præcipiente Virgine Deipara.

Propterea fuit is Pontifex Ordini valde addictus.

Iſta Regula confirmatio facta fuit anno 1226.

358. (c) Authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus &c. *Quoad prohibitionem Gregorij IX. nè Religioſi montis Carmeli bona immobilia poſſiderent, aut redditus, ea ſublata eſt per Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ 25. de Regularibus cap. 3 ubi* concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis & domibus, tàm Virorum, quàm mulierum & mendicantium (*exceptis quibuſdam ibi expreſſis*) etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat (*ſcilicet in communi*) *Hoc idem jam antea etiam particulariter huic Ordini conceſſerant alij Pontifices.*

359. *Diplomata præfata bina Honorij tertij, & Gregorij IX. confirmatoria Regulæ impetrata fuiſſe Sollicitatore B. Simone Steck, eo tempore in Europa partibus Vicarij Generalis munus gerente, refertur in annalibus Ordinis ex ejus vita, & Officio proprio, in quo lectione 6. habetur* Regulæ confirmationem ab Honorio tertio, & Gregorio nono ſummis Pontificibus impetravit.

Regulæ Confirmationem impetravit S. Simon Steck.

CAP. VI.

Cur, & in quibus clauſulis dicta Regula fuerit auctoritate Sedis Apoſtolicæ, per Hugonem Præsbyterum Cardinalem, & Guilielmum Epiſcopum Anteradenſem declarata, ſeu mitigata.

SIBERTUS DE BEKE.

360. QUoniam autem in futurorum eventibus, ſic interdum * cæcutit quantumlibet attenta humani judicij conſideratio, ut id quod ipſa profuturum judicat, conſequenter ſuperveniens experientia nocivum oſtendat: ideò non eſt reprehenſibile, ſi quod priùs conſultè ſtatutum fuerat, poſtmodùm ex inſpectione ſanioris judicij conſultiùs retractetur, præſertim quando obeſſe experimur potiùs quam prodeſſe, ſi non declaretur, aut corrigatur, vel mitigetur. Cum ergò profeſſores hujus Religionis Regulam vivendi à Domino Alberto Patriarcha Jeroſolymitano accepiſſent, conſequens, & diuturna experientia eos docuit, quædam, in dicta Regula ſtatuta eſſe ita dubia, quod opportebat ea declarari, ſeu corrigi, quædam verò eſſe ita gravia, quòd expediebat illa mitigari. Idcirco (a) duos providos ex Fratribus ſuis, ſcilicet * Reynaldum, & Petrum pro prædictis ſtatutis declarandis, corrigendis & mitigandis ad Sedem Apoſtolicam miſerunt: Qui Domino Innocentio Papæ quarto humiliter ſupplicaverunt, ut dictæ Regulæ dubia declarare, ac corrigere & gravia ejus mitigare miſericorditer dignaretur. Dictus autem Papa Innocentius quartus corum

* In aliis exemplaribus habetur *fallitur.*

In futurorum eventibus quandoque cæcutit mens humana.

(a)

* In aliis *Raynaldum, & Reginaldum.*

Pro Regulæ declaratione duo mittuntur ad Sedem Apoſtolicam

eorum devotis supplicationibus annuens, hanc declarationem, correctionem, & mitigationem vice ejus faciendam (b) commisit Fratri Hugoni tituli Sanctæ Sabinæ Præsbytero Cardinali, & Fratri Guilielmo Episcopo Anteradensi. Et isti duo Domini in Sacra Theologia Magistri prædictam Regulam annô Domini * millesimo ducentesimo quadragesimo octavo auctoritate *Apostolicâ* declaraverunt, correxerunt, & mitigaverunt, prout sequitur.

(b)

* Lege MCCXXXXVII. Vide infra n. 389.

361. Nam in primo Regulæ statuto ubi dicitur: *Et promissa studeant operis veritate servare*, dicti Commissarij declarando immediatè addiderunt, *cum castitate, & abdicatione proprietatis.* Quæ verba fuerunt ideò per eos Regulæ addita; quia licèt alibi etiam in Regula præcipiatur Fratribus castitas, ubi dicitur: *Accingendi sunt lumbi vestri cingulô castitatis*: & alibi etiam in ea prohibeatur cuilibet Fratri habere proprium, ubi dicitur *Nullus Fratrum dicat sibi esse aliquid proprium*, omnis tamen professio Regularis astringat suos professores principaliter ad hæc tria, scilicet ad obedientiam, castitatem, & proprietatis abdicationem, quæ sunt de substantia professionis: ideò visum fuit dictis Commissariis, esse æquum, ut ubi in Regula fit mentio de obedientia Priori promittenda, ibidem etiam de cæteris duobus fiat mentio, scilicet de servanda castitate, cum proprietatis abdicatione.

In quibus punctis Regula declaratio & mitigatio facta fuerit.

362. Item quidam Ecclesiarum Prælati renuebant Fratres hujus Religionis admittere ad habitandum in eorum diœcesibus: Dicebant enim, quòd cum Albertus Patriarcha dictam Regulam solùm Fratribus eremitis morantibus in monte Carmeli scripsisset, & tradidisset, non licebat dictis Fratribus secundùm eorum Regulam habitare alibi quam in monte Carmeli. Alij autem ex Prælatis, quamvis in eorum diœcesibus admitterent Fratres ad habitandum, tamen non sinebant eos extra eremos in villis, vel civitatibus, loca habere: nam dicebant quòd cum Fratres essent Eremitæ, non debebant nisi in eremis habitare: Fratres autem prædicti per Institutionem hujus Religionis ostenderunt dictis Commissariis quòd (c) ab antiquo, scilicet à tempore Prophetæ Eliæ, & cæterorum Patrum Legis veteris licuit professoribus hujus Ordinis habitare extra montem Carmeli, & in aliis eremis, & in civitatibus, ac villis: Propterea dicti Commissarij post verba illa, per eos primo Regulæ statuto addita, *cum castitate, & abdicatione proprietatis*, immediatè declarando ulteriùs addiderunt: *Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi vobis donata fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta, & commoda, secundùm quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.* Quæ clausula ideò fuit per dictos Commissarios Regulæ addita, ut per Regulam manifestè appareat, quòd Fratribus hujus Ordinis liceat loca extra montem Carmeli habere, ac in aliis eremis, & in civitatibus, vel villis habitare.

(c) *Olim à tempore S.P. Eliæ, Religiosi hujus Ordinis in Eremis, & in urbibus loca habuerunt.*

363. Item licèt quilibet Fratrum, antequàm in monasterio includeretur, deferret ad suam cellulam victum sibi necessarium, ut ibi singulariter viveret, postquàm tamen fuerunt in monasterio inclusi, victus secundùm Regulam *distribuebatur unicuique per manus Prioris, vel per hominem ab eo ad hoc officium deputatum*: cui erat grave, discurrere per cellulas singulorum separatas, Fratribus etiam erat grave, pulmenta, ex morâ talis discursus effecta frigida, sumere. Ideò propter hæc, & alia inconvenientia, quæ indè sequebantur, fuit per dictos Commissarios de Regula totaliter deleta sequens clausula in quarto Regulæ statuto posita, quæ dicebat: *Ita tamen, ut sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his quæ sibi distributa fuerint, singulariter vivant.* Et quia (d) antiqui hujus Religionis Professores Filij Prophetarum, dum Conventum faciebant, refectionem communiter sumebant, ideò loco dictæ clausulæ de dicto quarto statuto deletæ, prædicti Commissarij in secundo statuto Regulæ ubi dicitur: *Eadem cellula cuique fuerint assignata*, mitigando, immediatè addiderunt: *Ita tamen ut in communi refectorio ea quæ vobis erogata fuerint, communiter, aliquam lectionem sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari, sumatis.*

Olim singuli in suis cellis sigillatim comedebant.

(d)

In veteri Lege simul comedebant.

364. Item in tertio Regulæ statuto, sic in principio scribebatur: *Hi qui litteras noverunt, & legere psalmos per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati.* Hæc autem dicta clausula fuit totaliter de Regula per dictos Commissarios ideò deleta; quia generabat Fratribus dubium, an ipsi tenerentur ad alias horas Canonicas prætérquàm ad psalmos dicendos. Loco autem dictæ clausulæ fuit in Regula per dictos Commissarios corrigendo & declarando sic scriptum: *Hi qui horas Canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundùm Institutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem.*

Circa horas Canonicas quid fuerit declaratum.

365. Item in quarto Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur: *Et ex his quæ Dominus vobis dederit, distribuatur unicuique per manum Prioris, id est per hominem ab eo ad idem officium deputatum.* Hæc autem dicta clausula generabat Fratribus dubium, an ita solùm unicuique eorum essent per manum Prioris distribuenda ea quæ Dominus eis daret, quòd non illa, quæ ipsi ex opere licito, vel aliter justè acquirerent. Grave quoque erat Fratribus, quòd homo à Religione eorum extraneus posset à Priore deputari distributor bonorum Religionis; quia per hoc poterant dicta bona defraudari faciliùs, quàm si Frater aliquis deputaretur ad distribuendum illa. Ideò dicta clausula fuit de Regula per dictos Commissarios deleta, & prædictum quartum Regulæ statutum, fuit per eos declarando & corrigendo sic formatum: *Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur unicuique per manum Prioris, id est per Fratrem ab eo ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum.*

Distributio necessariorum quomodo facienda.

366. Item post verba illa quarti statuti inspectis

spectis ætatibus, & necessitatibus singulorum, dicti Commissarij immediatè declarando ulterius addiderunt: *Asinos autem, sive mulos, prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium, sive volatilium ad nutrimentum.* Quæ clausula fuit per dictos Commissarios ideò Regulæ addita; quia licet dudùm inter Fratres fuisset dubitatum, an habere prædicta esset eis licitum, necessitas tamen urgebat eos habere mulos, vel asinos, pro lignis, atque cibis, & cæteris victui Fratrum necessariis portandis, ad monasteria in monte Carmeli, & alibi sita, & à villis remota. Nutrimentum verò animalium, & volatilium erat Fratribus expediens ad vitam, pro ovis, & lacticiniis indè sumendis, quibus vesci non erat Fratribus prohibitum.

Asinos, mulos, & volatilia habere permittitur in Regula & cur?

367. Item in septimo Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur: ***Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimia debilitatis remedio sint sumenda.*** Hæc autem prædicta clausula erat Fratribus valdè gravis, ut semper ab esu carnium nisi in casu *infirmitatis, aut nimia debilitatis* abstinerent, & ideò petebant hanc dictam clausulam de Regula totaliter deleri; quia (c) ex primaria eorum Institutione non erat eis prohibitum, immò concessum carnibus vesci, quibus fundator hujus Religionis Elias postquam eam instituerat usus fuit. Dicti vero Commissarij attenderunt, quòd licèt antiquis professoribus hujus Religionis esset concessum carnibus vesci tempore Legis veteris, quandò & phase erat ab eis observandum, ipsis tamen tunc fuit prohibitum vino uti, quod Albertus in Regula modernis Fratribus ideò non prohibuit; quia de eo conficitur Altaris Sacramentum, quod est à Fratribus sumendum, & frequentandum. Considerantes ergò Commissarij quòd tempore novæ Legis suadetur Monachis abstinere potius à carnibus quam à vino, noluerunt Fratribus pœnitùs concedere esum carnium, sed nec eis prohibuerunt vini usum, quô uti, Apostolus suo concessit discipulo. Sed quia Fratres proponebant, quod difficile erat, nimiam debilitatem discernere in Fratre, antequam esus carnium sibi concederetur, & quòd aliqui Fratres interdùm fuerant morte præventi de nonnullis debilibus, qui decesserant, quia esus carnium non fuerat eis concessus, quos Fratres non putabant adhuc devenisse in nimiam debilitatem; ideò dicti Commissarij prædictam clausulam de Regula deleverunt, & mitigando eam aliter sic formaverunt: ***Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur.*** Verùm quia Fratres adhuc instabant, quòd propter ingruentes necessitates oportebat aliquos eorum interdùm de domibus eorum exire, & propter penuriam in itinere mendicare, quos cum difficultate hospites colligebant; quia illis se in cibis non conformabant; & nihilominùs oportebat eos aliquandò mare transire, ubi propter ciborum penuriam & occurrentia pericula erat grave à carnibus abstinere: ideò dicti Commissarij post verba illa: *Nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur*, immediatè mitigando addiderunt: ***Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi; extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit.***

(c) Olim Religiosi hujus Ordinis vino abstinentes, carnibus vesci poterant.

Quid deinde circa carnium esum statutum.

368. Item in decimo Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur: ***Ideoque statuimus, ut ab hora vespertina usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat.*** Hæc autem dicta clausula ideò erat Fratribus gravis, quia ab ortu diei usque ad horam tertiam, & ab hora vespertina usque ad occasum, occurrebant frequenter multa Fratribus utilia, quæ bonô modô cum silentio non poterant expediri, præsertim ea quæ ad eruditionem Fratrum pertinebant. Cum etiam in illis intervallis quando interrumperetur à Fratribus silentium, vertebatur aliquandò inter eos in dubium, qualis esset necessitas, aut causa rationabilis, interrumpendi illud, & super hoc ad invicem interdum dissentiebant. Ideò dicta clausula fuit per dictos Commissarios aliter sic formata: ***Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad primam dictam sequentis diei.***

Quid circa silentium in Regula fuerit moderatum.

369. Cætera autem omnia comprehensa in Regula prædicta remanserunt per dictos Commissarios intacta. Quam ipsi, ut præmittitur, declaratam, correctam, & mitigatam, ac sigillis eorum sigillatam, miserunt Priori Generali, & Capitulo Generali nostræ Religionis, ut Fratres eam firmiter observarent, & ad instar ejusdem, alias Regulas eorum corrigerent.

ANNOTATIONES.

370. (a) DUos providos ex Fratribus suis, scilicet Reynaldum, & Petrum ad sedem Apostolicam miserunt. *In Mechliniensi exemplari, & in aliis nonnullis vetustis Ordinis Bullariis habetur* Reynaldus, *in Gandensi legitur* Raynaldus, *in Veneto impresso est* Reginaldus. *Petrum illum, Reynaldi socium, aliqui existimant fuisse Petrum Swanyngtonium Anglum, de quo sub finem hujus partis in Appendice* §. VIII.

DANIEL.

371. (b) Commisit (*Pontifex*) Fratri Hugoni, tituli S. Sabinæ Præsbytero Cardinali. *Assumptus is erat ex Ordine Prædicatorum, illâ tempestate clarissimus, quem Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis meritò nuncupat:* Virum in divinis Scripturis eruditissimum, nec minus conversatione, & Religione, quam scientiâ emicantem. *Ejusdem quoque instituti erat Guilielmus Episcopus Anteradensis, etiam pietate, & eruditione spectabilis. Quo-ad annum* MCCXXXXVIII. *legendum* MCCXXXXVII. *Vide hic infrà num.* 389.

Hugoni, & Guilielmo ex Ordine Prædicatorum commissa Regula declaratio.

372. (c) Ab antiquo, scilicet à tempore Prophetæ Eliæ, & cæterorum Patrum Legis veteris, licuit professoribus hujus Ordinis habitare extrà montem Carmeli, & in aliis eremis, & in civitatibus, ac villis. *Quod, & qualiter tam sub veteri, quam sub nova Lege Religiosi Ordinis hujus habuerint mansiones, præcipue quidem in Carmelo, & Eremis, sed tamen etiam in Urbibus, ac villis, seu suburbiis, habetur ex dictis libro 3. cap. 7. & ibi in Notis, & libro octavo cap. 1. num. 291. & ibi in Notis num. 297. & hic infrà libro 9. cap. 1. & 2.*

In veteri, & nova Lege habitationes Ordinis hujus fuerunt in eremis, etiam in urbibus quadam.

373. (d) Antiqui hujus Religionis Professores Filij Prophetarum, dum Conventum faciebant, refectionem communiter sumebant. *Id satis patet ex capite quarto libri 4. Regum, ubi Filij Prophetarum leguntur habitasse coram Elisæo, & herbas agrestes in una olla Grandi coctas, & panes hordeaceos ex Eleemosyna acceptos, turba*

Religiosi hujus Ordinis olim simul, deinde solitarie in cellis cibum sumebant.

Filio-

Filiorum Prophetarum, id est, omnibus simul comedentibus, distributos fuisse. Veruntamen non semper, & ubique sic practicatum fuit; nam subindè quisque in deputatis sibi cellis ea, quæ distributa erant, sumpsisse habetur, ex ipsa Regula, prout ab ipso Alberto scripta fuit. Vide hic suprà num. 363. Nam olim alij gregatim in communitate vivebant (& isti cibum simul sumebant) alij verò separatim in cellulis, speluncis, aut cavernis degebant (& isti solitariè etiam cibum sumebant) Varium istum vivendi modum describit Evagrius libro 1. Historia Ecclesiastica cap. 21. ubi agens de Eudocia Imperatrice: Cum, *inquit*, in Sanctam Christi civitatem venisset, multa illic ad honorem Servatoris Dei gessit, ita ut & Sacra Phrontisteria, & quas Lauras vocant, ædificaverit, quarum altera differentem, altera ad unum pietatis scopum tendentem politiam habet. Alij siquidem gregatim viventes, nihil terrenarum rerum possident. *Et infrà*: Rursùs alij diversâ ratione viventes, seipsi solos domiciliis includunt, quæ tantum habent latitudinis, tantumque altitudinis, ut neque corpora sua erigere, neque liberè jacere queant, secundùm dictum Apostoli speluncis, ac cavernis terræ immorantes. *Istas lauras Eliani Instituti fuisse, constat ex Tomo 2. & 3. Annalium hujus Ordinis. Varium vivendi modum in diversis Eremis, & angustiam, seu parvitatem cellularum, etiam testis oculatus refert Iacobus de Vitriaco Episcopus Acconensis (est enim Accon vicina Carmelo) ille igitur de Religiosam Eremiticam vitam agentibus in Terra Sancta, in locis ubi olim etiam in veteri Lege Religiosi hujus Ordinis loca habebant, asserit,* vitam duxisse Eremiticam in modicis cellulis, *& peculiariter in Carmelo;* Ad exemplum, & imitationem sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ, in monte Carmelo . . . vitam solitariam egisse in alvearibus modicarum cellularum. *Ob parvitatem eas nuncupat*: Alvearia modicarum cellularum. *Sed de istis latiùs infrà libro 9. cap. 1. & 2. & ibi in Notis.*

Varius veterum Religiosorum vivendi modus.

Iacob. de Vitr. in Histor. Ierosol. c. 51. & 52.

374. (c) Ex primaria eorum Institutione non erat eis prohibitum, immò concessum carnibus vesci, quibus fundator hujus Religionis Elias postquam eam instituerat, usus fuit. *Videlicet quando ei in Carith moranti, à Deo per corvos panes & carnes adferebantur.*

CAP. VII.

Regula in sua forma ponitur sicut fuit per prædictos Dominos declarata & mitigata.

(a) Ex Registro Innoc. Papæ IV.

375. (a) EX *Registro quinti anni Pontificatus Innocentij Papæ quarti*: Frater Hugo miseratione divinâ tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Guilielmus eâdem miseratione Anteradensis Episcopus Charissimis in Christo Filiis viris Religiosis, Priori Generali, & Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem in omnium salutari. Accedentes ad Apostolicam Sedem Fratres clerici, * Reynaldus, & Petrus Ordinis vestri, ex parte vestra, à Domino Papa humiliter postularunt, ut quædam quæ in privilegio vestro, & Regula olim vobis à fœlicis memoriæ Alberto Patriarcha Jerosolymitano traditâ continentur, dubia declarare, & corrigere, ac etiam quædam gravia mitigare misericorditer dignaretur. Cùm ergò Dominus Papa, eorum devotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, ut declarationem, correctionem, ac mitigationem hujusmodi faceremus, vice ipsius, secundùm quod bono statui Ordinis, & Fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestræ, quâ fungimur auctoritate, mandamus, quatenùs Regulam à nobis correctam, declaratam, ac mitigatam, prout expedire vidimus, devotè recipientes, eam firmiter observetis, & ad instar ejusdem vestras alias Regulas corrigatis, quam vobis per eosdem Fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma.

** In aliis Reginaldus.*

Regula declarata, & mitigata sequitur.

376. Albertus Dei gratiâ Jerosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Christo Filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur in Domino salutem; & sancti Spiritus benedictionem: Multifariè, multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiter quisque, in quocunque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio JESU CHRISTI vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bonâ conscientiâ deservire. Verùm quia requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

Ejus prologus.

377. Illud inprimis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium assensu, vel majoris & sanioris partis ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, cum castitate & abdicatione proprietatis. Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi vobis donata fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta & commoda, secundùm quod Priori & Fratribus videbitur expedire.

De Priore & tribus illi promittendis.

378. Præterea juxta situm loci quem inhabitare proposueritis singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ. Ita tamen ut in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari, sumatis. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio ac dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas die ac nocte in Lege Domini meditantes & in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

De cellis Fratrum, & communi refectorio.

De cella, & gubernio Prioris.

De Mansione in Cellis.

379. Hi qui horas Canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundùm constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui verò eas non noverunt, viginti quinque vicibus *Pater noster* dicant in nocturnis vigiliis, exceptis dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

De horis canonicis.

380. Nul-

380. Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur unicuique per manum Prioris, * id est per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum. Asinos autem, sive mulos, prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat; & aliquod animalium, seu volatilium, ad nutrimentum.

* Alibi est vel.

Proprietas prohibetur.

381. Oratorium prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi manè per singulos dies ad audienda missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri poterit.

De oratorio & correctione culparum

382. Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis & animarum salute tractetis: ubi etiam excessus & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate mediâ corrigantur.

383. Jejunium singulis diebus, exceptis dominicis, observetis à festo exaltationis Sanctæ Crucis usque ad diem Dominicæ Resurrectionis; nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat; quia necessitas non habet Legem. Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur: Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed & carnibus supra mare vesci licebit.

De jejunio & abstinentia Carnium.

Job 7. 384. Quia verò *tentatio est vita hominis super terram, & omnes qui piè volunt vivere in Christo*
2. Tim. 3. *persecutionem patiuntur. Adversarius* quoque *vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens*
1. Petri 5. *quem devoret,* omni sollicitudine studeatis indui armaturâ Dei, ut possitis stare adversùs insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis: muniendum est pectus cogitationibus sanctis; scriptum est enim: *Cogitatio sancta servabit te.* Induenda est lorica justitiæ, ut *Dominum Deum vestrum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam * vos ipsos.* Sumendum est *in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; sine fide* enim *impossibile est placere Deo: & hæc est victoria, fides vestra.* Galea quoque salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, *qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem Spiritus, quod est verbum Dei,* abundanter habitet in ore & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

De armis spiritualibus

Marci 12.

* In nonnullis legitur *vosmetipsos.*

385. Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire: Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium, pariter & exemplum, in cujus ore Christus loquebatur, qui positus est & datus à Deo prædicator & doctor gentium in fide & veritate, quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare: *In labore,* inquit, *& fatigatione fuimus inter vos die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quasi nos non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos: Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis; quoniam si quis non vult operari non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes: his autem qui hujusmodi sunt denunciamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio, operantes, panem suum manducent.* Hæc via Sancta est & bona, ambulate in ea.

De assiduitate operationis, & vitando otio.

2. Thessal. 3.

386. Commendat autem Apostolus silentium cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur: *Cultus justitiæ silentium est.* Et rursum *in silentio & spe, erit fortitudo vestra.* Ideoque statuimus, ut dicto completorio, silentium teneatis usque ad primam dictam sequentis diei. Alio vero tempore, licèt silentij non habeatur observatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur, quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet, *in multiloquio non deerit peccatum, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Item, *qui multis utitur verbis, lædit animam suam.* Et Dominus in Euangelio: *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.* Faciat * igitur unusquisque stateram verbis suis, & frœnos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus ad mortem; custodiens cum Propheta vias suas, *ut non delinquat in lingua sua.* Et *silentium,* in quo *cultus justitiæ* est, diligenter & cautè studeat observare.

Isaiæ 32. Isaiæ 30.

Silentium, & in verbis circumspectio impensè commendatur.

Proverb. 10. Prov. 13. Eccli. 20. Matth. 12.

* In aliis *ergo.*

Psalm. 38. Isaiæ 32.

387. Tu autem Frater Brocarde, & quicunque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & servetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: *Quicunque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister, & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra, & Ecclesiarum Præpositis ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit,* ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Exhortatio ad Priorem, & ad Fratres.

Lucæ 10.

388. Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei, utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix. Actum lugduni, anno Domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo septimo. Domini Papæ Innocentij quarti, anno quinto, kalendis Septembris. *

Regulæ Epilogus, commendatio discretionis.

* Notandum, quod ista Bulla, & Regula sic declarata habeatur in Bullario Cherubini: sed ibi error irrepsit de data Regulæ an. 1171. Vide hic suprà num. 316. & infra n. 396. & seq.

ANNOTATIO.

389. (a) Cur, & qualiter ea Regulæ moderatio postulata & impetrata fuerit, accuratè pertractatur in Annalibus Ordinis hujus tomo 4. ad annum Domini 1247. sub hoc titulo: de Sexto Ordinis statu. Tunc enim Ordo hic anteà magis Eremiticus, quam Cœnobiticus, è converso, magis cœpit esse Cœnobiticus, tum occasione istius moderationis circa Regulam, tum quòd authoritate Ecclesiæ, per summum Pontificem Innocentium

Daniel. Regulæ moderatio postulata!

centium quartum, Ordo tunc fuerit institutus, ut unus esset ex quatuor mendicantibus; atque ita Ordo antehàc saluti proximorum procuranda intendens quandoque ex sola charitate, obligationem accepit id faciendi impofterum. De hac Ordinis assumptione inter mendicantes videri poterunt dicta à nobis in Vinea Carmeli parte 7. cap. 10.

Facta fuit non anno 1248, sed 1247.

Illa autem Regula declaratio, & moderatio contigit non anno 1248. (ut mendosè in plerisque Exemplaribus legitur) sed anno 1247. & per Pontificem confirmata fuit eodem anno die prima (seu Kalendis Octobris) prout ex ipso Registro Vaticani Archivij, & aliis vetustis exemplaribus declarat Lezana dictô locô Annalium testificans, Bullam Confirmatoriam signari sub data Kalendis Octobris Pontificatus ipsius Innocentij anno quinto: dies autem prima Octobris anni 1247. correspondet anno ejus quinto inchoato die 24. Iunij, electus enim fuerat anno 1243. octavo Kalendas Iulij.

Regula sic modificata quamdiu in Ordine servata?

Regula, sic per Innocentium quartum declarata, & moderata observata fuit per totum Ordinem per annos centum octoginta quinque, videlicet à dicto anno 1247 usque ad 1432. quo per Eugenium quartum etiam alia fuit facta mitigatio; cum enim in Regula, prædicto modo per Innocentium quartum correcta & ordinata præciperetur abstinentia perpetua à carnibus, Iejunium quotidianum (exceptis tantum Dominicis) à Festo Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha, & jugis ac continua in cellis Clausura: Pontifex authoritate Apostolica concessit, ut tribus diebus per hebdomadam (præterquam in Adventu, Quadragesima, aliisque generaliter prohibitis diebus) carnibus vesci liceret: *& consequenter à Festo Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha quatuor diebus Iejunij hebdomadatim relictis, pro aliis tribus moderatio etiam effectum haberet. Denique* ut horis congruis in Claustris, & per ambitus *(sub quibus etiam intelliguntur area, seu horti Conventus)* manere & ambulare licitè & liberè possimus. *Ratio istius moderationis per Eugenium IV. facta redditur in Annalibus Ordinis Tom. 4. & in Vinea Carmeli parte 3. cap. 35.*

CAP. VIII.

Quòd ea quæ in dicta Regula fuerunt declarata, & mitigata, per plures summos Pontifices sint confirmata, & quòd mox cum Prior fuerit secundùm Regulam electus, possit fungi officio Prioratus, nec oporteat, ut priùs sit ab aliquo Superiore confirmatus.

Phil. Rib.

390. ACTOR: Postquam dicta Regula in septimo hujus libri capitulo posita, fuit auctoritate Apostolicâ per Dominos Hugonem tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Guilielmum Episcopum Anteradensem declarata, correcta, & mitigata, atque missa in sua forma, sigillis eorum sigillata, Priori Generali, & Capitulo generali nostri Ordinis, consideraverunt Professores hujus Religionis, quòd expediebat ut per Sedem Apostolicam confirmarentur illa quæ in ea declarata, correcta, & mitigata fuerant. Ideò Domino Innocentio Papæ quarto humiliter supplicaverunt, quatenùs omnia prædicta confirmare dignaretur. Qui prædictam Regulæ declarationem, correctionem, & mitigationem, (a) Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo confirmavit die primâ mensis Octobris, de Lugduno scribens eis.

Confirmatio Regulæ declaratæ, & mitigatæ petitur à Papa.

Innoc. PP. IV.

391. INNOCENTIUS PAPA QUARTUS *in registro quinti anni sui pontificatus*: Dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremitis de monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidiô sunt fulcienda perpetui; sed illa præcipuè, super quibus Apostolicæ Sedis, auctoritas salubris providentiæ studium noscitur habuisse. Cùm itaque nos, ad vestræ supplicationis instantiam, per dilectum filium nostrum Hugonem tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & venerabilem Fratrem nostrum Guilielmum Anteradensem Episcopum quædam vestræ Regulæ dubia declarari & corrigi, ac etiam quædam ipsius gravia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris indè confectis pleniùs continetur, nos vestris piis desideriis annuentes, declarationem & correctionem, ac mitigationem hujusmodi auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Confirmatque Innocentius quartus.

392. ACTOR: Postmodum successor immediatus Innocentij Alexander Papa quartus eandem Regulæ declarationem, correctionem, & mitigationem Fratribus confirmavit, Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, die tertia mensis Februarij de Roma scribens eis. *Phil. Rib.*

393. ALEXANDER *Papa quartus, in Registro secundi anni sui pontificatus*: Dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum: Cum itaque felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster ad vestræ supplicationis instantiam per dilectum Filium Hugonem tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & venerabilem Fratrem nostrum Guilielmum Anteradensem Episcopum quædam Regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac quædam ipsius gravia misericorditer fecerit mitigari, prout in litteris inde confectis pleniùs continetur. Nos vestris precibus inclinati, declarationem & correctionem ac mitigationem hujusmodi ad instar ipsius prædecessoris auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrociniô communimus. *Alexander PP. IV.*

394. ACTOR: Deinde Urbanus Papa quartus successor immediatus Alexandri eandem Regulæ declarationem, correctionem, ac mitigationem confirmavit anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, die XXII. mensis May, sub eâdem verborum formâ quâ Alexander Papa eam confirmaverat, sicut in Registro primi anni pontificatus dicti Urbani legitur. Similiter Nicolaus Papa quartus, eôdem penitùs modô dictam Regulam confirmavit die prima mensis Julij anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, sicut in Registro secundi anni sui pontificatus legitur. Sub eadem omnino forma etiam confirmavit eam Bonifacius Papa octavus anno *Phil. Rib.*

Nec non Urban. IV. Nicol. IV & Bonif. VIII.

anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto die prima mensis Julij, sicut etiam legitur in Registro secundi anni sui pontificatus. Cæterùm ab illo tempore quô dicta Regula fuerat Fratribus hujus Ordinis per Dominum Albertum Patriarcham Jerosolymitanum tradita, Fratres statim quô secundum formam dictæ Regulæ elegerant sibi noviter aliquem in Priorem, consueverant ei tamquam Priori eorum obedire: Et ipse electus, incipiebat officium Prioratus confestim exercere, & curam Fratrum deinceps gerere, nullâ * alterius Superioris petitâ, nec exspectatâ confirmatione electionis suæ; quoniam in dicta Regula mentio nulla fit de hujusmodi petenda, vel exspectanda confirmatione. Super his tamen, an valerent, fuit dubitationis scrupulus tempore Alexandri Papæ quarti in conscientiis Fratrum exortus, propter quod à dicto Domino Papa humiliter petierunt super præmissis de providentia Sedis Apostolicæ eis subveniri: Alexander autem Papa prædictus ratum & firmum habens quidquid super præmissis hactenùs per Fratres observatum fuerat, eisdem Fratribus concessit anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, die vigesima tertia mensis Februarij, ut etiam de cætero postquam Prior fuerit secundùm dictam Regulam, & Constitutiones Ordinis electus, eô ipsô verus ejusdem Ordinis Prior effectus, curam animarum Fratrum plenè habeat, & liberè gerat, dictique Fratres, sibi tamquam vero eorum Priori obediant, & intendant, de Roma scribens eis.

* In aliis exemplaribus legitur *alicujus.*

ALEXANDER IV. PP. 395. ALEXANDER PAPA QUARTUS, *in Registro secundi anni sui pontificatus*: Dilectis Filiis Priori Generali & Fratribus Eremitis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia ex debito Apostolici tenemur officij circa Religionis augmentum prompti & vigiles inveniri, super his votis vestris libenter annuimus in quibus honorem vestri Ordinis & animarum profectum contineri sentimus. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod in Regula vestri Ordinis per Sedem Apostolicam confirmata dignoscitur esse statutum, ut Fratres ipsius Ordinis unum ex eis Priorem habeant, qui ex unanimi omnium assensu, vel eorum majoris & sanioris partis ad Prioratus officium eligatur: Cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, cum castitate & abdicatione proprietatis. Ac etiam secundùm Constitutiones ejusdem Ordinis Prior ipsius, qui pro tempore fuerit, à Prioratus officio absolvi & amoveri potest à Diffinitoribus Capituli Generalis. Et licèt tu Fili Prior & prædecessores tui juxta ejusdem Ordinis consuetudinem, observatam hactenus, & à Sede toleratam eâdem, statim postquam electi secundùm statutum hujusmodi extitistis, curam gesseritis Fratrum Ordinis memorati, Officium Prioratus plenè ac liberè in omnibus exercentes, ijdemque Fratres vobis humiliter & devotè obedierint & intenderint reverenter; quia tamen de præmissis nuper dubitationis scrupulus in vestris & plurimum dictorum Fratrum conscientiis est exortus, humiliter petiistis vobis super hoc de providentia Sedis Apostolicæ subveniri. Nos itaque volentes omnem ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, & Ordinem ipsum à Sede approbatum, eâdem honestate floridum & virtute fœcundum privilegio Apostolicæ gratiæ attollere speciali, ac vestris supplicationibus inclinati quidquid super præmissis per te Prior atque Prædecessores Fratres & Diffinitores factum & observatum est hactenus, ratum habentes & firmum: Vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut successores tui Priores qui erunt pro tempore, statim postquam electi fuerint secundùm Regulam, & constitutiones vestri Ordinis, eô ipsô veri ejusdem Ordinis effecti Priores curam animarum Fratrum ipsius Ordinis plenè habeant & liberè gerant. Ipsosque Fratres auctoritate propriâ ligare, & solvere valeant, nec non in eodem Ordine agere quæ ipsi, & præfati Diffinitores, juxta memoratas Regulam & Constitutiones, secundùm Deum eisdem Ordini, & Fratribus viderint expedire, aliasque Prioratus officium licitè in omnibus exercere. Ijdemque Fratres tibi, Prior, & Successoribus ipsis devotè & humiliter obediant & intendant. Et præfati Successores & tu, Prior, à Diffinitoribus capituli Generalis ipsius Ordinis secundùm Constitutiones jam dicti Ordinis absolvi & amoveri possitis. Concessâ tibi, Prior, tuisque Successoribus, ante absolutionem, & amotionem hujusmodi, exequendi Prioratus officium quoad præmissa omnia, & alia nihilominùs liberâ facultate.

Alexander IV. declarat & concedit, quod Prior Generalis electus nullius egeat confirmatione.

Sed electus statim plenè suo officio fungatur.

ANNOTATIO.

(a) PRædictæ Regulæ declarationem &c. anno Domini MCCXLVIII. confirmavit (*scilicet Innocentius IV.*) *loco MCCXLVIII. legendum est MCCXLVII. Sic enim habet Bulla Originalis istius Declarationis approbatoria per Innocentium quartum, sub sigillo plumbeo, in Conventu nostro Coloniensi asservata (teste Segero Pauli Coloniensi in Chronologia Vitæ B. Simonis) eundemque annum exprimunt Bullarium Ordinis Venetiis impressum folio 75. & Bullarium MSS. Siberti de Beka. Id etiam convincit, quod in omnibus exemplaribus adjungatur in fine Bullæ:* Kalendis Octobris Pontificatus nostri anno quinto. *Annus autem Domini MCCXLVIII. in Octobri erat Pontificatus ejus Sextus. Sed de hoc latius in Annalibus Ordinis ad annum 1247. Vide quoque Notas ad caput præcedens.*

DANIEL.

Innoc. PP. IV. Regulam Ordinis declaratam, & mitigatam confirmavit anno 1247.

ADDITAMENTVM

AD ANNOTATIONES CAPITIS SECVNDI

Circà tempus, & annum Regulæ Carmelitanæ per B. Albertum Patriarcham Ierosolymitanum traditæ B. Brocardo Priori Generali.

396. *INter primas Historiarum scribendarum Leges sunt, secernere verà à falsis, & à dubiis certa: atque singula (quantùm fieri potest) ad annos, quibus contigerunt, referre: & indè multum claritatis accedit. Cùm autem inter præcipua Carmelitanæ historiæ puncta controversa, undè etiam alia dependent, sit, de tempore, & anno Regulæ à B. Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita B. Brocardo Priori Generali (quæ usque in præsens, in quibusdam per Summos Pontifices moderata, observatur) quamvis nonnulla circa istud sint Annotata hìc suprà ad libri 8. caput 2. ulteriorem tamen, atque accuratiorem indaginem, & declarationem veritatis, ac falsitatis aliarum sententiarum in hunc locum rejiciendam, visum convenientius. Id imprimis tamquam verissimum, & certissimum est statuendum, Regulæ istius compilatorem, Scriptorem, traditorem esse Albertum Patriarcham Ierosolymitanum. Hoc enim in principio ipsius Regulæ exprimitur: & ideò istius B. Alberti festum die 8. Aprilis per totum Carmelitarum Ordinem sub ritu duplici solemnizatur. Certum quoque est (ex Registro MS. Vitæ, & Bullarum Innocentij Papæ tertij in Vaticano asservato, & ex Annalibus Carmelitanis tomo 4. ad annum Christi MCCV. & MCCXIV.) Albertum illum ex Vercellensi Episcopo sublimatum per Innocentium III. ad Patriarchatum Ierosolymitanum anno MCCV. & obiisse anno MCCXIV. Ex quibus manifestâ sequelâ infertur, quòd Regula illa data sit intra spatium annorum præfatorum MCCV. & MCCXIV. Sed quô præcisè annô, non certò constat. Iuvabit tamen scire, quid verisimilius tenendum. Id lector perspiciet, ex collatis inter se authoritatibus, & rationibus Auctorum, qui accuratiùs istud pertractarunt. Onuphrius Panvinus in Chronico Ecclesiastico ad annum Christi MCCV. habet:* Regula Fratrum Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano scribitur. *Wernerus Rolevinck Carthusiensis, in fasciculo temporum circa annum eundem:* Albertus Jerosolymitanus Patriarcha Fratrum Eremitarum S. Dei Matris in Carmelo ..... Regulam jure suo Ordinariô tradidit &c. *Istis conformiter scribunt Hieronymus Bardus, Henricus Spondanus, Iacobus Gualterius, Petrus Lucius apud Lezanam tomo 4. Annalium Carmelitarum ad annum Christi MCCV. num. 8. ubi etiam ista ad propositum:* Quoad tempus datæ Regulæ, cum neque in ea, quæ in Speculo Ordinis lib. 8. cap. 3. vel in Bulla Vaticana sub Innocentio quarto, quam vidimus, talis data subiiciatur; nihil certi affirmari potest. Quòd enim plures dixerunt sub anno 1171. scriptam fuisse, tamquam vanum, & commentitium assertum sub eo anno rejecimus. Similiter, quod alij (majori sanè cum fundamento) eam sub anno 1199. designaverint, etiam ibidem reprobavimus. Id ergo dumtaxat compertum, Regulæ datam ab hoc anno 1205. usque ad 1214. mendicandam; hoc enim solô tempore superstes fuit in Patriarchatu Albertus. Nihilominus satis credibile est, hoc eodem anno Adventus Alberti in Acconem, vel paulò post, Regulam nostris ab ipso datam fuisse. *Ibi consequenter num. 9. pergit:* Video Segerum Pauli Coloniensem, diligentem Ordinis nostri historiarum indagatorem, in sua illa Chronologia vitæ sancti Simonis Stock, contendisse, Regulam non hoc anno, sed 1209. nostris Eremitis ab Alberto traditam fuisse ..... Mihi Segeri opinio hæc credibilis apparet; quòd cùm, juxtà dicta sub anno 1199. plures, ac gravissimi ex nostris vetustioribus Scriptoribus dixerint, Regulam eô annô datam fuisse, ex eo suspicari potest in eum errorem incidisse, quòd numerus ille anni MCXCIX. seu 1199. Valdè affinis sit numero MCCIX. seu 1209. & ita ille pro isto suppositus à Scriptoribus, vel per inadvertentiam fuerit. Et quia Sacræ Rotæ decisio, quam afferimus tom. 5. Summæ quęstionum Regularium in Mari Magno Carmelitarum circa §. 7. num. 30. Regulam nostram datam dicit anno 1208. vel circiter. Hoc enim denotat annum 1209. *Hactenus Lezana. Segerus autem in præfatâ Chronologiâ (inserta Vineæ Carmeli parte 5.) ad annum MCCV. ista scribit:* B. Albertus de Castro Gualterij, Parmensis Diœcesis, Canonicus Regularis Mortariensis, superiori annô à Clero Jerosolymitano, ex Episcopo Vercellensi, absens corpore, præsens virtutibus, electus in Patriarcham Jerosolymitanum Latinæ nationis; nunc die scilicet 17. Febr. Apostolicæ Sedis confirmationem ab Innocentio tertio obtinet, cujus Bullæ initium est: VERCELLENSI EPISCOPO &c. Pontificatus ipsius anno septimo adhuc currente, usque ad diem XXII. ejusdem mensis. *Et infrà ad annum* MCCIX. Nunc itaque hoc annô die 13. Januarij idem Albertus Patriarcha S. Brocardo Priori Generali, ejusque Fratribus Carmelitis compendiosam Regulam Latinam deinceps observandam tradidit.

397. *Concinit P. Petrus Wastelius librô primô Vindiciarum sectione 5. articulo 1. sub finem, ubi circa annum datæ Regulæ ista:* Rebus probè nunc ita distinctis, cùm, juxtà Ecclesiasticam veritatem, circa annum Domini centesimum nonagesimum, vel ipsum ducentesimum suprà millesimum, nullus in Oriente occurrat Albertus, vel dumtaxat simplex Episcopus, nisi tantum annô Domini millesimô ducentesimô quintô

Vide hic suprà num. 316. & 330.

Regulæ Car. moderna scriptor Albertus Patriarcha Ierosol.

Ex Vercellensi Episcopo assumptus anno Christi 1205.

Obijt an. 1214.

Inde eruitur Regula data intra an. 1205. & 1214.

Onuphrius, Wernerus, & alij, ad an. 1205. referunt.

Commentitium est, de data an. 1171. aut 1199.

Fundamentum eorum, qui asserunt datam anno 1209.

Ita Segerus Pauli.

Wastelius,

quin;ô Albertùs ipse Parmensis Patriarcha Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Sede Aconem translatâ, vel proximè tunc transferendâ, eâdem claritate viæ cognoscimus, Regulam nec dari quidem potuisse anno MCXCIX. *Et infrà*: Nunc autem nihil addubitare, quin germanus Regulæ annus fuerit MCCIX. ac primùm quidem inquam, cum superior illa lectio se tueri haud possit; affinitas magna illa est numeri MCXCIX. cum MCCIX. Equidem satis proclivis est unius numeri illorum transitus in alium. *Et ibidem paulò ante*: Verus ipse annus datæ Regulæ, millesimus videlicet ducentesimus nonus retroductus est in annum usque MCXCIX. interposito X. ut ego quidem concipio, inter utrumque C. & error semel introductus alium non unum secum traxit errorem.

Et alij. *Istis conforme est id, quod in exemplari Speculi Carmelitani apud PP. Carmelitas Discalceatos Bruxellis ad libri octavi caput secundum è regione istorum*: Anno Domini MCXC nono *ad marginem sic annotatur*: Videtur abradenda littera X. & sic remaneret MCC nono. *Ita quoque diligens Scriptor Ludovicus à S. Teresia in opere* de successione S. Prophetæ Eliæ in Ordine Carmelitano *cap.* 210. *Wastelius jam dictô locô, intentum prosequens*: Adde, *inquit*, quod quomodò aliqui inducti fuisse videntur adscribere dictam Regulam anno 1171, eò quòd is annus distet septem annis à Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio, ita & ipse annus 1209. item antecedat annis septem Concilium Generalissimum Lateranense sub tertio Innocentio. *Sic & Michael Muñoz in Propugnaculo Eliæ*: Tempus datæ Regulæ ab Alberto, annus esse non potuit 1171. Quia, ut constat ex citato Cyrillo, Brocardus non fuit institutus Prior Carmeli, nisi post lapsum temporis à morte Aymerici, & Bertoldi, sed Aymericus supervixerat anno 1187. secundùm Baronium, & Onuphrium Panvinum. Sic post annum istum, electô Brocardô formula Regulæ fuit concessa, etiam post annum 1200. Cyrillus enim asseverat, datam fuisse Regulam ab Alberto: qui morte præventus, Lateranensi nequivit adesse Concilio, sub Innocentio III. anno 1215. Hic autem Albertus institutus est Jerosolymitanus Antistes anno 1205. ut constat ex Bulla creationis ejus, quæ extat in Vaticani Registro anno 7. Pontif. Innocentij III. pagina 175. Bulla 222. *Ibi consequenter declarat, datam inter annum MCCV. & MCCXIV. & deindè addit*: Quô autem annô ex his, qui inter annum 1205. cum est institutus Patriarcha, & annum 1215, cum vitâ functus fuerat Albertus, Regula hæc Carmeli Eremicolis sit concessa, incertum in Authoribus est. Nam turbulentissimis illis temporibus, & subsecutâ anno 1291. Depopulatione Carmeli, Originalis Regula periit. Quô effectum est, ut cum circà illa tempora duplex Lateranense Concilium celebratum sit .... duplexque Albertus floruerit tunc in Terra Sancta, alter Bethlehemiticus, alter Vercellensis Episcopus, postea Jerosolymitanus Patriarcha: confusi Scriptores circa illa duo Concilia, & duos Albertos, varij sint in assignando tempore datæ Regulæ, Albertos confundentes, & Concilia: sine fundamento tamen; cum solus Albertus Vercellensis, Patriarcha dignoscatur Jerosolymitanus. *Id ibi consequenter ex Scriptoribus confirmat.*

Muñoz lib. 1. tit. 3. c. 3. art. 2.

Sed quâ ratione igitur error ille de Regula data anno MCLXXI. irrepsit in Bullarium Cherubini tàm sub Honorio tertio Bulla VIII. quàm sub Innocentio quarto Bulla VI. Cum tamen in omnibus omninò antiquioribus exemplaribus MSS. Regulæ Carmelitanæ (quæ plura vidi, & diligenter perspexi) atque etjam in impresso Venetiis, in utrâque Regulâ tam primitivâ libro 8. Speculi Ordinis. cap. 3. quam moderatâ nonnihil ab Innocentio quarto, eodem libro cap. 7. annus datæ Regulæ non appariitur. Igitur data illa ab aliquo imprudenter adjecta, alios in errorem traxit: & quidem quoad Bullarium Cherubini causam erroris, quam diligentissimè potui, indagans, deprehendi, quòd ipse Regulæ exemplar, insertum Bullario, ab antiquis Exemplaribus MSS. in tenore verborum variorum discrepans, desumpserit (sicut etiam Thomas à Iesu, pietate quidem valdè spectabilis, & de historiâ Carmelitanâ optimè meritus) ex alio aliquo authore, errante, & fallente in apponenda data, non verò ex authentico aliquo vetusto Exemplari MSS. (quod verisimiliter ad manum non habuit) neque ex Registro Vaticano, in quo data adscripta, non estteste Lezana, eminenti doctrinâ, & pari pietate prædito, inspectore istius Registri, primùm Data istius adscriptorem, ac fictorem sic meritò carpente: In diplomate Innocentij quarti, ubi Regula pro ipsius moderatione, ac correctione inserta reperitur pro anno 1247. Pontificatus ejusdem Innocentij anno quinto, pro ut propriis oculis inspexi in Registris Archivij Vaticani Apostolici, Data Regulæ non subjicitur; absdubiè quia incerti de illa nostri tunc temporis erant. Undè, qui prædictam Innocentij Bullam cum Regulæ Data subscribunt, nedum corrigendi, sed* expuniendi sunt; cum quod in Registro non extat, in Exemplari apponere non verentur. Idem indicium esto de alia Bulla Honorij tertij, in qua Regula etiam cum prædicta commentitia Data conspicitur, *videlicet in Bullario Cherubini. Bulla VIII. sub ipso Honorio tertio & apud alios nonnullos. Cur autem Authores aliqui olim, & post eos alij errantes inducti fuerint, quòd Regulam illam anno MCLXXI. & alij nonnulli, anno MCXCIX. traditam existimaverint, declarat Lezana ibidem num.* 8, *& ad annum* 1191. *Vtroque loco etiam demonstrat, sub ea tempora nullum fuisse Albertum Patriarcham Ierosolymitanum: Et consequenter neutrô annô illô Carmelitanam Regulam scriptam & traditam. Eadem de fictitia Data anno* 1171. *confirmat in eisdem Annalibus ad annum Christi* 1247. *num.* 8.

In Bullario Cherubini error irrepsit circa datam Regulæ:

Quomodò id contigerit.

Lezana to. 4. Annal. ad an. 1171 num.

*Forte *puniendi* aut *expungendi.*

398. *Et quidem quoad præfatum annum MCLXXI. tunc Regulam ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano traditam non fuisse Brocardo Priori Generali Ordinis, etiam aliter, ex certis historiis sic eruitur, & fundatur in isto fundamento: Regula illa ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita fuit Brocardo, existenti Priori Generali Ordinis; id enim in ipsa Regula exprimitur*: Albertus Dei gratia Jerosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo Filiis Brocardo, &c.

Fundamentum aliud solidum de Regula illa non an. 1171 data.

Quia tunc S. Brocardus, (cui tradita) non erat Prior Ordinis.

&c. *Quod autem Prior Ordinis tunc ipse fuerit, nullus hactenùs dubitavit: & exprimitur in ipsa Regulâ*: Tu autem Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior. *Sed anno MCLXXI. non Brocardus, sed Bertholdus Prior erat Ordinis, ab Aymerico Patriarcha Antiocheno institutus anno Domini MCXLI, qui annis quadraginta quinque* Ordinem in omni sanctitate rexit & auxit: (*Ita de eo legitur ad diem 29. Martij in Officio Ecclesiastico, à Sacra Congregatione Cardinalium approbato) & eodem ferè tempore decessit (vel paulò ante, vel aliquantò post) quò præfatus Aymericus (qui juxta Onuphrium, & alios, obijt anno* 1187.) *Et tùm demùm, post lapsum temporis, Bertholdo successit Brocardus, atque ita non ante annum MCLXXXVIII. Et ista omnia S. Cyrillus tunc in Carmelo degens sic testatur hic supra libro 8. cap.* 2. Processu autem temporis, mortuô primô eorum Priore, videlicet Fratre Bertholdô, sub regimine cujus quadraginta quinque annis manserant: perplexitas magna eorum animos invasit, de Successore ejus instituendo, de cujus institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus, morte præventus, eis reliquerat. Tandem post lapsum temporis (*scilicet à morte Bertholdi, atque etiam Aymerici*) Fratrem Brocardum, virum perfectum unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiserunt, sub regimine cujus triginta tribus annis permanserunt; *videlicet usque ad annum MCCXXI. (quò terram linquens cœlitum numerum auxit: cujus festum agitur die 2. Septembris.) Denique ex dictis habetur, & indubitatum est, Albertum inthronizatum Patriarcham Ierosolymitanum anno MCCV. & obiisse anno MCCXIV. (ideò anno sequenti MCCXV. non ipse, sed ejus successor Radulphus interfuit Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Vide hic supra libro 8. cap. 5.) Itaque id ut certum omninò sit, Regulam datam non annô MCLXXI. nec MCXCIX. sed intrà spatium annorum MCCV. & MCCXIV. atque verisimiliùs ipsô annô MCCV. aut MCCIX. Sed nunc de istis satis.*

Itaque certum est Regulam datam intra an. 1205 & 1214. quandò B. Albertus fuit Patriarcha.



LIBER IX.

LIBER NONUS

DE NOVISSIMA ORDINIS HUIUS MULTIPLICATIONE IN TERRA SANCTA, ET EIUS INDE TRANSMIGRATIONE IN EUROPAM, ATQUE INIBI PROPAGATIONE.

PRÆFATIO.

399. LIber iste nonus agit de hujus Religionis multiplicatione facta in novissimis diebus in Syria, & qualiter Religio ista fuerit consequenter in Europam transplantata, & de Terra Sancta eradicata. Habet autem hic liber capitula octo. *Primum*: Quòd post reductionem Terræ Sanctæ in Christianorum potestatem plures viri diversarum nationum fuerint professi hanc Religionem, quam multiplicaverunt in diversis Terræ Sanctæ eremis extrà montem Carmeli. *Secundum*: Qualiter, & quandò Religio ista fuerit in Provinciis Syriæ multiplicata in plura monasteria. *Tertium*: Quòd Deus præsciens hanc Religionem de Terra Sancta eradicandam, providerit eam transplantandam in Europam, ad quam misit aliquos hujus Religionis professores, ut eam plantarent per diversas Europæ Regiones. *Quartum*: Quô ordine dicti professores hanc Religionem in Europa plantaverint, & per diversas Europæ regiones eam multiplicaverint. *Quintum*: Quòd diabolus multiplicationem hujus Religionis nisus fuerit impedire, & qualiter professores hujus Religionis studuerint illi resistere. *Sextum*: Quòd Beatus Ludovicus Francorum Rex in Terram Sanctam peregrê profectus fuerit, & indè quosdam Fratres hujus Religionis secum in Franciam duxerit, quibus in civitate sua * Parisius monasterium ædificavit. *Septimum*: Quòd diabolus contra multiplicationem hujus Religionis fortius bellum moverit, & qualiter hæc Religio de ipso triumphaverit: *Octavum*: Qualiter, & quandò Religio ista fuerit de Terra Sancta prorsus eradicata.

Summarium Libri IX.

* Nunc dicitur *Parisij*

CAPITULUM PRIMUM.

Quòd post reductionem Terræ Sanctæ in Christianorum potestatem plures viri diversarum nationum fuerint professi hanc Religionem: quam multiplicaverunt in diversis Terræ Sanctæ eremis.

(a) GUILIELMUS DE SANVICO vel SAMUCO.

400. FRater (a) GUILIELMUS DE SANVICO *Eremita montis Carmeli in Chronica de multiplicatione Religionis Carmelitarum per Provincias Syriæ & Europæ, & de perditione monasteriorum Terræ Sanctæ*: (b) Religiosi Carmelitæ sicut in Terra Sancta exordium suæ Religionis sumpserunt, ita in sola illa patria dudum habitare consueverunt, tam in urbibus, quam in eremis. (c) Anno autem Domini sexcentesimo trigesimo nono quidam prophanus Rex Arabiæ nomine Humar discipulus perfidi Mahometi dominium Terræ Sanctæ à Christianis abstulit, & eam potestati Saracenorum subjugavit. Quamobrem dicti Religiosi propter graves molestias quas patiebantur à Saracenis, compulsi fuerunt tunc mansiones, quas in urbibus habebant, dimittere; & solùm in monte Carmeli, & in quibusdam aliis Terræ Sanctæ solitudinibus residere.

(b)

(c) *Carmeli Ordo afflictus anno Christi 639. per Humar Regem Arabiæ.*

401. Post hæc autem anno Domini millesimo nonagesimo nono, (d) Godefridus de Bulyon Dux Lotharingiæ, & Exercitus Christianorum cruce * signatus, civitatem Jerusalem de manibus infidelium recuperaverunt, & eam, totamque Terram Sanctam, infidelibus hominibus paulatim exclusis, ad dominium, & potestatem Christianorum reduxerunt. Propter quod cœpit tunc cultus hujus Religionis iterùm in Terra Sancta dilatari: A diversis enim mundi partibus multi devoti Christiani, desiderantes Terram illam videre in qua Dominus noster JESUS CHRISTUS fuit conceptus, natus, conversatus, baptisatus, tentatus, transfiguratus, passus, mortuus, sepultus, resuscitatus, & in cœlum assumptus; accedebant ad eam, lustrantes tunc securè non solùm loca sancta in quibus sancti Patres veteris Testamenti magnifica egerunt, sed præcipuè illa in quibus CHRISTUS JESUS Sacramenta redemptionis generis humani adimplevit. Hos itaque devotos diversarum nationum advenas sancta conversatio, & abundans justitia illorum Religiosorum montis Carmeli ita ædificabat, & ad contemplationem cœlestium trahebat, ut multi

(d)

* In alio habetur *Signatorum*.

An. 1099. Ierosolyma, & consequenter Terra S. tota recuperatur à Christianis.

Tunc Carmeli Ordo refloruit.

Isaiæ 32.

multi ex ipsis advenis intuentes dictos Religiosos *in pulchritudine pacis* internæ, & *in mentis requie* virtutibus *opulenta*, in antris Carmeli montis *residere*, se felices putarent, cùm per devotionem, relictis mundi oblectamentis, poterant eorum consortio aggregari.

(e) 402. (e) Qui cum ita multiplicati fuissent, ut in monte Carmeli omnes commodè recipi non possent, repleverunt desertas Terræ sanctæ solitudines, in quibus prædecessores eorum antiquitus *habitaverant, quarum famosiores hic commemorabo. Aliqui enim eorum sequentes vestigia * sanctorum Patrum hujus Religionis, videlicet Beati Joannis Baptistæ, & Filiorum Prophetarum, construentes sibi modica tabernacula, in solitudine Jordanis latuerunt. Quidam autem ipsorum desertum montis Quarentenæ elegerunt, ut illic vitam solitariam in modicis cellulis Domino ducerent propè fontem cujus aquas steriles, & amaras Elisæus Propheta sanavit, & in quo deserto Dominus JESUS CHRISTUS quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunavit. Alij verò eorum in eremo illa quæ adjacet mari Galileæ, in qua JESUS frequenter turbis prædicavit, & ex quinque panibus hordeaceis, duobusque *piscibus multitudinem magnam hominum saturavit, & varijs miraculorum signis illustravit, solitariam sibi elegerunt habitationem. Nonnullos quoque eorum duxit Aymericus Patriarcha Antiochenus in solitudinem montis Neroi, qui alio nomine *montaña nigra* appellatur, ubi in antris absconsam vitam Domino servabant. (f) Qui omnes quamvis essent locis sejuncti, eandem tamen vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ montis Carmeli.

*Alibi *habitare consueverant.*

* Codex Gand. *antiquorum.*

Valde multiplicatus.

*In Cod. Gand. *pisciculis.*

(f) *Religiosa vitæ norma ubique eadem, quæ in Carmelo.*

ANNOTATIONES.

DANIEL. *Guilielmus de Sanvico (seu Samuco auctor libri hujus.*

403. (a) GUilielmus de Sanvico Eremita montis Carmeli. *ita habet Exemplar MS. Gandense (cæteris accuratius) apud Authores passim legitur* de Samuco. *Trithemius libro de viris illustribus Ordinis Carmelitani eum nuncupat*, Carmelitici Ordinis singulare decus & virum doctissimum. *Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, hæc inter cætera de eodē habet:* Guilielmus de Samuco, non minùs conversatione, quam doctrina venerabilis. Edidit magnæ utilitatis plura opuscula, quibus nominis sui memoriam ad notitiam posteritatis transmisit. E quibus feruntur subjecta, Opusculum quoddam spiritalibus personis non inutile, quod prœnotavit; Decretales Religiosorum lib. 1. Super sententias lib. 4. In Regulam Ordinis sui lib. 1. Chronica Ordinis sui. lib. 1. *Illud opusculum (Chronica) est ipsum quod hîc ponitur, constituens librum nonum speculi Carmelitani, per Philippum Riboti concinnati. Alia nonnulla de isto Guilielmo adduximus suprà in Prænotatione sub initium hujus partis. num. 11. pag. 5.*

Religiosi Carmelitæ per aliquot secula ferè in sola Terra S. Habitaverunt.

404 (b) Religiosi Carmelitæ sicut in Terra sancta sumpserunt exordium suæ Religionis, *videlicet in Carmelo, unde nomen habent Ibi & in alijs Terræ sanctæ locis (& vix extrà Terram sanctam) dudum habitarunt, videlicet per annos plus minus nongentes, ab Institutione Ordinis usque ad Christi ascensionem: postea per Essenos propagati fuêre usque in Egyptum. Quamvis autem tempore Legis veteris aliqui fuerint traducti in Babylonem, ij pauci erant, & illic in Regionibus fuerunt tamquam exules: additur:* Tàm in urbibus quàm in eremis. *Quòd autem in Terra sancta, & sub veteri, & sub nova Lege Propheticus Elianus Ordo mansiones habuerit* tam in urbibus quam in Eremis, *sed potissimùm in Eremis, vidimus suprà libro 3. cap. 7. & ibi in notis, & libro 8. cap. 1. num. 291. & ibi in Notis, & cap. 6. num. 362.*

405. (c) Anno autem Domini DCXXXIX. . . . . Humar. *De illa Terræ sanctæ vastatione per Humar, & ejusdem Possessione per Saracenos annis quadringentis sexaginta (videlicet donec recuperaretur per Godefridum de Bulyon) & quantis intereà molestijs affecti, & afflicti fuerint Carmelicolæ, & peculiariter, quod per Saracenos coacti fuerint dimittere pallium, seu chlamydem, sive cappam albi coloris, & assumpserint Barratum. Vide hic supra lib. 7. cap. 6. & libro 8. cap. 1.*

(d) Godefridus de Bulyon (*quidam scribunt* Buillon, *aut* Bolionius, & Gotifredus de Bullione. *In nostro Gandensi Exemplari MS. Speculi est* Godefridus de Buylum. *additurque*: Et consodalis ejus comes Flandriæ nomine Robertus: *cujus strenuissimi Principis gesta gloriosa in Terra sancta referunt scriptores expeditionis Terræ sanctæ, & peculiariter Guilielmus Tyrius in Historia Ierosolymitanâ libro 2. cap. 16. libro 4. cap. 19. libro 6. cap. 6. libro 8. cap. 4. ubi memoratur*; quod in expugnatione sanctæ civitatis Ierusalem, Dux Godefridus primus fuerit; post eum Dominus Flandrensium Comes Robertus.)

De Ordinis hujus mira multiplicatione per Terram S.

406. (e) Qui cum ita multiplicati fuissent, ut in monte Carmeli omnes commodè recipi non possent, repleverunt desertas Terræ sanctæ solitudines, in quibus prædecessores eorum antiquitùs habitaverunt. *De Ordinis ista Ordinis renovatione, vide etiam hic suprà libro 8. cap. primo sub finem. Multiplicationem illam Eremitarum istius avi in Palæstina, & varia loca, quæ incoluerunt, Iacobus de Vitriaco Cardinalis in Historia Ierosolymitana cap. 51. 52. & sequentibus accuratè describit:* Ex tunc, *inquit*, cœpit Orientalis Ecclesia revirescendo Florêre, & cultus Religionis in partibus Orientis ampliari, & vinea Domini novos botros germinare, ita quòd in eâ videretur impletum, quod scriptum est in Canticis Canticorum: Hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. *Et paulò post*: Viri autem sæculo renunciantes, varijs affectionibus & desiderijs tracti, & fervore Religionis accensi, eligebant sibi loca proposito suo, & devotioni magis competentia. *Et deinde*: Alij exemplô Domini specialiter ducti desertum illud desiderabile in quo Dominus noster post Baptismum quadraginta diebus solitarius *jejunavit*, quod Quarantena appellatur, ut vitam ducerent Eremiticam, præeligentes, in modicis cellulis Domino devotissimè militabant. Alij ad exemplum, & imitationem sancti viri solitarij Eliæ Prophetæ in monte Carmelo, maximè in parte illa, quæ supereminet Civitati Porphyriæ, quæ hodie Cayphas appellatur, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, non longè à monasterio B. Virginis Margaretæ, vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes. *De monasterio illo S. Margaretæ (nempè ad honorem B. Margaretæ, sed primariò ad honorem, Patronæ Ordinis B. Virginis* MARIÆ *Deiparæ) in Carmelo per Aymericum ædificari cœpto, atque per Albertum Patriarcham Ierosolymitanum consummato, vide suprà libro octavo in notis ad caput 2. De Carmelo, & ejus situ actum est libro 3. cap. 3. & ibi in notis. Prosequitur ibidem Cardinalis de Vitriaco*: Quam plures verò in solitudinibus Jordanis, ubi B. Joannes Baptista fugiens hominum turmas, ut liberius Deo vacaret, ab annis puerilibus delituit, mortui mundo, ut viverent Deo, quietis sibi sepulchrum elegerunt. *Et post alia multa*: Elias autem, & Elisæus aquis Jordanicis, Eliæ palliô percussis, & in duas partes divisis, per siccum transierunt. Multi igitur ex viris Religiosis propter fluminis sanctitatem, & aquarum opportunitatem, vicinas fluvio construxerunt habitationes. In monte Thabor, qui sublimis est, & arduus valdè, in quo Dominus coram Petro, & Jacobo, & Joanne, præsentibus Moyse, & Elia transfiguratus, gloriam futuræ resurrectionis ostendit propter loci reverentiam, & honorem monasterium construxerunt. *De his plura videri poterunt in Annalibus Ordinis tomo 4. ad annum Domini 1141. ubi etiam annotatur Monasterium istud in monte Thabor nuncupatum fuisse* sub titulo sancti Eliæ. *Fuit etiam in monte Thabor Abbatia Ordinis S. Benedicti,*

Quo-

Quomodò autem istis temporibus etiam sacrorum Ordinum S. Benedicti, Cisterciensium, Præmonstratensium, & Canonicorum Regularium S. Augustini Monasteria variis in locis Terræ sanctæ constructa sint, refert idem Iacobus de Vitriaco ibi consequenter cap. 54 & sequenti. Peculiariter verò quo ad Carmelitarum Ordinem, quantoperè tunc, & proximè post fuerit multiplicatus, ex viris religiosis variarum nationum qui ex devotione in Terram sanctam venerant, & ibi Religioni huic se aggregaverant, & indè ad proprias dimissi regiones, ibi Ordinem propagarint, dicetur capite 3. & 4.

407. (f) Qui omnes quamvis essent locis sejuncti, eandem tamen vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ montis Carmeli. *Idem repetitur, & confirmatur sub finem capitis sequentis Ita quoque accuratus scriptor Arnoldus Bostius in Speculo historiali lib.6. cap.8. ubi postquam de istis omnibus locis egisset, tandem subjungit:* Eos omnes eandem vitam solitariam, habitum & Regulam servasse quam servabant Eremitæ Montis Carmeli.

Omnes eandem vitæ Religiosæ normam tenebant, sicut in Carmelo.

CAP. II.

Qualiter & quandò Religio ista fuerit in Provinciis Syriæ multiplicata in plura Monasteria.

Idem Guil.

408. Tempore autem procedente cùm dicti Religiosi à Domino Alberto Patriarcha Ierosolymitano Regulam vivendi monasticè suscepissent, dictus Patriarcha Albertus (a) anno, Domini * MCXCIX. (b) In monte Carmeli propè fontem Eliæ Prophetæ Monasterium, quod Aymericus inceperat eis ædificavit, secundùm formam figuræ in prædicta Regula descriptæ. Propter quod ex tunc, juvante munificentiâ virorum nobilium, & largitate hominum fidelium (c) cœperunt dicti Religiosi in diversis eremis, & urbibus Syriæ Monasteria suæ Religionis similiter construere, apta & commoda ad vitam solitariam in eis observandam secundùm memoratam Regulam. Horum autem Monasteriorum nobiliora nunc exprimam: Quippè in Provincia Syriæ, quæ appellatur Phœnix (d) à monte Carmeli procedendo versùs mundi partem aquilonarem ad quatuor milliaria est Accon civitas magna suprà mare sita, quæ alio nomine in sacra Scriptura vocatur *Ptholomayda* in qua dicti Religiosi ædificaverunt, & habuerunt monasterium sui Ordinis. De Ptholomayda verò procedendo ulteriùs ad decem leucas, est Tyrus civitas munitissima in corde maris sita, cujus exterior planities rigatur rivis procedentibus ex puteo aquarum viventium, cujus meminit Salomon in canticis canticorum: Qui nec per leucam distat à Tyro: In hac civitate ædificaverunt etiam dicti Fratres, & habuerunt Monasterium suæ Religionis. Porrò de Tyro procedendo ulteriùs ad quinque leucas est Sarepta Sydoniorum, suprà mare sita, civitas quondam gloriosa, nunc autem vix habet octo domos; antè cujus portam australem Fratres hujus Religionis olim ædificaverunt cappellam quandam ad honorem Virginis MARIÆ; quæ adhuc exstat in eodem loco in quo Elias obviavit mulieri viduæ, apud quam in Sarepta mansit, & cujus filium Jonam à mortuis resuscitavit. Ulteriùs autem procedendo de Sarepta ad viginti sex leucas est Tripolis civitas nobilis in corde maris sita, cujus planities rigata est flumine procedente de fonte horrorum, cujus etiam meminit Salomon in Canticis canticorum: Est enim paradiso voluptatis assimilata, in hac etiam civitate similiter ædificaverunt, & habuerunt Monasterium suæ Religionis prædicti Fratres. Sed de Tripoli procedendo ulteriùs quasi contra Orientem ad tres leucas occurrit mons Libani, in cujus pede ibidè oritur *abundanter fons horrorum, fluens impetu de libano: Ex quo fonte subitò nascitur invalescens flumen magnum, quô rigantur horti, & tota planities civitatis Tripolitanæ, cujus aquæ sunt limpidæ, dulces, frigidæ, & optimæ: Et ibi in solitudine propè montem Libani, ædificaverunt dicti Fratres, & habuerunt juxta fontem horrorum Monasterium appellatum *Belli loci*, propter pulchritudinem dicti loci.

(a)
(b)
De anno datæ Regulæ vid. hic supr. n. 316.
(c)
(d)
Monasteria aliqua præcipua in Terra S. recensentur, sita in Syria Phœnicea.
Videlicet in Accon, Tyro, & Sarepta.
Tripoli, & propè montem Libani.
*In exemp. MSS. humiliter.

409. Prædicta autem omnia Monasteria fuerunt ædificata in Provincia Syriæ Phœnicea. In Provincia autè Syriæ quæ *Comagena dicitur, est Antiochia civitas nobilis, & gloriosa, distans à monte Carmeli per duodecim dietas versùs Aquilonem, in qua professores hujus Religionis ædificaverunt solemne Monasterium sui Ordinis, & habuerunt. In eadem quoque Provincia ab Antiochia procedendo versùs Aquilonè occurrit mons dictus *Neroi*, id est aquosus, qui est rivis & fontibus totus irriguus: Neros enim græcè, dicitur aqua latinè: Sed quia vulgares neros interpretantur *neyre, id est nigra; ideò dictus mons vulgariter appellatur *montana nigra*. In hujus montis solitudine ædificaverunt Fratres nostri Ordinis, & habuerunt suæ Religionis Monasterium. Quoniam autem hæc provincia *Comagena est extrà terminos Terræ sanctæ, ideò Fratres nostri plura Monasteria non ædificaverunt in ea, neque prædicta ædificassent, nisi quoque Aymericus Patriarcha Antiochenus aliquos. eorum duxisset in solitudinem montis Neroi.

*In alio exempl. Cœlesyria.
In Syria Comagena, Antiochia, & in Monte Neroi.
*Exempl. Neure.
*Alibi Cœlesyria.

410. In provincia autem Syriæ quæ Palestina nominatur, habuerunt dicti professores antiquitùs in omnibus penè locis mansiones suæ Religionis. Sed duplici ratione non potuerunt hôc novissimô tempore Monasteria construere in locis, & urbibus in quibus solebant olim habitare. Primò quia propter dissipationes crebras hujus provinciæ, aliquæ dictarum urbium sunt funditùs eversæ, ut Samaria: Et aliæ sunt quasi ad nihilum redactæ, ut Bethel, & Galgala. & Jericho, quæ vix habent octo domus numerô: Secundò quia (e) Saladinus genere Turcus Rex Syriæ & Egypti, nuper, anno Domini scilicet millesimo centesimo octuagesimo-septimo, post celebrem victoriam quam de Christianis obtinuit in bello apud Cephorum commisso, in quo fuit sancta Crux amissa, & Rex Ierusalem Guido captus, cum Magistro Templi, & innumeris Christianis, occupavit ferè omnem Palestinam,

(e)

In Palæstina, Ierosolymis, in eremo quarantenæ, & in deserto, ubi Christus sæpe prædicavit.

nam, auferendo à Christianis ejus dominium. Propter quod ex tunc difficile fuit dictis Religiosis in hac provincia ædificare monasteria sui Ordinis, vel diruta reædificare. Verùmtamen, juvantibus devotis peregrinis Christianis, sepulchrum Domini visitantibus, ædificaverunt ipsi in eadem provincia in Regione Judeæ. & habuerunt monasterium suæ Religionis in civitate sancta Jerusalem, quæ à monte Carmeli distat per triginta duas leucas versùs Austrum. In eadem quoquè provincia in Regione Samariæ inter Galgalam & Jericho est desertum Quarentenæ, distans à monte Carmeli per viginti leucas versùs Nothum, ubi dicti Religiosi ædificaverunt propè fontem Elisæi, & habuerunt monasterium suæ Religionis, quod fuit appellatum Domus in eremo Quarentenæ. In eadem etiam provincia in Regione Galilææ ad duodecim leucas de monte Carmeli contra Orientem est eremus illa in qua Christus frequenter prædicavit, de qua dictum est suprà, ubi prædicti Religiosi ædificaverunt, & habuerunt monasterium sui Ordinis, quod fuit appellatum monasterium Valim; quia fuit constructum sumptibus cujusdam nobilis viri, qui dicebatur Valim (f) omnia autem prædicta monasteria sumpserunt institutionem, & Regulam à monasterio montis Carmeli, & fuerunt subjecta dicto monasterio, & ejus Priori.

(f) *In illis Regula eadem servabatur, quæ in Carmelo,*

ANNOTATIONES.

DANIEL.

411. (a) ANno Domini MCXCIX. (*id est* 1199.) *circa annum data per Albertum Patriarcham Regula peculiari. &c allum est hic suprà in Notis ad libri 8. cap. 2. & declaratum, ibi errorem aliquem in numero irrepsisse, & verisimilius legendum esse,* MCCIX. *seu* 1209, *aut* MCCV, *sive* 1205. *Pleniùs etiam id pertractatum est in Additamento post librum VIII, num.* 396. *& seq.*

(b) In monte Carmeli prope fontem Eliæ Prophetæ monasterium eis ædificavit. *Monasterium istud ab Aymerico Patriarcha Antiocheno ædificatum, seu ædificari cœptum, & ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano consummatum idem est, cujus meminit Iacobus de Vitriaco relatus in notis ad caput præcedens. Quoad fontem Eliæ, unde ipse & Filij Prophetarum in monte Carmeli bibebant, ejus mentio fit in Regula: & in Annalibus, ac Historiis Ordinis mira de eô referuntur.*

412. (c) Cœperunt dicti Religiosi in diversis Eremis, & urbibus Syriæ monasteria suæ Religionis similiter construere, *conformia nempe illi monasterio montis Carmeli; nam antea monasteria, seu monastica mansiones Ordinis hujus, præsertim in eremis, non erant, saltem plerumque, Septô aut murô cincta sed erant cellularum congregationes, quæ antiquitus Lauræ dictæ sunt. Post traditam autem ab Alberto Regulam monasteria omnia sic construi, & adaptari cœperunt, ut septô, seu clausurâ definirentur. Vide Notas ad libri 8. caput 2. Illis & proximè sequentibus temporibus Religiosos Ordinis hujus ex diversis nationibus in Terra Sancta valdè multiplicatos fuisse eruitur inde, quod aliquantò post exiguô temporis spatio per totam ferè Europam propagati, & stabiliti fuerint (sicut mox capite 3 & 4 videbitur, & pleniùs in Annalibus Ordinis tomo 4. declaratur.*

413 (d) A monte Carmelo procedendo versus mundi partem Aquilonarem, ad quatuor milliaria, est Accon. *Ibi consequenter accurate, ut testis oculatus (utpotè Carmeli, & vicinorum locorum quondam incola) præfatus Guilielmus de Sanvico describit situm locorum præcipuorum in Terra Sancta, aut propè, ubi Ordinis hujus præcipua monasteria quondam fuerunt.*

414. (e) Saladinus (*Ita habet Veneta impressio: In Codice MS. Gandensi est* Salahadinus *in codice MS. Mechliniensi* Soldanus.) Genere Turcus anno Domini MCLXXXVII. *De illa lugubri, & gravissima Christianorum clade, & Terra Sanctæ vastatione, fusè agunt Rogerius in Annalibus Anglorum, Baronius ad istum annum, Sigonius, Blondus, & alij. Quantas autem calamitates tunc Ordinis Carmeli Professores perpessi fuerint, traditur in Annalibus Ordinis ejusdem ad istum annum: quo plures eorum Saracenorum gladio trucidati fuêre, prout annotat Wernerus Rolevinck in fasciculo temporum circa illud tempus:* Sanctus Bertholdus Carmelitici montis eremicolis ab Aymerico Antiocheno Patriarcha in Priorem assignatus fama celebriori multis innotescit. Hic, inter cætera præclaræ suæ Sanctitatis indicia, animas quam plurimorum Fratrum, quas Saracenorum absumpsit gladius, cum corona Martyrii ab Angelis in cœlum deferri vidit, *eadem scribunt Historici Ordinis.*

Saladinus gravissimâ clade Christianos sternit.

Tunc plures Carmelitici Ordinis Religiosi martyriô laureati.

415 (f) Omnia autem prædicta monasteria sumpserunt, institutionem, & Regulam a monasterio montis Carmeli, & fuerunt subjecta dicto monasterio, & ejus Priori. *Carmeli monasterio totius Ordinis primario, & originario, ejusque Priori tamquam Generali, alia monasteria, omnesque Ordinis ejusdem alumni peculiariter subjiciebantur, maximè post tempora Aymerici Antiocheni, (qui superioribus Ordinis antea nuncupatis* Pater, *seu Hebraeo nomine* Abba, *nomen* Prioris *imposuit) & Alberti Ierosolymitani Patriarcharum, Prior enim montis Carmeli etiam Generalis erat, sicut Prior Carthusiæ Generalis est Carthusianorum, & Abbas Præmonstrati Generalis Præmonstratensium. Temporibus verò anterioribus quamvis cætera omnia Ordinis hujus monasteria, seu Eremitoria sive monastica mansiones, institutionem & Regulam (anno Christi 412, à Ioanne Episcopo XLIV. Ierosolymitano traditam) à Carmelicolis haberent, non tam strictè, ut posteà, erant tum subjecta Superiori montis Carmeli, nec ab eo sic dependentia: at in singulis erat Superior (Abba Syriacè, id est* Pater *Latinè dictus) Carmelum agnoscentes quidem pro Originario suæ Religionis loco, sed ejus Superiori de iure non ita subjecti. Ita ferè Patres Benedictini se habent ad Cassini monasterium. Aymericus autem præfatus omnia Ordinis ejusdem monasteria, seu loca Eremitica, eorumque incolas uni eidemque (cui se voto speciali omnes obstringerent) subjici statuit: Sicque omnes magis coadunavit. Plura circa hæc videri poterunt hic supra lib. 8. cap. 2. & ibi in Notis. Animadvertendum porrò hic est, olim cum Ordo in Europa transplantaretur, & multiplicaretur, duos fuisse in Ordine Generales, alterum pro Oriente, alterum pro Occidente (sicuti nunc inter PP. nostros Discalceatos etiam duo sunt) sed invicem erant subordinati, unus absolutus & primarius, alter duntaxat secundarius, & aliqualiter à Priore dependens, atque ita ceu Vicarius. Sed de his latius agitur in Annalibus Ordinis tomo 4. & in Vinea Carmeli variis locis.*

Carmeli monasterio. Et Superiori cætera Ordinis hujus subjecta.

CAP. III.

Quòd Dominus præsciens hanc Religionem de Terra Sancta eradicandam, providerit eam in Europâ transplantandam, & qualiter id contigerit.

IDEM GUILIELMUS DE SANVICO.

416. PRæsciens autem Dominus Deus demeritis nefandorum Christianorum, suis scelelibus Terram Sanctam sordidantium, sacram hanc Religionem de Terra Sancta eradicandam, immò totam Terram à Christianis auferendam, & in dominium, & potestatem Saracenorum penitùs reducendam, providit Religionem istam non delere, sed eam alibi transplantare. Propterea quidem (a) voluit Deus, sicut revelavit Beato Cyrillo Eremitæ montis (a)

S. Cyrillo revelata Ordinis hujus in Terrâ S. extinctio, & in Europam transmigratio, & multiplicatio.

montis Carmeli, quòd in novissimis diebus istis viri diversarum nationum profiterentur sacram hanc Religionem; ut cum adveniret persecutio, propter quam oporteret eos de Terra Sancta fugere, tantò patientiùs tolerarent Religionem istam de Terra illa eradicari, quantò ampliùs ex hoc viderent eam in diversis mundi Regionibus, & maximè in suis propriis nationibus, copiosiùs, multiplicari, sicut per Beatum Cyrillum eis prophetice prędixit. Igitur cum Joannes Rex ultimus Jerosolymitanus unicam filiam suam dicti Regni hæredem dedisset cum omni jure Regni ipsius in uxorem Imperatori Romanorum Frederico II. mortuô dictô Joanne (b) Terra Sancta non habuit succursum consuetum à Sede Apostolica, impediente dictum succursum Imperatore Frederico II, qui adversùs Romanam Ecclesiam grassabatur, & Concilium generale quod Papa Gregorius nonus volebat, inter cætera, pro subsidio Terræ Sanctæ celebrare, conatus fuit modis omnibus impedire. Quamobrem cœperunt Pagani Terram Sanctam * efficaciùs solitò invadere, plerosque milites, & aliquos nobiles, multosq; alios Christianos anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo prope Gazam interfecerunt, & ceperunt.

Joannes Rex ultimus Ierusalem.

(b) *Fredericus Imp. Ecclesiæ hostis.*

* Alibi legitur *fortiùs impugnare.*

417. Propter quod aliqui infirmiores professores hujus Religionis conturbati, & perterriti de frequentibus incursibus Paganorum quos patiebantur, maximè in monasteriis quæ erant in eremis, optabant Terram Sanctam deserere, &, si fieri posset licitè, ad regiones proprias, undè venerant, redire. Desiderabant enim in suis regionibus monasteria hujus Religionis construere, in quibus possent securè Domino Deo, & ejus Matri Virgini MARIÆ jugiter deservire. Super qua re, an licita, congregatum fuit capitulum in monasterio montis Carmeli, & habitum concilium ibi. Et quamvis essent, ex Fratribus, qui dicerent nullô modô illô tempore Terram Sanctam fore ab aliquo Fratre deserendam, neque extrà eam mansiones hujus Religionis esse construendas. Oppositum tamen horum esse licitum, fuit tunc in Concilio ostensum, tam Christi præceptô, quam ejus, & fundatoris hujus Religionis exemplô; præceptô quidem quô Christus ait: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*: (c) Bonum est persecutionem fugiendo Catholicam fidem servare incorruptam, & valdè malùm, persecutionem incidendo, ex timore persecutionis, negare fidem Christianam. Exemplô autem; quô Christus, qui non erat *missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël*, dum Herodes eum persequeretur, Terram Sanctam deseruit, & in Egyptum fugiens, ibidem usquè ad Herodis obitum morabatur: Exemplô denique fundatoris hujus Religionis Eliæ, qui propter persecutionem Achab, & Jezabel Terram Sanctam dereliquit, & ad montem Oreb fugiens, illic in speiunca mansit. (d) Prior itaque monasterij montis Carmeli, attentis rationibus istis, & consideratâ persecutione quam in Terra Sancta Pagani inferebant huic Religioni assiduè, admonitus à Christo, & à Beata MARIA Virgine ejus genitrice in somnis, licentiam aliquibus Fratribus concessit Terram Sanctam deserendi, & ad proprias regiones redeundi, illicque monasteria hujus Religionis ædificandi.

Capitulum generale in Carmelo.

(c) *Matth. 10.*

In eo declaratur licitum & expediens in Europam Ordinem transferre.

(d) *Id Christo, & B. V. Maria monente decernitur faciendû an. 1237.*

418. (e) Anno ergò Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo, aliqui ex dictis Fratribus natione Cyprij, ad insulam Cypri transfretaverunt. Alij verò natione Siculi, ad insulam Siciliæ navigaverunt: quidam autem natione Provinciales apud Massiliam Civitatem Provinciæ applicuerunt. Qui omnes, & post eos alij, hac intentione Terram Sanctam deserebant, & ad illas, ac varias Regiones accedebant, ut Religionem istam in illis Regionibus noviter plantarent. Igitur qui ad Cyprum transfretaverant, mansionem huic Religioni congruam in Eremo * Frontaine construxerunt: Qui verò ad Siciliam navigaverant, habitationem huic Religioni commodam in Suburbanis Messanæ erexerunt: Sed illi, qui apud Massiliam applicuerant, domum isti Religioni opportunam, in Eremo Aquælatarum, distanti per unam leucam à Massilia, ædificaverunt. Denique anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, (f) Christianissimi milites Dominus Joannes Vesci, & Dominus Richardus Grey natione Anglici, cum Richardo Comite * Cornubiæ Fratre Henrici, Regis Angliæ ad Terram Sanctam transfretaverant; post multos verò actus bellicos in Palæstinâ contrà infideles strenuè peractos, de Terra Sancta ad Angliam remeantes, (g) quosdam hujus Religionis Fratres Anglicos, de licentia Prioris monasterij montis Carmeli, secum ex devotione ad Angliam duxerunt. Quibus Fratribus Dominus Joannes Vesci in Silva de Holne, juxta Alnewicum, & Dominus Richardus Grey apud Eylesfordiam in Cantia mansiones huic Religioni commodas ædificaverunt.

(e) *Et an. 1238. executioni mandatur.*

* Alibi *Fortania* legitur.

(f) *Quidam in Cyprum, alij in Siciliam, alij in Galliam, ac denique in Angliam migrant.*

* Alibi est *Cornubio.*

(g)

ANNOTATIONES.

419. (a) VOluit Deus, sicut revelavit B. Cyrillo Eremitæ montis Carmeli, quòd in novissimis diebus istis viri diversarum nationum profiterentur sacram hanc Religionem. *De ista revelatione agunt alij Historici & Annales Ordinis, & quidem Arnoldus Bostius libro de Patronatu B. Virginis cap. 5. in hunc modum* Cyrillus Presbyter sacerrimus, indeficientibus cœli thesauris magnoperè ditatus ..... cùm, inter cætera multa, cœlitùs didicisset, ob scelerum multiplicationē apud Orientis Christicolas, proh dolor! nimis abundantem, sacram Carmeli Religionem penitùs eradicandam à Terra Sancta, lacte & melle fluida ...... edoctus est, quod brevi decurso tempore viri diversarum nationum Mariæ Religionem profiterentur, qui eam in suis Regionibus copiosissimè multiplicarent. *De isto S. Cyrillo plura videri poterunt hic suprà in Prænotatione §. 2. n. 9. & 10. & libro VIII. cap. 1. atque ibi in Notis. Ex dictis obiter notanda peculiaris Dei providentia, ac Patronæ potentissimæ opportunum, & efficax remedium pro Ordinis hujus conservatione, & dilatatione, dum sic variarum Nationum homines in unum cœtum congregantur. Quam ingens autem numerus Religiosorum ex diversis nationibus Cypri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Angliæ, Deô disponente, in hoc Ordine tunc, & proximè post fuerit, colligere licet ex hoc, & sequenti capite, & luculentiùs ex Annalibus Ordinis tomo quarto; nam exiguô temporis curriculô, videlicet ab annô* MCCXXXVIII. *quô generalis transmi-*

DANIEL.

S. Cyrillo revelatum fuit, ob scelera Christianorum Terram S. infidelibus tradendam.

Et inde avulsum Ordinem Carmeli in Europâ dilatandum.

transmigratio Ordinis facta fuit, usque ad MCCLV. *(quod spatium est duntaxat sedecim annorum) per totam ferè Europam Ordo fuit propagatus per Religiosos diversarum nationum, videlicet singulos in suis respectivè Regionibus. Cyprij natione in Cypro varijs in locis; Siculi in multis urbibus, & eremis Siciliæ, Apuliæ, & consequenter in alijs Italiæ Regionibus; Franci in Provinciâ Provinciæ, Narbonensi tractu, in Aquitania, Hispani in Civitatibus, & locis Hispaniæ; Angli in Anglia, & inde in Scotia, ac Hibernia dilatati fuerunt. Sic & per Germaniam, atque etiam per Belgium. Nam (præter Conventum Vallencenensem, cujus initia, saltem per modum hospitij referuntur ad annum Christi* 1235.) *Bruxellis fundatus est Conventus Ordinis hujus anno Christi* MCCXLIX. *ut antiquissima Conventus monimenta, & vetustæ inscriptiones exprimunt his verbis:* Hujus Conventus fundatio incèpit anno Domini MCCXLIX. tempore Innocentij Papæ IV. Sub Generalatu Magistri Simonis Stock, jam miraculis clarescentis. *Eodem anno etiam Harlemij in Hollandia fuêre Carmelitani Conventus primordia, sicut referunt Ioannes Paleonydorus, Ioannes Gerbrandus, & Annales Ordinis. Sub idem tempus Ipris, ac mox Mechliniæ annô Christi* MCCLIV. *factæ fuerunt Conventuum Ordinis hujus fundationes. Et istæ quidem (atque aliæ) intra tempus sedecim annorum à præfata generali transmigratione, de qua capite sequenti, & antè reditum S. Ludovici ex Terra sancta, de qua capite 6. hic infrà.*

420. (b) Terra sancta non habuit succursum consuetum ... Quamobrem cœperunt Pagani Terram sanctam efficacius solitò invadere. *De his plura videri poterunt in Annalibus Ordinis ad annum Christi 1237 & sequentes. Et ea fuit ratio, congregandi eô annô Capitulum Generale in Monte Carmeli.*

421. (c) Bonum est, persecutionem fugiendo, Catholicam fidem servare incorruptam &c. *Codex Gandensis habet:* Melius enim est persecutionem fugiendo, Catholicam fidem servare incorruptam, quàm temerè in persecutionem incidendo, ex timore persecutionis negare fidem Christianam.

B. V. Maria maternalem pro suo Ordine curam gerit.

422. (d) Prior itaque Monasterij montis Carmeli admonitus à Christo, & à B. Virgine MARIA ejus Genitrice in somnis. *Erat is Ven. Alanus, Prior Carmeli, & Generalis Ordinis quintus. Revelationis istius historiam referunt cæteri Historici & Annales Ordinis, Arnoldus Bostius in libro præfato cap. 6. (cujus titulus est.* Quod superamabilis Virgo MARIA sancto Priori mellifluì Carmeli clementèr apparuit, admonês eum, ut quibusdam Occiduæ Regionis Fratribus Carmelitarum Religionem in suis partibus transplantandi licentiam impartiretur) *luculentèr & elegantèr, ut solet, hâc de re scribit.*

Transmigratio, seu translatio Ordinis è terra S. in Europam an. Chri. 1238.

423. (e) Anno ergò Domini MCCXXXVIII. aliqui ex dictis fratribus natione Cyprij, ad Insulam Cypri transfretaverunt. Alij verò natione Siculi, ad Insulam Siciliæ navigaverunt &c. Qui omnes, & post eos alij, hâc intentione Terram sanctam deserebant, & ad istas regiones accedebant, ut Religionem istam in illis Regionibus noviter plantarent. *Fuit ista celeberrima Ordinis Translatio ex terrâ sanctâ in Europam, de quâ latè in Annalibus Ordinis Tom. 4. ad istum & præcedentem annum. De ea scribunt cæteri historici Ordinis. Quidem præteritis temporibus olim, & nuper, ad varias Europæ regiones transmigraverant: (Videlicet in Italiam juxta fluvium Arni, haud longè à florentia, atque etiam Senis: in Germaniam propè Rhenum Bopardiæ, in Galliam, Burdigalæ. Vide hic infrà in Appendice §. 2. num. 506. & seq.) Sed hæc transmigratio universalis fuit, ad omnes ferè Europæ partes, idque monitu Beatissimæ Virginis* MARIÆ, *& ex ordinatione Capituli Generalis; ideo hæc nominatissima est.*

An. Christi 1240. Carmelitæ nonnulli ducti in Angliam.

424. (f) Christianissimi Milites Dom. Joannes Vesci & Dom. Riccardus Grey. *Ista, & alia usque ad finem capitis in Codice MS. Gandensi sic leguntur.* Milites autem Christianissimi Dominus Ioannes Vesci, & Dominus Richardus Grey, natione Anglici, cum Richardo comite Cornubiæ, fratre Henrici Regis Angliæ, ad Terram sanctam transfretaverant: Postquam autem pactis initis, fuerunt Treugæ per dictum Richardum Comitem inter Christianos & Saracenos confirmatæ; ipsi de Terra sancta ad Angliam anno Domini MCCXL. remearunt, & quosdam hujus Religionis fratres Anglicos, de licentia Prioris Monasterij montis Carmeli, secum ex devotione ad Angliam duxerunt. Quibus fratribus Dominus Joannes Vesci in silua de Holne, juxta Alnewicum, & Dominus Richardus Grey, apud Ayles-fordiam in Cantia, mansiones huic Religioni commodas ædificaverunt. Denique anno Domini MCCXLIV. Scilicet tempore Papæ Innocentij quarti cum Pagani Grassoini in Terra sancta de Templarijs & Hospitalarijs alijsque Christianis innumeris triumphassent, & tàm intrà, quàm extrà Ierusalem plurimos Christianos occidissent; Tremefacti de his, quidam nostræ Religionis fratres natione Provinciales de Palestina ad Provinciam transfretantes, apud Massiliam civitatem Provinciæ applicuerunt, & in Eremo Aquilatarum, distante per unam leucam a Massiliâ, domum huic Religioni apportunam construxerunt. *Vtrumque verificari potest, quod Provinciales aliqui venerint circa Massiliam anno Domini* MCCXXXVIII. *Et post eos occasione istius cladis per* Grassoinos, *seu potius* Chorasmenos, *seu* Chorasmianos *alij anno* MCCXLIV. *Subsecuti fuerint. Qui fuerint Grassoini seu Chorasmenij, dicetur in notis ad caput* 8. *De ingenti illâ clade per eos illatâ Christianis anno Christi* 1244. *Videri poterunt Marinus Sanutus, Matthæus Paris, Æmilius, Gordonus, & Spondanus. Quanta autem tunc perpessi sint, & trucidati plures ex Ordinis hujus alumnis, & Monasteria diruta fuerint, refertur in Annalibus Ordinis ad istum annum.*

Et an. 1244. aliqui in Provinciam Provinciæ.

425. (g) Quosdam hujus Religionis fratres Anglicos ... ad Angliam duxerunt. *Iam antè (anno* MCCXII.) *Carmelicolæ nonnulli in Angliam venerant, quibus tum sociatus fuit S. Simon Stock: Isti loca solitaria incolentes humiles construxerant mansiones, seu Eremitoria, quæ tandem dictô annô (*MCCXL*) occasione novorum adventantium, & favore istorum militum Anglorum, Ioannis & Richardi, efformata fuêre in Cœnobia: & sic initium habuit illustrissima illa Provincia, aliquot aliarum mater. Sed de his latiùs in Annalibus Ordinis tomo 4. ad annos Christi 1212. Et 1240. Ibi inter alia hæc ad propositum.* Hôc ergò annô gravissima hæc Angliæ Provincia fausto sydere propagari cœpit. Etsi enim, juxta dicta sub anno 1212, jam pridem ad eam Insulam pauci aliquot ex fratibus nostris appulerint, qui beato Simoni adhærentes, cum eo eremiticè vixerint. Cœnobia tamen usque ad hoc tempus fundare non cœperunt.

Anno 1212. Carmelitæ aliqui in Angliam venerant; quos deinde subsecuti sunt alij.

CAP. IV.

Quô ordine dicti professores hanc Religionem in Europa plantaverint, & per diversas Europæ regiones eam multiplicaverint.

IOAN. GUIL.

426. CONsiderantes autem Fratres prædicti, regiones ad quas pervenerant esse aptas, & idoneas ad multiplicandum in ipsis sacram hanc Religionem, plures viros ad eam receperunt. Sed priusquàm præsumerent eam quoad Monasteria in dictis regionibus notabiliter multiplicare, (a) prudente ducti consiliô, ad summum Pontificem Innocentium quartum, tunc lugduni commorantem, accesserunt, cui rationem fugæ eorum de transmarinis partibus, & causam adventus eorum ad prædictas varias regiones, & remotas, exposuerunt, eique supplicaverunt, ut dignaretur eis impendere favorem, quô possent in dictis regionibus multiplicare suam Religionem. Pontifex autem prædictus; adversitatibus

(a) Rationem fugæ exponunt summo Pontifici, Innoc. IV.

Cui supplicant pro favore.

bus eorum compatiens, & de multiplicatione hujus Religionis per cunctas fidelium partes gaudens, litteras eis duodecimo kalendas Julij anno Domini millesimo ducentesimo, quadragesimo quinto concessit, per quas universis Christi fidelibus scripsit, ut dictos Fratres benignè reciperent, & eis de oportunis locis, in quibus possent securè Domino famulari, liberalitèr, & charitativè providerent.

INNOCENTIVS IV.

Ipsius littera commendatitia ad omnes Christi fideles.

417. INNOCENTIVS PAPA QVARTVS, *in Registro secundi anni sui pontificatûs*: Universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilecti filij Prior & Fratres Ordinis Eremitarum de monte Carmeli securè nequeant, sicùt accepimus, proptèr frequentes Paganorum incursus in mansionibus quas habent in transmarinis partibus commorari, & ob hoc oporteat ex ipsis aliquos se transferre ad Regiones varias & remotas, universitatem vestram rogamus & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs ipsos, si ad vos eos advenire contigerit, benignè recipientes, ac tractantes honestè, eis de oportunis locis, in quibus securè possint famulari Domino, pro divina & nostra reverentia, liberaliter & charitativè providere curetis.

GUILIELM. DE SANVICO.

Atque ita in variis Regionibus mansiones accipiunt.

428. FRATER GUILIELMUS DE SANVICO EREMITA MONTIS CARMELI *ubi suprà*: (b) Obtentis itaque à summo Pontifice Innocentio quarto litteris præmissis, cœperunt dicti Fratres per Regiones ad quas pervenerant, juvantibus eos Christi fidelibus, loca Religioni eorum opportuna in diversis civitatibus, & villis per incrementa temporum construere, in quibus possent Domino Deo & ejus Matri Virgini, sicut desiderabant, securè deservire: Qui enim ex eis ad Cyprum accesserant, in quibusdam civitatibus, & locis Cypri monasteria huic Religioni commoda ædificaverunt.

Et Ordinem per Europam propagant, ac multiplicant.

Qui verò ad Siciliam perrexerant, non solùm per civitates Siciliæ hanc Religionem plantaverunt, sed inde per Apuliam, & per cæteras Regiones Italiæ sensim in diversis civitatibus, & locis eam auxerunt. Qui autem ad Provinciam profecti fuerant, nedùm per civitates, & loca illius Regionis, sed per Narbonensem provinciam, & Aquitaniam, atque Hispaniam in diversis civitatibus, & villis, ac locis Religionem istam paulatim, multiplicaverunt. Illi verò qui ad Angliam secesserant, non tantùm per insulam Angliæ, sed (c) per Scotiam, & per Hyberniam in multis civitatibus, & villis, ac locis Religionem pedetentim dilataverunt.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Ante tempora Innocentij PP. IV. Ordinis hujus monasteria in variis Europa regionibus, sed pauca.

429. (a) PRudente ducti consiliò, ad summum Pontificem Innocentium quartum accesserunt, *videlicet pro licentiâ, & favore propagandi Ordinem per Europam. Erant quidem tempore Innocentij quarti in plerisque Europæ Regionibus, hinc indè aliqui hujus Ordinis Conventus, præcipuè quidem in eremis; sed tamen etiam in urbibus, variis occasionibus, per eos, qui à Terra Sancta, Saracenorum persecutiones fugiebant, fundati jam olim, post annum Domini sexcentesimum quadragesimum, & maximè post annum millesimum ducentesimum trigesimum octavum, quando solemniter (sicut capite antecedente dictum est) Ordo in Europam traductus est, sed illi Conventus rari satis tum adhuc erant.*

Pontificis hujus favore fuêre valde multiplicata.

430. (b) Obtentis itaque à Summo Pontifice, Innocentio quarto litteris præmissis, cœperunt loca Religioni eorum opportuna in diversis Civitatibus & Villis per incrementa temporum, construere. *Exindè etiam cœperunt Conventus distribui in distinctas Provincias (de quibus sigillatim agitur in Vinea Carmeli parte 7. per totam) Idem Pontifex Innocentius quartus fautor, Protector, &, Propagator Ordinis hujus fuit inter præcipuos; ut testes sunt variæ ejus Bullæ insertæ Ordinis Bullario, & Annalibus. Quid circà Regulam præstiterit habetur ex dictis libro præcedente cap. 5, 6, 7, & 8. Sed de istis omnibus plura videri poterunt in Annalibus Ordinis tom. 4. ad annos, quibus ipse Ecclesiæ præsedit.*

Fuit ipse, Dei providentiâ, Ordinis fautor, protector, promotor.

Fuit ea Dei singularis providentia, & potentissima Patronæ Ordinis tutela, ac maternalis affectu tessera, quod Ordo hic suis pulsus sedibus in Terra sancta, & modò prædictò translatus in Europam, inibi mox invenerit, in tempore opportuno, qui eam benignè ac paternè susciperet eos exules, liberaliter privilegiis augeret, ac potenter ab Adversariorum incursibus protegeret, sicut ex jam dictis, & mox dicendis patet.

431. (c) Per Scotiam & Hiberniam; *nam Anglia illustrissima Provincia mater fuit istarum duarum.*

CAP. V.

Quod multiplicationem hujus Religionis diabolus nisus fuerit impedire, & qualiter professores hujus Religionis studuerint illi resistere.

IDEM GUILIELM.

432. INtereà dum hæc prædicta à Fratribus agerentur, invidens diabolus bono eorum operi, & hujus Religionis multiplicationi, nisus fuit eam impedire. Quamobrem incitavit Rectores, & Curatos Parochialium Ecclesiarum adversùs Fratres prædictos: Qui (a) Fratribus non permittebant in eorum monasteriis divina celebrare, nec sepulturam Fratrum sui Ordinis habere.

(a) Persecutio gravis adversus Ordinem.

Cumque Fratres ad Dominos Diœcesanos, pro compescendis Rectoribus & Curatis à gravaminibus prædictis, recurrerent, supplicantes eisdem, ut de licentia eorum, & gratia possent in locis suæ Religionis divina celebrare, & sepulturam Fratrum sui Ordinis habere, respondebant Prælati: quòd, cum hæc Religio esset eis ignota, gratiam postulatam Fratribus non concederent, donec super præmissis intentionem summi Pontificis scirent.

Pro remedio recurritur ad Sum. Pontif. Innocentium IV.

Ea propter dicti Fratres iterùm ad summum Pontificem Innocentium quartum accesserunt, cui humiliter supplicaverunt ut dignaretur Prælatis scribere, sibi non esse displicibile, sed placibile, si licentiam Fratribus concederent celebrandi divina in eorum locis, & habendi liberam sepulturam Fratrum sui Ordinis: Pontifex autem prædictus humili Fratrum petitioni annuens super præmissis, sexto kalendas Augusti anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, Archiepiscopis, & Episcopis scripsit.

INNOCENTIVS IV.

433. INNOCENTIVS PAPA QVARTVS, *in Registro quarti anni sui pontificatus*: Venerabilibus in Christo Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Paganorum incursus, dilectis Filiis (b) Fratri- (b)

bus

Innocentij IV. Littera commendatitia ad Archiepisc. & Episcopos.

bus Eremitis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli, necessitatem induxisse dignoscitur, quod se ad cis-marinas partes, non sinè afflictione multa spiritûs, contulerunt; cum eis contemplationis dulcedine recreare solitis, ex hujusmodi transitu turbata non modicùm fuerit quies mentis. Cùm itaque ipsorum ad hoc aspiret affectio, ut per Apostolicæ pietatis auxilium, statum consequi valeant, in quo sibi, & proximis, Deô propitiô, ad salutem proficere hilarescant, fraternitatem vestram rogandam duximus, & monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs ipsos, cum ad vos pervenerint, benignô suscipientes affectu, & pij favoris gratiâ prosequentes, ipsis ut in locis oportunis de quibus jam est eis in vestris provisum Diœcesibus, vel in posterum contigerit provideri, celebrandi divina, & habendi liberam Fratrum sui Ordinis sepulturam, licentiam, si expedire videritis, sine juris alieni præjudicio, concedatis.

Guilielm. de Samuco.

434. Frater Guilielmus de Sanvico Eremita montis Carmeli *ubi supra*: Cum autem prædictas summi Pontificis litteras Fratres Dominis Diœcesanis ostenderent, quidam Prælatorum renuebant eis concedere licentiam celebrandi divina in locis quæ habebant in ipsorum Diœcesibus, & habendi in dictis locis sepulturam Fratrum sui Ordinis. Alij autem ex Prælatis, compatientes Fratribus, hujusmodi licentiam celebrandi divina in locis de quibus erat Fratribus provisum in ipsorum Diœcesibus, & habendi in dictis locis liberam sepulturam Fratrum sui Ordinis, eis favorabiliter concedebant.

Quem effectum ea habuerint.

ANNOTATIONES.

Daniel.

435. (a) Fratribus non permittebant in eorum Monasterijs divina celebrare. *De ista Ordinis persecutione, & remedio, per Innocentium IV. allato agunt Ordinis historici alij, & Annales, nec non Abbas Trithemius in suo primo de Ordine Carmelitano libro cap. 9.*

Ordo hic titulo B. V. Mariæ insignitus.

436. (b) Fratribus Eremitis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli. *Eo titulo* S. Mariæ de monte Carmeli, *seu* Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, *sive* Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmeli, *idem Pontifex, cæterique ferè semper insigniunt hunc Ordinem, ejusque Religiosos. Quin imo Vrbanus sextus omnibus Christi fidelibus sic Ordinem nuncupantibus Indulgentiam trium annorum, & totidem quadragenarum concessit in perpetuum; quam alij Pontifices confirmarunt. Sed de hoc latiùs alibi.*

CAP. VI.

Quòd beatus Ludovicus Francorum Rex in Terram Sanctam profectus, indè quosdam Fratres hujus Religionis secum in Franciam duxerit; quibus in civitate sua Parisius monasterium ædificavit.

Idem Guilielm.

437. Beatus autem Ludovicus Francorum Rex Illustrissimus, dilatationem fidei Christianæ ardenti desideriô cupiens, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo contra gentem incredulam cruce signatus cum magno exercitu transfretavit. Qui cum apud Ægyptum applicuisset, famosam illam civitatem Ægypti quam Damiatam vocant, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono cepit. Ulteriùs autem procedens, ipse cum suis captus fuit à Saracenis. Redditâ itaque eis Damiatâ, & copiosâ pecuniâ, pro sui, & suorum redemptione datâ, de captione liberatus, ad Terram Sanctam peregrè est profectus. Qui sepulchrum Domini visitans, & cætera religiosa Terræ Sanctæ loca perquirens, ad montem Carmeli ascendit, & propter laudabilem conversationem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli ibidem commorantium eorum monasterium ex devotione visitavit.

S. Ludovicus Rex Franciæ cum exercitu transfretat in Terram S.

Gesta ejus ibi.

438. Postmodùm verò auditâ morte Reginæ matris suæ, Baronum suorum consiliô redire in Franciam acquievit. Et dum esset in mari tertiâ nocte propè diluculum navis deferens Regem, retrocedendo ad Biralassum, juxtà montem Carmeli, binâ impulsione tam fortiter est collisa, quod à nautis, & alijs fracta, & protinùs submergenda credebatur. Tantâ ergo concussione excitati, & perterriti, clerici, & alij, Sanctum Regem genibus flexis Deum devotè orantem invenerunt: cumque omnes submergi indubitanter crederent, campanam monasterij Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli pro matutinis dicendis sonantem in auribus suis resonare senserunt. Quâ auditâ pius Rex cujus loci campana esset Navarchum diligenter interrogans, eam esse monasterij Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli ex Navarchi responso percepit. In devotione ergò Genitricis Dei accensus Rex, ejus monasterium tunc visitare promisit, si ipsa ab illa gravi tempestate eum cum aliis liberaret. Tranquillitate ergò ejus meritis, & precibus, in mari subitò factâ, Beatâ Maria eos à prædicto mortis periculo liberante, mox (a) mitis Rex in montem Carmeli ascendens, matutinas Fratrum magna cum devotione audivit. (a)

Rediens in Franciam periclitatur in mari circa Carmelum.

Audita monasterij in Carmelo campana, se B. V. Mariæ commendat.

439. Quibus dictis, pius Rex locum illum humiliter contemplans, ac prædictorum Fratrum, titulô Beatæ Mariæ Virginis in toto orbe terrarum quoad Ordines approbatos singulariter insignitorum, famâ laudabili, & Religiositate permotus, quosdam eorum natione Gallicos à Priore dicti monasterij postulavit, qui ideò desiderabant Sanctum Regem sequi, & fugere de loco illo ante faciem persequentium Paganorum; quia propter graves Paganorum incursus frequenter oportuerat eos hactenùs monasterium illud deserere, & se interdum in saltu montis Carmeli abscondere, interdùm verò in civitate Cayphas se includere. Quos numerô sex, à Priore sibi concessos, Rex secum in Franciam duxit, & eis in civitate sua * Parisius monasterium ædificavit. Qui alios ad suam Religionem recipientes (b) in diversis Franciæ, & Alemaniæ partibus monasteria sui Ordinis paulatìm construxerunt. (b)

Factâ subitò tranquillitate Carmelum visitat.

Inde sex Religiosos assumit, & in Franciam ducit.

* Olim *Parisius* nunc *Parisij*.

Inde propagatio Ordinis per Franciam.

AN-

ANNOTATIONES.

Daniel. S. Ludovicus sex Religiosos à Carmelo ducit Parisios ibi ipsis Monasterium construit.

440 (a) **M**Ilitis Rex in montem Carmelum ascendens. *Historia hujus capitis, de S. Ludovico tempestate jactato, & periclitante in mari prope Carmelum, & inde educente secum in Galliam sex Religiosos, quibus & Monasterium construi fecit Parisijs, sic descripta à Guilielmo de Sanvico, quasi teste oculatô (nam sub ea tempora incola erat Carmeli, & aliquamdiu post ibidem Prior) luculenter etiam, & eleganter describitur ab Arnoldo Bostio libro de Patronatu B Virginis* MARIÆ *capite 7, ubi, inter cætera, hæc*: Sanctus Francorum Rex Ludovicus, Regum sydus, Christianæ nobilitatis decor unicus (cujus animam Christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat) post multos & laboriosos agones in Terra benedicta . . . . , Et circumjacentibus locis integrô quinquenniô pro Domino IESU perpessos; De Baronum consilio Franciam repetens, tertiâ nocte postquam mare sulcaturus, navem intraverat, naufragij extremum ferè periculum passus est. *Ibi consequenter scribitur, id contigisse non longè à monte Carmelo; quodque Rex preces & vota ad Deum, & Virginem Matrem direxerit*: Et adest, ecce, dictô citiùs cœli Regina, Domina MARIA præpotens auxiliatrix, Regijs votis per omnia favet, imperat mari, navem solvit, incolumes conservat omnes, Religionis suæ Carmelitanæ dilatationi, & fratrum saluti pijssimè sic providens. *Et infrà*: Carmelitas igitur filios, & fratres Patris Eliæ, & matris MARIÆ dignissimæ suæ compatentis, velut sibi commendatissimos, ingenti favore amplexatus est, suscepit, fovit, aluit, sanctus Rex Ludovicus. *Beneficia specialia à S. Ludovico Ordini huic præstita ibidem referuntur. Eadem etiam traduntur ab alijs Historicis nostris, & exteris relatis tomo 4. Annalium Ordinis. Eadem eleganti carmine decantat Baptista Mantuanus in fastis seu de sacris diebus (ad Leonem X. Pontificem) libro 8. ad diem 24. Augusti: ubi inter cætera:*

Ad invocationem B.V. M. à periculo liberatur.

Annal. Ord. ad ann. 1254

Magnanimus Rex Gallorum Ludovicus eâdem
Luce, triumphatô, transivit in æthera, mundô
Et infrà:
Carmeli juga conscendit, nostrosque revisit.
Per montis spelæa Patres ubi vixerat olim,
Maximus Elias; secumque ad Gallica duxit
Littora plerosque illorum:

Alia de S. Ludovico gestante sacrum scapulare videri poterunt in Annalibus Ordinis, atque apud Theophilum Raynaudum libro de scapulari Partheno Carmelitico parte 2. quæst. 8 & hic infrà parte 3.

Ante S. Ludovicum in Gallia, Germania & Belgio erant Monnasteria sed postea mirabiliter multiplicata

441 (b) In diversis Franciæ, & Alemaniæ partibus. *Animadvertendum tamen, quòd in Francia, Germania, & Belgio, ac alijs Europæ partibus plura Ordinis hujus Monasteria fuerint ante sanctum Ludovicum fundata, de quibus in Annalibus Ordinis. Fuit interim S. Ludovicus singularis fautor, & causa multiplicationis præsertim per Franciam vide hic infrà num. 509. Redijt autem S. Ludovicus in Galliam anno Christi 1254. Vide Spondanum ad istum annum num. 11. Ibi consequenter num. 12. agens de Monasterijs per S. Ludovicum ædificatis, ista ad propositum scribit*: Imprimis Carmelitarum quibus ex Monte Carmelo deductis, apud Parisios locum atque Ecclesiam primus attribuit: Non tamen ut primus ille hunc Ordinem in Gallias adduxerit, quod nonnullis persuasum videmus; sed tantùm Parisios: cum jam ante hæc, tum alia alibi, tum Burdegalæ reperiatur fuisse cœnobium ejus Ordinis, *videlicet anno Domini* 1099 *Fundatum, aut fundari cœptum. Vide hic infrà num. 509. Et etiam hic antè num. 419.*

CAP. VII.

Quòd diabolus contra multiplicationem hujus Religionis fortiùs bellum moverit, & qualiter hæc Religio de ipso triumphaverit.

442. (a) **V**Idens itaque diabolus, quòd quantò plùs multiplicationem hujus Religionis impedire conabatur, tantò magìs ipsa in diversis mundi Regionibus multiplicabatur, sæviens ille acriùs adversùs eam concitavit fortiùs Rectores, & Curatos parochialium Ecclesiarum contra ipsam. Aliqui enim ex dictis Curatis non permittebant quòd in eorum parochijs Fratres ædificarent Ecclesiam, nec haberent campanam, neque cœmiterium ad opus ipsorum. Alij autem ex Curatis qui præmissa non poterant Fratribus vetare, exigebant ab eis, & ab eorum Monasterijs servitutes graves, & insupportabiles, quas nunquam Fratres in Monasterio montis Carmeli, nec etiam in alijs Terræ sanctæ Monasterijs consueverant exhibere. Cum Fratres ad Dominos diœcesanos recurrerent, ut à prædictis gravaminibus Curatos compescerent, è contrà plures Diœcesani partem Rectorum foventes, quasdam sophisticas rationes allegabant, quibus Curatos ducere causam justam adversùs Fratres asserebant. Videntes ergo Fratres, quòd super præmissis non poterant cum Prælatis favorem invenire, Virginem MARIAM eorum Patronam humiliter deprecabantur, ut quæ ipsos ad Regiones illas pervenire fecerat, à præmissis diabolicis tentationibus eos eriperet. Virgo itaque MARIA Priori eorum revelavit, ut ad summum Pontificem Innocentium intrepidè Fratres sui accederent; quia ab eo salubre remedium contrà præmissa gravamina reportarent. Ad ipsum ergò tunc Perusij commorantem accedentes, Fratres ipsi exposuerunt gravamina quæ Curati eis inferebant, & favorem modicum quem super præmissis Prælati eis impendebant. Pontifex autem prædictus Fratribus compatiens, scripsit Prælatis Idibus Ianuarij anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mandans eis, ut super præmissis pium favorem Fratribus impenderent, & molestatores eorum per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescerent.

Idem Guil. (a)

Gravior persecutio movetur adversus Ordinem

Religiosi invocant Ordinis Patronam B.V.M.

Ex monente pro remedio recurrunt ad sum. Pontif. Innoc. IV.

443. INNOCENTIUS PAPA QUARTUS *in registro noni anni sui Pontificatus*: Venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis ad quos litteræ istæ pervenerint salutem in Domino & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis sanctæ Mariæ de monte Carmeli fuit propositum coram nobis, quod cum malitia temporis excrescente oportuerit eos de loco quem habebant in monte Carmeli fugere ante faciem persequentium Paganorum, velintque cellas & Ecclesiam construere ac habere

Innocentius IV.

Ejus litteræ in favorem Ordinis ad omnes Archiep. & Episc.

habere cœmiterium & campanam ad opus ipsorum in vestris civitatibus & diœcesibus in locis adhoc ipsis piâ fidelium liberalitate concessis, ut ibi divina celebrare, ac debitum Domino reddere valeant famulatum, nonnulli eos super hoc impedire præsumunt, & exigunt nihilominùs nonnulla indebitè ab eisdem quæ in præmisso loco non consueverant exhibere. * Quoniam igitur ipsis in hac parte, tam Apostolicus quam vester favor est misericorditer impendendus, universitatem vestram rogandam duximus attentè & monendam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs habentes ad eos debitæ compassionis affectum, illos super præmissis vestrô piô impensô ipsis suffragiô non permittatis quantum in vobis est ab aliquibus indebitè molestari: molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Preces & mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi quod devotionem vestram dignis exindè in Domino laudibus commendare possimus.

*In exemp. Gand. & Mechlin. est: *Quia ergo.*

Gulielmus de Sanvico.

444. Frater Guilielmus de Sanvico Eremit Montis Carmeli *ubi supra*: Dum autem Fratres Innocentij Papæ quarti litteras Dominis Prælatis præsentabant, Prælati illi qui Fratribus fuerant priùs favorabiles, multò magis tunc se eis favorabiles reddebant; & subditos suos, qui præstabant Fratribus impedimentum ædificandi in eorum parochijs Ecclesiam, & habendi campanam, & cœmiterium ad opus Fratrum, dicti Prælati à præmissis gravaminibus efficaciter compescebant: cohibebant etiam Curatos illos qui à Fratribus, & ab eorum Monasterijs servitutes graves, & insupportabiles exigebant. Similiter Prælati qui fuerunt priùs Fratribus duri, visis prædictis litteris dicti summi Pontificis, subditos suos à præmissis gravaminibus cessare faciebât. Propter quod Fratres à prædictis diabolicis tentationibus liberati, in Monasterijs quæ jam receperant, divina in pace celebrabant, & nihilominùs nova Monasteria *passim hinc indè facientes, recipiebant: Sicque paulatim hanc Religionem in diversis fidelium Regionibus per Europam multiplicabant.

Illæ optatum habent effectum.

** In nonnullis exempl.* sensim.

ANNOTATIO.

Daniel:

445. (a) Videns itaque Diabolus. *Historiam persecutionis istius, & remedij allati per B. Virginem* Mariam, *& summum Pontificem referunt etiam Historici alij, atque annales Ordinis, & Abbas Joannes Trithemius*: Virgo itaque Maria Priori eorum revelavit, ad summum Pontificem Innocentium intrepidè fratres sui accederent, quia ab eo salubre remedium contrà præmissa gravamina reportarent. *Prior, ille (Generalis scilicet) erat B. Simon Stock, pro-ut in ijsdem Annalibus Ordinis refertur ad annum Domini 1251. ubi inter cætera hæc*: Nova bella, & contradictiones sub hoc tempore contrà nostros Religiosos, in eis locis, ad quæ inhabitanda de novo advenerant. *Et infrà*: Simoni igitur consiliô acceptô, ad Deiparam sanctissimam Ordinis Patronam, ac Protectricem precibus confugientes, ut eos in Regionibus illis, ad quas eos pervenire fecerat, à præmissis Diaboli tentationibus eriperet, precabantur. Quæ pietatis viscera in filios, demonstrans B. Simoni Generali, ipsi devotissimo, revelavit, ut ad summum Pontificem fratres mitteret, qui ab eo salubre remedium contra illata gravamina reportarent. *Eâdem occasione tunc quoque super liberalissima Virgo, Potentissima Tutrix in signum peculiaris protectionis, & favoris erga hunc suum Ordinem, eidem Beato Simoni Stock Scapulare tradidit, pro ut Petrus Swanijngton ejusdem B. Patris comes & Confessarius testatur. Vide hic infra in Appendice* §. 8. *Ista acciderunt anno 1251 in Iulio. Eadem aliorum plurimorum scriptorum testimonijs roborantur in ijsdem Annalibus ad dictum Annum Domini 1251. Plura de sacro Scapulari tradito S. Simoni hic infrà, parte 3. adferentur.*

Trith. lib. de Ord. Carm. c. 9.

Ordinis Patrona B. V. M. quam efficaciter patrocinata.

CAP. VIII.

Quando, & qualiter Religio *ista fuerit de* Terra *sancta prorsùs eradicata.*

446. (a) Quandò autem hæc sacra Religio incœpit de Terra sancta ad eis marinas partes per modum prædictum transplantari, tunc etiam cœpit ipsa in Terra sancta de Palæstina eradicari. Propter quidèm frequentes incursus quos in Christianos Saraceni, & Christiani in Saracenos tunc in Palæstina exercebant, aliqui ex Fratribus hujus Religionis fuerunt à Paganis interfecti in Monasterijs eremorum, & maximè in Monasterijs Quarentenæ, & Valim. Idcircò oportuit Fratres hujus Religionis totaliter illa Monasteria deserere; quia non poterant ibi securè habitare, quæ postmodùm ab infidelibus penitùs diruta fuere. (b) Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto Pagani * Chorasmiani post triumphum quem in Terra sancta de Templarijs, & hospitalarijs, alijsque innumeris Christianis obtinuerunt, ad sanctam civitatem Ierusalem accesserunt, & tam intrà, quam extrà eam plurimos Christianos occiderunt. In diebus autem illis nulla audebat fieri peregrinatio Christianorum ad sepulchrum Domini: propter quod Fratres hujus Religionis, qui in Monasterio Ierosolymitano solebant de eleemosinis peregrinorum sustentari, tunc (c) fame periclitabantur: Ea igitur necessitate compulsi, Monasterium illud Ierosolymitanum dereliquerunt, & se ad Monasteria * Fœnicis transtulerunt, dimissis Monasterijs Palæstinis; & sic Religio ista fuit de Palæstina prorsùs eradicata.

Idem Guil. (a)

Ordo in Terra S. eradicatur.

(b)

*In MS. Gandensi legitur *Grassoini.*

Chorasmiani de Christianis triumphant. an. 1244.

(b)

*Seu Phœnicis.

447. (d) Post hæc autem ascenderunt vehementiùs antè conspectum Domini Sabaoth scelera nephandorum Christianorum, Terram sanctam sordidantium, quorum corda Deus effæminavit, animos infidelium adversùs eos corroboravit. Qui cum potestate magna contrà nobilem civitatem Antiochiæ venientes, & eam obsidentes, tandem (e) anno Domini MCCLXVII. eam vi armorum ceperunt: In qua innumerabilium Christianorum sanguinem effundentes, non solùm solemne Monasterium quod Fratres hujus Religionis in ea habebant, sed totam civitatem in solitudinem redegerunt. In eadem quoque tempestate perdiderunt Fratres hujus Religionis Monasterium Montanæ nigræ, quod ab infidelibus fuit dirutum. Et sic, Religio ista fuit de

(d)

(e)

Christianis eripitur Antiochia nobilis Civitas.

(f) *Alias Cœlesyria.*

(g)

An. 1289. Tripolis à paganis capitur, ac deinde Tyrus.

de (f) Provincia * Comagena penitùs eradicata. Cum autem Dominus Deus Christianos Fœniceos ad pœnitentiam diutiùs exspectasset (g) (quos studia prophana dilacerabant,) videns quòd illam agere renuebant, iratus in eos, induxit ad Fœnicem innumerabilem Paganorum multitudinem: Qui gloriosam civitatem Tripoli obsidentes, tandem eam anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nonò obtinuerunt, & tam Monasterium quod Fratres hujus Religionis in ea habebant, quàm ipsam civitatem diruerunt, captis in ea, & interfectis infinitis utriusque sexus Christianis. Tunc quoque temporis Pagani per planiciem Tripolitanam discurrentes, pervenerunt ad Monasterium *Belli-loci* hujus Religionis propè *Fontem hortorum*, quod etiam funditùs subverterunt. Proindè contra Tyrum ascendentes, munitissimam civitatem illam, eôdem annô cœperunt, in qua multorum Christianorum sanguinem effundentes, civitatem illam, cum Monasterio hujus Religionis, quod in ea erat, destruxerunt.

(h)

Et post biennium Accon.

448. Bienniô autem ferè lapsô, Saraceni contra (h) opulentissimam civitatem Accon venerunt, & post multos actus bellicos à Saracenis peractos, qui eam deforis impugnabant, & à Christianis qui eam intùs defendebant, tandem Saraceni in mense Maio, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, civitatem obtinuerunt: In qua fuerunt ultra triginta millia Christianorum cæsa, & capta; preter eos qui per mare evaserunt, (i) ex quibus fui ego unus. Multi enim Christiani de civitate Accon, & de civitatibus Tyri, & Tripolis per mare fugerunt. Saraceni autem civitatem Accon, cum solemni Monasterio hujus Religionis quod in ea erat, ita devastaverunt, ut eam totaliter inhabitabilem reddiderint. De qua egredientes, & ad sanctum montem Carmeli, qui ab ea non longè distat, ascendentes, Monasterium Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli ibidem commorantium, de quo ego nuper ad Accon perrexeram (quod frequentèr invaserant, sed nunquam destruxerant) tunc igne cremaverunt, & omnes Fratres ibidem repertos & (k) *Salve Regina* cantantes, gladiô trucidaverunt. Et sic Religio ista fuit de Provincia Fœnicea, & per consequens de tota Terra sancta prorsùs eradicata.

(i)

Auctor hujus libri tunc ibi erat, & evadit per mare.

Pagani Monasterium Carmeli igni tradunt Religiosos Salve Regina canentes trucidant.

(k)

(l)

Ordo perstitit in Carmelo annis 2221.

Vaticinia de Carmeli desolatione.

Ierem. 4.

449. (l) Professores itaque hujus Religionis qui in monte Carmeli tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum continuè, & incessanter, in contemplatione Dei perstiterunt per annos circiter bis mille ducentos viginti unum, in hac persecutione montem illum ex toto amiserunt. Quod ideò totum factum puto, ut adimpleretur, quod vaticinatum fuerat per Ieremiam Prophetam dicentem: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes urbes ejus destructa sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris ejus.* Jam enim lætitiam, & exultationem, quibus, contemplationis dulcedine, in eodem monte professores hujus Religionis recreabantur, non esse perpetuò ibidem permansuras Isaias dudum prophetaverat dicens: *auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo.* Ab illo tamen monte dilatati fuerunt professores hujus Religionis, sicut dictum est, in diversas mundi partes. Qui etiam novissimè, scilicet à diebus beatissimi Papæ Innocentij quarti, & sanctissimi Regis Francorum ludovici, ab eodem monte Carmeli in partibus occidentalibus multiplicati sunt in multas provincias, provinciæque in domus in personas multas sufficientes, & idoneas per orbem virendo florenti, & florendo * multum fructum afferunt ad augmentum fidei Catholicæ, præstante Domino nostro IESU Christo, cui cum Patre & sancto Spiritu est honor, virtus, & gloria, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Isaiæ 16.

Ab illo monte Ordo propagatus per diversas mundi partes.

*In quibusdam habetur *bonum*.

ANNOTATIONES.

DANIEL. Dei, & Deipara providentia, & misericordia erga hunc Ordinem.

450. (a) QUandò autem hæc sacra Religio &c. incepit de Terra sancta ad cismarinas partes per modum prædictum transplantari, tunc etiam cœpit ipsa in Terra sancta in Palæstina eradicari. *Singulari certè, & magna Dei misericordia, & providentia, ac peculiarissima sua amabilis matris cura id adscribendum, sicut ex ante dictis habetur. Plura circa hæc videri poterunt in Annalibus Ordinis ad annum 1237. & seq.*

Chorasmiani Grassoini, Chorasmij quales.

451. (b) Anno Domini MCCXXXXIV. Pagani Chorasmiani, *alij scribunt* Grassoini, *vel* Chorasmusini, *aut* Chorasmij. *Cujus nationis fuerint, an Parthi, sive Persa, sive Scytha, aut Arabes, varia sunt auctorum sententia. Illud certius illam gentem impiam, & crudelem, à quavis alia natione repulsam aliquantò post interysse. De clade ab illis eo anno illata Christianis vide Spondanum.*

452. (c) Fame periclitabantur: eâ necessitate compulsi, Monasterium illud Ierosolymitanum dereliquerunt. *Propterea Prælati Terra sancta litteras scripserunt ad summum Pontificem referendas hic infrà in Appendice §. 1.*

Peccata Christianorum causa perditionis Terra S.

453. (d) Post hæc autem ascenderunt vehementiùs ante conspectum Domini Sabaoth scelera nefandorum Christianorum, Terram sanctam sordidantium. *Peccata igitur causa fuerunt amissionis Terra sancta. Quemadmodum enim olim genus humanum sine aliqua consideratione in lapsum ruens, ita Divinam in se provocavit vindictam, ut mundus universus diluvio inundaretur: ita Christianorum, incolarum Terra sancta, peccata nimis multiplicata, præsertim luxuria, Deum (cujus licet natura bonitas sit) sic ad iram concitaverunt, ut terram illam fluentem lac & mel, quam suis gressibus calcaverat, & sanguine rubricaverat, Dominam gentium, fecerit quasi viduam; & principem Provinciarum sub tributo, & Dominio infidelium: quod aliquantò antè comminatus fuerat per S. Angelum Ierosolymitanum Martyrem, prout in ejus vita testatur Enoch, Patriarcha Ierosolymitanus.*

454. (e) Anno Domini MCCLXVII. *Ita Codices MSS. in Veneto impresso est: MCCLXVIII*, eam (*Antiochiam*) ceperunt. *Historiam refert quoque Sanutus, & ex eo Spondanus ad Annum Christi 1268.* Lib. 3. part. 12. c. 19.

455. (f) Provincia Comagena. *Ea est pars Syria, vicina Antiochia.*

(g) Quos studia profana dilacerabant. *Ita habet Codex MS. Gandensis. Exemplar Romanum Archivij Conventus S. Maria Transpontina habet (sicut refert Lezana tomo 4. Annalium)* quos studia profana delectabant. Ad anni Christi 1289.

456. (h) Contra opulentissimam civitatem Accon venerunt. Ea *aliter nuncupatur* Ptholomaida. *De illa obsidione agunt quoque Sanutus in secretis fidelium &c* & *ex eo Spondanus ad annum 1291. num 7 & (præter alios) accuratè & luculenter Arnoldus Bostius in speculo Historiali, ubi hæc, inter cætera, valdè notabilia refert.* Propter peccata inhabitantium quatuor elementa pugnabant contra Christianos; nam aër tam obscurus efficiebatur, & nebulosus; ita ut dum unum castrum, aut platea expugnaretur, vel crematetur, in alijs castris,

Lib. 3. p. 12. c. 21.

Bostius l. 7. cap. 33.

In Obsidione Aconensi quatuor elementa contra Christianos, propter eorum peccata.

vel plateis propè videri non poterat, quousque & ipsorum castium, vel platea etiam expugnaretur, vel cremaretur, & tunc primò libenter se concorditer defendissent, si simul convenire potuissent: Ignis contrà Civitatem pugnabat, ipsam namque combussit. Terra similiter ejus sanguine inebriata est. Aqua similiter cum esset in tempore mensis Maij, quandò mare tranquillissimum esse solet, & cives ad mare fugerent, ut in Cyprum navigarent, subitò orta est tanta tempestas, quòd nulla navigia parva, aut magna littoribus appropinquare poterant, & quàm plurimi volentes ad navigia natare submersi sunt. Attamen plusquam centum mille homines in Cyprum evaserunt, inter quos Magister Guilielmus de Sanvico Provincialis Terræ sanctæ. Verùm plusquâm quingentæ nobilissimæ Dominæ & Domicellæ filiæ Regum & Principum, captione Civitatis jam instante, in littora maris iverunt, & omnium ipsarum clenodia, & ornamenta aurea, & lapidum pretiosorum inæstimabilis pretij in sinu portabant, & altè clamabant: si quis esset nauta, qui omnia ipsarum clenodia velit recipere, & quamcum que cuperet, & ipsas in uxorem ducere, & ipsas ad aliquam terram, vel insulam secusam ducere. Tunc ipsas omnes quidam nauta in suam navem recepit, & omnes cum bonis earum gratis illæsas perduxit in Cyprum, & recessit. *Hactenus Bostius.*

457. (i) Ex quibus fui ego unus, *scilicet Auctor hujus libri Guilielmus: unde habetur, eum testem oculatum scripsisse, quæ ipse vidit, & expertus fuit.*

SALVE REGINA *canentes Religiosi in Carmelo trucidantur.*

458. (k) SALVE REGINA cantantes trucidaverunt. *Ita habent Codicis MS. vetustum Exemplar Mechliniense, & Arnoldus Bostius in Speculo historiali. Hic Ordo ad honorum Virginis Deiparæ olim in Carmelo inchoatus, jugiterque in ejus obsequio ad illa usque tempora continuatus, in ejusdem laude (tamquam cantu cygneo) tunc ibi esse desijt, jam ante aliò (in Europam) transplantatus.*

459. (l) Professores itaque hujus Religionis, qui in monte Carmeli à tempore Eliæ & Elisæi Prophetarum continuè, & incessanter in contemplatione Dei perstiterant per annos circiter bis mille ducentos viginti unum. *Ita habet Codex manuscriptus Gandensis, cæteris accuratior. In codice MS. Mechliniensi, & impresso Veneto sic*: Professores itaque hujus Religionis, qui in monte Carmeli tempore Eliæ & Elisæi Prophetarum continuè, & incessanter in contemplatione Dei perstiterant, in hac persecutione montem, illum ex toto amiserunt. *Historiam illam lugubrem Acconensis destructionis, & Monasterij in Carmelo conflagrationis, sic paucis complectitur Wernerus Roleuinck Carthusianus in fasciculo temporum, circa annum Christi* 1291. Nobilissima Civitas Acconensis à sarracenis destruitur; ac demùm Deiferæ Mariæ in Carmelo Monasterium ad quatuor milliaria Civitati vicinum ab eis igne crematur, fratribus inventis in eo perfidorum gladijs trucidatis, & tunc (proh dolor) Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ & Elisæi Prophetarum, duobus millibus ducentis viginti & uno annis perstiterant.

Quot annis Ordo perstiterit in Carmelo à sua institutione usque ad excidium inibi.

460. *Totidem annos ab Institutione Ordinis enumerat etiam Arnoldus Bostius. In Exemplari Conventus Transpontini Romæ de istis sic legitur*; Professores itaque hujus Religionis, qui in monte Carmeli tempore Eliæ & Elisæi Prophetarum, continuè & incessanter per annos circiter duo mille ducentos decem & octo in contemplatione Dei perstiterant, in hac persecutione montem illum ex toto amiserunt. *Supputationis differentia ad tres annos provenit, ex eo quòd Ordinis hujus primaria fundatio à præcipuis Ordinis historicis adscribatur anno mundi ter millesimo centesimo vigesimo septimo, ante Christi ortum nongentesimo vigesimo sexto. Istis consonat numerus annorum ab Ordinis institutione usque ad Christi Nativitatem assignatus à Philippo Riboto hic infrà libro* 10. *cap* 5. *vide ibi notas. (Pro quo videndi Annales Ordinis ad istum annum) nonnulli verò Monasticæ, & Eremiticæ vitæ ac Carmelitani Ordinis Originem, & Institutionem referunt ad annum antè Christum nongentesimum trigesimũ. Hoc catenùs veritatem aliquam habet, quod sub illud tempus aliqui ejus se ad dixerint disciplinæ: quos quidẽ tunc instruere incepit, Monasticã vitam veluti delineando, & adumbrando: ast demum dicto anno mundi* 3127. *ante Christũ* 926. *istos & alios duxit ad montem Carmelum: Et ibi eos in vita Prophetica sanctiori & Monastica seu Eremitica, sub paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ Observantia instituit, ac proinde rectius huic anno Ordinis prima incunabula attribuuntur. Præterea Historiam destructionis Acconensis, & consequenter Monasterij in Carmelo, alij referunt ad annum Domini* 1289. *alij ad annum* 1290. *alij ad annum* 1291. *& aliqui ad annum* 1292. *Hinc discrepantia in assignando tempore, quod ab Ordinis Institutione intercessit usque ad illam Carmeli desolationem.*

Lezana tom. 4 Annal ad ann. 1289.

Plerique numerant 2221 aliqui tres minus.

Quæ causa diversæ supputationis

Ex prædictis omnibus evincitur S. Elias Institutor Ordinis, & ab eo continuata successio.

Cæterùm ex omnibus hactenùs dictis habetur, Ordinis hujus Patriarcham, Authorem, & fundatorem esse S. Eliam Prophetam; & ab eo continuatâ serie & hæreditariâ successione (ut Pontifices loquuntur) huc usque perstitisse. Plura ad hoc propositum sequuntur hic infrà libro 10. *cap.* 5. *& ibi in Notationibus num.* 481. *&* 482.



LIBER

LIBER DECIMVS

DE PROTECTIONE, EXEMPTIONE; ET MVLTIPLICI APPROBATIONE HVIVS ORDINIS.

PRÆFATIO.

461. Liber iste decimus agit de protectione, & exemptione Religionis hujus, & de multiplici approbatione, ac confirmatione ipsius. Habet autem capitula octo. *Primum*: Quòd Innocentius Papa quartus susceperit Religiosos Carmelitas sub protectione sua: & quod Alexander Papa quartus præceperit Prælatis, ut non exigerent obedientiam ab eis contra Apostolicæ sedis privilegia. *Secundum*: Quòd Alexander Papa quartus præceperit Prælatis omnibus, ut cessarent à molestiis, & gravaminibus quæ inferebant nostris Fratribus. *Tertium*: Quòd Joannes Papa vigesimus secundus exemerit Ordinem Religiosorum Carmelitarum à potestate, & jurisdictione omnium Prælatorum. *Quartum*: Quòd Clemens Papa sextus indulserit Religiosis Carmelitis nè ratione delicti, aut contractûs, vel rei de qua agitur, possint conveniri coram ordinariis. *Quintum*: Quòd Fratrum Carmelitarum Religio sit approbata jure divinô. *Sextum*: Quòd jus Canonicum approbet Ordinem Religiosorum Carmelitarum. *Septimum*: Quòd Lugdunense Concilium celebratum per Gregorium Papam decimum non reprobaverit, sed approbaverit Ordinem nostrum. *Octavum*: Quòd Bonifacius Papa octavus corrigendo dictum Lugdunense Concilium confirmaverit Ordinem Fratrum Carmelitarum. *Summarium Libri X.*

CAPITVLVM PRIMVM.

Quòd Innocentius Papa IV. susceperit Religiosos Carmelitas sub protectione sua, & quod Alexander Papa IV. præceperit Prælatis, ut non exigerent obedientiam ab eis, contra Apostolicæ sedis privilegia.

Phil. Rib. 462. ACTOR: Inspicientes professores hujus Ordinis, quòd mox ut nostra Religio cœpit per modum in præcedenti libro descriptum plantari in Europa, & multiplicari, diversarum Ecclesiarum Prælati contra eam insurgebant; ideò supplicaverunt prò sui tuitione summo Pontifici Innocentio quarto, ut dictam Religionem sub protectione sedis Apostolicæ ponere dignaretur: quibus Pontifex prædictus annuens, Religionem ipsam sub protectione dictæ Sedis suscepit anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo de Lugduno scribens eis quinto Kalendas Octobris.

Innoc. IV. 463. INNOCENTIVS PAPA QVARTVS *in Registro octavi anni sui pontificatûs*: Dilectis Filiis Priori & Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas ut vos in visceribus charitatis amplexantes petitionibus vestris, quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Ea propter dilecti in Domino Filij vestris postulationibus gratô concurrentes assensu (a) personas vestras, & loca in quibus estis divino mancipati obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter * possident, aut in futurum justis modis præstante Dominô * poterunt adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrociniô communimus.

Innocentius PP. IV. Ordinem sub Apostolica Sedis protectione constituit.

(a)

* Verisimiliter legendum *possidetis*, & *poteritis*.

Phil. Rib. 464. ACTOR: Sicut autem Innocentius Papa quartus, ita multi alij Romani Pontifices nostram Religionem postmodùm sub Beati Petri, & eorum protectione susceperunt. Sed non defuerunt etiam tunc Prælati conantes ipsam Religionem contra Sedis Apostolicæ privilegia opprimere, quibus obvians Alexander Papa quartus anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto de Roma scripsit decimo octavo Kalendas Februarij.

Alexander VI. 465. ALEXANDER PAPA QVARTVS *in Registro secundi anni sui Pontificatûs*: Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in quorum Diœcesibus Priores, & Fratres Beatæ MARIÆ de monte Carmeli consistunt, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum Prælatos ecclesiarum & plantare sacram Religionem, & plantatam deceat omnibus modis confovêre, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, nè aliquis vestrum à dilectis Filiis Prioribus, & Fratribus Beatæ MARIÆ de monte Carmeli qui consistunt in vestris Diœcesibus, vel consistent, obedientiam

Alexander PP. IV. Ordinis fautor, & protector.

 contra

* In MS. cod. Gand. *indulgentiâ.*

contrà tenorem privilegiorum, & * indulgentiarum Apostolicæ Sedis exigere, vel recipere præsumat.

ANNOTATIO.

DANIEL A V. M. — *Ordinis exemptio.*

466. (a) PErsonas vestras & loca .... sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus. *Illis verbis Ordini conceditur exemptio ab Ordinariorum, seu Prælatorum Ecclesiasticorum quorumcumque jurisdictione, stante subjectione immediatâ ad Romanum Pontificem: estque ea exemptio duplex, nempe Personalis, & localis, seu realis: sic ut soli Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, absque ullo medio, subjaceat Ordo. Eam exemptionem etiam concesserunt (post Innocentium IV. & Alexandrum IV.) Innocentius VI. Gregorius XI, Ioannes XXII. Clemens VI & Sixtus IV. De illo amplissimæ exemptionis privilegio accuratè disserit in variis locis Lezana tom. I. 3. ac 5. Quæstionum Regularium.*

CAP. II.

Quòd Alexander Papa IV. præceperit Prælatis omnibus, ut cessarent à molestiis & gravaminibus, quæ inferebant nostris Fratribus.

PHIL. RIB. — *Ordinis oppressio.*

467. ACTOR: Quamvis autem Professores hujus Religionis in omni patientia, & humilitatis spiritu se Dominis Prælatis devotos tunc exhiberent, mandatis eorum quæ institutis nostri Ordinis non obviabant, promptè parendo, nihilominùs tamen adhuc nonnulli dictorum Prælatorum nostros Fratres nimiùm comprimebant, graves existentes eis plurimùm, & infesti. Ob hoc oportuit dictos Fratres ad prædictum Dominum Alexandrum Papam quartum confugere pro obtinendo ab eo super præmissis remedio opportuno. Pontifex autem prædictus compatiens Fratribus, dictis Prælatis firmiter præcepit, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, ut à prædictis molestiis desisterent, de Anagnia scribens eis Idibus Februarij.

ALEXANDER IV. PP. — *Defensores se apponunt Alexander Papa IV.*

468. ALEXANDER PAPA QVARTVS *in Registro quinti anni sui Pontificatûs*: Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis in quorum Civitatibus vel Diœcesibus Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli consistunt, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod licèt dilecti Filij, Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli in omni patientia & humilitatis spiritu se vobis devotos studeant exhibere, mandatis vestris in omnibus, quibus institutis ejusdem Ordinis non obviatur, promptâ devotione parendo, nihilque velint facere, per quod Ecclesiis, in quarum morantur parochiis, aliquod præjudicium vel dispendium generetur, nihilominùs tamen quidam vestrum, Fratres eosdem nimiùm comprimentes, ipsos in Oratoriis sui Ordinis in eorū Civitatibus vel Diœcesibus constitutis divina celebrare officia pro suæ voluntatis arbitrio non permittunt; aliàs graves existentes eisdem plurimùm & infesti; propter quod duxerunt ad Apostolicæ sedis auxilium recurrendum. Cum ergo indignum existat ut ijdem Fratres eos molestos sentiant qui ipsos suæ Religionis obtentu tenentur in visceribus gerere charitatis. Nos ergò circà Religionis augmentum, & animarum profectum vigiles inveniri volentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenùs quam diu prædicti Fratres mandatis vestris juxtà præmissum modum devotè obedire curaverint, ab ipsorum molestiis & gravaminibus desistentes, ac subditos vestros ab ipsorum inquietatione penitùs compescentes, permittatis ipsos, maximè cum jam oratoria & collegia habeant in Civitatibus & Diœcesibus vestris, prout decet viros Religiosos approbati Ordinis, divina officia in hujusmodi oratoriis liberè celebrare, ita ut Fratres prædicti propter hoc ad nos recurrere ulteriùs non cogantur.

469. ACTOR: Sub eadem verborum forma scripsit consequenter dictis Prælatis Clemens Papa quartus decimo Kalendas Junij anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto: sicut legitur in registro primi anni sui Pontificatûs. Similiter & Nicolaus Papa quartus sub dictâ verborum formâ eisdem Prælatis scripsit quinto Kalendas May anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, sicut Alexander, & Clemens eis scripserunt, prout legitur in registro tertij anni Pontificatûs dicti Nicolai Papæ quarti.

PHIL. RIB. — *Et alij Pontifices.*

ANNOTATIO.

DANIEL. — *Tribulatio.* — Psal. 4.

470. EX iis, quæ hoc capite, & in anterioribus, ac subsequentibus memorantur, liquet quantis tribulationibus, & adversitatibus Ordo exagitatus fuerit, etiam in Europa eô tempore, quô omninò opprimebatur in Terra Sancta; ut verè dicere potuerit: In tribulatione dilatasti mihi. *Sed ex omnibus angustiis eum eripuit Patrona sua potentis tutela fortis, & Sedis Apostolicæ multiplex favor, Sollicitante Beato Simone Stock, illis temporibus Priore Generali, magnæ Sanctitatis, & prudentiæ singularis prout latiùs videri poterit in Chronologia vitæ illius, & in Annalibus Ordinis circa annos Regiminis ejus.*

CAP. III.

Quòd Ioannes Papa XXII. exemerit Ordinem Religiosorum Carmelitarum à potestate, & jurisdictione omnium Prælatorum.

IDEM PHIL. RIB. — *Continuata Ordinis oppressione ad amaritudinem Religiosos perducentes.*

471. PRælati autem plurimi, non obstantibus prædictis, & aliis summorum Pontificum litteris, frequenter eis destinatis, occasiones diversas incessanter inveniebant, opprimendi nostros Fratres; prætendebant quidam ipsos non esse eis obedientes, affligebantque ipsos, atque ad amaritudinem vitam eorum perducebant: Quamobrem professores nostræ Religionis grave Prælatorum jugum evadere desiderantes, deprecati fuerunt obnixè summum Pontificem Joannem vigesimum secundum,

secundum, ut à potestate Prælatorum eos prorsùs eximere in perpetuum dignaretur. Pontifex itaque prædictus devotis Fratrum precibus annuens, Ordinem nostrum à potestate, & jurisdictione Prælatorum prorsùs exemit tertio Idus Martij anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, de Avinione Fratribus scribens:

IOANNES PP. XXII.

472. IOANNES PAPA VIGESIMUS SECUNDUS, *in Registro primi anni sui Pontificatûs*: Dilectis Filiis Priori Generali & universis Prioribus & Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, salutem & Apostolicam benedictionem. (a) Sacer Ordo vester in agro dominico divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli, cujus professores mundanis à se relegatis illecebris, cœlestium contemplationi vacantes, insistunt jugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum (b) Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decrevimus, & volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes ad ea libenter intendimus per quæ Professores jam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullumque Religionis statûs perferant detrimentum, sed eò devotiùs divino cultui ac salutis insistant operibus, quò quietior fuerit status eorundem, ipsique ampliori fuerint libertate dotati. Ea propter dilecti in Dominò Filij devotionis vestræ precibus favorabiliter annuentes, vos, & prædictum Ordinem, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem in quibus inhabitatis ad præsens vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis ac personis degentibus in eisdem, in jus & proprietatem Beati Petri ac Apostolicæ Sedis assumimus: Illaque à cujuscumque Diœcesani, & cujuslibet alterius potestate, jurisdictione & dominio, omnimodè in perpetuum eximimus. (c) De gratia speciali decernentes ex nunc, vos, & Ordinem vestrum, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem, soli Romano Pontifici & dictæ Sedi, tam in spiritualibus quam in temporalibus absque ullo medio subjacere. Ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quævis persona Ecclesiastica in vos & Ordinem, personas Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, utpotè prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seu jurisdictionem aliquam exercere. Quod si forsan quicquam in contrarium à quocunque fuerit attentatum, illud omninò sit irritum & inane.

Ioannes PP. XXII. Ordinem prorsùs eximit à potestate, & jurisdict. quorumvis inferiorum Papâ.

Tam quo-ad personas, quàm Ecclesias, domos, & res alias.

Ita ut immediatè soli Rom. Pontifici, & Sedi Apostolicæ subjiciantur.

ANNOTATIONES.

DANIEL. *Intitulatio à B. V. Maria.*

473. (a) SAcer Ordo vester gloriosæ Virginis Matris titulô specialiter insignitus. *Quod & cur hic Ordo titulô illô decoratus sit, declaratum est suprà libro 6. cap. 5. & ibi in notis. Ea propter Romani Pontifices in suis diplomatibus, & litteris Apostolicis Ordinem & Fratres eô passim titulô insigniunt*: Dilectis Fratribus Eremitis Ordinis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli, seu dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli. *Ejusmodi initium est ferè in omnibus Bullis huic Ordini concessis, prout videre licebit in Bullario Ordinis.*

(b) Ordinem in statu firmo, solido, & stabili decrevimus, & volumus permanere. *Illis verbis sumptis ex Decretali Concilij Lugdunensis, & Bonifacij VIII. Ordinem à suis Prædecessoribus approbatum confirmat Pontifex Ioannes XXII.*

474. (c) De gratia speciali decernentes &c. Soli Romano Pontifici, & dictæ sedi, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, absque ullo medio, subjacere. *Est ista amplissima exemptio Ordinis, quoad personas, & loca: quam & alij ejusdem Pontificis Prædecessores concesserant. & Successores confirmarunt, sicut ad caput primum hujus libri annotavimus. Fuit autem ille Pontifex Ioannes XXII. Ordini huic summè beneficus & favorabilis, sic ut de eo asserant Arnoldus Bostius, Balduinus Leersius, & alij Ordinis historici*: Non fuit aliquis Prædecessorum suorum, qui tanta Privilegia Ordini nostro contulerit sicut iste Papa. *Absdubiò, quia beneficij à Dei Genitrice sibi collati memor, matrem in Filiis honorando, vicem rependere satagebat. Ita Lezana in Annalibus. Sed de istis latiùs alibi, præsertim in parte 3. ubi de apparitione B. Virg. Mariæ, & jussione illi facta, de confirmando, & publicando singulari Ordinis privilegio, nuncupato Sabbatino.*

Ioann. PP. XXII. cur huic Ordini summè beneficus?

CAP IV.

Quòd Clemens Papa VI. indulserit Religiosis Carmelitis, nè ratione delicti, aut contractûs, vel rei de qua agitur, possint conveniri coram Ordinariis.

PHIL. RIB.

475. ACTOR: Timentes autem Fratres nostri, nè Prælati adhuc quærerent vias per quas ratione delicti, aut contractûs, vel rei de qua agitur, redirent iterùm in dominium nostri Ordinis, & suam jurisdictionem in ipsos exercerent; supplicaverunt humiliter Domino Clementi Papæ sexto, ut super præmissis dignaretur eis providere de remedio opportuno. Pontifex ergò prædictus humilibus Fratrum supplicationibus inclinatus, super præmissis, providit eis, decimo quarto Kalendas Augusti anno Dómini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo de Avinione Fratribus scribens.

CLEMENS VI. PP.

476. CLEMENS PAPA SEXTUS *in Registro sexti anni sui Pontificatûs*. Dilectis Filiis Generali ac aliis Prioribus & Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro Dominico divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli, cujus professores mundanis à se relegatis illecebris cœlestium contemplationi vacantes, insistunt jugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanêre, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus per quæ professores jam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullumque Religionis statûs perferant detrimentum, sed eò devotiùs divino cultui, ac salutis insistant operibus, quò quietior

Clemens PP. VI. eandem omnimodam exemptionem confirmat, & ampliat.

 status

ſtatus eorundem fuerit, ipſique ampliori fuerint libertate dotati. Sanè petitio pro parte veſtra nuper nobis exhibita continebat, quod licèt felicis recordationis Joannes Papa vigeſimus ſecundus prędeceſſor noſter tunc in humanis agens, vos, & prædictum Ordinem, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, res alias & loca veſtra ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitabatis tunc, vel inhabitaretis in futurum, cum omnibus juribus ac pertinentiis ſuis ac perſonis degentibus in eiſdem, in jus & proprietatem Beati Petri & Sedis Apoſtolicæ aſſumpſiſſet. Illaque à cujuſcunque Diœceſani & cujuſcunque alterius poteſtate, juriſdictione ac dominio omnimodè prorsùs in perpetuum exemiſſet, decernendo ex tunc vos & Ordinem ipſum ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem ſoli Romano Pontifici & dictę Sedi tam in ſpiritualibus quam in temporalibus abſque ullo medio ſubjacere. Ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quævis Perſona Eccleſiaſtica, in vos & Ordinem, perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca prædicta, utpotè prorsùs exempta, poſſint excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti promulgare ſententias, vel aliàs poteſtatem, ſeu juriſdictionem aliquam exercere. Quod ſi forſitan quidquam in contrarium à quoquam attentatum * foret, illud omnino eſſet irritum, & inane. Tamen, quia in indulto hujuſmodi exemptionis non cavetur, quòd vos ratione delicti ſeu contractûs, aut rei de qua agitur conveniri coram Ordinariis minimè valeretis, vos timentes ſuper his poſſe forſan impoſterum moleſtari, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos ergo qui vos & Ordinem ipſum ſpeciali proſequimur in Domino charitate, veſtris (a) ſupplicationibus inclinati, (a) vobis, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium indulgemus, ut præfato indulto in ſuo robore permanente, coram quibuſvis Diœceſanis & locorum Ordinariis, ratione delicti, contractûs ſeu rei de qua agitur conveniri vel impeti nullatenùs valeatis, felicis recordationis Innocentij Papæ quarti prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis auctoritate, ſcienter contigerit, vel ignoranter attentari.

* In al. exempl. *fuerit.*

ANNOTATIO.

DANIEL. 477. (a) VObis, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium indulgemus &c. conveniri, vel impeti nullatenùs valeatis: *Quibus verbis Papa Clemens VI. exemptionem omnimodam Ordinis à Ioanne XXII conceſſam confirmans, etiam aliud adjicit. Quod Religioſi noſtri nullô pactô, neque ratione contractûs, vel delicti, ſeu rei de qua ageretur, teneantur comparere coram Ordinariis; utpotè ab iis omninò exempti. Indè infertur, quod ſententiæ quæcumque contra noſtros Religioſos ab Ordinariis data, in quacumque cauſa, & quæcumque inde ſecuta, ſint ipsô jure nulla, ex defectu Iuriſdictionis Ita Lezana in expoſitione maris magni Carmelitarum, circa hæc privilegia.*

Ex hactenùs dictis in hoc, & tribus præcedentibus capitibus hujus libri decimi, nec non libro 9. cap. 4. 5. & 7. atque etiam libro 8. cap. 5. 7. & 8. & libro 7. cap. 7. manifeſtum eſt, quàm ſingulari prorsùs benevolentia, & charitatis affectu Sedes Apoſtolica, & ſummi Pontifices Ordinem hunc B. Virginis Mariæ de monte Carmeli extorrem è Terra Sancta, & in Europam tranſlatum benignè ſuſceperint, ſollicitè foverint, efficacitèr protexerint, & privilegiis gratiosè decoraverint: abſdubiè ſpeciali providentiâ, & inſtinctu Dei, ac Virginis Matris Patronæ directione: ſicut ex dictis libro 8. cap. 5. in Notis (ubi de Honorio III.) & librô 9. cap. 7. confirmatur. Propterea hic Ordo ſpecialiſſimè obſtringitur Deo, & præpotenti Patronæ ſuæ ſe gratum, & Sedi Apoſtolicæ, ac ſummis Pontificibus ſingulariter ſe ſemper præſtare devotum.

Sedes Apoſt. & ſummi Pontifices ſingulari prorsùs affectu proſecuti Ord. Carm.

Qui propterea ſpecialiter obſtringitur illis eſſe devotus, & gratus.

C A P. V.

Quòd Fratrum Carmelitarum Religio ſit approbata jure divinô.

478. ACTOR: Ex dictis hinc indè in hoc totali opere patebit manifeſtè noſtram Religionem Monachorum Carmelitarum eſſe approbatam & confirmatam, tàm jure divinô, quàm canonicô. Primò quidem Religio illa quæ mandatô Dei, & conſiliô Spiritûs ſancti fuit inchoata, & inſtituta, dignoſcitur eſſe jure divinô approbata, & per Deum confirmata; quia, ſicut pſalmô centeſimô decimô, ſcribitur: *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & æquitate.* Religio autem Monachorum Carmelitarum fuit mandatô Dei, & conſiliô Spiritus ſancti per Eliam Prophetam inchoata, & inſtituta, ut patet ſuprà librô primô, capitulô ſecundô, & librô ſecundô capitulô primô. Eſt ergo hæc Religio jure divinô approbata, & confirmata. Ampliùs, jus divinum fundatorem hujus Religionis Eliam commendat, de hoc quod ad eam obſervandam diſcipulos traxerit, & in hujus laudem ſapiens Eccleſiaſtici quadrageſimo octavo ait: *Prophetas facis ſucceſſores poſt te:* ut patet ſuprà librô ſecundô, capitulô ſecundô. Idem Eccleſiaſticus diſcipulos Eliæ commendat de hoc quòd obtemperarint Eliæ in hac Religione obſervanda, & in eorum laudem ſapiens Eccleſiaſtici quadrageſimo octavo ait Eliæ: *Beati ſunt qui * audierunt te, & in amicitia tua decorati ſunt:* ut patet ſuprà librô ſecundô, capitulô ſecundô, & octavô. Nefarium autem eſſet dicere, quòd jus divinum reprobata commendaret, eò quòd ſola approbata commendet, ſicut divina ſapientia proverbiorum octavo ait: *Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum.* Eſt ergo hæc Religio jure divinô approbata, & confirmata.

PHIL. RIB.

Ordo Carmeli jure Divinô eſt approbatus, quia Dei mandato inchoatus.

Et in jure divino ejus fundator laudatus.

* In S. Tex. *viderunt.*

479. Præterea, Religio illa quæ ſemper in ſua ſtabilitate perſeveravit firma, ita ut nunquam diſſolvi potuerit per aliquam perſecutionem, neque per aliquam legis editionem, cenſetur ipsô jure divinô eſſe approbata, & per Dei providentiam confirmata. Sic enim Actuum quinto Gamaliel Legis doctor vir honorabilis conantibus Religionem Chriſtianam diſſolvere, dixit de illa. *Si eſt ex hominibus conſi-*

Ac per Dei ſpecialem providentiâ ſemper conſervatus.

consilium hoc, aut opus, dissolvetur : si verò ex Deo est, non poteritis, illud dissolvere, nè forte & Deo repugnare videamini. Religio autem Monachorum Carmelitarum perseveravit in sua stabilitate semper firma. Ita quod nec tempore Legis veteris, neque tempore novæ Legis potuerit dissolvi per aliquam persecutionem, vel Legis editionem, sicut patet suprà librô tertiô capitulô primô, & secundô, & librô quartô, capitulô septimô, & octavô ; & librô octavô, capitulô primô, & quintô ; & librô nonô capitulô tertiô, & quintô, & septimô, & octavô. Et in hoc decimo libro, capitulô primô, & secundô & tertiô. Cum ergò Religio ista in sua stabilitate perseverarit semper firma, patet quòd est jure divinô approbata, & per Dei providentiam confirmata. Alioquin in tam prolixo tempore quod fluxit ab ejus origine posset utique Religio ista esse penitùs dissoluta, inter tot adversa, dicente Domino Matthęi decimo quinto: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Adulterinæ enim plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt, & si in ramis in tempore germinaverint non firmiter positæ, à vento commovebuntur, ut scribitur Sapientię quarto. Sed horum contrarium pollicitus fuit Deus huic Religioni, Jeremiæ trigesimo quinto dicens : *Non deficiet vir de stirpe Ionadab Filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus:* de quo dictum est suprà, librô quartô, capitulô quintô, & octavô. Quòd autem Deus tunc promisit ; indesinenter implet ; quoniam (a) ex quo hæc Religio fuit primò in monte Carmeli plantata, (b) duravit indefectibiliter ante Christi nativitatem per annos circiter nongentos viginti septem, qui ex tunc fluxerunt usque ad Christi nativitatem. Deinde, scilicet (c) à Nativitate Christi duravit indesinenter ipsa usque ad præsentem annum Domini millesimum trecentesimum septuagesimum. Est ergo Religio ista jure divinô approbata, & per Dei providentiam confirmata.

Indefectibiliter perseverans annis 927, ante Christi nativitatem, & indeusque in præsens.

(a)

(b)

(c)

ANNOTATIONES.

DANIEL.

480. (a) EX quo hæc Religio fuit primò in monte Carmeli plantata, *videlicet anno mundi 3127. ante Christum 926. ad quem hac Lezana Tomo 1. Annalium* : Ab hoc anno & tempore, Prophetici, Eliani, & Carmelitani nostri Ordinis primordialis Origo, & Institutio meritò desumenda est. *Id ibi consequenter declarat, & aliorum authoritatibus firmat.*

Ordo ante Christi nativitatem quam diu steterit :

481. (b) Duravit indefectibiliter usque ad Christi nativitatem per annos circiter nongentos viginti septem *videlicet à dicto anno mundi ter millesimo centesimo vigesimo septimo, qui (juxta Salianum Lezanam, & alios) erat nongentesimus vigesimus sextus ante Christi natalitium : qui junctus antecedentibus, seu inclusivè supputatus, efficit nongentos viginti septem. Totô igitur temporis illius intervallô & exindè hactenùs Ordo iste stabiliter perseveravit. Ad hoc propositum ; vide etiam Notas hic supra ad libri noni caput 8. sub finem num. 459. & 460.*

Philip. Riboti an. Chr. 1370. scripsit hoc volumen 10. librorum.

482. (c) A nativitate Christi duravit indesinenter ipsa (*Religio Carmelitana*) usque ad præsentem annum Domini MCCCLXX. *Colligitur inde hunc librum per Philippum Riboti fuisse concinnatum istô annô 1370. Quod autem Religio hac indesinenter duraverit, habetur ex cunctis antehac dictis, & dicendis in sequentibus, atque ex quatuor tomis Annalium : in quibus hæreditaria, & continuata successio per annos ordinatè deducitur ab ipsâ Ordinis institutione usque ad seculum à Christo nato decimum sextum. Ad hoc propositum peculiariter quoque reflectendum ad dicta in Notis ad libri 9. cap. 8 num. 459. & sequenti. Ea quoque jugis & hæreditaria successio confirmatur authoritate summorum Pontificum Sixti IV, Innocentij VIII, Iulij II. & Gregorij XIII. disertè adstruentium (verbis subinde supra relatis) de hoc Ordine illiusque Professoribus. Quod* Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi, & aliorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam teneant. *Similia scribunt in suis bullis alij Pontifices.*

483. *Animadvertendum, quòd circa hoc caput V. sub finem aliqua sit inter exemplaria MSS. & impressa varietas, nos secuti sumus Codicem Gandensem ; utpote & vetustiorem, & præ cæteris correctiorem ; indè de verbo ad verbum desumpsimus præallata : in Veneto excuso, & Mechliniensi MS. aliqua desunt : quædam transposita nonnihil sensum alterant.*

CAP. VI.

Quòd jus Canonicum approbet Ordinem Religiosorum Carmelitarum.

484. RELigio quoque ista censetur etiam jure canonicô approbata. Primò, quia Albertus Patriarcha Jerosolymitanus Monachis Carmelitis in ejus Patriarchatu, scilicet in monte Carmeli morantibus Religionem eorum approbando, tradidit suâ potestate ordinariâ Regulam, antequàm per Dominum Innocentium Papam tertium celebraretur Romæ generale Concilium Lateranense, ut patet suprà librô octavô, capitulô quintô. Quod utique dictus Patriarcha tunc secundùm jus canonicum licitè fecit, & facere potuit : Nam (a) Regularum editio, vel Religionum institutio, aut approbatio, non fuit Ordinariis prohibita, nec reservata Sedi Apostolicæ antè dictum generale Concilium Lateranense: In quo prædicta fuerunt primò prohibita, & Sedi Apostolicæ reservata, ut patet extrau. De Religiosis domibus, capitulo *Ne nimia*. Ergo ante illud generale Concilium, licuit de jure dicto Alberto Patriarchæ suâ potestate ordinariâ Carmelitis Regulam tradere, & eorum Religionem approbare, ac institutiones confirmare. Quia *quod non est Superiori reservatum, nec inferiori Ordinario prohibitum, intelligitur de jure esse sibi concessum*, ut patet extrau. De sententia excom. capit. *Nuper*. De sponsalibus, capitulo *Cum apud* XVI. quæst. 1. *Sunt nonnulli* ex quibus cau. *Tra*. Nec non ff. *ex eis*.

IDEM PHIL. RIB.

Est etiam jure Canonico approbatus.

(a)

Legitima authoritate ei Regulâ traditâ.

485. Ampliùs, licèt dictum generale Concilium Lateranense prohibuerit novas Religiones de cætero inveniri, ut patet extrau. De Religiosis domibus. Capitulo *Ne nimia* : tamen quas invenit legitimè priùs institutas, non reprobavit, & hoc rationabiliter ; quia *constitutio futuris dat formam negotiis, & preterita dispendiis non commendat*, ut dicitur extrau. De Constitut. capit. *Cognoscentes*. Oportet ergò dicere, quòd dictum Concilium generale, Religiones ante ipsum legitimè institutas, quas tunc prohibere poterat, & non prohibuit, sed permanere tacitè consensit ; Tunc etiam ratas habuerit, & tacitè approbaverit ; Quod enim non

Et in Concilio Lateran. tacitè approbatus;

status eorundem fuerit, ipsique ampliori fuerint libertate donati. Sanè petitio pro parte vestra nuper nobis exhibita continebat, quod licèt felicis recordationis Joannes Papa vigesimus secundus prædecessor noster tunc in humanis agens, vos, & prædictum Ordinem, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, res alias & loca vestra ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitabatis tunc, vel inhabitaretis in futurum, cum omnibus juribus ac pertinentiis suis ac personis degentibus in eisdem, in jus & proprietatem Beati Petri & Sedis Apostolicæ assumpsisset. Illaque à cujuscunque Diœcesani & cujuscunque alterius potestate, jurisdictione ac dominio omnimodè prorsùs in perpetuum exemisset, decernendo ex tunc vos & Ordinem ipsum ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici & dictę Sedi tam in spiritualibus quam in temporalibus absque ullo medio subjacere. Ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quævis Persona Ecclesiastica, in vos & Ordinem, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, utporè prorsùs exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seu jurisdictionem aliquam exercere. Quod si forsitan quidquam in contrarium à quoquam attentatum * foret, illud omnino esset irritum, & inane. Tamen, quia in indulto hujusmodi exemptionis non cavetur, quòd vos ratione delicti seu contractûs, aut rei de qua agitur conveniri coram Ordinariis minimè valeretis, vos timentes super his posse forsan imposterum molestari, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos ergo qui vos & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, vestris supplicationibus inclinati, (a) vobis, & successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut præfato indulto in suo robore permanente, coram quibusvis Diœcesanis & locorum Ordinariis, ratione delicti, contractûs seu rei de qua agitur conveniri vel impeti nullatenùs valeatis, felicis recordationis Innocentij Papæ quarti prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum & inane si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter contigerit, vel ignoranter attentari.

* In al. exempl. *fuerit.*

(a)

ANNOTATIO.

DANIEL. 477. (a) Vobis, & successoribus vestris in perpetuum authoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus &c. conveniri, vel impeti nullatenùs valeatis: *Quibus verbis Papa Clemens VI. exemptionem omnimodam Ordinis à Ioanne XXII concessam confirmans, etiam aliud adjecit: Quod Religiosi nostri nullô pactô, neque ratione contractûs, vel delicti, seu rei de qua ageretur, tenerentur comparere coram Ordinariis; utpotè ab iis omninò exempti. Indè infertur, quod sententia quæcumque contra nostros Religiosos ab Ordinariis data, in quacumque causa, & quæcumque inde secuta, sint ipsô jure nulla, ex defectu Iurisdictionis. Ita Lezana in expositione maris magni Carmelitarum, circa hæc privilegia.*

Ex hactenùs dictis in hoc, & tribus præcedentibus capitibus hujus libri decimi, nec non libro 9. cap. 4. 5. & 7. atque etiam libro 8. cap. 5. 7. & 8. & libro 7. cap. 7. manifestum est, quàm singulari prorsùs benevolentia, & charitatis affectu Sedes Apostolica, & summi Pontifices Ordinem hunc B. Virginis Mariæ de monte Carmeli extorrem è Terra Sancta, & in Europam translatum benignè susceperint, sollicitè foverint, efficaciter protexerint, & privilegiis gratiosè decoraverint: absdubiè speciali providentiâ, & instinctu Dei, ac Virginis Matris Patronæ directione: sicut ex dictis libro 8. cap. 5. in Notis (ubi de Honorio III.) & librô 9. cap. 7. confirmatur. Propterea hic Ordo specialissimè obstringitur Deo, & præpotenti Patronæ suæ se gratum, & sedi Apostolicæ, ac summis Pontificibus singulariter se semper præstare devotum.

Sedes Apost. & summi Pontifices singulari prorsùs affectu prosecuti Ord. Carm.

Qui propterea specialiter obstringitur illis esse devotus, & gratus.

CAP. V.

Quòd Fratrum Carmelitarum Religio sit approbata jure divinô.

PHIL. RIB.

478. Actor: Ex dictis hinc indè in hoc totali opere patebit manifestè nostram Religionem Monachorum Carmelitarum esse approbatam & confirmatam, tàm jure divinô, quàm canonicô. Primò quidem Religio illa quæ mandatô Dei, & consiliô Spiritûs sancti fuit inchoata, & instituta, dignoscitur esse jure divinô approbata, & per Deum confirmata; quia, sicut psalmô centesimô decimô, scribitur: *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate, & æquitate.* Religio autem Monachorum Carmelitarum fuit mandatô Dei, & consiliô Spiritus sancti per Eliam Prophetam inchoata, & instituta, ut patet suprà librô primô, capitulô secundô, & librô secundô capitulô primô. Est ergo hæc Religio jure divinô approbata, & confirmata. Ampliùs, jus divinum fundatorem hujus Religionis Eliam commendat, de hoc quod ad eam observandam discipulos traxerit, & in hujus laudem sapiens Ecclesiastici quadragesimo octavo ait: *Prophetas facis successores post te:* ut patet suprà librô secundô, capitulô secundô. Idem Ecclesiasticus discipulos Eliæ commendat de hoc quòd obtemperarint Eliæ in hac Religione observanda, & in eorum laudem sapiens Ecclesiastici quadragesimo octavo ait Eliæ: *Beati sunt qui * audierunt te, & in amicitia tua decorati sunt:* ut patet suprà librô secundô, capitulô secundô, & octavô. Nefarium autem esset dicere, quòd jus divinum reprobata commendaret, eò quòd sola approbata commendet, sicut divina sapientia proverbiorum octavo ait: *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.* Est ergo hæc Religio jure divinô approbata, & confirmata.

Ordo Carmeli jure Divinô est approbatus, quia Dei mandato inchoatus.

Et in jure divino ejus fundator laudatur.

* In S. Tex. *viderunt.*

479. Prætereà, Religio illa quæ semper in sua stabilitate perseveravit firma, ita ut nunquam dissolvi potuerit per aliquam persecutionem, neque per aliquam legis editionem, censetur ipsô jure divinô esse approbata, & per Dei providentiam confirmata. Sic enim Actuum quinto Gamaliel Legis doctor vir honorabilis conantibus Religionem Christianam dissolvere, dixit de illa. *Si est ex hominibus consi-*

At per Dei specialem providentiâ semper conservatus.

consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis, illud dissolvere, nè forte & Deo repugnare videamini. Religio autem Monachorum Carmelitarum perseveravit in sua stabilitate semper firma. Ita quod nec tempore Legis veteris, neque tempore novæ Legis potuerit dissolvi per aliquam persecutionem, vel Legis editionem, sicut patet suprà librô tertiô capitulô primô, & secundô, & librô quartô, capitulô septimô, & octavô; & librô octavô, capitulô primô, & quintô; & librô nonô capitulô tertiô, & quintô, & septimô, & octavô. Et in hoc decimo libro, capitulô primô, & secundô & tertiô. Cum ergò Religio ista in sua stabilitate perseveraverit semper firma, patet quòd est jure divinô approbata, & per Dei providentiam confirmata. Alioquin in tam prolixo tempore quod fluxit ab ejus origine posset utique Religio ista esse penitùs dissoluta, inter tot adversa, dicente Domino Matthæi decimo quinto: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Adulterinæ enim plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt, & si in ramis in tempore germinaverint non firmiter positæ, à vento commovebuntur, ut scribitur Sapientiæ quarto. Sed horum contrarium pollicitus fuit Deus huic Religioni, Jeremiæ trigesimo quinto dicens: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab Filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus:* de quo dictum est suprà, librô quartô, capitulô quintô, & octavô. Quòd autem Deus tunc promisit; indesinenter implet; quoniam

Indefectibiliter perseverans annis 927, ante Christi nativitatem, & indesinenter in post.

(a) (a) ex quo hæc Religio fuit primò in monte

(b) Carmeli plantata, (b) duravit indefectibiliter ante Christi nativitatem per annos circiter nongentos viginti septem, qui ex tunc fluxerunt usque ad Christi nativitatem. Deinde,

(c) scilicet (c) à Nativitate Christi duravit indesinenter ipsa usque ad præsentem annum Domini millesimum trecentesimum septuagesimum. Est ergo Religio ista jure divinô approbata, & per Dei providentiam confirmata.

ANNOTATIONES.

DANIEL. 480. (a) Ex quo hæc Religio fuit primò in monte Carmeli plantata, *videlicet anno mundi 3127. ante Christum 926. ad quem hac Lezana Tomo 1. Annalium*: Ab hoc anno & tempore, Prophetici, Eliani, & Carmelitani nostri Ordinis primordialis Origo, & Institutio meritò desumenda est. *Ibi consequenter declarat, & aliorum authoritatibus firmat.*

Ordo ante Christi nativitatem quam diu steterit: 481. (b) Duravit indefectibiliter usque ad Christi nativitatem per annos circiter nongentos viginti septem *videlicet à dicto anno mundi ter millesimo centesimo vigesimo septimo, qui (juxta Salianum Lezanam, & alios) erat nongentesimus vigesimus sextus ante Christi natalitium: qui junctus antecedentibus, seu inclusivè supputatus, efficit nongentos viginti septem. Totô igitur temporis illius intervallô & exindè hactenùs Ordo iste stabiliter perseveravit. Ad hoc propositum; vide etiam Notas hic supra ad libri noni caput 8. sub finem num. 459. & 460.*

Philip. Riboti an. Chr. 1370. scripsit hoc volumen 10. librorum. 482. (c) A nativitate Christi duravit indesinenter ipsa (*Religio Carmelitana*) usque ad præsentem annum Domini MCCCLXX. *Colligitur inde hunc librum per Philippum Riboti fuisse concinnatum istô annô 1370. Quod autem Religio hæc indesinenter duraverit, habetur ex cunctis antehac dictis, & dicendis in sequentibus, atque ex quatuor tomis Annalium: in quibus hæreditaria, & continuata successio per annos ordinatè deducitur ab ipsâ Ordinis institutione usque ad sæculum à Christo nato decimum sextum. Ad hoc propositum peculiariter quoque reflectendum ad dicta in Notis ad libri 9. cap. 8 num. 459. & sequenti. En quoque jugis & hæreditaria successio confirmatur authoritate summorum Pontificum Sixti IV, Innocentij VIII, Julij II, & Gregorij XIII. disertè adstruentium (verbis subinde supra relatis) de hoc Ordine illiusque Professoribus. Quod* Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi, & aliorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam teneant. *Similia scribunt in suis bullis alij Pontifices.*

483. *Animadvertendum, quòd circa hoc caput V. sub finem aliqua sit inter exemplaria MSS. & impressa varietas, nos secuti sumus Codicem Gandensem; utpote & vetustiorem, & præ cæteris correctiorem; indè de verbo ad verbum desumpsimus prælata: in Veneto excuso, & Mechliniensi MS. aliqua desunt: quædam transposita nonnihil sensum alterant.*

CAP. VI.

Quòd jus Canonicum approbet Ordinem Religiosorum Carmelitarum.

484. Religio quoque ista censetur etiam jure canonicô approbata. Primò, quia Albertus Patriarcha Jerosolymitanus Monachis Carmelitis in ejus Patriarchatu, scilicet in monte Carmeli morantibus Religionem eorum approbando, tradidit suâ potestate ordinariâ Regulam, antequàm per Dominum Innocentium Papam tertium celebraretur Romæ generale Concilium Lateranense, ut patet suprà librô octavô, capitulô quintô. Quod utique dictus Patriarcha tunc secundùm jus canonicum licitè fecit, & facere potuit: Nam (a) Regularum editio, vel Religionum institutio, aut approbatio, non fuit Ordinariis prohibita, nec reservata Sedi Apostolicæ antè dictum generale Concilium Lateranense: In quo prædicta fuerunt primò prohibita, & Sedi Apostolicæ reservata, ut patet extrau. De Religiosis domibus, capitulo *Ne nimia.* Ergo ante illud generale Concilium, licuit de jure dicto Alberto Patriarchæ suâ potestate ordinariâ Carmelitis Regulam tradere, & eorum Religionem approbare, ac institutiones confirmare. Quia *quod non est Superiori reservatum, nec inferiori Ordinario prohibitum, intelligitur de jure esse sibi concessum*, ut patet extrau. De sententia excom. capit. *Nuper.* De sponsalibus, capitulo *Cum apud* XVI. quæst. 1. *Sunt nonnulli* ex quibus cau. *Tra.* Nec non ff. *ex eis.*

IOAN PHIL. RIB. Est etiam jure Canonico approbatus. (a) *Legitima authoritate ei Regulâ traditâ.*

485. Ampliùs, licèt dictum generale Concilium Lateranense prohibuerit novas Religiones de cætero inveniri, ut patet extrau. De Religiosis domibus. Capitulo *Ne nimia*: tamen quas invenit legitimè priùs institutas, non reprobavit, & hoc rationabiliter; quia *constitutio futuris dat formam negotiis, & preterita dispendiis non commendat*, ut dicitur extrau. De Constitut. capit. *Cognoscentes.* Oportet ergò dicere, quòd dictum Concilium generale, Religiones ante ipsum legitimè institutas, quas tunc prohibere poterat, & non prohibuit, sed permanere tacitè consensit; Tunc etiam ratas habuerit, & tacitè approbaverit; Quod enim non

Et in Concilio Lateran. tacitè approbatus;

non potest permanere Conciliô generali prohibente, si non prohibeatur ab eo, permanet utique eô tacitè consentiente, & approbante. In hoc enim casu *taciturnitas habetur pro consensu*, ut notatur XXVII. de diachonis extrau. de præsump. Nonne, & per Joannem Andreæ, extrau. de Regulis juris. *Is qui tacet* libro VI. Sed Religiones ante dictum generale Concilium legitimè institutæ, non potuissent permanere, si illud Concilium eas prohibuisset, quas prohibere utique poterat, quemadmodùm & Concilium Lugdunense posteà alias prohibuit, quæ non manserunt, ut patet extrau. De Religiosis domibus, cap. *Religionum diversitatem.* libro VI. Ergo Religiones antè legitimè institutas, quas illud generale Concilium Lateranense permanere non prohibuit, dum in cap. *Ne nimia.* De Religionibus disponebat, tacitè approbavit, præsertim cum oppositum tum non protestaretur: sicut è contra fiebat protestatio extrau. de electionibus, cap. *De Indemnitatibus.* Scilicet supra dicto libro VI. de statu Regu. cap. *Attendentes* scilicet illas quoque in Clem. Ordo autem Carmelitarum fuit legitimè institutus antè illud generale Concilium Lateranense, ut ostensum est in præcedenti ratione, & hoc idem patet extrau. De Religiosis domibus cap. *Religionum.* Cæterum libro VI. ergo iste Ordo fuit tacitè approbatus à generali illo Lateranensi Concilio.

à Sede Apostolica Regulam habens approbatam.

486. Præterea, Religio illa quæ habet Regulam sibi à Sede Apostolica expresè approbatam, ipsô jure canonicô censetur approbata, ut patet extrau. de excessibus Prælatorum, cap. *Nimis iniqua*, & cap. *Nimis prava.* Sed Religio Carmelitarum habet Regulam sibi à Sede Apostolica expresè approbatam, ut patet suprà librô octavô cap. quintô, & octavô. Est ergo hæc Religio expresè approbata, ipsô jure canonicô. Ampliùs, *quod à Romano Pontifice roboratur; ipsô jure canonicô approbatum censetur*, ut patet extrau. de election. cap. *Significasti* XIX. cap. *Si Romanorum.* Sed Ordo Carmelitarum à Romano Pontifice roboratur extrau. De Religiosis domibus. cap. *Religionum.* De cæterum lib. VI. ubi ait Papa: *Carmelitarum & Eremitarum Sancti Augustini Ordines, quorum institutio dictum generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* Est ergo hic Ordo approbatus ipsô jure canonicô.

Et à Sum. Pontifice in solido statu declaratus permanere.

ANNOTATIONES.

DANIEL.

Olim Ordines non debebant approbari à Sum. Pontifice.

487. (a) Regularum editio, vel Religionum institutio, aut approbatio, non fuit Ordinariis prohibita, nec reservata Sedi Apostolicæ antè dictum Generale Concilium, Lateranense. *Nam ut Lessius, & alij* Religiones antiquæ Sanctorum Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti non videntur initio fuisse sic approbatæ, sed ab Episcopis, quibus tum suberant, ipsô usu admissæ sunt, non repugnante Pontifice: Deindè sensim à Conciliis, & summo Pontifice laudatæ, & confirmatæ. In Concilio autem Lateranensi ob gravissimas & justissimas causas approbatio Ordinum Religiosorum summo Pontifici fuit reservata & districtè prohibitum, nè deinceps novus Ordo, seu Religio institueretur, absque Sedis Apostolicæ approbatione: *Sed Ordinis Carmelitani Institutio præcessit Concilium Lateranense supra bina annorum millenaria, sicut ex hactenus dictis liquet. Regulam quoque scriptam habuit à Ioanne* XLIV. *Patriarcha Ierosolymitano traditam, atque ita approbatam suo jure ordinariô ab anno Christi quadringentesimo duodecimo, octo sæculis ante dictum Concilium Lateranense, ut habetur ex dictis libro* 8. *c.* 1. *&* 4. *ac ibi in Notis; quam deindè Albertus etiam Patriarcha Ierosolymitanus in compendium redactam, magisque determinatam, annis aliquot ante idem Concilium, potestate ordinariâ, nec non potestate extraordinariâ Legati Sedis Apostolicæ (quâ fungebatur in Terra Sancta) dedit, approbavit, & confirmavit. Ratione cujus tunc etiam ab ipsâ Sede Apostolicâ Regula approbata, & confirmata dici posset.* Ea enim, quæ à Legato Sedis Apostolicæ, ut tali, fiunt, ab eadem Sede facta esse dicuntur. *Denique annis triginta quinque ante dictum Concilium Lateranense (per Innocentium* III. *celebratum anno* 1215.) *Alexander Papa* III. *anno Christi* 1180 *& ipse Innocentius anno* 1199. *Ordinem hunc confirmarunt, ut constat ex Annalibus Ordinis ad istos annos, & tradunt alij plures: è quibus Abbas Trithemius.* Multi summi. Pontifices Ordinem ipsum confirmarunt, de quibus Alexander Papa Tertius unus extitit. *Cardinalis quoque Bellarminus in sua Chronologia, adjuncta libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum Christi* 1180 Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro tertio anno 1180, Item ab Innocentio tertio anno 1199. Item ab Honorio tertio.

In Concil. Lateranensi reservata fuit Ordinum Relig. approbatio Summo Pontifici.

Trithem. de Ord. Carm. c. 5.

488. *Ex quibus infertur, decretum istud Concilij Lateranensis*: firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat. *Nequaquam derogasse huic Ordini, jam antè à multis sæculis instituto; quin potius per ipsum fuisse probatum, firmatum, & solidatum: prout variis juribus, & rationibus eruditè, & solide demonstrat Lezana tomo 4. Annalium; De antiqua, & multiplici approbatione hujus Ordinis, plura videri poterunt in mea Carmeli.*

Lezana ad annum Christi. 1215 Vin. Carm. Part. 8. cap. 9.

CAP. VII.

Quòd Lugdunense Concilium celebratum per Gregorium Papam X. non reprobaverit, sed approbaverit Ordinem nostrum.

489. (a) Occurrunt aliqua dubia dissolvenda ad elucidandam veritatem dictorum in præcedenti capitulo. Et primò, non videtur ipsô jure canonicô approbatus ille Ordo, qui à Sede Apostolica conceditur in suo statu permanere, *donec de ipso aliter fuerit ordinatum.* Sed Gregorius Papa decimus in Consilio Lugdunensi per ipsum celebrato anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, dixit de Carmelitis, extrau. de Religiosis domibus, c. *Religionum diversitatem.* Cæterum libro VI. *Cæterum Carmelitarum & Eremitarum Sancti Augustini Ordines, quorum institutio dictum generale Concilium præcessit, in suo statu permanere concedimus, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum. Intendimus enim tàm de ipsis, quàm de aliis non mendicantibus providere, prout animarum saluti, & eorum statui videbimus expedire*: Ergo dictus, Carmelitarum Ordo non videtur approbatus ipsô jure canonicô.

IDEM PHIL. RIB.

490. Hujus rationis major est falsa, sicut ex jam dicendis in hoc capitulo patebit. Ad minorem autem dico, quod claufula illa *Donec de ipsis &c.* quæ videtur in hac materia facere difficultatem, non aufert, nec abstulit Carmelitis quominùs Ordo eorum sit, & esset tunc & antea

antea approbatus: quòd probo triplici ratione. Primo, quia si clausula illa, *Donec de ipsis &c.* aufert Carmelitis approbationem sui Ordinis, sequitur pari ratione, quòd auferret aliis non mendicantibus Religiosis approbationem sui Ordinis, & ita nullus Ordo eorum qui non mendicant, esset à Sede Apostolica approbatus: quod est notoriè falsum. Consequentia tamen clarè patet; quia sicut de Carmelitis, ita *de aliis non mendicantibus intendebat*, ut dicebat Papa Gregorius, *aliter ordinare, prout saluti animarum, & eorum statui videret expedire*; qui interim *in suo statu manebant*, sicut Carmelitæ, *donec esset de ipsis aliter ordinatum*. Secundò, si clausula illa *Donec de ipsis &c.* auferret Carmelitis approbationem sui Ordinis, sequitur etiam quod auferret quibuscunque aliis Religiosis approbationem sui Ordinis, & ita nullus Ordo in Ecclesia esset approbatus à Sede Apostolica: quod est manifestè falsum. Consequentia tamen probatur clarè; quia clausula illa, *Donec de ipsis &c.* est ita de natura approbationis; quòd nullus Ordo potest sine dicta clausula expressa, vel intellecta, approbari à Sede Apostolica. Nam, nonobstante cujuscunque Ordinis approbatione, potest Sedes Apostolica *aliter de ipso ordinare*, immò ipsum totaliter prohibere, ut patet in dicto capitulo. *Religionum diversitatem*. Confirmatur in constitutione Papæ Joannis vigesimi secundi, quæ incipit: *Quia quorundam adhuc*. Igitur quantumque aliquis Ordo sit per Sedem Apostolicam approbatus, intelligitur *in suo statu permanere, donec aliter de ipso per eandem Sedem fuerit ordinatum*; quia per hoc quòd ipsum Sedes Apostolica approbat, ipsa non aufert sibimet potestatem aliter de ipso ordinandi, vel ipsum destruendi, ut patet. LXIII. d. Verum ubi de hoc, in Glossa, effici, & extrau. ut lite pendente. Capitulo à memoria in Glossa quæ incipit: *Et ita*. Sedes enim Apostolica potest consultiùs revocare quod fecit inconsultè, ut dicitur XXXV. Q. IX. cap. sententiam.

Eruditus discursus circa verba Concilij Lugdunensis.

491. Tertiò, quia post dictum Concilium Lugdunense cum adhuc in dicto. *Cæterum*, maneret inserta illa clausula. *Donec de ipsis &c.* quæ posteà fuit per Papam Bonifacium octavum deleta, scripsit Nicolaus Papa quartus anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Ecclesiarum Prælatis, *ut in ipsorum civitatibus, & Diœcesibus permitterent Carmelitas, prout decet viros Religiosos approbati Ordinis, divina officia in suis Oratoriis liberè celebrare*, ut ostensum est suprà in hoc decimo libro capitulo secundo. Certum est autem quòd Papa Nicolaus non ignorabat dictam clausulam *Donec de ipsis &c.* esse tunc in jure insertam, quia *Papa censetur in scrinio sui pectoris omnia jura habere*, ut dicitur extrau. de constitutionibus, cap. *Licet*, libro VI. Si utique clausula illa *Donec de ipsis &c.* abstulisset Carmelitis, quam habebant prius approbationem sui Ordinis, non dixisset tunc Papa Nicolaus Carmelitas esse *viros Religiosos approbati Ordinis*: & tamen dicit eos *viros approbati Ordinis*. Ergo clausula illa non auferebat eis approbationem sui Ordinis. Dico ergo, quòd, non obstante dictâ clausula, Ordo Carmelitarum approbatur per Lugdunense Concilium. Nam Ordo iste per Sedem Apostolicam defendebatur tunc à prohibitione, pro eo, quia ejus institutio præcesserat generale Concilium Lateranense, ut ibidem patet; Igitur approbatur tunc Ordo iste à Sede Apostolica, quæ illud solùm defendit, quod est approbatum, & irreprehensibile, ut dicitur XX IV. D. *Si quis presbyter* LXXXI. D. Quis fine, XXV. Q.

Ordo Carmeli approbatus in Concilio Lugdunensi.

ANNOTATIO.

492. (a) *Etiam ea, quæ hoc capite, & sequenti doctissimè à Riboto disseruntur, latiùs pertractantur à Lezana tomo 4. Annalium ad annum Domini 1274 ubi declaratur, quod Concilij Lugdunensis statutum libro 6. Decretalium titulo de Religiosis domibus capite unico insertum his verbis:* Cæterum Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordines, quorum Institutio dictum Concilium Generale (*Lateranense*) præcessit, in solido statu volumus permanere, *& approbaverit, confirmaverit seu consolidaverit duos istos Ordines.* DANIEL.

CAP. VIII.

Quòd Bonifacius Papa VIII. mutando textum dicti Concilij Lugdunensis confirmaverit Ordinem eundem.

493. (a) Contra etiam dicta in ultima ratione sexti Capituli, videtur esse, quòd in plerisque libris extrau. de Religios. dom. cap. Religion. *Cæterum*, in libro VI. non reperitur scriptum, ut quidam aiunt; *In solido statu volumus permanere*, sed *in solito*. Per hoc autem quod Papa vult Carmelitas. *In solito statu permanere*, nullam novam approbationem eis tribuit: ergò non videtur vigore illorum verborum approbationem sui Ordinis obtinere, cujus oppositum dicebatur in ultima ratione dicta. Ad hoc dico, quòd textus, in quibus scribitur: *In solito statu &c.* sunt corrupti, & mendosi, & sive hoc acciderit ex vitio scriptoris, sive ex invidia æmulorum, certum tamen est, quod verè debeat scribi: *In solido statu*, quia sic scriptus emanavit à Papa Bonifacio octavo ille textus anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo quando edidit sextum librum, ut patet in decretalibus bullatis. Et hoc idem etiam patet per Joannem Monachi, qui primo glossavit sextum, & in divisione illius decreti, ait: *quarto Gregori. sc. Cæterum Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini Ordines consolidavit.* Guido etiam in glossa super illo verbo: *In solido statu*, ait: *hac littera mutat antiquam, ubi dicebatur in suo statu &c. Et sic isti Ordines sunt totaliter confirmati ut hic patet*; hæc Guido. Ex quibus patet, quòd textus habeat *in solido*, id est in firmo statu, & non *in solito*, id est consueto.

IDEM PHIL. RIB.

Et à Bonifacio PP. VIII.

494. Quod etiam probo ratione; quia secundùm quod Bonifacius Papa octavus in proœmio sexti dixit, ipse de quibusdam constitutionibus suorum prædecessorum aliqua detraxit, & aliqua correxit. Sicut de dicto *Cæterum*. Detraxit totam illam clausulam. *Donec de ipsis*

ipsis &c. Correxit etiam dictum §. *Cæterum*, mutando verba illius quæ dicebant; *In statu suo manere concedimus*, loco quorum posuit hæc nova verba, *In solido statu volumus permanere*: si autem dixisset: *In solito statu volumus permanere*, nulla esset correctio, neque mutatio haberet effectum; quia remanere *in solito statu*, erat eis concessum per priora verba: quæ dicebant *in suo statu permanere concedimus*; ergò non dicit: *In solito*, sed *in solido statu volumus permanere*. Sicut Joannes Monachi super verbo *solido* ait. *Non dicit solito, quia hic aliquid detrahitur, & mutatur de consilio præsenti, quia Gregorius in antiqua, istos duos Ordines in suo statu manere concessit, donec de ipsis fuisset aliter ordinatum.*

495. Præterea *Papæ narranti in suis litteris, & recitanti aliquod scriptum, vel factum super quo fundat intentionem suam, est plena fides adhibenda*; ut patet extrau. de probat, cap. *litteris nostris*, in Clementinis. Sed Dominus Joannes Papa vigesimus secundus in privilegio exemptionis Ordinis Carmelitarum recitans, jus quod ipsi habent in dicto §. *Cæterum*, & super ipso inter cætera intentionem suam fundans, dicit sic: *Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido & stabili decrevimus, & volumus permanere, considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores jam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium*, ut patet supra in hoc decimo libro, capitulo tertio. Igitur Papæ, sic, ut præmittitur, narranti, & ex intentione recitando, dicenti: *Ordinem Carmelitarum in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere*, est plena fides adhibenda. Ex quibus patet, quod verba scripta in dicto §. *Cæterum*, sunt ista, *in solido statu volumus permanere*. Nihilominus tamen si in dicto §. *Cæterum*. Papa dixisset: *in solito statu volumus permanere*: haberet locum ultima ratio sexti capituli; quia *solitus*, id est consuetus status Carmelitarum, qui præcessit istam ordinationem, erat *status solidus, & firmus, & approbatus*, ut in sexto capitulo est ostensum, & in septimo. Ergo dicendo. In solito statu volumus permanere, roborasset utique statum illum, ut patet.

Ioan. XXII. declarat Ordinis statum firmum, solidum, & stabilem.

ANNOTATIONIS.

DANIEL.

496. (a) E*Ruditus Scriptor Augustinianus Marquez in libro, de Origine Ordinis Eremitarum S. Augustini, per plura acutè discurrit circa ea quæ hoc capite pertractantur. De eadem materia videri etiam poterunt Ægidius à Præsentatione in opere, cui titulus* Primas Augustinianæus *libro 7. capite 5. Renatus Chopinus libro 2. Monasticæ Tit. 3. num. 29 & Lezana tomo. 4. Annalium.*

497. *Ex hactenus dictis patet, Authorem hujus operis, ordinate & accurate digestis, in libros decem (quorum singuli in octo capita subdividuntur) fuisse variâ eruditione præstantem, quod etiam Elogia suprà à nobis adducta in Prænotatione, num. 13 comprobant. Et porrò hoc volumen complectens quatuor vetustiorum Authorum Opuscula, instar fundamenti in Carmelitana Historia.*

EPILOGVS.

Phil. Rib. Synopsis X. librorum.

498. HÆc de nostræ Religionis origine, ac primæva institutione, *in primo Libro*. Et de primis fundatoribus, ac professoribus Religionis prædictæ, *in secundo Libro*: De locis in quibus conversati sunt monasticè, *in tertio Libro*: de Rectoribus eorum, & qualiter gubernati fuerunt tempore legis antiquæ, *in quarto Libro*. Et à quibus fuerunt baptizati, & perducti ad notitiam verbi incarnati ortâ novâ Lege, *in quinto Libro*. De titulis eorum, ac cur dicuntur Fratres Beatæ Mariæ *in sexto Libro*: De habitu hujus Religionis, & significatione ejus, & qualiter fuit in aliquibus variatus, *in septimo Libro*. Et de scriptoribus institutionis eorum, de Regula, & de ejus explanatione, *in octavo Libro*. Et de ædificatione monasteriorum per Provincias Syriæ, & Europæ ac destructione monasteriorum Terræ Sanctæ, *in nono Libro*. Et de protectione, exemptione, ac confirmatione Religionis prædictæ, *in decimo Libro*: à me Fratre Philippo Riboti Magistro in sacra pagina, nec non Priore Provinciali in Provincia Cathaloniæ existente, post Patres veteres hujus Ordinis dicta, & scripta sufficiant. Immensas autem de hoc opere reddo gratias summæ Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui sancto uni omnipotenti, & æterno Deo, creatori, & Redemptori, ac Glorificatori meo, & Sanctissimæ Dei Genitrici Virgini MARIÆ, cujus titulô Ordo noster insignitur, quæ me ab initio hujus operis dirigens per medium, perduxit usque ad finem. Cui sit laus, honor, virtus, & gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen. *

Epilogus.

Finis decem Librorum Philippi Riboti, & Annotationum in eosdem.

* Hic finis est voluminis decem librorum Philippi Riboti; In Codice MS. Mechliniensi hic immediatè subjungitur: *Explicat volumen decem librorum Magistri Philippi Riboti Ordinis Carmelitarum Provincialis Cathaloniæ eximij Sacræ Theologiæ Doctoris.* In Codice Gandensi, & Venetiis impresso sic: *Explicat decimus, & ultimus liber de Institutione, & peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum.* In exemplari PP. Carmelitarum Discalceatorum Bruxellis subjungitur: *à F. Philippo Riboti Magistro in Sacra Pagina, Provinciali Cathaloniæ scribente anno 1370. ut dicit lib. 10. cap. 5. secundum manuscriptum Claromontense Carmelitarum Discalceatorum.*

Animadvertendum opus istud decem libr. Phil. Riboti, quod hic finitur, desumptum ex tribus exemplaribus inter se collatis, scilicet impresso Venetiis anno 1507. & duobus vetustis Codicibus MSS. altero Carmeli Gandensis exarato in membrana, altero Mechliniensis in charta. Inservierunt quoque Notationes ex præfato exemplari MS. antiquo Conventus Claromontani Carmelit. Discalc. atque etiam ex MSS. monumentis Conventus nostri S. Mariæ Transpontinæ Romæ. Variæ autem istorum exemplarium lectiones notabiliores hinc indè, aut in Annotationibus, aut ad marginem indicantur.

APPEN-

APPENDIX

AD VOLUMEN DECEM LIBRORUM PRÆCEDENTIUM.

IN QUA EXHIBENTUR

ANTIQUA QUÆDAM ORDINIS MONUMENTA,

Illustrantia, & confirmantia hactenùs dicta.

499. *NE Tractatio decem Librorum præfatorum multùm discontinuaretur, nonnulla aliquantò prolixiora monumenta vetusta, pro illustratione, & confirmatione ante-dictorum, quæ non incongruè notis interseri potuissent, ad calcem, per modum Appendicis, referenda, visum convenientius.*

PRÆLATI TERRÆ S.

§. 1. *Litteræ binæ à Prælatis Terræ Sanctæ, & Magistris Hospitaliorum, ac Templariorum ad summum Pontificem.*

Annotatio ad libri noni cap. 8. & libri decimi cap. 7. atque 8.

500. SAnctissimo in Christo Patri, ac Domino Martino Divinâ providentiâ Sacro sanctæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Richardus Nicosiensis Archiepiscopus, Guilielmus Episcopus Ebronensis, Venerabilis Patris Domini Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius, Guilielmus Tyberiadensis Episcopus, ejus ad Deum Oratores assidui, devota pedum oscula beatorum, & cum Terræ Sanctæ recommendatione seipsos. Gustatô frequenter amaritudinis calice super dilatatis oppressionibus Terræ Sanctæ, quàm sauciat, laceratque assiduè manus Saracenorum impia semper invidia madefieri sanguine Redemptoris, ejus deploramus angustias, & per aspectum compassionis, intimè secum sui doloris tormenta compatimur, dolemusque de fidelium ipsius Catholicæ Ecclesiæ cruciatu continuo; quibus vix defensionis tutela relinquitur, seu quietis remedium indulgetur: sed potissimè circa opprobrium Redemptoris afficimur, cujus patrocinium nationes perversæ diripiunt, dirisque affligunt molestiis, & hostili severitate lacerant, & conculcant. Cujus ergò cor adeò poterit esse durum, quod pro relevandis eorum afflictionibus non emolliet piæ consideratiònis affectus? Quis adeò misericordiæ poterit claudere viscera, quòd nolit suppliciter ipsis postulantibus subvenire? Quis censebitur misericors aliis, qui suprà turbam fidelium, sic afflictam noluerit misereri, qui sic premuntur hostium Crucis incursibus, sic usque intrinsecùs ad intima lacerantur, sicque in bonis temporalibus colliduntur: quòd præter labores assiduos, qui modica eis vel nulla tempora quietis indulgent; laborant sub mole penuriæ, multis, & amplis, quibus abundare solebant, facultatibus diminutis. Sed habet in se depressa Terræ Sanctæ conditio, ut Christi corda fidelium erga eam, per debitæ compassionis affectum, pietatis fluenta derivent, plenitudinem miserationis exerceant, & frequenter in eis auxilium promptæ sollicitudinis studiis excitentur. Ea propter, Pater Sanctissime, clamor eorum ad pedes Sanctitatis vestræ defertur humiliùs, & istarum partium miserabilis status insinuatur expressiùs: ut vocibus oppressorum, quas ad aures Sanctitatis vestræ eò frequentiùs credimus pervenire, quò in suis necessitatibus sic afflicti ad vos confidentiùs, tamquàm ad portum confugiunt singularem, devotissimè implorantes benignitatis vestræ auxilium sufficiens, & festinum; nè, dum medicina paratur ægroto, pereat expectando: & antequam Sacerdos veniat, infirmus sine viatico moriatur: ad cujus auxilij consecutionem celerem, & felicem, licèt nova sint adhibenda studia, illorum tamen non sunt antiqua prætermittenda subsidia, quæ (nunc proh dolor, æmulationis conculcata soliô) à priscis Patribus fuêre approbata.

Terra Sancta miserandus status.

à Summo Pontifice subsidium petitur.

501. Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctissime, qualiter Ordo Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli, qui, inter cæteras sacras Religiones Apostolicæ Sedi devotas, claret devotione conspicuâ, fuit in cismarinis partibus à tempore, cujus non extat memoria, à prædictis Patribus in ejusdem Terræ Sanctæ solatium institutus. Cujus alis longè, latèque postmodùm, opitulatione Divinâ, extensis, Fratres ejusdem Ordinis subventioni ejusdem Terræ Sanctæ devotione penè ineffabili se devoventes, quæ manus pietatis subministrabat eisdem (tenui particulâ, pro suis supportandis necessitatibus, retentâ, Fratribus domorum suarum præmissarum partium) ministrabant, devotiùs in sæpè dictæ Terræ subsidium convertenda. Verùm prætextu Constitutionis in Lugdunensi Concilio editæ Fratres in aliquo contingentis eosdem, in eorundem horto occultæ persecutionis succrescentibus spinis, ac per ipsas solitæ charitatis evacuatô humore, passim ipsorum gramina exarescunt in grave dispendium subsidij memorati. Quia licèt iidem Fratres libenter sibi egeant, ut necessitatibus ejusdem Terræ abundent, nihilominùs tamen extremæ necessitati, nè pereant, deesse non potuerunt, quæ nullius Legis imperio est adstricta. Cùm ergò pro firmo teneamus, quòd in Apostolicæ Sedis desideriis super au-

Ordo Carmeli antiquitùs late extensus per Terram S.

Eidem Terræ S. subsidia exhibet.

Interreà à nonnullis affligitur.

Pro remedio supplicant Prælati Terræ S.

rum, & topazion hoc existit præcipuum, ut Terra præfata, multiplicatis subsidiis, educta de Servitutis Ægyptiacæ fœditate, & ipsa Christiana devotio votivâ potiatur lætitiâ, quæ diu languit sub dolore, Sedis ejusdem gratiâ, & Sanctitatis vestræ misericordiam, humiliter, & instanter flagitamus, quatenùs obtentu illius, qui, ut præmittitur Crucifixionis opprobria pro nobis in prædicta Terra patientiùs toleravit, dictorum Fratrum, qui relictis omnibus sequuntur Dominum, & obsequuntur, eorundem inopiam relevantes prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quòd nota vacillationis, quæ adversùs dictum Ordinem consurgit, ex ipsa omninò sublata, idem Ordo robur Prioris status resumat, & per consequens prædicti Fratres, ad pristinam devotionem populi restituti, dona uberiùs suscipiant solitæ charitatis, participanda demùm more solitò subsidiis memoratis. Communibus enim auxiliis sunt juvandi, qui publicum interesse laudabiliter prosequuntur. Valeat Sanctitas vestra, quam conservet Salvator omnium Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Data Accon anno Domini MCC LXXXII. die vigesima tertia mensis Septembris.

Littera altera.

LITTERÆ ALIÆ EX TERRA S. AD SUM. PONTIF.

502. SAnctissimo, & Reverendissimo Patri, & Domino Martino Divina providentia Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Frater Nicolaus Lorginus domus Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani Magister, & pauperum Christi custos, ac Frater Guilielmus de Bello loco pauperis militiæ templi Magister humilis, cum supplici Terræ Sanctæ recommendatione, devota pedum Oscula beatorum. Sedentes super flumina Babylonis flere amarè, proh dolor, compellimur, dum Terram illam quasi factam naufragam, conspicimus jugis persecutionis infligi sagittis, & validis fluctuum impulsibus agitari, quam ejus beavit præsentia, qui in eâ pro redemptione humani generis immolatus, manibus non dubitavit tradi nocentium, & Crucis amaritudinem degustare. Hæc siquidem quæ incessanter vestris oculis præsentantur ad ipsius imploranda subventionis Auxilia, anxios in nobis multiplicant spiritus, attendunt vota, & festinant corda vestra, ut hebetudine super his prætensâ, cessante, succrescant ministeria diligentiæ opportunæ, quæ fontem lacrymarum scaturientem de alveis fidelium oculorum, & super abundet tamen ratione consolationis optatæ. Ad horum sanè consecutionem celerem, & felicem, licèt nova sint adhibenda studia, tamen propensiùs sunt illorum antiqua observanda subsidia, quæ fuerunt à priscis Patribus approbata.

Terra S. gravis oppressio.

503. Invenimus si quidem in nostræ memoriæ tabula exaratum, quòd Ordo Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli in cismarinis partibus, à tempore quô memoria non existit, à prædictis Patribus in ejusdem Terræ solatium extitit institutus; cujus alis, opitulatione divinâ extensis, Fratres ejusdem Ordinis subventioni dictæ Terræ se devotiùs devoverunt. Verùm prætextu Constitutionis editæ in Lugdunensi Concilio Fratres prædictos in aliquo contingentis, evacuato solitæ charitatis humore, passim ipsorum germina exarescunt in grave dispendium spiritualis subsidij memorati. Nam licèt ijdem Fratres libenter sibi egeant, ut necessitatibus ejusdem Terræ abundent, nihilominùs tamen extremæ necessitati, nè pereant, deesse non poterunt, quæ nullius Legis imperio est adstricta. Nos ergò, propulsâ cunctatione, tenentes, quod in Apostolicæ sedis desideriis, super aurum, & topazion, hoc existit præcipuum, ut Terra præfata, multiplicatis subsidiis, educta de servitutis Ægyptiacæ fœditate in ipsa Christiana devotio votivâ potiatur lætitiâ, quæ diù in illa languit sub dolore; Sedis ejusdem gratiam & Sanctitatis vestræ misericordiam humiliter imploramus, quatenùs, obtentu illius, qui, ut præmittitur, Crucifixionis opprobria, pro nobis in prædicta Terra patientiùs toleravit, prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quòd nota vacillationis, quæ adversùs dictum Ordinem consurgit, ex ipsa sublata, idem Ordo robur Prioris status resumat, & per consequens prædicti Fratres ad pristinam devotionem populi restituti, dona uberiùs suscipiant solitæ charitatis. Conservet vos Deus Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Scriptum Accon 12. die mensis Julij sub anno Domini MCC LXXXIII.

Ordo Carmeli antiquitùs præstat Terræ S. subsidia.

Quo prætextu impediti fuerint.

Pro remedio recursus ad Summum Pontificem.

ANNOTATIONES.

304. L*itteræ illæ extant in antiquo Speculo Ordinis, typis excuso Venetiis anno Christi* 1507. *folio* 80, *& earum pars correctiùs in Speculo Historiali Arnoldi Bostij libro* 3. *cap.* 1. *ac inde desumpsimus. Habentur etiam ex parte apud Waldensem in doctrinali fidei tomo* 3. *tit.* 9. *cap.* 89. *& apud Thomam Bradley Episcopum Norwicensem in Hibernia in Chronico Ordinis hujus cap.* 9. *atque in Annalibus Ordinis tomo* 4. *ad annum Domini* 1282. *&* 1283. *Circa eas quædam hic annotanda occurrunt:* PRIMUM, *scriptas occasione verborum Concilij Lugdunensis (de quibus accuratè actum est hic paulò antè capite* 7. *libri decimi) perperàm intellectorum à quibusdam, & propterea graviter hunc Ordinem molestantibus.* SECUNDUM, *ex ijs liquet, quam calamitosus, & afflictus fuerit Religiosorum hujus Ordinis in Terra Sancta status, illis temporibus; etenim, ut habetur ex dicto capite* 8. *libri noni, & ex Annalibus Ordinis; augebantur nedùm communi miseriâ amissionis totius fermè Palæstinæ, (quæ paucis Civitatibus exceptis, in Barbarorum manibus tota devenerat) sed & ob eversionem Cœnobiorum, ex quibus pauca solùm restabant, quæ Turcarum rabiem, ferrò, & igne cuncta devastantium, tunc necdùm subijssent. Amiserant Socios plures, ab Infidelibus crudeliter interemptos, nec Ordinis Generalis consortiò, consolatione, & gubernio, nisi per litteras, & longo temporis spatiò, potiri poterant. Inter illas insuper calamitates, amaritudinem in eis augebant nonnulli, malè (ut dictum est) intelligentes quædam verba Concilij præfati, undè solitâ frustrabantur subventione eleëmosynarum: quibus non solùm ipsi se solebant sustentare, sed & necessitatibus subvenire Terræ Sanctæ; in cujus subsidium eleëmosynarum illarum potiorem partem conferebant, retentâ sibi duntaxat particulâ necessariâ.* TERTIUM, *ex loco, & tempore datarum, atque ex contextu earundem manifestè elicitur (sic ut rectè animadvertit, & declarat Lezana tom.* 4. *Annalium) eas scriptas ad Martinum Quartum, (pro ut habetur in Speculo historiali Arnoldi Bostij libro* 3. *cap.* 1. *ubi ista;* Prælati Terræ Sanctæ de Antiquitate prædicti Ordinis

Litteræ binæ præfatæ quâ occasione scriptæ.

Tom. 4. ad ann. 1282. & seq.

Lezana ad ann 1282. & 1283.

Non ad Bonifacium VIII, sed ad Martin. IV.

Ordinis Martino Papæ quarto concorditèr scripserunt: *& infra*: Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino, Domino Martino, Divinâ providentiâ Sacro Sanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ summo Pontifici &c. *Quam lectionem ut veram, & genuinam suscipimus & sequimur) non autem ad Bonifacium octavum, sicut legitur apud nonnullos, verisimiliter in errorem ductos; quòd Bonifacius octavus (forsan causâ harum litterarum) mentem dicti Concilij exponens, verbum illud* in solido statu, *pro* solitô, *seu* suô *(ut prius erat) supposuerit, sicut latiùs pertractatum est hic paulò antè cap. ultimô libri decimi*, Martinum istum ad Pontificale solium evectum annò Christi 1281. nonnulli vocant Martinum secundum, eò quod duobus anterioribus non Martinus, sed Marinus nomen fuerit. *Ita Spondanus.*

505. QUARTUM *ex istis verbis priorum litterarum (quibus similia sunt in posterioribus)* Illorum tamen non sunt antiqua prætermittenda subsidia, quæ (nunc, proh dolor! æmulationis conculcata loliô) à Priscis Patribus fuêre approbata. Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctissimè, qualiter Ordo Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli (qui inter cæteras sacras Religiones, Apostolicæ Sedi devotas, claret devotione conspicuâ) fuit in cismarinis partibus à tempore, cujus non extat memoria, à prædictis (*scilicet priscis Patribus, de quibus supra dixerant*) Patribus in ejusdem Terræ Sanctæ solatium institutus. *Ex illis inquam, potissimum* priscis Patribus, *&* à tempore cujus non extat memoria, à prædictis (*priscis scilicet*) Patribus &c. institutus, *manifestè etiam evincitur Antiquitas Ordinis hujus contra Witcleff, nuncupantem hunc & alios Ordines Religiosos* novellas vanitates, *atque etiam contra Raphaelem Volaterranum, nimis erroneè referentem Ordinis hujus Institutionem ad annum Christi 1286; nec non contra Sabellium, Polydorum, Heroldum, Zuingerum, & alios quosdam, Ordinis hujus initia adscribentes temporibus Innocentij Papæ tertij, & Alberti Ierosolymitani Patriarchæ, aut Alexandri Papæ tertij, & Aymerici Antiocheni Patriarchæ (sed de illis latiùs in Vinea Carmeli, prioribus capitibus partis 8.) Hinc gravis author Thomas Waldensis locô supra indicatô rescribens contra Witcleff, adductis binis litteris præfatis ex illis sic concludit, & urget*: Audiat testes istos (*Prælatos scilicet Terræ Sanctæ, & binos præfatos Magistros*) Witcleff, quamvis judex iniquus: non, à re quam testantur, remoti, litteris exponunt, chirographis protestantur, quòd Ordinis antiquitas, aut initium, omnium hominum tunc ibi viventium memorias superavit. *Sed istud de antiquitate Ordinis hujus (utpote à S. Elia instituti, & hæreditariam, haud unquam interruptam Successionem tenentis) luce meridianâ clarius est ex multis totô hôc volumine dictis. Undè etiam quævis opiniones in contrarium, refutata à nobis, in Vineâ Carmeli (loco præfato) & plenissimè in Carmeli Armamentariô per R. P. Franciscum Bona Spei, penitùs convelluntur*: QUINTUM *denique quoad nomina Prælatorum in prioribus litteris, Arnoldus Bostius, & Thomas Bradley habent sic*: Ricardus Nicosiensis Archiepiscopus, Guilielmus Ebronensis Episcopus, Venerabilis Patris Domini Patriarchæ Jerosolymitani Vicarius, Guilielmus Tiberiadensis Episcopus: *& in posterioribus* Nicolaus Lurgoni &c. *Speculum autem Ordinis exprimit solummodo initiales litteras sic*: R. Nicossiensis Archiep. G. Episcopus Ebronensis &c. *ac in posterioribus* Nicolaus Lorginus. *Quoad locum ubi scripta, Bostius, & Bradley habent* Achon, *Speculum Ordinis* Accon. *Ea est urbs Phœnicie, aliter nuncupata* Ptolemaïs, *sita quasi in littori, vicina Tyro, haud longè à Carmelo. Sub eo tempora (an. 1282. & 1283.) quandò scripta præfata litera, in illa commorabantur Principes, & Prælati plerique Terræ Sanctæ, aliis plerisque urbibus à Saracenis dirutis, aut occupatis. Deindè & ipsa Accon destructa fuit paucis annis post: historiam vide hic suprà libro 9. cap. 8. & ibi in notis, num. 448. & 456.*

Littera illa indicant Ordinis antiquitatem.

Impugnatam à Witcleff, & nonnullis aliis.

Waldens. in Doctrinali fidei tit. 9. cap. 89.

§. 2. (a) *Litteræ Episcopi Florentini de fundatione Eremitorij hujus Ordinis prope Florentiam anno Christi* DCCXLIII. *per Carmelicolas fugitivos à facie persequentium Saracenorum.* (a)

Annotatio ad ista libri septimi cap. 6. verba: Dum Homar Rex Arabiæ &c. *& illa capitis sequentis*: Propter Saracenorum persecutionem &c.

506. NOs (b) Thomas, miseratione divinâ Florentiæ Episcopus, protestamur expressè, ad perpetuam rei memoriam, & posteris futuram fidem, quòd ad honorem Dei, & Beatæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, & omnium cœlestium Civium in cœlestibus triumphantium, præsentibus Mauritio Cioniô Cotteriô, Ardinghiô à S. Geminiano, & Gottifredô Cuffa omnibus Ecclesiæ Florentinæ præsbyteris, nec non & præsentibus Eremitis ejusdem Carmeli montis Gennesiô, Basilide, Cyrillô, Enoc, Phromiô, Onuphriô, & Elpidiô, ex eodem S. monte ab Arabiæ iniquo Machometti Successore, & discipulo Humar Rege fugientibus, & in hanc Provinciam decursis, hâc præsenti die infrascriptâ primum lapidem parvæ Ecclesiæ in remoto loco pro eisdem eremitis Carmeli, ad totius populi Florentini placitum, & concursum, propriis nostris manibus, Deo dante, posuimus propè Civitatem, juxta Pisanam viam, & fluvium Arni. Acta sunt hæc Florentiæ in Palatio Episcopali testibus ad omnia vocatis Josepho à S. Vitaliô, Balduinô Balduini de Colle Vallis Elsæ, & Gualteriô quondam Vicedominô Florentinô sub anno Domini 743. mense Majô ejus verò die primâ, Indictione * decima tertia &c. Ego Raynerus Symeonis à signa Apostolicâ, & Imperiali authoritate Notarius Florentinus rogatus meâ manu confeci, & signum mei tabellionatus apposui. Locus ✠ Signi.

(b) LITTERÆ EPISC. FLORENTINI.

Littera fundationis antiqui Conventus prope Florentiam an. Chr. 743.

* *Al. XI.*

ANNOTATIONES.

507. (a) L*ittera illa desumpta sunt ex authentico Instrumento archivij Conventus Florentini, à fluvio Arni intra urbem translati: eadem in perennem memoriam marmori incisa in Claustro cernuntur. In eo etiam hæc inter cætera*: A Christi nativitate an. 743. Kalend. Maij ad honorem Dei, & Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo, erecta fuit parva quædam Ecclesia, cujus primum lapidem posuit Rev. DD. Thomas Episcopus Florentinus, in recessu propè Civitatem, juxta Pisanam viam, & flumen Arni, pro Eremitis quibusdam montis Carmeli, Genesio scilicet, Basilide, Cyrillo, Henoch, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, Humar Arabiæ Regis * Mahometi successoris Tyrannidem fugientibus, nutu divinô in hanc urbem perductis. Deinde an. 1268. Kal. Julij extra Civitatem fundata fuit hæc secunda Ecclesia per Reverendiss. DD. Joannem Florent. Antist. sub titulo Fratrum ejusdem Ordinis, præsentibus pluribus personis Religiosis, ac secularibus.

Fundationis istius aliud testimonium.

* *Alias Mahometi.*

508. Iste Homar, *seu* Humar *cujus ibi fit mentio, est ille, de quo agitur dicto capite sexto libri septimi; non quod ille*

Humar ille, cujus in litteris istis fit mentio, quis fuerit?

ille tùm adhuc superstes esset, sed quòd ab ipso inchoata gravis illa afflictio incolarum Terræ Sanctæ, per ejusdem Successores tunc adhuc continuaretur. Fuit tamen sub illa tempora etiam Humarus *alter : Qui circa annum 718. post* Masalmam *imperij Saracenorum suscepit habenas, adeò in Christianos saviens, ut edictum promulgarit, ut à Christiana Religione recederent ; pœnâ mortis detrectantibus impositâ. Sub ea etiam tempora (circa annum Christi 743 Tyrannidem, & crudelitatem in Christianos exercebat* Evelid, *Rex Arabum, fœta* Humari *infesta proles. De istis plura videri poterunt apud Theophanem rerum Orientalium* Scriptorem *Ista per Saracenos excitata* (inchoatæ circa an. 639. ab Humar prædicto) *persecutiones durarunt per annos circiter quadringentos sexaginta.* * *Interea Religiosi hujus Ordinis, relictis mansionibus, quas in urbibus habebant, Carmelum montem, aliasque eremos incolebant, ut ex dicto capite habetur.*

* Scilicet ab anno circiter 639 ad 1099.

509. *Quidam etiam, variis temporibus, & occasionibus se transtulerunt ad alias Orbis partes, ibi loca suo instituto accommodata recipientes, videlicet in Italia circa Florentiam dicto anno 743. Senis etiam in Tuscia eodem sæculo ; ibi enim Conventus fundatio in Annalibus Ordinis hujus tomo tertio, & in historiis ejusdem urbis facta legitur anno Christi 797. Idem adstruit Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana in Apologia sub finem his verbis* : Annales inclytæ Civitatis Senarum Etruriæ apertè testantur, Carmelitas anno 797. Sacellum S. Nicolai, quod adhuc hodie incolunt, piorum Civium liberalitate possidendum accepisse. *Instrumentum authenticum istius fundationis extat Romæ in Archivio Transpontino, ut testatur Lezana in dictis Annalibus Carmelitanis, in quibus etiam ad annum 707. annotat, tum primam fuisse fundationem istius Conventus, eam autem quæ contigit dicto anno 797. fuisse secundam, seu potius translationem. In Eremo etiam vicina Perusio circà annum Christi 950 ut habetur ex Annalibus Umbriæ. In Germaniâ Boppardiæ circa annum Christi 1054. aut aliquantò post, Coloniæ circa annum 1198. Herbipoli anno 1212 in Gallia Burdigalæ anno 1099. In Eremo distante leucâ à Massilia anno 1239. (vide hic suprà libro 9. cap. 3. sub finem) Tholosæ an. 1242 & in aliis Franciæ locis, atque alibi. Igitur, quòd nonnulli existimaverint S. Ludovicum primum fuisse, qui Carmelitas in Franciam adduxerit, ij falluntur, ut suprà nu. 441. annotavimus, & rectè animadvertit Dom. Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ibi relatus Vide etiam ad hoc propositum num. 419. De fundationibus antiquis aliorum quarundam Conventuum, tùm in Italia, tùm alibi, agitur eodem tomo tertiò, atque etiam in quarto Annalium. De nonnullis etiam nos egimus in Vinea Carmeli parte 3. cap. 29. per totum. De magno numero Martyrum tam longo temporum intervallo, per Saracenos interemptorum in Terra Sancta, deque acerbitate illius persecutionis videri poterunt ijdem Annales Ordinis: ubi etiam latè tractatur de Indulgentiis à Leone IV. circa annum Domini 850. Adriano II. sub anno 870. atque aliis eodem, & sequentibus seculis, in favorem hujus Ordinis concessis, quarum mentio erit hic infrà §. 7 & 8. Quando denique & qualiter Ordo solemniter è Terra Sancta in Europam transmigraverit, vidimus suprà libro 9. cap. 3. & 4.*

Sub eadem tempora etiam Senis, & alibi factæ fundationes.

(b) Thomas. *Thomas ille fuit nonus Episcopus Florentinus : de quo ista Ferdinandus Ughellus Tomo 3. Italiæ sacræ, scribens de Episcopis Florentinis :* Thomas Episcopus Florentinus interfuit Concilio Romano, sub Zacharia Papa an. 743. ut habetur in antiquissimo MS. codice Abbatiæ S. Salvatoris Montisamiatæ, de quo etiam Baronius ad hunc annum : *Ità ille. Paulò post scribit ipsum adhuc vixisse annò Christi 790. Apud Baronium autem recensetur inter Episcopos, qui dictæ Romanæ Synodo inchoatæ mense Septembri præfati anni 743. interfuerunt, & subscripserunt. Episcopatus ille deindè in Archiepiscopatum sublimatus fuit per Martinum V anno Christi 1420 die 2. mensis Maij. Ita Ughellus dicto tomo 3.* *

* Sub titulo *Archiepiscopi Florentini* columna 216.

§. 3. *Litteræ binæ Prælatorum Germaniæ, de titulo proprio Ordinis, & de palliis barratis dimissis, ac resumptis albis.*

Annotatio ad libri sexti cap. 5 & libri septimi cap. 6. & 7

LITTERÆ PRÆLATORUM GERM.

510. SIFRIDUS Dei Gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Imperij per Italiam Archicancellarius, Universis Abbatibus Præpositis, Decanis, ac aliis Ecclesiarum Rectoribus. præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum dilecti nobis in Christo Fratres Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli ex indulto Papæ, ac ex ordinatione sui Generalis Capituli, strepeticum Pallium, ob indecentiam clericalis habitus, deposuerint, albam cappam pro signo suæ Religionis assumendo, sicuti in litteris dicti Capituli vidimus contineri, vobis eosdem Fratres commendamus, in Domino exorantes, quatenùs ipsos promovendo, quantùm in vobis est, faciatis eos suô propriô titulô *Fratres Beatæ* MARIÆ seu *Fratres Dominæ nostræ* vulgariter appellari. Nos verò pietatis affectum omnibus Christi fidelibus, contritis, & confessis, eorundem Fratrum fautoribus, ac ipsos suô titulô prædictô devotè nominantibus, tàm in nostra, quàm in Suffraganeorum nostrorum Diœcesibus, decem dies Indulgentiarum, authoritate omnipotentis Dei, & eâ, quâ fungimur, misericorditer elargimur. Datum anno MCC LXXXVII. in festo Exaltationis S. Crucis.

Pallia barrata, seu strepetica cur deposita, & resumpta alba?

Indulgentia data nuncupantibus Ordinis hujus Religiosos, Fratres B. Mariæ.

511. BERTHOLDUS Dei Gratiâ Episcopus Herbipolensis, Universis Abbatibus, Præpositis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino &c. Vobis eosdem Fratres commendamus, in Domino exhortantes, quatenùs ipsos promovendo, quantùm in vobis est, faciatis eos propriô titulô *Fratres* B. MARIÆ. seu *Fratres Dominæ nostræ* vulgariter appellari. Nos verò, pietatis affectu, omnibus Christi fidelibus, contritis, & confessis, eorumdem Fratrum fautoribus, ac ipsos suô titulo devotè nominantibus, in nostra Diœcesi decem dies Indulgentiarum auctoritate Omnipotentis Dei, & quâ fungimur, misericorditer elargimur. Datæ anno Domini 1287. in festivitate B. Remigij Episcopi, & Confessoris.

Indulgentia eadem ab Episc. Herbip. concessa.

ANNOTATIONES.

512. P*Riores desumptæ sunt ex vetusto libro MS. Conventus Mechliniensis, exaratô annò 1484. manu Ioannis Paleonydori, celebris Ordinis hujus historici : posteriores extant in Trithemij libro secundo cap. 8. de B. Virgine in Urticeto. Utrasque quidem Vinea Carmeli insertas huic tamen Speculo deesse noluimus ; cum ut indè confirmentur dicta in præcedentibus libro 6. cap. 5. & dicenda sæpiùs in sequentibus, de titulo proprio Ordinis hujus* Fratrum B. Virginis Dei Genitricis MARIÆ, *nec non de Indulgentiis concessis, illis, qui eô titulô Ordinem vel Religiosos nuncuparent, tum ut nonnullis, in Carmelitana historia minùs versatis, indubitata magis fiant ea (alioqui certissima, Pontificiis etiam diplomatibus firmata) quæ libro 7. capite 6. & 7. dicta sunt de Palliis, seu cappis barratis, id est,*

est, varij coloris, quas coacti à Saracenis, Ordinis hujus Religiosi quondàm assumpserant, dimissis albis, & deinde authoritate Apostolicæ Sedis deposuerant, resumptis albis, sed de his satis præfato libro 7. cap. 6. & 7.

§. 4. *Litteræ D. Berengarij Cardinalis Episcopi Tusculani, ad Capitulum Generale hujus Ordinis Londini in Anglia celebrandum anno 1312.*

Ad libri 6. caput 5. de speciali titulo Ordinis, & ad finem capitis octavi libri noni.

513. PRovidis, ac Religiosis viris, dilectis amicis, Capituli Generalis, Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli, Londini celebrandi, Berengarius miseratione divinâ Episcopus Tusculanus salutem, & specialem affectum. Dùm animadvertimus, & internæ mentis aciem perlustramus, quòd insignis Ordinis vestri Religio; divinis mancipata obsequiis, gloriosæ Virginis, singularitate devotionis, & intitulatione denominationis adscripta, ex ipsius Ordinis Institutione, ac professorum ejusdem salutaris prosecutionis instantiâ rutilat, humilitate gaudet, castimoniâ splendet, & velut lucerna prælucida pulchritudine conversationis elucet, quòdque ipsius Ordinis Professores sub humili, ac arctæ observantiæ districtione viventes, in conspectu altissimi & ejus Beatæ Virginis, & Matris, phialas odoramentorum plenas, in Orationum assiduitate præsentant, & de pompis, ac mundanis illecebris, velut perfecti Christi servi, in spiritu Voluntariæ paupertatis devotè Deo famulantes, & sacræ paginæ documentis instructi fructus perutiles saluberrimæ prædicationis gratiâ, & exemplis salutaribus, in Dei Ecclesia producere non desistunt.

Ordinis Carmeli encomia.

514. Ad ipsius Ordinis prosperum statum allicimur, & ipsum internæ charitatis affectibus adstringentes, quæ illius profectum, & commoditatem respiciunt, desideranter appetimus, & his quæ illi honoris, & status minorationem ingererent, & pararent nocumenta, libenter occurrimus, & ministeriô sollicitudinis obviamus. Profectò considerantes ex instinctu charitatis hujusmodi, quòd Religiosus vir Frater Gerardus de Bononia Prior Generalis ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ magister, modernis diebus apud Sedem Apostolicam constitutus, apertis thesauris suæ grandis scientiæ, sic in conspectu Domini nostri Summi Pontificis, & Fratrum suorum, multiplicium odorositate virtutum redoluit, morum quoque candore, ac consilij maturitate complacuit, quod ob multimoda scientiarum fluenta, quæ de suo pectore, velut de promptuario pleno fluunt, ab ipso Domino nostro, & Fratribus suis in reputatione non modica, & pro uno de mundi hujus litteratis elegantioribus reputatur, & ab illis, quasi vasculum plenum aromatibus, est dilectus, non indignè conjicimus, quòd dictus Ordo propter ipsius Prioris excellentiam meritorum, ac propter favorabilem benevolentiam, quam ob ipsius Prioris grandia merita ab Apostolica Sede consequitur, Ordo ipse honore grandescit, & proficit utilibus incrementis. Et si ipsum Prioratus regimen ipsius cedere fortassè contigerit, Ordo posset ex hoc verisimiliter minorari. Quamobrem si dictus Prior in Generali Capitulo per Fratres ejusdem Ordinis celebrando cedere, vel illud resignare voluerit; laudamus, & ejus speciali affectu, quô ipsum Ordinem, vel Fratres ipsius prosequimur, sanô consiliô suademus, quatenùs resignationem, vel cessationem eamdem nullatenùs admittatis. Nam illud, si fieret, statui, & honori supradicti Ordinis, sicuti firmiter credimus, plurimùm derogaret, ac nobis etiam propter multa, quæ inde Ordini sequi possent incommoda, displiceret. Datum &c.

Gerardus de Bononia Generalis, ob doctrinam singularem charus Pontifici, & Cardinalibus.

ANNOTATIO.

515. *Etiam has litteras ex antiquo Speculo Ordinis folio 83 huc transtulimus, tum ob antiquitatis memoriam (& ideò etiam dicto Speculo insertæ fuerunt) tum ut confirmetur id quod libro 6, cap. 5. dictum est, de singularitate devotionis ad gloriosam Virginem Dei Matrem MARIAM, & intitulatione denominationis ab ea: nec non id quod libro 9. cap. 8 sub finem scribitur, de Religiosis hujus Ordinis Terrâ Sanctâ ejectis. Quod brevi post tempore in* partibus Occidentalibus multiplicati fuerint, ac multum fructum attulerint, ad augmentum fidei Catholicæ.

§. 5. *Cantabrigiensis Vniversitatis Decreta bina de Ordinis Carmelitarum origine, titulo, & confirmatione.*

Ad libri primi caput 2. libri secundi caput 1. & 2. lib. 6. caput 5. & libri decimi cap. 5. & seq.

516. *POst violentam Religiosorum Ordinis hujus depradationem in Terra Sancta, post tumultuosam eorum non expulsionem [illegible], verùm etiam occisionem, post immanem Barbarici furoris inundationem, descriptam suprà libro 9. capite 8. translata tandem Religio Carmelitana in Europam, dum ibi plantatur, & propagatur, Diabolicâ machinatione varias incurrit objectas remoras, quæ tandem, Dei, Deiparaque Patrona sua, & Apostolicæ Sedis favore, amota fuêre, pro ut eodem libro nono cap. 5. & 7. & libro 10. cap. 1. & 2. videre licet. Aliquantò post nova fuêre mota bella, præsertim, in Anglia, ubi per æmulos quosdam, circa antiquitatem, intitulationem, & confirmationem Ordinis hujus suscitatæ fuerunt graves rixæ, & contentiones, quæ doctissimorum quorundam calamos excitarunt in defensionem: quorumdam Opuscula subsequuntur parte 2. Pro illis etiam sedandis à Cantabrigiensi Vniversitate, olim valdè celebri in Anglia, deputati fuêre D. Ioannes Donewicus Cancellarius, Ioannes de Barnebagh Ordinis Minorum, Rogerus de Faleslei Ordinis Eremitarum S. Augustini sacræ paginæ Professores, cum aliis Theologiæ, & juris, ac Decretorum Doctoribus, & magistris: ut auditis, & examinatis utrimque rationibus, litem dirimerent. Ita refert Ioannes Pitseus, & Annales Ordinis tomo 4. ad annum Domini 1374. Tandemque prodierunt bina ista decreta, desumpta ex antiquo Speculo Carmelitano, Venetiis excuso anno 1507. in quo folio 80. & 81.*

Ordo Carmeli frequentes passus persecutiones.

In Anglia oppugnatur ejus antiquitas intitulatio & confirmatio.

& 81. his verbis exarata extant. Decretum Universitatis Cantabrigiæ, de origine, ac titulo, & confirmatione Ordinis Carmelitarum, sub Instrumento publico, quod est in domo nostra Londoniis. *Deinde sequitur:*

Decret. solemne Universitatis Cantabr.

517. In nomine Domini Amen. Per præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, quòd anno ejusdem, secundum cursum, & computationem Ecclesiæ Anglicanæ M CCCLXXIV. indictione XIII.* Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Gregorij, digna Dei providentia Papæ XI. anno V.* mense Februarij die 23. in quadam Capella Ecclesiæ Beatæ Mariæ Cantabrigiæ in fine Occidentali, retrò ostium boreale ejusdem Ecclesiæ, Eliensis Diœcesis, Venerabilis, & circumspectus vir Magister Ioannes de Donewico Canonicus Londonensis, Decretorum Doctor, Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ in Provincia Anglicana, unà cum Venerabilibus, & discretis viris Magistris Guilielmo de Goothm, Fratre Rogero de Falcsley Confratre Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Fratre Joanne Barnebagh confratre Ordinis Fratrum Minorum sacræ paginæ Professoribus, Guilielmo Granby Licentiato in Theologia, Waltero de Felstede Decretorum Doctore, Rectore Ecclesiæ Paroch. de Hennuyngforde Lincoln. Diœces. Nicolao de Bothishm. Magistro in artibus, & utriusque juris Baccalaureo, Rectore de Cappel. Joanne Kent, Magistro in artibus sibi ad infrascripta videnda, & audienda, ex parte Universitatis prædictæ, assignatis, seu deputatis, ut tunc ibidem dicebatur in mei Notarij publici subscripti, testimoniumque infrascriptorum præsentia constitutus, dixit expresse, & asseruit juxta, & secundum quædam allegata, & exhibita coram eo, & præfatis Venerabilibus personis, per Reverendum, & Religiosum virum F. Joannem de Horneby, Confratrem Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, sacræ paginæ Professorem, in dicta Universitate Regentem; tum videlicet per jura, & Doctores, in unum, & idem consonantes; tum per litteras Apostolicas, Regulam, & privilegia dicti Ordinis continentes; tum per (b) Chronicas antiquas, & alias Scripturas antiquitùs, & à tempore cujus hominum memoria non existit, compilatas, evidenter sibi liquere prædictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, in jure communi confirmatum, & titulo Gloriosæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, Fratresque ejusdem Ordinis, prout eidem Cancellario (c) per prædictas Scripturas antiquas apparuit, imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi. Unde præfatus Dominus Cancellarius per eundem Fratrem Joannem de Horneby, ipsius jurisdictioni se in hac parte submittentem, pro declaratione præmissorum rogatus, & requisitus, sæpe-dictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, in jure communi confirmatum, titulôque Gloriosæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum; & Fratres dicti Ordinis imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi pronunciavit, decrevit, & declaravit in hunc modum:

* Al. XII.

* Leg. IV. vide Notas.

(b) *Declaratio circa Ordinis confirmationem, intitulationem, & processum à S. Elia.*

(c)

518. Nos Joannes de Donewico Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà cum Chronicis, & Scripturis antiquis, Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum, titulôque Gloriosæ Virginis Beatæ Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, ac Fratres dicti Ordinis, prout nobis apparuit, per Chronicas, & alias Scripturas antiquas, Imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi; pronunciamus, decernimus, & declaramus: De quibus verò declaratione, decreto, & pronunciatione, idem Dominus Cancellarius, & sæpe dictus Frater Joannes de Horneby, rogaverunt me publicum conficere Instrumentum. Acta fuerunt hæc sub anno, indictione Pontificatus, mense, die, & loco supradictis, præsentibus discretis Magistris Guilielmo Redwynter, Guilielmo de Elinhm, Magistris in artibus, & dictæ Universitatis Procuratoribus, & Thoma Godmechestra Clerico, Norwicensis Diœcesis Notario Apostolico, ad præmissa vocatis, & specialiter rogatis: Et ego Joannes de Brandoeserie Clericus, Norwicensis Diœcesis &c.

Ordo hic declaratur titulo B. V. Mariæ insignitus, & à S. Elia institutionem habens.

Decretum alterum.

519. Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis præsentes litteras inspecturis Joannes de Donewico Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam. Cum nuper à nonnullis Universitatis prædictæ studentibus Institutio, Intitulatio & Confirmatio Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli nimis præsumptuosè revocabantur in dubium; undè discordiæ, ac rixæ, quamplurimæ inter Scholares ejusdem Universitatis fuerant suscitatæ, nec non magna perturbatio invalescebat in eadem. Ea propter Religiosus vir Frater Joannes de Horneby, sacræ paginæ Professor, dicti Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli Confrater, in ipsa Universitate Regens, nobis in Congregatione Regentium, & non regentium, humiliter, & devotè pro remedio opportuno per nos ordinando in præmissis instanter supplicavit. Nos vero Joannes Cancellarius antedictus, cupientes materias dissentionum, ac jurgiorum amputare, & veritatem præmissorum indagare, ac, prout ad nos attinet, quietem ipsius Universitatis scholaribus reparare, præfiximus certum diem dicto Religioso viro Fratri Joanni de Horneby, ad comparendum coram nobis, ac aliis Venerabilibus, per Universitatem Regentium & non Regentium, Unanimi assensu eorundem nominatis electis, & ad assistendum nobis deputatis: & omnibus, quorum interest in hac parte legitimè præmunitis, exhibituro, ac proposituro evidentias, & munimenta quæcumque,

Decret. aliud ejusdem Universitatis.

cumque, dictas institutionem, intitulationem, & confirmationem ipsorum Fratrum B. MARIÆ de monte Carmeli concernentia. Quo quidem die idem Frater Joannes comparuit, & quædam privilegia Sedis Apostolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac etiam alia (d) munimenta, & antiquas Scripturas coram nobis Cancellario, & deputatis antedictis exhibuit, consensu & assensu dicti Ordinis Confratrum præhabitis, & cum instantia nos requisivit, ac rogavit, nomine suo, ac Ordinis sui, & Confratrum suorum prædictorum; ut, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis eorum, Regulâ, & aliis hujusmodi (d) munimentis, & antiquis Scripturis, ac diligenter rimatis, & discussis, super præmissis veritatem decideremus, & declararemus.

(d) *Ex antiquis Scripturis, & munimentis eadem declarantur.*

(d)

520. Nos verò Cancellarius memoratus, attendentes præmissa consona esse juri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà cum nonnullis aliis (d) munimentis, & Scripturis antiquis, de consilio, & consensu discretorum, & Iurisperitorum dictæ Universitatis nobis assistentium in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum Ordinem Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum: & titulô Beatæ Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum; ac Fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa, exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, & Successores, causæ cognitione, & juris ordine in ea parte de jure requisitis, ad plenum reservatis, reputamus, decidimus, & decidendô declaramus in his scriptis: inhibentes quibuscumque nostris, & dictæ Universitatis subditis, nè contra has decisionem, & declarationem nostras in ipsorum Fratrum præjudicium, & dictæ Universitatis vituperium, & studentium in eadem inquietationem venire temerè præsumant, sub pœnis, & censuris nostro, & Successorum nostrorum arbitriô debitè in contravenientes ferendis. In quorum omnium, & singulorum testimonium præmissorum, præsentes litteras, decretum nostrum continentes, sigilli Officij nostri appensione fecimus communiri. Datum Cantabrigiæ 23. die mensis Februarij anno Domini 1374.

(d)

De Ordinis titulo à B. V. M. ac successione ab Elia.

ANNOTATIONES.

521. (a) CAntabrigiensis Universitas. *Ea celebris nominis Vrbs, & florens Angliæ Academia tunc temporis erat*: cum Sorore Oxoniensi litem nunquam occasuram habens, *ut scribit Michaël Alfordius in Annalibus Angliæ. Quantæ authoritatis, & ponderis censenda sit ista Universitatis, quondam nominatissimæ, decisio, perpendendum ex eo, quod nempè, post exhibita, lecta, & accuratè examinata monimenta vetusta, & antiquas Scripturas, ea prodierit, absque favore, aut passione; cum id fieret præsentibus Theologiæ, & juris Doctoribus, ac Professoribus, etiam aliorum Ordinum Religiosorum: qui tantæ antiquitatem, tamque præcellentem titulum Ordini huic solemniter asseri, & vendicari, passi non fuissent, nisi de illis manifestè constitisset. Quam acris, & diuturna fuerit illa Ordinis impugnatio, quo-ad ejus antiquitatem, titulum, & confirmationem: quodque multiplex defensionis præsidium, tunc non defuerit patescet ex dicendis parte 3. hujus Speculi:*

annal. Angl. ad ann. Christi 1109.

Quantæ authoritatis illa censenda?

(b) Per Chronicas antiquas.... (c) per prædictas Scripturas antiquas.... (d) munimenta, & antiquas Scripturas. *Wasteldius post adductum primò istud Decretum subjungit*: Nempe toties nominatæ Scripturæ illæ antiquæ, sive Scripturæ antiquitus, & à tempore cujus hominum memoriâ non existit, compilatæ, putas, periphrasis non sunt libri Episcopi Joannis, eorumque veterum monumentorum, in quibus agitur de prima Ordinis Institutione, Authore ejus Sancto Eliâ, successione ejus ad posterôs, ac patronatu Virginis MARIÆ, sive titulo Fratrum B. V. Mariæ temporibus Apostolorum? *Et infrà, post alterum Decretum*: Fortiter ego hic non premo, dum ipse Dominus Cancellarius premit satis, ne forsitan juxtà verbum sapientis, pro muco eliciamus sanguinem. Illud verò vel solum de veteribus monumentis testimonium, sive ipsum Universitatis Cantabrigiensis judicium, si in manus venisset, vel Domini Bellarmini, vel Magistri Joannis Mariæ procul dubio nec hic nec iste dicturi fuerant temporibus Apostolorum inauditum fuisse Carmelitarum nomen: nisi dictum suum intelligant moraliter tantum, & usu non promiscuo apud veteres Scriptores. Et verè ipse nescio, quos culpem magis, recentesne pios alioquin hos viros; an magis modestissimi semper Ordinis nostri dispensationem illam, quâ sic tardè in publicum usum prodire facimus præstantissima monumenta.

§. 6. *Extracta (a) ex antiquis Ordinis Statutis à S. Brocardo circa annum Christi* MCLXXXXI. *scriptis, & ex libro Sermonum Richardi Armachani Primatis Hiberniæ.*

(a)

522. IN *antiquis Ordinis Constitutionibus, sub initium hæc habentur.* Qualiter respondendum sit quærentibus: Quando, & qualiter, aut quomodò Ordo noster sumpsit exordium: & quare dicimur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo. *Deinde sequitur*: Cum quidam Fratres nostri Ordines juniores; quærentibus à quo, vel quomodò Ordo noster sumpsit exordium: vel quare dicimur Fratres Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ de monte Carmeli, nesciant satisfacere competenter: Hinc est, quòd in scriptis formam talibus respondendi volumus relinquere: & testimonium veritati perhibentes dicimus: quod à tempore Eliæ, & Elisei ejus discipuli montem Carmeli, qui non longè ab Achon distat, devotè inhabitarunt multi Sancti Patres, tam veteris, quàm novi testamenti solitudinis, montis ejusdem pro contemplatione cœlestium, veri amatores: ibidem juxta fontem Eliæ in sanctâ pœnitentiâ sanctis successibus continuatâ, sunt procul dubiò conversati laudabiliter, ac religiosè, prout testatur Quarti Regum historia. Et Josephus Antiochenus librô de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12. dicens: Perfectorum Militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi, Viri solitarij, contemplationi dediti: Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces: qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Judæam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Mariæ Virginis honorem in montis Carmeli decli-

In Constit. antiq. rubricâ seu cap. 1.

Tempore Eliæ, & Elisæi, in Carmelo semper continuata successio Religiosorum.

Carmelitæ la Apostolorum coadjutores: in Carmelo Oratorium Deiparæ construunt.

declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri specialissimè servierunt. Et hâc ratione ipsius titulum elegerunt, ut dicerentur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli. *In cæteris omnibus Constitutionibus antiquis eadem inserta sunt, atque etiam ista*: Multas Indulgentias dicto Ordini multi Pontifices concesserunt, atque plurima privilegia dederunt. Primus quoad Indulgentias fuit Leo Papa IV. an. Domini DCCCXLVIII. Et Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ex antiquitate tantorum Pontificum, privilegiorum, & indulgentiarum facillimè excerpitur antiquitas, & approbatio Ordinis nostri, atque origo Fratrum nostrorum: & per plures alios Summos Pontifices, qui ipsum Ordinem, & titulum approbantes tutissimè confirmaverunt. In cujus Regulæ, & Ordinis professione nos eorum sequaces usque in hodiernum diem, auxiliante Virgine benedictâ, in diversis mundi partibus Deo famulamur. Cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum.

523. *Istis consonant ea, quæ Richardus Armachanus Hiberniæ Primas scribit in libro Sermonum in sermone, cujus initium est*: AVE MARIA, *habitô Avinione coram Venerabili cœtu Cardinalium in festo Conceptionis Deiparæ Virginis anno Christi* 1342, *& refert Thomas Waldensis in præclaro suo opere nuncupato*: *Doctrinale fidei & dogmatum Ecclesiæ. Ibi igitur ista*: An non meritò illi dicimus AVE, quæ sic erat illustrata virtutibus in sua origine? utique hanc illustrationem in suô ortu hic sanctus, ac peculiaris, & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu, qui hoc festum singulariter in eo solemnizat, candorem habitus sui, ut existimo, prudenter, & devotè referens ad hoc festum. Miramini forsan, quia dixi, Ordo suus peculiaris, & antiquus; cùm, veritate attentâ, nullatenùs sit mirandum; quoniam, ut dicunt fide dignæ historiæ, (b) à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpiùs morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth Civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi, & in latere ipsius montis primò Ecclesiam, seu Oratorium in honorem Beatæ MARIÆ Virginis construxerunt. Et ob hoc nimirùm Dominæ nostræ primitùs sunt ascripti, ut dicerentur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo.

Waldensis to. 3 de Sacra montalibus tit. 9. cap. 99.

Carmelitarum Ordo peculiariter Virgini Deiparæ dicatus à tempore Eliæ usque ad Christum

(b)

Carmelus situs propè Nazareth habitatus à Religiosis.

ANNOTATIONES.

524. (a) EX antiquis Ordinis statutis. *Statuta illa à Ioanne Bachone, Arnoldo Bostio, & aliis nuncupantur*: Constitutiones antiquæ *seu* editæ ab antiquo, *videlicet à S. Brocardo circà annum Christi* MCLXXXXI. *Sicut in Annalibus Ordinis ad dictum annum refertur. Statutorum istorum à S. Brocardo editorum meminerunt quoque Antonius Possevinus in Apparatu Sacro in Appendice, & Gesnerus in Bibliotheca littera B. ubi ista*: Brocardus patriâ Jerosolymitanus, Palæstinorum Doctor Hebræus, ac latinè peritus, Eremita montis Carmeli, latinè scripsit Canonem sui Ordinis librum unum, Statuta in Carmelo librum unum. *Eadem, quæ in præfatis statutis antiquis, etiam verbotenùs leguntur in Constitutionibus à Venerabili Patre Ioanne Soreth ordinatis, & publicatis anno Christi* MCCCCLXVI; *atque etiam antea, & deinceps semper in Constitutionibus Ordinis sub initium inserta fuerunt.*

Ordinis antiqua à S. Brocardo scripta in Carmelo.

525. *Eorum locô in Constitutionibus Strictioris Observantiæ, à Summis Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. confirmatis, ad calcem ista leguntur*: Certissimâ pridem Authorum relatione constat, Monastici, sive Religiosi Instituti Principes viros extitisse Eliam, & Eliseum, cæterosque Prophetarum filios, qui in veteri Testamento floruerunt. *Et infrà*: Ab his porrò Carmelitarum familiæ primordia, per continuam sæculorum successionem deducenda sunt. Ita enim suadent, cùm traditio per manus ad nos usque hæreditaria, tùm perennis, & immemorabilis possessio. Fatetur, & consensus aliorum omnium, quorum nemo non originem directè accersit ab Elia; testantur è nostris alienisque Authores non pauci, pietate, & doctrinâ insignes: definiunt, in suis diplomatibus Summi Pontifices benè multi, Joannes XXII. Sixtus IV. Julius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Qui omnes disertis verbis Eliæ & Elisei hæreditariam Successionem, Carmelitis authenticè confirmant: Immò verò, quod omni exceptione majus est, ritè decernunt Sanctorum Eliæ, nec non Elisei dies festos primariâ solemnitate quotannis inter nos recoli. Ideoque eorum, velut in Ordine Patriarcharum, memoriam, præscriptis jam olim in Breviario Officiis, in Missali Sacrificiis, in Ecclesia templis, aris, ac imaginibus, publicô cultu celebrari. *Quoad supra relatum Iosephi Antiocheni (qui vixit vicinus temporibus Apostolorum) testimonium, illudquoque adducunt alij vetusti, & recentiores Ordinis historici, & exteri non pauci. Plura de eo Lezana tomo 1. Annalium cap. 6. sub initium. Vide etiam hic supra libro 5. capite 8. sub finem.*

Carmelitanæ successionis fundamenta synopsi tradita.

(b) A tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpiùs morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth, Civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare, usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi. *Ista omnia satis luculenter tractata sunt in antecedentibus: nempè de successione Filiorum Prophetarum discipulorum, & posterorum SS. Eliæ, & Elisei, in Carmelo, &, aliis Terræ Sanctæ locis libro 3. cap. 5. De conversione istorum ad fidem Christi libro 5. per totum: De Ecclesia, seu Oratorio, in Carmelo ad honorem B. Virginis* MARIÆ *constructo primitùs anno Christi* 38. *& translato, seu etiam altero ædificato anno* 83. *libro* 6. *cap.* 5.

§. 7. *Extracta ex antiquo Speculo Ordinis Venetiis olim impresso, circa Indulgentias à Leone IV. ac deinde à multis aliis Pontificibus Ordini huic concessas, nec non circa nomenclaturam Ordinis ab ipsa Virgine Dei Genitrice Maria.*

Ad libri sexti caput 1. 2. 3. 4. & 5. & ad libri 2. cap. 8. de successione & antiquitate Ordinis à S. Elia.

526. DUm præcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum, Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus Prælata sidereis, quasi stella matutina prærutilat, Romani Pontifices devotæ considerationis animô perscrutantur: dumque etiam intrà pectoris arcana revolvunt, quòd ipsa, utpotè Mater Misericordiæ, Mater gratiæ, pietatis amica, humani Generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere prægravantur, sedula exoratrix, pervigil ad Regem, quem genuit, intercedat. Ad hos inclinata præcipuè oratione talium, quorum

Ob venerationem B. V. M. Ordini Carmelitano benefici Pontifices.

In Speculo Ordinis folio 64. Venetiis impresso anno 1507.

quorum status regularis, ejus felici titulô specialiter insignitur; dignum potiùs, imò debitum reputantes, ut Ecclesias, & domos Fratrum, seu devotorum filiorum ejusdem misericordiæ Matris de Carmelo, in honore sui nominis specialiter fundatas, gratiosis remissionum prosequantur stipendiis, & Indulgentiarum honorent muneribus: quò sic in filiis spiritualiter dotatis, humillimæ Matris quodammodo decoretur fœcunditas præclarissima.

In eodem Speculo folio 99.

517. *In eodem Speculo circa Indulgentias Ordini huic concessas specialiter ista referuntur*: (a) LEO PAPA QVARTVS omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatissimæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmeli hujusmodi in festis Nativitatis Domini, & Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, assumptionis Nativitatis, Annunciationis, Purificationis ejusdem Beatæ Dei Genitricis MARIÆ, Sancti Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, devotè visitarent, & pias eleëmosynas largiti forent, seu domos confractas ejusdem Ordinis reficerent, septem annos, & totidem quadragenas concessit. Et ADRIANVS SECVNDVS, STEPHANVS QVINTVS, SERGIVS TERTIVS &c. *Ibi consequenter alij recensentur Romani Pontifices, qui similes concesserunt Indulgentias: quas subsequentes* SIXTVS QVARTVS, INNOCENTIVS OCTAVUS, JVLIVS SECVNDVS, ET GREGORIVS XIII. *Bullis suis inserentes confirmarunt quoque.*

(a) *Indulgentia à Leone IV. & successoribus concessa Ordini Carmelit.*

Clausula illa, seu conditio, largiendi eleëmosynam, sublata jam est, seu mutata in alia pia opera. Vide Annotat.

Innoc. IV.

528. *In eodem Speculo plures Pontificum Bullæ abbreviatæ habentur his terminis*: INNOCENTIVS *Episcopus Servus servorum Dei* universis Christi fidelibus, qui Conventibus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli de bonis sibi à Deo collatis grata contulerint subsidia charitatis, aut eum devotione eosdem Conventus in festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri JESV CHRISTI, Pentecostes, & corporis Christi, in omnibus Dominicis quadragesimæ, & feriis tertiis, quintis, & Sabbatis, ac quinque festivitatibus Beatæ MARIÆ Virginis piè, & devotè visitaverint: duos annos, & duas quadragenas de injunctis eis pænitentiis toties quoties, singulis videlicet diebus festivitatum prædictarum, quibus hoc facere meruerunt, misericorditer in Domino relaxat. Data Lugduni quinto Kalendas Octobris Pontificatûs ejusdem octavo.

Indulgentia à sequentibus Pontificibus.

In eodem Speculo folio 64.

Alexand. IV.

ALEXANDER *Episcopus Servus servorum Dei* concedit omnibus Christi fidelibus Præfatos conventus piè visitantibus, & eisdem eleëmosynas charitativè conferentibus, unum annum & unam quadragenam. Data Anaginæ Idibus Februarij Pontificatûs ejusdem anno primo.

Greg. X.

GREGORIVS *Episcopus Servus servorum Dei* omnibus Christi fidelibus piè, & devotè in festis, & diebus prætactis præfatos Conventus visitantibus: duos annos & duas quadragenas in Domino relaxat. Datum Perusij quinto Idus Aprilis Pontificatûs ejusdem anno tertio. *Hæc ibi: & aliorum similes concessiones subsequuntur.*

529. *Quo ad titulum Ordinis, ista Bulla (inter plures alias) subsequuntur in eodem Speculo.**

* Folio 81. & 82.

Ioan. XXII.

JOANNES *Episcopus Servus servorum Dei* Dilectis filiis Priori Generali & universis Prioribus & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli tam præsentibus quam futuris religiosam vitam professis: salutem & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro dominico divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli. *Habetur integra hic suprà libro* 10. *cap.* 3. *num.* 472.

Titulus Ordinis Carm. B. V. M.

JOANNES *Episcopus Servus servorum Dei* Dilectis filiis Priori Generali & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum sacrum Ordinem vestrum præcelsæ Dei genitricis vocabulô specialiter insignitum: & sublimium vestrarum virtutum, merita Deo quidem grata, & in conspectibus Apostolicæ Sedis accepta, dignâ memoriâ recensemus.

Clem. VI.

CLEMENS *Episc. Servus servorum Dei* Dilectis filiis Generali & aliis Prioribus & Fratribus Ordinis B.MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro dominico divinâ dispositione plantatus: & gloriosæ Virginis MARIÆ titulô specialiter insignitus *ea etiam tota præcessit hic supra libro* 10. *cap.* 4. *nu.* 476. CLEMENS Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis Priori Generali & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Præclaræ Religionis vestræ, Dei genetricis Beatæ MARIÆ Virginis vocabulô insignitæ, favor exposcit, & sinceræ devotionis, quam sedulò ergà nos, & Romanam Ecclesiam geritis, merita nos inducunt: ut illâ vos & Ordinem vestrum gratiâ prosequamur: per quam & divinus cultus, & Ordo ipse suscipere valeant incrementum *In eodem Speculo ibi consequenter refertur, quod* URBAN. VI. omnibus Christi fidelibus qui Ordinem ipsum, & Fratres ejusdem Ordinis: Ordinem seu Fratres Beatissimæ Mariæ genetricis Dei de monte Carmeli vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum gratiosè perpetuis temporibus duraturam concesserit. *eandem Indulgentiam confirmavit quoque Gregorius XIII. In bulla*: Ut laudes *data anno Domini* 1577.

Eô Ordinem aut Fratres nuncupantibus concessa Indulgentia.

Vide etiam ad hoc propositum hic supra num. 510. & 511.

530. *Præfatis summis Pontificibus conformiter scribit Innocentius VIII. in bulla data Anno Domini* 1484. *in qua ista, inter cætera.*

Innoc. VIIII.

INNOCENTIVS *Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Dum attentâ meditatione pensamus, quòd Virgo venustissima, & omnium virtutum floribus insignita Dei genitrix gloriosissima, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cujusque precibus ju-

vatur populus Christianus, & quæ florem pretiosissimum, immarcessibilem, & æternum Dominum nostrum JESVM CHRISTVM ineffabili sanctiSpiritûs cooperante virtute genuit, (b) produxitque Sacrum Ordinem Dei genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo, à Sede Apostolica, plurimisque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum, quem ejusdem gloriosissimæ Dei genetricis semperque Virginis MARIÆ speciali titulô voluit insigniri, ut ob ejusdẽ Virginis reverentiã, Ordo ipse à Christi fidelibus meritò peramplius veneraretur, ipsique fideles propterea ejusdem Virginis Mariæ adjuti suffragiis, æternæ retributionis præmia faciliùs consequi mererentur. Dumque sublimium dicti Ordinis utriusque sexûs personarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in conspectu præfatæ Sedis accepta, dignâ memoriâ recensemus, ac Ordinem ipsum,& illius personas sub ejusdem Sedis, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tamquam Religionis Speculum, & Exemplar speciali charitate fulgentes,(c) Sanctorumq; Prophetarum Eliæ & Elisei, ac aliorum Patrum,qui montem Sanctũ Carmeli juxta fontem Eliæ inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes: fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hactenùs produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum fore indubitanter speramus; Paternâ charitate intuemur; dignum potiùs, quinimò & debitum reputamus, nos ad illa nostros dirigere debere cogitatus, per quæ ea quæ pro divini cultus, & dicti Ordinis incremento, animarumque salute à quàm pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, sublatis ambiguitatibus, quæ exindè emersisse noscuntur, in sua integritate persistant..... De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, authoritate, confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui in Conceptionis, Præsentationis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Visitationis, & Assumptionis dictæ gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ festivitatibus à primis vesperis usque ad occasum Solis dierum Festivitatum hujusmodi dicti Ordinis de monte Carmelo Ecclesias prædictas ubilibet constitutas,nec non per septem dies, prædictas Festivitates sequentes immediatè, ac etiam in diebus vocabulorum earumdem Ecclesiarum devotè visitaverint annuatim, & ad præmissa, vel eorum aliqua manus porrexerint adjutrices, qualibet dictarum Festivitatum & dierum triginta annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer de specialis dono gratiæ in Domino relaxamus, præsentibus perpetuô valituris &c..... Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto tertio Kalendas Februarij Pontificatûs nostri Anno primo. *Originale bulla istius exstat in archivio Conventus Ordinis hujus Francofurti, & inde ejus copiam authenticam habuimus. Cæterum de titulo illo* Gloriosissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ *Ordini attributo, plura videri poterunt hîc suprà librô 6. cap. 5. 7. & 8. & quandoque agetur in sequentibus, in parte 2. & peculiariter in parte tertia.*

Ordo Carm. à SS. PP. Elia, & Eliseo successionem hæreditariam tenet.

Indulgentia in septem festivitat. B. V. M. concessa in Ecclesijs Carm.

ANNOTATIONES.

531. (a) LEo Papa IV. *occasione istarum Indulgentiarum, nominatim à Leone IV. (qui ab Anno Christi octingentesimo quadragesimo septimo cathedram Apostolicam tenuit) Baptista Mantuanus in Apologia pro Ordine Carmelitarum contra quosdam, qui asserebant hunc esse posteriorem aliis Ordinibus Mendicantibus.* Reperimus, *inquit*, & in promptu omnibus est, & ad oculum potest videri, Leonem IV. Pontificem Maximum largas Indulgentias nostris benefactoribus elargitum, quem constat Pontificatum gessisse annô salutis nostræ 854 Franciscum verò, & Dominicum, viros quidem Sanctissimos, constat circa 1200. annum floruisse; quò fit, ut arctissimô judicij articulô concludi possit, nos Carmelitas saltem per 350. annos antecessisse Minores & Prædicatores: hoc inquam, convinci potest scriptis, & litteris Apostolitis, contrà quas exceptio nulla fieri possit. *Hæc Mantuanus: qui in eadem Apologia testatur:* Quatuor Bullas Romanorum Pontificum præfatorum in Fratrum nostrorum favorem ad Patriarchas Jerosolymitanos missas, suô tempore ex Cypro allatas, unà cum decreto Godefridi de Bulyon etiam in favorem Ordinis hujus concesso. *Notissimus quoque Homiliographus Ioannes de Carthagena libro 17. Homiliarum homiliâ 2. objectione 7. impugnans quosdam, existimantes Ordinem hunc initium habuisse tempore Pontificatus Alexandri III. per Aymericum Patriarcham Antiochenum, hôc (inter cætera) argumentô istos convincit:* Aymericum non dedisse primordia huic sacro Ordini illud apertè confirmat, quod antè Aymericum Patriarcham, Leo IV, Adrianus II. Stephanus V. Sergius III, Joannes X, Joannes XI. Sergius V. Clemens III, & Alexander II. varia privilegia concesserint Monachis montis Carmeli. Etenim, cum propter hostium incursus, varia eorum monasteria fuissent eversa, Sacri Pontifices concesserunt varias Indulgentias Christi fidelibus, qui ad eorum restaurationem, & Monachorum victum, alicujus Eleëmosynæ subsidium impenderent. Nè autem quisquam hoc in dubium vertat, locupletissimus testis, omni exceptione major est Gregorius XIII. Qui in Bulla Carmelitano Ordini concessa, cujus initium est, UT LAUDES: compendiumque Privilegiorum, plura horum Pontificum privilegia refert. *Hæc Carthagena. Bulla ista Gregorij XIII. (referentis, & confirmantis præfatas Leonis IV, Adriani II, Stephani V. & aliorum subsequentium Pontificum Indulgentias) cujus initium est* Ut laudes *data anno Christi 1577. extat apud Emmanuelem Rodericum tomo 2. Bullarum Apostolicarum & in ea Pontifex prætermittis clausulam, seu conditionem porrigendi manus adjutrices, sivè eleëmosynas elargiendi Fratribus, aut Ecclesijs nostris ad consequendas prædictas Indulgentias, ab omnibus ferè aliis ejus prædecessoribus insertam: & eorum loco alia opera pia præscripsit, videlicet visitationem Ecclesiarum nostrarum, actus Contritionis, Confessionem, & aliquarum precum recitationem. Sed de istis latius in Bullario Ordinis.*

Ex antiquitate Indulgentiarum Ordini concessarum colligitur antiquitas ejus.

Et quod is longè præcesserit tempore Aymerici Patriarcha Antiocheni.

Roderic. to. 2. pag. 508. Edit. Antuerp.

532. (b) Produxitque sacrum Ordinem. *Videlicet ut causa exemplaris, & finalis Vide hîc supra Annotationes ad libri 6. caput primum num. 217. & 218.*

(c) SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi.... successionem hæreditariam tenentes. *Ferè eadem omninò scribunt Pontifices alij plures in suis Ordini huic concessis Diplomatibus, Bullario Ordinis insertis: quibus consonant bina præfata Cantabrigiensis Vniversitatis decreta. Vide hîc suprà num 518. & 520. & ista de Institutione, & hæreditariâ, ac jugi semperque continuatâ successione Ordinis hujus à S. P. Elia, ex omnibus hactenùs dictis certa, & manifesta sunt, & ex dicendis confirmabuntur.*

§. 8. *Extracta ex Speculo antiquo Ordinis MS. circa Indulgentias & privilegia à multis Pontificibus Ordini huic gratiosè concessa.*

Ad lib. 6. cap. 1. 2. 3. 4. & 5. & ad lib. 10.

533. IN *vetusto codice MS. Conventus Carmelitani Mechliniæ, cujus titulus est ad extrà:* Liber de peculiaribus gestis Carmelitarum cum multis aliis. *Et ad intrà:* Speculum Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli: *in quo continentur Libri decem Philippi Riboti (hìc proximè præcedentes, constituentes partem primam Speculi hujus) atque alia multa Opuscula, & antiqua monumenta præfati Ordinis; hæc inter cætera exarata sunt folio CCXXXVII.* (a) SIXTUS *Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Dum attentâ meditatione pensamus quod gloriosissima Dei Genitrix Maria Virgo venustissima: & omnium virtutum floribus insignita: cujus ineffabilem pulchritudinem Sol & Luna mirantur: cujusque precibus juvatur populus Christianus: & quæ florem preciosissimum immarcessibilem & æternum Dominum nostrum Jesum Christum immensâ sancti Spiritus cooperante virtute genuit: * produxitque sacrum Ordinem B. Mariæ de monte Carmeli à S. Sede Apostolica, & pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & etiam à nobis multipliciter approbatum: quem ejusdem gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ speciali titulô voluit insigniri. *Et post alia (ferè eadem quæ in præfata Bulla Innocentij VIII. de professoribus Ordinis hujus subjungitur:* (b) Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi, & Enoch: necnon & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.

(a) (b) *Vide l. 6. cap. 1. & ibi in Not. n. 217. 218.

534. *Deindè referuntur Indulgentiæ à variis Pontificibus Ordini concessæ his verbis:* Licèt multi Romani Pontifices prædecessores nostri ob reverentiam gloriosissimæ, & intemeratæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, & singularem devotionem quam ad illam, & prædictum Ordinem sub ejusdem Dei Genitricis Mariæ titulô specialitèr insignitum gesserunt, (c) diversas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac privilegia, & indulta ipsi Ordini, & illius domibus concesserint, quæ in eisdem domibus sunt recepta, & quorum continentia in publicis scripturis, & dicti Ordinis Ecclesiis apertissimè reperitur, sub hac videlicet verborum formâ: LEO PAPA IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli hujusmodi in festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri, & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis ejusdem Beatæ Dei Genetricis Mariæ, S. Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceves, & per Octavam prædictarum festivitatum, ac vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devotè visitarent, & pias eleëmosynas largiri forent, seu domos confractas ejusdem Ordinis reficerent, septem annos, & duodecim quadragenas. Et ADRIANVS II. STEPHANVS V. SERGIVS III. JOANNES X. & JOANNES XI. SERGIVS V. & INNOCENTIVS IV. (qui dictum Ordinem confirmavit) omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus contritis, & confessis, qui prædictas Ecclesias piè visitarent in prædictis festivitatibus, & earum Octavis, seu qui domos fractas ejusdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipsarum Ecclesiarum munera darent, vel Confratriam dicti Ordinis assumerent, & eam intrarent, aut calicem pro Missis celebrandis, vel tobalias, seu mappas erogarent, vel qui in præmissis, aut quolibet præmissorum manus porrigerent adjutrices, vel qui in suis ultimis testamentis aliquid legarent, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. *Ibi consequentèr aliorum multorum Pontificum Indulgentiæ Ordini huic datæ referuntur: ac denique ipse Sixtus IV. subjungit.* De nostra mera voluntate, ac deliberatione, & ex certa nostra scientia, singulas Indulgentias, non tamen plenarias, ac alias spirituales, & temporales gratias à prædictis, seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris dicto Ordini B. Mariæ de monte Carmeli, & illius domibus Ecclesiis, ac personis in genere, vel in specie, quomodolibet concessas, quorum omnium tenores, & effectus, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur hic haberi volumus pro sufficientèr expressis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium in suo robore, suaque firmitate confirmamus, approbamus, & innovamus, ac de novo concedimus.

(c) *Indulgentiæ antiquæ Ordinis.*

Clausula de eleemos. dandis mutata est postea in alia pietatis opera v. n. 531 in fine.

à Sixto PP. IV. confirmata.

535. *In eodem antiquo libro MS. folio CLXXIII. paginâ 2. extat pervetustô charactere exarata Bulla Ioannis XXII. communitèr nuncupata* SABBATINA, *quâ publicatur, & confirmatur concessum huic Ordini meritis, & jussu B. Virginis Mariæ, singulare beneficium, vulgò nuncupatum* PRIVILEGIVM SABBATINVM, *videlicet*, quod ipsa purissima Virgo nostri Ordinis singularis Patrona, quæ ubique, tùm in ista, tùm in altera vita plurimum pollet, fideles Scapulare nostri Ordinis deferentes, & servanda servantes, post eorum obitum in gratia, dum igne Purgatorij expiantur, suis efficacissimis precibus adjuvat, ut quàm citiùs, & præsertim in die Sabbati, in cælestem patriam efferantur. *Bulla illa gratiosissima ex dicto Codice MS. (scilicet Speculo antiquo Ordinis) desumpta, inserta est Vineæ Carmeli parte 4. & ibi luculentèr explicata. De eadem etiam peculiaritèr tractabitur infrà, in parte 3. Ideò indè dumtaxat hic pauca delibantur. Ejus hoc est initium:* (d) JOANNES *Servus servorum Dei universis, & singulis fidelibus, tàm præsentibus, quàm futuris, præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.* Sacratissimô uti culmine Paradisi, Angelorum tàm dulcis & suavis reperitur

Sabbatina Bulla singulare privilegium.

ritur melodia &c. *Et post alia refert Pontifex apparitionem, & jussionem Virginis gloriosæ sibi factam*: Sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit * Carmelita, sequentem affata sermonem ..... (c) Istam gratiam, & amplam meo sancto, & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem * debes piè concedere, per Eliam, & Elisæum in monte Carmeli inchoato. *Consequentèr refert verba ejusdem superbenedictæ Dei Matris, spondentis* Religiosis hujus Ordinis Regulam suam inviolatam tenentibus, & Confratribus præscripta servantibus salutem æternam, & liberationem è Purgatorio Sabbato post eorum obitum. *Ac tandem sic Diploma suum istud concludit:* Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis gloriosæ Jesus Christus concessit in cælis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Indulgentiæ, statuti, & ordinationis irritare &c. *Immediatè post subjungitur*: Hæc est Bulla Joannis XXII. quam Alexander V. confirmavit: cujus Originale dicitur fore in Anglia, & in Conventu Januensi ejus instrumentum authenticum.

* Id est Carmelitanâ veste amicta.

* Al. debeas præconcedere.

Sabbatini privilegii concessio, & confirmatio.

536. *Bulla ista abbreviata, etiam antiquò valdè charactere scripta est in eodem libro in Tractatu cujus titulus est*: Collectarium, seu Collectaneum exemplorum &c. *cap. 6. cujus titulus est*: Qualiter B. Virgo apparens Joanni Papæ XXII. præcepit ei dare Carmelitis privilegia, & eos defendere ab æmulis. *Et in fine additur*: Papa in officio constitutus omnia pro posse adimplevit: & Ordini in omnibus favit, & promovit, privilegiavit, & robore Apostolicô munivit. (f) Nec fuit aliquis prædecessor, qui tot privilegia Ordini contulerit, sicut iste Joannes XXII. sicut patet in pluribus Bullis Ordinis. Ista autem revelatio, & apparitio dicitur fore in Bulla plumbea in Anglia: & in Conventu Januensi est ejus instrumentum authenticum, & magis amplum quàm hîc ponitur.

Ioan PP. XXII. in Carmelit. Ord. liberalissimus.

(f) *Originale Bullæ istius in Anglia.*

537. *In præfato eodem Ordinis hujus Speculo MS. sub finem. folio CCXL. etiam ista huic Ordini concessa privilegia referantur sic*: Sixtus Papa IV. *in Mari magno privilegiorum Ordinis nostri circà finem* (g) Postremò, cum prædictorum Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de monte Carmeli, sicut & Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum Professores, pro fidei Catholicæ dilatatione continuè, indefessèque laborent, fructusque afferant in Ecclesia Dei salutares: & propterea fuerunt variis per Sedem prædictam privilegiis decorati; ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia, & favores; eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli professoribus; ut concessis eisdem Fratribus Prædicatoribus, Minoribus, & Eremitis S. Augustini privilegiis, indulgentiis, gratiis, & favoribus, ac indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & quomodolibet etiam à nobis, aut aliis authoritatem habentibus (quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hîc volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere) potiri, & gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus, in omnibus, & per omnia prorsùs, & sine ulla differentia: perindè, ac si quæ eisdem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinibus prædictis sunt concessa prædicto Ordini Gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum. Et quæ Magistro Prædicatorum, & Ministro Generali Minorum, & Priori Generali Eremitarum S. Augustini, Provincialibusque Prioribus Prædicatorum, & Ministris Minorum Fratrum, ac Provincialibus Prioribus Eremitarum S. Augustini, nec non Monasteriis Monialium sub eorundem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum cura secundùm ipsorum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum instituta viventium sunt statuta, in Magistro Generali, & in Provincialibus Prioribus, & Vicariis dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, & Monasteriorum Monialium dicti Ordinis instituta viventium vice versâ statuta sint, & esse censeantur. Mandantes etiam scientiâ, & motu, & authoritate prædictis, præcipiendo, ut dum privilegiorum, indulgentiarum, prærogativarum, exemptionum, indultorum, immunitatum dictorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini originales litteræ, aut transumpta authentica pro parte, & in favorem Fratrum dictorum Beatissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tam in judicio, quam extra judicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si in favorem dictorum Fratrum Beatissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli à Sede Apostolicâ emanassent, & eis fuissent immediatè concessa.

Amplissima Ordini huic concessa communicatio privilegiorum, & indulg. cum aliis Ordin.

ANNOTATIONES.

538. (a) Sixtus *ad marginem ibi paulò infrà hæc adscripta leguntur*: Ego Frater Joannes * Oudewater vidi veram Bullam plumbeam in Conventu Mechliniensi istius Sixti Papæ IV. cujus hæc est copia manu meâ . . . Anno Domini MCCCCLXXVIII. Deo gratias. Pontificatus Sixti anno septimo.

* *Alias Palœnydorus.*

539. (b) Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Enoch, &c. successionem hæreditariam tenentes. *Ità quoque Innocentius VIII. (vide hîc suprà num. 530.) Et Iulius II. ac Gregorius XIII. in Bullis de quibus mox. Enoch ille cognominatus de* Amathim *vixit in Carmelo temporibus Apostolorum, & deindè fuit comes S. Marci, & consors in Evangelicis Cœnobitis instruendis: ac tandem paulò post sui magistri necem ad Carmelum reversus ibi contemplationi vacans obijt anno Christi 64. die septima Iulij dignô honore sepultura traditus. Ita Lezana in Annalibus ad dictum annum.*

(c) Diversas Indulgentias. *Easdem etiam suis Bullis insertas habent, & confirmarunt Iulius II. in Bulla cujus initium*

initium est : Ad Sacrum Ordinem Beatæ, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli dirigentes nostræ considerationis intuitum. *Data Romæ anno Domini* 1504. *duodecimo Kalendas May. Et Gregorius XIII. in Bulla* Vt laudes, *data anno* 1577. *die XVIII. Septembris, & utrique illam tradit (ut jam dicebatur) Ordinem hunc, & illius personas* à SS Prophetis Elia, & Eliseo hæreditariam successionem tenere. *Sed de istis latiùs in Bullario Ordinis.*

540. (d) Joannes servus servorum. *In aliis exemplaribus est* : Joannes Episcopus servus servorum. *Bullam, & privilegium istud Sabbatinum confirmavit Alexander V. & eam verbatim insertam habet suo Diplomate, cujus hoc est initium* : ALEXANDER *Episcopus servus servorum Dei*, universis, & singulis Christi-fidelibus, tam præsentibus quam futuris, præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Tenore cujusdam privilegij, felicis recordationis Joannis XXII. prædecessoris nostri, dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus, & dilectis in Christo Filiabus, Sororibus, & Confratribus Confratriæ Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi, & diligentèr inspecti, de dicto Originali sumpto, ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur, præsentibus fecimus annotari, qui talis est : JOANNES *Episcopus servus servorum Dei*, &c. *Eandem Ioannis Bullam, atque etiam Alexandri, necnon privilegium Sabbatinum, videlicet de liberandis è Purgatorio præcipuè in die Sabbati animabus Confratrum habitum Ordinis* (id est Scapulare) *gestantium, & servanda servantium, confirmarunt quoque Clemens VII. Paulus* III. *Pius V. & Gregorius XIII. Sacra Congregatio S. Inquisitionis sub Paulo V. anno* 1613. *Privilegium istud post maturum examen etiam approbavit, & (contra quosdam obloquentes) illud in concionibus publicari posse decrevit. In isto Decreto etiam conditiones requisitæ ad promerendam specialem illam gratiam sic paucis exprimuntur*: Nimirum Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitàverint, vel si recitare nesciant, jejunia Ecclesiæ observaverint, & Feria 4. & Sabbatò à carnibus abstinuerint, nisi ubi in illis diebus Nativitatis Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post eorum transitum, præcipuè die Sabbati (qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini Mariæ dicatus est) adjuturam. *Sed de istis singulis latiùs in sequentibus præsertim parte* 3.

Sabbatina Bulla confirmatio per Alexand. V.

Atque alios Pontif.

Conditiones requisitæ pro Sabbatino privilegio.

541. (e) Istam gratiam, & amplam &c. *In aliis exemplaribus sic legitur* : Ità gratiam & amplam meo sacro & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere per Eliam & Eliseum in monte Carmelo inchoato. *Gratiam, & amplam confirmationem, atque omnimodam exemptionem concessit per Bullam, insertam Speculo Ordinis hic supra libro 10. cap. 3. Quoad ista verba à B. Virgine prolata, & à Ioanne* XXII *relata de Carmelitano Ordine* : Per Eliam, & Eliseum in monte Carmelo inchoata, *confirmata sunt aliorum præcedentium Pontificum verbis, de hæreditaria successione ab istis SS. Prophetis : & etiam perpetua constanti veritate ex omnibus hactenùs actis.*

542. (f) Nec fuit aliquis prædecessorum qui tot privilegia Ordini contulerit, sicut ille Ioannes XXII. *scilicet occasione istius apparitionis, & jussionis. Etenim præter præfatam Bullam Sabbatinam, anno primo sui Pontificatus concessit amplissimam exemptionem Ordinis, de qua jam dictum, & sequentibus annis alias gratias ac privilegia magna, ac multa indulsit, de quibus in Annalibus Ordinis ad singulos ferè annos quibus Pontificali in solio sedit.*

543. (g) Postremò cum prædictorum &c. *Sed cur Pontifices Ordinem hunc, sicut & alios illos præfatos Prædicatorum, Minorum, ac Eremitarum S. Augustini tantis decorarunt privilegiis ? Ratio est utilitas magna ex istis Ordinibus in Ecclesiam proveniens : atque ut justè labores istorum Ordinum in Vinea Domini impensos recompensent. Etenim* fitut nulli ferè unquam Hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patientèr audire potuerint. *Cur istà ?* Non eò certè spectant, ut Ordines solùm hominū Religiosorū disjiciant, Monastica enque de medio tollant, sed ut Ecclesiā totā hac ratione perturbent, ac vastent, eamque (si fieri possit) à fundamentis evertant. *Ità veracitèr Cardinalis Bellarminus in Controversiis libro de Monachis, in Præfatione. Sic è contra* quotquot fuerunt unquam pij Scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris hoc genus vitæ laudibus in cœlum tollere conati sunt, *inquit Bellarminus ibidem. Hinc Summi Pontifices considerantes* quantum splendoris, & utilitatis in Ecclesia Dei oriatur ex Monasteriis piè institutis, & rectè administratis (*verba sunt Concilij Tridentini sess.* 25. *de Regularibus*) *peculiari sollicitudine invigilant conservanda, & (ubi collapsa est) instauranda regulari disciplina in Religiosis Ordinibus. Insuper ut Ordines isti sint stabiles, firmi, solidi, nullumque internæ pacis patiantur excidium, atque devotiùs, & alacriùs divino cultui, & profectui animarum insistant, cumulatissimò præmiò Religiosos labores, in Vinea Domini fructuosè impensos liberalitèr semper studuerunt compensare, videlicet Apostolicis privilegiis, exemptionibus, & libertatibus : quod singulorum Ordinum Bullaria inspicienti patescet. Rationem, seu motivum istud indicat ipse Pontifex verbis istis jam recitatis* : Cum pro fidei Catholicæ dilatatione continuè, indefessèque laborent, fructusque afferant in Ecclesia Dei salutares : & propterea fuerunt variis per Sedem prædictam privilegiis decorati ; ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia, & favores. *Eadem est ratio Societatis Iesu, & cæterorum Ordinum Religiosorum simili privilegiorum communicatione gaudentium.*

Pontifices cur magnis privilegiis decoraverint 4. Ordines Mendic.

Finis Partis primæ Speculi Carmelitani.

SPE-

Pro remedio supplicant Prælati Terræ S.

rum, & topazion hoc existit præcipuum, ut Terra præfata, multiplicatis subsidiis, educta de Servitutis Ægyptiacæ fœditate, & ipsa Christiana devotio votivâ potiatur lætitiâ, quæ diu languit sub dolore, Sedis ejusdem gratiâ, & Sanctitatis vestræ misericordiam, humiliter, & instanter flagitamus, quatenùs obtentu illius, qui, ut præmittitur Crucifixionis opprobria pro nobis in prædicta Terra patientiùs toleravit, dictorum Fratrum, qui relictis omnibus sequuntur Dominum, & obsequuntur, eorundem inopiam relevantes prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quòd nota vacillationis, quæ adversùs dictum Ordinem consurgit, ex ipsa omninò sublata, idem Ordo robur Prioris status resumat, & per consequens prædicti Fratres, ad pristinam devotionem populi restituti, dona uberiùs suscipiant solitæ charitatis, participanda demùm more solitô subsidiis memoratis. Communibus enim auxiliis sunt juvandi, qui publicum interesse laudabiliter prosequuntur. Valeat Sanctitas vestra, quam conservet Salvator omnium Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Data Accon anno Domini MCC LXXXII. die vigesima tertia mensis Septembris.

Littera altera.

Litteræ aliæ ex Terra S. ad Sum. Pontif.

502. Sanctissimo, & Reverendissimo Patri, & Domino Martino Divina providentia Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Frater Nicolaus Lorginus domus Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani Magister, & pauperum Christi custos, ac Frater Guilielmus de Bello loco pauperis militiæ templi Magister humilis, cum supplici Terræ Sanctæ recommendatione, devota pedum Oscula beatorum. Sedentes super flumina Babylonis flere amarè, proh dolor, compellimur, dum Terram illam quasi factam naufragam, conspicimus jugis persecutionis infligi sagittis, & validis fluctuum impulsibus agitari, quam ejus beavit præsentia, qui in eâ pro redemptione humani generis immolatus, manibus non dubitavit tradi nocentium, & Crucis amaritudinem degustare. Hæc siquidem quæ incessanter vestris oculis præsentantur ad ipsius implorandam subventionis Auxilia, anxios in nobis multiplicant spiritus, attendunt vota, & festinant corda vestra, ut hebetudine super his prætensâ, cessante, succrescant ministeria diligentiæ opportunæ, quæ fontem lacrymarum scaturientem de alveis fidelium oculorum, & super abundet tamen ratione consolationis optatæ. Ad horum sanè consecutionem celerem, & felicem, licèt nova sint adhibenda studia, tamen propensiùs sunt illorum antiqua observanda subsidia, quæ fuerunt à priscis Patribus approbata.

Terra S. gravis oppressio.

Ordo Carmeli antiquitùs præstat Terræ S. subsidia.

503. Invenimus si quidem in nostræ memoriæ tabula exaratum, quòd Ordo Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli in cismarinis partibus, à tempore quô memoria non existit, à prædictis Patribus in ejusdem Terræ solatium extitit institutus; cujus alis, opitulatione diffusâ extensis, Fratres ejusdem Ordinis subventioni dictæ Terræ se devotiùs devoverunt. Verùm prætextu Constitutionis editæ in Lugdunensi Concilio Fratres prædicti in aliquo contingentis, evacuato solitæ charitatis humore, passim ipsorum germina exarescunt in grave dispendium spiritualis subsidij memorati. Nam licèt ijdem Fratres libenter sibi egeant, ut necessitatibus ejusdem Terræ abundent, nihilominùs tamen extremæ necessitati, nè pereant, deesse non poterunt, quæ nullius Legis imperio est adstricta. Nos ergò, propulsâ cunctatione, tenentes, quod in Apostolicæ sedis desideriis, super aurum, & topazion, hoc existit præcipuum, ut Terra præfata, multiplicatis subsidiis, educta de servitutis Ægyptiacæ fœditate in ipsa Christiana devotio votivâ potiatur lætitiâ, quæ diù in illa languit sub dolore; Sedis ejusdem gratiam & Sanctitatis vestræ misericordiam humiliter imploramus, quatenùs, obtentu illius, qui, ut præmittitur, Crucifixionis opprobria, pro nobis in prædicta Terra patientiùs toleravit, prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quòd nota vacillationis, quæ adversùs dictum Ordinem consurgit, ex ipsa sublata, idem Ordo robur Prioris status resumat, & per consequens prædicti Fratres ad pristinam devotionem populi restituti, dona uberiùs suscipiant solitæ charitatis. Conservet vos Deus Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Scriptum Accon 12. die mensis Julij sub anno Domini MCC LXXXIII.

Quo prætextu impediti fuerint.

Pro remedio recursus ad Summum Pontificem.

ANNOTATIONES.

504. *Litteræ illæ extant in antiquo Speculo Ordinis, typis excuso Venetiis anno Christi 1507. folio 80, & earum pars correctiùs in Speculo Historiali Arnoldi Bostij libro 3. cap. 1. ac inde desumpsimus. Habentur etiam ex parte apud Waldensem in doctrinali fidei tomo 3. tit. 9. cap. 89. & apud Thomam Bradley Episcopum Norwitensem in Hibernia in Chronico Ordinis hujus cap. 9. atque in Annalibus Ordinis tomo 4. ad annum Domini 1282. & 1283. Circa eas quædam hic annotanda occurrunt:* PRIMUM, *scriptas occasione verborum Concilij Lugdunensis (de quibus accuratè actum est hic paulò antè capite 7. libri decimi) perperàm intellectorum à quibusdam, & propterea graviter hunc Ordinem molestantibus.* SECUNDUM, *ex iis liquet, quam calamitosus, & afflictus fuerit Religiosorum hujus Ordinis in Terra Sancta status, illis temporibus; etenim, ut habetur ex dictis capite 8. libri noni, & ex Annalibus Ordinis; augebantur nedum communi miseriâ amissionis totius fermè Palæstinæ, (quæ paucis Civitatibus exceptis, in Barbarorum manus tota devenerat) sed & ob eversionem Cœnobiorum, ex quibus pauca solùm restabant, quæ Turcarum rabiem, ferrô, & igne cuncta devastantium, tunc needùm subiissent. Amiserant Socios plures, ab Infidelibus crudeliter interemptos, nec Ordinis Generalis conservatiô, consolatione, & gubernatiô, nisi per litteras, & longô temporis spatiô, potiri poterant. Inter illas insuper calamitates, amaritudinem in eis augebant nonnulli, malè (ut dictum est) intelligentes quædam verba Concilij præfati, undè solitâ frustrabantur subventione eleëmosynarum: quibus non solùm ipsi se solebant sustentare, sed & necessitatibus subvenire Terræ Sanctæ: in cujus subsidium eleëmosynarum illarum potiorem partem conferebant, retentâ sibi duntaxat particulâ necessariâ.* TERTIUM, *ex loco, & tempore datarum, atque ex contextu earundem manifestè elicitur (sic utì rectè animadvertit, & declarat Lezana tom. 4. Annalium) eas scriptas ad Martinum Quartum, (prout habetur in Speculo historiali Arnoldi Bostij libro 3. cap. 1. ubi ipsa;* Prælati Terræ Sanctæ de Antiquitate prædicti Ordinis

Littera bina præfata quâ occasione scripta.

Tom. 4. ad ann. 1282. & seq.

Lezana ad ann. 1282. & 1283.

Non ad Bonifacium VIII, sed ad Martin. IV.

Ordinis Martino Papæ quarto concorditèr scripserunt: *& infra*: Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino, Domino Martino, Divinâ providentiâ Sacro Sanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ summo Pontifici &c. *Quam lectionem ut veram, & genuinam suscipimus & sequimur) non autem ad Bonifacium octavum, sicut legitur apud nonnullos, verisimiliter in errorem ductos; quòd Bonifacius octavus (forsan causâ harum litterarum) mentem dicti Concilij exponens, verbum illud* in solido statu, *pro* solitò, *seu* suo *(ut prius erat) supposuerit, sicut latiùs pertractatum est hic paulò antè cap. ultimò libri decimi*, Martinum istum ad Pontificale solium evectum annò Christi 1281, nonnulli vocant Martinum secundum, eò quod duobus anterioribus non Martinus, sed Marinus nomen fuerit, *Ita Spondanus.*

505. QUARTUM *ex istis verbis priorum litterarum (quibus similia sunt in posterioribus)* Illorum tamen non sunt antiqua prætermittenda subsidia, quæ (nunc, proh dolor! æmulationis conculcata loliô) à Priscis Patribus fuêre approbata. Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctissime, qualiter Ordo Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli (qui inter cæteras sacras Religiones, Apostolicæ Sedi devotas, claret devotione conspicuâ) fuit in cismarinis partibus à tempore, cujus non extat memoria, à prædictis *(scilicet priscis Patribus, de quibus supra dixerant)* Patribus in ejusdem Terræ Sanctæ solatium institutus. *Ex illis inquam, potissimum* priscis Patribus, *&* à tempore cujus non extat memoria, à prædictus *(priscis scilicet)* Patribus &c. institutus. *manifestè etiam evincitur Antiquitas Ordinis hujus contra Witcleff, nuncupantem hunc & alios Ordines Religiosos* novellas vanitates. *atque etiam contra Raphaelem Volaterranum, nimis erroneè referentem Ordinis hujus Institutionem ad annum Christi 1286; nec non contra Sabellium, Polydorum, Heroldum, Zuingerum, & alios quosdam, Ordinis hujus initia adscribentes temporibus Innocentij Papa tertij, & Alberti Jerosolymitani Patriarcha, aut Alexandri Papa tertij. & Aymerici Antiocheni Patriarcha (sed de illis latiùs in Vinea Carmeli, prioribus capitibus partis 8.) Hinc gravis author Thomas Waldensis locô suprà indicatô rescribens contra Witcleff, adductis binis litteris præfatis ex illis sic concludit, & urget*: Audiat testes istos *(Prælatos scilicet Terra Sancta, & binos præfatos Magistros)* Witcleff, quamvis judex iniquus: non, à te quam testantur, remoti, litteris exponunt, chirographis protestantur, quòd Ordinis antiquitas, aut initium, omnium hominum tunc ibi viventium memorias superavit. *Sed istud de antiquitate Ordinis hujus (utpote à S. Elia instituti, & hæreditariam, haud unquam interruptam Successionem tenentis) luce meridianâ clarius est ex cunctis totô hôc volumine dictis. Vide etiam quævis opiniones in contrarium, refutata à nobis, in Vineâ Carmeli (loco præfato) & plenissimè in Carmeli Armamentario per R. P. Franciscum Bona Spei, penitùs convellantur*: QUINTUM *denique quoad nomina Prælatorum in prioribus litteris, Arnoldus Bostius, & Thomas Bradley habent sic*: Ricardus Nicosiensis Archiepiscopus, Guilielmus Ebronensis Episcopus, Venerabilis Patris Domini Patriarchæ Jerosolymitani Vicarius, Guilielmus Tiberiadensis Episcopus: *& in posterioribus* Nicolaus Lurgoni &c. *Speculum autem Ordinis exprimit solummodo initiales litteras sic*: R. Nicossiensis Archiep. G. Episcopus Ebronensis &c. *ac in posterioribus* Nicolaus Lorginus. *Quoad locum ubi scripta, Bostius, & Bradley habent* Achon, *Speculum Ordinis* Accon. *Est ista urbs Phœnicia, aliter nuncupata* Ptolemais; *sita quasi in litore, vicina Tyro, haud longè à Carmelo. Sub ea tempora (an. 1282. & 1283.) quandò scripta præfata littera, in illa conveniebantur Principes, & Prælati plerique Terrâ Sanctâ, aliis plerisque urbibus à Saracenis dirutis, aut occupatis. Deinque & ipsa Accon destructa fuit paucis annis post: historiam vide hic suprà libro 9. cap. 8. & ibi in notis, num. 448. & 456.*

Littera illa insinuant Ordinis antiquitatem.

Impugnatam à Witcleff, & nonnullis aliis.

Waldens. in Doctrinali fidei tit. 9. cap. 89.

§. 2. (a) *Litteræ Episcopi Florentini de fundatione Eremitorij hujus Ordinis prope Florentiam anno Christi* DCCXLIII. *per Carmelicolas fugitivos à facie persequentium Saracenorum.* (a)

Annotatio ad ista libri septimi cap. 6. verba: Dum Homar Rex Arabiæ &c. *& illa capitis sequentis*: Propter Saracenorum persecutionem &c.

506. NOs (b) Thomas, miseratione divinâ Florentiæ Episcopus, protestamur expressè, ad perpetuam rei memoriam, & posteris futuram fidem, quòd ad honorem Dei, & Beatæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, & omnium cœlestium Civium in cœlestibus triumphantium, præsentibus Mauritio Cioniô Corteriô, Ardinghiô à S. Geminiano, & Gottifredô Cuffa omnibus Ecclesiæ Florentinæ præsbyteris, nec non & præsentibus Eremitis ejusdem Carmeli montis Gennesiô, Basilide, Cyrillô, Enoc, Phrontô, Onuphriô, & Elpidiô, ex eodem S. monte ab Arabiæ iniquo Machometti Successore, & discipulo Humar Rege fugientibus, & in hanc Provinciam decursis, hâc præsenti die infrascriptâ primum lapidem parvæ Ecclesiæ in remoto loco pro eisdem eremitis Carmeli, ad totius populi Florentini placitum, & concursum, propriis nostris manibus, Deo dante, posuimus propè Civitatem, juxta Pisanam viam, & fluvium Arni. Acta sont hæc Florentiæ in Palatio Episcopali testibus ad omnia vocatis Josepho à S. Vivaldô, Balduinô Balduini de Colle Vallis Elsæ, & Gualteriô quondam Vicedominô Florentinô sub anno Domini 743. mense Majô ejus verò die primâ, Indictione * decima tertia &c. Ego Raynerus Symeonis à signa Apostolicâ, & Imperiali authoritate Notarius Florentinus rogatus meâ manu confeci, & signum mei tabellionatus apposui. Locus ✠ Signi.

(b) LITTERÆ EPISC. FLORENTINI.

Littera fundationis antiqui Conventus prope Florentiam an. Chr. 743.

* Al. XI.

ANNOTATIONES.

507. (a) L*itteræ illæ desumpta sunt ex authentico Instrumento archivij Conventus Florentini, à fluvio Arni intra urbem translati: eadem in perennem memoriam marmori incisa in Claustro cernuntur, In eo etiam hac inter cætera*: A Christi nativitate an. 743. Kalend. Maij ad honorem Dei, & Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo, erecta fuit parva quædam Ecclesia, cujus primum lapidem posuit Rev. DD. Thomas Episcopus Florentinus, in recessu propè Civitatem, juxta Pisanam viam, & flumen Arni, pro Eremitis quibusdam montis Carmeli, Genesio scilicet, Basilide, Cyrillo, Henoch, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, Humar Arabiæ Regis * Mahometi successoris Tyrannidem fugientibus, nutu divinô in hanc urbem perductis. Deinde an. 1268. Kal. Julij extra Civitatem fundata fuit hæc secunda Ecclesia per Reverendiss. DD. Joannem Florent. Antist. sub titulo Fratrum ejusdem Ordinis, præsentibus pluribus personis Religiosis, ac sæcularibus.

Fundationis istius aliud testimonium

* Alias Mahometi.

508. Iste Homar, *seu* Humar *cujus ibi fit mentio, est ille, de quo agitur dicto capite sexto libri septimo; non quod ille*

Humar ille, cujus in listeris istis fit mentio, quis fuerit?

ille tùm adhuc superstes esset, sed quòd ab ipso inchoata gravis illa afflictio Incolarum Terræ Sanctæ, per ejusdem Successores tunc adhuc continuaretur. Fuit tamen sub illa tempora etiam Humarus *alter : Qui circa annum 718. post* Masalmam *Imperij Saracenorum suscepit habenas, adeò in Christianos saviens, ut edictum promulgaris, ut à Christiana Religione recederent ; pœnâ mortis detractantibus impositâ. Sub ea etiam tempora (circa annum Christi 743 Tyrannidem, & crudelitatem in Christianos exercebat* Evelid, *Rex Arabum, sola* Humari *infesta proles. De istis plura videri poterunt apud Theophanem rerum Orientalium* Scriptorem *Ista per Saracenos excitata* (inchoatæ circa an. 639. ab Humar prædicto) *persecutiones durarunt per annos circiter quadringentos sexaginta. * Interea Religiosi hujus Ordinis, relictis mansionibus, quas in urbibus habebant, Carmelum montem, aliasque eremos incolebant, ut ex dicto capite habetur.*

* Scilicet ab anno circiter 639 ad 1099.

509. *Quidam etiam, variis temporibus, & occasionibus se transtulerunt ad alias Orbis partes, ibi loca suo instituto accommodata recipientes, videlicet in Italia circa Florentiam dicto anno 743. Senis etiam in Tuscia eodem sæculo; ibi enim Conventus fundatio in Annalibus Ordinis hujus tomo tertio, & in historia ejusdem urbis facta legitur anno Christi 797. Idem adstruit Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana in Apologia sub finem his verbis :* Annales inclytæ Civitatis Senarum Etruriæ apertè testantur, Carmelitas anno 797. Sacellum S. Nicolai, quod adhuc hodie incolunt, piorum Civium liberalitate possidendum accepisse. *Instrumentum authenticum istius fundationis extat Romæ in Archivio Transpontino, ut testatur Lezana in dictis Annalibus Carmelitanis, in quibus etiam ad annum 707. annotat, tum primam fuisse fundationem istius Conventus, eam autem quæ contigit dicto anno 797. fuisse secundam, seu potius translationem. In Eremo etiam vicina Perusio circà annum Christi 950 ut habetur ex Annalibus Umbriæ. In Germaniâ Boppardiæ circa annum Christi 1054. aut aliquantò post, Coloniæ circa annum 1198. Herbipoli anno 1212. in Gallia Burdegalæ anno 1099. In Eremo distante leucâ à Massilia anno 1238. (vide hic suprà libro 9. cap. 3. sub finem) Tholosæ an. 1242 & in aliis Franciæ locis, atque alibi. Igitur, quòd nonnulli existimaverint S. Ludovicum primum fuisse, qui Carmelitas in Franciam adduxerit, ij falluntur, ut suprà nu. 441. annotavimus, & rectè animadvertit Dom. Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ibi relatus Vide etiam ad hoc propositum num. 419. De fundationibus antiquis aliorum quorundam Conventuum, tùm in Italia, tum alibi, agitur eodem tomo tertiò, atque etiam in quarto Annalium. De nonnullis etiam nos egimus in Vinea Carmeli parte 3. cap. 29. per totum. De magno numero Martyrum tam longo temporum intervallo, per Saracenos interemptorum in Terra Sancta, deque acerbitate illius persecutionis videri poterunt iidem Annales Ordinis : ubi etiam latè tractatur de Indulgentiis à Leone IV. circa annum Domini 850. Adriano II. sub anno 870. atque aliis eodem, & sequentibus sæculis, in favorem hujus Ordinis concessis, quarum mentio erit hic infrà §. 7 & 8. Quando denique & qualiter Ordo solemniter è Terra Sancta in Europam transmigraverit, vidimus suprà libro 9. cap. 3. & 4.*

Sub eadem tempora etiam Senis, & alibi facta fundationes.

(b) Thomas. *Thomas ille fuit nonus Episcopus Florentinus : de quo ista Ferdinandus Ughellus Tomo 3. Italiæ sacra, scribens de Episcopis Florentinis :* Thomas Episcopus Florentinus interfuit Concilio Romano, sub Zacharia Papa an. 743. ut habetur in antiquissimo MS. codice Abbatiæ S. Salvatoris Montisamiatæ, de quo etiam Baronius ad hunc annum : *Ità ille. Paulò post scribit ipsum adhuc vixisse annò Christi 790. Apud Baronium autem recensetur inter Episcopos, qui dicta Romana Synodo inchoata mense Septembri præfati anni 743. interfuerunt, & subscripserunt. Episcopatus ille deindè in Archiepiscopatum sublimatus fuit per Martinum V anno Christi 1420 die 2. mensis Maij. Ita Ughellus dicto tomo 3. **

* Sub titulo *Archiepiscopi Florentini* columna 216.

§. 3. *Litteræ binæ Prælatorum Germaniæ, de titulo proprio Ordinis, & de palliis barratis dimissis, ac resumptis albis.*

Annotatio ad libri sexti cap. 5 & libri septimi cap. 6. & 7

LITTERÆ PRÆLATORUM GERM.

510. SIFRIDUS Dei Gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Imperij per Italiam Archicancellarius, Universis Abbatibus Præpositis, Decanis, ac aliis Ecclesiarum Rectoribus. præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum dilecti nobis in Christo Fratres Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli ex indulto Papæ, ac ex ordinatione sui Generalis Capituli, strepeticum Pallium, ob indecentiam clericalis habitus, deposuerint, albam cappam pro signo suæ Religionis assumendo, sicuti in litteris dicti Capituli vidimus contineri, vobis eosdem Fratres commendamus, in Domino exorantes, quatenùs ipsos promovendo, quantùm in vobis est, faciatis eos suô propriô titulô *Fratres Beatæ* MARIÆ seu *Fratres Dominæ nostræ* vulgariter appellari. Nos verò pietatis affectum omnibus Christi fidelibus, contritis, & confessis, eorundem Fratrum fautoribus, ac ipsos suô titulô prædictô devotè nominantibus, tàm in nostra, quàm in Suffraganeorum nostrorum Diœcesibus, decem dies Indulgentiarum, authoritate omnipotentis Dei, & eâ, quâ fungimur, misericorditer elargimur. Datum anno MCC LXXXVII. in festo Exaltationis S. Crucis.

Pallia barrata, seu strepetica cur deposita, & resumpta alba?

Indulgentia data nuncupantibus Ordinis hujus Religiosos, Fratres B. Mariæ.

511. BERTHOLDUS Dei Gratiâ Episcopus Herbipolensis, Universis Abbatibus, Præpositis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino &c. Vobis eosdem Fratres commendamus, in Domino exhortantes, quatenùs ipsos promovendo, quantùm in vobis est, faciatis eos propriô titulô *Fratres* B. MARIÆ. seu *Fratres Dominæ nostræ* vulgariter appellari. Nos verò, pietatis affectu, omnibus Christi fidelibus, contritis, & confessis, eorumdem Fratrum fautoribus, ac ipsos suô titulo devotè nominantibus, in nostra Diœcesi decem dies Indulgentiarum auctoritate Omnipotentis Dei, & quâ fungimur, misericorditer elargimur. Datæ anno Domini 1287. in festivitate B. Remigij Episcopi, & Confessoris.

Indulgentia eadem ab Episc. Herbip. concessa.

ANNOTATIONES.

512. P*Riores desumpta sunt ex vetusto libro MS. Conventus Mechliniensis, exaratô annô 1484. manu Ioannis Paleonydori, celebris Ordinis hujus historici : posteriores extant in Trithemij libro secundo cap. 8. de B. Virgine in Urticeto. Utrasque quidem Vinea Carmeli insertas huic tamen Speculo deesse noluimus ; cum ut indè confirmentur dicta in præcedentibus libro 6. cap. 5. & dicenda sæpiùs in sequentibus, de titulo proprio Ordinis hujus Fratrum* B. Virginis Dei Genitricis MARIÆ, *nec non de Indulgentiis concessis, illis, qui eô titulô Ordinem vel Religiosos nuncuparent, tum ut nonnullis, in Carmelitana historia minùs versatis, indubitata magis fiant ea (aliequi certissima, Pontificiis etiam diplomatibus firmata) quæ libro 7. capite 6. & 7. dicta sunt de Palliis, seu cappis barratis, id est,*

est, varij coloris, quas coacti à Saracenis, Ordinis hujus Religiosi quondàm assumpserant, dimissis albis, & deinde authoritate Apostolicæ Sedis deposuerant, resumptis albis, sed de his satis præfato libro 7. cap. 6. & 7.

§. 4. *Litteræ D. Berengarij Cardinalis Episcopi Tusculani, ad Capitulum Generale hujus Ordinis Londini in Anglia celebrandum anno 1312.*

Ad libri 6. caput 5. de speciali titulo Ordinis, & ad finem capitis octavi libri noni.

513. PRovidis, ac Religiosis viris, dilectis amicis, Capituli Generalis, Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli, Londini celebrandi, Berengarius miseratione divinâ Episcopus Tusculanus salutem, & specialem affectum. Dùm animadvertimus, & internæ mentis aciem perlustramus, quòd insignis Ordinis vestri Religio; divinis mancipata obsequiis, gloriosæ Virginis, singularitate devotionis, & intitulatione denominationis adscripta, ex ipsius Ordinis Institutione, ac professorum ejusdem salutaris prosecutionis instantiâ rutilat, humilitate gaudet, castimoniâ splendet, & velut lucerna prælucida pulchritudine conversationis elucet, quòque ipsius Ordinis Professores sub humili, ac arctæ observantiæ districtione viventes, in conspectu altissimi & ejus Beatæ Virginis, & Matris, phialas odoramentorum plenas, in Orationum assiduitate præsentant, & de pompis, ac mundanis illecebris, velut perfecti Christi servi, in spiritu Voluntariæ paupertatis devotè Deo famulantes, & sacræ paginæ documentis instructi fructus perutiles saluberrimæ prædicationis gratiâ, & exemplis salutaribus, in Dei Ecclesia producere non desistunt.

Ordinis Carmeli encomia.

514. Ad ipsius Ordinis prosperum statum allicimur, & ipsum internæ charitatis affectibus adstringentes, quæ illius profectum, & commoditatem respiciunt, desideranter appetimus, & his quæ illi honoris, & status minorationem ingererent, & pararent nocumenta, libenter occurrimus, & ministeriô sollicitudinis obviamus. Profectò considerantes ex instinctu charitatis hujusmodi, quòd Religiosus vir Frater Gerardus de Bononia Prior Generalis ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ magister, modernis diebus apud Sedem Apostolicam constitutus, apertis thesauris suæ grandis scientiæ, sic in conspectu Domini nostri Summi Pontificis, & Fratrum suorum, multiplicium odorositate virtutum redoluit, morum quoque candore, ac consilij maturitate complacuit, quod ob multimoda scientiarum fluenta, quæ de suo pectore, velut de promptuario pleno fluunt, ab ipso Domino nostro, & Fratribus suis in reputatione non modica, & pro uno de mundi hujus litteratis elegantioribus reputatur, & ab illis, quasi vasculum plenum aromatibus, est dilectus, non indignè conjicimus, quòd dictus Ordo propter ipsius Prioris excellentiam meritorum, ac propter favorabilem benevolentiam, quam ob ipsius Prioris grandia merita ab Apostolica Sede consequitur, Ordo ipse honore grandescit, & proficit utilibus incrementis. Et si ipsum Prioratus regimen ipsius cedere fortassè contigerit, Ordo posset ex hoc verisimiliter minorari. Quamobrem si dictus Prior in Generali Capitulo per Fratres ejusdem Ordinis celebrando cedere, vel illud resignare voluerit; laudamus, & ejus speciali affectu, quô ipsum Ordinem, vel Fratres ipsius prosequimur, sanô consiliô suademus, quatenùs resignationem, vel cessationem eamdem nullatenùs admittatis. Nam illud, si fieret, statui, & honori supradicti Ordinis, sicuti firmiter credimus, plurimùm derogaret, ac nobis etiam propter multa, quæ inde Ordini sequi possent incommoda, displiceret. Datum &c.

Gerardus de Bononia Generalis, ob doctrinam singularem charus Pontifici, & Cardinalibus.

ANNOTATIO.

515. E*Tiam has litteras ex antiquo Speculo Ordinis folio 83 huc transtulimus, tum ob antiquitatis memoriam (& ideò etiam dicto Speculo insertæ fuerunt) tum ut confirmetur id quod libro 6. cap 5. dictum est, de singularitate devotionis ad gloriosam Virginem Dei Matrem* MARIAM, *& intitulatione denominationis ab ea: nec non id quod libro 9. cap. 8 sub finem scribitur, de Religiosis hujus Ordinis Terrâ Sanctâ ejectis. Quod brevi post tempore in* partibus Occidentalibus multiplicati fuerint, ac multum fructum attulerint, ad augmentum fidei Catholicæ.

§. 5. *Cantabrigiensis Universitatis Decreta bina de Ordinis Carmelitarum origine, titulo, & confirmatione.*

Ad libri primi caput 2. libri secundi caput 1 & 2. lib. 6. caput 5. & libri decimi cap. 5. & seq.

516. P*Ost violentam Religiosorum Ordinis hujus deprædationem in Terra Sanctâ, post tumultuosam eorum non expulsionem [illegible], verùm etiam occisionem, post immanem Barbarici furoris inundationem, descriptam suprà libro 9. capite 8. translata tandem Religio Carmelitana in Europam, dum ibi plantatur, & propagatur, Diabolicâ machinatione varias incurrit objectas remoras, quæ tandem, Dei, Deiparæque Patronæ suæ, & Apostolicæ Sedis favore, amotæ fuêre, prout eodem libro nono cap. 5. & 7. & libro 10. cap. 1. & 2. videre licet.*

Ordo Carmeli frequentes passus persecutiones.

Aliquantò post nova fuêre mota bella, præsertim, in Anglia, ubi per æmulos quosdam, circa antiquitatem, intitulationem, & confirmationem Ordinis hujus suscitatæ fuerunt graves rixæ, & contentiones, quæ doctissimorum quorundam calamos excitarunt in defensionem: quorumdam Opuscula subsequuntur parte 2. Pro illis etiam sedandis à Cantabrigiensi Universitate, olim valdè celebri in Anglia, deputati fuêre D. Ioannes Donewicus Cancellarius, Ioannes de Barnebagh Ordinis Minorum, Rogerus de Falesle Ordinis Eremitarum S. Augustini sacræ paginæ Professores, cum aliis Theologiæ, & juris, ac Decretorum Doctoribus, & magistris: ut auditis, & examinatis utrimque rationibus, litem dirimerent. Ita refert Ioannes Pitseus, & Annales Ordinis tomo 4. ad annum Domini 1374. Tandemque prodierunt bina ista decreta, desumpta ex antiquo Speculo Carmelitano, Venetiis excuso anno 1507. in quo folio 80. & 81.

In Anglia oppugnatur ejus antiquitas intitulatio & confirmatio.

& 81. his verbis exarata extant. Decretum Universitatis Cantabriggiæ, de origine, ac titulo, & confirmatione Ordinis Carmelitarum, sub Instrumento publico, quod est in domo nostra Londoniis. *Deinde sequitur*:

DECRET. SOLEMNE UNIVERSITATIS CANTABR.

517. In nomine Domini Amen. Per præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, quòd anno ejusdem, secundum cursum, & computationem Ecclesiæ Anglicanæ M CCCLXXIV. indictione XIII. * Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Gregorij, dignâ Dei providentiâ Papæ XI. anno V.* mense Februarij die 23. in quadam Capella Ecclesiæ Beatæ Mariæ Cantabrigiæ in fine Occidentali, rettò ostium boreale ejusdem Ecclesiæ, Eliensis Diœcesis, Venerabilis, & circumspectus vir Magister Ioannes de Donewico Canonicus Londonensis, Decretorum Doctor, Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ in Provincia Anglicana, unà cum Venerabilibus, & discretis viris Magistris Guilielmo de Goothm, Fratre Rogero de Falesley Confratre Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Fratre Joanne Barnebagh confratre Ordinis Fratrum Minorum sacræ paginæ Professoribus, Guilielmo Granby Licentiato in Theologia, Waltero de Felstede Decretorum Doctore, Rectore Ecclesiæ Paroch. de Hennuyngforde Lincoln. Diœcel. Nicolao de Bothishm. Magistro in artibus, & utriusque juris Baccalaureo, Rectore de Cappel. Joanne Kent, Magistro in artibus sibi ad infrascripta videnda, & audienda, ex parte Universitatis prædictæ, assignatis, seu deputatis, ut tunc ibidem dicebatur in mei Notarij publici subscripti, testimoniumque infrascriptorum præsentia constitutus, dixit expressè, & asseruit juxtà, & secundùm quædam allegata, & exhibita coràm eo, & præfatis Venerabilibus personis, per Reverendum, & Religiosum virum F. Joannem de Horneby, Confratrem Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli, sacræ paginæ Professorem, in dicta Universitate Regentem; tum videlicet per jura, & Doctores, in unum, & idem consonantes; tum per litteras Apostolicas, Regulam, & privilegia dicti Ordinis continentes; tum per (b) Chronicas antiquas, & alias Scripturas antiquitùs, & à tempore cujus hominum memoria non existit, compilatas, evidenter sibi liquere prædictum Ordinem Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli, in jure communi confirmatum, & titulô Gloriosæ Virginis Beatæ MARIÆ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, Fratresque ejusdem Ordinis, prout eidem Cancellario (c) per prædictas Scripturas antiquas apparuit, imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi. Undè præfatus Dominus Cancellarius per eundem Fratrem Joannem de Horneby, ipsius jurisdictioni se in hac parte submittentem, pro declaratione præmissorum rogatus, & requisitus, sæpè-dictum Ordinem Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli, in jure communi confirmatum, titulôque Gloriosæ Virginis Beatæ MARIÆ Dei Genitricis specialiter fore insignitum; & Fratres dicti Ordinis imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi pronunciavit, decrevit, & declaravit in hunc modum:

* *Al.* XII.

* Leg. IV. vide Notas.

(b) *Declaratio circa Ordinis confirmationem, intitulationem, & processum à S. Elia.*

(c)

518. Nos Joannes de Donewico Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà cum Chronicis, & Scripturis antiquis, Ordinem Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum, titulôque Gloriosæ Virginis Beatæ MARIÆ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, ac Fratres dicti Ordinis, prout nobis apparuit, per Chronicas, & alias Scripturas antiquas, Imitatores, & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi; pronunciamus, decernimus, & declaramus: De quibus verò declaratione, decreto, & pronunciatione, idem Dominus Cancellarius, & sæpè dictus Frater Joannes de Horneby, rogaverunt me publicum conficere Instrumentum. Acta fuerunt hæc sub anno, indictione Pontificatus, mense, die, & loco supradictis, præsentibus discretis Magistris Guilielmo Redwynter, Guilielmo de Elinhm, Magistris in artibus, & dictæ Universitatis Procuratoribus, & Thoma Godmechestræ Clerico, Norwicensis Diœcesis Notario Apostolico, ad præmissa vocatis, & specialiter rogatis: Et ego Joannes de Brandoeserie Clericus, Norwicensis Diœcesis &c.

Ordo his declaratur titulo B. V. Mariæ insignitus, & à S. Elia institutionem habens.

Decretum alterum.

DECRET. ALIUD EJUSDEM UNIVERSITATIS.

519. VNiversis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis præsentes litteras inspecturis Joannes de Donewico Cancellarius Universitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam. Cum nuper à nonnullis Universitatis prædictæ studentibus Institutio, Intitulatio & Confirmatio Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli nimis præsumptuosè revocabantur in dubium; undè discordiæ, ac rixæ, quamplurimæ inter Scholares ejusdem Universitatis fuerant suscitatæ, nec non magna perturbatio invalescebat in eadem. Ea propter Religiosus vir Frater Joannes de Horneby, sacræ paginæ Professor, dicti Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli Confrater, in ipsa Universitate Regens, nobis in Congregatione Regentium, & non regentium, humiliter, & devotè pro remedio opportuno per nos ordinando in præmissis instanter supplicavit. Nos vero Joannes Cancellarius antedictus, cupientes materias dissentionum, ac jurgiorum amputare, & veritatem præmissorum indagare, ac, prout ad nos attinet, quietem ipsius Universitatis scholaribus reparare, præfiximus certum diem dicto Religioso viro Fratri Joanni de Horneby, ad comparendum coram nobis, ac aliis Venerabilibus, per Universitatem Regentium & non Regentium, Unanimi assensu eorundem nominatis electis, & ad assistendum nobis deputatis: & omnibus, quorum interest in hac parte legitimè præmunitis, exhibituro, ac propositurо evidentias, & munimenta quæcumque,

cumque, dictas institutionem, intitulationem, & confirmationem ipsorum Fratrum B. MARIÆ de monte Carmeli concernentia. Quô quidem die idem Frater Joannes comparuit, & quædam privilegia Sedis Apostolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac

(d) *Ex antiquis Scripturis, & monimentis eadem declarantur.*

etiam alia (d) munimenta, & antiquas Scripturas coram nobis Cancellario, & deputatis antedictis exhibuit, consensu & assensu dicti Ordinis Confratrum præhabitis, & cum instantia nos requisivit, ac rogavit, nomine suo, ac Ordinis sui, & Confratrum suorum prædictorum; ut, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis eorum, Regulâ, & aliis

(d)

hujusmodi (d) munimentis, & antiquis Scripturis, ac diligenter rimatis, & discussis, super præmissis veritatem decideremus, & declararemus.

520. Nos verò Cancellarius memoratus, attendentes præmissa consona esse juri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis, unà

(d)

cum nonnullis aliis (d) munimentis, & Scripturis antiquis, de consilio, & consensu discretorum, & Iurisperitorum dictæ Universitatis nobis assistentium in ea parte, & per eandem

De Ordinis titulo à B. V. M. ac successione ab Elia.

deputatorum, dictum Ordinem Fratrum Beatæ MARIÆ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum: & titulô Beatæ Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum; ac Fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa, exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisei Sanctorum Prophetarum fore imitatores, & Successores, causæ cognitione, & juris ordine in ea parte de jure requisitis, ad plenum reservatis, reputamus, decidimus, & decidendô declaramus in his scriptis: inhibentes quibuscumque nostris, & dictæ Universitatis subditis, nè contra has decisionem, & declarationem nostras in ipsorum Fratrum præjudicium, & dictæ Universitatis vituperium, & studentium in eadem inquietationem venire temerè præsumant, sub pœnis, & censuris nostro, & Successorum nostrorum arbitriô debitè in contravenientes ferendis. In quorum omnium, & singulorum testimonium præmissorum, præsentes litteras, decretum nostrum continentes, sigilli Officij nostri appensione fecimus communiri. Datum Cantabrigiæ 23. die mensis Februarij anno Domini 1374.

ANNOTATIONES.

521. (a) CAntabrigiensis Universitas. *Ea celebris nominis Vrbs, & florens Angliæ Academia tunc temporis erat*: cum Sorore Oxoniensi litem nunquam occasuram habens, *ut scribit Michaël Alfordius in Annalibus Angliæ. Quantæ authoritatis, & ponderis censenda sit ista Vniversitatis, quondam nominatissima, decisio, perpendendum ex eo, quod nempè, post exhibita, lecta, & accuratè examinata monimenta vetusta, & antiquas Scripturas, ea prodierit, absque favore, aut passione; cum id fieret præsentibus Theologiæ, & juris Doctoribus, ac Professoribus, etiam aliorum Ordinum Religiosorum: qui tantâ antiquitatem, tamque præcellentem titulum Ordini huic solemniter asseri, & vendicari, passi non fuissent, nisi de illis manifestè constitisset. Quam acris, & diuturna fuerit illa Ordinis impugnatio, quo-ad ejus antiquitatem, titulum, &*

Annal. Angl. ad ann. Christi 1109.

Quantæ authoritatis illa censenda?

confirmationem: quodque multiplex defensionis præsidium, tunc non defuerit patescet ex dicendis parte 3. hujus speculi.

(b) Per Chronicas antiquas .... (c) per prædictas Scripturas antiquas .... (d) munimenta, & antiquas Scripturas, *Wasselius post adductum primò istud Decretum subjungit*: Nempe toties nominatæ Scripturæ illæ antiquæ, sive Scripturæ antiquitus, & à tempore cujus hominum memoria non existit, compilatæ, putas, periphrasis non sunt libri Episcopi Joannis, eorumque veterum monumentorum, in quibus agitur de prima Ordinis Institutione, Authore ejus Sancto Eliâ, successione ejus ad posterôs, ac patronatu Virginis MARIÆ, sive titulo Fratrum B. V. Mariæ temporibus Apostolorum? *Et infrà, post alterum Decretum*: Fortiter ego hic non premo, dum ipse Dominus Cancellarius premit satis; ne forsitan juxtà verbum sapientis, pro muco eliciamus sanguinem. Illud verò vel solum de veteribus monumentis testimonium, sive ipsum Universitatis Cantabrigiensis judicium, si in manus venisset, vel Domini Bellarmini, vel Magistri Joannis Maria procul dubio nec hic nec iste dicturi fuerant temporibus Apostolorum inauditum fuisse Carmelitarum nomen: nisi dictum suum intelligant moraliter tantum, & usu non promiscuo apud veteres Scriptores. Et verè ipse nescio, quos culpem magis, recentesne pios alioquin hos viros; an magis modestissimi semper Ordinis nostri dispensationem illam quâ sic tardè in publicum usum prodire facimus præstantissima monumenta.

§. 6. *Extracta (a) ex antiquis Ordinis Statutis à S. Brocardo circa annum Christi* MCLXXXXI. *scriptis, & ex libro Sermonum Richardi Armachani Primatis Hiberniæ.* (a)

522. IN *antiquis Ordinis Constitutionibus, sub initium hæc habentur.* Qualiter respondendum sit quærentibus: Quando, & qualiter, aut quomodò Ordo noster sumpsit exordium: & quare dicimur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo. *Deinde sequitur*: Cum quidam Fratres nostri Ordines juniores; quærentibus à quo, vel quomodò Ordo noster sumpsit exordium: vel quare dicimur Fratres Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ de monte Carmeli, nesciant satisfacere competenter: Hinc est, quòd in scriptis formam talibus respondendi volumus relinquere: & testimonium veritati perhibentes dicimus: quod à tempore Eliæ, & Elisei ejus discipuli montem Carmeli, qui non longè ab Achon distat, devotè inhabitarunt multi Sancti Patres, tam veteris, quàm novi testamenti solitudinis, montis ejusdem pro contemplatione cœlestium, veri amatores: ibidem juxta fontem Eliæ in sanctâ pœnitentiâ sanctis successibus continuatâ, sunt procul dubiò conversati laudabiliter, ac religiosè, prout testatur Quarti Regum historia. Et Josephus Antiochenus librô de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12. dicens: Perfectorum Militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi, Viri solitarij, contemplationi dediti: Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces: qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Judæam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Mariæ Virginis honorem in montis Carmeli decli-

In Constit. antiq. rubricâ seu cap. 1.

Tempore Eliæ, & Elisæi, in Carmelo semper continuata successio Religiosorum.

Carmelitæ Apostolorum coadjutores: in Carmelo Oratorium Deiparæ construunt.

declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri specialissimè servierunt. Et hâc ratione ipsius titulum elegerunt, ut dicerentur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli. *In cæteris omnibus Constitutionibus antiquis eadem inserta sunt, atque etiam ista:* Multas Indulgentias dicto Ordini multi Pontifices concesserunt, atque plurima privilegia dederunt. Primus quoad Indulgentias fuit Leo Papa IV. an. Domini DCCCXLVIII. Et Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ex antiquitate tantorum Pontificum, privilegiorum, & indulgentiarum facillimè excerpitur antiquitas, & approbatio Ordinis nostri, atque origo Fratrum nostrorum: & per plures alios Summos Pontifices, qui ipsum Ordinem, & titulum approbantes tutissimè confirmaverunt. In cujus Regulæ, & Ordinis professione nos eorum sequaces usque in hodiernum diem, auxiliante Virgine benedictâ, in diversis mundi partibus Deo famulamur. Cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum.

523. *Istis consonant ea, quæ Richardus Armachanus Hiberniæ Primas scribit in libro Sermonum in sermone, cujus initium est:* AVE MARIA, *habitô Avinione coram Venerabili cœtu Cardinalium in festo Conceptionis Deiparæ Virginis anno Christi* 1342, *& refert Thomas Waldensis in præclaro suo opere nuncupato: Doctrinale fidei & dogmatum Ecclesiæ. Ibi igitur ista:* An non meritò illi dicimus AVE, quæ sic erat illustrata virtutibus in sua origine? utique hanc illustrationem in suô ortu hic sanctus, ac peculiaris, & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu, qui hoc festum singulariter in eo solemnizat, candorem habitus sui, ut existimo, prudenter, & devotè referens ad hoc festum. Miramini forsan, quia dixi, Ordo suus peculiaris, & antiquus; cùm, veritate attentâ, nullatenùs sit mirandum; quoniam, ut dicunt fide dignæ historiæ, (b) à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpiùs morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth Civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi, & in latere ipsius montis primò Ecclesiam, seu Oratorium in honorem Beatæ MARIÆ Virginis construxerunt. Et ob hoc nimirùm Dominæ nostræ primitùs sunt ascripti, ut dicerentur Fratres Beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo.

Waldensis to. 3 de Sacra montalibus tit. 9. cap. 99.

Carmelitarum Ordo peculiariter Virgini Deiparæ dicatus à tempore Eliæ usque ad Christum

(b)

Carmelus situs propè Nazareth habitatus à Religiosis.

ANNOTATIONES.

524. (a) EX antiquis Ordinis statutis. *Statuta illa à Ioanne Bachone, Arnoldo Bostio, & aliis nuncupantur:* Constitutiones antiquæ *seu* editæ ab antiquo, *videlicet à S. Brocardo circà annum Christi* MCLXXXXI. *Sicut in Annalibus Ordinis ad dictum annum refertur. Statutorum illorum à S. Brocardo editorum meminerunt quoque Antonius Possevinus in Apparatu Sacro in Appendice, & Gesnerus in Bibliotheca littera B. ubi ista:* Brocardus patriâ Jerosolymitanus, Palæstinorum Doctor Hebræus, ac latinè peritus, Eremita montis Carmeli, latinè scripsit Canonem sui Ordinis librum unum, Statuta in Carmelo librum unum. *Eadem, quæ in præfatis statutis antiquis, etiam verbotenùs leguntur in Constitutionibus à Venerabili Patre Ioanne Soreth ordinatis, & publicatis anno Christi* MCCCCLXVI, *atque etiam antea, & deinceps semper in Constitutionibus Ordinis sub initium inserta fuerunt.*

Ordinis antiqua à S. Brocardo scripta in Carmelo.

525. *Eorum locô in Constitutionibus Strictioris Observantiæ, à Summis Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X. confirmatis, ad calcem ista leguntur:* Certissimâ pridem Authorum relatione constat, Monastici, sive Religiosi Instituti Principes viros extitisse Eliam, & Eliseum, cæterosque Prophetarum filios, qui in veteri Testamento floruerunt. *Et infrà:* Ab his porrò Carmelitarum familiæ primordia, per continuam sæculorum successionem deducenda sunt. Ita enim suadent, cùm traditio per manus ad nos usque hæreditaria, tùm perennis, & immemorabilis possessio. Fatetur, & consensus aliorum omnium, quorum nemo non originem directè accersit ab Elia; testantur è nostris alienisque Authores non pauci, pietate, & doctrinâ insignes: definiunt, in suis diplomatibus Summi Pontifices benè multi, Joannes XXII. Sixtus IV. Julius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Qui omnes disertis verbis Eliæ & Elisei hæreditariam Successionem, Carmelitis authenticè confirmant: Immò verò, quod omni exceptione majus est, ritè decernunt Sanctorum Eliæ, nec non Elisei dies festos primariâ solemnitate quotannis inter nos recoli. Ideoque eorum, velut in Ordine Patriarcharum, memoriam, præscriptis jam olim in Breviario Officiis, in Missali Sacrificiis, in Ecclesia templis, aris, ac imaginibus, publicô cultu celebrari. *Quoad supra relatum Iosephi Antiocheni (qui vixit vicinus temporibus Apostolorum) testimonium, illud quoque adducunt alij vetusti, & recentiores Ordinis historici, & exteri non pauci. Plura de eo Lezana tomo 1. Annalium cap. 6. sub initium. Vide etiam hic supra libro 5. capite 8. sub finem.*

Carmelitanæ successionis fundamenta sympsit tradita.

(b) A tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpiùs morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth, Civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare, usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi. *Ista omnia satis luculenter tractata sunt in antecedentibus: nempè de successione Filiorum Prophetarum discipulorum, & posterorum SS. Eliæ, & Elisei, in Carmelo, &, aliis Terræ Sanctæ locis libro 3. cap. 5. De conversione istorum ad fidem Christi libro 5. per totum: De Ecclesia, seu Oratorio, in Carmelo ad honorem B. Virginis* MARIÆ *constructo primitùs anno Christi* 38. *& translato, seu etiam altero ædificato anno* 83. *libro 6. cap. 5.*

§. 7. *Extracta ex antiquo Speculo Ordinis Venetiis olim impresso, circa Indulgentias à Leone IV. ac deinde à multis aliis Pontificibus Ordini huic concessas, nec non circa nomenclaturam Ordinis ab ipsa Virgine Dei Genitrice Maria.*

Ad libri sexti caput 1. 2. 3. 4. & 5. & ad libri 2. cap. 8. de successione & antiquitate Ordinis à S. Elia.

526. DUm præcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum, Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus Prælata sidereis, quasi stella matutina prærutilat, Romani Pontifices devotæ considerationis animô perscrutantur: dumque etiam intrà pectoris arcana revolvunt, quòd ipsa, utpotè Mater Misericordiæ, Mater gratiæ, pietatis amica, humani Generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere prægravantur, sedula exoratrix, pervigil ad Regem, quem genuit, intercedat. Ad hoc inclinata præcipuè oratione talium,

Ob venerationem B. V. M. Ordini Carmelitano benefici Pontifices.

In Speculo Ordinis folio 64. Venetiis impresso anno 1507.

quorum

quorum status regularis, ejus felici titulô specialiter insignitur; dignum potiùs, imò debitum reputantes, ut Ecclesias, & domos Fratrum, seu devotorum filiorum ejusdem misericordiæ Matris de Carmelo, in honore sui nominis specialiter fundatas, gratiosis remissionum prosequantur stipendiis, & Indulgentiarum honorent muneribus: quò sic in filiis spiritualiter dotatis, humillimæ Matris quodammodo decoretur fœcunditas præclarissima.

In eodem Speculo folio 99. 527. *In eodem Speculo circa Indulgentias Ordini huic concessas specialiter ista referuntur*: (a) LEO PAPA QVARTVS omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatissimæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmeli hujusmodi in festis Nativitatis Domini, & Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, assumptionis Nativitatis, Annunciationis, Purificationis ejusdem Beatæ Dei Genitricis MARIÆ, Sancti Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, devotè visitarent, & pias eleëmosynas largiri forent, seu domos confractas ejusdem Ordinis reficerent, septem annos, & totidem quadragenas concessit. Et ADRIANVS SECVNDVS, STEPHANVS QVINTVS, SERGIVS TERTIVS &c. *Ibi consequenter alij recensentur Romani Pontifices, qui similes concesserunt Indulgentias: quas subsequentes* SIXTVS QVARTVS, INNOCENTIVS OCTAVUS, JVLIVS SECVNDVS, ET GREGORIVS XIII. *Bullis suis inserentes confirmarunt quoque.*

(a) *Indulgentia à Leone IV. & successoribus concessa Ordini Carmelit.*

Clausula illa, seu conditio, largiendi eleëmosynam, sublata jam est, seu mutata in alia pia opera. Vide Annotat.

INNOC. IV. 528. *In eodem Speculo plures Pontificum Bullæ abbreviatæ habentur his terminis*: INNOCENTIVS *Episcopus Servus servorum Dei* universis Christi fidelibus, qui Conventibus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli de bonis sibi à Deo collatis grata contulerint subsidia charitatis, aut cum devotione eosdem Conventus in festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri JESV CHRISTI, Pentecostes; & corporis Christi, in omnibus Dominicis quadragesimæ, & feriis tertiis, quintis, & Sabbatis, ac quinque festivitatibus Beatæ MARIÆ Virginis piè, & devotè visitaverint: duos annos, & duas quadragenas de injunctis eis pœnitentiis toties quoties, singulis videlicet diebus festivitatum prædictarum, quibus hoc facere meruerunt, misericorditer in Domino relaxat. Data Lugduni quinto Kalendas Octobris Pontificatûs ejusdem octavo.

Indulgentia à sequentibus Pontificibus.

In eodem Speculo folio 64.

ALEXAND. IV. ALEXANDER *Episcopus Servus servorum Dei* concedit omnibus Christi fidelibus Præfatos conventus piè visitantibus, & eisdem eleëmosynas charitativè conferentibus, unum annum & unam quadragenam. Data Anagniæ Idibus Februarij Pontificatûs ejusdem anno primo.

GREG. X. GREGORIVS *Episcopus Servus servorum Dei* omnibus Christi fidelibus piè, & devotè in festis, & diebus prætactis præfatos Conventus visitantibus: duos annos & duas quadragenas in Domino relaxat. Datum Perusij quinto Idus Aprilis Pontificatûs ejusdem anno tertio. *Hac ibi: & aliorum similes concessiones subsequuntur.*

529. *Quo ad titulum Ordinis, ista Bulla (inter plures alias) subsequuntur in eodem Speculo.** * Folio 81. & 82.

IOAN. XXII. JOANNES *Episcopus Servus servorum Dei* Dilectis filiis Priori Generali & universis Prioribus & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli tam præsentibus quam futuris religiosam vitam professis: salutem & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro dominico divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli. *Habetur integra hic suprà libro 10. cap. 3. num. 472.*

JOANNES *Episcopus Servus servorum Dei* Dilectis filiis Priori Generali & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum sacrum Ordinem vestrum præcelsæ Dei genitricis vocabulô specialiter insignitum: & sublimium vestrarum virtutum, merita Deo quidem grata, & in conspectibus Apostolicæ Sedis accepta, dignâ memoriâ recensemus.

Titulus Ordinis Carm. B. V. M.

CLEM. VI. CLEMENS *Episc. Servus servorum Dei* Dilectis filiis Generali & aliis Prioribus & Fratribus Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro dominico divinâ dispositione plantatus: & gloriosæ Virginis MARIÆ titulô specialiter insignitus *ea etiam tota præcessit hic suprà libro 10. cap. 4. nu. 476.* CLEMENS Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis Priori Generali & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionem. Præclaræ Religionis vestræ, Dei genetricis Beatæ MARIÆ Virginis vocabulô insignitæ, favor exposcit, & sinceræ devotionis, quam sedulò ergà nos, & Romanam Ecclesiam geritis, merita nos inducunt: ut illâ vos & Ordinem vestrum gratiâ prosequamur: per quam & divinus cultus, & Ordo ipse suscipere valeant incrementum *In eodem Speculo ibi consequenter refertur, quod* URBAN. VI. omnibus Christi fidelibus qui Ordinem ipsum, & Fratres ejusdem Ordinis: Ordinem seu Fratres Beatissimæ Mariæ genetricis Dei de monte Carmeli vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum gratiosè perpetuis temporibus duraturam concesserit. *eandem Indulgentiam confirmavit quoque Gregorius XIII. In bulla*: Ut laudes *data anno Domini* 1577.

Eò Ordinem aut Fratres nuncupantibus concessa Indulgentia.

Vide etiam ad hoc propositum hic supra num. 510. & 511.

530. *Præfatis summis Pontificibus conformiter scribit Innocentius VIII. in bulla data Anno Domini 1484. in qua ista, inter cætera.*

INNOC. VIII. INNOCENTIVS *Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Dum attentâ meditatione pensamus, quòd Virgo venustissima, & omnium virtutum floribus insignita Dei genitrix gloriosissima, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cujusque precibus ju-

vatur populus Christianus, & quæ florem pretiosissimum, immarcessibilem, & æternum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM ineffabili sancti Spiritûs cooperante virtute genuit, (b) (b) produxitque Sacrum Ordinem Dei genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo, à Sede Apostolica, plurimisque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum, quem ejusdem gloriosissimæ Dei genetricis semperque Virginis MARIÆ speciali titulô voluit insigniri, ut ob ejusdē Virginis reverentiā, Ordo ipse à Christi fidelibus meritò peramplìus veneraretur, ipsique fideles propterea ejusdem Virginis Mariæ adjuti suffragiis, æternæ retributionis præmia faciliùs consequi mererentur. Dumque sublimium dicti Ordinis utriusque sexûs personarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in conspectu præfatæ Sedis accepta, dignâ memoriâ recensemus, ac Ordinem ipsum, & illius personas sub ejusdem Sedis, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tamquam Religionis Speculum, & Exemplar speciali charitate fulgentes, (c) (c) Sanctorumq; Prophetarum Eliæ & Elisei, ac aliorum Patrum, qui montem Sanctū Carmeli juxta fontem Eliæ inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes: fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hactenùs produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum fore indubitanter speramus; Paternâ charitate intuemur; dignum potiùs, quinimò & debitum reputamus, nos ad illa nostros dirigere debere cogitatus, per quæ ea quæ pro divini cultus, & dicti Ordinis incremento, animarumque salute à quàm pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, sublatis ambiguitatibus, quæ exindè emersisse noscuntur, in sua integritate persistant..... De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, authoritate, confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui in Conceptionis, Præsentationis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Visitationis, & Assumptionis dictæ gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ festivitatibus à primis vesperis usque ad occasum Solis dierum Festivitatum hujusmodi dicti Ordinis de monte Carmelo Ecclesias prædictas ubilibet constitutas, nec non per septem dies, prædictas Festivitates sequentes immediatè, ac etiam in diebus vocabulorum earumdem Ecclesiarum devotè visitaverint annuatim, & ad præmissa, vel eorum aliqua manus porrexerint adjutrices, qualibet dictarum Festivitatum & dierum triginta annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer de specialis dono gratiæ in Domino relaxamus, præsentibus perpetuô valituris &c..... Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto tertio Kalendas Februarij Pontificatûs nostri Anno primo. *Originale bulla istius extat in archivio Conventus Ordinis hujus Francofurti, & inde ejus copiam authenticam habuimus. Cæterum de titulo illo* Gloriosissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ *Ordini attributo, plura videri poterunt hic suprà librô 6. cap. 5. 7. & 8. & quandoque agetur in sequentibus, in parte 2. & peculiariter in parte tertia.*

Ordo Carm. à SS. PP. Elia, & Eliseo successionem hæreditariam tenet.

Indulgentia in septem festivitat. B. V. M. concessa in Ecclesiis Carm.

ANNOTATIONES.

531. (a) LEo Papa IV. *occasione istarum Indulgentiarum, nominatim à Leone IV. (qui ab Anno Christi octingentesimo quadragesimo septimo cathedram Apostolicam tenuit) Baptista Mantuanus in Apologia pro Ordine Carmelitarum contra quosdam, qui asserebant hunc esse posteriorem aliis Ordinibus Mendicantibus.* Reperimus, *inquit*, & in promptu omnibus est, & ad oculum potest videri, Leonem IV. Pontificem Maximum largas Indulgentias nostris benefactoribus elargitum, quem constat Pontificatum gessisse annô salutis nostræ 854 Franciscum verò, & Dominicum, viros quidem Sanctissimos, constat circa 1200. annum floruisse; quò fit, ut arctissimô judicij articulô concludi possit, nos Carmelitas saltem per 350. annos antecessisse Minores & Prædicatores: hoc inquam, convinci potest scriptis, & litteris Apostolicis, contrà quas exceptio nulla fieri possit. *Hæc Mantuanus: qui in eadem Apologia testatur:* Quatuor Bullas Romanorum Pontificum præfatorum in Fratrum nostrorum favorem ad Patriarchas Jerosolymitanos missas, suô tempore ex Cypro allatas, unà cum decreto Godefridi de Bulyon etiam in favorem Ordinis hujus concesso. *Notissimus quoque Homiliographus Ioannes de Carthagena libro 17. Homiliarum homiliâ 2. objectione 7. impugnans quosdam, existimantes Ordinem hunc initium habuisse tempore Pontificatus Alexandri III. per Aymericum Patriarcham Antiochenum, hôc (inter cætera) argumentô istos convincit:* Aymericum non dedisse primordia huic sacro Ordini illud apertè confirmat, quod antè Aymericum Patriarcham, Leo IV, Adrianus II. Stephanus V. Sergius III, Joannes X, Joannes XI. Sergius V. Clemens III, & Alexander II. varia privilegia concesserint Monachis montis Carmeli. Etenim, cum propter hostium incursus, varia eorum monasteria fuissent eversa, Sacri Pontifices concesserunt varias Indulgentias Christi fidelibus, qui ad eorum restaurationem, & Monachorum victum, alicujus Eleëmosynæ subsidium impenderent. Ne autem quisquam hoc in dubium vertat, locupletissimus testis, omni exceptione major est Gregorius XIII. Qui in Bulla Carmelitano Ordini concessa, cujus initium est, UT LAUDES: compendiumque Privilegiorum, plura horum Pontificum privilegia refert. *Hæc Carthagena. Bulla ista Gregorij XIII. (referentis, & confirmantis præfatas Leonis IV, Adriani II, Stephani V. & aliorum subsequentium Pontificum Indulgentias) cujus initium est* Ut laudes *data anno Christi 1577. extat apud Emmanuelem Rodericum tomo 2. Bullarum Apostolicarum & in ea Pontifex prætermittit clausulam, seu conditionem porrigendi manus adjutrices, sivè eleëmosynas elargiendi Fratribus, aut Ecclesiis nostris ad consequendas prædictas Indulgentias, ab omnibus ferè aliis ejus prædecessoribus insertam: & eorum loco alia opera pia præscripsit, videlicet visitationem Ecclesiarum nostrarum, actus Contritionis, Confessionem, & aliquarum precum recitationem. Sed de istis latius in Bullario Ordinis.*

Ex antiquitate Indulgentiarum Ordini concessarum colligitur antiquitas ejus.

Et quod is longè præcesserit tempora Aymerici Patriarchæ Antiocheni.

Roderic. to. 2. pag. 508. Edit. Antuerp.

532. (b) Produxitque sacrum Ordinem. *Videlicet ut causa exemplaris, & finalis Vide hic supra Annotationes ad libri 6. caput primum num. 217. & 218.*

(c) SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi...., successionem hæreditariam tenentes. *Ferè eadem omninò scribunt Pontifices alij plures in suis Ordini huic concessis Diplomatibus, Bullario Ordinis insertis: quibus consonant bina præfata Cantabrigiensis Universitatis decreta. Vide hic suprà num. 518. & 520. & ista de Institutione, & hæreditariâ, ac jugi semperque continuatâ successione Ordinis hujus à S. P. Elia, ex omnibus hactenùs dictis certa, & manifesta sunt, & ex dicendis confirmabuntur.*

S. 8,

§. 8. Extracta ex Speculo antiquo Ordinis MS. circa Indulgentias & privilegia à multis Pontificibus Ordini huic gratiosè concessa.

Ad lib. 6. cap. 1. 2. 3. 4. & 5. & ad lib. 10.

533. IN *vetusto codice MS. Conventus Carmelitani Mechliniæ, cujus titulus est ad extrà*: Liber de peculiaribus gestis Carmelitarum cum multis aliis. *Et ad intrà*: Speculum Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli: *in quo continentur Libri decem Philippi Riboti (hîc proximè præcedentes, constituentes partem primam Speculi hujus) atque alia multa Opuscula, & antiqua monumenta præfati Ordinis; hæc inter cætera exarata sunt folio CCXXXVII.*
(a) (a) SIXTUS *Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.* Dum attentâ meditatione pensamus quod gloriosissima Dei Genitrix Maria Virgo venustissima: & omnium virtutum floribus insignita: cujus ineffabilem pulchritudinem Sol & Luna mirantur: cujusque precibus juvatur populus Christianus: & quæ florem preciosissimum immarcessibilem & æternum Dominum nostrum Jesum Christum immensâ sancti Spiritus cooperante virtute genuit: * produxitque sacrum Ordinem B. Mariæ de monte Carmeli à S. Sede Apostolica, & pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & etiam à nobis multipliciter approbatum: quem ejusdem gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ speciali titulô voluit insigniri. *Et post alia (ferè eadem quæ in præfata Bulla Innocentij VIII. de professoribus Ordinis hujus subjungitur*: (b) Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi, & Enoch: necnon & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.

*Vide l. 6. cap. 1. & ibi in Not. n. 217. & 18.

(b)

534. *Deindè referuntur Indulgentiæ à variis Pontificibus Ordini concessæ his verbis*: Licèt multi Romani Pontifices prædecessores nostri ob reverentiam gloriosissimæ, & intemeratæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, & singularem devotionem quam ad illam, & prædictum Ordinem sub ejusdem Dei Genitricis Mariæ titulô specialitèr insignitum gesserunt, (c) diversas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac privilegia, & indulta ipsi Ordini, & illius domibus concesserint, quæ in eisdem domibus sunt recepta, & quorum continentia in publicis scripturis, & dicti Ordinis Ecclesiis apertissimè reperitur, sub hac videlicet verborum formâ: LEO PAPA IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli hujusmodi in festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri, & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis ejusdem Beatæ Dei Genetricis Mariæ, S. Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceves, & per Octavam prædictarum festivitatum, ac vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devotè visitarent, & pias eleëmosynas largiti forent, seu domos confractas ejusdem Ordinis reficerent, septem annos, & duodecim quadragenas. Et ADRIANVS II. STEPHANVS V. SERGIVS III. JOANNES X. & JOANNES XI. SERGIVS V. & INNOCENTIVS IV. (qui dictum Ordinem confirmavit) omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus contritis, & confessis, qui prædictas Ecclesias piè visitarent in prædictis festivitatibus, & earum Octavis, seu qui domos fractas ejusdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipsarum Ecclesiarum munera darent, vel Confratriam dicti Ordinis assumerent, & eam intrarent, aut calicem pro Missis celebrandis, vel tobalias, seu mappas erogarent, vel qui in præmissis, aut quolibet præmissorum manus porrigerent adjutrices, vel qui in suis ultimis testamentis aliquid legarent, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. *Ibi consequentèr aliorum multorum Pontificum Indulgentiæ Ordini huic data referuntur: ac denique ipse Sixtus IV. subjungit.* De nostra mera voluntate, ac deliberatione, & ex certa nostra scientia, singulas Indulgentias, non tamen plenarias, ac alias spirituales, & temporales gratias à prædictis, seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris dicto Ordini B. Mariæ de monte Carmeli, & illius domibus Ecclesiis, ac personis in genere, vel in specie, quomodolibet concessas, quorum omnium tenores, & effectus, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur hîc haberi volumus pro sufficientèr expressis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium in suo robore, suaque firmitate confirmamus, approbamus, & innovamus, ac de novo concedimus.

(c)

Indulgentiæ antiquæ Ordinis.

Clausula de eleemos. dandis mutata est postea in alia pietatis opera v. n. 531 in fine.

à Sixto PP. IV. confirmata.

535. *In eodem antiquo libro MS. folio CLXXIII. paginâ 2. extat pervetustô charactere exarata Bulla Ioannis XXII. communitèr nuncupata* SABBATINA, *quâ publicatur, & confirmatur concessum huic Ordini meritis, & jussu B. Virginis Mariæ, singulare beneficium, vulgò nuncupatum* PRIVILEGIVM SABBATINVM, *videlicet*, quod ipsa purissima Virgo nostri Ordinis singularis Patrona, quæ ubique, tùm in ista, tùm in altera vita plurimum pollet, fideles Scapulare nostri Ordinis deferentes, & servanda servantes, post eorum obitum in gratia, dum igne Purgatorij expiantur, suis efficacissimis precibus adjuvat, ut quàm citiùs, & præsertim in die Sabbati, in cælestem patriam efferantur. *Bulla illa gratiosissima ex dicto Codice MS. (scilicet Speculo antiquo Ordinis) desumpta, inserta est Vineæ Carmeli parte 4. & ibi luculentèr explicata. De eadem etiam peculiaritèr tractabitur infrà, in parte 3. Ideò indè dumtaxat hîc pauca delibantur. Ejus hoc est initium*: (d) JOANNES *Servus servorum Dei universis, & singulis fidelibus, tàm præsentibus, quàm futuris, præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.* Sacratissimô uti culmine Paradisi, Angelorum tàm dulcis & suavis reperitur

Sabbatina Bulla singulare privilegium.

ritur melodia &c. *Et post alia refert Pontifex apparitionem, & jussionem Virginis gloriosæ sibi factam*: Sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit * Carmelita, sequentem affata sermonem ..... (c) Istam gratiam, & amplam meo sancto, & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem * debes piè concedere, per Eliam, & Elisæum in monte Carmeli inchoato. *Consequenter refert verba ejusdem superbenedictæ Dei Matris, spondentis* Religiosis hujus Ordinis Regulam suam inviolatam tenentibus, & Confratribus præscripta servantibus salutem æternam, & liberationem è Purgatorio Sabbato post eorum obitum. *Ac tandem sic Diploma suum istud concludit*: Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis gloriosæ Jesus Christus concessit in cælis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Indulgentiæ, statuti, & ordinationis irritare &c. *Immediatè post subjungitur*: Hæc est Bulla Joannis XXII. quam Alexander V. confirmavit: cujus Originale dicitur fore in Anglia, & in Conventu Januensi ejus instrumentum authenticum.

* Id est Carmelitanâ veste amicta.

* Al. debeas præconcedere.

Sabbatini privilegii concessio, & confirmatio.

536. *Bulla ista abbreviata, etiam antiquò valdè charactere scripta est in eodem libro in Tractatu cujus titulus est*: Collectarium, seu Collectaneum exemplorum &c. *cap. 6. cujus titulus est*: Qualiter B. Virgo apparens Joanni Papæ XXII. præcepit ei dare Carmelitis privilegia, & eos defendere ab æmulis. *Et in fine additur*: Papa in officio constitutus omnia pro posse adimplevit: & Ordini in omnibus favit, & promovit, privilegiavit, & robore Apostolicô munivit. (f) Nec fuit aliquis prædecessor, qui tot privilegia Ordini contulerit, sicut iste Joannes XXII. sicut patet in pluribus Bullis Ordinis. Ista autem revelatio, & apparitio dicitur fore in Bulla plumbea in Anglia: & in Conventu Januensi est ejus instrumentum authenticum, & magis amplum quàm hic ponitur.

Ioan. PP. XXII. in Carmelit. Ord. liberalissimus.

(f) *Originale Bullæ istius in Anglia.*

537. *In præfato eodem Ordinis hujus Speculo MS. sub finem. folio CCXL. etiam ista huic Ordini concessa privilegia referuntur sic*: SIXTUS PAPA IV. *in Mari magno privilegiorum Ordinis nostri circà finem* (g) Postremò, cum prædictorum Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de monte Carmeli, sicut & Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum Professores, pro fidei Catholicæ dilatatione continuè, indefessèque laborent, fructusque afferant in Ecclesia Dei salutares: & propterea fuerunt variis per Sedem prædictam privilegiis decorati; ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia, & favores; eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli professoribus; ut concessis eisdem Fratribus Prædicatoribus, Minoribus, & Eremitis S. Augustini privilegiis, indulgentiis, gratiis, & favoribus, ac indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & quomodolibet etiam à nobis, aut aliis authoritatem habentibus (quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere) potiri, & gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus, in omnibus, & per omnia prorsùs, & sine ulla differentia: perindè, ac si quæ eisdem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinibus prædictis sunt concessa prædicto Ordini Gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum. Et quæ Magistro Prædicatorum, & Ministro Generali Minorum, & Priori Generali Eremitarum S. Augustini, Provincialibusque Prioribus Prædicatorum, & Ministris Minorum Fratrum, ac Provincialibus Prioribus Eremitarum S. Augustini, nec non Monasteriis Monialium sub eorundem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum cura secundùm ipsorum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum instituta viventium sunt statuta, in Magistro Generali, & in Provincialibus Prioribus, & Vicariis dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, & Monasteriorum Monialium dicti Ordinis instituta viventium vice versâ statuta sint, & esse censeantur. Mandantes etiam scientiâ, & motu, & authoritate prædictis, præcipiendo, ut dum privilegiorum, indulgentiarum, prærogativarum, exemptionum, indultorum, immunitatum dictorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini originales litteræ, aut transumpta authentica pro parte, & in favorem Fratrum dictorum Beatissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tam in judicio, quam extra judicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si in favorem dictorum Fratrum Beatissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli à Sede Apostolicâ emanassent, & eis fuissent immediatè concessa.

Amplissima Ordini huic concessa communicatio privilegiorum, & indulg. cum aliis Ordin.

ANNOTATIONES.

538. (a) SIXTUS *ad marginem ibi paulò infrà hæc adscripta leguntur*: Ego Frater Joannes * Oudewater vidi veram Bullam plumbeam in Conventu Mechliniensi istius Sixti Papæ IV. cujus hæc est copia manu meâ ... Anno Domini MCCCCLXXVIII. Deo gratias. Pontificatus Sixti anno septimo.

* Alias Palæonydorus.

539 (b) Sanctorum Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Enoch, &c. successionem hæreditariam tenentes. *Ità quoque Innocentius VIII. (vide hic suprà num. 530.) Et Iulius II. ac Gregorius XIII. in Bullis de quibus mox. Enoch ille cognominatus de Amathim vixit in Carmelo temporibus Apostolorum, & deindè fuit comes S. Marci, & consors in Euangelicis Cænobitis instruendis: ac tandem paulò post sui magistri necem ad Carmelum reversus ibi contemplationi vacans obiit anno Christi 64. die septima Iulij dignô honore sepulturæ traditus. Ita Lezana in Annalibus ad dictum annum.*

(c) Diversas Indulgentias. *Easdem etiam suis Bullis insertas habent, & confirmarunt Iulius II. in Bulla cujus initium*

sidiam est: Ad Sacrum Ordinem Beatæ, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli dirigentes nostræ considerationis intuitum. *Data Romæ anno Domini* 1504. *duodecimo Kalendas May. Et Gregorius XIII. in Bulla* Ut laudes, *data anno* 1577. *die XVIII. Septembris, & uterque etiam tradit (ut jam dicebatur) Ordinem hunc, & illius personas* à SS. Prophetis Elia, & Eliseo hæreditariam successionem tenere. *Sed de istis latiùs in Bullario Ordinis.*

540. (d) Joannes servus servorum. *In aliis exemplaribus est*: Joannes Episcopus servus servorum. *Bullam, & privilegium istud Sabbatinum confirmavit Alexander V. & eam verbatim insertam habet suo Diplomati, cujus hoc est initium*: ALEXANDER *Episcopus servus servorum Dei*, universis, & singulis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Tenore cujusdam privilegij, felicis recordationis Joannis XXII. prædecessoris nostri, dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus, & dilectis in Christo Filiabus, Sororibus, & Confratribus Confratriæ Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi, & diligentèr inspecti, de dicto Originali sumpto, ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur, præsentibus fecimus annotari, qui talis est; JOANNES *Episcopus servus servorum Dei*, &c. *Eandem Ioannis Bullam, atque etiam Alexandri, nec non privilegium Sabbatinum, videlicet de liberandis è Purgatorio præcipuè in die Sabbati animabus Confratrum habitum Ordinis (id est* Scapulare) *gestantium, & servanda servantium, confirmarunt quoque Clemens VII. Paulus* III. *Pius V. & Gregorius XIII. Sacra Congregatio S. Inquisitionis sub Paulo V. anno* 1613. *Privilegium istud post maturum examen etiam approbavit, & (contra quosdam obloquentes) illud in concionibus publicari posse decrevit. In isto Decreto etiam conditiones requisitæ ad promerendam specialem illam gratiam sic paucis exprimuntur*: Nimirum Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitàverint, vel si recitare nesciant, jejunia Ecclesiæ observaverint, & Feria 4. & Sabbatò à carnibus abstinuerint, nisi ubi in illis diebus Nativitatis Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post eorum transitum, præcipuè die Sabbati (qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini Mariæ dicatus est) adjuturam. *Sed de istis singulis latiùs in sequentibus præsertim parte* 3.

Sabbatinæ Bullæ confirmatio per Alexand. V.

Atque alios Pontif.

Conditiones requisitæ pro Sabbatino privilegio.

541. (e) Istam gratiam, & amplam &c. *In aliis exemplaribus sic legitur*; Ità gratiam & amplam meo sacro & devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere per Eliam & Eliseum in monte Carmelo inchoato. *Gratiam, & amplam confirmationem, atque omnimodam exemptionem concessit per Bullam, insertam Speculo Ordinis hic supra libro 10. cap.* 3. *Quoad ista verba à B. Virgine prolata, & à Ioanne* XXII *relata de Carmelitano Ordine*: Per Eliam, & Eliseum in monte Carmelo inchoata, *confirmata sunt aliorum præcedentium Pontificum verbis, de hæreditaria successione ab istis SS. Prophetis: & etiam perspicua constant veritate ex omnibus hactenùs dictis.*

542. (f) Nec fuit aliquis prædecessor, qui tot privilegia Ordini contulerit, sicut ille Ioannes XXII. *scilicet occasione istius apparitionis, & jussionis. Etenim præter præfatam Bullam Sabbatinam, anno primo sui Pontificatus concessit amplissimam exemptionem Ordinis, de qua jam diximus, & sequentibus annis alias gratias ac privilegia magna, ac multa indulsit, de quibus in Annalibus Ordinis ad singulos ferè annos quibus Pontificali in solio sedit.*

543. (g) Postremò cum prædictorum &c. *Sed cur Pontifices Ordinem hunc, sicut & alios illos præfatos Prædicatorum, Minorum, ac Eremitarum S. Augustini tantis decorarunt privilegiis? Ratio est utilitas magna ex istis Ordinibus in Ecclesiam proveniens: atque ut sic labores istorum Ordinum in Vinea Domini impensos recompensent. Etenim* sicut nulli ferè unquam Hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patientèr audire potuerint. *Cur ità?* Non eò certè spectant, ut Ordines solùm hominũ Religiosorũ disjiciant, Monasticenque de medio tollant, sed ut Ecclesiã totã hac ratione perturbent, ac vastent, eamque (si fieri possit) à fundamentis evertant. *Ità veracitèr Cardinalis Bellarminus in Controversiis libro de Monachis, in Præfatione. Sic è contra* quotquot fuerunt unquam pij Scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris hoc genus vitæ laudibus in cœlum tollere conati sunt, *inquit Bellarminus ibidem. Hinc Summi Pontifices considerantes* quantum splendoris, & utilitatis in Ecclesia Dei oriatur ex Monasteriis piè institutis, & rectè administratis (*verba sunt Concilij Tridentini sess.* 25. *de Regularibus*) *peculiari sollicitudine invigilan. conservanda, & (ubi collapsa est) instauranda regulari disciplina in Religiosis Ordinibus. Insuper ut Ordines isti sint stabiles, firmi, solidi, nullumque internæ pacis patiantur excidium, atque devotiùs, & alacriùs divino cultui, & profectui animarum insistant, cumulatissimò præmiò Religiosos labores, in Vinea Domini fructuosè impensos liberalitèr semper studuerunt compensare, videlicet Apostolicis privilegiis, exemptionibus, & libertatibus: quod singulorum Ordinum Bullaria inspicienti patescet. Rationem seu motivum istud indicat ipse Pontifex verbis istis jam recitatis*: Cum pro fidei Catholicæ dilatatione continuè, indefessèque laborent, fructusque afferant in Ecclesia Dei salutares: & propterea fuerunt variis per Sedem prædictam privilegiis decorati; ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia, & favores. *Eadem est ratio Societatis Iesu, & cæterorum Ordinum Religiosorum simili privilegiorum communicatione gaudentium.*

Pontifices cur magnis privilegiis decoraverint 4. Ordines Mendic.

Finis Partis primæ Speculi Carmelitani.

LIBRI SEV OPVSCVLA XII.

De Antiquitate, Ortu, progressu, ac variis eventibus Ordinis Eliani Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli.

I. JOANNIS GROSSI, Generalis, Galli, Tolosani VIRIDARIVM.
II. JOANNIS HILDESHEIMENSIS Germani DEFENSORIVM.
III. JOANNIS BACHONIS, Angli COMPENDIVM.
IV. BERNARDI OLERII Generalis, Hispani INFORMATIO.
V. THOMÆ BRADLEY, Episcopi Dromorensis in Hibernia CHRONICON.
VI. BAPTISTÆ MANTUANI Generalis, Itali APOLOGIA.
VII. JOANNIS DE VINETA Armorici CHRONICON.
VIII. PETRI BRUNI Gandavensis TABVLARE.
IX. JOANNIS DE MALINIS Brabantini SPECVLVM HISTORIALE.
X. JOANNIS PALEONYDORI Batavi FASCICVLVS TRIPARTITVS.
XI. ARNOLDI BOSTII Flandri SPECVLVM HISTORIALE.
XII. JOANNIS TRITHEMII Abbatis, Germani LIBER.

Atque aliorum Scriptorum illustrium asserta.

Annotationibus illustrata, operâ P. F. Danielis à Virgine Maria, ejusdem Ordinis Ex-provincialis in Provincia Flandro-Belgica.

PRÆFATIO.

Rationum oppositarum circa subsequentia Opuscula dissidium AVCTOREM inter & AMICVM; interveniente ARBITRO concordi sententiâ terminatum.

Circa subsequentia Opuscula, an, & quæ præcedenti Volumini decem librorum convenienter subnecterentur, magna diu suspendit perplexitas, ob contrariarum momenta rationum: quas hic succinctè per modum dialogi, indicasse, haud erit inutile.

544. *Auctor monetur ad editionem veterum MSS. librorum de Ordine Carmelitano.*

AMICUS. *Cum jam novam in lucem prodire gestias volumen istud insigne decem Librorum per Philippum Riboti, concinnatum ad fidem antiquorum MSS. Codicum suo redditum primævo nitori, (detersis scilicet maculis, quibus Veneta impressio anni* 1507. *resperſa erat) annotationibus illustratum: restat ut alij antiquorum Scriptorum de hoc Ordine libri, tractatus, opuscula, similiter è tenebris, lumen adspiciant, & simili studiô, ac curâ publici fiant juris.* AVCTOR: *Non ita; cùm enim istorum plerique de hoc Ordine plurima habeant eadem, quæ in isto volumine præcesse-*

præcesserunt, & sufficienter declarata sunt, haud magnæ erit utilitatis, sed è converso multiplicis dispendij aliorum editio; dispendij chartæ, & expensarum magnarum; dum aliorum istorum accessu excrescet Opus hoc; dispendij quoque temporis (mercis sanè pretiosissimæ) in lectoribus, nec non fastidium, ex eorundem reiteratione, & (ut dici solet) ejusdem incudis repercussione, ejusdemque serræ per eandem lineam reciprocatione. AMICUS: *Si tuæ illæ rationes evincerent, concluderent utique etiam superfluas plures historias Ecclesiasticas, aliasque circa idem argumentum quandoque versantes, uti & diversorum commentarios in eosdem textus. Porrò ex istorum Opusculorum editione provenient hæc commoda: confirmatio antedictorum: & satisfactio desiderij plurimorum, istos libros, & tractatus vetustos, prout à suis Authoribus prodierunt, videre cupientium. Sed, nè invitum ad opus alioqui fastidiosum velle impellere videar, arbitrum advocemus cui hanc causam nostram deferamus decidendam, ejusque dein arbitriô disceptatio nostra finem accipiat.* AUCTOR. *Haud abnuo consilium, advocetur.*

Excusat se.

Vegetur rationibus.

545. ARBITER. *Accitus huc propositam ut dirimam disceptationem, paucis edisseram, quid quidem mihi videatur, confidens omninò fore, ut & utrique vestrum idipsum placeat; atque ita tres in unum consensuros. De re qualibet primô obtutu ambigua, circà quam oppositarum versantur pondera sententiarum, ut prudens feratur judicium, utrimque æquâ in lance autumo appendenda momenta rationum pugnantium: investiganda dein exempla similia, si quæ occurrant; ut ex similibus similis censura decernatur. Nuper mihi bibliothecas scrutanti inter manus venit Operis vastissimi, & multifariè utilissimi (inscripti* ACTA SANCTORUM *per RR. PP. Ioannem Bollandum, & Godefridum Henschenium è Societate Iesu) tomus primus mensis Februarij. Mox, ut fieri solet, oculos conjeci in ipsam præfationem, & peculiariter in caput secundum, cui titulus præfigitur:* Cur quandoque plures vitæ Sancti unius edantur? *& ejus hoc est initium:* Visi sunt pij quidam homines illud in nostro opere improbare, quòd unius Sancti plures vitas edamus. Nam cum ipsi eas ideò potissimum legant, ut virtutum indè colligant exempla: cupiantque prolixâ lectione non detineri; mallent omnia clarè, ac perspicuè dici, aut saltem non sæpiùs idem, ut aiunt. *Sed quid subsequatur attendite:* Multas tamen, & graves ob causas contrarium nobis visum est, idemq; probarunt (quorum usi sapientissimô consiliô sumus)...., maximô judiciô viri, & scriptis clari. Probarunt ij quoque, ut plures prætercam, qui nostrum hoc Opus recognoverunt, suôque calculô confirmarunt, & ipsi summâ eruditione, ac prudentiâ conspicui. Atque reverà sunt subindè à diversis auctoribus doctis, & gravibus scriptæ vitæ unius ejusdemque Sancti. Horum autem scriptorum duplex est Ordo: nam ambo quandoque ipsô quô res gestæ sunt tempore vixerunt: & narrat fortassis unus nonnulla, quæ alter prætermisit. Quî potest igitur altera ejusmodi vita prætermitti, absque injuriâ auctoris, ac historiæ fraude? *Ad hæc infertur:* Edite, inquies, unam: ex altera, quod deest, supplete. (*Hinc ad propositum vestrum infero quoque: editum jam est volumen decem librorum, quibus de institutione, habitu, Regula, cæterisque hujus Ordinis perspicuè, & luculenter disseritur: quod deest, ex cæteris suppleatur*) *Replicatur ibidem:* Quô id modô? An ut in unius narrationem ex altera, verba aliquot, aut integras periodos intrudamus, atque ita novam quandam vitam, unâ sic interpolatâ, procudamus? Alienissimum id à nostro instituto, & doctorum hominum expectatione, qui genuina volunt veterum scripta. An sufficere censes, ut alterutram edamus, ex altera subnectamus, quæ deesse videbuntur? quid si utraque par esse videatur, quem nos, aut quâ ratione delectum adhibebimus? Quî patientur lectores, unam subtrahi sibi, & in æternas abdi tenebras; quam etiam fortassis, si vidissent, alteri prælatam voluissent? Nonnè igitur ad fidem nobis conciliandam Vitis ipsis authoritatem dari utramque expedit? Atque id valere quoque videtur, etsi una ejusmodi Vitarum (qui alter erat ordo comparatorum scriptorum) longô post tempore scripta esset, quam res gestæ, alteraque Vita edita. Habet prior quidem scriptor antiquitatis prærogativam, in qua vis inest magna, ut quæ narrat credibiliora videantur; alter tamen, etsi sæculô unô alterôve posterior, plura potest vetera documenta examinasse, & adjuncta rei gestæ certiùs explorasse. *Nonnè ista lumen hîc subministrant? sed & subsequuntur alia itidem non extrà propositum præsens:*

Arbitro controversia committitur.

Is auctoritate, & rationibus ostendit, utiliter plura in lucem prodire de eodem subjecto:

Sicut plures vitæ sancti unius.

Idipsum magis declaratur.

546. Denique non id primi in usum duximus, ut plura unius Divi Acta proferremus: multorum id, si non omnium, fuit ante nos, estque etiamnum, eruditorum hominum institutum. S. Cypriani Martyris, qui diligenter recognita edidêre in lucem opera viri doctissimi Jacobus Pamelius, Nicolaus Rigaltius, nonnè plura ejus Martyrij acta ex vetustis codicibus descripta præfixêre? ..... Quis verò illustris familiæ cujuspiã, urbisve, aut Provinciæ antiquitatem, atque ornamenta exornare stylo conatur, qui non ad adstruendam dictis suis auctoritatem, quæ potest omnia corradat, subindè in vilibus pittaciis exarata, etiam ab ignotis, & ineruditis Scriptoribus, qui sæpè omnes eadem

Et exemplis conglobatis confirmatur.

 narrant,

narrant, ac nonnunquam verbis iisdem, quæ cæteri à primo descripserunt, aut alioquin iisdem è tabulis acceperunt? .... Si Plinij, quis, aut alicujus, qui æreâ illâ vixerit ætate non modò antiquioris alicujus reperiat uspiam Epistolam, aut ignoti operis fragmentum, etiamsi quæ illo res narratur, ab aliis compluribus commendata sit litteris, non illicò id, quodcumque est, volet ad eruditorum manus venire? non hi avidissimè arripient? Excellentium Imperatorum, Græcorum ac Romanorum, vitæ, & elogia à quamplurimis sunt posteritati propagata. Si illorum valeret ratio qui hîc contrarium ac nos sentiunt, unicum reservari, cætera decerpi, concidi, dissipari oporteret: aut saltem nefas esset unius alicujus ex illis Imperatoribus, puta Alexandri, aut Africani, plura ejusmodi elogia, à variis concinnata, in unum opusculum colligere, & eo modo in publicum emittere; quod qui affirmare velit, nè is contra eruditorum omnium opinionem, atquè adeò contra communem sensum hominum pugnet. *Tum (in gratiam eorum, qui ob rationes præallegatas, censebant, plura ejusdem generis scripta non edenda) subditur*: Quibus tamen grave sit, ac molestum ita multa de sancto uno volvere, & sæpiùs res non admodum diversas referentia; egregiè sanè eorum fastidium sublevamus, additâ ad marginem omnium, quæ narrantur, succinctâ synopsi: ut quod festivè olim dicebat Balduinus Cabillauius noster: die uno perlegi volumen benè vastum queat; quâ ratione omne ferè scriptorum genus, inter innumeras alias occupationes, incredibili aviditate devorarat. Si quæ res occurrent sic obiter legenti, quas discutere pensiculatè velit, licebit quæ in pluribus ejusmodi Actis narrantur, invicem comparare.

Synopsis narratorum ad marginem, magnum Lectori levamen.

547. *Hactenùs differentes audistis viros illos omnigenâ scientiâ præstantes, & longâ rerum experientiâ exercitatissimos. Quid indè circa præsentem differentiam concludendum sit, arbitror vos prospicere. Si plures ejusdem Sancti Vitæ, quandoque inter se haud multùm differentes, utiliter, & consultò edantur: si eorundem Pontificum, Imperatorum, aliorumque virorum illustrium gesta eadem à variis sint descripta, & edita: si eadem historia Ecclesiastica à quamplurimis, quibusdam succinctè, nonnullis luculenter, tradita sit: si in eundem textum sacra Scriptura, Summa D. Thomæ, librorum Magistri sententiarum, Operum Aristotelis, Ciceronis, Virgilij, & similium ferè innumeri sint commentatores, si Ordinum aliorum Religiosorum, si Regnorum, Provinciarum, imo & civitatum historia à diversis compilata, in lucem proferantur, & edantur, nec illud studium inutile judicetur; cur non id licet, & expedit circa historiam Ordinis hujus? Quippè cujus antiqua institutio in Lege veteri per magnum Prophetam Eliam, & successio ab eodem usque in præsens, si perspicuè tradantur, & plurimorum authoritatibus, atque inviolabili traditione stabiliantur; erit id magnoperè è re non modò Ordinis hujus, sed & cæterorum omnium, totiusque Ecclesiæ; ut sic Monastico Religioso Instituto, (quod novellum calumniantur hæretici) vindicetur sua venerabilis antiquitas; utpote ab Elia dimanans, & in veteri Synagoga, & in nova Christi Ecclesia altissimis defixa radicibus, qua huc usque semper virens, & crescens, germinavit.*

Conclusio efficax ex antedictis.

Varia de antiquâ Ordinis Carmelitani institutione opuscula publici Iuris fieri, expediens est.

548. *Porrò quo-ad expensas notabiliter augendas, & fastidium ingenerandum Lectoribus (uti dicebatur) ex editione tàm multorum Opusculorum, de Carmelitana historia scriptorum, hactenùs latentium, eademque ferè frequenter decantantium; id meum est consilium, ut ex quamplurimis libris, tractatibus, Opusculis de hoc Ordine variis temporibus elucubratis, seligantur præcipua aliquot, potissimùm vetustiora, à viris præstantibus conscripta, eaque integra dentur, succinctis notis illustrata. Si qua tamen in nonnullis subindè luculenter valdè, & verbis penè eisdem tradantur, qua jam ante præcesserant (ejuscemodi videntur esse varia in Tractatu secundo Thomæ Bradley, Speculo historiali Arnoldi Bostij, Speculo Ioannis de Cimineto, & aliorum quorumdam) censerem posse illa prætermitti, quæ eadem eôdem ferè verborum tenore scribuntur; indicandô, ubi ista pertractata sint. Et hæc mea sententia.* Avctor & Amicvs. *Placet, ita fiat.* Avctor. *Dum præfatorum Patrum Bollandi, & Henschenij fieret mentio, menti occurrit, quòd pridem ego ipse pleraque vetustiora Opuscula circa historiam Ordinis hujus ipsis tradiderim inspicienda, & examinanda, quid circà eorum editionem censerent. Quibus perspectis, & lectis, judicarunt, è re, & utilitate publicâ fore, si thesaurus ille absconditus publicus fiat. Itaque calamo manum admoveo; & pergo, etiam ista alia è tenebris in lucem producere: vos interim valete, & favete.*

Selectiora videlicet, & vetustiora.

RATIO ORDINIS IN SUBSEQUENTIBUS OPUSCULIS.

549. NOn tàm temporis, & antiquitatis ordo, quàm materiæ connexio, & habitudo quædam attenditur in dispositione subsequentium Opusculorum. Hinc primus tribuitur locus Viridario Joannis Grossi, eò quod in illo (factâ strictim repetitione dictorum hactenùs in Parte prima) tradantur series Priorum Generalium, ac compendiosa vita præcipuorum aliquot Sanctorum Ordinis, ac illustrium Scriptorum (de quibus peculiaritèr & plenissimè tractabitur in Parte 4. & 5.) Et istorum aliqua notitia (post ea quæ totâ parte primâ sunt tractata) necessaria est ad Carmelitanæ Historiæ notitiam. Proximè subnectuntur Opuscula aliquot polemica, & apologetica scripta occasione quorundam æmulorum, hinc indè in variis Orbis partibus Ordinem hunc impetentium. Denique aliorum quorumdam Opuscula, de Ordinis institutione, ac successione, subsequuntur: atque aliorum illustrium Scriptorum asserta in subsidium ac confirmationem testimonij domestici advocantur.

VIR I-

VIRIDARIVM ORDINIS B. VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO

PER

IOANNEM GROSSI

Priorem Generalem ejusdem Ordinis

PARTIS SECVNDÆ LIBER I.

NOTATIO PRÆVIA.

Ioannis Grossi eruditio, & prudentia.

550. ABbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis de Viridarij authore ista memorat: Joannes, cognomentô Grossus, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli Prior * nonus-decimus Generalis patriâ Tholosanus, vir studiosus & eruditus. Scripsit apertô sermone non spernenda volumina, quibus exercitatô magnificè ingeniô nomen suum etiam posteris notificavit, è quibus ego vidi tantùm opus præclarum, quod, Ordinis Carmelitani institutionem, & progressum continens, prænotatur VIRIDARIVM. *In Annalibus Ordinis tomô quartô ad annum reparatæ salutis 1389. hæc de eo leguntur:* Joannes Grossi, Gallus natione erat, ex Provincia Tholosana, Conventus Apamiarum alumnus, Doctor insignis in Theologia, in regimine prudentissimus, & apud omnes, tum Gallos, tum Hispanos magnæ authoritatis. Erat autem hic annus primus sui Magistratus: ex quo, & ex multo tempore, quô Religionis regimen tenuit, colligimus tunc fuisse non multæ ætatis. *In ijsdem Annalibus obitus ejus refertur ad annum Christi 1437. septenniô postquam, ob senectutem, & corporis debilitatem se abdicasset Generalatu: quô annis quadraginta unô functus fuerat, partim sub schismate Ecclesiæ, partim sub unione. Illi primùm attributus legitur titulus* Reverendissimi: *Alia nonnulla quæ de seipso scribit in sequentibus audiemus. Quantùm ad* VIRIDARIUM *hoc, vetusta exemplaria, quæ passim hinc indè extant MSS. & Venetum typis editum annô 1507. in Speculo Ordinis, sub finem, inter se non conveniunt; Manu-scripta continent plura quàm impressum, præsertim quoad Sanctos: Vndè apparet, quòd primò brevius ab eo fuerit editum, & deinde auctius & correctius. Hæc autem damus ex MSS. exemplaribus Mechliniensi (exaratô annô Christi 1484. per Ioannem OudeWater, alias Paleonydorum) & Bruxellensi in vetusto codice MS. inter se; & cum Veneto impresso collatis.*

* Iuxta alios XXI.

VIRIDARII PARS PRIMA

DE INSTITVTIONE, ET SVCCESSIONE ORDINIS, TAM SVB VETERI, QUAM NOVA LEGE, AC PRIORIBUS GENERALIBVS.

PROLOGVS.

551. QVia rebus grandibus parvula non sufficiunt ingenia; ideo ego Frater Joannes Grossi sacræ paginæ immeritus Doctor, Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatiss. Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli, parvulus ingeniô, mundiali Viridariô corruptô, parvum decrevi VIRIDARIVM componere de ortu Religionis, & floribus ejusdem, cujus indignus professor sum. De meo modicum, aut quasi nihil apponens, antiquorum flosculis Doctorum ipsum breviter fulciam: amore illius languens omnium bonorum matris Virgulæ, quæ egrediens de radice Jesse, florem produxit immarcessibilem: cui *data est gloria Libani, & decor Carmeli* Isaiæ XXXV. eidem supplicans, ut meritis ejus florem colligam in Viridario æterno: cujus muri inexpugnabiles, invidorum non formidantes ictus, suos reddunt possessores securitate perpetuâ felices. Istud modicum ergo VIRIDARIUM duas habebit Claves, quæ intrare volentibus facilem dabunt ingressum. Prima clavis erit de origine Ordinis temporeq; primo. Secunda Clavis erit de germine, & plantulis quæ surgunt ab imo.

CLAVIS PRIMA.

De Ordinis origine, temporeque primo.

552. CVm sanctus Samuel Propheta Domini Conventum Religiosorum legatur instituisse (qui aliô nomine *Cuneus Prophetarum* dicebatur, ut habetur Samuelis 10.) In diebus Achab Regis Israël, cujus regnum præcessit Incarnationem Domini nostri Jesu Christi (a) annis nongentis & triginta, fuit vir de (b) Tribu Levi (de qua Virgo Maria processisse legitur) de civitate Thesba, quæ est in regione Galaad, cui erat nomen Sabacha: qui habuit filium, cui nomen Elias, Thesbites dictus à Thesba in regione Galaad. Ante cujus ortum, ut testatur Dominus Petrus Commestor super secundum Capitulum quarti libri Regum, Sabacha pater ipsius vidit in somnis viros candidatos se salutantes: quod innuebat, filium ipsius venturum caput Ordinis candidi, & albi, videlicet Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli.

(a) (b)

553. Iste ergo Elias arctiorem aliis Filiis Prophetarum, in cunctis existentibus, cupiens ducere vitam, montem ascendit Carmeli: qui est in Terra Sancta, in confinibus Palæstinæ juxta mare: qui vocatur Hebraicè Charmel, Latinè Carmelus. Iste verò mons distat à civitate Achon quatuor milliaribus, & à civitate sancta Jerusalem XXXIII. leucis; sed à civitate Nazareth, quæ erat civitas gloriosæ Virginis Mariæ, & in qua Angelus eam salutavit (ut habetur Lucæ 1.) tantùm distat tribus milliaribus. Et ob hoc ipsa gloriosa Virgo Maria, tamquam suos, ipsos filios Prophetarum visitavit sæpiùs; ita ut ipsi Fratres primi ad honorem ipsius Virginis gloriosæ in dicto monte, dum adhuc viveret, Capellam fabricarent, ejus eligentes titulum. In isto autem monte, ut habetur tertij Regum cap. XVIII. & in multis aliis capitulis, Elias Propheta multa fecit miracula, assumens, ex divino mandato, Eliseum, ac Abdiam, & Jonam, & multos alios Prophetas: (c) quos docuit vivere in Virginitate, ad honorem prædictæ Virginis gloriosæ, quæ sine corruptione parere habebat mundi Salvatorem: cujus *caput* esse debebat *ut Carmelus*, Cantic. VII. Et ob hoc Eremitæ dicti montis, *Fratres Virginis Mariæ*, dicti sunt; cum ad honorem ipsius Ordinem cœperint ante ejus adventum, & Nativitatem.

Elias arctiorem vitam auspicatur in Carmelo.

Dissito à Nazareth tantum tribus leucis, ideò quandoque visitatus à B.V. Deipara.

(c) *Ad cujus honorem Filias virginitatem servavit.*

554. Cum igitur Dominus Eliam Prophetam, post discipulorum suorum instructionem, vellet per turbinem ignis in Paradisum voluptatis elevare, Eliseo suo discipulo, tamquam digniori, suum dimisit pallium, cum quo multa fecit miracula, ut habetur quarti Regum secundo. Quod pallium erat album, in signum Virginalis puritatis, quam tenebant & servabant. Sed cum Elias esset in curru igneo elevatus, & pallium dimitteret Eliseo ut præfertur: ad majorem miraculi ostensionem ipsum per ignem fuit adustum, & sic factum griseum, infra plicas tamen album remansit. Secundum quod refert Cyrillus in Epistola ad Abbatem Joachimum: * Dum Homar Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Saracenorum Terram Sanctam cepisset, & Christianos in ea degentes suo dominio subjugasset, Saraceni molestè ferebant, quod nostræ Religionis Professores veste albâ desuper induti incederent. Tunc enim solùm eorum Satrapæ vestibus albis induti fuerunt, & id dictis Professoribus interdixerunt, nè de cætero tali pallio uterentur. Quapropter Professores prædicti pallium barratum adinstar pallij Eliæ in turbine ignis adusti unanimitèr assumpserunt: in quibus barratis palliis usque ad tempus Honorij Papæ IV. incedebant.

** Lege Eusebium Vide Parte prima num. 273. & 275. & 293.*

555. Translatô autem Eliâ, ejus successor Eliseus (in quo duplex spiritus remansit Eliæ) cum aliis Prophetarum Filiis, propter vitam insignem, multos traxit ad ipsius montis Carmeli inhabitationem, & devotionem. Et ob hoc Joannes Baptista, propter loci devotionem, dictum montem frequentasse dicitur, & multi alij Sancti. Ipsi tamen Eremitæ, propter eorum vitam Legem Domini non prætermittentes, singulis annis ter in Jerusalem veniebant, ibidem festa celebraturi, scilicet Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ. Quare dum Spiritus sanctus veniebat super Apostolos dicitur, quod *erant in Ierusalem habitantes viri Religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* Et tunc, receptô, unà cum Apostolis, Spiritu sanctô, baptizati sunt ab Apostolis conversantes cum Virgine Matre Dei, ad cujus honorem se in contemplatione posuerunt, ipsâ ibidem præsente. Et ad honorem ipsius Virginis Mariæ, quam diu expectaverant, (d) Oratorium, seu Capellam in declivio montis Carmeli, juxta fontem Eliæ construxerunt, & eam in Patronam elegerunt. Et, sicut in Chronicis Romanis legitur, tempore prædicationis Apostolorum, annô à Nativitate Domini XLI. regnante Imperio Romanô, ad tempora Titi & Vespasiani, apud Jerusalem in Porta aurea, ubi Joachim & Anna, Progenitores Mariæ sibi mutuo obviaverunt, religiosè consederunt, & ibi ad honorem Virginis, ubi concepta fuerat Ecclesiam construxerunt, & unà cum Apostolis in multis Regionibus fidem Christi constantèr prædicaverunt.

Act. 2.

(d) *Et illius posteri in Carmelo Capellam construxerunt.*

ANNOTATIONES.

556. (a) ANnis nongentis, & triginta, *Anno mundi 3117 ante Christum 936. (juxta Salianum, & alios) Achab patri successit Rex Israel. Anno autem septimo regni ejus (juxta Ioannem Ierosolymitanum, & eundem Salianum, & alios) anno mundi 3123. ante Christum 930. primùm apparuisse legitur Elias.*

557. (b) De Tribu Levi) de qua Virgo Maria processisse legitur) *B. Virginem Deiparam Mariam ex tribu Iuda à stirpe Davidica, rectâ lineâ generationis processisse indubitatum est: aliqualem tamen originem de Tribu Sacerdotali, seu levitica eam traxisse adfirmant Doctores illustres:* Decuit Christum (*ait S. Thomas à Villa-nova Concione 2. de Nat. B.V.*) qui Rex & Sacerdos futurus erat in populo Dei, ex Regibus, & Sacerdotibus originem ducere: ut etiam secundum carnem regnum & sacerdotium non usurpatum videretur, sed ei jure optimè conve-

Maria Virgo Deipara an, & quâ ratione de Tribu levitica.

convenirent: *quod fieri potuit tametsi B. Anna patrem ac matrem ex Tribu Iuda habuerit; nimirum (prout non vulgaris authoritatis & doctrinæ viri, Salmeron Tom 3. Tract. 8. & Suarez Tom. 2. in 3 par. disp 2 sect. 2. advertunt) si quis dicat matrem S. Ioachim Patris Deiparæ Virginis fuisse de Tribu Levi, quia hæ Tribus facilè matrimonio invicem jungebantur, id quod satisfacit, ut aliqualiter saltem Christi origo ex sanguine Sacerdotali deducta perhibeatur.*

(c) Primi ad honorem ipsius Virginis &c... Capellam &c. *Vide mox infrà num. 559.*

Adjuit honorem Eliæ Ordinem suum instituit.

558. (d) Quos docuit (*Elias*) vivere in virginitate, ad honorem prædictæ Virginis gloriosæ, quæ sine corruptione parere habebat Salvatorem mundi.... Cum ad honorem ipsius Ordinem cœperint ante ejus adventum, & nativitatem. *Ea igitur prima est ratio (præter alias) cur hic Ordo intituletur à B. Virgine Maria; videlicet, quod S. Propheta Elias eum* in honorem Virginis illius (*Deiparæ*) primitùs Propheticô spiritu radicando, fundaverit, *ut idem Grossius loquitur hic infrà agens de S. Elia. Et confirmat authoritas vetusti Patris S. Methodij, in Homilia de Festo Purificationis (seu de Simeone & Anna) alloquens ipsam Virginem Deiparam verbis suprà * adductis. Puritatis enim illius Virginis Deum pariturææ imitator fuit, dum ad ejus venerationem virginalem castitatem servare ipse destinavit, & suos discipulos docuit. Quòd autem, & qualiter Ordinis hujus institutio ad honorem Virginis Deum pariture, in typo Nubeculæ præcognita, per S. Eliam facta fuerit declaratum est satis luculenter parte primâ lib. 6. cap. 1. & ibi in Notis.*

* *S. Methodij verba de Elia venerante Deiparam vide parte 1. num 217.*

559. (e) Oratorium, seu Capellam in declivio montis Carmeli.... construxerunt. *Duo in Carmelo fuerunt erecta Sacella, seu Oratoria, dicata B. Virgini Deiparæ, temporibus Apostolorum (seu unum mutatum, translatum, sive auctum) prius ipsâ adhuc vivente in declivio montis circà annum à Christo nato 36. posterius verò annô 83. id habetur ex historijs, & Annalibus Ordinis, prout latiùs annotavimus parte primâ libro 6. ad caput 5. Cætera omnia quæ in hac prima Clavi tractantur, in antecedentibus sufficienter sunt explicata. Quo-ad pallium album S. Prophetæ Eliæ, quod ei in paradisum curru igneô ascendenti cecidit, illud activitate ignis illius denigratum fuisse senserunt cum Grossio etiam alij aliqui: ast in eo fallit Lezana tomô 3. Annalium Carmelitarum declarat, tùm authoritate S. Cyrilli, aliter scribentis, tùm ratione*, quia ignis ille non fuit comburens, sed illuminans; sicut linguæ ignitæ apparentes super Apostolos in die Penthecostes. Vide parte prima libro 7. num. 276.

Lezana to. 3. ad an. 642.

CLAVIS II.

De germine, & plantulis, quæ surgunt ab imo.

560. BAptizatis igitur, ut præfertur, ab Apostolis Eremitis montis Carmeli, & in eodem monte dispersis, in Porta aurea Ierusalem, in civitate Achon, & in multis alijs locis Terræ sanctæ (de quibus sunt propter Paganorum persecutionem jam deleti) atque ipsis prędicantibus, in fide Christi, & Apostolorum doctrina; accidit, quòd (a) Basilius Magnus Eremita sibi devotis Eremitis Regulam composuit, quam aliqui præfati montis Eremitæ tenuerunt, juxta Eliæ, & Elisæi vestigia (qui primò, ut præfertur, dictum inhabitarunt montem) quorum isti sequaces, & imitatores fuerunt. Processu autem temporis, Frater Ioannes, Eremita dicti Ordinis Carmeli, assumptus in Patriarcham Ierosolymitanum, Fratri Caprasio, discipulo suo dilectissimo, cæterisque Eremitis montis Carmeli, Regulam tradidit observandam. Juxta Regulam eis datam, & bonam conscientiam, quilibet Deo famulabatur: & sic steterunt usque ad annum Domini 1099. & ab infidelibus multa passi sunt dicti Fratres.

(a)

561. Captâ civitate Ierusalem à Christianis, & remanente ibidē pro Duce Godefrido, fratre, Roberto Comite Flandrensi, Dominus Aymericus Malafaida, Lemovicensis, Patriarcha Antiochenus (qui cum multis alijs venerat) Legatus Sedis Apostolicæ, Fratrum Carmeli videns sanctitatem, omnes in unum congregavit, & nepotem suum Fratrem BERTHOLDUM, virum Religiosum, sanctum, & famosum, qui jam causâ devotionis Ordinem diu intraverat, eis per omnium electionem assignavit in Priorem, curam ei omnium Fratrum tribuens: qui prædictum Ordinem quadraginta quinque annis rexit in magna sanctitate: per quem Deus tam in vita quam in morte multa fecit miracula.

S. BERTH. primus Ordinis Superior, sub nomine PRIOR GENERALIS.

Rationem istius nomenclaturæ vide in Paleonydoro (hic infrà) libello 3. cap 1.

Quô mortuô, & in prædicto monte Carmeli sepultô, Fratrem BROCARDUM, virum sanctum, & Religiosum, in Priorem unanimiter præfecerunt, ei obedientiam debitam promittentes.

II. S. BROCARDUS.

Quô eis præsidente, Pratriarchæ Ierosolymitano Domino Alberto proposuerunt, quòd, à tempore quô prædictus Patriarcha Aymericus eos omnes sub cura unius Prioris per obedientiæ vinculum colligaverat, ipsi desiderabant vivere in Monasterio, sub obedientia religiosæ vitæ solitariæ, per Eliam Prophetam institutæ. Ideò priusquam in eo includerentur, obnixè requirebant à prædicto Patriarcha Alberto; ut juxta propositum eorum, traderet eis de quibusdam articulis, per eos tunc sibi oblatis, brevem vitæ formulam, quam imposterùm tenere deberent: quam eis condidit, & prędicto Priori Brocardo direxit, secundùm quod in nostra Regula habetur. Iste autem Fr. Brocardus triginta tribus annis rexit Ordinem, & demùm in pace quievit, & in monte Carmeli est sepultus: ubi tam in vita quàm in morte per eum Deus multa fecit miracula.

562. (b) Annô verò Domini 1131. * fuit factus Prior Generalis Fr. CYRILLUS, natione Græcus... Iste fuit sanctus: qui visionem sibi factam per Angelum in Missarum solemnijs scripsit.

(b) * Mendum in numeros irrepsit. Vide Notas.

III. S. CYRILLUS.

Quartus Prior Generalis fuit Frater BERTHOLDUS natione Lombardus, qui Ordinem laudabiliter rexit....

IV. BERTH. LOMB.

Quintus Prior Generalis fuit Fr. ALANUS, natione Brito... qui sepultus quiescit in Convētu Coloniensi, Provinciæ Alemaniæ inferioris.

V. ALANUS.

563. Sextus Prior Generalis fuit Fr. SIMON STOCK, natione Anglicus: qui (c) Ordinem quinquaginta laudabiliter rexit annis. In anno centesimo ætatis vitæ suæ obijt, multis clarus miraculis in vita pariter & in morte, sepultusque est in Conventu Burdegalensi. Tempore istius Simonis Ludovicus Rex Franciæ duxit Fratres de monte Carmeli in Franciam; Et aliqui magis perfecti, non obstante Paganorum sævitiâ, ibidem remanserunt. Tempore insuper istius sancti Simonis, multi Pontifices

VI. S. SIMON STOCK. (c)

Cujus tempore Regula à multis Pontif. confirmata. Regulam confirmaverunt. Cùm verò annô Domini 1247. propter insultus Paganorum Fratres in Eremis Terræ Sanctæ, quantumcumque essent perfecti stare non possent, sanctus prædictus, volens hujusmodi insultibus obviare, & Fratrum animos quietare, eisque pacis commoda procurare, misit ad Dominum Innocentium Papam quartum, qui Concilium Lugdunense celebrabat, Fratres Reynaldum, & Petrum Clericos, ut Regulam eis datam, & etiam confirmatam, Sedes Apostolica modificaret, quantùm ad aliquas clausulas, maximè quantùm ad habitationem in villis. Quam mitigationem Papa commisit Domino Hugoni Cardinali Præsbytero titulo S. Sabinæ. Quam Regulam mitigatam præfatus Papa annô Domini 1247. Pontificatûs sui annô quintô, Apostolicâ auctoritate confirmavit.

VII. Nicolaus Gallicus. 564. Septimus Prior Generalis fuit F. Nicol. natione Gallicus qui (d) Ordinem novem-decim annis rexit, & ultra. Demùm verò renunciavit officium, ad Eremum se transferens, ubi vitam ducens solitariam, flebilibus vocibus Ordinis statum descripsit, ut liquet perspicuè in suo tractatu, qui *Sagitta ignea* intitulatur. Secundâ verò die mensis Aprilis, clarens maximâ sanctitate, ab hac luce migravit, & in Auriaca tumulatur.

(d) *Sanctitate illustris.*

VIII. Rodulphus. 565. Octavus Prior General. fuit F. Rudolphus, natione Alemanus, annô Domini 1270. in Capitulo * Parisius celebrato in Nativitate Beatæ Mariæ electus: qui rexit Ordinem tribus annis: & demùm resignavit, ponens se in contemplatione in Conventu Alnewicensi Provinciæ Angliæ, & ibidem est sepultus.

* *Nunc Parisijs.*

IX. Petr. de Amil. seu Æmiliano. 566. Nonus Prior Generalis fuit F. Petrus de Amiliano, natione Rutenensis, electus in Capitulo Burdegalensi in Epiphania Domini annô 1273. qui Ordinem rexit 19. annis, & ultrà. Tempore istius Gregorius Papa decimus, natione Lombardus, celebravit Concilium Lugdunense annô Domini 1274. in quo revocavit omnes Ordines Mendicantes, post Concilium Lateranense adinventos, qui approbati per Sedem Apostolicam non erant. Ordinem vero Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, qui Concilium Lateranense per maximum tempus præcesserat, & per multos Summos Pontifices approbatus fuerat, in suo statu concessit permanere, donec de ipso aliter fuerit ordinatum per eundem, vel alios suos successores. Quam ordinationem postea fecit Bonifacius Papa VIII. qui totam illam suspensionem: *Donec de ipso &c.* abstraxit, & prædictum Ordinem in solido statu voluit permanere, ut patet 16. Decretalium *de Religiosis domibus*, capitulô: *Religionum diversitatem.* Tempore istius Generalis Regulam nostram confirmavit Honorius quartus natione Romanus, annô Domini 1286. Pontificatûs sui annô secundô: * Cujus etiam tempore Fratres nostri sumpserunt cappas albas, palliis dimissis barratis, in Capitulo Generali in monte Pessulano celebrato in festo Mariæ Magdalenæ annô Domini 1287. Quod postea confirmavit Bonifacius Papa VIII. sub Bulla quæ habetur * Parisiùs, & tempore istius Regulam confirmavit Nicolaus Papa quartus natione Romanus, annô suô primô, annô Domini 1288 Bulla est Coloniæ, & Bononiæ.

* *Eô scilicet annô quô obierat: nec alius istô annô successit.*

* *Nunc Parisijs.*

X. Raymundus. 567. Decimus Prior Generalis fuit F. Raym. de Insula, Conventus Tolosæ, electus in Capitulo Burdigalensi in Provincia Aquitaniæ in festo Pentecostes annô Domini 1294. quia Fr. Petrus cessit officio Generalatus. Iste rexit Ordinem tribus annis, & renunciavit officium: qui & est sepultus Tolosæ.

XI. Gerardus. 568. Undecimus Prior Generalis fuit Fr. Gerard. de Bononia primus Doctor Ordinis Universitatis Parisiensis in sacra pagina, electus in Capitulo Brugensi in festo Pentecostes annô Domini MCCXCIII. quia tunc F. Raymundus cessit. Iste Gerardus rexit Ordinem 20. annis: qui obiit Avinione, & est sepultus ibidem.

XII. Guido de Perp. 569. Duodecimus Prior Generalis fuit Fr. Guido de Perpiniano, in sacra pagina Professor egregius, in Capitulo Generali Burdegalensi in festo Pentecostes electus annô Domini MCCCXVIII. celebrato, qui solùm per tres annos rexit Ordinem, quia per D. Joannem Papam XXII. natione * Tarvisensem, assumptus fuit in Episcopum Majoricarum, & posteà in Episcopum Eluensem. Obiit 21. die Augusti, & est sepultus Avinione. Iste verò Papa Joannes XXII. annô XI. Pontificatûs sui Ordinem Carmelitarum pacificavit Minoribus, & Prædicatoribus in omnibus gratiis in Clementinis, titulô *de Castitate*, & *ultimis voluntatibus*, & capitulô *supra Cathedram*, signanter contentis. Bulla est * Londoniis, & in multis aliis Conventibus Provinciæ Anglicanæ. Iste insuper D. Joannes Papa XXII. ordinavit, & constituit conservatores jurium, & privilegiorum Fratrum Carmelitarum extra regnum Franciæ ubique existentium, sub speciali Bulla plumbea, quæ est Londoniis Romæ, & in aliis Conventibus.

* *Al. Cadurcens.* *Postea Episcopus.*

* *Nunc dicitur Londinum.*

XIII. Joan. de Albrio 570. Tertius-decimus Prior Generalis fuit F. Joannes de Alerio sacræ paginæ Doctor Conventus Tholosæ, electus in monte Pessulano, festô Pentecostes, annô Domini 1321. in sua absentia: qui rexit Ordinem per novem annos, & postea cessit Valencenis in Capitulo Generali; Sepultus est Tolosæ.

XIV. Petr. de Casa. 571. Quartus-decimus Prior Generalis fuit F. Petrus * de Casa, sacræ paginæ Doctor, Provinciæ Aquitaniæ, Lemovicensis Conventus: Vallencenis electus in festo Pentecostes annô Domini 1330. quia tunc Magister Joannes de Alerio cessit officio. Iste rexit Ordinem 12. annis, & postea fuit assumptus in Episcopum Vasionensem, & postea in Patriarcham Jerosolymitanum, & est sepultus in prædicta Ecclesia sua Vasionensi.

* *Seu de Casis.*

Deinde Patriarcha Ierosolym.

XV. Petr. Raymundi 572. Quintus-decimus Prior Generalis fuit F. Petrus Raymundi de Grassa, Provinciæ Narbonensis, & Conventus Tarlacij, electus in Capitulo Generali Lugduni celebrato in Festo Pentecostes annô Domini 1342. propter assumptionem Domini Petri. Iste rexit Ordinem XV. annis cum dimidio, & obiit in officio,

ficio, & sepultus est in monte Pessulano.

573. Sextus-decimus Prior Generalis fuit Fr.
XVI. Joan. Balist. JOANNES BALISTARII, sacræ Paginæ Do-
*Jura dicitur Burdigala. ctor, Conventûs Majoricarum, electus *Bur-
degaliæ in Nativitate B. MARIÆ annô Domi-
ni 1358. & non erat nisi (e) Bacillarius dumta-
(e) xat, per Ordinem Universitati præsentatus,
quandò fuit electus. Iste Constitutiones Or-
dinis correxit; eas in volumen unum, & inte-
grum congregando redegit ex commissione:
quas demum diversa Capitula Generalia con-
firmaverunt. Rexit 16. annis, & ultra, & se-
pultus est in Conventu suo prædicto.

574. Decimus septimus Prior Generalis fuit
XVII. Bernardus Olensis. Fr. BERNARDUS * OLENSIS, sacræ paginæ Do-
ctor, Provinciæ Cathaloniæ, de Conventu
*Seu Olerius. Minoricæ, electus in Capitulo Generali in
Conventu Podij annô Domini 1375. celebrato.
Tempore ipsius incœpit schisma in Ecclesia
Dei annô Domini 1378. inter summos Ponti-
fices, videlicet Urbanum VI. cui obediebant
Italia, Alemania, Anglia, & alia multa regna,
Tunc ortum schisma perniciosum. & Clementem VII. cui obediebant Gallia,
Cathalonia, Hispania, & alia multa regna:
quem quidem Clementem sequebatur prædi-
ctus Magister Bernardus, quasi immediatè post
Capitulum Generale celebratum anno Domi-
ni 1379. in Conventu Brugensi. Propter quod
(f) prædictus (f) Urbanus VI. ipsum Magistrum
Bernardum ab officio absolvit Generalatûs,
constituens Reverendum Magistrum Fratrem
XVIII. Michael de Bononia. MICHAELEM DE BONONIA in Ordinis Vica-
rium Generalem, qui in Capitulo Generali
anno Domini 1381. in festo Pentecostes in
Conventu Veronæ, Provinciæ Bononiæ, ce-
lebrato, in Priorem Generalem fuit electus:
qui quinque annis rexit Ordinem in sua obe-
dientia. Quem Dominus prædictus Urbanus
ab officio absolvit Generalatûs, constituens
XIX. Joan. de Raude. Fratrem Magistrum JOANNEM RAUDE de
Provincia Lombardiæ, in Ordinis Vicarium
Generalem qui in Generali Capitulo annô
Domini 1387. in festo Pentecostes in Con-
ventu Brixiæ, Provinciæ Lombardiæ, celebra-
to in Priorem Generalem fuit electus: qui 18.
quasi annis Ordinem rexit in obedientia, & of-
ficio. Demùm à luce decedens in Mediolano
in Conventu nostro satis honorificè est sepul-
XX. Matthæus de Bononia. tus. Cui successit Frater Magister MATTHÆUS
DE BONONIA, ejusdem Provinciæ, qui in Ca-
pitulo Generali in festo Pentecostes anno Do-
mini 1405. in Conventu Bononiæ celebrato
in Priorem Generalem fuit electus. Qui Or-
dinem in sua obedientia ferè sex annis rexit.
Tempore vero istius, propter universalem
Ecclesiæ unionem in Concilio Generali Pisis
celebrato annô Domini MCCCC. IX. facta
est unio in Ordine utriusque obedientiæ.

575. Dictus Magister Bernardus, sub unione
& schismate, rexit Ordinê octo annis. Cui suc-
*Iste Raymundus in seriem Generalium non ingreditur ob rationem hîc infrà. cessit Fr. Magister *RAYMUNDUS VAQUERII
Provinciæ Narbonensis; qui Capitulo Gene-
rali anno Domini MCCC.LXXXIV. Avinio-
ne celebrato in Priorem Generalem fuit ele-
ctus, & rexit Ordinem in sua obedientia qua-
tuor annis, mensibus quatuor, & decem die-
bus. Cui successit Fr. JOANNIS GROSSI Pro-
vinciæ Tholosæ Conventus Apamiarum, qui
in primo anno sui magisterij in Generali Ca-
pitulo annô Domini MCCC. LXXXIX. in
festo Nativitatis B. MARIÆ in Conventu Per-
piniani, Provinciæ Cathaloniæ, celebrato in
Priorem Generalem fuit electus, & rexit Or-
dinem in sua Obedientia XXII. annis.

576. Demùm verò, ut ex utraque parte jam
dicta una fieret obedientia, Dominus Papa Io-
annes XXIII. post celebrationê Concilij dicti
Pisani Magistros Fratrem Matthæum de Bo-
nonia, & Grossi Generales prædictos cum suis
Provincialibus, cæterisque Fratribus eis adhæ-
rentibus in unum Capitulum Generale convo-
cavit. Quod ex ordinatione ipsius summi Pon-
tificis Joannis XXIII. annô Domini MCCCC.
XI. in Dominica 2. post Pascha in qua canta-
tur Evangelium *Ego sum Pastor bonus* in Con-
ventu Bononiæ ritè, atque canonicè celebra-
to, ibique utroque Generali officium resignan-
te, dictus Magister Fr. JOANNES GROSSI in XXI. Joan. Grossi.
Priorem Generalem totius Ordinis ab utra-
que obedientia unanimiter, & concorditer fuit
electus, qui postea (g) rexit totum Ordinem (g)
annis XX. in sua obedientia. Iste verò Genera-
lis Ordinem ampliavit in decem Conventi-
bus, quos in partibus Galliæ in propria perso-
na recepit, & in duabus Provincijs, quarum
una Thuronia (quæ est in partibus Franciæ) *Is Ordinem ampliavit in duabus Provincijs, & 10. Conventibus.*
nuncupatur. Altera est in partibus superioris
Alemaniæ: quæ Bohema appellatur. Et quia,
ut præfertur, Dominus Papa Joannes XXII.
constituit conservatores privilegiorum, & ju-
rium Ordinis Fratrum extra regnum Franciæ
ubique existentium, iste Magister Frater Joan-
nes Grossi à Domino Papa Joanne XXIII.
Consiliarios conservatores pro Fratribus, regni
Franciæ impetravit sub Bulla plumbea specia-
li, quæ Tholosæ, & in alijs Conventibus Or-
dinis habetur. Quem cœlestis Agricola per
intercessionem gloriosissimæ suæ Genitricis
MARIÆ (cujus speciali titulô idem Ordo spe-
cialiter insignitur) taliter in Viridario mundia-
li faciat pullulare, ut in æterno Viridario, cu-
jus muri sunt, ut præfertur, inexpugnabiles,
possint flores immarcessibiles finaliter congre-
gari, Amen.

ANNOTATIONES.

577. (a) BAsilius Magnus Eremita sibi devotis Ere-
mitis Regulam composuit, quam aliqui
præfati montis (*Carmeli*) Eremitæ tenuerunt. *De Regu-
lis duabus à Basilio scriptis, & earum una à Carmelicolis
recepta, agitur tomô 2. Annalium Ordinis ubi ea de re hæc* *Annal. Ord. ad an. 363. num. 16. & seq.*
inter cætera: Scripsit enim S. Basilius pro Monachorum
instructione, præter alia opera ascetica duo specialio
ra, unum quidem per modum Dialogi, alterum verò
per modum admonitionis . . . . Ex quibus primum
pro nova Religione S. Basilij nuncupata composuit; *S. Basilij Regula qua, & ubi à Carmelitis observata.*
postremum verò Monachi montis Carmeli suscepe-
runt, pro-ut testatur Bostius noster lib. 5. histor. c. 53.
De hac Regula intelligendus Soretius noster, dum in-
quit: Basilius Regulam Monasticæ vitæ scripsit, illam
suis Confratribus Eremitis montis Carmeli transmit-
tens, quam observare conati sunt juxta Eliæ, & Elisæi
vestigia. Rem differit Palæonydorus sic dicens: Iste est
Basilius, qui Monachorum Instituta duplici sub forma
composuit. Una est per modum Dialogi, & hanc ejus
Con-

Confratres Carmelitæ in monte Didymi assumpserunt, & eundem in Patronum eligentes de Ordine S. Basilij vocati sunt. Alia per modum communis admonitionis, quam Joannes 44 Ierosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. *Obiter hic notandum, quòd nonnulli scribant Regulam Ordinis à B. Alberto Ierosolymitano scriptam, excerptam esse ex Regula S. Basilij; id eatenùs verum esse, quòd illa extracta sit ex libro præfati Ioannis XLIV. Antistitis Ierosolymitani (sicut ex actis parte 1. libro 8, cap. 4. accuratè est demonstratum) ille autem liber multum continet ex Institutis S Basilij. Igitur Regula moderna Ordinis immediatè excerpta est ex libro Ioannis, & mediate ex Regula S. Basilij. Cætera quæ Grossius consequenter tradit succinctè de Regula à Ioanne; ex Carmelicola, Patriarchâ (seu Episcopo) Ierosolymitano, scriptâ, de instaurato Ordine per Aymericum Patriarcham Antiochenum, deque Monasterialis vitæ formula (seu Regula) per B. Albertum Patriarcham Ierosolymitanum traditâ B. Brocardo, abunde dictum est parte primâ libró 8. cap. 1. 2. 3. & 4.*

Regula moderna Ordinis an, & quâ ratione excerpta ex Regula S. Basilij.

578. (b) Annô vero Domini 1131. fuit factus Prior Generalis (*tertius*) Frater Cyrillus *Quòd B. Brocardo in Prioris Generalis munere successerit B. Cyrillus, indubitatum est. Quo ad annum illum 1131. certum, & perspicuum est, mendum in numeros irrepsisse; etenim ut ex supra-dictis (parte 1 lib. 8 cap. 1. & 2. & ibi in Notis) habetur, post captam annô Christi 1099 per Godefridum de Builyon Ierosolymam, evo ut is aliquot lustris annorum fuit per Aymericum Patriarcham præfatum institutus Prior Generalis primus sub illo nomine B Bertholdus, qui annis XLV. præfuit, & post lapsum temporis, successit B Brocardus, qui annis XXXIII Ordinem aurigavit. Quò ad tempus suscepti, & administrati Prioratus Generalis quatuor proximè sequentium in exemplaribus, quæ nacti fuimus etiam similia irrepsêre menda chronologica, quæ qualiter emendari debeant juxta sensum Authoris, cum non constet, numeri annorum non apponuntur.*

579. (c) Ordinem quinquaginta laudabiliter rexit annis, *videlicet partim tamquam Vicarius Generalis (seu Generalis quasi secundarius) in partibus Occidentalibus partim tamquam primarius Generalis totius Ordinis: pro ut latiùs declaratur in Chronologia vitæ ejus per Segerum Pauli, & tomô quartô Annalium Ordinis.*

(d) Ordinem 19 annis rexit, & ultra. *Id similiter sic est intelligendum, quòd ab anno Christi 1250. fuerit Vicarius Generalis in partibus Orientis, dum B Simon Stock grandævus in Europa residentiam haberet: illô autem in cælum evocatô, die 16. May annô 1265. successit in totius Ordinis gubernium V. P. Nicolaus Gallicus cùm jam ante quasi Generalis secundarij munere in Terra sancta functus fuisset annis fere quindecim.*

(e) Bacillarius, *id est juxta hodiernum usum* Baccalaureus. *Olim enim dici solebat* Bacillarius *quia absoluti studij auctoritas per exhibitionem bacilli concedebatur: ita solebant possessiones, munera, dignitates conferri porrectâ hastâ, festucâ, cespite, bacillô. Ita Henschenius in Notis ad caput primum vitæ B. Petri Thomæ 1. secundæ editionis.*

Bacillarius olim idem quod nunc Baccalaureus.

580. (f) Urbanus VI. ipsum Magistrum Bernardum ab officio absolvit, constituens Reverendum Magistrum Fratrem Michaelem de Bononia. *Hic igitur Michael legitimus fuit Ordinis Archimandrita, in numero Generalium decimus octavus: cui (per eundem Urbanum VI. institutus annô Domini 1386 & deinde electus anno 1387. in Capitulo Generali Brixiæ celebrato) successit Ioannes Raude, seu Raudensis, in serie Generalium decimus nonus. Huic defuncto (post annos regiminis octodecim) suffectus fuit Matthæus de Bononia, & legitime electus in Capitulo Generali Bononiæ annô 1405. Hinc Ioannes Grossi post sexennium concorditer electus, vigesimum primum numerum constituit.*

581. *Animadvertendum hic est, quòd perniciosum illud, & diuturnum in Ecclesia schisma, inchoatum annô 1378. tempore Generalatus Bernardi Olerij, etiam Ordinem magnoperè turbaverit, scindendô in duas partes, quarum quælibet peculiare sibi caput constituit: at illi duntaxat ad Priorum Generalium ordinem admittendi videntur, qui vero, & legitimo Pontifici adhærebant; undè in hanc seriem non ingreditur supra nominatus Raymundus Vaquerius, cum tunc legitimi Ordinis Præsules successivè fuerint supra dicti Michael de Bononia & Ioannes Raudensis. Bernardus autem Olerius, & Ioannes Grossi, partim sub veris Pontificibus magisterium gesserunt, idcircò ab omnibus ad classem Generalium recipiuntur: si quis tamen hinc excludere Vaquerium nolit (pro ut aliqui) is meminerit numerum singulorum Generalium subsequentium augere ad unum, ita scilicet, ut modernus Reverendissimus Pater Matthæus Orlandi, qui (juxta supputationem nostram, & Analistæ nostri Ioannis, Baps de Lezana, ac Michaelis Muñoz est 43.) dicendus foret 44 sed plura circa hæc videri poterunt in Annalibus Ordinis tomô 4. in quo tractatur de Prioribus Generalibus usque ad Baptistam Mantuanum. De sequentibus agetur tomô 5. De omnibus succinctè scripsimus in Vinea Carmeli parte 6. cap 8.*

Tempore schismatis in Ecclesia etiâ Ordo scissus & turbatus fuit.

582. (g) Rexit totum Ordinem annis. *Ita in exemplari impresso Venetijs, nec annus exprimitur. In exemplari MS. Codicis Mechliniensis habetur:* Rexit totum Ordinem annis XX in sua obedientia: *pro ut hic supra usque ad finem: quæ ex parte desunt in dicto impresso veneto. Hinc apparet quòd ista addiderit ipse Grossius post resignationem Generalatûs liberè & spontaneè, ob senectutem, & corporis debilitatem, factam anno* MCCCCXXX *super vixit enim adhuc postea annis aliquot. Inde etiam patet, quòd exemplar istud Venetijs impressum, sit diminutum, & erroribus nonnullis (præsertim quoad supputationem annorum) respersum, Auctiora, & correctiora sunt manuscripta, licet nec illa omninò inter se conveniant. Vide dicta hic suprà in notatione prævia sub finem.*

Series Reverendiss. PP. Generalium continuata.

583. ET ista hactenùs de Reverendissimorum Patrum Priorum Generalium usque ad præfatum *Ioannem Grossi*, successionis serie: quæ hoc locô convenienter pertexenda videtur. Itaque resignante ipso Joanne Grossi (seniô gravato, & laboribus extenuato) successit *XXII. Bartholomæus Roqualme* seu *Racoli* electus anno 1430. in Capitulo Generali Nannetensi. Istô ad Episcopatum Massiliensem assumptô, suffectus fuit *XXIII. Ioannes Fact* confirmatus electione concordi in Capitulo Ravenspurgensi anno 1434. Etiam illô per Nicolaum V. Summum Pontificem evocatô ad Episcopatum Regiensem in Gallia, *XXIV. Ioannes Soreth* electus est in Capitulo Generali Avinione anno 1451. *XXV P. Christophorus Martignonus*, electus in Comitijs Generalibus Astæ anno 1472. *XXVI. Pontius Raynaudus* in Capitulo Generali Avinione anno 1482. *XXVII. Petrus Terrasse* in Capitulo Generali Placentiæ anno 1503. *XXVIII Baptista Mantuanus* Romæ in Conventu S Martini anno 1513 tempore Concilij Lateranensis *XXIX. Bernardus Landucius*, electus Senis anno 1517. *XXX. Nicolaus Audet*, electus in Capitulo Generali Venetijs anno 1524. *XXXI. Ioannes Baptista Rubeus* electus in Capitulo Generali Romæ in S. Martino an 1564 *XXXII Ioannes Baptista Caffardus* electus anno 1580. *XXXIII Ioan. Stephanus Chizzola* electus in Comitijs Cremonæ anno 1593. *XXXIV. Henricus Sylvius* electus Romæ anno 1598. *XXXV. Sebastianus Fantonus* electus Romæ in Conventu S Mariæ Transpontinæ anno 1613. *XXXVI. Gregorius Canalis* electus Romæ anno 1625. *XXXVII. Theodorus Stratius* ab Urbano VIII. (postulante Ordine, ratione bellorum) institutus anno 1631 *XXXVIII. Albertus Mazzarinus*, similiter ob eandem causam institutus. *XXXIX. Leo Bonfilius* electus in Capitulo Generali Romæ anno 1645. *XL. Ioannes Antonius Philippinus* electus in Capitulo Generali Romæ anno 1948. *XLI Marius Venturinus* electus in Capitulo Generali Romæ anno 1654. *XLII. Hieronymus Ari* electus in Capitulo Generali Romæ anno 1660. *XLIII. Reverendissimus P. M. Matthæus Orlandus* (hanc seriem hoc tempore terminans) S. Congregationis de propaganda fide Theologus & Consultor Romæ, post cursum Theologicum in Tertiam Partem D. Thomæ ibidem Typis editum, & præcipua in Ordine administrata officia, electus in Comitijs Generalibus Romæ in S. Mariæ Transpontinæ Conventu anno 1666. Hujus singulare studium & sollicitudo in munere Apostolici Visitatoris per totam Franciam, atque in alijs Provincijs hactenùs peculiariter enituit, ut Regularem exactam disciplinam fundet in pace: pacem ubique solerter conservans, & stabiliens: quem Patrem Pacificum Deus Ordini longævum præstare dignetur. Et ista de Rmis Generalibus hic obiter: plenior, & exacta tractatio de eisdem, atque etiam Congregationis utriusque Carmelitarum Discalceatorum Præpositis Generalibus erit (Deo dante) in Speculi hujus parte 3.

VIRI-

VIRIDARII PARS SECUNDA.

De Sanctis Patribus, et devotis, atque Scriptoribus nonnullis Ordinis gloriosæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmeli, authore eodem Ioanne Grossi.

PRÆFATIUNCULA.

584. *Sanctorum honor in Deum refertur.* QUoniam Deus in Sanctis suis toties honorari, magnificari ac glorificari dignoscitur, quoties ipsi in terris à fidelibus honorantur; cum laus ipsis impensa ad ipsum Deum principaliter referatur. Idcircò ut Deus in novi, ac veteris Testamenti Sanctis Fratribus, ac devotis Ordinis gloriosissimæ suæ Genitricis Mariæ de monte Carmeli, qui in vita pariter, & in morte miraculis claruerunt, laudetur, atque magnificetur, ipsos sub aliquibus suis, ut decet, miraculis, recitabimus.

Epitome vitæ aliquot Sanctorum præcipuorum Ordinis.

585. *S. Elias Fundator.* (a) INter quos primatum tenuit S. Elias Thesbites Propheta: ante cujus ortum (ut testatur Petrus Commestor suprà secundum caput libri quarti Regum) Sabacha Pater ejus vidit in somnis viros candidatos se salutantes: quod innuebat, Eliam filium suum futurum esse caput Ordinis albi & candidi: quem, in honorem Virginis illius, quæ generare habebat pro redemptione generis humani unicum Dei filium, in monte Carmeli, qui Hebraicè vocatur Charmel, primitùs prophetico spiritu radicando fundavit. *Carmeli Ordo ab Elia prophetico spiritu dicatus Virgini Deiparæ.* Et is *Ordo Beatæ Mariæ Virginis Genitricis Dei de monte Carmeli* specialiter intitulatur: sub cujus appellationis titulo specialiter diversi Summi Pontifices, & præsertim Joannes XXII. & suus successor Clemens VI. Ordinem istum jugiter confirmantes, & ampliori libertate dotantes, Fratribus ejusdem Religionis in suis Apostolicis litteris ita scribunt: *Cujus titulum Pontifices Ordini tribuunt.* *Sacer Ordo vester in agro Dominico, divinâ dispositione; plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli. Cujus Professores, mundanis à se relegatis illecebris, contemplationi vacantes, insistunt jugiter profectibus animarum.* Postquam verò S. Elias Propheta istum Ordinem in monte Carmeli fundasset, & in eodem multa miracula fecisset, ut libri Regum testantur, per turbinem ignis in Paradisum assumptus fuit, in quo usque ad diem extremi judicij permanebit, ab Antichristo, propter defensionem Christianæ fidei, occidendus.

586. *S. Elisæus pallio Eliæ ejus duplicem spiritum recepit.* Secundus verò, Eliæ successit Elisæus Propheta, qui fudit aquam super manus Eliæ: quem S. Elias, dum terram araret ad Religionem vocavit, ungens eum in Prophetam: super quem ejus spiritus duplex remansit, quem recepit in collatione pallij Eliæ, dum per turbinem ignis S. Propheta Elias in Paradisum voluptatis fuit assumptus. Sanctus iste Elisæus multa miracula fecit in monte Carmeli, & in aliis locis Terræ sanctæ, quæ satis perspicuè in Regum libris recitantur. Corpus istius S. Prophetæ modò quiescit Ravennæ satis miraculosè: quod priùs fuit sepultum in civitate Samariæ Palestinæ, quæ nunc Sebaste vocatur. Verè caro istius Prophetæ sanctissimi requiescit in spe: qui resurrectionis diem novissimum expectans, jam in occursum Domini appropinquat, ut in voce tubæ totus homo rapiatur in nubibus obviam Christo in aëra, speciem ejus contemplaturus in secula seculorum. Amen.

587. III. Jonas Proph. sanctus, filius mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias suscitavit: matre postea dicente; *Nunc cognovi quia Vir Dei es.* Iste Sanctus Propheta postea secundum seriem Scripturæ Sacræ multa fecit miracula. *S. Jonas.*

588. IV. Abdias sanctus Propheta tertius quinquagenarius, cui pepercit Elias, ut habetur quarti Regum primô capite: qui multos sanctos Prophetas ab iniquissima Jezabel Regina nequiter pesecutos in domo Regis abscondit, & pavit. Corpus istius S. Prophetæ fuit sepultum in civitate Samariæ Palestinæ (quæ nunc, ut præfertur, Sebaste vocatur) cum corpore Beati Elisei Prophetæ: inter quorum corpora postea corpus Joannis Baptistæ fuit sepultum: multi enim Prophetæ, & Filij Prophetarum, cum istis sanctis Prophetis in monte Carmeli, & aliis locis Terræ Sanctæ religiosam duxerunt vitam, & multis claruerunt miraculis. *S. Abdias.*

589. V. (b) S. Basil. Magnus Eremita, qui Regulam composuit, quam aliqui Fratres devoti de Eremitis tenuerunt. Hic sanctus Episcopus Cæsariensis exstitit. Et demùm multis clarens miraculis primâ die mensis Januarij ab hac luce migravit. (b) *S. Basilius.*

590. VI. (c) S. Cyrill. Patriarcha, qui in Concilio Ephesino præsidebat, & Nestorium Hæreticum (qui Virginem Mariam non esse Matrem Dei, sed puri hominis asserebat) Christianis regulis confutavit. Hic sanctus apud Alexandriam 28. die mensis Januarij ab hac vita in aliam translatus est: per quem Deus tam in vita, quam in morte multa fecit miracula. (c) *S. Cyrillus Patriarcha.*

591. VII. (d) S. Joan. Patriarcha vel Episcopus Jerosolymitanus, Eremita montis Carmeli, qui Regulam Beati Basilij recepit: quam Fratribus tradidit observandam. Iste fuit XLIV. Episcopus post Beatum Jacobum Apostolum in Ecclesia Jerosolymitana: ubi ejus corpus multis clarens miraculis requiescit. (d) *Joan. Ierosol.*

S VIII. (e) S.

(e) S. LUDOVICUS. * Scilicet cœtui Carmeli. * Carmeli congregatio.

VIII. (e) S. LUDOVICUS REX FRANCIÆ: qui Fratres de Carmelo in suam terram traduxit. Unde ait: * *Ostende nobis legem, ac mandata Domini: & veni in terram quam monstrabo tibi.* Et respondit: * *Vt impleatur scripturis, ac Spiritu sanctô, ecce nunc tecum venio citò.* Hic 25. die mensis Augusti ab hac migravit luce, multis clarens miraculis, & virtutibus.

S. BORTH.

592. IX. S. BERTHOLDUS Prior Generalis Ordinis, quem Dominus Aymericus Patriarcha Antiochenus, ratione miraculorum, quibus claruit in populo, per electionem omnium Fratrum montis Carmeli Priorem Generalem assignavit. Tempore istius sancti viri multi Fratres in monte Carmeli, & in alijs locis Terræ sanctæ, propter constantiam fidei Christianæ, à Paganis, qui Terram sanctam invaserant, interfecti sunt: quorum animas, cum corona martyrij, ab Angelis in cœlum oculis suis conspexit elevatas. In monte Carmeli, ubi ejus corpus quiescit, multis claruit miraculis. Duos paralyticos curando, cœcos illuminando, & claudis gressum præstando. 29. die Martij animam cœlo intulit.

S. BROCARDUS.

593. X. S. BROCARDUS secundus Generalis Ordinis: cui Albertus Patriarcha Regulam Ordinis scripsit, signavit, direxit, ut patet in ipsa prima Regula nostri Ordinis. Iste Sanctus, adinstar Patris sui S. Eliæ Prophetæ, mortuum quemdam juvenem suscitavit, quem ad Ordinem suum vocavit. Iste etiam, Patris sui Elisæi sequendo vestigia, quendam leprosum aquâ fontis Eliæ in monte Carmeli mundavit: multaque alia miracula fecit in diversis locis Terræ sanctæ, & præsertim in monte Carmeli, ubi secundâ die septembris gloriosè ab hoc sæculo nequam migravit, & est sepultus in eodem monte.

S. CYRILLUS PRIOR. GENER.

594. XI. S. CYRILLUS, Presbyter montis Carmeli, natione Græcus, Prior Generalis Ordinis tertius. Hic dùm pro reverenda celebritate beati Hilarionis Abbatis Missarum solemnia inchoasset, cum Fratre Eusebio comite suo charissimo, & ad illum locum Canonis pervenisset, ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem* &c. nebula condensa sibi astitit. Ipsô igitur stupescente, Angelus virginei aspectus, distans binis cubitis & semisse ab Altari, in ipsa nebula visus est, capillis flaveis & crispis, geminis alis ornatus, ab imis usque ad talos amictus, labijs rubicundis, coccineô stropheô amictus, sandalijs aureis, rubrisque pedalibus calceatus, afferens virgam liliatam, & duas tabellas argenteas, litteris Græcis descriptas, dixitque: Cum Sacramenta compleveris, has scripturas transscribes in membrana, & conflans tabellas formabis in calicem, & thuribulum, ad libanda, & adolenda in ara Sacrificij matutini. Mansit autem in ara Angelus usque ad gratias postmissales. Descendens autem ad mensam posterioris pavimenti tabellas deposuit, & in ictu disparuit

À Deo mirabili visione, & gratiâ honoratus.

Ad libum * scandens, fuit Angelus hæc sibi pandens
Septenis stellis binis coronare tabellis.

* Id est libamen, seu sacrificium.

595. Dùm igitur Sanctus iste eas tabellas transscripsisset, & conflasset, hujusmodi trans-scriptum per Telesphorum Monachum suum Abbati Joachim, viro sancto, & illuminato, transmisit, instantiùs supplicando, ut, ratione suæ magnæ obscuritatis, super eo commentariolum quoddam conficeret; quô abscondita producerentur in lucem, & nubes umbrosa profundissimi affatus converteretur in solem splendentem clarissimi intellectus. Quod Abbas Joachim ad instantiam S. Cyrilli facere minimè desistebat: rescribens ei Epistolam, in qua, inter cætera, nominat ipsum S. Cyrillum *Stellam, manentem in ordine sanctitatis, in formula honestatis, in nidulo paucitatis, atque Orbem opacum, deformem & squallidũ virtutibus illustrantem, moribus informantem, & exemplis ornantem.* Nec mirũ; quia suis virtutibus Orbis opacitatem illustravit, suis moribus deformitatẽ informavit, & suis exemplis Orbis squalitatẽ ornavit. Sextâ die Martij in monte Carmelo, monte sancto, monte uberrimo S. Cyrillus (pauper superfluis opibus hujus mundi, quod bonum est; sed dives gratiâ Domini nostri IESU Christi, quod optimum est) ab hac luce migravit. Cujus gloriosum corpus in prædicto monte, multis clarens miraculis, requiescit, ad laudem Omnipotentis Dei: cui est honor in sæcula sæculorum.

Joachim Abbatis testimonium de Cyrilli sanctitate.

XII. (f) S. EUSEBIUS comes fidelis S. Cyrilli. (f)

596. XIII. (g) S. HILARION MARTYR, Provincialis Provinciæ Terræ sanctæ: cujus corpus in regno Cypri in quodam castro, seu oppido, quod à S. Hilarione nomine suo gaudet, in tumba solemni quiescit, sub custodia Regis Cypri, qui ipsius tumbæ claves fideliter possidet, & custodit. (g)

597. XIV. S. ANGELUS MARTYR gloriosus, qui inter Fratres primò de monte Carmeli ad regnum Siciliæ applicantes primatum tenebat. Iste sanctus dùm fidem Christi in quadam domo oppidi fervidè prædicavit, infidelium gladijs occisus, infrà impiorum manus occubuit. Ubi in honorem S. Martyris dedicata fuit Ecclesia in qua ejus gloriosum corpus suprà magnum Altare in tumba requiescit honestè. Et in ea suis meritis crebra fiunt miracula, & præsertim quintô die Maij, quem propriô sanguine dedicavit. Fons quidam in eodem scaturiens liquoris, in quo iste Martyr gloriosus sanguinem pro Christo impendit, singulis annis à primis Vesperis usque ad secundas inclusivè, oleum cunctis ministrat: & qui ipsô die specialiter peruncti fuerint, meritis sancti Martyris multi diversis gravati languoribus, sanantur. Unde

S. ANGELUS MARTYR.

In cujus festo annuatim fons olei scaturit.

Gens hunc mactavit, populum qui dogmate pavit
De loculo manat oleum, quod corpora sanat.

598. XV. (h) S. SIMON STOCK, natione Anglicus, sextus Generalis Ordinis. Hic ante adventum Fratrum Carmelitarum in Angliam Spiritu propheticô illos exspectavit, in quodam trunco concavo vitam ducens solitariam: & ideò à trunco, qui vulgariter Anglicè *Stock* vocatur

(h) S. SIMON STOCK.

Cur sic cognominatus.

vocatur, *Simon Stock* nuncupatur. Postquam verò per suum ministrum intellexit, quòd Domini videlicet Vescij & Grey Barones Fratres aliquos de monte Carmeli ad Angliam duxissent, & illos in Conventibus Alnewici, & Aylesfordiæ religiosè fundassent; prædictam vitam solitariam renunciavit, & sacrum Ordinem Carmelitarum, quem divinâ revelatione exspectavit, ibi cum magnâ devotione intravit. Processu verò temporis in quodam Capitulo Generali, in Provincia Anglica celebrato; miraculosè in Generalem Ordinis fuit electus: quem religiosè & sanctè rexit. Quô tempore S. Ludovicus Rex Franciæ, ratione miraculi sibi per Virginem gloriosam Mariam in mari, juxta montem Carmeli, ostensi, Fratres de monte ipso duxit in Franciam. Quô siquidem tempore multi * Summi Pontifices videlicet Honorius III. Gregorius IX. & specialiter Innocentius IV. (dum Concilium Generale in Lugduno celebrabat) propter sanctitatem S. Simonis Regulam Ordinis sui confirmaverunt, mitigarunt, & correxerunt, devotè recipientes suos nuncios Fratres Reynaldum & Petrum Clericos, qui in Regula ipsa recitantur. Iste sanctus in vita sua multis claruit miraculis, de quibus aliqua in medium proferamus. Quâdam namque die Missam celebrare proposuit; credens omnia requisita habere, cumque ad calicis ministrationem pervenisset, vinô destitutus aquam adinstar Domini nostri Jesu Christi in vinum convertit, cum quo Missam celebravit inceptam. Jugiter denique ab esu carnium abstinens, quôdam tempore cibum in domo germani sui sumebat, cui Frater in prandio piscem coctum præsentavit, qui ad jussionem viri Dei in aquam projectus mox natavit illæsus.

Miraculosè electus Generalis.

* De confirmatione Regulæ per istos Sum. Pontif. vide parte prima libro 8. cap. 5.

599. Sæpiùs verò Virginem gloriosam Dei Genitricem Patronam Ordinis deprecabatur, ut suô titulô insignitos communiret privilegiô, dicens quotidie voce devotissimâ in suis orationibus:

(i) (i) Flos Carmeli, Vitis florigera,
Splendor cœli Virgo puerpera,
Singularis.
Mater mitis, sed viri nescia,
Carmelitis da privilegia,
Stella maris.

Scapulare à SS. Virg. M. traditur B. Simoni Stock

Quôdam ergo tempore dùm hanc orationem devotè oraret, Virgo gloriosa Maria Mater Dei cum multitudine Angelorum ei apparuit, Scapulare Ordinis in manu tenens, & dicens: hoc erit tibi & cunctis Carmelitis privilegium
(k) (k) in hoc habitu moriens salvabitur. Et ei Scapulare tradidit. Undè versus:

Si Ordinis in signo moritur quis, jure benignô
Solvitur à pœnis, fruiturque locis per amœnis.
Hoc impetravit Simon à Virgine chara:
Posteà migravit scandens ad gaudia clara.

Proceres multi illud recipiunt.

* Vide hic infra Suppl. Bradley.

Ratione ergo hujus magni privilegij diversi Proceres regni Angliæ, utpote Eduardus Rex Angliæ secundus post conquestum (* qui Fratres prædictos fundavit Oxoniis, dans ipsis proprium palatium pro Conventu) similiter Dominus Henricus Dux Lancastriæ (qui miraculis multis dicitur claruisse) & etiam multi alij nobiles illius regni prædicti, Scapulare, Ordinis clam portaverunt: in quo postea obierunt. Sanctus iste Simon centesimô ætatis suæ annô, dum in Provincia Vasconiæ visitavit, 16. die mensis May in Conventu Burdegaliæ ab hac luce migravit: ubi ejus corpus, multis clarens miraculis, requiescit: & ideò Simon de Vasconia à quibusdam dicitur: Sanctus Simon Stock de Vasconia à nonnullis nominatur, & Sanctus Simon Stock de Burdegalia: sed S. Simon Stock de Anglia (ubi suam traxit originem) rectiùs diceretur, & nuncuparetur.

600. XVI. Nicolavs natione Gallicus, septimus Generalis Ordinis. Renuncians officium ad eremum se transtulit; ubi vitam solitariam ducens flebilibus vocibus Ordinis statum descripsit: ut liquet perspicuè in suo tractatu, qui *sagitta ignea* intitulatur. Secundâ verò die mensis Aprilis, clarens multis miraculis, ab hac luce migravit.

B. Nicolavs.

601. XVII. S. Albertvs de Trapano Provincialis Siciliæ; cujus parentes ante ejus ortum & nativitatem viderunt in somnis filium suum Albertum in habitu Sanctæ Religionis Carmelitanæ, & faculam ardentem in manu sua tenentem, in signum suæ futuræ prædicationis: qui postea, ex inflammatione perfectissimæ charitatis, velut facula, per totum Siciliæ regnum ardebat. Processu verò temporis patrem, & matrem, cum omnibus quæ habuit in seculo, propriâ voluntate relinquens, sacram Carmelitarum Religionem intravit, cum perfectissimo proposito suæ gloriosæ Genitrici Mariæ (cujus speciali titulô eadem Religio insignitur) jugiter famulandi. Diabolus igitur invidens suum propositum, qui & humani generis est inimicus, diversas ei intulit tentationes, & molestias, volens eum à suo glorioso revocare proposito. Quodam ergò tempore in anno sui Novitiatus cum orationibus devotè vacaret, eum diabolus in specie mulieris ad opera carnis incessanter cœpit tentare, suadendo ut Religionem susceptam dimitteret, & eam in conjugem omninò susciperet. Sanctus igitur puer Albertus se signô crucis muniens, ipsum diabolum fugavit de Dei habitaculo. Insuper dum quâdam vice in Ecclesia nocturnô tempore per lampadis lumen oraret diabolus lampadem ad terram dejecit, quæ contra naturam suam precibus S. Alberti illæsa permansit. Multa alia tentamenta diabolus illi intulit, quæ in ejus vita clariùs habentur descripta. Quôdam etiam tempore civitas Messana obsessa victualibus necessariis caruit, quibus Deus, precibus Sancti Alberti, per naves victualia in copia ministravit. Quâdam vice tres Judæos vidit in mari quasi submersos, ad quos, velut Dominus noster Jesus Christus, ambulans suprà mare, accessit, & ipsos piè salvavit, salvatos in fide instruxit, & instructos riè baptizavit. Multa alia miracula fecit, quæ in ejus habentur historia.

S. Albertvs. *Vita ejus compendium.* *Tentatur à dæmone.* *Qui signo Crucis fugatur.* *Miracula ejus.* *Ambulat supra mare.*

602. Dum corpus ejus in Ecclesia Fratrum Conventûs Messanæ ante exæquiarum completionem jaceret multa fecit miracula, claudis gressum, surdis auditum, & leprosis munditiam præstando, præsentibus ibidem in maxima multitudine Clerô & populô; inter quos satis magna cœpit altercatio, de missa funeris sui dicenda: Populus Missam de uno Confessore non Pontifice petebat omninò cantari. Clerus verò, sicut pro defuncto solet *Requiem* volebat cantare. Sed optimus Deus hujusmodi altercationem precibus sanctissimi Confessoris Alberti per duos Angelos voluit sedare: qui, velut juvenes, & pueri in albis, cruciati stolis albis, & aureis, & rubeis, in ara visibiliter stando, apparebant, & perspicuè * discernebantur; ac tum clarâ, apertâque voce officium unius Confessoris non Pontificis, videlicet *Os justi* decantantes; inchoabant, & disparuerunt. Quod Clerus videns miraculum, Missam sic ab Angelis inchoatam usque ad finem debitum compleverunt. Undè

Canonizatur à Deo per Angelos.

* Al. discutiebant.

Quam REQUIEM Cleri Missam cantare volebant

Os IUSTI Vulgi spectantes dicere plaudunt.

Ipsum igitur Sanctum Albertum ut Confessorem canonizatum à Deo honorabant: Reliquiæ sancti Confessoris sunt in multis locis, & Conventibus Ordinis: per quas Deus quotidiè ostendit miracula. Deo gratias.

B. Theodoricus.

603. XVIII. S. THEODORICUS natione Alemanus. Hic domans carnem suam quotidiè supra nudum ferream portavit loricam. Unde

Carnetenùs ferrum portans diu, vanaque sprevit

Cordetenùs sanctum tandem lux cœlica plevit.

Iste sanctus, petitâ, & obtentâ licentiâ Superiorum suorum, propriam Provinciam deserendi, peregrinationis causâ Romam pervenit: ubi multa fecit miracula. Quandam enim generosam puellam graviter à dæmonio vexatam, præsente urbis Romanæ Senatore, cum comitibus diversis, misericorditer liberavit. Demùm gloriam mundi fugiens venit ad civitatem Senarum, ubi primò in præsentia multorum cuidam surdo auditum restituit. Secundò verò, dùm populo prædicabat verbum vitæ, quædam mulier ejus interfuit prædicationi, & sancti viri aliquod desiderans videre miraculum, in elevatione corporis Christi consecrati vidit Trinitatem, in confirmationem sui desiderij. Postea veniens Florentiam quandam puellam claudam, nullum habentem rectum membrum, in toto sanavit. In Conventu verò Venetiarum, ubi ejus corpus gloriosè quiescit, multis clarens miraculis XIX. die mensis Octobris ab hac luce migravit. Quædam autem mulier cœca cum cappa viri sancti oculos suos tangendo, atque tergendo, visum recepit. Multa crebra miracula meritis istius sancti Confessoris fiunt ad laudem, & gloriam Conditoris omnium in ipsa Ecclesia in qua ejus gloriosum corpus quiescit, quæ ibidem multum pulchrè depicta sunt.

Varia ejus miracula.

S. Albertanus.

604. XIX. S. ALBERTANUS conversus in Ordine, ex partibus Galliæ in Diœcesi Lemovicensi oriundus. Hic peregrinationis causâ, de superiorum suorum licentia, quam plurima loca sancta visitabat; & demùm venit ad civitatem Lucanam: ubi diem extremam XXI. die mensis Februarij, multis clarens miraculis, tam in vita, quam post mortem, clausit. Hujus sancti corpus est sepultum in Ecclesia S. Petri extra muros civitatis Lucanæ: ubi quamplurima sua miracula picturis antiquis sunt depicta, & præsertim in Ecclesia Cathedrali ejusdem civitatis Lucanæ.

B. Franciscus de Senis.

605. XX. SANCTUS FRANCISCUS DE SENIS, magnæ sanctitatis vir. Hic obijt in Conventu Cremonæ Provinciæ Lumbardiæ XI. die mensis Aprilis, ubi ejus corpus, multis clarens miraculis, requiescit, quæ ibidem honorificè in vita sua habentur descripta.

Petrus Thomas.

606. XXI. S. PETRUS THOMAS, natione Aquitanicus, Doctor in sacra Pagina Universitatis Parisiensis. Hic sanctus, propter suam maximam sanctitatem, per Dominum Papam Innocentium sextum primò assumptus fuit in Episcopum Pactensem in regno Siciliæ, & postea Episcopum Coronenensem, deinde in Archiepiscopum Cretensem, demùm in Constantinopolitanum Patriarcham. Posteà autem, & ultimò in Legatum Apostolicum pro passagio Terræ sanctæ. Iste sanctus, ut habetur in libro, seu registro Doctorum Universitatis Bononiensis, in sacra Pagina, primitùs ipsam Universitatem in prædicta Facultate fundavit, unà cum alijs, in prædicto registro nominatis. In civitate Bononiæ multa fecit miracula, & in captione civitatis Alexandriæ, ubi fuit Legatus Domini Papæ, habens in suo comitatu multos nobiles de diversis mundi partibus, & regionibus, inter quos fuerunt duo nobiles Domini de regno Angliæ, Dominus videlicet Greij Baro, & Dominus Milon Destapultonensis miles. Isti gloriosam ejus vitam, sub inquisitione veridica, tam sæcularium quam Religiosorum descriptam, ad partes Angliæ deportaverunt. In regno Cypri in Conventu Famagustæ VI. die mensis Januarij ab hac luce migravit, ubi ejus corpus, multis clarens miraculis, requiescit.

Patriarcha Constanti-nop.

Fundator Universitatis Bonon.

S. Andreas Corsinus.

607. XXII. S. ANDREAS CORSINUS, de Florentia Episcopus Fesulanus. In Conventu Florentiæ. VI. die mensis Januarij migravit ab hac vita: ubi ejus corpus honorificè in tumba honesta jacet. In tumba ejus sequentes ponuntur versus, quibus ejus vita compendiosè describitur

608. Montis Carmeli de Relligione vetusta

Raptus ad Ecclesiam Fesuleamque mitrâ.

Progenie celeber, virtute clarior omni

Hôc de Corsinis marmore subtegitur.

Andreas Christi famulus de jure vocatus

Numinis æterni totus in obsequio

Virtutum cultor, pater auxiliaris egenis

Exemplô vitæ mirus, & eloquiô!

Qui qualis fuerit miracula multa fatentur,

Quæ Deus ostendit corporis ad tumulũ

Luce obijt sexta Jani labentibus annis

Septua-

Septuaginta tribus Domini cum mille trecentis.

Sub isto igitur fine referamus Deo altissimo gratias, qui in Sanctis suis mirabilis existit in sua Majestate.

ANNOTATIONES.

609. (a) Inter quos primatum tenet S. Elias Thesbites Propheta . . . , Secundus Elisæus . . . III. Jonas . . . . IV. Abdias &c. *De primario Ordinis hujus Fundatore S. Elia, deque primis ejus discipulis sanctis Prophetis Eliseo, Iona, & Abdia luculenter est actum in Prima parte lib. 1. 2. 3. & sequentibus, & quandoque sermo erit in sequentibus Quo-ad ista*: Caput Ordinis albi, & candidi, quem in honorem Virginis &c. primitus prophetico spiritu radicando fundavit. *De hoc Ordine ab Elia instituto ad honorem, & venerationem B. Virginis Deiparæ abundè dictum est in eadem Parte prima libro 6. capit. 1. & seq.*

S. Basilius Monachus. 610. (b) Quintus fuit S. Basilius Magnus *Quod ipse Monachus fuerit, extrà controversiam est; hinc in Breviario Romano, & Carmelitano ad diem nonam Maij in Officio ad Matutinum de ipso, & sancto Gregorio Nazianzeno, legitur*: Per tredecim annos in cœnobio se exercuerunt. *Quod verò sub Elianis, seu Carmeli Institutis vixerit indicat Nazianzenus hæc de illo scribens*: Nobiscum hîc profugus secedit in Pontum, atque cum Elia & Joanne summis Philosophis solitudinem amplectitur. *Et Baptista Mantuanus dum de Carmelicolis inquit.* Ad hos beatissimus Pater Hilarion, ad hos Basilius Episcopus &c. *Idem expressiùs tradunt alij domestici, & exteri relati Tomo secundo Annalium Ordinis. Quod, & qualiter una ex ejus Regulis à Carmelicolis nonnullis acceptata, & observata fuerit, habetur ex dictis in Notis anterioribus, sed de his plura (Deo dante) in Parte quarta ad diem primam Ianuarij, & 15. Iunij.*

In Apologia quæ infrà sequitur. *An. Carmelitici Ord.* *Lezana ad an. Chr. 351. & 352.*

S. Cyrillus ex Carmelicola, Alexandrinus Patriarcha. 611. (c) Sextus fuit S. Cyrillus, *de quo Abbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, hæc inter cætera*: Cyrillus Episcopus Alexandrinus, natione Græcus, montis Carmeli quondam decus, & cultor insignis, vir doctus & sanctus, jussu Cœlestini Papæ primi in Concilio ducentorum Patrum apud Ephesum præsedit. *Festum ejus per totum Carmelitanum Ordinem duplici officiô solemnizatur die 28. Ianuarij, quô in officio canonico à Sacra Congregatione Rituum iteratis vicibus approbato lectione quartâ recitatur.* Cyrillus Episcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Episcopi Alexandrini, ex fratre nepos, à quo adolescens Athenas studiorum causâ missus, cum plurimum profecisset, ad Joannem Episcopum Ierosolymitanum, ut Christianæ fidei perfectione imbueretur, se contulit. Cujus consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus cœlestem vitam in terris aliquamdiu egit.

Ioanni Ierosolym. Episcopo an titulus sanctitatis competat. 612. (d) Septimus fuit S. Joannes. *Idem ipse est de quo jam statim ex Officio S. Cyrilli. Ioannes Molanus in Auctuario ad Martyrologium Vsuardi ad diem 12. Ianuarij his eum verbis commemorat*: S. Joannis Episcopi Ierosolymitanæ Ecclesiæ, Ordinis Carmeli Professoris. *De illo Ioanne à præstantissimis Scriptoribus celebrato magnis encomiis vide hic suprà parte primâ sub initium n. 1. 2. 3. & seq. De eodem latissimè tractat Waselius libro Vindiciarum tertio, Franciscus bonæ Spei in libro de Visione Eliæ, & in Appendicibus annexis, & Lezana in Annalibus Ordinis Tomo secundo & tertio, & quidem Tomo tertio hæc de præscripta sanctitatis illius opinione scribit.* Titulus Sancti, vel sanctitatis datus est Joanni Ierosolymitano, tùm viventi, tùm vitâ functo, ab Anastasio Papa, Sozimo Papa, S. Augustino, S. Paulino, Luciano Presbytero, Idacio Episcopo Lemicensi, qui omnes ipsum cognoverunt, imo à S. Gamaliele in cœlis cum Christo regnante. Omittimus Martyrologia, Catalogos Sanctorum, & Officia Ecclesiastica, ac innumeros posteriores. *Et aliquantò post*: Videri, illi negari non posse genus illud canonizationis antiquum satis in Ecclesia, quod vel Episcoporum consensu, vel Christiani populi receptâ traditione fiebat, pro-ut optimæ notæ Theologi Waldensis noster, Cardinalis Bellarminus, & alij doctissimi suis scriptis consignarunt. *Deinde subdit*: Verumtamen modestiæ, humilitatis & obedientiæ versùs S. Sedem Apost. limitibus teneri, id non asserimus, & rei tantæ judicium ipsius examini, & sententiæ omninò relinquendum censuimus. *Ita Lezana, similiter & nos cum illo.*

Id Apostolicæ Sedis judicio relinquitur.

613. (e) Octavus fuit S. Ludovicus. *De S. Ludovico, Carmelicolas e Palæstina traducente in Franciam, & Parisijs magnificum Cœnobium illis construente, ac sacrum Scapulare gestante, memorant alij Ordinis historici, vetusti, & recentiores de exteris Theophilus Raynaudus libro de Scapulari Partheno Carmelitico hæc inter alia scribit ad propositum*: Certum est, S. Regem fuisse Carmelitis addictissimum: præsertim ex quo periclitatus in mari, appulit ad littus Carmelo subjectum & cum Fratribus illic degentibus egit familiariter. Narrat hoc illius ævi scriptor Guiliemus, * de Samuco auctor Chronici de Carmelitarum diffusione per Syriæ & Europæ Provincias. *(Vide suprà parte primâ librô nonô cap. 6.) Deinde subjungit, quòd*, cum bona venia Moderatorum, aliquot è Carmelo Religiosos secum abducens, ab iisdem habitu sanctô Ordinis (*scapulari*) amictus fuerit, quodque propterea illis Parisiis constitutis contulerit trabeam purpuream, quam gestaverat in sua in Regem inauguratione Veluti refundens regium paludamentum pro panno quo-ad materiam vili sed ad pietatis usum pretioso. *Ita Raynaudus Et hæc est ratio, cur iste sanctus hic accenseatur; quòd nempè fuerit & Ordinis propagator præcipuus per Franciam, & gestatione S. Scapularis quodammodò Confrater. De SS. Bertholdo, Brocardo, & Cyrillo quædam dicta sunt parte prima librô 8. capit. 1. 2. & 3. atque ibi in Notis: in sequentibus etiam quandoque de iisdem agetur sed luculentiùs parte quartâ, ad dies quibus festum eorum agitur.*

Raynaud. parte 2. quæst. 8.

** Seu Sanvico.*

S. Ludovicus quâ ratione inter SS Ordinis Carm. recensitus.

614. (f) *De Eusebio in Annalibus Ordinis tomô 4. hæc scribuntur*: Claris viris hôc ævô in Religione fulgentibus, Bertholdo Generali, Brocardo successori, & Cyrillo de quo in præsenti, annumerandus est Frater Eusebius ejusdem Cyrilli socius & Collega. *Et infrà*: Titulô Beati eum aliqui vocant: at nos, Sedis Apostolicæ obedientiæ addicti, ipsius judicium in his titulis concedendis expectandum censemus.

Lezana ad an. 1184. n. 3.

615. (g) *De B. Hilarione in iisdem Annalibus hæc, inter alia, memorantur*: Inter hos ergo, qui eâ tempestate ex Ordine nostro partes illas Carmeli, & Terræ sanctæ illustrabant, unus nominatur Hilarion, quem titulô Martyris & Beati compellant nostri Ordinis Historici. Fuit hic Provincialis Provinciæ Terræ sanctæ. *Fuit is diversus, & longè posterior alterô S. Hilarione, celeberrimô discipulô magni Antonij quem etiam Carmelitis accensendum ostendunt iidem Annales, traduntque alij Ordinis Historici. Sed & de hoc latiùs Parte 4. ad diem 21. Octobris.*

Lezana in Annal. to. 4 ad an. 1256 n. 10.

De SS. Bertholdo, Brocardo, Cyrillo, Angelo aliisque sequentibus Sanctis & Beatis specialiter agetur eâdem Parte quartâ, quæ exhibebit Acta & Vitas Sanctorum Ordinis.

616. (h) S. Simon Stock . . . ante adventum Fratrum Carmelitarum in Angliam spiritu propheticô illos exspectavit. *Aliquos ex Carmelo in Angliam venisse anno Domini 1212. & loca solitaria incolere cœpisse in fundo DD. Baronum Greij & Vescij circa Alnevvicum, & Aylesfordiam, & tunc Ordinem ingressum fuisse B. Simonem Stock, habetur ex Thoma Scropo Anglo Episcopo, Norvvicensi, Annalibus Ordinis ad illum annum, & Chronologia vitæ ejusdem. Annô autem 1240. per eosdem Barones, aut eorundem filios, vel nepotes, Ioannem & Richardum, alios Carmelicolas in Angliam advectos, initium dedisse isti illustrissimæ Provinciæ Angliæ, memoratur in iisdem Annalibus ad illum annum. Id tradunt quoque alij Historici Ordinis: sed de his quandoque sermo fuit jam ante, & erit in sequentibus. Quò ad istud*: Quô tempore S. Ludovicus . . . ratione miraculi . . . in mari, juxta montem Carmeli . . . Fratres duxit in Franciam. *Vide luculenter historiam descriptam parte primâ libro 9. cap. 6.*

Carmelicolæ aliqui in Angliam venerunt an. Christi 1212. & alij an. 1240.

617. (i) Flos Carmeli. *Hanc, atque etiam illam devotam, & celebrem Antiphonam in Ordine Carmelitano*: Ave stella matutina *compositas à B. Simone Stock, referunt Ioannes Pitseus Tomo primo Relationum Historicarum de rebus Anglicis, ad annum Christi 1265. agens de B. Simone*

mone Stock, *& scriptis ejus, ubi ista* : Scripsit ... Ad Christiparam Virginem Antiphonas. Flos Carmeli vitis florigera. Ad eandem, Antiphonam. Ave stella matutina: *& Lezana in Annalibus Carmelitanis ad an.* 1265. *Possevinus quoque in Apparatu littera S. sic ad propositum* : Simon Stokius Anglus &c. Scripsit Antiphonas, item & Responsoria ad B. Virginem, quas Ecclesia recepit. Vixit circa annum 1265. (*& illo hinc ad cœlum abijt*) *inter eas* quas Ecclesia recepit *reputatur quoque illa* : Alma Redemptoris Mater (*quæ in præcipuis Ordinis solemnitatibus ad Vesperas bis canitur*) *atque alia. Insigne miraculum quod Tolosæ contigit dum illa* Ave stella matutina *caneretur vide hic infrà in Defensorio Ioannis Hildesini cap. ultimo, & ibi in Notis num* 710. *&* 711.

618. (k) In hoc habitu moriens salvabitur: *Ità quidem Exemplaria MSS. Impressum verò Venetum sic*: In hoc moriens æternum non patietur incendium, idest, in hoc moriens salvabitur. *Illa autem ex R. P. Theodori Stratij, & Ven. P. Ioannis Baptistæ de Lezana expositione triplicem habent sensum Catholicum : Primus est* : ut per incendium æternum intelligatur pœna ignis Purgatorii, & ità significentur illam non passuri ad longum tempus, qui Scapulare Carmelitarum in vita gestaverint. *Secundus est* : ut verba prædicta non simpliciter, & absolutè intelligantur, sed quantùm ex parte Virginis, efficacisque ejus intercessionis pro illis, qui devotè prædictum Scapulare in vita gestaverunt, &c. *Tertius*, ut illa verba intelligantur, sicut alia similia in Scriptura Sacra, quibus promittitur æterna vita, & salus propter aliqua opera, quæ tamen sola sine aliis ad salutem non sufficiunt, ut patet ex illo Joannis 6. de Eucharistia. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et de fide Joannis 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Ita illi.*

Verba illa; In hoc moriens ætern. non patietur incend. *tripliciter exponuntur.*

619. *Suprà in Prænotatione indicavimus, quod exemplaria omnia hujus Opusculi non conveniant; quædam enim ab ipso Authore primùm conscripta, minus, alia, per illum posteà locupletata plus continent : & quia passim scriptores quibus ad manum fuit exemplar Venetum impressum (& fortassè nullum manu-scriptum antiquius) dum de Sanctis Ordinis agunt, ex illo depromunt verba quæ allegant, idcircò hic succinctè subnectuntur quædam præcipua ex illo Veneto exemplari: in quo alio ordine Sancti Ordinis referuntur : videlicet sic* :

620. Primatum tenuit Sanctus Elias &c. (*de quo jam satis.*)

Secundus fuit Sanctus Eliseus &c. (*de quo similiter Parte* 1. *libro* 2. *cap.* 5.)

Tertius fuit Jonas Propheta &c. (*de quo plura ibidem cap.* 4.)

Quartus fuit S. Abdias Propheta &c. (*de quo latius etiam ibidem cap.* 5.)

Quintus fuit S. Joannes Patriarcha &c. (*de quo similiter eadem parte prima in Prænotandis num.* 1. 2. *& seq.*)

Sextus fuit B. Bertholdus Prior Generalis Ordinis, qui in Terra Sancta, & præsertim in monte Carmeli multa fecit miracula: ubi corpus ejus quiescit.

Septimus fuit Beatus Brocardus, secundus Generalis Ordinis : cui Albertus Patriarcha Regulam Ordinis signanter direxit, & scripsit. Cujus siquidem gloriosum corpus multis clarens miraculis in monte Carmeli quiescit.

Octavus fuit S. Cyrillus tertius Generalis Ordinis, qui visionem Angelicam sibi factam inter Missarum solemnia Abbati Joachim scripsit, & direxit. Cujus verò corpus in monte Carmeli quiescit. Ubi etiam multa Sanctorum Fratrum corpora requiescunt, qui à paganis, pro fide Christi (quam constanter prædicaverunt) passi sunt diversa tormentorum genera. (*De istis vide parte prima libro* 9. *cap.* 2. *in Annotatione num.* 414. *& cap.* 8. *num.* 448. *&* 458.)

621. Nonus fuit S. Simon de Anglia Generalis Ordinis sextus: qui Dei gloriosissimam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulô, aliquô communiret privilegiô, dicens voce devotissimâ Flos Carmeli vitis florigera, splendor cœli, Virgo puerpera, singularis Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia Stella maris. Cui Beata Virgo, cum multitudine Angelorum, apparuit, Scapulare Ordinis in benedictis manibus suis tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quòd in hoc moriens æternum non patietur incendium, id est in hoc moriens salvabitur. Dictus iste Simon Generalis dùm Provinciam Vasconiæ visitavit in Conventu Burdegaliæ ab hac luce migravit, ubi ejus corpus quiescit: & ideò à quibusdam S. Simon de Vasconia, à quibusdam S. Simon de Burdegalia nuncupatur, sed S. Simon de Anglia, ubi suam traxit originem, rectiùs vocitatur. (*De quo jam ante* plura.)

S. Simoni Stock, & Scapulare cælitùs traditum.

Decimus fuit S. Hilarion Martyr, Provincialis Terræ Sanctæ &c. (*de quo jam ante satis.*)

Undecimus fuit S. Albertus de Trapano &c. *Nunc dicitur* Drepanum. (*de quo sufficienter statim.*)

Duodecimus fuit S. Angelus &c. (*de quo similiter jam antè.*)

622. Decimus tertius fuit S. Francus de Senis, cujus corpus requiescit in Provincia Lumbardiæ in Conventu Cremonæ; ubi per eum multa fiunt miracula. *Ibi B. Francus, & B. Franciscus Senensis* (*duo diversi*) *pro uno eodemque haberi videntur. In exemplaribus MSS. agitur de B. Francisco Solo. De utroque plura videri poterunt in Vinea Carmeli.* *

B Francus Sen. & B. Franciscus Senensis duo diversi.

* Vin. Car. num 760. & 879.

623. Quartus-decimus fuit S. Theodoricus de Alemania : per quem Deus iam in vita quam in morte multa fecit miracula, quæ in Conventu Venetiarum Provinciæ Bononiæ habentur: ubi ejus corpus requiescit.

Quintus-decimus fuit S. Petrus Thomæ Patriarcha Alexandrinus &c. (*Legendum est*) Constantinopolitanus, *prout in exemplaribus MSS. habetur : sed & de illo satis jam antè, & sæpiùs in sequentibus.*

Sextus-decimus fuit S. Andreas de * Cursinis de Florentia Episcopus Fæsulanus : cujus corpus est in Conventu Florentiæ in tumba honesta, ubi multa per eum fiunt miracula, quæ ibidem habentur.

* *Al.* Corsinus.

624. Decimus-septimus fuit S. Henricus: cujus corpus Lucæ requiescit in quadam Ecclesia parochiali: ubi multa per eum fiunt miracula. (*Aliô nomine vocatur* Romæus, *seu veriùs Henricus Romaus, prout habetur ex vita B. Avertani, cujus fuit socius, & in Annalibus Ordinis.*)

Annal. to. 4. ad an. Chr. 1380.

Decimus octavus fuit S. Albertanus (*nunc passim dicitur* Avertanus) ex partibus Galliæ oriundus: videlicet Lemovicensis Diœcesis : qui in sua peregrinatione moriebatur Lucæ, & non est sepultus in Conventu, sed in Ecclesia S. Petri Majoris, extrà muros civitatis Lucanæ. *Hactenus ex Speculo Ordinis Venetiis excuso anno D.* 1507. *in quo, sub finem, folio* 103. *extat Tractatus ille de Sanctis Ordinis per Ioannem Grossi.*

De scriptoribus aliquot illustrioribus Ordinis ejusdem.

625. Recitatis, ut præfertur, sanctis Patribus, ac devotis Ordinis gloriosæ Genitricis Dei Virginis Mariæ de monte Carmeli; restat ejusdem Ordinis Fratres Doctores, atque (a) Bacularios sacræ paginæ recitare, qui super quatuor libros Sententiarum scribendo & aliqua opera notabilia componendo, suâ doctrinâ sanâ, & catholicâ sanctam illuminaverunt Ecclesiam. Inter quos primatum tenuit * Reverendus Pater, & Frater (b) Gerardus de Bononia Doctor Parisiensis, Ordinis Generalis undecimus. Hic scripsit quæstiones ordinarias, quas disputavit (c) Parisius. Item scripsit Quodlibeta, ex quibus fecit magnum volumen. Item composuit sermones Dominicales, & sanctorales per totum annum. Item scripsit super quatuor libros Sententiarum. Item scripsit notabilem Summam in Theolo-

(a)

(b)

* Al Reverendiss.

(c)

Gerardus de Bononia quæ scripserit.

Theologia propter utilitatem studentium: quæ est incompleta; quia in labore illius obiit Avinione; ubi est sepultus.

626. Secundus Reverendus Bacularius Frater PAULUS DE PERUSIO. Hic scripsit notabiliter super quatuor libros sententiarum. Iste nunquam insignia recepit Magisterij; quia obiit quasi in continenti post lecturam sententiarum Parisius, ubi est sepultus.

Al. Reverendiss. *Michael de Bononia Auctor operis celeberrimi in Psalmos. Sub nomine INCOGNITI, aliquando editi.*

627. Tertius * R. Magister MICHAEL DE BONONIA Doctor Parisiensis egregius, XVIII Generalis Ordinis. Hic scripsit super quatuor libros sententiarum notabiliter. Item composuit quæstiones super textum sententiarum. Item composuit notabilem tabellam super eosdem libros sententiarum. Item composuit solemnissimum opus super totum Psalterium: de quo opere sunt quinque volumina. Item scripsit lecturam bonam super Mattheum Euangelistam. Item scripsit quæstiones super libros Ethicorum Aristotelis. Item composuit tabulam notabilem super Moralia Gregorij. Item tabulam super Valerium Maximum. Item composuit tabulam valde notabilem super Decretum. Item composuit bonum tractatum de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ. Item composuit opus bonum Quadragesimale. Item incœpit solemnissimum * Doctrinatium: quod inclusivè ab A. usque ad C. complevit, & non ultrà: quia in labore ejus obiit Bononiæ, ubi ejus corpus ante magnum altare honorificè est sepultum. Omnia ista sunt Bononiæ de manu ejus propria.

Quæ alia scripserit.

* *Al. Dictionarium.*

628. Quartus Magister NICOLAUS DE RICZO, Provinciæ * Ciciliæ, & Conventûs Cathanæ. Hic composuit duo opera Quadragesimalia notabilia quæ Bononiæ prædicavit tempore quô ibidem legit. Item composuit alios sermones tàm de tempore, quàm de Sanctis per totum quasi annum.

In olim, nunc Siciliæ.

Philippus de Ferraria, Episcop. & Cardin.

629. Quintus Magister PHILIPPUS DE FERRARIA. Hic composuit multos notabiles sermones, quos in Regno Ciciliæ coram Rege, & aliis Proceribus regni prædicavit. Iste primò fuit assumptus in Episcopum Pactensem, demùm verò in Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem.

Guido de Perpiniano Doctor egreg. Episcopus.

630. Sextus Frater GUIDO DE PERPINIANO à Cathalonia, Doctor famosus Parisiensis XII. Ordinis Generalis, per Dominum Joannem Papam XXII. assumptus in Episcopum Majoricarum. Hic scripsit super diversos libros Philosophiæ, Physicorum, & de anima quæstiones notabiles. Item scripsit super sententias. Item quæstiones ordinarias, & quodlibeta. Item composuit tractatum valdè laudabilem contra hæreses. Item composuit unum scriptum super concordantias quatuor Euangelistarum, & vocatur *Quatuor unum*. Item super Decretum composuit scriptum vocatum *Correctorium Iuris*. Item composuit de vita, & moribus Christi. Iste Magister est sepultus Avinione.

631. Septimus Magister de Perpiniano nomine PETRUS RIVI. Hic composuit scriptum bonum super Psalterium totum.

Octavus Magister FRANCISCUS BACHONA Conventus Gerundæ. Hic fecit notabile Volumen, congregando omnia dicta Doctorum antiquorum in uno volumine.

Philipp. Rib. Auctor operis insignis.

632. Nonus Magister PHILIPPUS RIBOTI. Hic composuit egregium opus de Ordinis fundatione per Sanctos Patres in Terra Sancta, & ejus multiplicatione in partibus Europæ: quod quidem opus in decem libros, & quemlibet librum in decem capitula sufficienter distinxit. Et liber iste *de particularibus gestis Religiosorum Carmelitarum* intitulatur. *

* *Opus istud totum continetur in Speculi hujus parte prima à nu. 14 ad 498. inclusivè.*

Ioannes Bachon, Doctor profundiss. communiter vocatus: Doctor resolutus.

633. Decimus Magister JOANNES BACHON, alias vocatus Bathijn, scilicet à Villa suæ originis in Anglia: utriusque juris, & sacræ Paginæ Doctor profundissimus Parisiensis, Provincialis Angliæ. Hic scripsit super omnes libros sententiarum notabiliter, & præsertim super quartum librum sententiarum: quod quidem scriptum Parisius communiter vocatur *scriptum Bachonis*. Item composuit unum scriptum super novum testamentum. Scripsit etiam super Epistolas Pauli. Item scripsit Quæstiones ordinarias, & Quodlibeta. Item scripsit egregiam lecturam super Methaphisicam Aristotelis, quæ continet duo Volumina. Istum Doctorem multùm allegat Magister Michael de Bononia in suo quarto scripto.

634. Undecimus Magister OSBERTUS. Hic scripsit super quatuor libros sententiarum notabiliter. Item scripsit determinationes bonas. Istum Doctorem etiam Magister Michael prædictus allegat in suis scriptis super quartum librum sententiarum.

635. Duodecimus Magister JOANNES WALSINHAM Doctor subtilis Parisiensis, Provincialis Provinciæ Anglicanæ. Hic scripsit subtiliter super quatuor libros sententiarum. Item scripsit Quæstiones ordinarias, & Quodlibeta.

636. Decimus-tertius Magister JOANNES TICESPHALE de Conventu Wormensi, super libros sententiarum notabiliter scripsit. Item composuit postillam bonam super Apocalypsim: qui obiit in Romana curia.

637. Decimus-quartus Magister NICASIUS DUCHAM Doctor Oxoniensis. Hic scripsit super quatuor libros sententiarum, & determinationes bonas contra hæreticos Wicleffistas, qui suô tempore Oxoniis regnabant. Item composuit valdè notabilem tabulam originalium, duplo majorem istâ communi.

638. Decimus-quintus Magister WALTHERUS DISSE Doctor Cantabrigiensis egregius, & Prædicator famosus. Hic scripsit determinationes contra hæreticos, & Lolhardos: Item lecturâ notabilem super aliquos psalmos Psalterij, quam Cantabrigiæ, & Norwicæ legebat. Item composuit subtiles sermones, quos diversis temporibus coram Domino Rege Angliæ, & diversis Proceribus Regis prædicavit.

ANN. 639. (a) Bacularios. *Vide notas hic suprà n. 579.*

(b) Gerardus de Bononia. *De istius enim MI doctrina testimonium insigne Cardinalis Berengarij Episcopi Tusculani, extat in Speculo antiquo Ordinis, excuso Venetiis an. 1507. folio 83. & indè insertum huic Operi parte primâ in Appendice §. 4. num. 514*

(c) Parisius *sic olim dicebatur indeclinabiliter: nunc* Parisij, *&* Lutetia.

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM VIRIDARIJ.

Præfati, quo-ad Sanctos, aut sanctæ vitæ opinione celebratos.

640. Joannis Grossi intentum in Viridario suo constituendo fuit, historiam Ordinis, quò ad ejus ortum, & progressum, Priorum Generalium successionem, Sanctos, & Viros illustres, compendiò dumtaxat tradere. Hinc non nisi aliquos præcipuos Ordinis Scriptores refert: multò plures habent Arnoldus Bostius in peculiari libro de viris illustribus Ordinis hujus, & Abbas Trithemius in libro ejusdem tituli (uterque liber ille inseretur in Speculi hujus parte 5. quæ erit De viris illustribus Ordinis) similiter præter suprà relatos à Grossio Sanctos Ordinis, sunt etiam alij, qui per totum Ordinem Carmelitanum officiò Ecclesiasticò sub ritu duplici ab Ecclesia approbato coluntur, videlicet, S. Dionysius Papa 19. Ianuarij, S. Anastasius martyr die 22. Ianuarij, S. Euphrosyna Virgo die 11. Februarij, S. Eupharasia Virgo die 13. Martij, S. Albertus Patriarcha Regulæ scriptor, die 8. Aprilis, S. Maria Magdalena de Pazzi Virgo die 25. Maij, S. Gerardus Episcopus & martyr die 24. Septembris, S. Teresia Virgo die 15. Octobris, S. Hilarion die 21. Octobris, S. Serapion Episcopus die 30 Novembris, S. Spiridion Episcopus die 14. Decembris: Illis meritò junguntur S. Telesphorus Papa (cujus vita extat inter Acta Sanctorum, notationibus illustrata per PP. Ioannem Bollandum, & Godefridum Henschenium, ad diem 5. Ianuarij), S. Enoch de Amathim (cujus mentionem faciunt Pontifices aliqui in suis Bullis (Vide supra num. 539.) S. Agabus, B. Angela filia Regis Bohemiæ, B. Joanna de Regio, B. Archangela de Trino: atque alij, & alia plures, de quibus sigillatim scripserunt Ioannes Currifex in libro de illustribus plantis Vineæ Carmelitanæ, Philippus Metius (qui varios de Ordine Carmelitano tractatus elucubravit) in libro inscripto Vitæ illustrium aliquot Sanctorum Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, compendiò conscriptæ per R. P. Philippum Metium Strabingensem in superiori Alemannia Carmelitam, Thomas Saracenus in Menologio Carmelitano, Lezana in quatuor Tomis Annalium Carmelitarum, nec non Philippus à SS. Trinitate Generalis Carmelitarum Discalceatorum in libro cui titulus est, Decor Carmeli. Sufficit hôc locô commemorasse præcipuos, procedendo eô ordine, quô de illis præfatus Philippus Metius in dicto libro tractat, per undecim capita. Animadvertendum, quòd licèt plerique subsequentes sanctitate illustres habeantur in Ecclesia, & ut tales cultum Sanctorum habeant, aut Martyrologiis inserti sint; in nonnullis autem publicum cultum non habentibus, nec Martyrologiis insertis, aut de quibus dubium esse potest, an jure titulus Sancti, aut Beati attribui possit, etsi à variis tributus aliquandò fuerit, & à Philippo Metio præfixus sit, prætermittendum tamen censuimus eum titulum; nè vel in minimo, etiam apparenter, Decretis Apostolicæ Sedis contravenisse videremur, conformiter protestationi in principio hujus Operis præpositæ. En igitur ex Metio syllabum.

Sancti alij Ordinis Carm.

641. CAPUT. I. De SS. Prophetis. S. Elias Propheta Patriarcha Carmelitarum: S. Eliseus præcipuus Eliæ discipulus, & spiritualis hæres. Horum duorum Prophetarum discipuli fuerunt Jonas filius Sareptanæ viduæ, ab Elia suscitatus: Abdias, qui fuit tertius quinquagenarius ab Ochozia ad Eliam destinatus: & Michæas: omnes clarissimi Prophetæ, quin & S. Joannes Baptista.

CAP. II. De SS. Pontificibus. S. Telesphorus Papa, natione Græcus, ex Carmelitano instituto: S. Dionysius Papa ex eodem instituto. Benedictus XII. cujus id est Epitaphium: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanus coronavit*: alludens ad tres montes Carmeli, Cassini, & Vaticani, in quibus ortum, progressum, & finem habuit.

CAP. III. De Patriarchis. S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: Joannes Patriarcha Jerosolymitanus XLIV. post S. Jacobum: alius etiam Joannes itidem Patriarcha Jerosolymitanus Frater Uterinus S. Angeli martyris: S. Albertus Patriarcha Jerosolymitanus: Petrus de Casa Patriarcha Jerosolymitanus; Meletius Patriarcha Antiochenus: Gerardus Patriarcha Antiochenus: Petrus Patriarcha Antiochenus: S. Petrus Thomas Patriarcha Constantinopolitanus.

CAP. IV. De Archiepisc. et Episcopis. S. Enoch de Amathim Episcopus Nicopolis: S. Helenus Episcopus Heliopolis: S. Spiridion Episcopus Trimituntinus: S. Basilius Episcopus Cæsariensis: S. Serapion Episcopus Gerasinus Episcopus Nazarethanus: Petrus Episcopus Bethleemitanus; S. Andreas Corsinus Episcopus Fesulanus: Blasius Episcopus.

CAP. V. De Prioribus Generalibus. S. Bertholdus Malafaida Lemovicensis primus Prior Generalis; S. Brocardus secundus Prior Generalis: S. Cyrillus Constantinopoli natus tertius Prior Generalis: Bertholdus secundus Lombardus Prior Generalis quartus: Alanus Brito quintus Generalis: S. Simon Stock sextus Prior Generalis: Nicolaus Gallicus septimus Prior Generalis: Rudolphus octavus Prior Generalis: Joannes Soreth XXV. Prior Generalis: Joannes Baptista Mantuanus XXIX. Prior Generalis.

CAP. VI. De Prioribus Provincialibus. S. Albertus Provincialis Siciliæ S. Hilarion martyr Provincialis Terræ Sanctæ: B. Theodoricus Provincialis Germaniæ: Joannes Sanctius Provincialis Arragoniæ.

CAP. VII De Prioribus Localibus. S. Euitius Prior montis Carmeli: Caprasius Prior montis Carmeli: B. Adolius Prior montis Oliveti: Eusebius Prior montis Neroy: Hieronymus Prior Monasterij S. Annæ Jerosolymis.

CAP. VIII De Martyribus non Episcopis. S. Anastasius Persa martyr: S. Angelus Jerosolymitanus martyr: B Lanfrancus socius S Angeli: B. Franciscus Cremonensis: B. Stanislaus Polonus.

CAP. IX. De Confessoribus Presbyteris. Angelus Augustini (vulgò Beatus Angelinus) Henricus, &c.

CAP. X. De Confessoribus non Presbyteris. S. Onuphrius in Thebaide: Gerardus Laicus in Terra Sancta. Nunnus seu Nunnius, Alvarus Pereira ex illustrissimo Principe in Lusitania humilis Donatus: B. Francus Senensis: S. Avertanus Gallus: Jacobinus de Cravacorio Conventus Vercellensis. Istis annumerari possunt tertiæ Regulæ Ordinis Carmelitani S. Ludovicus Rex Galliæ, Eduardus Rex Angliæ, Henricus Dux Lancastriæ, Henricus Comes Northumbriæ.

CAP. XI. De Virginibus, et Matronis. B. Angela filia Regis Bohemiæ: Francisca Ducissa Britanniæ: B. Archangela de Trino: S. Maria Magdalena de Pazzi; S. Teresia; Angela ab Arena Tertiaria: Item S. Eugenia Philippi Augustalis in Ægypto filia: S. Euphrasia Antigoni clarissimi Ducis filia: S. Constantia; S. Cyrilla; S. Magnentia; Anna & Joanna sorores germanæ Comitissæ Tolosanæ; SS. Marina; Adolia; Sara; Syncletica; Romana; Magna; Pelagia; Theodora; Euphrosina; Nonna; & aliæ.

An, & quâ ratione præfati, & præfata Carmelitico instituto accenseri possint: & quibus titulus Sancti, aut Beati competat disseris de plerisque Lezana in Annalibus Carmelitanis, & hoc peculiariter tractabitur in Speculi hujus parte 4. in qua vita, & Acta Sanctorum primigeniô stylô scripta (quæ quidem extant) dabuntur, & Notationibus illustrabuntur.

DEFEN-

DEFENSORIUM

Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo per modum dialogi Authore IOANNE HILDESHEIMENSI discipulô Sancti Petri Thomæ Patriarchæ Constantinopolitani.

LIBER II. PARTIS SECUNDÆ

Notatio Prævia.

Adversa sicut Ecclesia, ita Ordini Carmeli nunquam defuerunt.

642. *DEi mirâ dispositione, ejus sancta Ecclesia in Christo exorta, & fundata, jugiter inter adversa crevit, adolevit, & hactenùs processit. Ità quoque Ordo Carmeli in suo ortu penè suffocatus fuit cùm Achab, & Iezabel debaccharentur, & furerēt in sanctos Prophetas, ac Filios Prophetarum, magni Propheta Elia discipulos. Hinc ipse Deum alloquens sic conquerebatur: Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Sic etiam alias, tum sub veteri, tum sub nova Lege persæpè graviter fuit afflictus. Vt paucis quadam dumtaxat cursim attingamus, validissimis persecutionum ventis agitatus fuit Ordo circa annum Christi DCXVII. per Cosroam Regem Persarum, & aliquantò post per Humar Regem Arabia anno Domini DCXXXIX. ac deinceps per ejus successores annis CCCCLX. videlicet usque-ad millesimum nonagesimum nonum (sicut habetur ex dictis Parte primâ libro 8. cap. 1.) ac deindè rursus anno 1187. per Saladinum, & consequenter per Chorasmianos, & Saracenos (vide eadem Parte prima libro 9. cap. 4. & 8.) ut propterea transferri debuerit in Europam, quò vix pedem intulerat, quin mox etiam inter Christianos non leviter afflictus fuit, sicut panditur eâdem Parte primâ libro 9. cap. 5. & 7. & libro 10. cap. 1. & seq. Sed Dei benignitate, Patrona efficaci subsidiô, Summorum Pontificum protectione (sicut eâdem Parte primâ libro 9. cap. 5. & 7. & libro 10. cap. 1. 2. 3. & 4. descriptum est) sedatâ illâ tempestate, mox alia commotio ab ingenijs quibusdam prurigino sis, ac turbidis excitata fuit primùm in Anglia, ac deindè etiam alibì adversùs Ordinis Institutionem à S. P. Elia, Intitulationem, & Confirmationem. Hinc in defensionem exciti varijs in locis eruditissimorum virorum calami: in Anglia quidem Ioannis Bachonis (ubi etiam edita fuere in Cantabrigiensi Vniversitate bina Decreta adducta in Parte prima sub finem in Appendice §. 5.) in Hibernia Thoma Bradleij Dromorensis Episcopi, in Hispania Bernardi Olerij, in Italia Baptista Mantuani, in Germania Ioannis Hildesheimensis: qui robusta scriptionis clavâ æmulorum munimenta facilè confregit: ideò hîc primus prodit.*

Ioannes Hildesheimensis quis, & qualis.

643. *Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, sic ejus, & scriptorum illius honorificè meminit:* Joannes Hildesheimensis, natione Teutonicus, Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ semper Virginis de monte Carmeli: in Scripturis sanctis eruditus, & in sæcularibus litteris nobiliter doctus: Theologus, Philosophus & Poëta insignis: in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Hic Beati Petri Thomæ Viri sanctissimi in Avinione olim familiaris, & devotus minister fuit. Scripsit metrô, & prosâ multa præclara Opuscula: quibus nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. E quibus subjecta feruntur. Ad Florentium Episcopum edidit prolixum volumen de tribus sanctis Regibus librum unum CUM VENERANDISSIMORUM. Chronicam Historiarum librum unum. Defensorium sui Ordinis librum unum (*Illud est quod hic sequitur*) . . . Claruit temporibus Caroli Imperatoris Quarti annô Domini MCCCLXX. *Hæc Trithemius, qui ibidem alia ejus opera recenset.*

Quæ scripserit, & quando claruerit.

Ioannes Palaonydorus in præfatione libri Tripartiti referens libros undè potissimùm Opus istud suum concinnavit, sic meminit hujus Tractatus: Joannes de Hildenshcim Tractatum (*scripsit*) per modum Dialogi inter Directorem, & Detractorem: incipit: VETUSTÆ RELIGIONIS. *Plura de eo videri poterunt in Annalibus Ordinis, ubi hæc inter cætera:* Inter præcipuos autem, & clariores hujus anni Carmelitas meritò referimus Joannem Hildesemensem. *Et infra:* Discipulus obsequiosissimus, & valdè familiaris B. Petri Thomæ, dum esset Regens Avinione tempore Clementis VI. ut propterea fidele testimonium de revelatione eidem B. Petro Thomæ de sui Ordinis perpetua duratione, dare potuerit, in libro contra Detractores cap. 5. *Is liber est qui hîc sequitur. Agunt de eodem Authore, hocque ejus Defensorio, & alijs scriptis ejus Arnoldus Bostius in libro de Viris illustribus hujus Ordinis (qui sequitur hîc infrà, parte 5.) Petrus Lucius, Possevinus, & alij. Scriptus autem fuit Tractatus iste circà annum Christi 1370. dum Ordinis antiqua institutio, intitulatio, & confirmatio vehementer impeterentur, præsertìm in Anglia: & indè malum proserpserat ad alias Regiones. Ejus autem nacti fuimus bina exemplaria vetusta, ex illis inter se collatis hæc prodit editio. In uno istorum existante in volumine MS. Conventus Mechliniensis, exarato per Ioannem Oudewater (seu Palaonydorum) anno MCCCCLXXXIV. aliqua desunt: quæ ex altero supplevimus.*

Annal. Carmelit. ad an. 1379.

Defensorium Ordinis (quod hîc sequitur) elucubravit circa an. 1370.

PROLOGUS AUTHORIS.

Motivum ad hoc Opus.

644. VEtustæ Religionis Carmeli montis, & B. Dei Genitricis Mariæ Virginis Reverendo in Christo Magistro Generali principaliter, & ex consequenti singulis dictæ Religionis Fratribus, quin imò veri zelatoribus universis, Frater Joannes de Hildensheim, Religionis ejusdem, cum debita reverentia se totum. Modernæ, proh dolor, institutionis nonnulli vetustioribus invidentes, in erroris devio cespitant: quidam cum cæci sint se videntes existimant: quidam cum Democrito singula tenebris involvere laborant: existimant hujusmodi, licet falsò, suæ demptum gloriæ quidquid videtur cæteris accessisse: sine quocumque dictamine rationis alienis invident honoribus: cui nihil rerum, vel honoris ex hujusmodi deperit, vel decrescit. Contra quos, cum D. Hieronymo, cogor invectiva scripta condere, & cum Nasone in ijbim, idest invidum, invehi pro tempore, & ipsorum caninis latratibus obviare. *Si quis* enim (ut ait Jacobus in Canonica) *putat se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.*

Invidia malitia, & miseria.

645. Justè merentur invidentes invidiam, & fraternæ gratiæ nauseatores contumeliam reciprocam repercussivam. Quid in Religioso detestabilius invidiâ, quam sola virtus vocabuli dissuaderet; Religio enim dicitur à religando: Deo namque pridem protoplastus vinculo charitatis alligatus, ab adhæsione tàm felicis unionis exiliit, prout maligni spiritus invidiâ persuasit. Sed inspiratio Divina plerosque postea religare se Deo simul, & proximo per amorem, & obedientiam docuit, ut vocabulum prætendit. Quantò igitur quis religiosior, & divinior, tantò fore deberet ab invidia remotior; quia secundùm Philosophum: *Divinum non invidet*: imò secundùm Boëtium: *Divinus amor* * *conservat omnia in pace, sine quo forent invicem bellantia.* Sic igitur à charitatis ligamento resiliens pertinentiùs dicetur resiliosus, quàm religiosus: sanè cum sola miseria careat invidiâ, dicatur invido: omnibus invideas, invide, nemo tibi. Cum hujusmodi mordacibus invidis volo disserere, & ipsorum, per modum Dialogi, machinamenta frivola confutare.

Aristot. lib. 4. Metaph.

* Alibi ligat.

CAPUT PRIMUM.

Quod non possint antiqua simplicitèr demonstrari.

646. DEtractor. Tu qui de antiquitate jactas, eam proba; fertur enim Aristoteles, cum videret libros Moysi, dixisse: *Iste multa dicit, & nihil probat.* Director. A te discordo: quos pax juvat, his ego cordo: quoniam pax, ordo, corda regit in decacordo. Tibi moderno primitùs objicio quod olim (teste Lactantiô) Solon Atheniensis objecit Græcis, dicens: *O Græci, pueri estis, & novella memoria, nec est apud vos ulla cana scientia.* Dico igitur tibi quod (a) antiquitas, cujus probationem exigis, non est ità demonstrabilis, sicut velles, propter principij nimiam localem, & temporalem distantiam; quià de multùm distantibus non potest esse tàm clara notitia, sicut de propinquis. Præterea non semper fuerunt Scriptores Chronicarum; de duobus enim millibus annorum ante diluvium, & ampliùs nihil invenitur scriptum, nisi illud modicum quod in principio Genesis habetur: tu igitur es minus credulus quàm Judæus, qui & Moysi de præterito credit, & aliis Prophetis de futuro minùs certo. (a)

Antiqua non ità facilè sunt demonstrabilia: & cur.

647. Detractor. Non est verum quod dicis; quià in tempore Eliæ, quem tibi Patronum fingis, multa fuerunt scripta, & libri Regum, & Annales quàm plures. Director. Etsi pro tempore tali fuerint Annales conscripti, factum fuit hoc à Regibus, & Regum Notariis litteratis; Incolæ verò vetusti montis Carmeli fuerunt Eremitæ simplices, non litterati, pauperes, membranas fortè non habentes, nec Scriptores; orare potiùs consueti quàm scribere: de quibus non est dubium, quod, juxtà doctrinam Pauli, anteriorum, & posteriorum obliti, præstantiori curâ tendebant ad futura. Et animadverte, quòd Socrates nihil unquam scripsit, ut tradunt Chronicæ: sed & Aristoteles, ut commentaria dicunt, librum Physicorum non scripsit, sed ore pronuntiavit; & ideò vocatur *Liber de Physico auditu*. qui tamen liber sic est authenticus, quòd nullus philosophicè disputans audeat ipsum negare; cum tamen nullus demonstrare de ipso possit quòd ille talia dixerit. Præterea tempore revelatæ gratiæ (b) sæpiùs per Saracenos destructi sunt, & martyriô coronati: & si scripturas habuerunt, utique totum perdiderunt: & si aliquid reservare potuerunt, in ultimo passagio tempore Ludovici Regis Francorum, & quandò fuit Achon à Paganis capta, & combusta, perdiderunt: in qua captione constat (c) Eliæ pallium usque adhuc reservatum cum multis aliis incendiô periisse.

Carmeli incola vetusti scripserunt pauca: & perierunt pleraque.

Aristoteles librum Physicorum non scripsit.

(b)

(c)

Pallium Elia, & Carmelitana scripta incendiô perierunt.

ANNOTATIONES.

648. (a) ANtiquitas non est ita demonstrabilis (*videlicet ob longam temporalem distantiam.*) *Hinc Aristoteles in problematibus ait*: Historias antiquissimas (*etsi verissimas*) injucundas videri, quòd propter vetustatem persimiles fabulis judicentur; *nempè quia earum veritas ità perspicuè demonstrari nequeat.*

Historia antiqua cur injucunda.

(b) Sæpiùs per Sarracenos destructi sunt &c. *Religiosi scilicet hujus Ordinis: quod constat ex dictis parte 1. lib. 8. cap. 1. & lib. 9. cap. 8.*

649 (c) Eliæ pallium, cum multis aliis, incendio periit, *videlicet tunc quandò montis Carmeli monasterium per Sarracenos igni traditum, & Religiosi omnes* Salve Regina *canentes trucidati fuerunt: prout, descriptum est suprà parte 1. libro 9. cap. 8. tunc, inquam, S. P. N. Eliæ pallium non integrum, sed ejus tantùm pars incendiô perijt, constat enim ex Sebastiano Salmanticensi Episcopo, in sua historia, hujus pallij partem in Arca Ovitensi in Hispaniis operâ sancti Fulgentij, conservatam fuisse. Tunc quoque præcipua Ordinis monumenta in Carmelo asservata igne absumpta sunt. Hinc prudens Lector animadvertere poterit, cur maxima pars eorum; quæ in Ordine hoc eo tempore, & anterioribus contigêre, satis nobis comperta non sint:* Si quidem

Pallij Eliæ pars incendiô perijt: altera ubi.

De pallio Eliæ vide Lezana to. 1. Annal. ad an. mund. 3204.

quidem Carmelëum hoc Cœnobium, totius Ordinis antiquissimum, & in eo Ordinis Archivum, tunc quoque incendiò consumptum. Hanc ob causam etiam in Ecclesiastica historia multa præclarissima ignota, aut obscura sunt: V.G. de SS. Ursula & socijs, & alia plurima acta sanctorum. Ita quoque SS. Iuda, Simonis, Thomæ, & aliorum quorundam Apostolorum: De quibus pauca, præter ea, quæ in Evangelio, & actis Apostolorum leguntur, comperta sunt.

CAP. II.

(a) *De (a) Scriptis Ordinis Carmelitarum, per Infideles sæpè combustis.*

650. DETRACTOR. Nonne talia poterant reservari? DIRECTOR. Dico tibi quod non: do tibi simile de Judæis qui sæpiùs destructi quasi totam Genealogiam perdiderunt; ait enim Nicolaus de Lyra, super illo verbo:* *Non auferetur sceptrum de Iuda* &c. quod Herodes, cum esset alienigena, Genealogiam ipsorum combussit, & Legis Doctores interfecit ex intentione; ut sic periret Genealogia: audivi à quodam spectabili Judæo, & quoad hoc fide digno, qui dixit; Nullam Genealogiam habemus, & postquam destructi fuimus, oportet quòd credatur Seniorum verbis, quantùm recordari possunt, & opinari; cum scripta non habeantur: & allegavit mihi Psalmistam dicentem: * *Quanta mandavit Patribus nostris, nota facere filijs suis, ut cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur, & exurgent, narrabunt filijs suis.* Et iterum: *Deus auribus nostris audivimus, & patres nostri anuntiaverunt nobis.*

Judæorum genealogia perdita.

*Genes. 49.

*Psal. 77.

651. DETRACTOR. Doce, quarè credendum sit antiquis nihil probantibus. DIRECTOR: Hujus do tibi congruentiam talem: In omnibus credendum est antiquitati; quià vetustiores fuerunt plerumque modernis veraciores. Posteà do tibi authoritates: primò vult expressè Titus Livius in principio sui operis: Quod antiquitati venia danda est, & non abjicienda veterum assertio: cum tamen ipsi permiscuerint humana Divinis; quatenùs principia urbium facerent diviniora, & augustiora. Et quamvis non sint talia usquequaque vera, utile tamen est ea non abjicere; quatenùs urbis incolæ se divinis regant, respicientes ad principium divinum. Imò B. Augustinus de Civitate Dei, Varronis allegans verba dixit: quod utile est credere, aliquos reputari Deorum filios; quatenùs divinos actus præstantiùs imitentur. Si utile est credere quod non est in se verum, numquid utiliùs est credere quod est probabile, & à pristinis traditum; quatenùs Religiosi à sanctis orti principijs imitari studeant vestigia primævæ sanctitatis. Hinc Macrobius in Commentario somnij Scipionis dicit sic: *Talia semper se numina coli voluerunt qualia ea vulgi fabulata est antiquitas.* Cur non dicerem ego similitèr: Tales se semper Religiones nominari, reputarique voluerunt, quales eas vulgaris nominavit, & reputavit antiquitas. Hinc & idem Macrobius in Saturnalibus dicit; *Vetustas nobis est semper adoranda, si sapitis.* Et Architremiùs; *Omne bonum, veterum labijs distillavit.* Ad idē facit quod in 2. Thimæi Plato dicit, & Calcidius Glossator, *Quòd quià non potest reddi ratio de plerisque, igitur compendium à credulitate sumamus: credamus igitur his, qui apud sæculum primùm fuerunt, cum & ipsi de propinquitate divini generis proferant:* & concludit: *hujusmodi non credere, satis irreligiosum est, quamvis incongruis probationibus dicatur; tùm quià qui de domesticis rebus pronunciāt credendum meritò puto.* Hæc ille. Tu igitur Detractor qui non credis, irreligiosum te ostendis, juxta dictum Platonis. Ex quo ego infero, sicut priùs, videlicet, quod es reliiosus; nescis quòd juxta Philosophum *oportet addiscentem credere*? Item quòd *unicuique experto in sua facultate credendum est*? Tàm authenticum fuit olìm (ut tradunt Chronicæ) verbum Pythagoræ, quod nullus unquam fuerit ausus negare, cum dicebatur, Pythagoras hoc dixit. Prætereà Tullius in suis Tropicis enumerat multa quæ afferunt authoritatem, inter quæ ponitur & ætas. Sed & Aristoteles in 2. Rhetoricæ dicit: *Credimus dicentibus propter tria, quæ sunt prudentia, virtus, & benevolentia*: quæ non videntur antiquis Carmelitis defuisse.

Antiquitati credendum: ejus rei congruentia.

Deorum filios aliquos reputari, ad quid utile.

Domesticis, de suis rebus credendum.

Et cuilibet in sua facultate

652. DETRACTOR. Tritum te probas in Philosophorum libris, de scripturis tamen Canonicis parum dicis. DIRECTOR. Nescis quòd Philosophorum libri scripta Canonica præcesserint? igitur qui de veteribus loquitur scriptis, vetustioribus principalitèr armetur. Animadvertas igitur quod *antiquis Patribus, de Ortu Ordinis credendum est; quià in negotijs Ecclesiarum illi potissimùm in Testes assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt.* * Animadverte, si sapis, an sit hujusmodi Canonica scriptura: & adverte quod nulla Religio de veteribus potest alitèr ostendere suum principium, quàm per traditiones Seniorum. Credimus nos quod Fundatores tui fuerint sancti: & si tu nostris non credis, tamen verum est, quod nostri non solum fuerint sancti, sed & filij Sanctorum. Poterunt ergo nostri securè dicere cum Tobia: *Filij Sanctorum sumus.* Et si sit frivolum non credere Sanctis; procacissimum est non credere Sanctis, & cum hoc filijs Sanctorum.

*D. 24. *super prudentia:* item X. de testibus: *Veniens.*

653. DETRACTOR. Non possum credere talibus de quibus nullum scriptum profers. DIRECTOR. (b) Do tibi 4. Regum non à pauperibus Eremitis (ut dixi) sed à Regum notarijs conscriptum plenum testimonijs hujus antiquitatis. Et scias quòd cum olìm in generali Concilio multæ delerentur Religiones, inventi fuerint invidi similes tibi, qui pro Carmeli Religione tollenda laborabant, quibus fuit à potioribus responsum, quòd ex tunc etiam oporteret consequenter delere 4. librum Regum. Et ob hoc etiam ibidem pro tunc eadem Religio nostra confirmata est, quamvis Elias Incarnationem Christi longè præcesserit: disponente Deo hoc totum factum est: ut sicut quatuor sunt elementa, quatuor Paradisi flumina, quatuor Prophetæ majores, quatuor animalia & Evangeliorum Scriptores, quatuor sancti Doctores, quatuor crucis partes, (c) sic & essent

(b)

Liber 4. Regum testimonium perhibet, de Monastici Instituti, & Carmelit. Ord. antiquitate. Vide Notas num. 655.

Quaternarij numeri mysteria.

(c)

& essent quatuor pauperes Religiones Crucem Christi ad quatuor plagas mundi portantes & prædicantes, & non pauciores: truncare velles tu, si posses ordinem totius universi.

ANNOTATIONES.

Scripta multa præstantissima Ecclesiæ, & Carmelitani Ordinis interierunt.

654 (a) Scripta Ord. Carm. combusta, *quemadmodum agones sanctissimorum, & fortissimorum Martyrum accuratissime descripti à Notarijs Ecclesiæ specialiter ad hoc deputatis; nec non præclarissimorum, & doctissimorum hominum scripta exquisitissima non pauca, (imò & libri Sacri nonnulli) persecutionum immanitate abolita, atque obliterata sunt. Sicut animadvertunt, & deplorant Onuphrius Panvinius in præfatione libri de Romanis Pontificibus, & Molanus in tractatu de Martyrologijs cap. 21. Sic quoque in gravissimis persecutionibus, quas per multa sæcula Ordo Carmelitanus à Saracenis pertulit, plura ejus antiquitatis monumenta interierunt. Sed de his fusiùs egimus in Vinea Carmeli parte 8 cap. 11. ubi causas dedimus, cur quibusdam (externis scilicet) Ordinis hujus origo, & successio obscurior visa fuerit.*

655. (b) Do tibi quartum Regum... plenum testimonijs hujus antiquitatis: *Antiqua scilicet Institutionis Ordinis hujus per S. Prophetam Eliam etenim cap. primò istius libri 4. Regum narratur qualiter S. Propheta Elias ante translationem suam sigillatim visitaverit filios Prophetarum collegialiter, seu monasterialiter habitantes:* quos Monachos fuisse consentit authoritas Patrum Venerabilium, *inquit* **Rupertus Abbas: qui ibidem tradit, istorum* Authorem, & Institutorem *fuisse* Eliam. *Idem passim adstruunt alij Patres, nuncupantes Filios Prophetarum* Monachos veteris Testamenti, *& S. Eliam* Principem *seu* Ducem Monachorum. *Obedientiam Filij Prophetarum præstabant S. Eliæ tamquam Superiori, & Magistro (atque ut talis eos visitavit,) & post ejus raptum S. Eliseo: in cujus* occursum venientes adoraverunt eum proni in terram *(ut habetur capite 2. ejusdem libri 4. Regum) qui eos etiam sigillatim visitavit, & ad observantiam vitæ Monasticæ induxit, & subindè etiam mirabiliter ut necessarijs providit: ut testatur idem liber 4. capite 4. De ejusdem licentia, & ex ipsius directione circa Iordanem casulas, seu eremiticas mansiones ædificaverunt, sicut refertur cap 6. ejusdem libri 4. De istis S. Hieronymus ad Rusticum scribens,* eos Monachos in veteri Testamento *nuncupat qui* polenta, & herbis agrestibus victitabant. *Unde etiam eorundem paupertas, & in victu parcitas habentur. Quod verò nil proprium habentes, in communi, imò & ex eleemosynis vixerint, indicatur eodem capite 4. libri 4. Regum & pleniùs explicatum est* **in Speculi hujus parte prima libro 4. cap. 6.* * *Castitatem illorum evincunt quoque Patres ex eodem libro 4. Regum. Unde idem S. Hieronymus:* Virgines multi Filij Prophetarum, *& S. Chrysostomus.* Nam si uxores habuissent, & liberos, haud facilè adducti essent, ut & in solitudine viverent, & suas familias contemnerent.

*Rupertus in istud Cantic. *Capilli tui sicut greges capræ.*

* Vide nu. 167. 168. 169. 170. Hieron. ad Eustoch. Chrysost. l. de Virgin.

(c) Sic & essent quatuor pauperes Religiones: *Mendicantes scilicet, de quibus & sacro numero quaternario plura eleganter Arnoldus Bostius libro de Patronatu B.V. cap. 9. in parte 3. Speculi hujus.*

CAP. III.

(a) (b) *De (a) Carmelo: & quod (b) Elias fuerit primus Fundator Ordinis Carmelitarum.*

*X. de verborum significatione cap. *Abbate.*

656. DIRECTOR. Constat ex dictis, quòd *denominatio debeat fieri à loco prædecessorum. DETRACTOR. Multa dicis, & cum juxta Philosophum dubitare de singulis non erit inutile, dic ergo quid scis de antiquitate, & quâ ratione Patronum tibi fingis Eliam, & Eliæ te successorem; cum & Nabal stultus, & alij quàm plures fuerint incolæ montis Carmeli. DIRECTOR. Vellem scire, quid in hac parte te magis offenderit, & in odium excitarit, aut originalis loci dignitas; quià est Terra promissionis, lacte & melle proflua, terra regia sanctorum Regum Israël: vel te contristat fundamentum Religionis in montibus sanctis. Nàm & de monte Carmeli scribit Abbas Joachim ad Cyrillum: *Stellæ manenti in ordine suæ sanctitatis, in formulâ honestatis, in nidulo parcitatis, orbem opacum, squalidum illustranti* &c. *Cyrillo presbytero in monte Carmeli, monte sancto, monte uberrimo, paupere quidem superfluis opibus hujus mundi; quod bonum est: sed diviti gratiâ Dei: quod optimum est.* Contristat te, quod originem sumpsit in terra, in qua Christus nasci voluit, quam & pedibus calcavit, quam & sanguine suô pretiosô rubricavit: forsitan locus in quo tua Religio sumpsit initium, est illi valdè dissimilis: vel forsitàn contristat te prærogativa Patroni corporis virginei, cultoris Paradisi, & qui nondum gustavit mortem, meritis tamen egregij futuri.

Carmelitanus Ordo in Terra S. ab Elia habuit originem in Carmelo.

657. Sed ut obstruatur os loquentium iniqua, scias quod in eadem Terra sancta sint ejusdem nominis duo montes Carmeli, unus est trans Jordanum juxta desertum solitudinis: in quo latuit David fugiens à facie Saul: & in hoc habitavit Nabal, & est in sorte Juda, ut dicit Nicolaus de Lira super libros Regum: Alius est Carmelus in maritima, distans ab Achôn quatuor milliaribus: & in hoc monte habitavit Elias, & est in sorte Effraim, vel, secundùm quosdam, in sorte Ysachar: huc usque Nicolaus de Lira. Propter Eliæ sanctitatem, mons sanctus reputatus est, ipsomet asserente, & ibidem Prophetas interfici prohibente: mons inquit sanctus est. Duxit ergo Elias 450. prophetas ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi, ne mons eorum sanguine pollueretur. Illic etiam venit sibi ignis de cœlo, invocatô Dominô: Igitur te valdè stultum ostendis, si tantam Religionem à stulto credis ortam, & ignoras Canonem, qui est in principio decretorum, ubi dicitur: *Difficile est ut bonô peragantur exitu, quæ malô sunt inchoata principiô.* Hoc autem principium de Nabal esset malum; quià *omnis ignorans malus*, juxta Philosophum. Sed per oppositum dico tibi: *Nobile principium probat undique principatum.* Ex antedictis etiam perpendere potes, quòd locorum sanctitas devotionem frequentiùs augeat animorum; nam & secundùm Philosophum, plerumque *locus influit in locatum.* Ad hoc olìm respectum habuerunt, qui de Christo dixerunt: *A Nazareth poterit aliquid boni esse?* Ecce Detractor, positô quòd Elias, & Nabal simul eundem Carmelum inhabitassent, adhuc hi qui post ipsos montem inhabitaverunt, non debuerunt à Nabal denominari, sed potiùs ab Elia, cum à digniori debeat fieri denominatio. Nisi fortè stultior tu quàm Nabal velles præferre sapientiæ stultitiam, & ab illa denominari stulto-

De duplici Carmelo in Terra sancta vide parte 1. lib. 3 cap. 3. num 104. & 105.

stultorum Advocatus. DETRACTOR. Non præfero stultitiam sapientiæ: sed vellem quòd sapientèr ostenderes, quod dicis.

ANNOT (a) De Carmelo: *de illo plura videre licet hic jus à parte 1. libro 3. cap. 3. 4 & 5. & inibi in Notis.*
(b) Elias primus fundator Ord. Carmel. *Patriarchatus S. Eliæ in hunc Ordinem probatus manet satis evidenter ex dictis parte 1. ferè per totam, & confirmabitur ex plerisque dicendis hic consequenter.*

CAP. IV.

De duratione, & antiquitate Ordinis Prophetici.

658. DIRECTOR. Videtur tibi fortè quòd Religio Carmeli proficiat, & tua deficiat: sed non mireris de hoc: quià sancta Prophetissa (a) Hildegardis, quæ fuit in monte sancti Ruperti, propè Pingmeam, Moguntinensis Diœcesis; quæ & fuit contemporanea B. Bernardi, & Eugenij Papæ, prophetavit de Religiosis sub figura equorum; quià sicut equi portant homines per terras, sic & isti longè latèque portant verbum Dei, & pondus veritatis. Prædicatores, dixit equos nigros, Minores griseos, de Carmelitis verò sic dicit: *Venient equi varij coloris, sed mutatò vellere paulatim incedent: hi primi, & novissimi. Venient* inquit, supple, ad partes nostras, de ultra-marinis partibus, in quibus jam diu præfuerunt.

(a)

Hildegardis Prophetia de Religiosis.

659. Est etiam rationis, quòd ipsi sint ultimi; quatenùs veniens Elias, & adversùs Antichristum prædicans, illos quorum Patronus est, inveniat superstites in vita, quatenùs cum ipso prædicent veritatem. Et verisimile est, quòd etiam cum ipso gloriosô martyriô coronabuntur. Nam & præteritis temporibus (a) multi ipsorum in Terra Sancta per Saracenos martyrizati sunt. Nec videtur quod Deus denegare velit Religioni meæ, quod omnibus concessit. Nam & hactenùs quælibet Religio duravit ad minùs usque ad mortem sui Fundatoris, & ultra. Advertas etiam quòd plerumque, tàm in operibus artis, quàm naturæ, id quod primum est in compositione, est ultimum in resolutione, & è contra.

(a) De martyrizatis in Terra S. Vide parte primâ lib. 9 num. 414. & 448.

660. ANNOT. (a) Hildegardis. *De ista hæc inter cætera Trithemius.* * Hildegardis Abbatissa Cœnobij sancti Ruperti Confessoris, in opposito Bingensis oppidi, Virgo sanctissimæ conversationis, & à pueritia sua divinis revelationibus illustrata. *Et infrà:* Omnia autem quæ scripsit, ex revelatione divina didicit. *Verba illa ejus:* venient &c. *latiùs referuntur, & explicantur tomo 4. Annalium Ordinis: ea quandoque in sequentibus ab aliis adduci, & explicari videbimus.*

* Lib. de Script. Eccles.

CAP. V.

(a) *De Revelatione S. Petro Thomæ facta de duratione Ordinis Carmelitarum.*

(a)

661. DETRACTOR. Non possum credere tantam tuæ Religionis durationem, nisi probes meliùs. DIRECTOR. Si velis experto credere, probabitur tibi; quià proverbialitèr dicitur: experto crede Ruperto. Tempore, fœlicis recordationis, Domini Clementis Papæ Sexti fui studens in Avinione: servivique pro tunc, recolendæ memoriæ, Magistro Petro Thomæ, tunc scholas regenti, viro magnæ scientiæ magnæ famæ, magnæque opinionis, quoad sanctitatem vitæ. Cumque more solitô coram ipso dormirem in sancta nocte Pentecostes, vocibus dulcibus, & miris motibus expergefactus, repentè surrexi: de quo & ipse similitèr evigilavit. Petij tunc ab eo quid habuisset. Ipse verò noluit indicare mihi. Multiplicavi preces flexis genibus: & tandem vix obtinui, præmissô tamen juramentô, quòd non revelarem quamdiu foret ipse superstes. Et tunc dixit: In tristitia mentis, & ferventibus desideriis obdormivi, desiderans à B. Virgine Religionis meæ patrocinium, & conservationem. Ipsa mihi respondit: Petre, ne timeas, quià durabit in finem Carmeli Religio nostra; nam & pro ea supplicavit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in transfiguratione, & impetravit. Retulit ista mihi lachrymantibus oculis ipsius præ gaudio: ex quô & ego ad consimilem fletum provocabar. DETRACTOR. Numquid hujusmodi fingere potuit homo talis? DIRECTOR. Oppositum istius docet ejus finis, factus enim posteà Patriarcha Constantinopolitanus, multùm virilitèr, fidelitèr & devotè missus Legatus à Summo Pontifice juvit Regem Cypri in expugnatione Alexandriæ, & ibidem Paganorum telis vulneratus, & ad Cyprum reductus, interiit, (b) clarens miraculis, (c) martyr gloriosus. Quem si detractor tu, sicut & ego novisses, nec etiam iocosum mendacium de ipso suspicari posses; undè post mortem ipsius in ejus Epithaphio dictavi Sic:

Revelatio perceleb. is facta S. Petro Thomæ.

De duratione Ordinis Carmelit. ad finem mundi.

Iste S. Petrus Thom. fuit Patriarcha Constantinop. clarus miraculis.

(b)
(c)

Virgo Virum rege virgineum, qui Virginis almæ
Conspicuum titulum gerit, huic sibi da loca palmæ.

662. Nunc revertar ad meæ Religionis durationem. Si litteratus es, & expertus, considera, quòd in rebus naturalibus per Philosophum in libro de generatione quælibet res habet quatuor partes sui periodi; quià dividitur in ortum, crementum, statum & casum: & cujus altera pars periodi, putà crementum, fuit, aut est repentinum, pars opposita, putà casus, erit repentinus; & è converso: idipsum intelligenti patet, & experto, consideranti varios eventus hominum, tàm in congregationibus, quàm

Citò oritur plerumque etiam citò occidit: & è contra.

quam in civitatibus, tàm in Religionibus, quàm in Regnis: Luna, quæ citius aliis ab Orientis horizonte scandit ad meridiem, velociùs aliis cadit ad Occidentem. Vermis è funere petiodus est unius diei; oritur cum Sole, moritur cô Occidente. Qui citò ditatur, tàm citò plerumque depauperatur, juxta illud Salomonis: *Substantia festinata dissipabitur.* In hac materia, seu parte, nolo plus procedere, sed exercitij relinquere materiam Lectori sapienti: cum igitur repentè nimis ascenderis, cave nè pari processu vergas ad non gradum.

Prov. 13.

ANNOTATIONES.

663 (a) DE revelatione S. Petro Thomæ. *Revelatio illa insignis S. Petro Thomæ facta, & ab eo, qui ejusdem aliquatenùs particeps fuit, testificata, memoratur quoque ab aliis quamplurimis vetustioribus, & neotericis; quorum testimonia adduximus in peculiari tractatu de illa revelatione. Primus occurrit author vitæ ejus, seu appendicis ad vitam per Philippum Masserium descriptam, subjectæ. In ea autem hæc ad propositum:* Avinione dum quâdam nocte post matutina vigilaret, & Virginem Mariam attentè exoraret, ut Ordinem suum, ejusdem titulò insignitum, stabiliter personis idoneis foveret, & nè extirpare permitteret: quia quidam hoc procurare apud summum Pontificem conabantur, Cui Virgo Maria Dei Genitrix apparuit, consolans, & prædicens, nè de hoc timeret; quia statutum est apud Deum, quòd Ordo suus manebit usque in finem seculi. Nam & Elias primus Pater Carmelitarum, cum esset in monte Thabor, cum filio meo Jesu Christo, petiit, quòd Ordo suus, quem in monte Carmeli inchoavit, permaneret usque ad Adventum suum contra Antichristum: quod & eidem promissum est. Hæc dicens, Virgo Maria, continuò disparuit. Audivit hoc Frater Ordinis servitor suus. Summò mane venit ad eum, provolutus ante genua, petens sibi revelari, quæ audierat. Qui dixit ei omnia, petens ut nemini diceret, quamdiu viveret. Et S. Petrus regratians Deo, & Virgini Mariæ, Missam de ea celebravit, & secundâ die de transfiguratione Domini; eò quòd Ordinis sui memoria tunc facta fuisset.

Revelatio præmemorata facta S. Petro Thomæ à plurimis tradita.

664. *Ioannes Paleonydorus, Balduinus Leersius, & Arnoldus Bostius in Tractatibus, seu libris hic infrà sequentibus, iisdem ferè verbis, quibus ipse Ioannes Hildesheim, eandem revelationem tradunt. Ex recentioribus duos huc adduxisse sufficiat, nempè Aubertum Miræum in libro de Origine, & incrementis Ordinis hujus, cap. 6. in Epitome vitæ S. Petri Thomæ ita scribentem:* Eidem ferventiùs aliquandò pro sui Ordinis conservatione, & augmento oranti, Deipara Virgo apparuit, inquiens confidito, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque sæculi est perseveratura; Elias namque ejus institutor jam olim etiam à filio meo in illius Transfiguratione idem petiit, & impetravit. *Sic & Benedictus Gononus in Chronica SS. Virginis Deiparæ, ad annum Christi 1366. ubi hæc de S. Petro Thoma:* In nocte Pentecostes instantiùs Virginem Mariam exoravit. Cui apparens Virgo illa dixit: Usque in finem mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit. Nam Elias illius Institutor, Filio meo apparente in Trãsfiguratione, pro eadem postulavit. *In Officio Canonico à Sacra Congregatione Cardinalium iteratis vitibus approbato pro festo S. Petri Thomæ ad diem 29. Ianuarij, in matutinis lectione 5. hoc ipsum sic paucis traditur:* Pro sui Ordinis perpetuâ conservatione, & augmento frequentes ad Deum, & Beatissimam Virginem orationes fundens, intimaque inter orandum edens suspiria, ipsâ nocte Pentecostes, cum id instantiùs postularet, à Beatissima Virgine mirabili hoc responso dignatus est: confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque sæculi est perseveratura, Elias namque ejus institutor jam olim etiam à filio meo id impetravit.

665. (b) Clarens miraculis: *in vita, & post obitum; de quibus in historia vitæ ejus.*

(c) Martyr gloriosus. *An, & quâ ratione S. Petrus Thomas dici possit Martyr disservimus in Vinea Carmeli parte primâ sub finem num. 148. & sequ. Plura ad idem intentum videri poterunt apud Lezanam tomo 4. Annalium ad annum Christi 1366. num. 8. & apud Godefridum Henschenium in commentario prævio ad vitam S. Petri Thomæ §. 5. Antuerpiæ anno 1659. recusam.*

S. Petrus Thomas an Martyr dicendus, ubi dissentiatur.

CAP. VI.

(a) *De diverso habitu Fratrum Ordinis Carmelitarum, & maximè de pallio albo.*

(a)

666. DETRACTOR. Qualis fuit habitus pro tunc prædecessorum tuorum? DIRECTOR. Primus varius ad extrà, & secundus albus, ut vides. Et quià loquor tibi præpostero, priùs incipiam de albo. Fortè non legisti, quod dicit Magister in historiis Scholasticis? Quod (b) *Pater Eliæ Sabacha ante Nativitatem filij vidit viros candidatos se salutantes;* ex quo dabatur intelligi, quales imitatores eum deberent honorare in postremo. Quod cum nunciatum esset in Jerusalem, dixerunt: *Puer iste judicabit Israël in gladio, & igne.* Salvâ gratiâ illorum, hoc signum non infert pertinentèr signatum, nec est proportio candidatorum ad colorem igneum, vel ferrugineum. Igitur iste ignis congruentius exponi potest de curru igneo, in quo ascendit: per candidatos insuper, ad extrà viros convenientiùs intelligitur innocentia vitæ, & candens lux doctrinæ. Legitur enim de Socrate, quòd in nocte quæ præcessit diem in qua Plato sibi præsentabatur ad imbuendum, somniabat quod alba gallina volaret in sinum ipsius, quæ & post modicum tempus clamore celebri volavit in cœlum. Ex quo Socrates judicavit ipsum innocentem, virtuosum, doctumque futurum, & cœlo dignum. Hîc congruit illud Apocalypsis: *Ambulabunt mecum in albis; quoniam digni sunt, & non delebo nomina eorum de libro vitæ.*

(b) *Sabacha patri Eliæ apparent viri candidati ipsum salutantes.*

Vide parte 1. n. 271.

667. Consequentèr est advertendum ad istud propositum, quòd cum vir sanctus in aliquo loco scitur, vix solus habitare permittitur; sed confluunt ad ipsum plerique devoti, quatenùs per eum proficiant, & ad exemplar ipsius vivant: sic & Eliseus quamvis fuerit tamen ab Elia vocatus adhæsit eidem: *misitque Elias pallium super ipsum, & dixit: sequere me: qui secutus est eum,* & spiritum prophetandi accepit ad pallij contactum: sic & Abdias, & Jonas, sic & Joannes Baptista & quamplures alij Filij Prophetarum, Joannes etiam Baptista sepultus est inter corpora sanctorum Elisei, & Abdiæ Prophetarum, in Civitate Sebastæ, quam Herodes reparavit, ut dicit Isidorus Ethicorum lib. 15. Ex quo clarum videtur, ejusdem Religionis Joannem extitisse.

Ioann. Bapt. Abdias, & Ionas ejusdem Religionis: ideò simul sepulti.

ANNOT. (a) De diverso habitu. *Ex Ioanne Ierosolym. & S. Cyrillo Constantinopolitano, & dictis parte 1. lib. 7. cap. 5. & 6. habetur, habitum Ordinis hujus superiorem primitùs quidem album, in persecutione Saracenorum mutatum fuisse in barratum, seu variegatum: & cum ejusce modi veste Religiosi hujus Ordinis è Terra Sanctâ trans-*

transmigrarunt in Europam, ubi Pontificiâ authoritate, rejectô, palliô barratô, resumptum fuit album.

(b) *Care:* Eliæ Sabacha . . . vidit viros cand. *Visio illa ex S. Epiphanio & alijs pleniùs descripta est eâdem parte 1. lib. 7. cap. 5. & ibi in Notis.*

CAP. VII.

(a) *Quod (a) Elias, & Ioannes eundem habitum portaverunt: & de sanctitate Pallij.*

Vesti simili sunt usi Elias, & Ioan. Bap.

668. VBi etiam notandum, quod Elias, & Joannes Baptista consimili habitu utebantur, & nonnulli alij. Habitus autem illorum erat vestis pilosa, grisea, non colorata per artem, & hæc vestis dicebatur melota: undè Apostolus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Habebant etiam Zonas pelliceas circa lumbos suos: hoc de Joanne satis notum est; de quo etiam canit Ecclesia;

Præbuit hirtum tegumen camelus,
Artubus sacris, strophium bidentes,

De Elia dicitur 4. Reg. 1. *Vir pilosus, & accinctus Zonâ pelliceâ circà lumbos ejus.* Super hæc omnia consuevit Elias uti palliô, de quo fit mentio 4. Reg. 2. & in multis locis alijs. Hoc pallium ascendens Elias dimisit Elisæo; nam & antè sæpè cum illo Jordanis aquas divisit; oravit Elisæus quòd spiritus Eliæ duplicaretur in eo; respondit Elias; *Rem grandem petisti,* sed Dei virtute facilem; *verumtamen si videris me quandò tollar à te, erit tibi quod petisti.* Percussit autem Elisæus aquas palliô & non fuerunt divisæ: tunc ait Elisæus: *Vbi est spiritus Eliæ etiam nunc:* percussit iterum & fuerunt aquæ divisæ. *Dixeruntque Filij Prophetarum: Requievit spiritus Eliæ super Elisæum, & occurrentes adoraverunt eum:* feceruntque pallia similia, & habitabant cum Elisæo in Carmelo. Pro sanctitate etiam Eliæ, & pallij ipsius potest adduci quod scribit Nicolaus de Lyra super 18. cap. 3. lib. Reg. & allegat Rabbi Salomonem dicentem: quod bos adductus pro sacrificio abscondit se sub pallio Eliæ; quià detestabatur idololatriam.

ANN. (a) Elias & Joan. eundem habitum portarunt; *quod hoc Capite scribit Hildensheimensis (de similitudine vestium S. Eliæ & S. Ioannis Baptistæ) & præcedenti sub finem (Sanctum Ioannem Baptistam fuisse Sectatorem ejusdem Ordinis cum Elia) probatum manet ex dictis parte 1. libro 5. cap. 2. & ibi in notis; Sed & hæc in sequentibus confirmabuntur.*

CAP. VIII.

(a) *(a) De sancta vita antiquorum Carmelitarum.*

669. DETRACTOR. Qualis fuit eorum vita pro illo tempore. DIRECTOR. Vivebant secundùm Legem Moysi, Decalogum observantes, & veteris Testamenti traditiones pro posse perficientes: stabant sic per multos annos. Processu verò temporis, incarnatô Salvatore, & prædicante, verbum ipsius audiverunt, & fidem receperunt. Post supervenit Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, collectisque per totum montem, de Eremitis fecit cœnobitas, & ut conventualitèr viverent, ordinavit, tradens eis Regulam, quam posteà confirmari procuravit. His præmissis, tibi concludo propositum, ostendendo, quomodò Patronus fuit Elias. Ubi adverte quòd sanctum Benedictum secuti sunt multi devoti, similitèr & sanctum Bernardum ad Cistercium. Et si tales vocati sunt, Ordinis sancti Benedicti, vel Bernardi de Cistercio, cur non poterunt à principio dici Carmelitæ Fratres Eliæ de Carmelo. Nunc videre poteris quòd nullum non fingo, sed rationabilitèr causam ejus assigno.

ANN. (a) *De sancta vita alumnorum Ordinis Prophetici Eliani sub veteri lege, & qualiter ad Christi fidem conversi fuerint videri plura poterunt parte 1. libro 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 7. Cur Religiosi hujus Ordinis dicti sint* Carmelitæ, *habes eâdem parte 1. lib. 3. cap. 1. & lib. 6. cap. 6.*

CAP. IX.

Per scripta ostenditur, quòd (a) ab Elia aenominari debeamus. (a)

670. DETRACTOR. Habes fortè testimoniũ scripturarum, quòd propter omnia prædicta denominari possis ab Elia. DIRECTOR: Ecce Detractor jam sacrarum litterarum te probas ignarum; nam & juxta Philosophum, ad pauca respicientes, de facili enunciant. Do tibi Vincentium 12. lib. Speculi Historialis cap. 22. qui dicit: *Mundi contemptores insidias diaboli calcarunt, pium conflictum cum dæmonibus aggredi cupientes, vastas Eremi solitudines, ac secessus penetrare non timebant, ad imitationem Ioannis Baptistæ, Eliæ quoque, & Elisæi.* Item Hieronymus in Epistola ad Paulinum; *Noster Princeps est Elias, noster Dux est Elisæus, nostri Duces Filij Prophetarum.* Item Joannes Cassianus dicit sic: *Decet Religiosum incedere sicut constat sanctos Patres Eliam, & Elisæum in veteri Testamento ambulasse.* Consimilia verba sunt in Historia Tripartita lib. 1. cap. 12. Ad idem facit quod Isidorus libro 5. dicit. *Religiosi,* inquit, *cœnobitæ imitantur Apostolos, Eremitæ verò Eliam, & Ioannem Baptistam.*

Exemplaris Religiosæ Monasticæ, Eremiticæ vitæ Elias, Elisæus, Ioannes Baptista.

671. Consimilem ponit sententiam Josephus Antiochenus in Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ militum Christi, ubi dicit: quod *Viri strenuissimi, contemplationi dediti, sequaces Eliæ, surrexerunt, qui de monte Carmelo descendentes, per Galilæam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt.* Idipsum haberi potest ex libris Iacobi de Vitriaco, qui fuit Episcopus Achonensis in Historia Ierosolymitana dicens: Quod *Viri sancti elegerint sibi locum devotum, & proposito magis aptum, atque ad exemplum Eliæ viri sancti, & solitarij in monte Carmelo,* maximè

maximè in parte illa quæ supereminet civitati Porphiriana, quæ modò Cayphas appellatur juxtà fontem Eliæ, vitam solitariam ducebant in alvearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini dulcedinem mellificantes. Præterea scribit Gerardus Laodiceæ Episcopus in libro de conversatione virorum Dei in Terra Sancta degentium, ad Guilielmum presbyterum: quod *Aliud est genus Religiosorum qui singulatim habitant. à sæculi rebus alieni: hi sunt qui ad exemplum Eliæ silentium solitudinis præferebant tumultibus civitatis*, hæc ille. Cum igitur ex Regula Carmelitæ obligentur ad silentium,& ad vitam Eremiticam, præsertim usque ad Regulæ mitigationem; patet evidentèr, quod fuerint successores prædictorum, se conformitèr habentes ad ipsos. Videsne scripta sufficientia probantia quod Carmelitæ meritò censendi sint Fratres, & successores Eliæ.

ANNOT. (a) Ab Elia denominari debemus. *In antecedentibus, & hinc indè in sequentibus, ista hoc capite adducta, & alia plures authoritates Monastici instituti primatum, & in Carmelitici Ordinis Patriarchatum, sancto Propheta Elia perspicuè tribuentes, nec non quæ continuatam, atque hæreditariam ejusdem Ordinis ab Elia successionem efficaciter probent, adferuntur.*

CAP. X.

(a) *Quod (a) habitus varius in album fuerit mutatus.*

672. DETRACTOR. Cum in 4. Reg. scribatur, ut superiùs dixisti, quod Elias dictus est vir pilosus, quià usus fuit veste melotâ, quarè non portas talem habitum, cum sis Frater Eliæ. DIRECTOR. Clamydes cum barris septenariâ distinctione nostri prædecessores portare consueverunt: ego vidi in Francfordia annô Domini MCCCXXXVIII. Fratrem centenarium, devotum, & fide dignum, Bartholomæum nomine, qui dixit, hujusmodi varias barras in juventute se portasse, quod postea non sine causa Sedes Apostolica variavit, annô Domini MCCLXXXVII. in monte Pessulano in Capitulo Generali: nam ut ait Cassianus in libro de institutis Monachorum: *Illa præcipuè tenenda sunt, quæ vel situs locorum, vel usus Provinciæ permittit*: modernis enim temporibus incedere melotis derisionem potiùs quàm ædificationem conferret: mutandus ergo fuit habitus, juxta prophetiam S. Hildegardis, quæ dixit, *Venient equi varij coloris, sed mutatô vellere paulatim incedent.* Ex his considera, quòd habitus fuit mutandus, & non nisi in album; quia *pater Elia vidit in somnis viros candidatos se salutantes*: & quià prophetavit Isaias, quod *gloria Libani danda fuit B. Virgini.* Libanus interpretatur *candidatio*, quià candidi viri futuri fuerunt per ipsius titulum glorificandi, & eam præ cæteris glorificaturi. Præterea videtur probabile, quod ipsa B. Virgo portavit pallium candidum; cum cognata fuerit, & familiaris Angelis, qui semper in albis apparuerunt: & quià vestimenta filij tempore Transfigurationis in candorem nivium variata fuerunt. Præterea persuadetur istud ratione sic: quidquid unquam fuit apud aliquos laudabile non debet B. Virgini denegari, seclusâ tamen imperfectione: sed apud Gentiles humilem laudavit habitum Iuvenalis, & non coloratum, dicens

Barratus, seu varij coloris habitus relictus, & resumptus albus anno Domini 1287.

Pater Elia vidit viros candidos, se salutantes.

Isa. 35.

Ideò, & propter alias congruentias Carmelitani Ordinis habitus superior albus.

Sufficiunt tunicæ Summis ædilibus albæ:

igitur & hæc sibi debet attribui. Præterea Virgilius loquens de virgine, & de sæculo aureo, dicit.

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna:

sequitur.

Non varios discet mentiri lana colores:

quasi dicat, tunc non portabitur habitus ab illis hominibus per artem ad extrà coloratus. Ad hoc applicari potest quod scribitur Apocalipsis 19. *Vxor agni præparavit se, & datum est illi ut cooperiat se bissinô candidô*: Item Apocalipsis 7. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & undè venerunt? hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni, & dealbaverunt eas.* Circà istud notandum, quod Chirurgi prohibent ne tangantur vulnera pannô coloratô. DETRACTOR. Quid sibi vult illa varietas, magis congrueret viris sæculo abdicatis, & devotis, simplex habitus, quàm varius. DIRECTOR. Planum est quod Elias projecit Eliseo pallium, ut esset initium, & formula, vel incitamentum continuandæ Religionis inposterùm: ideò clamat pro tunc Eliseus: *Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga ejus.* Ubi Magister in Historiis talem Glossam ponit: 4. Reg. 2.
Auriga ejus est sustentator populi, & rector, supple, recedit à me: scidit Eliseus vestimenta sua præ dolore, & abjiciens vestem suam, ut veste Eliæ de cætero uteretur. Huc usque Magister in Historiis.

ANNOT. (a) Habitus varius in album mutatus. *Cur, & quandò habitus superior hujus Ordinis fuerit de albo mutatus in barratum, seu ex variis coloribus (albo & nigro) distinctum: atque rursus depositus ille barratus, & resumptus albus, ex S. Cyrillo, & Baboto vidimus suprà parte 1. libro 7. cap. 5. & 6.*

CAP. XI.

An varietas primùm fuerit casualis, an non. Et quod Carmelitæ Spiritum sanctum receperint cum dono linguarum.

673. DIcunt quidam, quòd pallium de curru igneo demissum tactum ab igne fuit modicum denigratum, vel discoloratum in partibus extrinsecis, sed retinuit colorem pristinum in partibus involutis. DETRACTOR. Si talis ignis potuit lædere pallium, potuit etiam lædere Eliam, quod non videtur verum. DIRECTOR. Potuit fuisse talis ignis illuminans, & non comburens, sicut fuerunt ignitæ Apostolorum linguæ, & sicut fuit ignis in fornace, qui tres pueros non combussit, nec aliquam in eis corruptionem causavit: & Rubus Moysi igne comburi videbatur, & tamen non consumebatur. Quidquid sit de hoc, si ignis ille varie-

Ignis currûs Eliæ illuminans, non comburens.

varietatem illam non fecit, potest tamen Deus multa talia disponere propter mysticam significationem; nam & in rerum natura videmus, ignem qui lædit intrinseca, & non extrinseca; liquefacit enim ignis fulminis gladium in vagina, non lædens vaginam. Sic miraculorum effector Deus, suprà naturam potest facere quòd ignis de extrà denigret pallium, & quòd non lædat hominem, vel equum: quanquam & equi tales intelligi possint mystici, vel spirituales potiùs, quàm corporales, vel materiales.

674. (a) Aliquid in hac parte latet mysticum, præsertim cum expresserit septenarium numerum, quem numerum notat Macrobius in Commento Scipionis: primùm numerum virgineum qui de se nihil gignit, & ipsa Virgo virginum *circumamicta varietate* dicitur, scilicet virtutum, secundùm Glossam. Habuit igitur pallium tres plicas griseas, & quatuor albas: tres poterant significare tres virtutes Theologicas & aliæ quatuor totidem virtutes Cardinales: vel septenarius iste partium explicatarum, & involutarum significare potest mobilitatem totius temporis, quod septem diebus vertitur, & volvitur, quousque terminetur. Igitur habitum habere talem, quô quis frequentèr moneatur, ut consideret volubilitatem temporis, videtur aliquid rationis prætendere; varietas enim illa quam arguis non est detestabilis; præsertim cum & Apostoli variis linguis locuti sint in adventu Spiritus vehementis: & multum probabile est, quod incolæ montis Carmeli tale donum linguarum receperunt ibidem. DETRACTOR. Quomodò probas, eos recepisse donum linguarum? DIRECTOR. Considera Lucam in Actibus Apostolorum dicentem sic: (b) *Erant autem in Ierusalem Viri religiosi &c.* Videtur igitur quod plures fuerint Spiritum sanctum recipientes quàm duodecim Apostoli: dabatur enim pro tunc Spiritus sanctus multis per impositionem manus, qui etiam loquebantur linguis, & prophetabant. DETRACTOR. Tu dicis prædecessores tuos Eremitas fuisse, isti verò dicuntur in Jerusalem habitasse. DIRECTOR. Considera, quod Eremitæ quoque quærunt magnas civitates, & in festis pro Indulgentiis, sicut adhuc stant in Roma in diebus multis quasi sint ibidem habitantes.

N. 44.

675. ANNOT. (a) Aliquid in hac parte latet mysticum: *Mysticam significationem septenarij numeri partium albarum, & nigrarum, quibus constabant olim chlamydes, seu pallia barrata, habet S. Cyrillus Constantinopolitanus parte primâ libro 7. cap. 6. Quantùm ad illud, quod nonnulli censuerunt pallium Eliæ per turbinem ignis descendens fuisse denigratum in partibus exterioribus, & eâ ductos ratione successores ejus barrata pallia assumpsisse, id meritò refellit Lezana in Annalibus Carmelit. Ordinis tomo 3. ad annum Christi 642.* cum ille ignis verus non fuerit, sed Angeli, ignis speciem præ se ferentes: vel esto quod ignis foret, non esset comburens, sed illuminans, sicut de igne, qui in die Pentecostes super Apostolos cecidit, dicitur. *Vide plura circa hac parte 1. lib. 7. nu. 276.*

Ignis currus Eliæ ascendentis non comburens, sed illuminans.

Lezana to. 3. Annal. ad annum Christi 642.

676. (b) Erant autem in Jerusalem viri Religiosi. *Quòd Prophetici Ordinis cultores mansionem habuerint Ierosolymis, idque in monte Sion, in loco, qui dicebatur* Mello, *& vicinam cœnaculo, in quo Christus ultimam cœnam instituit: & quòd ter per annum Ierosolymam venire solerent: quòdque die Pentecostes, quandò Apostoli acceperunt donum linguarum, etiam aliqui ex illis Religiosis Spiritum sanctum acceperint, latiùs describit vetustius Pater Ioannes Ierosolymitanus libro de Institutione primorum Monachorum: vide parte 1. libro 5. cap. 5. & 6. & ibi in notis. Quod isti* Viri Religiosi ex omni natione, & Filij Prophetarum, *de quibus in Actibus Apostolorum cap. 2. & 3. fuerint posteri, & successores Eliæ, & Elisei habetur ex dictis eodem libro 5. cap. 4. 5. 6. & 7.*

Viri Religiosi de quibus in Actibus Apost. c. 2. erant Filij Prophetarum Eliæ posteri.

CAP. XII.

Quarè non sumus ut cæteri citrà mare dilatati.

677. DETRACTOR. Cum te tàm antiquum jactes, cur alij Religiosi sunt meliùs quàm tu plantati, & dilatati, & privilegiati? DIRECTOR. Quantùm ad hoc, respondeo quod cæteri Mendicantium Ordines omnes ab ista parte maris incæperunt; ideò faciliùs dilatari potuerunt, & occupare loca plurima, & meliora: sicut Mercatores qui primò veniunt ad nundinas, vel ad forum. Prætereà tàm (a) extraneus, & ridiculosus habitus homines in tantùm exterruit, quòd vix aliquis pro illo tempore talem Religionem intrare curavit. DETRACTOR. Secundùm prædicta meliùs ultra mare deberetis esse plantati quàm aliæ Religiones, quæ de cismarinis partibus transfretaverunt, & tamen aliquæ Religiones, quas vocas modernas, meliùs ibidem sunt, vel saltem æquè benè plantatæ. DIRECTOR. Dixi tibi, quòd impedivit hoc habitus: quòd si non sufficiat tibi illa ratio, (b) do tibi aliam, videlicet vitam Eremiticam quam duxerunt; nec importunè se ingesserunt, vel urbibus intruserunt, sed hominum consortia cordialitèr fugerunt:

Ordines alij cur ab initio magis per Europam propagati quàm Carmelitani.

Ne levi saltem maculare vitam famine possent.

678. Undè sicut expertis constat * Parisius cùm pius, illustris, & sanctus Francorum Rex Ludovicus, qui vix impetratos Fratres secum duxit, in corde Villæ Parisiensis eos locare voluit; sed omninò renuerunt. Igitur ad extrà locati fuerunt, ubi nunc sunt Cœlestini; locus autem ille pro tunc à Villa plurimum distabat.

* *Olim Parisius nunc Parisij.*

679. DETRACTOR. Nondùm respondisti de privilegiis. DIRECTOR. Respondeo tibi nunc: si tu, quasi modernus, & novissimus, es meliùs aliis privilegiatus, quasi Clericus per saltum promotus, & si habes privilegiorum satietatem, non invideas aliis vetustate oblitis, sed potiùs honores eosdem, juxta Juvenalem dicentem: quod erat olim venerabile quatuor annis tantùm aliquè præcedere in ætate; quantò majore veneratione dignum est plus quàm bis millenis annis? Patet hoc etiam in veterum primogenitis, quantæ fuerit sola primitas dignitatis. Apocalipsis quinto *Seniores 24. adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Sed cave, nè veniant ursi de saltu, & lacerent te, sicut olim pueros irrisores Elisei Carmelitæ: cave nè tua privilegia vertantur in pravilegia, per invidiæ, vel arrogantiæ turpis abusum: adverte

V quod

quod in rebus humanis meliùs semper provideatur incolis, quàm advenis, & peregrinis; meliùs propè natis, vel compatriotis, quàm de longè venientibus, & ignotis: juxta illud Senecæ: *Peregrini multa habent hospitia, & paucas amicitias.*

630. ANNOT. (a) Extraneus, & ridiculosus habitus homines exterruit &c. *videlicet habitus barratus seu varij coloris, qui variis in locis ludibrio habebatur. Vide parte primâ libro 7. cap 7. num. 277. Verumtamen id admiratione dignum est, quòd, non obstante habitu illo peregrino ac ridiculoso, & quod Carmelitæ primitùs à Terra Sanctâ traducti in Europam, ibi essent advenæ, & quasi peregrini, & variis in locis Europæ oppressi, ac angustiati (sicut videre licet hic suprà parte 1. libro 9. cap. 5 & 7. nec non libro 10. cap. 1. 2. 3. & 4 nihilominùs intrà breve temporis intervallum per totam Europam propagati fuerint, & à Summis Pontificibus specialiter protecti, commendati, ac privilegiis decorati: prout constat ex dictis parte primâ libro 9. cap 4. & seq. & libro 10.*

(b) Do tibi aliam, videlicet vitam Eremiticam. *Quod hic Ordo olim fuerit magis Eremiticus, quam cænobiticus, habetur ex dictis parte prima, variis locis libro 3. cap. 7. lib. 8. c. 1. & alibi.*

CAP. XIII.

(a) ## (a) *Quarè Fratres B. Mariæ dicamur.*

681. DETRACTOR. Jam satis in hac materia laboravimus: nunc vellem, ut ostenderes, quâ ratione probes, qui te primò dixisti Fratrem Eliæ, nunc te fingas Fratrem B. Mariæ: forsitàn à Maria Ægyptiaca, vel ab alia qualicumque nomen habes, & ut solemnior appareas omnibus occultatus, hujusmodi titulum gloriosæ Virginis tibi fraudulentèr usurpas. DIRECTOR. Qui te Patronum facis, vel advocatum peccatricis, detrahis utique laudibus Dei Genitricis: qui te priùs advocatum fecisti Nabal fatui, jam nunc procurare velles honorem peccatrici, & in hoc non modicum subsannas Catholicam (quæ Spiritu sanctô regitur) Ecclesiam: si quasi delira, somnolenta, vel ebria Religionem instituit, vel institutam intitulavit nomine peccatricis, & nullum Ordinem instituit in honorem Dei Genitricis. Gentilis superstitionis olim Ministri consimiles quodammodò rationabiliùs habuerunt, qui Matri Deorum titulum, & religionem instituerunt, dicentes quod hoc ab Apollinis oraculo in responsis habuerunt: undè Ovidius in libro Fastorum.

Maria Virginis Deiparæ Ordinem Religiosum dicari decuit.

Mater abest, Matrem jubeo te Roma requiras
Cum veniet, castâ est accipienda manu.

Si minimis quodammodò Sanctis religionem ascribit, nimis in ratione deficit si Salvatoris Genitricem, vel hôc honore minùs dignam judicavit, vel ex negligentia prætermittendo non curavit: si Templarios ob reverentiam Templi materialis manu facti, vel approbat, vel instituit: si ob reverentiam sancti Sepulchri, in quo Christus mortuus jacuit, Religionem, quæ adhuc superest, ratificavit; quô pactô vivum templum Dei vivi non manufactum, quin imò Spiritus sancti sacrarium fine applicata sibi religione dimisit? Vel igitur aliam assignetis mihi B. Virginis Religionem, vel ego semper objiciam Ecclesiæ, tantæ Virginis postpositionem. DETRACTOR. Do tibi aliam Religionem B. Virginis, Dominorum videlicet, & militum de domo Theutonica, titulum Virginis habentium, & sic cessare poteris à querelis. DIRECTOR. *Qui de terra est, de terra loquitur*, qui modernus est moderna fabulatur, tu mihi das Religionem quæ ratione juventutis, vel novitatis quodammodò vagit adhuc in cunabulis: manebit igitur querela mea, vel querulosa disputatio: si plus quàm annis millenis stetit Christiferæ Mater sine veneratione specialis Ordinis, sive Religionis.

682. DETRACTOR. Ex omnibus his non demonstras quô pactô tibi titulus congruat Dei Genitricis. DIRECTOR. Do tibi primò symbolicam consonantiam vocabulorum; nonnè vocabulum ELIÆ quasi cognatum sonat vocabulo MARIÆ: ergò titulus qui primò fuit ELIÆ debuit applicari MARIÆ. DETRACTOR. Nihil curo de consonantia verbali, quæ est in vocabulis. DIRECTOR. Do tibi ergo secundò cognationem realem, quæ est in tribubus, & in personis: Elias (b) de tribu fuit Aaron, cujus virga floruit, & fructificavit: & ad litteram B. Virgo fuit ejusdem cognationis, quæ nobis mundi florem, & fructum salutis edidit: & ob hoc jure velut hæreditariô floridi montis & uberrimi nomen illud sibi vendicat. Ecce do tibi tertiam congruentiam, virginitatis in utroque. DETRACTOR. Quomodò probas Eliam fuisse virginem? DIRECTOR. Hoc tibi scripturarum ignaro sic declaro: audi namque Hieronymum, in Epistola ad Eustochium virginem, sic dicentem. *In antiqua Lege sola erat benedictio liberorum, paulatim verò increscente segete messorum immissus est Virgo Elias, Virgo Eliseus, Virgines multi Filij Prophetarum.*

Titulus Dei Genitricis Mariæ, cur competat Ordini Carmelitano rationes, & congruentia plures.

(b)

Virginitatis primatia Mariæ, & Eliæ.

683. DETRACTOR. Satis hoc probasti. DIRECTOR. Videtnè quod Virgo Virgini meritò succedere debuit in titulo; sicut olim Christo Virgini successit in cura vel in tutela Virginis Joannes Virgo? oblitus es fortè Philosophi dicentis in libro de generatione, & corruptione: quod *in habentibus symbolum facilior est transitus.* Et adverte, quòd ELIAS & ELISEUS non solum fuerunt Virgines, sed primitiæ virginum veteris Testamenti: & in MARIA inchoata est virginitas novi Testamenti quasi primiceria; & ideò facilior est transitus de primitiis veteris Legis ad primitias virginitatis Legis novæ. Et adverte symbolicam in quatuor virginibus congruentiam tàm in MARIA quàm in ELIA, tàm in CHRISTO quàm in JOANNE; quià de omnium istorum Reliquiis, vel ossibus nihil remansit in terra: quasi terra non esset digna tàm cœlestia corpora continere: quamvis opinentur oppositum nonnulli de præputio Christi, vel hujusmodi.

Virginum quatuor, symbolica comparatio.

684. Do tibi quartò rationem hujus de Capellæ constructione. Traditum tenemus à Patribus, quòd Fratres habitatores Carmeli post receptam fidem, & post gloriosæ Virginis assumptionem, Oratorium in declivio

montis

Capella prima in mundo dicata Virgini Deiparæ in Carmelo.

montis Carmeli construxerint propè fontem, qui *fons Eliæ* dicebatur, & Capellam B. Virginis vocaverunt, quià in ipsius honore fecerunt, & processu temporis consecrari procuraverunt. Et hæc fuit prima Capella quæ in honorem B. Virginis unquam fuit constructa. Andivi à fide dignis, qui dicebant vestigia Capellæ prædictæ dilapsæ se vidisse: igitur personæ B. Virgini deservientes in illa Capella, poterant utique rationabilitèr Fratres, vel Ministri B. Virginis appellari. Nam ab Ecclesia cujus sunt Ministri intitulantur Religiosi, ut habetur X. de privilegiis in cap. *Petistis*. Et ideò à tempore cujus non est memoria omnes Ecclesiæ nostræ sunt in honorem B. Virginis ædificatæ, & consecratæ per prædecessores nostros. Ecce si nihil apud te concludunt assertiones hujusmodi de præterito, do tibi quintò prophetias prædictas de futuro: cum enim olim Isaias de gloria futuræ Virginis prophetaret inter cætera dixit: *Datus est ei decor Carmeli.*

Ecclesiæ Carmelitanæ ferè omnes specialiter consecratæ in honorem B. V. Mariæ.

685. DETRACTOR. Undè probas quòd hæc verba de B. Virgine sint dicta. DIRECTOR. Scripturarum ignare vide Glossam Canticorum 7. & invenies quod dixi. Prætereà vide Beatum Bernardum in sermone de Beata Virgine qui incipit; *Loquamur aliquid de laudibus B. Mariæ Virginis*, ubi dicit, *data est ei juxta verbum Isaiæ, gloria Libani, decor Carmeli & Saron: Decor Carmeli (sicut loci cujuslibet) sunt insignes, & sancta persona locum talem inhabitantes, sicut & decor concha est pulchritudo margarita*: talis pulchritudo B. Virgini datur, cum Religio talis cum tali titulo sibi specialitèr adscribitur, vel applicatur: *Decor* igitur *Carmeli* sibi datur, cum quidquid fuit unquam in Carmelo decoris, illi totum applicatur, vel attribuitur. Sed nihil unquam fuit ibi majoris decoris quàm Elias, & alij Prophetæ, & eorum sequaces, ibidem decentissimè viventes. In eodem sermone dicit Beatus Bernardus quod est *Magistra Religionis*. DETRACTOR. Habes hoc de S. Bernardo quod talis decor intelligendus sit in illis verbis? DIRECTOR. Quomodò B. Bernardus aliquid expressiùs diceret; cum ipse Religionem illam ignoraret; quià nondum transiverant mare Fratres: & ut magis intelligas, adverte, quòd sponsus charitate plenus, eam dulcitèr alloquitur Canticorum septimo: *Caput tuum ut Carmelus*: quod & ibidem Glossa de B. Virgine exponit; caput enim, cujuslibet rei principale est: *Caput* igitur Virginis est *ut Carmelus*, aut ut in Carmelo moram trahens: hominum cœtus est qui principalitèr debet attribui sibi: & ponitur ibi continens pro contento, sicut sæpè fit in scripturis. Videtur igitur verisimile quod & B. Virgo locum illum, qui decor ipsius dicitur, corporali præsentiâ suâ plerumque decoraverit; quià prophetiæ aperiuntur perfectè, & non distat Nazareth à Carmelo nisi tribus milliaribus.

Decor Carmeli datus B. Virgini Mariæ.

Decor Carmeli Elias, & alij Sancti, qui in Carmelo vixerunt.

Caput tuum ut Carmelus appropriatur B. Virg. Mariæ: quæ illum suâ etiam præsentiâ decoravit.

686. DETRACTOR. Habesne plura, quibus posses propositum tuum roborare? DIRECTOR. (c) Do tibi sextò sanctum Cyrillum presbyterum Societatis Carmeli, qui postea factus est Alexandrinus Episcopus, qui præsedit Ephesino Concilio trecentorum Patrum, tempore Theodosij Junioris, & Cælestini Papæ primi: in quo sanctus Cyrillus Nestorium, qui Beatam Virginem non Dei, sed hominis matrem dixit, disputando confutavit, & authoritate Concilij condemnavit; & ibidem B. Virgo primò dicta est *Theotocos* Græcè, quod est *Mater Dei* Latinè, prout habetur in libro Venerabilis Bedæ de temporibus Conciliorum: & tunc dicebant omnes, quòd non immeritò talis Frater Mariæ diceretur; eò quòd pro ea tàm gloriosè decertasset.

(c)

S. Cyrillus Alexandr. B. Virginem Mariam Theotocos dicendam decrevit: Nestorium confutavit.

687. Si tibi non sufficiant ista, do tibi septimò talem congruentiam. (d) Traditum tenemus à Patribus, quòd primus Conventus Ordinis post montis Carmeli Collegium fuit in loco qui *Porta Aurea* dicitur, in quo Joachim, & Anna convenerunt, & in illam conjunctionem consenserunt ex qua gloriosa Virgo concepta fuit, & nata; quasi B. Virgo diceret: ibi meritò debent morari Fratres mei, ubi primò tractatum est de conceptione mea.

(d)

Porta Aurea Ierosolymis antiquus Carmelitarum Ordinis Conventus.

688. Octavò considera quantum ad istud propositū, quòd ad hoc R.mi (c) Domini Cardinales respicientes, à multis temporibus consueverunt in Romana Curia visitare Conventum nostrum in Festo Conceptionis gloriosæ Virginis, venerantes in hoc Patronam Ordinis, sicut venerari consueverunt B. Dominicum in ipsius Festo, & S. Franciscum in suo, & sanctum Augustinum in suo.

(c)

Conceptionis B.V.M. festo Cardinales soliti convenire ad conventū Carmelit.

689. ANNOT. (a) Quare Fratres B. Mariæ dicamur. *De titulo illo, & de Capella in Carmelo prima in mundo dicata B. Virgini Mariæ, dictum satis est in antecedentibus parte 1. libro 6. cap. 5. & quandoque tractatio erit in sequentibus.*

(b) De tribu Aaron . . . B. Virgo ejusdem cognationis. *Circa hoc vide Notas in Viridarium Ioannis Grossi, hic supra num. 557.*

(c) Do tibi S. Cyrillum præsbyterum Societatis Carmeli, qui postea factus est Alexandrinus Episcopus. *De S. Cyrillo quondam incola montis Carmeli, ac deinde Alexandriæ Præsule plura videre licebit, tomo 2. & 3. Annalium Ordinis, & quandoque de eodem agetur in sequentibus.*

690. (d) Traditum tenemus à Patribus, quòd primus Conventus Ordinis post montis Carmeli collegium fuerit in loco, qui Porta Aurea dicitur. *Lezana tomo 2. Annalium ad annum Christi* 40. *num. 4. circa præfata verba annotat:* Potuit autem hic Pater hanc novam mansionem primum Conventum Ordinis, post montis Carmeli Collegium appellare; quia vel fuit primus in Lege nova, post receptum ab Elianis Christi Euangelium, vel quia fuit primus sub titulo forsan B. Virginis de monte Carmeli; prout relata ipsius indicant verba, cum sub hoc tempore primum eô titulô cognominari cœperint. *Cæterùm quoad Conventum Ordinis hujus Ierosolymis in loco dicto* Porta Aurea, *Sanctæ Annæ nuncupatum, Lezana dicto loco num. 7. ex vetustioribus Ordinis historicis tradit* mansionem illam, seu monasterium in Porta Aurea, Sanctæ Annæ nuncupatum, renovatum fuisse à S. Helena circa annum Christi 326. & quod illud sequentibus temporibus semper celebre fuerit: *prout etiam constat ex vita S. Angeli, scripta ab Enoch Patriarcha Ierosolymitano: in qua cap. 3. legitur, Parentes S. Angeli in Ecclesia illius Conventus sepulturæ traditos: ipsumque S. Angelum, & ejusdem Fratrem Ioannem in illo Monasterio habitum Religionis suscepisse. Fuit etiam Abbatia Monialium Ordinis S. Benedicti ad honorem S. Annæ Genitricis Matris Domini, juxta locum in quo B. Virgo Maria nata fuisse perhibetur: de qua* Iacobus de Vitriaco. * *Cæterùm quoad locum conceptionis, & nativitatis*

De Conventu Ordinis Carmelit. Ierosolymis.

* Iac. de Vit. in hist. Jerosol. c. 58.

V 2

tis B. V. Mariæ, multorum sententia est, esse Nazareth. Quamvis hæc opinio probabilis valdè sit, probabilior tamen censetur ea, quæ asserit Jerosolymis natam esse *inquit Lezana tomo primo Annalium Carmelit. ad annum mundi 4037. ante Christum 16. num. 3. ubi utriusque fundamenta, & authores præcipuos adducit*

691. (c) Domini Cardinales à multis temporibus consueverunt. *Quòd festum Conceptionis B. Virginis Mariæ olim in Ordine hoc solemnissimum, & Eminentiss. DD. Cardinalium, ad Ecclesiam Ordinis (ubi curia Pontificia erat) convenientium, præsentiâ decorari solitum fuerit, habetur quoque ex aliis Ordinis Scriptoribus, & Annalibus, & de hoc plura videri poterunt in Vinea Carmeli parte 3. cap. 24.*

CAP. XIV.

(a) *De professione & (a) Ordinis confirmatione.*

Professionis formula in Ordine Carmelit. declarat titulum FF. B. V. M.

692. DIRECTOR: Non ò facit ad propositum Religionis professio, cujus formulam semper Juniores à Senioribus receperunt: sicut in constitutionibus antiquis reperitur in hac forma. *Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo* &c. sequitur: *Et Priori Generali Fratrum Ordinis B. Mariæ* &c. Quandò incœpit hæc forma nulla penitùs est memoria. Si igitur non sumus *Fratres B. Mariæ*, vel si nulla talis est Religio, cassa, vana, & irrita est professio nostra: igitur nihil obligamur, & nulla est obligatio. Sequitur ultrà, quod statum talem, vel habitum dimittere poterimus absque peccato. Ecce detractor, hîc te probas apostatici spiritus tyrannide plenum; quià vis omnibus hanc Religionem professis apostatandi ministrare materiam, vel occasionem: frustrà niteris, & fatigando nonnisi odium quæris, quod est extremæ dementiæ, secundùm B. Hieronymum: ut enim ait B. Bernardus in sermone de Epiphania: *Herodiana malitia est, extinguere velle Religionem.*

693. DETRACTOR. Nondùm te credo demonstrasse quòd propter prædicta meritò *Frater B. Virginis* dicaris. DIRECTOR: Credis quod velim tibi dare demonstrationes quales docet liber posteriorum, quas & Religio tua nequit ostendere, quas nec in Evangeliis poteris reperire. Nodum in scirpo quæris, quem non invenies, & per gratiam Dei nunquam invenies quod quæris: Religionem quæris extinguere cujus radices vetustas jam ferè centrum terræ, ratione tàm longævi crementi contingentes, evellere nequibis. Non legisti, credo, Lactantium, qualitèr in libro de falsa sapientia laudat Ethnicum Ciceronem, qui cum multa dixisset ad eversionem Religionum, tamen addidit, illa vulgo non esse publicanda, ne susceptas publicè Religiones disputatio talis extinguat: & allegat ibi quendam, Lucretium nomine qui dixit: se velle solvere nodos Religionum. Tu verò, sicut alter Lucretius, quidquid nos lucramur tuis velles lucris adjungere: pertinentiùs omnia quasi stercora putares, ut Christum lucrifaceres, si tamen tibi vivere Christus esset, & mori lucrum. Tardè credita lædunt, credimus, ait Ovidius.

694. Ecce do tibi decimò diversas confirmationes Ordinis à multis Summis Pontificibus: cum igitur dicis Ordinem non confirmatum in Jure communi, probas te Juris inscium, quem dudum in originalibus reperi, simul & in Chronicis inexpertum. Nonne legisti Bonifacium in sexto libro dicentem: *Quia Institutio Ordinis Generale Concilium præcessit, volumus ipsum in statu solido permanere.* DETRACTOR. Vidi libros in quibus erat scriptum: *in statu solito, non solido volumus Ordinem remanere.* DIRECTOR. Si hoc vidisti, fortassis hoc tibi similes, invidi scripserunt: quod autem non debeat dici *solito*, sed *solido*, patet per Glossatores Guidonem Joannem Monachi, & Joannem Andreæ. Et advertas quod Bonifacius illam clausulam, *donec alitèr de ipsis decreverimus* totalitèr abjecit, & in Decretali non ponit. Igitur Ordo non stabit in tali tolerantia, sed in consolidatione perfecta; Testis hujus est Joannes Monachi in Glossa, ubi dividit prædictam Decretalem *Religionum diversitatem*, in quinque partes, dicens: *Quarto Eremitarum & Carmelitarum Ordines consolidat.* Guido dicit: *Iste Ordo est totalitèr confirmatus.* Vides jam quòd non debet scribi *solito* sed *solido*. Joannes Andreæ super eodem textu dicit: *Hæc littera mutat antiquam illam tollerantiam, ubi dicebatur in suo statu &c.* Et advertas quòd etiam si poneretur *solito* hoc adhuc nihil obstaret confirmationi; cùm & status Ordinis nostri solitus qui præcesserat, fuerit solidus, & confirmatus. Considera nunc, Detractor, si sapis, an Ordo sit in Jure confirmatus, an non. De Ordine tuo dicitur: Utilitas eos perhibet approbatos: si subtilis es grammaticus, doce quod approbatio plus importat quàm consolidatio.

Confirmatio Carmelitani Ordinis in jure, & à variis Pontificibus.

695. Prætereà do tibi undecimò privilegia Ordinis, & exemptiones. Stultus es valdè si non confirmatum dicis cujus privilegia non vidisti. Advertas igitur quod Dominus Joannes XXII. & etiam Clemens VI. faciunt ambo mentionem de illo Jure, & dicunt: *Nos autem ad dictum Ordinem specialem gerentes affectionem, quem in firmo statu, solido, ac stabili volumus permanere &c.* Consimilem declarat ejusdem Canonis conditor Bonifacius VIII. in quibusdam privilegiis datis Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini: qui; quantùm ad hoc, nobiscum de pari currunt: *Ordinem* inquit *vestrum quem olim voluimus, & volumus in firmo, solido, & stabili statu permanere &c.* DETRACTOR. In prædictis omnibus præcisè dicitur, *volumus* & non ibi *confirmamus*. DIRECTOR. Respondeo tibi: cum dicitur *volumus* stabilem habet firmitatem. Extravagante de verborum significatione: in his autem etiam ejus est interpretari legem, cujus est condere. Et scias, quòd hæc privilegia, quæ nobis data sunt, & quæ nos prætendimus, scripta sunt sic, & sonant: *Dilectis Filiis Priori Generali, cæterisque Fratribus Ordinis Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli &c.* sequitur in privilegio exemptionis Domini Joannis XXII. prædicti: *Sacer Ordo vester in agro Dominico plantatus, & gloriosa B. Mariæ Virginis titulo specialitèr insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur*

tur attolli &c. Si tu mihi dicis: non es Frater B. Mariæ Virginis; Apostolicus, quod absit, mentitur; aut tu, quod non absit, mentiris,

Semper & in ævum tua dat mihi venia nęvum
Et mendax mihi das tua per mendacia mendas:

696. Doce tu alios *Fratres B. Mariæ de monte Carmeli*, & ut advocatus illorum agas pro illis contrà nos, quatenùs reddamus eis hujusmodi quæ nobis non debentur. O quam præsumptuosè sanctam blasphemas Ecclesiam Catholicam: numquid non *habet in scrinio sui pectoris Dominus Papa Iura singula, & negotia Statuum*, concernentia fundıtùs universa: credis delirum Summum Pontificem fuisse, quasi mathematicam, fictam, pictam, non fundatam confirmare velit, & insignire privilegiis, & exemptionibus Religionem! Credis, quòd Dominus Papa personis fictæ Religionis velit dare gratiam, quatenùs in Theologia vigorosè valeant magistrari, ut & currant in hoc tecum de pari. Necesse est igitur ut quorum initia bona fuerunt, finis optimus est subsecutus, ut ait quidam: sed scias quod propter omnes articulos prædictos, & propter multos alios, non Apostolicam Sedem (te tamen ut æstimo) latentes, eadem Sancta Sedes Ordinem nostrum constantèr, *de monte Carmeli* vocavit, titulóque *gloriosæ Dei Genitricis Mariæ Virginis*, & non peccatricis insignivit. Erubesce Sydon, ait mare: erubesce peccatricis advocatus, ait Frater B. Mariæ. Vidisti nè Decretum cap. 22. q. 1. ubi dicitur: *Quod Sedes Apostolica approbat, approbatum est.* Miror si nescis quantùm ponderat etiam simplex verbum Papæ; cum Papa sit stupor mundi, & interjectio admirationis.

Papa dicitur in scrinio sui pectoris habere singula jura.

ANNOT. (a) De Ordinis confirmatione. *De illa satis dictum parte 1. libro 10. & sæpiùs sermo redibit apud alios hìc subsequentes.*

CAP. XV.

De qualitate Regulæ nostræ & aliorum.

697. DETRACTOR. Nihil adhuc de Regula tua dixisti: non sunt nisi tres Regulæ approbatæ, DIRECTOR. Ecce nunc duodecimò tecum de Regula volo disserere: tentabo denique si de irregulari te possim facere regularem. Credis Papam confirmasse Religionem Regulâ carentem? Nullus Ordo confirmatur sine Regula: sed nec Regula confirmatur si non sit aliquis qui Regulâ utatur. Nescis quod artes omnes habeant Regulam, imò secundum Philosophum in decimo Methaphisices: *In omni genere est reperire unum primum & maximum, quod est metrum, & mensura, & quasi Regula omnium aliorum*: sic unitas est mensura regulans numerum, & sic de aliis. DETRACTOR. Vellem scire quam Regulam, vel quem vivendi modum tu professus esses, utrum aliquam de tribus illis, vel non. DIRECTOR. Adhuc modernus puer es vagiens in cunabulis, & garriens de modernis: ideò dico tibi, quòd in tota Religione Christiana non est, vel fuit unquam nisi una Regula, cujuslibet indirecta regiminis regitiva: & ut altiùs reperam, Regula talis incæpit in tempore prothoplasti; fuit enim Abel hujus initiator, qui fuit religiosus, & regularis frater; cujus frater Cain, tibi similis, irregularis: processit hæc Regula, & usque ad Philosophos (qui stabant in puris naturalibus) pervenit, qui virtutes morales, quasi vivendi normam, elegerunt, & formam, undè Architemius:

Regulam habent omnes artes.

Regula est mensura cæterorum.

Regula piè vivendi quando incæperit.

Ratificatque virum declivem Regula virtus:

Et Valerius Maximus: *Si virtus per se ipsam consideretur, est optima vitæ magistra*; undè ulteriùs invaluit vivendi Regula Moysi, & filiis Israël, per Deum tradita, & scripta: hanc Regulam nostri prædecessores ad unguem observantes, millenis annis, & ampliùs tenuerunt: tunc, vergente mundi vespere supervenit Incarnata veritas, & humana bonitas: quæ perfectissimam datam Regulam, vel dabilem, in qua cæteræ, sicut trigonum in tetragono, continebantur, tradidit, *incipiensque facere & docere* multis actibus, & exemplis *ostendit esse factibile quod dixit*. Hanc Regulam Christus Apostolis principalitèr, & consequentèr omnibus renatis injunxit: hanc etiam sibi regulam nostri, quasi perfectiorem omnibus, assumpserunt: præsertim cum Virgo Christifera, ab hac Regula nunquam deviasse credatur. De hac Regula Paulus loquitur dicens: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos.*

Regula vivendi Philosophorum virtutes morales.

Regulam perfectissimam Christus tradidit.

698. DETRACTOR. Non respondes mihi ad propositum quam Regulam habeas de prædictis omnibus. DIRECTOR. Dico, & dixi, quòd Regulam Apostolicam; imò dico tibi, quod (a) non est nisi una Regula perfectionis, & perfecta in tota Religione Christiana, quæ est Regula Evangelica, & Apostolica, quam utique gloriosa Virgo secuta est. Et hæc eadem est Regula Sancti Augustini, & Sancti Francisci, & aliorum: quantùm ad S. Augustinum probo propositum, de ipso namque canit Ecclesia & legit: *Cæpit vivere secundùm Regulam à sanctis Apostolis institutam.* Videsne quod Regula sancti Augustini est Regula sanctorum Apostolorum, & non alia. Idipsum dico de Regula sancti Francisci de qua fit mentio X. de verborum significatione. *Exijt qui seminat*: ubi in principio dicitur: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*: in his tribus punctis omnis regula Christiana consistit.

(a) Regula una, eademque in Christiana Religione.

Illa est Evangelica, & Apostolica.

Quam fuit tradiderunt S. Augustinus, S. Franciscus & alij.

699. DETRACTOR. Nimis amplecteris, & ideò nihil constringis, plures sunt Religiones non Mendicantes super possessiones, & divitias fundatæ: sicut Regula S. Benedicti, Cisterciensium, Præmonstratensium, Hospitaliariorum sancti Joannis, & etiam de domo Theutonica, ergo tales non sunt fundatæ in paupertate. DIRECTOR. Dico quòd in omnibus Religionibus prædictis, & consimilibus, observari debet ex institutione, vel ex primis componentibus, talis, vel tanta paupertas, quòd nullus

Ordines Religiosi omnes in paupertate fundati.

dos: Verè signum est, quòd gloriosa Virgo Maria vult habere servitium perpetuum in area tua, ubi sæpiùs est blasphemata. Dixit Judæus: Quid igitur faciam? Respondit Sacerdos, divinitùs edoctus: In hac villa Fratres B. Mariæ Virginis Conventum nondùm habent, quibus aream tuam dabis, & baptizatus Ordinem eorum intrabis. Judæus igitur, habitâ deliberatione, singula complevit. Fratres igitur vocati venerunt, locum acceperunt, Judæum cum uxore, & liberis baptizari, & locum secretò consecrari procuraverunt, & campanam erectam pulsaverunt.

705. Quod ut Officiatus Regis Franciæ, Capitaneus villæ, percëpit, advenit, præcipiendo Fratribus ut exirent: quod cum facere nollent, circumdedit eos fortibus clausuris, & inclusit. Nihil igitur de victualibus habuerunt præter id quod homines devoti nocturnis temporibus ipsis per scalas, vel aliundè ministraverunt, complentes in hoc opera misericordiæ, in quibus dicitur: *In carcere eram, & visitastu me.* Habemus autem Antiphonam: *Ave stella Matutina, peccatorum medicina &c.* quam in Laudibus canimus, in qua continentur hæc verba: *Tu nos in hoc carcere solare propitia*: quam cum, juxta morem, elevatis oculis ad B. Virginis imaginem, devotissimè decantarent, omne illud quod eos exire prohibuit, corruit, sicut muri Jericho quondam corruerunt. Oculi verò Capitanei, qui ipsos incluserat, per nervos in maxillis pependerunt, sedes proprias exeuntes: cumque nunciaretur Capitaneo quod factum esset, respondit: benè habeo partem meam: fecit igitur se duci ad locum Fratrum, & coram Altari prostratus petiit orationem ipsorum: Fratres verò Beatam Virginem Mariam invocantes alacritèr, *Salve Regina* decantaverunt: & cum venirent ad istum locum: *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, confestìm oculi prædicti Capitanei, loca pristina, cunctis qui aderant videntibus, reintraverunt. Intravit igitur Capitaneus Ordinem nostrum cum substantia sua tota. Multis igitur ibidem B. Virgo cœpit coruscare miraculis, & adhuc multiplicitèr coruscat, ut sciunt homines qui sunt in partibus illis. Ibique non parvi valoris ædificatus est Conventus ad honorem Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, cujus nomen sit benedictum in ævum.

Carmelitæ inclusi canentes Ave stella Matutina *mirabiliter liberati.*

Salve Regina dum canitur stupendum miraculum.

Tholosæ olim B. V. Maria multis corusca miraculis.

706. Prætereà grande miraculum contigit ad propositum apud montem Pessulanum, qui locus à Tolosa non multùm distat: mons ille mari vicinus est, & ob hoc sunt ibi majores, & frequentiores tempestates: Cives igitur quatenùs minùs per hoc læderentur in quodam turris eminentis pinnaculo multas Reliquias includendo posuerunt: inter quas erat magna pars ligni Crucis Christi. Semel posteà tempestas magna venit, pinnaculum fregit, Reliquias per campum dispersit. Exierunt ergo Canonici principalioris Ecclesiæ, sacris induti, cum crucibus, & processione, quatenùs Reliquias requirerent, & reportarent: cumque lignum Crucis prodentibus radiis, invenissent, & tollere vellent, saltavit procul, & levari noluit: cumque sequerentur, iterum saltavit, similitèr & sæpiùs fecit: tentaverunt hoc alij Clerici, Religiosique diversorum Ordinum, qui tollere non potuerunt.

Mons Pessulanus tempestatibus subjectus.

Crucis Christi pars radiis micantibus proditur.

Saltat de loco in locũ, nec ab ullo accipi potest.

707. Habebant pro tunc nostri Fratres ibidem locum novum, & erant penitùs in re pauperes, & in bona vita locupletes. Erat autem inter eos quidam Frater excellentis devotionis, qui reliquis Fratribus dixit: vadamus & nos pro ligno Domini; nam & in hac nocte B. Virgo mihi per visionem locuta est: Volo quòd Fratres mei soli tollant Crucem Filij mei. Processerunt igitur humili cruce, & humili habitu, nec sanctum Lignum, ut anteà, saltavit, sed se quasi spontè capi permisit. Fratres itaque læti Dominicum Crucis Lignum cum Canonicis ad Conventum portaverunt, & retinuerunt: ubi etiam cæpit coruscare miraculis, nec cessat usque in præsentem diem.

Nisi tandem à Carmelitis.

Respice Detractor convictus ubiquè Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:

708. Quæ stas absque nisi Rosa de prato Paradisi,
Religione soror, pietate Parens, tibi do cor:
Da Detractori (scis qui detraxit honori)
Mentem contritam, dulcem illi da, rogo vitã.
Inclyte salve Pater, Carmeli Rector, Elia:
Hunc, jam nunc, Mater sibi vendicat ecce Maria.
Ordo virgineis binis valet iste Patronis
Et Paradisicolis, cæli terræque colonis.

709. Qui Carmelitã te scis, terrã fuge vitam
Nomina si sentis; ex ter tribus est Elementis
Vox tua: tres primæ sunt *Car*: tres immediatæ
Mel, formant, mediæ: tres dant etiam reor imæ,
Optimè Frater *ità*, sonat affirmatio trita.
Vult *Car*, quod careas carie, stans in charitate.
Sit mens *mel*lita memorans virtute polita
Te formes per *ità*: sit & affirmatio vita.

Carmelitæ nominis moralis significatio.

710. C Nota candoris, Carmelique atque Cyrilli
A Abdi. Andrea. Angelus, atq; Albertus uterque
R Designatur claustralis Regula vitæ
M Verò Mariam tribuit mundi medicinam
E Primi Patres Elias atque Eliseus
L Linguam nobis commendat strictè silentem
U Vult virgineis, reor, invigilare trophæis
(b) S Dat supernæ professis commoda vitæ
S. Est salvificus Prior: est & vita superstes
S. Stat pro signo de subveniendo sodali.

Carmelus litteraliter quid innuat.

(b) *Allusio ad Scapulare, ejusque prærogativas.*

711. (a) ANNOT. Primò scias, quod apud Urbem Tholosam. *Miraculum istud, & sequens de ligno S. Crucis referunt quoque Balduinus Leersius in Collectaneo exemplorum cap. 11. & 12. & Arnoldus Bostius libro de Patronatu B. Virginis cap. 8.*

712. (b) S. dat supernæ. *Isti. & bini sequentes versus alludunt ad Scapulare, & (qui illud accepit) B. Simonem, atque ad Sabbatinam Bullam, & ejus singulare privilegium, quò Religiosi professi, nec non Sodales, seu Confratres sacri Scapularis (si servanda servaverint) è pœnis Purgatorij citò liberati, superna commoda vitæ assequuntur. Sed de illis peculiariter agetur in parte tertia.*

COM-

COMPENDIVM

Historiarum & jurium pro defensione Institutionis, Confirmationis, & intitulationis Ordinis B. Virginis MARIÆ de monte Carmeli

PER

IOANNEM BACHONEM:

QVI EIVSDEM ORDINIS PROVINCIALIS IN ANGLIA, CELEBERRIMA OPINIONE DOCTRINÆ CLARUIT TEMPORIBVS IOANNIS XXII. SVMMI PONTIFICIS, & LVDOVICI BAVARI IMPERATORIS.

LIBER III. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio prævia de Authore.

713. *Ioannis Bachonis eruditio eximia.* A*Bbas Trithemius libro de scriptoribus Ecclesiasticis, sic de illo, & scriptis ejus censet:* Joannes de Bachone, Anglicus, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & tam in jure Canonico, quam in Philosophia seculari egregiè doctus, in Gymnasio Parisiensi non minus conversatione, quàm scientiâ clarus effulsit. *Et infrà* scripsit multa, & insignia volumina: *Quæ ibi consequenter enumerat, & inter alia Opuscula recenset:* Defensorium Ordinis sui *(cujus initium ponit)* BEATVS BERNARDVS. *Peculiariter scriptum contra eos, qui Ordinem hunc non esse confirmatum calumniabantur. Ibidem duorum aliorum opusculorum de Ordine mentionem facit. Sixtus Senensis lib. 4. Bibliotheca Sancta hoc eum elogiò commendat:* Joannes Bacho Anglicus, Ordinis Carmelitarum, Theologorum sui temporis Princeps. *Pitseus de illustribus Angliæ scriptoribus sic eundem collaudat.* Ex illo Ordine Anglia (quantumvis doctissimorum Carmelitarum ferax) vix huic unquam produxit parem; imò vix Orbis Christianus illâ ætate doctiorem.

714. *Scripsit de Ordine Carmelis Opuscula tria.* *Plura de ingenio pracellenti, & scriptis ejus reperiet lector in parte 5. hujus Speculi, & in Annalibus Ordinis tom. 4. ab Anno Christi 1329. (quo Angliæ Provincialis omnium suffragiis electus fuit) usque ad annum 1346. (quò ad alteram vitam abijt.) Ibi inter ejus lucubrationes tria de ordine suo Opuscula recensentur, videlicet* Compendium historiarum, & jurium &c. *Quod incipit:* Beatus Bernardus: *& alius Tractatus à nonnullis nuncupatus* Speculum de Institutione Ordinis ad venerationem Virginis Deiparæ, *cujus initium est:* In primis attende: *& tertium super Regulam Ordinis, quod incipit:* Cujuslibet Religionis titulus. *Tres isti Tractatus extant in antiquo Speculo Ordinis excuso Venetiis anno Domini 1507. & correctiùs in vetusto codice MS. Conventus Mechliniensis, exarato per Ioannem OudeWater anno 1484. Duo priores hic proximè subsequuntur. Tertius commodius subjungetur explicationi Regulæ.*

COMPENDIVM.

Historiarum, & jurium pro defensione Institutionis, confirmationis, & intitulationis Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmeli.

PRÆFATIVNCVLA AVTHORIS.

715. *Primum contra Ordinis detractores.* BEatus Bernardus in quodam Sermone, quem fecit de laudibus B. Mariæ, eam specialiter laudat per decorem Carmeli, dicens: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* In suis igitur Carmelitis, Deô inspirante, & ipsâ adjuvante, contrà dicti Ordinis detrectatores, non per fabulas, sed per res gestas ipsam laudare disposui, per novem particulas procedendo.

PARTICVLA PRIMA.

(a) *De loco, ubi Ordo Carmeli incœpit.* (a)

716. ORdo Carmeli incœpit in monte Carmeli, ubi Elias Propheta habitare consuevit, secundùm quod dicit (b) Vincentius in Speculo historiali libro 30. cap. 23. *(b) Carmelus locus originis Ordinis Carmelitani.* Et hoc idem contestificatum est à multis Romanis Pontificibus: qui in Regula bullata sic scribunt: *Priori, & Fratribus, qui in monte Carmeli, juxta fontem Eliæ morantur, salutem, & Apostolicam benedictionem.* Nec credendum est, Carmelum Eliæ eundem esse, qui est Carmelus Nabal; nam secundùm Hieronymum super Isaiam,

Isaiam, mons Carmeli, in quo oravit Elias, est mons inter Phœnicem & Palæstinam. Et, ut habetur in *Catholicon*, Nabal Carmelus mons est Galilææ, & concordat Magister in historiis primi Regum Capitulo XXV.

717. ANNOT. (a) De loco, ubi Carmeli Ordo incœpit. *De Carmelo, in quo hic Ordo originem traxit, & ejus situ, ac commoditate ad vitam Monasticam, Eremiticam, & quantis miraculis per S. Eliam decoratus fuerit, abundè actum est suprà parte primâ hujus Speculi, lib. 3. cap. 3 & seq. ac ibi in Notis.*

(b) Vincentius in Speculo historiali: *Verba ejus ad hoc propositum sunt.* Idem quoque Honorius Papa Regulam Eremitarum Fratrum habitantium in monte Carmeli, quem Elias frequentasse legitur, approbavit ..... Post hoc anno Domini MCCXXXVIII. propter Paganorum insultus compulsi sunt ab illo loco per varias Regiones mundi dispergi. *De illa Regula approbatione per Honorium III. & alios actum est parte 1, lib. 8. cap. 4. De Ordine afflicto per Saracenos, &, eâ de causâ, translato in Europam vide eâdem parte 1. lib. 9. cap. 3. & 4.*

PARTICVLA II.

De Antiquitate Ordinis Carmelitarum.

718. ORdo Carmeli tantâ fulget antiquitate, quòd de hoc in jure non extet memoria. In decreto enim Lugdunensis Concilij, quod incipit *Religionum diversitatem*: fit mentio de Lateranensi Concilio, & tunc subditur ibidem: *Carmelitarum Ordinis Institutio, dictum generale Concilium præcessit*: nec ponit certum tempus suæ præcessionis: per quod patet quòd ab antiquo præcessit; quia de ejus Antiquitate in jure non invenitur memoria. (a) In primâ insuper Constitutione dicti Ordinis, editâ ab antiquo, invenitur. *Quod à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum montem Carmelum inhabitantium, Viri contemplativi in eodem monte successerunt: & Fratres de Carmelo erant nominati*; ac (b) *post Christi incarnationem Capellam in honore Beatæ Mariæ erexerunt, & ejus titulum elegerunt.* Et hoc testimonium validum est à jure; quia in Decret. XIV. q. II. Scriptum est in Capitulo *super prudentia*, quod *Monachi possint testificari in causâ sui monasterij*: & redditur ratio ibi: *Quia illi potissimùm in testes sunt assumendi, qui eadem negotia tractaverunt.*

(a) *Antiquitas Ordinis à temporibus SS. Eliæ, & Elisei.*

(b) *Quorum successores post Christi adventum Capellam Deiparæ ædificarunt.*

ANNOT. (a) In prima insuper Constitutione edita ab antiquo &c. *Videlicet per S. Brocardum. Vide parte prima in Appendice § 6. Quod autem à temporibus Eliæ & Elisei, eorum discipuli, viri contemplativi, hæreditariâ successione jugiter persliterint in Carmelo, & aliis Terræ Sanctæ locis, tàm sub Lege veteri, quàm nova, manifestum satis est ex dictis eâdem parte 1. lib. 3. cap. 5. & sequentibus libris, & confirmabitur ex dicendis.*

De istis Const. edit. ab antiquo vid. parte 1 num. 522. & 524.

(b) Post Christi Incarnationem Capellam in honore Beatæ Mariæ erexerunt. *De ea videri plura poterunt eâdem parte 1. lib. 6. cap. 5. & lib. 8. cap. 2. & utrobique in Notis.*

PARTICVLA III.

De Origine ejusdem Ordinis.

719. (a) ORdo Carmeli exemplum contemplationis à cuneo prophetarum apparet accepisse, & Eliam Prophetam tamquam Patronum cum Filiis Prophetarum elegisse, & sic ortum habuisse (Magister enim in historiis primi Regum decimo dicit, quòd Samuel fuerit primus qui constituit Conventum Religiosorum, & vocabatur Cuneus Prophetarum, quorum Officium fuit Deum contemplari) postea verò adhæserunt Eliseo viri contemplativi Filij Prophetarum: ut habetur quarti Regum cap. 2. Hanc insuper contemplationem, quam Cuneus & Filij Prophetarum inchoaverant, Carmelitæ (ut de facto notum est, nec non & Vincentius in Speculo historiali ubi suprà testatur) in Carmelo, quem Elias Propheta inhabitavit, (b) sequaces continuare curaverunt.

(a) *Origo Ordinis Carmeli à SS. Prophetis Elia, & Eliseo.*

Quorum sequaces Ordinem in Carmelo continuarunt. (b)

720. ANNOT. (a) Ordo Carmeli exemplum contemplationis à Cuneo Prophetarum apparet accepisse. *Lyranus in libri primi Regum caput 10. circà illa verba*: Ecce Cuneus Prophetarum obvius ei, *scribit*: Vocantur hic Prophetæ, homines devoti, & Religiosi, quos congregaverat Samuel ad laudandum Deum, & cum hoc spiritum prophetiæ saltem aliqui eorum, habebant. *Hugo verò Cardinalis sic habet*: Dicebatur Conventus eorum cuneus, quasi coeuneus, à coëo coïs, quod est, convenio, convenis; quia simul conveniebant, & simul manebant, & dicebantur jugitèr Deum laudare. *Sed inter istos Prophetas tempore Samuelis non erat cœlibatus, sive castitatis observantia, quam invexit, & superaddidit Elias: & in ea Elianum institutum superavit id quod à Samuele erat inchoatum; atque ità Elias fuit primus Institutor, Dux, Princeps Monastici Ordinis, de cujus substantia est castitas.*

Samuelis, & Eliæ institutum in quo differant.

(b) Sequaces continuare curaverunt. *De continuato jugitèr, & indesinentèr Instituto illo Eliano in Carmelo, peculiaritèr actum est in parte prima per totam: in qua Ordinis institutio, & continuata successio traduntur. Illa autem jugis successio etiam stabilitur Summorum authoritate Pontificum, disertè adstruentium de hoc Ordine, quod ab* Elia & Eliseo hæreditariam successionem teneat: *& hujus rei etiam testis est Ecclesia, seu Capella illa in Carmelo, post Christi Incarnationem Virgini Deiparæ dicata, de qua jam statim in particula secunda.*

PARTICVLA IV.

De Regula.

721. ORdo Carmeli accepit Regulam ab Alberto Jerosolymitano Patriarcha, quam multi Romani Pontifices postea confirmaverunt: ut dicit Vincentius in Speculo historiali ubi suprà; & patet in multis bullis, quas habet Ordo prædictus. Sed quia aliqui minùs periti dicunt, eam non esse Regulam, sed vivendi formulam; discant priùs quam loquantur, quòd forma vivendi à Regula non distrahit, sed Regulam definit. In decretis enim distinctione tertia sic scribitur: *Regula ex eo dicta est, quod rectè vivendi normam præbeat.* Sunt igitur idem hæc tria: *Regula, norma, & forma vivendi,*

Regula, norma, & forma vivendi idem sunt.

vendi, ut patet ex decreto allegato. Et ut omnibus modis pateat, dictum Ordinem Regulam habere sub omnibus istis nominibus confirmatam, Romani Pontifices eis Regulam tradiderunt. Primò enim Honorius Papa Regulam tradidit sub nomine Normæ, ut patet in quadam Bulla antiqua, quæ Londonij habetur, ubi sic scribitur. *Honorius servus servorum Dei* &c. Ut *normam regulariter à bona memoria Ierosolymitano Patriarcha editam* &c. *Observetis, in remissionem vobis injungimus peccatorum.* Item Innocentius IV. confirmavit eis Regulam sub nomine Regulæ in principio. Et in fine sub nomine formæ vivendi, ut patet in Bulla sua.

ANNOT. *De Regula Ordinis ab Alberto Patriarcha ex libro Ioannis, sui Prædecessoris, concinnata, & à pluribus Summis Pontificibus approbata, & confirmata, dictum est satis parte 1. lib. 8. cap. 2. & sequenti usque ad finem.*

PARTICVLA V.

De Intitulatione Ordinis nomine B. Mariæ de monte Carmelo.

722. ORdo Carmeli intitulatur titulò *Beata Maria* per plura privilegia Apostolica: ut patet privilegia Ordinis invenienti. Et hoc est testimonium quod perhibet Dominus Papa Joannes XXII. in privilegio exemptionis dicti Ordinis, dicens: *Sacer Ordo vester in agro Dominico plantatus, & gloriosa Virginis Mariæ titulò specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.* Et hoc sufficit; quia *quod Sedes Apostolica approbat approbatum est*, ut habetur in Decretis quæstione XXIV. prima *Hæc est fides.* Item in quodam tractatu, quem feci super Regulam dicti Ordinis, intitulationem illam congruam probavi; eò quòd singula puncta in Regula contenta imitationem habeant ad puncta similia in vita B. Mariæ: ut ibidem per singula puncta deduxi.

Ordo Carmeli titulò B. V. Mariæ insignitus.

ANNOT. *De titulo illo* Gloriosæ Virginis Mariæ *ab antiquo Ordini attributo, & per plures Pontifices confirmato, atque etiam sic Ordinem, vel Religiosos nuncupantibus, Indulgentias concedentes, plura reperiet Lector in præcedentibus Parte 1. lib. 6. cap. 5. & ibi in Notis, nec non in Defensorio Ioannis Hildesimi hic ante cap. 13. atque in sequentibus sæpè. Quin imò ferè semper omnes Pontifices in suis Bullis eò titulò Ordinem compellant, sicut in Bullario Ordinis videre licebit.*

PARTICVLA VI.

De Habitu Ordinis Carmelitarum.

723. ORdo Carmeli congruè habitum accepit secundùm eum quem Elias portavit. Legitur enim de Elia, quod ipse portavit pallium, ut habetur quarti Regum capitulo secundo. Modus Religiosorum, qui in Terra Sancta habitaverunt, fuit, signum distinctivum gerere in palliis suis, ut patet de Hospitalariis, & Templariis, & Bethleemitis. Et adinstar hujus, Carmelitæ habuerunt pallium cum barris griseis. Processu temporis Carmelitæ cappam albam sine barris à Sede Apostolica susceperunt: quod ante ortum Eliæ erat prognosticatum: Legitur enim in historiis ad quarti Regum II. quòd Sabacha, Pater Eliæ nondum nati, vidit in somnis viros candidatos se salutantes. Et prognosticatio illa congruè correspondebat præsenti tempori. Iam enim statutum est in libro tertio Decretalium de vitâ & honestate Clericorum, quòd Clerici & Religiosi non gerant habitum varij coloris.

Habitus ejus similis ei quem tulit Elias.

ANNOT. *De habitu Ordinis, mutatione pallij albi in barratum, & resumptione capparum albarum actum est luculentèr satis Parte 1. lib. 7. per totum. De pallio autem albo, & barrato cap. 7. & 8.*

PARTICVLA VII.

(a) *De Confirmatione ejusdem Ordinis jure Divino.*

724. ORdo Carmeli à principio fuit confirmatus jure Divinô, id est, divinâ inspiratione: ex hoc enim patet, Christianam Religionē Divinâ inspiratione fuisse constitutam; quia nullâ persecutione, aut legis editione dissolvi poterat: prout actuū quinto, volentibus Religionem Christianā destruere, dixit Gamaliel: *Sinite illos, quoniam si est ex hominibus consiliū hoc, aut opus, dissolvetur: Si verò ex Deo est, non potestis dissolvere illud; ne fortè & Deo repugnare videamini.* Idem est de Ordine Carmelitarum; semper enim Deô disponente, in sua antiquitate processit: nec per Saracenorum persecutionem, nec per leges editas contra Religiosos poterat dissolvi, ut patet tertio libro decretalium, in Rubrica de Religiosis domibus, in Capitulo *ne nimia*: & idem patet in eadem Rubrica de Concilio Lugdunensi, & in sexto Decretalium Capitulo: *Religionum diversitatem.* Secundò fuit Ordo Carmeli confirmatus jure Regulæ, Christi, & Apostolicæ Institutionis; Regula enim Christi, & Apostolorum fuit, vivere in communi, & in paupertate, ut patet in Euangelio, & actibus Apostolorum, & in Decreto XII. q. 1. Capitulo *Dilectissimis.* Sed Ordo Carmeli hanc vitam in communi, & in paupertate sibi elegit, ut patet in Regula eorum bullata, & in prædicto Decreto Lugdunensis Concilij, & in Decretali in sexto libro, ubi inter Religiosos mendicantes approbatos computatur.

Confirmatus est Iure Divinô.

Et Iure Regulæ Christi.

ANNOT. (a) De confirmatione Ordinis jure Divinô. *Illa de confirmatione Ordinis hujus jure Divinô ubertiùs pertractat Ribotus hic suprà Parte 1. lib. 10. cap. 5. Quòd autem, ut loquitur Bacho* Deo disponente in sua antiquitate processerit: nec per Saracenorum (*aliorumve tyrannorum, etiam sub Lege veteri*) persecutionem, nec per leges editas contra Religiosos (*scilicet in Conciliis Generalibus Lateranensi, & Lugdunensi, in quibus variæ Religiones fuere extinctæ*) potuerit dissolvi, *manifestum reddunt dicta Parte 1. lib. 7. cap. 1. & libris 9. & 10.*

PARTICVLA VIII.

De Confirmatione ejus jure Canonicô, & Communi.

725. ORdo Carmeli fuit confirmatus jure Canonico, & jure communi, & primò jure primariæ Institutionis; Jerosolymitanus enim Patriarcha, ut præmissum est, Regulam eis tradidit, & confirmavit ante Lateranense Concilium; & hoc bene potuit suo jure ordinario; quia in Concilio Lateranensi, primò fuit Institutio Religionum Sedi Apostolicæ reservata, ut patet 5. libro Decretalium, Rubricâ de Religiosis domibus Capitulo ultimò & V. libro Rubricâ de sententia Excommunicationis Capitulo *nuper*. *Quod non est reservatum intelligitur esse concessum*. Et istam institutionem ordinariam ab Alberto Jerosolymitano Patriarcha testatur Vincentius in Speculo historiali libro vigesimo septimo, Capitulo trigesimo tertio. Confirmatus est insuper jure communi canonicæ ratificationis; licèt enim Lateranense Concilium novas Religiones prohibuerit inveniri, tamen quas invenit ordinariâ potestate institutas, non reprobavit. Et hoc est à jure ratum haberi: quia jura solum in futurum volunt cavere: & specialiter circa statum Religionum Mendicantium: ut patet sexto libro Rubricâ de Excessibus Prælatorum, capitulo primo. Religiosi mendicantes ex tunc nova loca non recipiant sine Sedis Apostolicæ Authoritate. Quia tamen receptionem in præterito non reprobat: quod factum est, firmum, & ratum reliquit.

Et jure Canonico, ac communi.

ANNOT. *De confirmatione Ordinis hujus jure Canonicô plenius tractatum est in parte 1. lib. 10. cap. 6.*

PARTICVLA IX.

De Confirmatione illius jure Canonico speciali.

726. ORdo Carmeli approbatus est jure specialis approbationis Sedis Apostolicæ; Religio enim tunc est approbata, quandò habet Regulam traditam sibi à Sede Apostolica, ut patet quinto libro Decretalium Rubricâ de Excessibus prælatorum Capitulum *nimis pravâ*: Et in Decretis vigesimâ quartâ quæstione *Prava*. Sed Ordo Carmeli habet Regulam à Sede Apostolicâ sibi traditam, & confirmatam ab Honorio tertio, & Gregorio nono, ut testatur Vincentius in Speculo Historiali, ubi suprà libro vigesimo septimo Capitulo CXXVII. & ab Innocentio quarto, & Alexandro quarto, & Nicolao quarto, & Urbano quarto eandem habet confirmatam; ut patet in Bullis suis. Confirmatus est etiam jure specialis decisionis, & diffinitionis: dictus enim Ordo, ut prædictum est, ante Lugdunense Concilium à Sede Apostolica per multos Romanos Pontifices erat confirmatus. Sed sequens Lugdunense Concilium, dictum Ordinem manere concessit, donec Romanus Pontifex aliter de eo provideret. Bonifacius vero octavus, ut patet in Rubrica Extra. de Religiosis domibus, Capitulo *Religionum diversitatem*, totam illam clausulam *donec* resecavit: Et sic ad firmum & solidum statum, quem priùs à Sede Apostolicâ habuerat, reduxit. Et per hoc patet, contrà malevolos detractores, quòd etsi littera sexti libri haberet *in solito statu eos volumus permanere*: cum *solitus status* eorum qui præcessit per Sedem Apostolicam *solidus* erat, & *firmus*, quòd adhuc cum deleta sit clausula *donec* in solido, & approbato statu permanebunt. Et nihilominùs est certum, quòd debet scribi *solido*, id est, firmo, prout dicunt omnes tres glossæ, scilicet Domini Joannis Monachi, Guidonis, & Joannis Andreæ. Tertiò confirmatus est jure specialis mentionis; vult enim jus, quod cum in Privilegio alicujus specialis fiat mentio de aliquo jure, quod illud jus ei valet, pro quo inducitur: Sed Dominus Joannes Papa vigesimus secundus in privilegio exemptionis tangens istud jus sexti, dicit sic: *dictum Ordinem in statu firmo, solido, & stabili decernimus, & volumus permanere*. Et omnes tres glossæ libri sexti Decretalium hoc probant: quia ista Constitutio Bonifaciana subtrahit totam suspensionem, quæ fiebat per clausulam *Donec*, & correxit Constitutionem Lugdunensem, verba immutando tolerantiæ illius Concilij, quæ dicebant *Carmelitarum Ordinem in suo statu permanere concedimus* & addendo nova verba perfectæ confirmationis, dicens, *Carmelitarum Ordinem in solido statu volumus permanere* correctio, & mutatio, & additio non haberent effectum; quia *remanere in solito statu* per tolerantiam erat eis concessum per verba Lugdunensis Concilij, ubi dicebatur: *In suo statu permanere concedimus*. Sunt ergo verba Bonifacij ista: *Carmelitarum Ordinem in statu solido volumus permanere*. Et hoc dicit expressè tertia glossa Domini Guidonis (quæ comprehendit duas præcedentes) sic: Iste Ordo est totaliter confirmatus.

At etiam jure Canonico speciali.

ANNOT. *Ista omnia in parte 1. lib. 10. in ultimis capitibus duobus luculentiùs declarata existunt.*

TRACTATUS

De Institutione Ordinis Carmelitani ad venerationem B. Virginis Deiparæ.

Authore eodem Ioanne de Bachone.

CAPITULUM I.

Quod secundùm Prophetas Fratres de monte Carmelo specialiter Originem habuerint pro veneratione Virginis Deiparæ.

727. IN primis attende, quod Beata *Maria* per Carmelum decoratur & commendatur: cum enim Isaias de Christi incarnatione prophetaret, promisit quod sola Virgo ipsum foret paritura, pariterque DECOREM CARMELI possessura. Unde de Virgine dicitur Isaiæ 35. *Solitudo florebit sicut lilium*, & sequitur: *Datus est ei decor Carmeli.* Sic de ea Glossa hæc exponit Cant. 1. & Bernardus Sermone *loquamur*, dicens: *Datus est ei decor Carmeli, dum virtute altissimi est obumbrata, & sine corruptione fœcundata.*

Decor Carmeli *datus B. Virgini Mariæ.*

728. Per Carmelum commendatur; Salomon enim commendans pulcherrimam mulierum per Carmelum ait: *Quam pulchra es, & quam decora charissima!* (a) *Caput tuum ut Carmelus.* Cant. 7. Sed & hæc de Beata Maria canit Ecclesia. Et quia per Carmelum honoratur, & commendatur; dignum est quod in Carmelo ei dato Carmelitas habeat eam specialiter venerantes: & sic habuit ab antiquo; nam prophetiæ per facta aperiuntur. Sed & Saul in Carmelo Beatæ Mariæ dato fornicem suum triumphalem, id est signum victoriæ erexit, 1. Regum 15. Elias ibi sacrificavit 3. Regum 18: Et Achab per hoc, experimento ibi didicit, quis esset Deus. Eliseus ibi sedem suam collocavit 4. Regum 4. Ecce quot Prophetas & Reges habuit Carmelus, eorum factis Dominam loci Beatam Mariam venerantes.

Cujus etiam caput ut Carmelus *deprædicatur.* (a)

729. (b) Pro veneratione quoque Beatæ Mariæ in ejus Carmelo continuanda, orta est Fratrum de Carmelo Religio. Veneratio enim, quæ fit in locis Sanctorum, ipsis sanctis sub Deo attribuitur; ut de veneratione dedicationis: de Consecrat. dist. 3. capit. *Pronuntiando.* Sed licet omnes salvandi tempore Prophetarum filium Beatæ Mariæ venturum venerati sint, secundùm Augustinum in Epistola vigesimanona ad Deo gratias. (c) Fratres tamen de Carmelo tempore Eliæ & Elisei venturum venerantes in Carmelo Beatæ Mariæ Religionem suam inceperunt, (d) ut habetur in historia de Antiquitate Ordinis.

(b) *Ad ejus venerationem institutus est Ordo à Carmelo nomen habens.* (c) (d)

730. Ad ejus igitur venerationem originem habuerunt: & antiquis Patribus Ordinis de ortu ejusdem tempore Prophetarum, credendum est. Nam *in negotiis Ecclesiarum illi potissimùm in testes assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt.* Ita decima quarta quæstione primâ *super prudentia.* Et huic antiquæ ejus venerationi in Carmelo consonant Prophetæ. Generalis planctus Prophetarum est: si Carmelus sit desertus habitatoribus, aut si ejus honor ab eo auferatur. Jeremiæ 2. & 4. Isaiæ 16. Amos 1. Micheæ 7. & Naum 1 Ergo in spiritu Dei generaliter optant Prophetæ, quod post Eliam & Eliseum Beata Maria à Carmelitis semper in Carmelo sibi dato honoretur: quod verum est ratione tituli, licèt recedere cogerentur. Sicut Patriarcha Jerosolymitanus in Ecclesia Jerosolymitana semper sedem suam tenere censetur licèt compulsus alibi moram trahat.

Et semper continuatus post Eliam, & Eliseum.

731. ANNOT. (a) Caput tuum ut Carmelus. *Ista ab Ecclesia, in Ecclesiastico Officio B. Virgini Deiparæ attribuuntur, sicut etiam à Scriptoribus passim illa:* Datus est ei decor Carmeli.

(b) Pro veneratione B. Mariæ in Carmelo continuanda, orta est Fratrum de Carmelo Religio. *Quod, & qualitèr S.P. Elias Ordinem suum Propheticum ad honorem Virginis Deiparæ, in typo nubeculæ præcognitæ, instituerit, pleniùs describitur Parte primâ hujus Speculi lib. 6. cap. 1 & ibi in Notis.*

(c) Fratres de Carmelo tempore Eliæ & Elisæi venturum venerantes, in Carmelo B. Mariæ Religionem suam incæperunt. *Hinc S. Methodius Episcopus Tyri in Homilia Festi Purificationis, alloquens B. Virginem Deiparam:* Puritatis etiam tuæ Elias Propheta præscius, atque imitator in spiritu cum esset. *Idem addit de S. Eliseo. Absdubiè uterque suis discipulis eandem venerationem, & imitationem tradiderunt, & commendarunt. De Ordinis hujus institutione ad venerationem Virginis Deiparæ vide parte primâ lib. 6. cap. 1. & 2. atque inibi in Notis.*

(d) Ut habetur in Historia de antiquitate Ordinis. *Ea est liber de Institutione primorum Monachorum insertus parti primæ. Vide plura de illo libro in Parte prima num. 2 & 3. & sequent. Liber ille etiam quandoque nuncupatur:* Religionis hujus antiqua Institutio: *aut* antiquissima Institutio. *Vide parte primâ n. 315. & 356.*

CAPITULUM II.

Quòd Elias, & Eliseus dici Carmelitæ B. Mariæ meruerunt.

732. (a) IN Carmelo Beatæ Mariæ dato, Prophetæ Elias & Eliseus Patres nostri inhabitabant III. Reg. XVIII. quart. Regum I. & IV. Et benè: (b) isti enim Prophetæ filium Beatæ Mariæ præfigurabant. (a) (b)

Christus filius Mariæ suscitavit filium viduæ: Lucæ

Quinimmultu Christum præfigurarunt. Lucæ VII. sic Elias III. Regum XVII. Christus jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Matthæi IV. Sic Elias III. Regum XIX. Christus vivus ascendit in cœlum. Actorum primo. Et Elias raptus est in paradisum IV. Regum II. Christus impugnavit Diabolum Scripturis Matthæi IV. Sic Elias Antichristum Apocalypsis XI. Christus meruit conversionem omnium ad Deum. Joannis XXIX. Sic Elias in fine universos convertet ad Christum Malachiæ IV.

Alia ejus multa miracula habentur III. Reg. XVII. XVIII. XIX. & XXI. capitulis.

Christus baptismô sanctificavit aquas Matthæi III. Eliseus sale aquas pessimas, & mortiferas sanavit IV. *Regum* II. Christus panes multiplicavit *Ioan.* VII. Eliseus de modico Oleo omnia vasa, usque dum deficerent, implevit, IV. *Reg.* IV. Christus in vita & post mortem mortuos suscitavit *Ioan.* XI. & *Matthæi XXVI.* Sic Eliseus IV. *Reg. IV.* Alia ejus multa miracula habentur IV. *Regum* II. III. IV. V. VI. VIII. XIX.

Quia igitur isti Prophetæ in Carmelo, venerationi Beatæ Mariæ intitulato habitabant, rectè Carmelitæ B. Mariæ intitulandi erant. Ex loco enim, & Sancto, cui locus intitulatus est, Religiosi intitulantur, sicut Hospitalarij ab Hospitali S. Joannis de Privileg. Capitulo Tuarum.

ANNOT. (a) In Carmelo B. Mariæ dato Prophetæ Elias, & Eliseus Patres nostri inhabitabant: *Ista ex sacris Litteris, & Patribus certissima sunt; hinc & fons in Carmelo nuncupatur.* Fons Eliæ. *Plura circa hæc videri poterunt Parte 1. nu. 98. & seq.*

(b) Isti Prophetæ Filium B. Mariæ præfigurabant. *Quod SS. Prophetæ Elias & Eliseus typi perfectissimi fuerint Christi Domini accuratè, & sigillatim confirmatur à Iacobo Saliano, in Annalibus veteris Testamenti, & in vita utriusque, Francofurti nuper edita.*

CAPITVLVM III.

Rectè Romani Pontifices hunc titulum Fratres Ordinis B. MARIÆ de monte Carmelo *in suis Bullis expresserunt.*

733. IN hoc Carmelo, ad imitationem Carmelitarum B. Mariæ Eliæ & Elisei, successerunt Fratres de Carmelo, juxta fontê Eliæ, (a) in Cellulis parvis contemplationi vacantes, ut patet in historia Jerosolymit. Cap. LII. & in Speculo historiali libro XXXI. Et ex hoc intitulantur, *Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli.* Ex loco enim & sancto, quo prædecessores in Religione fuerunt intitulati, intitulantur Successores: de verborum significationibus Abbate.

Rationes cur hic Ordo nuncupetur: B. Mariæ de monte Carmeli.

(b) Post incarnationem quoque Oratoriũ in Carmelo sub titulo Beatæ Mariæ erexerunt. Propter hoc ab eâ rectè intitulati sunt. Ex Ecclesia enim, cujus sunt ministri, intitulantur Religiosi: ut à templo Templarij: de Privilegiis cap. Patistis.

Regulam insuper habent imitantes vitam Beatæ Mariæ: ut patere potest intelligenti ejus vitam Euangelicam, & Regulam bullis sex Romanorum Pontificum munitam. Et à Regula à sancto sumpta, intitulantur Religiosi: sicut Monachi S. Benedicti XVIII. quæst. 2. cap. *Perniciosam.* Et Dominus Papa in privilegio Exemptionis ait. *Sacer Ordo vester, gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.*

ANNOT. (a) In cellulis parvis contemplationi vacantes. *In cellulis scilicet separatis, seu dissitis: de quibus actum sæpè in Parte prima. Hinc in Historia Ierosolymitana de Carmeli incolis scribitur: Quòd* in alvearibus modicarum cellularum tanquam apes Domini spiritualem dulcedinem mellificarent.

(b) Post Incarnationem Oratorium in Carmelo erexerunt. *De illo Oratorio, quandò & quò locô ædificatum fit vide Parte 1. lib. 6. cap. 5. & ibi in Notis: de quo etiam alibi sæpiùs.*

CAPITVLVM IV.

Rectè Romani Pontifices, & jura Canonica Regulam Ordinis, & Institutionem ab antiquo approbare decreverunt.

734. ORdo Carmelitarum ab antiquo Regulam habuit à Jerosolymitano Patriarchâ & hoc valuit à jure; cum non extiterit reservatum: & hæc Institutio præcessit Lateranense Concilium sexto de Religiosis domibus cap. 1. & in eodem Concilio hæc Religio & Regula fuerunt approbatæ, sicut & omnes Religiones & Regulæ Lateranense Concilium præcedentes. De Constitutionibus cap. XI. & ultimo: ubi tantùm inventio novarum Regularum & Religionum fuit interdicta: de Religiosis domibus cap. ultimo.

735. Postmodùm in Concilio Lugdunensi fuit Ordo in suo statu reservatus; cum clausula *donec.* Sed infrà breve tempus editus fuit sextus liber Decretalium, in quo Dominus Papa se referens ad antiquam ejus Institutionem à jure clausulam *donec* resecavit; & Ordinem iteratò solidavit, dicens: *Carmelitarum Ordinem, cujus Institutio Lateranense Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* In sexto de Religiosis domibus capite *Religionum diversitatem.* Sic ponderant omnes tres Glossæ: Cardinalis dicit: *Hic Papa istum Ordinem consolidat.* Glossa dicit: *sic Ordo iste est totaliter confirmatus.* At idem Joannes Andreas: *Et in privilegio exemptionis Papa dicit: Ordinem vestrum titulô Beatæ Mariæ insignitum; in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere.* Cum dicitur *volumus*, perpetuæ sententiæ habet firmitatem. De verborum significatione. Cap. *In his.* Et idem Papa, qui sanctos Ordines Prædicatorum & Minorum instituit, Regulam Carmelitarum ab antiquo traditam confirmavit, & Successor ejus, ut habetur in Bullis Apostolicis, & in Speculo Historiali lib. 30. cap. 23. Ordines, & Regulæ approbatæ à Papa in jure pro approbatis habentur. De Excessibus Prælatorum cap. nimis. 1. & 2. & de Electionibus cap. significasti.

ANNOT. *De varia Ordinis hujus approbatione, & confirmatione dictum satis parte primâ lib. 10. ferè per totum: & in Tractatu proximè præcedenti particulâ 7. 8. & 9.*

INFORMATIO

Circa originem, intitulationem, & confirmationem Ordinis Fratrum Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmeli (a) ad Dom. Petrum Corsinum Cardinalem immediatè, & per eum ad Summum Pontificem Auctore BERNARDO OLERIO ejusdem Ordinis Generali.

LIBER IV. PARTIS SECUNDÆ.

Notatio Prævia.

736. *Gesnerus, Possevinus, & alij hac de Authore, & scriptis ejus referunt:* Bernardus Olerius Hispanus Magister Carmelitarum scripsit de Conceptione Virginis librum unum, ad Urbanum VI. de Antiquitate Ordinis sui &c. *Tractatus ille, seu Relatio, ad informandum summum Pontificem, conscriptus fuit circa annum D. 1376. Vt in Annalibus Ordinis ad illum annum annotatur his verbis:* Circa hoc tempus, cum impugnationibus, noster Ordo (non obstantibus Universitatis Cantabrigiensis favorabilibus decretis) obviare deberet, pro majori firmitate ad Sedem Apostolicam recurrere decrevit. Quia autem Purpuratos inter PP. unus erat Petrus Corsinus Florentinus, nostri sancti Andreæ Corsini consanguineus, ac propterea Ordini devotus; ideò ad ipsum pro Papa informando, relationem scripsit Generalis Bernardus Olerius de tribus punctis, scilicet de Successione Ordinis ab Elia, & Eliseo, Titulo Beatæ Mariæ Virginis, ac Confirmatione ejusdem. Quorum veritatem dilucidè, doctèque ostendit, testimoniis, authoritatibusque, & rationibus; prout conspicitur in Speculo Ordinis à fol. 53. usque ad 56. Quia tamen sub hoc anno, ut diximus, Papa, & Curia, ex Avinione Romam transferri cœpta sunt, annôque sequenti eò pervenerint; & immediatè proximô mors Papæ subsecuta est, ideò suspicamur, informationem prædictam solùm pro Urbano Sexto successore Gregorij deserviisse; ac proindè ipsum providè datis diplomatibus præsenti negotio pro nostrorum defensione occurrisse. *Ità ibi. Et hac ratio est, quòd licèt scriptus esset tempore Gregorij XI. tamen ad Vrbanum VI. directus memoretur à præfatis Gesnero, Possevino, & alis. Vrbanus VI. pro confirmatione Intitulationis hujus Ordinis concessit omnibus Christi fidelibus indulgentiam trium annorum &c. nuncupantibus hunc Ordinem titulo* B. Virginis Mariæ. *Vide parte primâ num.* 529.

Impugnatio Ordinis Carmelit. scripti hujus Tractatus occasio.

PRÆFATIO.

737. AD informandum vestram Reverendiss. Paternitatem super tribus articulis: Primò videlicet super imitatione & Successione Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli ab Elia & Eliseo sanctis Dei Prophetis: Secundò super Intitulatione ejusdem Ordinis à Beata Maria Dei Genitrice: & Tertiò super Confirmatione ejusdem Ordinis in jure communi, & positivo. Super quorum articulorum declaratione, cum prohibitione contrariæ assertionis, humilis Prior Generalis Ordinis prædicti Domino nostro Papæ humilitèr, & devotè supplicat; pro eo quòd quidam, quærentes quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi, in aliquibus partibus populū Dei informarunt, quòd dicti Fratres noviter fingant successionem suam ab Elia & Eliseo Prophetis: secundò, quòd idem Ordo non habeat Beatam Dei Genitricem in Patronam specialem: & tertiò quòd Ordo prædictus in jure communi minimè sit confirmatus; & proindè nec Fratres ejusdem Ordinis, Religiosi sint dicendi. Ratione cujus infamationis Fratres ipsius Ordinis plura patiuntur opprobria, & derisiones, ad scandalum populi, & ad inquietudinem animarum suarum. Quare Reverendiss.^mæ Paternitati Vestræ Prior Generalis Ordinis prædicti humilitèr supplicat, & devotè, quatenùs, ob reverentiam Dei, & Matris ejus gloriosæ, & (b) ob contemplationem, piæ memoriæ, Domini Fesulani, vestræ Reverendissimæ Paternitatis consanguinei, & Fratris ejusdem Ordinis, dignemini, pro informatione, Domino nostro facere relationem: ac ejusdem informationis benignô favore supplere defectum, quô per Reverendissimam Vestram Paternitatem (in qua prædictus Ordo habet confidentiam specialem) dicta supplicatio valeat obtineri.

Eò quod Ordo diceretur non ab Elia, nec B. V. Mariam Patronam habens, nec confirmatus.

738. ANNOT. (a) Ad D. Petrum Corsinum *Vghellus tomo 3. Italia sacra * hac de illo:* Petrus è nobilissima Corsinia familia, filius Thomæ, Doctoris, ac sacri Palatij Auditoris, ante Volateranensis Episcopus, ad Florentinam Ecclesiam translatus est anno 1361. 3. id. Decemb .... Ab Urbano inter purpuratos adlectus est sub titulo sancti Laurentij in Damaso anno 1369.

** Agens de Archiep. Florentinis col. 198.*

(b) Ob contemplationem piæ memoriæ Domini Fesulani. *Is est S. Andreas Corsinus, Episcopus Fesulanus, ex hoc Ordine assumptus: qui sanctitate illustris cœlum adijt anno Domini 1373. Fastis Sanctorum adscriptus per Vrbanum VIII.*

AR-

ARTICULUS PRIMUS

De institutione, ac successione Ordinis à S. Propheta Elia.

739. QUantum igitur ad primum articulum, dignetur vestra Reverendis. Paternitas scire: Quòd, secundùm Magistrum in Historiis, sanctus Propheta Samuel Conventus Religiosorum in Judæa primò instituerit: quorum Conventus *Cuneus Prophetarum* ac ipsi Religiosi *Filij Prophetarum* in Sacra Scriptura nominantur, ut dicit Nicolaus de Lyra super secundum Capitulum quarti libri Regum. Postmodùm verò, tempore Achab Regis Israël, surrexit quidam Propheta, de tribu Aaron, nomine Elias: qui altiorem, ac perfectiorem vitam amplecti concupiscens, vitam Eremiticam, & solitariam in monte Carmeli (qui erat locus contemplationi multùm aptus) incæpit. Non diu posteà Eliseum in agro arantem vocavit, & ad eundem modum vivendi induxit: ut patet 3. Regum 19. Quorum vitam postmodùm Jonas Propheta, & Abdias, alijque Filij Prophetarum plurimi imitantes, successibus usque ad tempora Salvatoris in eodem monte Carmeli, modô Eremiticô, in sancta contemplatione continuare curaverunt. Qui postmodùm ad prædicationem Apostolorum, fidem Catholicam suscipientes, ad diversa loca Terræ Sanctæ, apta contemplationi, se dispergentes, Religiosam vitam Eremiticam continuaverunt. Sed tandem, propter persecutionem Saracenorum, ad cismarinas partes se transferre tempore Innocentij IV. coacti sunt. Quorum successores usque in hodiernum diem, dispositione divinâ, per diversa Regna cismarina sanctam Religionem suam ampliare dignoscuntur. Quamvis autem prædictam informationem totalitèr, & ad plenum per scripturas authenticas juridicè nequeant dicti Fratres docere; pro eo quòd in prædicta persecutione Saracenorum pauci Fratres, cæteris interfectis propter Deum, & eorum libris, ac privilegiis cæterisque eorum rebus omnibus destructis, ad cismarinas partes se transtulerunt. Tamen testimoniis congruis, & evidentiis, quibus piâ fide, meritò credi debet, ex multis doceri potest. Primò igitur prædicta informatio (a) doceri potest ex documentis, & traditionibus antiquorum Patrum dicti Ordinis, venientium de Terra Sancta ad partes cismarinas. Ipsi enim successores suos, quos citra mare ad Ordinem duxerant, informarunt, docuerunt, ac aliis subsequentibus in scriptis reliquerunt: *quòd à tempore Eliæ, & Elisei, vitam Eremiticam in monte Carmeli sectantium, alij viri devoti, primò Filij Prophetarum, posteà Religiosi Eremitæ nominati, eorum vestigia sequentes juxta fontem ejusdem montis in sancta pænitentia usque ad tempora Christi laudabiliter successerunt. Qui tandem per prædicationem Apostolorum fidem Christi suscipientes, Oratorium in honore B. Virginis Mariæ Dei Genitricis in declivio ipsius montis construxerunt, & ipsam in specialem Patronam elegerunt,* (b) ut patet Rubricâ primâ antiquarum Constitutionum Ordinis prædicti.

Carmeli Ordinis institutio, & successio compendiosè tradita.

(a)

(b)

740 Et Reverendissime Domine, ponderare dignemini, quòd vix est aliqua Religio, præcipuè de Religionibus antiquis, quæ alitèr docere poterit suam fundationem, quàm per documenta, & traditiones prædecessorum suorum: Nec alia documenta antiqui Religiosi habere curaverunt: sufficiebat enim eis bona fides, & præscriptio antiquitatis. Quoniam si cum quis possederit rem aliquam bonâ fide dumtaxat per trecennium, perpetuô gaudebit prælidiô, decimâ sextâ, questione VI. *Præscriptionum*; multò rationabiliùs Religio quæcumque, ex qua sequitur fervor devotionis, & animarum profectus, habens documenta à suis prædecessoribus de fundatione, & titulo ipsius per ducentos, vel trecentos annos de sua fundatione, & titulo; perpetuô præsidiô debet gaudere. Et nonnulli impugnatores hujusmodi fundationum, aut titulorum, nisi evidentes, rationes ostendant ad contrarium, non deberent audiri: sed, tamquam temerariè præsumentes, repelli. Nec obstat illa Regula juris: *Domestici ad probationem minimè sunt assumendi*: quia decimâ quartâ, quæstione II. dicitur sic. *Diversa sunt species causarum: nec in omnibus causis crimina agitantur: in criminibus siquidem accusatorum, & testium illa districtio observanda est, quæ in canonibus continetur, ne ad probationem Domestici assumantur. Cæterum,* inquit Papa, *in possessionum, vel hujuscemodi negotiis hi potissimùm assumendi sunt in testes qui eadem negotia tractaverunt: de quorum visu & auditu dubitatio esse non debet.* Hæc ibi.

Traditioni Patrum per aliquot centenos annos continuatæ fides habenda.

Domestici ad probationem quando admittendi.

741. Secundò, pro eadem informatione facit authoritas Beati Hieronymi epistolâ LXVI. ubi loquens de diversis Religiosis posteà subjungit, dicens: *Quidam verò altiùs principia repetentes à Beato Eliæ sumpserunt exordium.* Hæc ille. Quæ quidem dicta de Fratribus dicti Ordinis debere intelligi, ex duabus congruentiis ostendi potest: primò ex loco; quia in monte Carmeli, juxta fontem, ubi constat Eliam habitasse, prædicti Fratres, ante persecutionem Saracenorum, Conventum habuerunt. Unde in Regula ipsorum, per Sedem Apostolicam approbata, sic dicitur: *Albertus, Dei gratiâ, Ierosolymitanus dictus Patriarcha, dilectis filiis Brocardo, & cæteris eremitis, qui sub ejus obedientia, juxta fontem, in monte Carmeli morantur.* &c. Secundò ex conformitate indumentorum. .... Tertiò pro eadem informatione faciunt testimonia Historiographorum, historias, & facta antiqui temporis conscribentium. Josephus Antiochenus in Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ dicit sic capitulo XII. *Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores, surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationique dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces: qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Palestinam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Virginis Mariæ honorem, in montis Carmeli declivio fabricantes oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Item

Patrum authoritates adstruentes S. Eliam Institutorem Religiosæ monasticæ vitæ.

Et peculiaritèr Carmelitani Ordinis Fundatorem.

Item Sigibertus historiographus (quem frequentèr allegat Vincentius in Speculo historiali) dicit sic: (c) *Cum Carmelitæ in sancta pœnitentia perseverassent à tempore sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, tandem abscesserunt tenebræ, & lux venit in mundum, & arbitrati sunt; quia misit Deus filium suum, natum de muliere; testemque veritatis Christum prædicantem audierunt: qui religiosè fidem catholicam confitentes in Christo baptizati sunt. Deindè perseverantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebem, veritatis Euangelicæ nuntij fideles, & Religionis Christianæ legitimi defensores effecti sunt.*

(c)

742. Item Jacobus de Vitriaco (qui fuit Episcopus civitatis Accon juxta montem Carmeli) in historia Jerosolymitana libro primo capitulo quinquagesimo secundo dicit sic: *Quidam viri sæculo renuntiantes ad imitationem sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ in parte montis Carmeli quæ superëminet civitati Porphyriæ juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquam apes Domini spiritualem dulcedinem mellificantes.* Hæc ille. Quòd autem ista verba congruentèr debeant intelligi de prædecessoribus dictorum Fratrum, patet ex his, quæ in ipsorum Regula continentur; quia Conventus illorum erat in illo monte juxta fontem: & habebant cellulas separatas, & tamquam viri solitarij silentium observabant. Item Gerardus Episcopus Laodiceæ in libro de conversatione virorum Dei in Terra Sancta, ad Guilielmum Presbyterum, loquens de diversis Religiosis, subjungit, dicens: *Aliud est Religiosorum genus qui singillatim habitabant à sæculi rebus alieni. Hi sunt qui ad exemplum Eliæ, silentium solitudinis præferebant tumultibus civitatis.* Hæc ille. Quod autem oporteat hæc verba intelligi de prædecessoribus prædictorum Fratrum videtur patere ex eorum Regula, per quam obligantur ad silentium, & ad singillatim habitandum per cellas separatas. Item, ad illud facit explanatio sacrorum Conciliorum: & etiam (d) quædam Cronica antiqua, quam habet Dominus Rex Franciæ, tam in Latino quam in Gallico, ubi sic dicitur. *In Concilio Ephesino, quod fuit celebratum per ducentos Episcopos anno Domini* * *CCCCXXVIII. præsidebat loco Papæ Cœlestini primi Beatus Cyrillus Frater Ordinis de Carmelo, Doctor Egregius, Patriarcha Alexandrinus: qui disputans contra Nestorium, ponentem Virginem Mariam obnoxiam peccato, & non esse Matrem Dei, sed puri hominis, conscripsit librum, per quindecim capitula distinctum: in quo pluribus rationibus ipsum Nestorium confutavit, definiens cum prædicto Concilio, temerarium esse, dicere Beatam Mariam aliquâ peccati maculâ obnoxiam fuisse. Et quia ità scientificè pro Beata Virgine contra Nestorium disputavit,* (e) *in eodem Concilio sancitum fuit: quod Fratres sui Ordinis titulô Dei Genitricis Mariæ meritò debeant specialitèr insigniri: & quia primus fundator illius Ordinis sanctus Dei Elias fuit de tribu, & stirpe* * *de qua Beata Virgo descendit: & etiam tertiò; quia primus Conventus, quem prædicti Fratres habuerunt in novo Testamento, fuit in Porta Aurea, ubi Beata Virgo concepta fuit.* Hæc ibi. Ubi secunda ratio

(d)

S. Cyrillus Alexandrinus triumphat de Nestorio.

* Lege CCCCXXXI.

(e)

* Vide hic supra num. 557.

intitulationis dicti Ordinis expressè testatur Eliam fuisse fundatorem. (f) Item in quadam antiqua Cronica, quæ dicitur Cronica Romana, de Tempore Titi, & Vespasiani Imperatorum dicitur. *A tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum, qui morabantur in monte Carmeli, juxtà civitatem Dominæ nostræ Nazareth, secretiùs solebant homines devoti habitare usque ad tempora Salvatoris: qui tandem, prædicantibus Apostolis, in fide confirmati, in uno latere ipsius montis primò Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ Virginis construxerunt.* Item in eadem Cronica alibi sic habetur: *Fuit tempore prædicationis Iesu Christi, quod Eremitæ de monte Carmeli Ierusalem accesserunt, quorum quidam anno XLVII. à Passione Domini, regnante Romanô Imperiô sub Tito & Vespasiano apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt. Alij verò tempore Beati Petri Apostoli, Antiochiæ Cathedrati, in circumquaque adjacente regione diversis locis catholicæ pro fide insistebant.*

Porta Aurea Conventus antiquus Ordinis Carmelit. Ierosolymis.

743. Hic est unum dubium. Si prædictus Ordo sit ità antiquus, ut præfertur, quare ipsius Ordinis Fratres Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, quos constat infrà ducentos annos fuisse institutos, in regionibus Cismarinis postponuntur, tamquam juniores? Respondetur, quòd Prædicatores, & Minores tempore Innocentij Papæ tertij in cismarinis partibus, videlicet, in Tholosa, & Assisio incœperunt: qui continuò per diversa regna cismarina, prædicationibus, & doctrinis in hominum frequentia laudabilitèr insistentes, statim post suam fundationem habebantur venerabiles, & famosi: Fratres verò prædicti Beatæ Mariæ de monte Carmeli primò (g) tempore Innocentij quarti Papæ, propter persecutionem Saracenorum in Terra Sancta, (ubi ipsorum Religio fundata fuerat ab antiquô) ad partes cismarinas se transferentes, (h) potiùs extra civitates, & frequentiam hominum, modô eremiticô, quô fecerant in Terra sancta, quam intrà civitates cum hominibus, habitare elegerunt per tempora longiora. In cujus evidentiam prædicti Fratres Conventus suos quos primò fundaverant in partibus cismarinis remotè à civitatibus, & frequentia hominum construxerunt: qui posteà per tempora longiora doctrinis & prædicationibus utilitati proximorum proficere cupientes, intra civitates, & hominum frequentiam habitare incœperunt: & multorum locorum suorum, quæ fundaverant remotè à civitatibus, translationem ad civitates à summis Pontificibus impetraverunt. Et ideò Prædicatores, & Minores, tamquam priùs in hominum frequentia conversantes, & magis, & plus noti, præponuntur dictis Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli,

Dubio eidem satisfit.

(g)

(h)

744. ANNOT. (a) Doceri potest ex documentis, & traditionibus antiquorum Patrum dicti Ordinis.... Ipsi in scriptis reliquerunt, *scilicet Ordinis hujus antiquissimam institutionem per S. Prophetam Eliam, & continuatam successionem: quæ scripto tradita extat in libro* de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium: *quem librum ex Terra Sancta in Europam tulerunt (Is in septem libros partiales distributus insertus est Parti primæ Speculi hujus)*

hujus) nec non in antiquis Ordinis Statutis, de quibus statim. Est igitur in hoc Ordine traditio antiquorum Patrum, etiam scriptò tradita, de ejusdem origine, & hæreditaria, ut Pontifices loquuntur, successione à S. P. Elia.

(b) Ut patet ex Rubrica prima antiquarum Constitutionum Ordinis prædicti. *Constitutiones illæ antiquæ à S. Brocardo Priore Generali fuerunt compilatæ anno Christi 1191. ut in Annalibus Ordinis notatur ad istum annum De istis Constitutionibus antiquis, & testimonio hoc indè desumpto, peculiariter actum est in Parte prima hujus speculi in Appendice §. 6. ubi etiam adducta sunt verba in illis contenta.*

Sigiberti Gembl. scripta non omnia signata.

745. (c) Cum Carmelitæ in sancta pœnitentia perseverassent à tempore Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi &c. *Testimonium istud Sigiberti adferunt plerique alij Ordinis hujus Scriptores, desumptum (ut Paleonydorus annotat) ex Historia Ierosolymitana per eum scripta: quam hactenùs videre mihi non contigit. Ea quidem inter scripta (ab ipso sub finem libri sui de Scriptoribus Ecclesiasticis recensita) non refertur: at Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis annotat:* Alia etiam post hæc edidit, quæ cum suprascriptis Opusculis non signavit. *Inter illa Historia Ierosolymitana esse potuit.*

746. (d) Quædam Cronica antiqua, quam habet Dominus Rex Franciæ. *De ista Cronica, seu libro, hæc habentur in Menologio Carmelitano per Sarracenum, in vita S. Cyrilli.* Repertus est in Bibliotheca S. Ludovici XI. Galliarum Regis, ut creditur ex Oriente deportatus. *In Annalibus Carmelitanis tomo 3. ad annum Christi 444. num. 12. ista, inter alia, de eodem scribuntur:* Cæterùm hujusmodi Chronicon non incertæ authoritatis esse, confirmat, quod ipsum retulerint Generalis Bernardus Olerius à trecentis fermè annis in libro seu Informatione ad Papam, Thomas Scropus Episcopus Dromorensis supra ducentos annos, Balduinus Leersius circà idem tempus, Joannes Palæonydorus à centum, & quinquaginta, quos posteriores alij, Coria, Romanus, Sarracenus, Munozius, Wastelius, & alij sequuntur.

Cronicon quoddam antiquum in Bibliotheca Regis Franciæ an.

747. (e) In eodem Concilio sancitum fuit, quod fratres sui Ordinis titulô Dei Genitricis Mariæ meritò debeant specialiter insigniri. *Communi ferè omnium Historicorum nostrorum calculô receptum est, quòd titulus ille.* Fratrum Beatæ Virginis Mariæ *Ordini huic concessus, seu potius confirmatus fuerit tempore Concilij Ephesini. Quòd autem aliqui scribunt, gloriosum illum titulum confirmatum fuisse ab ipso Concilio* difficultatem præsefert; cum in Concilij Actis, tum vetustis, tum modernis, nihil tale conspiciatur. Etsi hoc nec rem concludat, cum plura sæpiùs in Synodis statuantur, quæ quia ad Ecclesiæ dogmata statuenda non spectant, solâ voce decernuntur. Præsertìm cum Acta hujus Concilij diminuta cernantur in alijs, pro-ut in numero Patrum, qui illi adfuerunt, recensendo; etsi enim supra 200. communiter credantur, illi tamen qui subscribunt pauciores valdè sunt. *Ità Lezana tomô 3. Annalium Carmelitanorum: qui ibidem addit, verisimiliùs videri, id quod Venerabilis Pater Ioannes Soreth Generalis scribit;* Titulum illum fuisse confirmatum per S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, quondam Carmelicolam, Cælestini Papæ vices gerentem.

Lez. to. 3. Annal. ad an. 430. n. 13

748. (f) Item in quadam antiqua Chronica, quæ dicitur Chronica Romana &c. *Chronica, seu historiam illam utramque etsi forsan nunc, temporum injuriâ, interierit, aut in tenebris lateat, inter fide dignas habendam confirmat authoritas plurimorum historicorum nostrórum veterum, & recentiorum, istius historiæ testimonium adducentium. Porrò hujusmodi monumenta vetusta, etsi lacera, corrosa, & tineis exposita, sæpiùs veritatis comprobandæ legitima instrumenta esse, ex Baronio, alijsque præstantissimis Authoribus, millies habebit studiosus lector: maximè dum eadem in probatis, & non incertæ authoritatis scriptoribus habentur, pro-ut in præsenti.*

(g) Tempore Innocentij. *Tunc facta fuit transmigratio Religiosorum ex Carmelo in Franciam (de quâ parte 1. lib. 9. cap. 6.) & paulò ante aliorum: & illa fuit Generalis quasi translatio Ordinis: sed antea varijs occasionibus aliqui in Europam, sed pauci venerant.* *Vide suprà num. 509.*

749. (h) Potiùs extra civitates & frequentiam hominum, modò eremiticô, quô fecerant in Terra sancta, quam intra civitates cum hominibus, habitare elegerunt per tempora longiora *Id patet in pluribus Conventibus vetustioribus qui passim in locis solitarijs, seu extra Vrbes, & Villas fundati fuêre in Sicilia, Francia, Anglia, & alibi: sic quoque in Belgio Conventus nostri Mechliniæ, Ipris, Atrebati, Angiæ, & alibi primitùs extra Vrbes constructi, deinde successu temporis intrà eas sunt translati. Quinimò anno Domini 1325. Ioannes Papa XXII. in una eademque Bulla, cujus initium est:* Dum sacrum ordinem *(habetur in antiquo speculo Ordinis Venetijs impresso anno 1507. folio 8 . .) concedit* ut decem Conventus, in varijs regionibus siti, prius remotè à civitatibus constituti, intra eas transferantur; *Rationem ejusmodi concessionis assignans,* ut populis, *(eam mutationem expetentibus)* majus obsequium spirituale præstari possit.

Conventus Ordinis Carmelit. olim plures extra quàm intra urbes.

ARTICVLVS II.

De intitulatione Ordinis à SS. Virgine Maria.

750. Quantùm verò ad informationem secundi articuli, qui est de intitulatione ejusdem Ordinis à Beata Virgine Maria Dei Genitrice, primò faciunt documenta antiquorum Patrum ejusdem Ordinis: qui suos successores informarunt. Quòd (a) Eremitæ montis Carmeli sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi sequaces, post Christi Ascensionem in ejusdem montis declivio in honorem Beatæ Mariæ Genitricis Dei Oratorium construxerunt, & ipsam in Patronam specialem, & advocatam devotè elegerunt: ut patet rubricâ primâ Antiquarum Constitutionum Ordinis prædicti. Et reverà, Reverendiss. Domine, talis informatio antiquitùs sufficiebat: & rationabiliter deberet sufficere pijs auribus, de titulo, aut fundatione Ordinis cujuscumque, & præsertim antiquæ institutionis: ut dictum est in alio articulo. (a)

751. Secundò (b) pro eadem informatione facit modus profitendi dictorum Fratrum temporibus modernis; ipsi enim secundùm statuta ab antiquis Patribus suis eis præscripta faciunt Professionem suam in hac forma. *Ego Frater N. facio Professionem meam, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ* Mariæ *de monte Carmeli* &c. Unde asserere, & docere quòd Beata Virgo Maria non sit prædicti Ordinis Patrona, est præstare occasionem ipsis Fratribus, à dicto Ordine suam devotionem retrahendi, atque dubitandi de obligatione suæ Professionis, ad non modicum dispendium animarum suarum. Tertiò pro eadem informatione faciunt testimonia Josephi Antiocheni, & explanationis sacrorum Conciliorum, nec non illius Cronicæ antiquæ, quæ Romana dicitur, ut allegatum est declaratione prioris articuli. Quartò pro eadem informatione, omnia prædicta confirmando, faciunt privilegia summorum Pontificum, in quibus Fratres prædicti *Fratres Beatæ* Mariæ *Genitricis Dei de monte Carmeli* specialiter intitulantur: unde asserẽtes ex propio sensu, ad inquietudi- (b)

nem prædictorum Fratrum, quòd Ordo ipsorum *Beata* MARIÆ *Dei Genetrici* non sit intitulatus, tamquam temerarij meritò sunt arguendi.

(c) 752. (c) Sed hic est unum dubium: Si Ordo prædictus à sanctis Prophetis sumpsit exordium: quomodò dicitur habere Beatam Virginem in specialem Patronam? Et quomodò titulô ejusdem dicitur intitulari? Respondetur, quantùm ad primum; quia Patronus alicujus Religionis dupliciter sumitur, videlicet activè, & passivè. Ille dicitur activè Patronus qui Religionem inchoat, ac fundat: qualiter Beatus Augustinus, & Beatus Dominicus, & multi alij Sancti dicuntur Religionum Patroni. Aliô modô dicitur Patronus passivè: & hoc tripliciter: primò dicitur ille Patronus, in cujus honore specialiter fundatur, & sic Trinitas dicitur Patronus specialis Ordinis Fratrum de Trinitate. Aliô modô dicitur Patronus passivè quem Religiosi viri propter devotionem, aut aliam causam rationalem sibi in Patronum eligunt: qualiter sanctus Benedictus dicitur Patronus Monachorum; quia Monachi videntes sanctitatem ejus, ipsum in Patronum elegerunt, & Regulam, & modum vivendi ab ipso habere voluerunt. Tertiò dicitur ille Patronus passivè, in cujus honore monasteria fundantur, qualiter omnes Ecclesiæ dicuntur habere Patronos. Istis reverà duobus ultimis modis dicitur Beata Virgo MARIA Patrona specialis dicti Ordinis; quoniam illi Religiosi Eremitæ in monte Carmeli commorantes, propter specialem devotionem quam habuerunt ad Beatam Virginem MARIAM, ipsam sibi elegerunt in specialem Patronam. Item Ecclesiam, seu Oratorium in medio cellularum in honorem ejusdem Virginis construxerunt: Et usque in hodiernum diem omnes Ecclesiæ prædictorum Fratrum ubique, & ubicumque per ipsos fundatæ, sunt in honorem Beatæ MARIÆ Genitricis Dei constructæ. Et sic meritò, non obstante quod à Prædictis Prophetis Ordo prædictus sumpsit exordium, duplici tamen modô dicitur habere Beatam Virginem in specialem Patronam. Quantùm autem ad titulum, est sciendum: quòd aliqui Religiosi intitulantur ab officio pro quo fundati sunt: sicut Fratres Prædicatores ab officio prædicationis dicuntur Prædicatores: aliquandò intitulantur à virtute, quam præcipuè sectari debent: sicut Beatus Franciscus ab humilitate voluit Fratres suos vocari Minores. Aliquandò verò intitulantur à loco ubi Ordo illorum inchoatus fuit, qualiter Carthusienses & Cistercienses vocati sunt. Aliquandò intitulantur à Patrono sive activè sive passivè accepto: & sic intitulantur Monachi sancti Benedicti, & Fratres de Trinitate similiter Augustinienses, Cælestini, & multi alij Religiosi. Istis autem duobus modis intitulatur Ordo prædictus à Beata Virgine MARIA tamquam à Patrona. & à monte Carmeli tamquàm à loco unde traxit originem: ut sic totus titulus ipsius Ordinis sit iste: *Ordo Beata* MARIÆ *de monte Carmeli*.

Patronus Ordinis dupliciter dicitur, activè, & passivè.

Patronus Carmelitani Ord. activè S. Elias, passivè B. V. Maria.

Tituli Ordinum Religiosorum unde desumantur.

ANNOT. 753. (a) Eremitæ montis Carmeli, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi sequaces, post Christi Ascensionem in ejusdem montis declivio in honore Beatæ MARIÆ Genitricis Dei Oratorium construxerunt. *Illud Oratorium (seu Capella) primò constructum in declivio, seu in latere Carmeli, posteà fuit translatum, seu aliud ædificatum in vertice ejusdem montis, de quo peculiariter actum est in prima parte libro sexto cap. 5. & ibi in Notis num. 242. Inde, & à conformitate S. Propheta Elia cum B. Virgine Deipara, in primitijs virginitatis, atque ob alias rationes, & congruentias, Ordinem hunc ab antiquo intitulatum fuisse* Ordinem B. MARIÆ de monte Carmeli *latiùs dictum est ijsdem libro 6. cap. 5. & alibi sæpiùs.*

754. (b) Pro eadem informatione facit modus profitendi. *Formula Professionis (prout in antiquissimis formularijs, & Constitutionibus præscribitur) hæc olim erat:* Ego Frater N. facio professionem meam: & promitto obedientiam Deo, & Beatæ MARIÆ Virgini de monte Carmeli: & Fratri N. Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmeli: suisque successoribus secundum Regulam prædicti Ordinis usque ad mortem. *In obedientia inclusa intelligebantur castitas, & paupertas (sicut etiam in hoc usque tempus in varijs Religionibus in Professione sola obedientia exprimitur) Postmodùm in formula Professionis nostra adjecta fuere illa verba* Paupertatem & Castitatem, *qua etiam ab Innocentio quarto inserta fuere Regula, in qua cum primitùs legeretur.* Cui (*Priori scilicet Generali*) obedientiam promittat quilibet aliorum, *addidit Pontifex (per suos Commissarios)* cum castitate, & abdicatione proprietatis. *Vide parte 1 lib. 8. cap. 6. paulò post initium. Ad propositum: cum in formula Professionis sua Religiosi hujus Ordinis olim, & nunc dicant,* se facere professionem in Ordine Fratrum Beatæ MARIÆ Virginis Dei Genitricis. *Igitur talis Ordo est; alioquin (ut rectè infert iste Pater Generalis) professio nulla esset, si nullus sit Ordo B. Virginis* MARIÆ.

Professionis formula in Ordine Carmelitano.

755. (c) Sed hic est unum dubium; si Ordo prædictus à sanctis Prophetis sumpsit exordium: quomodo dicitur habere Beatam Virginem in specialem Patronam? *Præter rationes, & congruentias Patronatûs B. Virginis* MARIÆ *in Ordinem Carmelitanum ab hoc Authore relatas, etiam hac assignatur ab alijs historicis Ordinis:* Quòd ipsa Virgo Deipara purissima, & ab omni labe peccati futura immunis, in typo Nubeculæ S. Eliæ Prophetæ præmonstrata, ipsum in sui amorem, & venerationem excitans, moverit, ut cœtum, seu Ordinem Monasticum eremiticum, quem inchoare intendebat, ad ipsius honorem, atque ab ejusdem puritatis virginalis exemplum, ac imitationem institueret, & dicaret: quod & præstitit. Atque ità ipsa veluti causa exemplaris, seu finalis extitit in fundatione Ordinis; *& hoc sensu Pontifices varij in suis diplomatibus Ordini concessis, disertè adstruunt:* quod purissima Virgo MARIA Ordinem hunc ediderit, produxerit, *& seipsa Ordinis hujus Patrona, & fundatrix etiam activè propriâ satis locutione dicitur. Sed de his latiùs suprà parte 1. lib. 6. cap. 1. & 2. ac ibi in Notis.*

Patrona Ordinis Carmelit. etiam aliquo quâ ratione dici possit B. V. Maria.

ARTICVLVS III.

De Confirmatione Ordinis.

756. QUantùm verò ad tertium articulum, qui est de confirmatione dicti Ordinis: in Jure communi est primò concordantia Doctorum: extra. de Religiosis domibus Capitulo *Religionum diversitatem* paragrapho *Cæterum*. Ubi sic dicitur. *Cæterum verò Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines: quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit, in statu solido volumus permanere*, ubi Cardinalis exponendo textum dicit sic. *Hic*

Papa

Papa Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines consolidat. Cui concordat Archidiaconus in Glossa dicens super eodem textu. *Hac littera mutat antiquam ubi dicebatur: in suo statu: & sic isti duo Ordines sunt totalitèr confirmati.* Secundò pro eadem informatione facit mentio specialis facta de Jure communi; secundùm enim Jura, cùm in privilegio alicujus specialis fit mentio, de aliquo Jure, illud jus ei valet pro quo inducitur. Sed Dominus Papa Joannes XXII. & etiam Clemens VI. in privilegiis exemptionis ejusdem Ordinis faciunt mentionem de illo Jure: Extra. de Religiosis domibus, paragrapho *Cæterum*: ubi dicunt sic. *Sacer Ordo vester in agro Dominico divinâ dispositione plantatus, & gloriosa Virginis Mariæ titulô specialitèr insignitus, Apostolicis gratijs dignè meretur attolli: cujus professores, mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt jugitèr profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decrevimus, & volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libentèr intendimus per quæ Professores jam dicti, nullum internæ pacis patiantur excidium: nullumque status Religionis perferant detrimentum: sed eò devotiùs divino cultui, ac salutis animarum insistant operibus, quò quietior status fuerit eorumdem, ipsique ampliori fuerint libertate dotati*: Tertiò pro eadem informatione facit interpretatio condentis legem, seu Decretalem illam Extra. de Religiosis domibus. *Religionum diversitatem*; Fratres enim Augustinienses supplicaverunt Domino Bonifacio, qui sextum librum edidit, super intentione suâ illius verbi *solido* vel *solito*: qui intentionem suam declarans in quodam privilegio, scripsit eis dicens: *Ad sacrum Ordinem vestrum specialem devotionem gerentes, quem olìm voluimus, & volumus in solido, & firmo, & stabili statu permanere: &c.* Sed ille textus quem dictus Dominus Papa sic interpretatur, æqualitèr respicit Ordines Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum. Ergo ex illo textu uterque illorum Ordinum verè confirmatur.

Istam informationem dignetur Vestra Reverendis. Paternitas benignô favore suscipere: & talem super eo Domino nostro facere relationem; quòd dictus Ordo in præsenti negotio sentiat assistentiam efficacis præsidij Vestræ Dominationis, quatenùs pro Vestræ Reverendiss. Paternitatis statu venerabili obligetur idem Ordo temporibus perpetuis, preces devotiùs fundere Altissimo, & Virgini Gloriosæ.

ANNOT. *De confirmatione Ordinis latiùs actum est parte 1. libro 10. & in Defensorio Ioannis Bachonis partic. 7. & seq.*



*Etiam cognominatur Scropus.

R^MI. P. THOMÆ *BRADLEY ANGLI

Episcopi Dromorensis, & Legati Apostolici

CHRONICON

De Institutione, succesſione, intitulatione, & propagatione Ordinis Fratrum B. Virginis Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmeli.

LIBER V. PARTIS SECUNDÆ

Notatio Prævia.

757. J*Acobus Waræus Eques auratus de Scriptoribus Hiberniæ lib.2.c.4. de Authore ipso ista commemorat:* Thomas Scropus, aliàs Bradley, Carmelita Norwicensis ab Eugenio quarto Dromorensis in Hibernia factus Episcopus circa an. 1446. Ad decrepitam ætatem usque vixit, centum ferè annorum senex, mortuus est annô salutis nostræ 1491. die 15. Januarij non sine sanctitatis opinione, & Leystofti in Sudovolgia sepultus est. Cujus Epitaphij hi duo postremi versus sunt:

Thomas Bradley Episcopus Dromorensis.

Venit ad occasum morbô confectus amarô:
Spiritus alta petit, pondere corpus humum.

Illius encomia ex Pitſeo, & alijs referuntur in Annalibus Ordinis Tomo 4. varijs locis, atque inter cætera ista. *In Cœnobio Norwicensi professionem, & hâbitum suscipiens, vitæ austeritate, doctrinâ, & exemplô mirè effulsit Ecclesiæ Dei, & Religioni nostræ. Saccô ciliciô, & catenâ ferreâ circumcinctus mundo Evangelium prædicabat. Extra prædicationem ferè semper cellâ inclusus vitam ibi agebat Anachoreticam, donec ab Eugenio quarto anno 1446. ab hac vita Eremitica ad Episcopatum Dromorensem in Hibernia, & posteà ad munus Legati in Rhodios vocatus fuit. *Et longè infrà.* *Hæc opera ab ipso edita numerantur: De Carmelitarum institutione librum unum: De eodem Ordine ad Eugenium Papam librum unum: Cathalogum Sanctorum ejusdem Ordinis librum unum: Compendium Historiarum, & Jurium lib.9. Sermones de decem præceptis librum unum. De privilegijs Pontificum librum unum. De sua Legatione ad Rhodios librum unum, & ejusmodi alia plura. *Ex istis nacti sumus Opuscula tria. Primum* est Informatio, *seu libellus supplex* ad Eugenium Quartum summum Pontificem, *cujus initium est*: Eugenio beatissimo Papæ. *Secundum*, Tractatus de fundatione, antiquitate, Regula, & confirmatione &c. Ordinis Fratrum B. V. Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmeli. *Incipit*: Quia Isaias. *Tertium* est Chronicon, *seu* Liber de Institutione, succeſsione &c. Ejusdem Ordinis, ad Cyrillum Archidiaconum Ecclesiæ Dromorensis; *Et istud (utpotè ultimum) hic damus, cui Informationis ad Eugenium Papam præclarè, & nervosè intentum demonstrantis, subnectitur pars dumtaxat, videlicet initium & finis; eò quod in cæteris multa eadem sint fundamenta, quæ in hoc Chronico, sicuti etiam in alio illo Tractatu; undè propterea etiam pauca solummodò quædam delibantur. Opusculorum istorum exemplaria descripta ex Codicibus MSS. vetustis Mechliniæ, Coloniæ, & aliundè accepimus.*

*Ad an. 1430.

Opuscula tria scripsit de Ordine Carmelis.

*Ad an. 1491.

PROLOGUS.

758. THomas, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ, (a) Dromorensis Episcopus, (a)
ac Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dilecto Filio Cyrillo Archidiacono Ecclesiæ nostræ Dromorensis salutem, gratiam, & benedictionem. (b) Cum quidam minùs intelligentes (b)
in Hibernia, nec ratione, nec authoritate muniti, originem Monachorum Carmelitarum impugnare nitantur; utique indiscretè; & inficiendo negent, Carmelitas alios Ordines Monasticos tempore præcessisse, ut asseris, Cyrille; undè petis à nobis humiliter, & devotè, ut ad modernorum, & futurorum notitiam, librum utilem Lectoribus, & acceptabilem, componere de institutione dictorum Carmelitarum dignaremur. Quia scriptum est: *Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis*, Et alibi: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, sed super candelabrum; ut omnibus qui in domo sunt luceat*; hinc est, quòd precibus tuis inclinati (imò charitas Christi nos compellit) certa, & authentica ex catholicis Doctoribus Ecclesiæ undique scribere curemus; ut certiùs credere valeas, & fidem dare verbis nostris. Etenim Christus divisus non est, sive in albis Carmelitis, sive in nigris Monachis: sed in omni professione, & Ordine, ac *in omni gente, quicumque operatur voluntatem Domini acceptus est illi*; quia *ubicumque duo, vel tres congregati sunt in nomine* IESU *Salvatoris nostri, ibi est in medio eorum*, sicut in Evangelio legitur. Gaudeant Religiosi dicentes: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.*

Motivum scriptionis impugnatio antiquitatis ejusdem Ordinis.

Mat. 7. Luc. 11. Act. 10. Mat. 18. Psal. 132.

ANNOT.

759. ANNOT. (a) Dromorensis Episcopus: *Situs est in Hibernia Episcopatus ille, in Vltonia, sub Archiepiscopatu Armachano. Ibi Thomas Davidi Chirburto successit circa annum Christi MCCCCXLVI. ut in Annalibus Ordinis refertur, ad istum annum, ubi ista*: Sanctæ Vitæ odore pæne incredibili, auctoritate, & doctrinâ fulgebat in eadem Anglorum Provincia Thomas Scropus, de quo anno 1430. diximus. Eum propterea sub hoc anno Pontifex Eugenius ad Episcopatum Dromorensem in Hibernia promovit, vitâ functô Davide Chirburiô (de quo anno 1420. diximus) etiam Ordinis nostri Alumnô, & ejusdem Episcopatûs Antistite. Paulò post in legatione ad Rhodienses eum exercuit.

(b) Cum quidam .... originem Carmelitarum impugnare nitantur. *Parte primâ hujus Speculi sub finem in Appendice §. 5. num. 516. & seq. bina referuntur Decreta Vniversitatis Cantabrigiensis, undè constat anno Christi MCCCLXXIV. in Anglia, ab æmulis nonnullis magnam excitatam fuisse commotionem, circà originem, intitulationem, & confirmationem Ordinis hujus: ea etiam traducta fuit in Hiberniam; & indè Thomæ Bradley motivum fuit scribendi Opusculum hoc, & bina sequentia.*

CAPUT PRIMUM.

De Institutione Ordinis monastici in Carmelo per Sanctos Prophetas Eliam & Eliseum ac Filios Prophetarum.

760. (a) PSalmographus Divinus ait psalmo centesimo trigesimo secundo. (a) *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum.* In hoc versu fundat B. Augustinus Ordinem Monachalem contra Donatistas; ubi, sic inquit: *Quid nobis dicunt: Ostendite, ubi scriptum sit nomen Monachorum: Ostendant nobis, ubi scriptum est nomen Agonisticorum: sic eos, inquiunt, appellamus propter agonem. Certant enim illi: & dicit Apostolus, certamen bonum certavi . . . Et ità quia certant, dicitis Agonisticos, & invenistis, quia dicit Apostolus: bonum certamen certavi. Quarè ergo, & nos non appellatis Monachos; cum dicat psalmista: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum: μόνος enim Græcè, Latinè dicitur, unus, sive singularis, aut solus: non quomodocumque, nam in turba unus est, scilicet unus cum multis: unus dici potest, μόνος non est nisi unus solus. μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, & ut sit illis verè, quomodò scriptum est, una anima & unum cor, multa corpora, sed non multa anima: multa corpora, sed non multa corda, rectè μόνος dicitur, id est unus solus.* Videtur in hoc, qualitèr iste sanctus Pater, fecit psalterium concordare cum cithara. Fratres cum Monachis, & Monachos cum Fratribus. Dicant proindè insimul Fratres, & Monachi. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* De quibus verbis S. Augustinus ibidem. *Ista*, inquit, *verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suavis melodia tàm in cantico quàm in intellectu etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt Fratres qui habitare in unum cupierunt. Iste versus fuit tuba eorum: sonuit per orbem terrarum, & Religiosi qui divisi erant, congregati sunt in unum.*

S. Augustinus Ordinem Monasticum fundat in isto versu Psalmi 132. Ecce quam bonum, & quàm jucundum &c.

Sequitur: *Verumtamen, dilectissimi, si consideremus; de illo pariete circumcisionis priùs nata est ista benedictio. Non enim omnes Iudæi perierunt, & undè Apostoli? Filij Prophetarum?* Et infrà, *ex voce hujus psalmi Fratres appellati sunt Monachi.* Hæc Augustinus in expositione psalterij. Et ut ulteriùs pro omnibus Religiosis figamus ordinem Monachorum, audiatur magnus Episcopus Rabanus de Institutis Monachorum capitulo 2. *Monachus*, inquit, *idem est quod singulaitèr conversans, hoc est à sæculari conversatione remotus. μόνος enim Græcè, singularis, vel solitarius dicitur Latinè.* Hæc Rabanus. Ecce iste sanctus Pater omnes Religiosos inclusit nomine Monachorum, & reddit causam. *Monachus id est à sæculari conversatione remotus* (inquit) & *habitans in unum* Dicant ergo omnes Religiosi insimul: *Ecce, quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.*

Monachus quid sit.

761. Primum autem Claustrum, congregationemque virorum Religiosorum Prophetarum sanctus Samuel Propheta Domini fecit in Judæa: undè cum unxisset Saul in Regem Israël, remittens eum ad urbem, dixit: *Cum ingressus fueris ibi obviàm habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam & citharam. Ipsosque prophetantes: & insiliet in te spiritus Domini.* Primo Regum cap. 10. ubi Magister Historiarum. *Hic nota*, inquit, *quòd Samuel Propheta Domini, primus instituit Conventum Religiosorum in Iudæa jugitèr psallentium Domino, & dicebatur Conventus eorum Cuneus, idest quasi Conventus, & dicebantur prophetare, idest, jugitèr Deum laudare: & fortè quandòq; aliqui ex eis prophetabant.* Hæc Magister. Illi autem Religiosi à tempore Samuelis non cessabant usq; ad adventû Eliæ Thesbitæ: in cujus tempore, suadente Achab, omnis populus ad cultum idolorum se inclinavit, in tantùm, quòd pænè perierit tota Religio Prophetarum Samuelis: & inclinavit omnis populus cervices suas ritibus Idolorum. Undè Elias Propheta exclamavit coram omni multitudine: *Ego* (inquit) *remansi Propheta Domini solus.*

Samuel instituit congregationem virorum Religiosorum.

Qui continuati fuere usque ad Eliam Thesbiten.

762. Indè Elias, obtentû contemplationis Divinæ, & desideriô sublimioris perfectionis, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, & mundanis exuens, Religiosam, & prophetalem vitam Eremiticam primus hominum ducere cœpit: quam, sanctô dictante, & mandante Spiritu, instituit. Quippè Deus ei apparens mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & se à turbis in desertô absconderet, atque deinceps in eremo monasticè viveret, secundùm formam ei indictam. Quod evidentèr sacræ Scripturæ testimoniô comprobatur. Legimus enim de hoc ità scriptum in libro Regum. *Factum est verbum Domini ad Eliam dicens: Recede hinc, & vade contrà Orientem, & absconde te in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes: corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Et sic Elias celsiorem vitam aggrediens sæculo renunciavit, & se Deo profitens religiosam vitam Eremiticam, & solitariam in Carith primus ducere cœpit, in vir-

Elias Deô mandante, in Eremo celsioris perfectionis vitam inchoavit.

1. Reg. 17.

In castitatis, paupertatis, & obedientiæ observantia. virginitate perseverans: cujus sanctitas vitæ in tantùm resplenduit, ut illius merita assimilentur ei de quo à Christo dictum est: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista*: dum Gabriel Zachariam alloquens, Joannem *in spiritu & virtute Eliæ præcedere* asseruit, Discipulos etiam congregavit, quos priùs in eremo Carith docuit servare castitatem, paupertatem, obedientiam, humilitatem, patientiam, conversionem morum, abdicationem proprietatis cum virtutibus cæteris. Ac indè plantavit eos in monte Carmeli, prout latè tradit, & demonstrat Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus (de quo in Ecclesiastica historia Eusebij lib. 2. & fulsit circa annum Domini quadringentesimum duodecimum temporibus Honorij & Arcadij Imperatorum) in libro *de Institutione primorum Monachorum*: & quidem librô primô cap. 2. ista habet: *Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta primæva institutio exordium sumpsit.* Quod ibi consequentèr manifestè declaratur.

Matth. 11. Lucæ 1.

Eandem vitæ normam tradidit discipulis.

763. In nova autem Lege per Joannem Baptistam fuerunt ad baptismum ducti; atque ità certi sumus, quòd Carmelitæ non sunt tantùm Monachi, sed etiam Filij Prophetarum, atque Duces Monachorum. Hinc Isidorus librô secundô de origine Officiorum capite decimô quintô scribit. *Vndè ad Monachos studium defluxit paupertatis? vel quis hujus conversationis extitit author? cujus habitum isti imitantur? quantùm, inquam, attinet ad authoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi Principes Elias, & Eliseus discipulus ejus: fuerunt etiam Filij Prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis, faciebant sibi casulas propè fluenta Iordanis. Hujus etiam propositi in Euangelio Ioannes Baptista author extitit, qui eremum incoluit, locustis tantùm & agresti melle nutritus. Iam deindè progeniti sunt conversationis hujus nobilissimi viri Principes, Paulus, Antonius, Hilarion, Macharius, cæterique Patres, quorum exemplis per universum mundum adolevit sancta institutio Monachorum.* Hæc Isidorus. Hieronymus quoque in Epistolà ad Paulinum Monachum de institutione Monachi istis concordat: *Habet*, inquit, *unumquodque propositum Principes suos . . . Et ut ad nostra veniamus, Episcopi & presbyteri habent ad exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum. Nos autem* (id est Monachi) *habemus propositi nostri Principes, Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macharium. Et ut ad Scripturarum authoritatem redeam, Noster Princeps est Elias, noster Dux est Eliseus, nostri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & in solitudine, & faciebant sibi tabernacula juxtà fluenta Iordanis. De ijs sunt & illi filij Ionadab, atque filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui voce Dei per Ieremiam laudantur, & promittitur eis, quòd non deficiet de stirpe eorum, vir stans coram Domino.* Hæc Hieronymus. Itaque secundùm ipsum sicut Episcopi habent suos Duces Apostolos; ità Monachi habent Filios Prophetarum.

Isti usque ad S. Ioannem Bap. continuati, dicti Filij Prophetarum, Monachi, & Monachorum Duces:

Habitantes in casulis, in solitudine propè fluenta Iordanis.

764. Advertas autem, Lector Christiane, quòd licet Rechabitæ vitam eremiticam tenerent ad imitationem Monachorum Carmelitarum, ipsi tamen * non fuerunt de eadem Religione. Nam & Carmelitæ Filij Prophetarum à tempore Eliæ, & Elisei consueverunt vovere castitatem quod Rechabitæ non fecerunt; sed habuerunt uxores. Undè præfatus Ioannes XLIV Episcopus Jerosolymitanus *de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium* ad Caprasium Monachum librô 4. capitulô 5. scribit: *Eliseus etiam per signa, & virtutes quæ operabatur inter plebes trahebat ad suam Propheticam Religionem multos devotos homines: indè est quod vir Dei Ionadab filius Rechab sciens Eliseum resuscitasse à mortuis Sunamitidis filium, tractus fuit per hac ad sequendū in prophetica disciplina vita Monastica Prophetam illum.* Et infrà: *Cynæi itàque ab hoc Rechab descendentes, & cum Ionadab filio ejus Religionem Elisei eremiticam sequentes, dicti fuerunt Rechabitæ. Quorum Pater scilicet Ionadab, per Eliseum Prophetam in disciplina prophetica monastica vitæ Eremiticæ injunxit ipsis Rechabitis, & cunctis ejusdem propositi per affinitatem eis conjunctis, cætera præter continentiam in Institutione Eliæ consulta.* Hæc ille. Abbas Joachim de Calabria in tertio suo libro concordiarum novi & veteris Testamenti ad intentum dicit sic: *Præcesserat enim Eremitica vita designata in Elia Propheta, & illâ vitâ gloriosâ in suâ claritate perdurante Eliseus Propheta inchoavit Ordinem conventualem.* Hæc ille. Idem super 15. capitulum Apocalypsis ait. *Elias Propheta Pater Ordinis Eremitici jussu divino unxit Eliseum in Prophetam.* Idem Abbas Joachim super Jeremiam tractans illud. *Audiens audivi in Ephrata transmigrantem*, dicit. *Certè vita contemplativa olìm in veteri Testamento viguit sub Elia, & Eliseo, & Filiis Prophetarum in Israël.* Hæc ille. Duobus autem modis dicuntur sancti Prophetæ Elias, Eliseus, & Filij Prophetarum Duces Monachorum. Primò, quia sunt primicerij omnium virorum virginum, ut dicit Hieronymus in Epistola ad Eustochium virginem. Secundò, quia sunt primicerij omnium Monachorum Eremitarum sive solitariorum, qui habitaverunt in eremo, prout ex allatis Patribus (quibus alij conformitèr loquuntur) audivimus.

* Nisi veluti hoc tempore Tertiarij Ordinum Religiosorum. Vide p. 1. lib. 4. cap. 5. & ibi in Notis num. 165.

Rechabitæ, & Cynæi imitatores vitæ Religiosæ monasticæ.

765. Antiquitatem, & sanctitatem Instituti Monastici S. Bernardus in Epistola ad Fratres de monte Dei, sic commendat, contra eos qui illud, tanquam novellum, & vanum, calumniabantur: *Hæc novitas*, inquit, *non est novella vanitas. Res enim est antiqua Religionis, perfecta, fundata in Christo pietatis: antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei, à tempore Prophetarum præmonstrata; jamque nova gratia sole exortô in Ioanne Baptista instaurata, & innovata: ab ipso Domino familiarissimè celebrata, ab ejus discipulis, ipsô præsente, concupita*: & infrà. *Post passionem verò Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effusi ejus sanguinis recenti memoriâ, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritûs sectantibus, & in spiritualibus exercitiis, & in contemplatione Dei pingue otium altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt.* Ecce Lector dilectissime, quomodò B. Bernardus probat Religionem Monasticam in Christo fundatam, & à discipulis affectatam,

Religiosa Monastica vita antiqua hæreditas Ecclesiæ, sub veteri, & novâ Lege.

tam, & in deserta deinceps, dum adhuc calor sanguinis ejus recens in memoria haberetur, traductam. Est igitur res antiquæ Religionis in Christo ipso fundatæ, & antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum præmonstrata, & inchoata. Hæc de origine Monachorum, seu Eremitarum Carmeli, nè prolixitate legentibus fastidium generetur, ad præsens sufficiunt.

766. ANNOT. (a) Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum. *Etiam S. Hieronymus exponens illum Psalmum, eum propriè, Religiosis in una Religione viventibus, convenire asserit. Reliqua hujus capitis satis sunt elucidata in Parte prima.*

CAPUT II.

De successione istorum Religiosorum, & de locis ubi Conventus habuerunt.

767. Successiones Monachorum Carmelitarum ostendit Joannes Carnotensis, sive Salesberiensis in Polycraticon libro 7. ubi loquens de diversis Religiosis, subjungit, dicens: *Eremitæ Baptistam Salvatoris, & Filios Prophetarum suæ Institutionis habent Authores.* Hæc ille. Illi Eremitæ sunt Carmelitæ, ut patet ex his quæ in ipsorum Regula continentur, quod Conventus illorum erat in illo monte juxta fontem Eliæ, & ibi habebant cellulas separatas, & tanquam viri solitarij silentium observabant; undè in Regula ipsorum, per Sedem Apostolicam multiplicitèr approbata, sic dicitur. *Albertus Dei gratiâ Ierosolymitanus dictus Patriarcha dilectis Filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxtà fontem Eliæ in monte Carmeli morantur in Domino salutem, & sancti Spiritus benedictionem* &c. Et quòd isti Monachi, sive Eremitæ sint Fratres, patet per eandem Regulam. Ubi dicitur: *Nullus Fratrum aliquid esse proprium sibi dicat* &c. Item in eadem Regula: *Cæteri Fratres Priorem vestrum humilitèr honorate* &c. His etiam concordat authoritas Honorij Papæ tertij in Bulla registri decimi anni Pontificatûs sui, ubi sic inquit. *Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Priori, & cæteris Fratribus Eremitis de monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Authores Monasticæ Eremiticæ vitæ qui sint.

768. Gerardus quoque Episcopus Laodiceæ in libro de conversatione virorum Dei in Terra Sancta ad Guilielmum presbyterum de Carmelitis in Terra Sancta degentibus loquens scribit: *Aliud est genus Religiosorum qui sigillatim habitabant à sæculi rebus alieni: hi sunt, qui ad exemplum Prophetæ Eliæ silentium solitudinis præferebant tumultibus civitatum.* Hæc ille. Quod autem ista intelligenda sint de Carmelitis patet ex eorum Regula per quam obligantur ad silentium, & ad sigillatìm habitandum in cellis separatis: & usque ad Regulæ mitigationem per Innoc. IV. Papam plerumq; habitabant in solitudine remotè à civitatibus.

Solitariæ vitæ Author Elias Propheta.

769. Mansiones autem, sive Conventus Religiosorum Carmelitarum in antiqua Lege varij erant. Quidam habebant Conventum in Galgala. Alij morabantur in Ramatha, alij in monte Effraim: & alia loca habebant, ubi Religioni vacabant tunc dicti Prophetæ in circuitu Terræ Sanctæ. Intendens enim Elias multiplicare Religionem Prophetarum sanctorum, solicitè huic rei operam dedit, Eliseum primò instituens, & pallió suô induens, & deindè alios post eum magnô numerô, providens ut sanctæ Religionis successio semper staret, secundùm quod sapiens Eliam alloquens dixit: *Prophetas facis successores post te, qui receptus es in turbine ignis.* Primùm quidem statuit eos multos, & post eum Eliseus, in monte Carmeli: qui in tantùm creverunt, ut spatiosum illud desertum non potuerit eis sufficere. Undè venientes ad Eliseum præceptorem suum dixerunt: *Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis, eamus ergò usque ad Iordanem, & tollamus singuli de sylva materias singulas ut ædificemus ibi nobis locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.* 4. Regum cap. 6. & sic tandèm multi manserunt ibidèm juxtà littus Jordanis, de quibus B. Hieronymus Epistolâ ad Rusticum Monachum de vita Monachi sic loquitur: *Filij Prophetarū, quos Monachos in veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas juxtà fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polentâ, & herbis agrestibus victitabant.* Hæc ille.

Conventus seu mansiones Carmelitarum in veteri Lege variis in locis.

Primarius in Carmelo.

770. De illis, qui habitabant in Carmelo Jacobus de Vitriaco (qui quondam erat Episcopus civitatis Accon juxta montem Carmeli) in historia Jerosolymitana cap. 52. hæc scribit: *Ad exemplum, & imitationem sancti viri solitarij Eliæ Prophetæ in monte Carmelo, juxtà fontem, qui fons Eliæ dicitur, vitam solitariam agebant in alvearibus modicarum cellularum tanquàm apes Domini spiritualem dulcedinem mellificantes.* Hæc ille. His etiam concordat testimonium antiquorum Patrum Carmelitarum Ordinis, qui de origine suæ Religionis in sua Rubrica Constitutionum edita ab antiquo tempore memoriale suis successoribus reliquerunt. *Quod à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, vitam Eremiticam in monte Carmeli sectantium, alij viri devoti, primò* FILII PROPHETARUM, *posteà* VIRI RELIGIOSI *&* EREMITÆ *nominati eorum vestigia sequentes juxtà fontem ejusdem montis in sancta pœnitentia usque ad tempora Salvatoris laudabilitèr successerunt: qui tandem per prædicationem Ioannis Baptistæ, & Apostolorum, fidem Christi suscipientes Oratorium in honorem Beatæ Mariæ Virginis Genitricis Dei, in declivio ipsius montis construxerunt, & ipsam in specialem Patronam elegerunt.* Hæc ibi cap. 2.

Atque indè in solitudine Iordanis.

Successio, & continuatio Religiosorū in Carmelo usque ad Christi adventum.

771. Lector Christiane, ponderare debes omninò, quod vix est aliqua Religio, & præcipuè de Religionibus antiquis, quæ alitèr docere poterit suam fundationem, quàm per documenta, & traditiones prædecessorum suorum; nec alia documenta antiqui Carmelitæ habere curaverunt. Sufficiebat enim eis bona fides, & præscriptio antiquitatis. Quoniam si quis possederit rem aliquam bonâ fide dumtaxat per trecennium, perpetuò debet gaudere præsidiô: decimâ sextâ, quæstione sextâ præscriptionum: multò rationabiliùs Religiosi Carme-

Carmelitæ, ex quibus procedit fervor devotionis, & animarum profectus, habentes documenta à suis prædecessoribus de fundatione, & titulo ipsius per annos bis mille, & ultrà, de sua fundatione,& titulo,debent gaudere præsidiô:Et nonnulli impugnatores hujusmodi fundationũ, aut titulorum, nisi evidentes rationes ostendant in contrarium,non deberent audiri, sed tanquam temerarij,præsumentesq; repelli. Nec obstat contra istam Informationem illa regula Iuris: *Domestici ad probationem minimè sunt assumendi.* In criminalibus siquidem accusatorum,& Testium distinctio observanda est, quæ in Canonibus continetur. In aliis autem etiam Domestici assumuntur, ut in possessionum,vel hujusmodi negotiis; *nam hi potissimum assumendi sunt in Testes, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum visu,& auditu dubitatio esse non debet*, ut jura loquuntur.

772. De Religiosis montis Carmeli in primordiis Ecclesiæ Christianæ Jerosolymis (a) in loco nuncupato *Porta Aurea*, commorantibus,in Chronicis antiquis, quæ *Chronica Romana* dicuntur, hæc leguntur. *Fuit tempore prædicationis Domini nostri Iesu Christi quòd Fratres de monte Carmeli in Ierusalem accesserunt: & quidam illorum annô septimô à passione Domini, regnante Romano Imperio usque ad tempus Titi & Vespasiani Imperatorum apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt, & tempore Beati Petri Apostoli Antiochia Cathedrati ipsi Carmelitæ in circumquaque Regione adiacente diversis locis Catholicè pro fide insistebant.* Hæc Ibi.

Ierosolymis Carmelitæ olim in loco dicto, Porta Aurea.

773. Carmelitæ autem Jerosolymis tenebant vitam cœnobiticam in eadem Porta Aurea: hoc est, insimul habitabant. Nam Cœnobitæ sunt, quos & nos in communi viventes possumus appellare; Cœnobium enim plurimorum est, & habuerunt omnia in communi, ac distribuebantur eis per manum Superioris: erantque unô corde, & unâ animâ Domino Deo servientes: & sic steterunt usque ad tempus Titi & Vespasiani Imperatorum Romanorum. Qui cum ingenti exercitu ad Jerosolymam venerunt, ut mortem Christi vindicarent, & populum Judaicum, atque totam Jerosolymam captivantes, prædictos (b) Carmelitas Filios Prophetarum vestibus albis indutos, honoratos muneribus, propter reverentiam Christi, illæsos dimiserunt; sicut in historia Jerosolymitana Græcè scripta,& exindè in Latinum translata, apertissimè declaratur: ea Historia incipit sic. *In terra deserta sedimus, & flevimus super sanctam civitatem Ierusalem.* Ille liber habetur in Cantia in monasterio Ordinis Cisterciensis, quod est in villa quæ ducitur Boylex, ubi est Sancta Crux.

774. Indè prædicti Carmelitæ successoribus suis exemplum sanctæ conversationis posteris relinquentes, *circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis*, atque in mantellis albis, *egentes, in solitudinibus conversantes, in montibus, & in speluncis atque in cavernis terræ.* Habebant tamen etiam loca in quibusdam civitatibus, & villis,aut circa eas: & sic steterunt usque ad annum Domini quadringentesimum duodecimum (quô à Joanne XLIV. Episcopo Jerosolymitano Regulam scriptam acceperunt) & indè usquè ad adventum Humar Regis Arabiæ; qui erat discipulus perfidi Mahometi,atque Regni ejus successor; qui cum ingenti multitudine Sarracenorum veniens contra Terram Sanctam, eam obtinuit totam,& sanctam civitatem Jerusalem dominio suo subjugavit anno Domini sexcentesimo trigesimo nono. Illô autem tempore, quamvis pauci Monachi Carmeli Ordinis,attamen probatissimi erant; qui dimiserunt mansiones quas habebant in urbibus,& in villis, Carmeli montem non deserentes: sed jugitèr in eo, & in quibusdam aliis eremis Terræ Sanctæ, sub disciplina vitæ Monasticæ Eremiticæ per Prophetam Eliam eorum Fundatorem institutæ (& in libro illo Joannis scriptæ) permanserunt usque ad annum Domini 1099. (quô Jerosolyma est reddita Christianis) atque indè usque ad annum 1291. quandò à Turcis monasterium montis Carmeli fuit igni traditum, trucidatis omnibus Religiosis. Idem contigit in aliis monasteriis Terræ Sanctæ.

Hebr. 11.

Successio Carmelitani Ord. à Passione Christi usque ad an. 1291.

Tunc Carmeli monasterium igni traditum,& trucidati Religiosi.

775. Tunc verò poterant Carmelitæ recipere verba Jeremiæ desolationem locorum Terræ Sanctæ plangentis. *Prædo irruit: ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo.* Quo ad fontem plangentes poterant dicere verba Amos primô dicentis. *Et luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli*: idest fons Eliæ; & sic totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per Jeremiam Prophetam libri sui cap. 4. dicentem. *Aspexi,& ecce Carmelus desertus, & omnes urbes ejus destructæ sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris ejus.* Et si montem Carmeli, in quo Carmelitæ à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum continuè & incessantèr in contemplatione Dei perstiterant, atque cætera Terræ Sanctæ monasteria, in hac persecutione Saracenorum ex toto amiserunt; etenim lætitiam, & exultationem, id est contemplationis dulcedinem, quâ in illo monte recreabantur, non esse ibidem perpetuò permansuram, Isaias Propheta olìm prophetaverat cap. 16. libri sui dicens. *Auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo.* Ab illo tamen monte, & ex Terra Sancta ejecti Carmelitæ, dilatati fuerunt in diversis hujus mundi partibus.

Jerem. 48.

Amos. 1.

Carmeli desolatio à Prophetis pronunciata.

776. ANNOT. (a) In loco nuncupato Porta Aurea. *De illo Conventu* Portæ Aureæ. *Vide hic suprà in Defensorio Hildesini cap. 13. & ibi in Notis.*

777. (b) Carmelitas Filios Prophetarum vestibus albis indutos honoratos muneribus. *Eadem tradunt alij Ordinis Historici Paleonydorus lib. 2. cap. 3. Arnoldus Bostius in Speculo Historiali lib. 5. cap. 14. Et Annales Ordinis. Quod Vespasianus in Carmelo fuerit, scribit Suetonius tractans de Vespasiano cap. 5. ubi hæc, inter cætera:* Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem &c. *Eadem ferè habet Tacitus. Quod additur* ob reverentiam Christi *non denotat, hos Ethnicos Imperatores Christum reveritos, sed solùm, vel in gratiam boni ominis, à Basilide Christiano pronunciati, sic se gessisse ejus cum Sodalibus. Cætera hujus capitis perspicua sunt ex antecedentibus, præsertim Parte prima lib. 2. 3. & seq.*

Vespasianus Carmelum visitans Carmeli incolis quid præstiterit.

CAP. III.

CAPUT III.

Quomodò Religiosi viri montis Carmeli baptizati ab Apostolis cum eis fidem Christi prædicaverint, & in Carmelo Ecclesiam Salvatoris Matri dedicaverint.

778. MAgister in Historia Scholastica super secundum caput Actuum Apostolorum scribit: *Anno in quo Christus ascendit in cælum, erant in Iudæa viri Religiosi Iudæi habitantes ex omni natione quæ sub cælo est, & illi in Ierusalem convenerunt, ut Festum Pentecostes ibidem celebrarent.* Hæc ibi. Idem super primum Capitulum Actuum Apostolorum. *Apostoli*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi habitabant tunc in Ierusalem propè loca horum Religiosorum, scilicet in Cænaculo grandi, & strato, in quo præceptor Dominus sibi pararat Pascha; quod erat in monte Sion, scilicet in illa parte, quæ dicitur Mello. Vbi erat palatium quod David sibi construxerat. Itaque in die Pentecostes factus fuit repentè* de dicto palatio *sonus de cælo, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant Apostoli, & Discipuli sedentes: repletique sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Auditô istô fragore insolitô ad Cænaculum Apostolorum accesserunt; qui cum illuc pervenissent stupebant omnes, & mirabantur: quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ, in qua natus fuerat, Apostolos loquentes.* Hæc ille. Item super secundum Caput Actuum Apostolorum ait: *Beatus autem Petrus Apostolus cernens Religiosos, & alios Iudæos, qui supervenerant, legem Dei non ignorare, incæpit detrahentium opinionibus obviare.* Et infrà: *Aliisque pluribus verbis exhortatus est eos Petrus: qui acceperunt sermones ejus, & baptizati sunt ipsô die in Christo recipientes Spiritum sanctum, & loquentes diversa genera linguarum.* Hæc ille.

Ierosolymis Viri Religiosi Carmeli Eremitæ olim mansionem habebant vicinam Cænaculo Apostolorum.

Vide eadem fere parte 1. lib. 5. cap. 5. 6. 7. & 8. nu. 199. & seq.

779. Quod autem Filij Prophetarum Religiosi montis Carmeli propè hoc Cœnaculum habuerint hospitium, & illuc ad Pentecostes festum de Carmeli vertice, & aliis locis descenderint, accuratè in libro 5. de Institutione primorum Monachorum ad Caprasium Monachum cap. 5. scribit Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus in hunc modum: *Anno*, inquit, *in quo Christus Iesus ascendit in cælum Religiosi Carmelitæ prædicti mox post ejus ascensionem in Ierusalem convenerunt, ut ibi Festum Pentecostes celebrarent. Habitabant autem tunc in Ierusalem Apostoli Domini propè mansiones dictorum Monachorum, Carmeli scilicet in Cænaculo grandi & strato, in quo Christus Iesus in die cœnæ fecit sibi parare Pascha, ubi Sacramentum Eucharistiæ instituit, & Corpus suum sub specie panis sumendum Discipulis tradidit, quod Cænaculum erat in monte Syon scilicet in illa parte quæ dicitur Mello, ubi erat olim palatium quod Rex David sibi construxerat.* Hæc ille.

780. Et ex tunc Carmelitæ erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & cum Apostolis fidem Christi constantissimè prædicaverunt, prout etiam idem Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus de Institutione primorum Monachorum libro 5 cap. 8. tradit his verbis: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, quotidieque perdurantes in orationibus unanimitèr in Templo, cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum.* Et subdit ad propositum. *Denique multi eorum ea quæ ab Apostolis hauserant cæteris effundentes fidem Christi per Phœnicem, & Palæstinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ, ac monasticâ conversatione Ecclesiam Dei insignissimam demonstrantes.* Hæc ille.

Carmeli Eremitæ Apostolorum coadjutores in prædicatione fidei.

781. His consonat Sigibertus in Historia Jerosolymitana ità scribens: *Cum Carmelitæ perseverassent in sancta pœnitentia à tempore sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, tandem Christum prædicantem audierunt, qui Religiosi fidem Catholicam confitentes in Christo baptizati sunt. Deindè perseverantes in doctrina Apostolorum habentes gratiam ad omnem plebem, veritatis Euangelicæ nuntij fideles, & Religionis Christianæ legitimi defensores effecti sunt.* Hæc ille. Et Josephus Antiochenus in *Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ cap. 12.* ubi loquens de Religiosis Carmelitis, inter cætera sic ait. *Perfectorum militum Christi, & Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi viri, & solitarij, contemplationique dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces; qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt. Quique in Virginis Mariæ honorem in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Hæc ille.

De ista Sigiberti historia Jerosolym. vide hic suprà ... Notas ad Bern. Olerium. n. 745.

De istis vide parte 1. lib. 5. cap. 8 & ibi in Notis.

782. Et Armachanus in sermone de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, quem prædicavit Avenione coram Venerabili Cœtu Cardinalium, in Festo Conceptionis Virginis gloriosæ annô Domini millesimô trecentesimô quadragesimô secundô, in Conventu Carmelitarum. *Quoniam, ut dicunt fide digna historia, à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpiùs morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare usque ad tempora Salvatoris; & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conversi: & in uno latere montis ipsius primi Ecclesiam, sive Oratorium in honorem Beatæ Mariæ Virginis construxerunt: & ob hoc nimirùm inter Religiosos Dominæ nostræ primitùs sunt adscripti, ut vocarentur Fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo. Qui insupèr in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium sollicitissimè laboraverunt: & consequenti tempore à sancto Ioanne Ierosolymitano Patriarcha Regulam vivendi communitèr sanctorum Paulini &* * *Basilij susceperunt.* Hæc ille.

Successio Eremitarum montis Carmeli à tempore S. Eliæ, & deinceps.

*Vide sup. n. 577.

783. Istis de Ecclesia in Carmelo constructa ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ concordant etiam Chronica antiqua, quæ Chronica

nica Romana dicuntur, ubi de tempore Titi & Vespasiani Imperatorum sic dicitur: *A tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, qui morabantur in monte Carmeli, juxta civitatem Dominæ nostræ Nazareth, secretiùs solebant homines devoti habitare usque ad tempora Salvatoris. Qui tandem prædicantibus Apostolis in fide confirmati, in uno latere ipsius montis primò Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ construxerunt.* Hæc ibi. Alia ad intentum de prædicatione virorum Religiosorum de monte Carmeli, unà cum Apostolis, ex illis Chronicis Romanis adducta sunt sub finem capitis præcedentis. Cui verò de his subtilior cura fuerit, quærat, & inveniet quos nos omisimus, nè prolixiores simus.

784. ANNOT. *Illa hujus capitis latiùs descripta sunt parte 1. libro 5. cap. 4. 5. & sequentibus, de Capella autem in Carmelo dicata B. Virgini Deiparæ libro 6. cap. 5.*

CAPUT IV.

(a) *Quare Religiosi Carmeli (a) Fratres Beatæ Mariæ Virginis nuncupentur.*

785. HIc occurrit dubium: Si Ordo Carmeli à sanctis Prophetis Elia & Eliseo sumpsit exordium, quomodò dicitur habere Beatam Mariam in specialem Patronam? & quomodò ab eadem Virgine dicitur intitulari? Respondetur, quantùm ad primum? Quòd Patronus alicujus Religionis dupliciter dicitur, videlicet activè, & passivè. Ille dicitur Patronus activè, qui Religionem inchoat, ac fundat; qualitèr Beatus Dominicus, & Beatus Franciscus, & multi alij sancti dicuntur Religionum Patroni. Aliô modô dicitur Patronus passivè, & hoc tripliciter. Primò dicitur ille Patronus in cujus honore specialitèr fundatur; & sic Trinitas dicitur Patronus specialis Ordinis Fratrum de Trinitate. Aliô modô dicitur Patronus passivè, quem religiosi viri propter devotionem, aut aliam causam rationalem sibi in Patronum eligunt; qualitèr sanctus Benedictus dicitur Patronus nigrorum Monachorum: non quidem quòd ipse Ordinem illorum fundaverit, cum Monachi ipsum præcesserint; sed quia Monachi videntes sanctitatem ejus ipsum in Patronum elegerunt, & regulam, & modum vivendi ab ipso habere voluerunt. Tertiò dicitur ille Patronus passivè, in cujus honore monasteria fundantur; qualitèr omnes Ecclesiæ dicuntur habere Patronos. Istis reverà modis dicitur Beata Virgo Maria Patrona specialis Fratrum Carmelitarum Ordinis; quoniam illi Filij Prophetarum in Carmelo, commorantes propter specialem devotionem, quam habuerunt ad Beatam Virginem Mariam Christi Matrem, ipsam sibi elegerunt in specialem Patronam; & annô Domini octogesimô tertiô Ecclesiam, seu Oratorium in medio cellularum, in honorem ejusdem Virginis, in monte Carmeli, juxta fontem Eliæ, construxerunt; & usque in hodiernum diem omnes Ecclesiæ Fratrum Carmelitarum, ubique, & ubicumque per ipsos fundatæ, in honorem Beatæ Mariæ Virginis Dei Genitricis constructæ sunt; & sic meritò Ordo prædictus dicitur habere Beatam Mariam Virginem in specialem Patronam.

Patronus dupliciter sumitur, activè, & passivè.

B. Maria Deipara quâ ratione Patrona Ordinis Carmeli.

786 Quantùm autem ad titulum, est sciendum, quod aliqui Religiosi intitulantur ab officio pro quo fundati sunt; sicut Fratres Prædicatores ab officio prædicationis, dicuntur Prædicatores. Aliquandò intitulantur à virtute quam præcipuè sectari debent; sicut Beatus Franciscus ab humilitate voluit Fratres suos vocari Minores. Aliquandò verò intitulantur à loco, ubi Ordo illorum inchoatus fuerit; qualitèr Cistercienses vocati sunt. Aliquandò intitulantur à Patrono, sive activè, sive passivè accepto, & sic intitulantur Augustinienses, & Patres de Trinitate, similitèr & Monachi sancti Benedicti, Cœlestini, & multi alij sancti Religiosi. Istis autem duobus modis intitulatur Ordo prædictus, scilicet *Beata Maria*, intitulatur etiam *Ordo Carmeli* à loco, undè traxit originem; ut sic totus titulus ipsius Ordinis sit iste: *Ordo Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli*; & meritò *Fratres Circumcisionis, nuncupantur Fratres Beatæ Mariæ Virginis*; nam & *Carmelus* ex communi interpretatione idem est, quod *sciens Circumcisionem*. Undè & sponsus Ecclesiæ, eminentiam ejus considerans, illi magisterium Carmelitarum Ordinis attribuendo dicebat: *Caput tuum ut Carmelus*: Canticorum septimô, ubi per caput intelligitur recta mens animæ; ergo caput tuum est mens tua. Et Maria Dei Genitrix est *ut Carmelus*, idest verè *cognoscens Circumcisionem*; quia prima fœminarum per spontaneam voluntatem; & virginitatem, scivit à se prorsùs circumcidere omnem impudicitiæ voluntatem; sicuti Filij Prophetarum in Carmelo morantes primi virorum seipsos Deo, per virginitatem perpetuam spontè dedicantes, castraverunt prorsùs à venereis voluptatibus mentes suas; & propterea *Filij Prophetarum* appellati sunt *Carmelitæ*, quod modo interpretatum est, *scientes circumcisionem*; quia hoc quod Circumcisio indicat sciverunt perfectè in se adimplere.

Tituli Ordinum Religiosi modis desumantur.

Carmelus & Carmelita idem quod sciens circumcisionem.

787. Sic Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus (qui *tempore quô Siricius post Damasum Romæ rexit, Ierosolymis ipse sedit, & refecit Ecclesias* ut habetur * libro 2. in Historia Ecclesiastica) temporibus Arcadij & Honorij Imperatorum ad Caprasium Monachum sanctæ Mariæ Virginis lib. 6. cap. 7. de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium hæc descripsit: in quo, secundùm veritatem historiæ, ingentem conformitatem invenit Eliæ Prophetæ cum Virgine sacra Maria; quia virgo primus Elias inter homines, Virgo prima Maria inter fœminas; Quam

** Vide parte 1. num.*

Virginitas conformitas magna inter B. Mariam Deiparam, & S. Eliam.

Quam contemplatus est Elias in vestigio quasi hominis, tertio Regum cap. 18. *Elias enim ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua, & dixit ad puerum suum. Ascende, & prospice contrà mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Rursùm ait illi, Revertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari:* & per eam nubeculam ipsi in spiritu præmonstrata fuit puella Virgo Deum paritura, scilicet Beata Maria, in septima generationum ætate nascenda.

788. Prætereà Reverendus Doctor Parisiensis Magister (b) Joannes de Hisdinio in libro sermonum suorum, scilicet in illo sermone, qui sic incipit. *Datus est ei decor Carmeli*, tradit, quòd in Concilio Ephesino (quod fuit celebratum per sanctos Patres scilicet ducentos Episcopos anno Domini CCCCXXXI.) præsidebat, locô Papæ Cœlestini primi, Cyrillus Ordinis Fratrum de Carmelo Doctor egregius, Patriarcha Alexandrinus; qui disputavit contra Nestorium, ponentem Virginem Mariam infectam peccatô, & maledictioni primæ mulieris obnoxiam. Scripsit is librum, per quindecim capitula distinctum, in quo determinans pluribus rationibus ipsum Nestorium confutavit. Definiens ibidem cum prædicto Concilio, quòd temerarium est dicere in ipsa Beata Virgine fuisse aliquam maculam. Et quia ità scientificè disputavit, fuit in dicto Concilio ordinatum, quòd omnes Fratres dicti Ordinis de Carmelo, titulô gloriosæ Virginis Mariæ insignirentur; cum & principalior Fundator ipsius Ordinis ac Religionis fuerit de Tribu Aaron, * de qua ipsa Virgo Maria descendit: & primus Conventus ipsius Ordinis novi Testamenti fuerit fundatus in *Porta Aurea*, vel propè eam: in quo loco ipsa Beata Virgo Maria fuit concepta: & * illô titulô sancta Ecclesia illam Religionem pluribus privilegiis honoravit. Hæc omnia planiùs habentur in explanatione sacrorum Conciliorum. Hæc ille. Erat Doctor ille de Ordine sancti Joannis. Et cum eo concordant quædam (c) Chronica antiqua, quæ habet Dominus Rex Franciæ, tàm in Latino, quàm in Gallico.

(b)

Nestorij impia dogmata de B. Maria confutavit S. Cyrillus Alexandr. Patriarcha.

* Vide suprà Notas ad Viridarium Grossi nu. 557.

* Vide nu. 524. & seq. num. 530.

(c)

789. Est & alia ratio intitulationis dicti Ordinis de Carmelo à Beata Dei Genitrice Maria, videlicet quia Fundatores ejus, scilicet Elias & Eliseus, Filium Beatæ Mariæ Virginis peculiaritèr præfigurarunt. Nam Christus Filius Virginis Mariæ suscitavit filium viduæ: Lucæ septimo. Christus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: Matthæi quarto; sic Elias: tertio Regum decimo nono. Christus vivus ascendit in Cœlum: Actuum primo: Et Elias raptus est in paradisum: 4. Regum 2. Christus impugnavit diabolum scripturis sacris: Matthæi quarto; sic Elias Antichristum: Apocalypsis undecimo. Christus meruit conversionem omnium ad Deum: Joannis vigesimo nono; sic Elias in fine mundi universos convertet ad Christum: Malachiæ quarto. Alia ejus multa miracula habentur tertio Regum 17. 18. 19. & 21. capitulis. Christus baptismô sanctificavit aquas: Matthæi tertio: Eliseus sale aquas pessimas & mortiferas sanavit 4. Regum 2. Christus panes multiplicavit: Joan. 6. Eliseus de modico oleo omnia vasa usque deficerent implevit: 4. Reg. 4. Christus in vita & post mortem mortuos suscitavit: Ioan. 11. & Matthæi 26. Sic Eliseus 4. Regum 4. & 13. Alia ejus multa miracula habentur 4. Reg. 2.3.4.5. 6.7. 8. & 13. Insupèr Carmelitæ habent Regulam imitantes vitam Beatæ Mariæ Virginis, ut patere potest intelligenti ejus vitam Euangelicam, & regulam decem Romanorum Pontificum Bullis munitam. Ob rationes jam allatas (præter alias) Religiosi montis Carmeli rectè dicuntur Fratres Beatæ Mariæ Virginis.

790. (d) Apud civitatem Cestriæ, cùm quidam Carmelitis inviderent, & eos non sub specialiori titulô, quàm cæteros Religiosos, Mariæ famulari, constantiùs assererent; proptereà indignatio divina descendebat super eos. Nam quasi omnes detractores Carmelitarum Ordinis subitò mortui sunt. Propter quod Abbas Thomas (e) Monasterij sanctæ * Werburgæ, ejusdem civitatis, processionem generalem ad sanctam Werburgam statuit fieri: in quo monasterio in Australi parte Chori ad caput tumuli Goddestaldi Eremitæ quædam erat Imago Beatæ Mariæ Virginis, per quam Deus operatur multa miracula. Cum ergo processio fieret, & juxtà dictam Imaginem Carmelitæ transirent cum magno populo, & non longè ab imagine starent, ipsamque adorarent: Imago, cum digito ipnuendo, eisdem Carmelitis, cunctis audientibus, dixit. *Ecce Fratres mei, Ecce Fratres mei, Ecce Fratres mei dilecti, atque praelecti*: quasi unicuique ipsorum Fratrum videretur id dicere specialitèr. *Mihi factus es Frater.* (f) Hæc ex gestis illius Ecclesiæ.

(d) *Cestriæ in Anglia magnum contigit miraculum.*

(e) * *Al.* Euerburgæ.

Imago B. V. M. Carmelitas Fratres suos nuncupat.

(f)

791. Dominus autem Pontifex Urbanus Papa sextus concessit omnibus Christi fidelibus, qui Monachos Carmelitas *Fratres Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmeli* vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum gratiosè, temporibus perpetuis duraturam. Hæc ex Registro Urbani Papæ sexti annô secundô Pontificatûs sui. Religio itaque Carmelitarum meritò intitulatur titulô Beatæ Mariæ Virginis etiam per plura privilegia Apostolica: ut patet privilegia Ordi..is intuenti. Et hoc est testimonium quod perhibet Dominus Joannes Papa XXII. & etiam Dominus Clemens Papa sextus, qui in privilegio exemptionis Carmelitarum Ordinis dicunt sic. *Sacer Ordo vester in agro Dominico Divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialitèr insignitus Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.* Et hoc sufficit, quia *quod Sedes Apostolica approbat, approbatum est*, ut habetur in Decretis, vigesimâ quartâ quæstione primâ. *Hæc est fides.*

Plura circa hæc vide parte 1. in Append. §. 7. & 8 nu. 529. & seq.

ANNOT. (a) Fratres B. Mariæ. *Rationes istius nomenclaturæ habes parte 1. lib. 6 cap. 5. & in libris, seu Tractatibus ferè omnibus in hac parte.*

792. (b) Joannes de Hisdinio. *De illo hæc Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*: Joannes de Hisdinio, Ordinis Fratrum Hospitalis sancti Joannis Jerosolymitani: vir in Divinis scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, sacræ Paginæ Doctor insignis, & declamator sermonum egregius, ingeniô acutus & eloquiô compositus. Edidit multa præclara volumina. *Et infrà*: Sermon. var. lib. 1. *De confirmatione tituli istius* Fratres B. V. Mariæ *in Concilio Ephesino, vide Notas in Opusculum Bernardi Olerij hîc suprà, num* 742. & 747.

Ioannis de Hisdinio eruditio, & scripta.

(c) Chronica antiqua. *De ista Chronica, seu libro etiam agitur in Notis ejusdem* Opusculi num. 746.

793. (d) Apud civitatem Cestriæ. *Illa in Anglia sita Comitatui adjuncto nomen dedit: vulgò Anglis* Chester, & Westchester, *Saxonibus* Lege cester. *Etiam nuncupatur* Urbs legionum: *de qua plura videri poterunt in Actis Sanctorum per Bollandum, & Henschenium, in vita S. Werburgæ ad diem 3. Februarij in Commentario prævio* §. 2.

Cestria ubi sita.

794. (e) Monasterij S. Werburgæ. *In libro, cui titulus*: Monasticum Anglicanum, seu Pandectæ Cœnobiorum Benedictinorum, Cluniacensium, Cisterciensium, Carthusianorum &c. *Typis edito Londini anno* 1655 *De illo monasterio ista memorantur*: Sanctæ Werburgæ Cœnobium in Urbe Cestriensi. *Ibidem de S. Werburgæ progenitoribus ista*: Habuit ex illo Rege Ercomberto (*Serburga*) duas filias, Ercongotam, & Ermenildam. De Ercongota scire volentes lectio Bedæ informabit. Ermenilda Wlphero Regi Merciorũ locata habuit filiã Werburgam virginem sanctissimam. *Et de Monasterio ipsius S. Werburgæ*: In Urbe (*Cestria*) fuit ex antiquo sanctimonialium Monasterium: nunc per Hugonem, Cestrensem Comitem Monachis repletum. Prædicatur ibi Werburga virgo, filia Wlpheri Regis Merciorum. *Et infrà*: Hoc quoque anno (scilicet MXCIII.) Venerabilis Anselmus Abbas Beccensis de Normannia venit in Angliam, rogatu Hugonis: Cestrensis Comitis.... *Causa una itineris scribitur fuisse*: Ut Monasterium apud Cestriam fundaret, cui loco Capellanum suum Ricardum, primùm assignavit Abbatem, Canonicos sæculares in Monachos Regulares convertendo, sed indè redeundo Archiepiscopus Cantuariensis factus est. *Ea videtur fuisse secunda fundatio: de prima fundatione posteà sequitur* Carta fundationis Abbatiæ Cestriæ per Edgarum Regem, facta anno Incarnationis Dominicæ DCCCLVIII. .... Deo omnipotenti in honore sanctissimæ Virginis Werburgæ in loco qui dicitur Cestria &c. *Deindè consequenter ponitur donatio prædiorum, & possessionum facta Sanctæ Werburgæ ab Hugone Comite Cestriensi &c. & carta Ricardi Comitis Cestriæ: quæ incipit*: Anno ab Incarnatione Domini MCXIX. regnante potentissimo Rege Henrico, ego Ricardus Comes &c. communi consiliô confirmavimus omnes donationes, quæ datæ sunt à me, vel à meis in meo tempore Ecclesię Sanctę Werburgæ Cestriæ &c. *Tandem sequuntur etiam aliorum Comitum cartæ. De illo Monasterio* S. Werburgæ, *seu* Werebergæ (*prognata patre Wlphero, Merciorum, & Mediterraneorum Anglorum &c. Rege Christianissimo, ac matre S. Ermenilda*) *plura reperies dictô locô in præfatis Actis Sanctorum ubi ipsius S. Werburgæ vita, præclaris Notis illustrata traditur.*

In ea celebre fuit Monasterium S. Werburgæ.

795. (f) Hæc ex gestis illius Ecclesiæ, *videlicet Monasterij S. Werburgæ. Contigit illa Historia occasione valida impugnationis intitulationis hujus Ordinis à SS. Virgine Maria: quam æmuli sublatam volebant, calumniantes Ordinem nuncupatum* S. Mariæ, *non Virginis Deiparæ, sed Ægyptiacæ meretricis conversæ, nec confirmatum, nec à SS. Prophetis Elia, & Eliseo institutionem, aut successionem habere. Plura circà hæc videri poterunt in speculi hujus parte primâ sub finem, in Appendice* §. 5. *num.* 516. & *seq. & in hac Parte variis locis, nec non in parte* 3.

CAPUT V.

Quod Carmeli Religio sit approbata, tàm Iure Divinô, quàm Canonicô.

796. RELIGIO quæ mandatô Dei, & consiliô sancti Spiritûs fuit inchoata, & instituta, dignoscitur esse Iure Divinô approbata, & per Deum confirmata. Religio autem Religiosorum Carmelitarum fuit mandatô Dei, & consiliô Spiritus sancti per Eliam Prophetam inchoata, & instituta, ut patet libro 1. de gestis Religiosorum Carmelitarum cap. 2. & lib. 2. cap. 2. Est ergo hæc Religio Iure Divinô approbata, & confirmata. Ampliùs, Ius Divinum Fundatorem illius Religionis Eliam commendat de hoc quòd ad eam observandam discipulos traxerit, & in hujus laudem in Ecclesiastico Capitulo 48. ait: *Prophetas facis successores post te.* Idem etiam Ius discipulos Eliæ commendat de hoc quòd obtemperaverint Eliæ in observanda hac Religione, & in eorum laudem sapiens Ecclesiastici 48. cap. ait Eliæ: *Beati sunt qui te* * *audierunt, & in amicitia tua decorati sunt*, ut patet libro 2. de gestis Religiosorum Carmelitarum cap. 2. & cap. 8.

Iure Divino confirmata, & per Dei providentiam confirmata Carmeli Religio.

* *Al.* viderunt.

797. Præterea illa Religio, quæ semper in sua stabilitate perseveravit, ita firma, quòd nunquàm potuerit dissolvi per aliquam persecutionem, neque per aliquam legis editionem censetur ipsô Iure divinô esse approbata, & per Dei providentiam esse confirmata. Sic enim Actuum 5. Gamaliel Legis Doctor, vir honorabilis, conantibus Religionem Christianam dissolvere dixit de illa. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis illud dissolvere, nè fortè & Deo repugnare* * *videamini.* Religio autem Fratrum Carmelitarum perseverat in sua stabilitate semper firma, itá quòd nec tempore novæ Legis potuerit dissolvi per aliquam persecutionem, vel legis editionem, sicut patet in tertio libro de gestis Religiosorum Carmelitarum cap. 1. & 2. & lib. 2. cap. 7. & 8. & alibi. Patet igitur quod est Iure Divinô approbata, & per Dei providentiam confirmata. Alioquìn in tam prolixo tempore, quod fluxit ab ejus origine, posset utique illa Religio esse penitùs dissoluta inter tot adversa, dicente Domino Matthæi 15. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

* *Al.* inveniamini.

798. Cum autem Carmelitæ perseverassent à tempore sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, usquè ad annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum quintum stabiles, contigit eos accedere ad summum Pontificem videlicet Honorium Papam tertium supplicantes, ut tam antiquum Ordinem confirmationis munimine roborare dignaretur. Cum dies decreti differtur, noctis tenebras interrumpens sanctissima Dei Mater, lucerna superni luminis, omnium malorum medicina, om-

Honorio III. Pontifici apparens B. V. Maria jubet confirmationem Ordinis Carmeli.

Vide etiam parte 1 n. 357. omnium bonorum mediatrix,* summum Pontificem Honorium tertium maturitatis suæ oculis inspiciens, & minaci vigore lenitatem clementiæ contemperans, admonet, petentium vota complenda non differre: insinuatque eidem duos æmulos Carmelitarum Religionis eâdem horâ, ultore Deô, mortalitèr esse plexos, dispari exitu, sed decessu pari. Nec est (inquit) adversandum in his negotiis, dùm ego jubeo, nec dissimulandum dùm ego promoveo. His dictis disparuit sacratissima Virgo Maria. Et Papa expergiscens se contulit orationi: & mox suos obnixè concitat in favorem Carmelitarum Ordinis, perpetuô tempore non violandi.

799. Deindè Gregorius Papa decimus in Concilio Lugdunensi de novo antiquam Ordinis confirmationem renovavit. Cujus insupèr memoriam Bonifacius Papa octavus in sexto libro Decretalium solidando, perpetuavit sub his verbis. *Caterùm verò Eremitarum sancti Augustini & Carmelitarum Ordines, quorum Institutio Concilium Lateranense præcessit, in statu solido volumus permanere.* Et Dominus Papa Joannes XXII. & etiam Clemens VI. in privilegiis exemptionis hujus Ordinis facientes mentionem de illo Jure Extra. de religiosis domibus §. *Caterùm* dicunt. *Sacer Ordo vester in agro Dominico Divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialitèr insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli, cujus professores, mundanis a se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt jugitèr perfectui animarum &c.* Infrà. *Nos autem dictum Ordinem in statu firmo, solido & stabili decrevimus, & volumus permanere &c.* De confirmatione Fratrum Carmelitarum non plura ad præsens. Conseruet eos Deus, qui illos plantavit in suo agro sancto. Amen.

Eandem confirmarunt Pontifices alij.

ANNOT. *De confirmatione Ordinis plenius actum est parte 1. libro 10. cap. 6. 7. & 8. nec non in Opusculis præcedentibus.*

CAPUT VI.

De habitu Ordinis Carmeli, ac de iterata mutatione pallij superioris.

800. FUndatoris Carmelitarum Ordinis Prophetæ Dei Eliæ habitus ex ijs integralitèr constabat: Melotê induebatur, Zonâ pelliceâ circà renes cingebatur. Superhumerale (quod nos nunc Scapulare appellamus) indesinentèr deferebat: super hæc Pallium album portabat, & Baculum in manibus gestabat: ad cujus imitationem discipuli ejus similibus habitibus erant induti. Dicitur autem propriè melota à Mele animali, quod etiam Taxus appellatur: de cujus pilis, vel pelle, vestis facta, quæ est valdè hispida, melota est vocata, quælibet tamen vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, melota, sive pera propriè dicitur.

Habitus Carmelitani Ordinis quibus constet partibus.

801. Super hunc habitum, videlicet melotam, antiqui Carmelitæ palliô albô solebant uti à tempore Eliæ. Nam & Elias Propheta hoc pallium inter Monachos illius professionis primò introduxit, prout tradit Joannes XLIV. in libro de Institutione primorum Monachorum (de quo Joanne tangitur in Ecclesiastica Historia libro 2.) Hôc palliô operuit Elias vultum suum, cum in monte Oreb transiret Deus antè eum. Hoc quoque pallium misit ipse super Eliseum, quandò accepit eum in Discipulum. Pallium autem illud fuit vestis rotunda, à collo versùs terram totum corpus operiens: anteriùs aperta, sed alibi undique clausa, superiùs angusta, inferiùs amplitudine expansa. Hoc pallium Elias Propheta Eliseo dimisit, dum ab eo in paradisum voluptatis ascendit. Docuit autem per hoc Elias, Monachos hanc Religionem profitentes debere palliô supervestiri albô: quemadmodum eos albis indutos Dominus præostendit Sabachæ patri Eliæ. Ante quippè filij sui Eliæ nativitatem vidit Sabacha in somnis viros candidatos, qui ipsum salutabant. Comestor in Historia Scholastica super 2. caput quarti libri Regum scribit: *Legitur quòd Sabacha Pater Eliæ nondùm nati vidit in somnis viros candidatos se salutantes.* Joannes XLIV. ubi supra, ait. Quæ visio præsignavit quales ejus filius Elias imitatores vitæ suæ Monasticæ habiturus esset. Cernens namquè Sabacha viros candidatos, vidit in spiritu Religiosos Carmelitas, per Eliam instituendos. Quos ideò candidatos vidit; quia Eliam, velùt monasticè vivendi exemplar, erant imitaturi in candore, nedùm mentali sinceræ charitatis; sed etiam corporali habitûs albi eos desupèr tegentis. Hujus autem pallij albi gestatio significat, Monachos istius professionis debere & puritatem mentis servare, & etiam sanctimoniam carnis custodire: quemadmodùm Apostolus monet, dicens, *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini.* Hinc Elias, qui primus usum hujus pallij albi in Monachos introduxit, per hoc significavit, Monachum palliô suô albô opertum, debere exemplô ejus servare sanctimoniam, nedùm in mente; sed & in carne, seruetque illud Monachus per sanctimoniam semper mundum, sicut scriptum est: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Ecce, Lector Christianissime, hîc apertè vides, quòd viri candidi, quos vidit Sabacha pater Eliæ sint Fratres gloriosæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, pollentes candore duplici, mentali scilicet illibatæ castitatis, & corporali cappæ albæ, desupèr eos tegentis. In quo Eliam, velùt rectè vivendi exemplar, imitantes, Sabacham patrem ejus sunt salutantes, dum vitæ Eliæ tramitem non deserentes salutem animæ sunt possidentes.

Pallio albo usus Elias.

Sabacha Eliæ Pater visionem habuit virorum candidorum se salutantiũ.

Quid visio illa præsignarit.

2. Corint. 7.

Eccle. 8.

802. Paliiis ejusmodi albis usi sunt Ordinis hujus Religiosi usquè ad annum Domini sexcentesimum trigesimum nonum. Tunc Humar Rex Arabiæ, discipulus perfidi Mahometi, obtinuit totam Terram Sanctam Saraceni verò molestè ferebant, quòd Monachi Carmelitæ veste albâ desupèr induti incederent. Nam eorum Satrapæ vestibus albis induebantur.

Palliis albis usi Carmelitæ usque ad an. Chr. 639.

Tunc coacti à Saracenis assumpserunt barrata.

tur. Ideò dictis Monachis Carmelitis indixerunt, nè de cætero palliô albô uterentur. Quapropter pallium barratum unanimitèr, licèt contrà eorum voluntatem, sumpserunt: quod pallium ex septem partibus duplicis coloris, ab invicem distinctis, sed consutis, totalitèr integrantibus, perpendicularitèr à collo usque ad terram descendentibus, constabat. Quarum tres sunt nigræ, aliæ verò quatuor sunt albæ. Talibus verò palliis barratis constat dictos Fratres usos fuisse per annos sexcentos videlicet usque ad tempora Honorij Papæ quarti, qui pro eo quòd pallij barratura oculis habitantium in partibus Europæ, ut purà in Italia, Alemania, Anglia, Francia, & Hispania nimiùm displiceret, in cappam albam ipsum pallium barratum commutavit, ut ex Bulla ejus ostendi poterit. Et idem habetur in libro, qui dicitur Policraticon (à pluralitate temporum) librô 7. cap. 38. ubi sic dicit Doctor ille: *Honorius Papa quartus post Nicolaum sedit Papa. Hic quartô Papatûs sui annô mutavit cappas Fratrum de Carmelo in purum album, quæ priùs erant stragulata, radiata, & barrata.* Hæc ibi.

Post annos 600. resumpserunt alba.

ANNOT. *De Habitu Ordinis hujus peculiariter tractatum est in parte 1. lib. 7 per totum: de pallio quidem albo, olim sub veteri, & nova Lege semper usitato, ac deindè, urgentibus Saracenis, dimisso, ac denique, ex indulto Apostolicæ Sedis resumpto cap. 5. 6. & 7. num. 269. & sequentibus.*

CAPUT VII.

De Professoribus sanctis hujus Religionis sub veteri Testamento, qui miraculis claruerunt, & sancto Ioanne Baptista æmulatore vitæ S. Prophetæ Eliæ.

803. (a) PRimus fuit S. Elias Propheta, qui dictum Ordinem in Carith primus instituit, & posteà ad montem Carmeli traduxit; ut apertissimè patet in libro secundo de gestis Religiosorum Carmelitarum. Secundus fuit S. Jonas Propheta filius Sareptanæ viduæ, quem Elias à morte secundùm seriem sanctæ Scripturæ suscitavit; qui fuit in ventre Cœti tribus diebus & tribus noctibus. Corpus istius sancti Prophetæ in Terra Sancta sepultum est, ut apertissimè patet in libro 2. de gestis Religiosorum Carmelitarum cap. 4. Tertius fuit S Eliseus Propheta, quem S. Elias Propheta, cum terram araret ad Religionem vocavit, ungens eum in Prophetam: ut patet 3. Regum cap. 19. super quem duplex spiritus Eliæ remansit: videlicet spiritus prophetandi, & spiritus miracula faciendi; quem siquidem duplicem spiritum recepit, cum S. Propheta Elias suum pallium album de curru turbinis ignis ei dimisit: ut patet ex serie sacræ Scripturæ 4. Regum cap. 2. Corpus istius sancti Prophetæ fuit sepultum in Terra Sancta, & indè Ravennam translatum est. De illo sancto Propheta habetur satis planè in secundo libro, de gestis Religiosorum Carmelitarum Ordinis cap. 5. Quartus fuit sanctus Abdias Propheta, qui multos Monachos, atque Prophetas Carmelitarum Ordinis ab iniquissima Jezabel Regina nequiter persecutos, abscondit, & pavit. Corpus ejus in Terra Sancta quiescit. Quintus erat S. Michæas. Propheta de quo habetur in 2. lib. de gestis Religiosorum Carmelitarum cap. 6.

(a) *Institutor Ordinis Carmelit. S. Elias.*

Ejus discipuli S. Ionas.

S. Eliseus.

S. Abdias.

S. Michæas.

804. Sextus fuit S. Joannes Baptista Præcursor Domini, de quo Hieronymus libro 1. contra Jovinianum, ubi sic *Eliam ergo quàm stultè posuit* (scilicet Jovinianus) *in Catalogo Maritorum, me tacente manifestum est. Si enim Ioannes Baptista venit in spiritu & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est; utique non solum in spiritu ejus venit, & virtute; sed etiam in corporis castitate, & in habitu.* Hæc Hieronymus. Eccè, Lector Christianissime, hîc vides, quòd Joannes virgo erat, & Eliæ æmulator, testante Hieronymô. Dicant ergo Carmelitæ audactèr de Joanne Baptista: Dicamus & nos cum eodem Beato Hieronymo, quòd Joannes Baptista erat Eremita Carmeli Ordinis, & monasticæ conversationis author in novo Testamento. Undè Isidorus libro 2. de Origine Officiorum cap. 15. *Vndè autem ad Monachos studium defluxit paupertatis? vel quis hujus conversationis extitit author? Cujus isti habitum imitantur? Quantùm enim attinet ad authoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi Principes Elias & discipulus ejus Eliseus... Hujus etiam propositi Ioannes Baptista Author extitit.* Hæc ille. Et Joannes XLIV Episcopus Jerosolymitanus de Institutione primorum Monachorum &c. lib. 5. cap. 2. dicit sic. *Prædictus Præcursor sic ante Iesum Christum in spiritu Eliæ, & virtute præcessit, ut jam in sua præsentia monasticam vitam Eremiticam ab Elia Propheta institutam assumeret. Quod nec Lucas Euangelista siluit, de ipso Præcursore dicens. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu; & erat in desertis. Notantèr autem ait Lucas: in desertis: quòd Ioannes tàm in desertis solitudinis Iordanis, sicut Filij Prophetarum, quàm in desertis Montium latuit, sicut Elias & Eliseus.* Et infrà: *Ideò Christus sciens Ioannem expressam Monasticæ vitæ Prophetæ Eliæ imaginem gerere, dixit de eo turbis. Si vultis accipere, ipse est Elias.* Hæc ille. Hieronymus in Commentatio super Matthæum ait: *Ioannes Elias dicitur, non secundùm stultos Pharisæos, & quosdam hæreticos, qui reversionem animarum introducunt; sed quia, juxtà aliud testimonium Euangelij, venit in spiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram: sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt: uterque in Eremo, uterque Zonâ pelliceâ cingebantur.* Hæc ille. Ecce, Lector Christianissime, hîc vides, quòd Joannes non erat de Ordine Rechabitarum, nec de Ordine Nazaræorum, sed verus Propheta, atque Eremita, sive Monachus Carmeli Ordinis, & Elianæ vitæ imitator, ut apertissimè Scriptura testatur. Et ideò de sancto Joanne Baptista sic canit Ecclesia:

S. Ioannes Baptista etiam ejusdem fuit conversationis.

Authores primi Religiosæ Monasticæ vitæ SS. Elias, Eliseus, Ioannes Baptista.

S. Ioannes Baptista Elianæ Carmelitanæ vitæ exercitator.

O ni-

O nimis felix, meritique celsi
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens martyr, eremique cultor,
Maxime vatum.

Quasi diceret Ecclesia: *quod Ioannes erat Eremita de Ordine Prophetarum*, idest Carmelitarum. Unde Isidorus septimo Ethymologiarum cap. 13. scribit: *Monachi Eremitæ imitantur Eliam, & Ioannem Baptistam.* Quod Joannes Baptista fuerit Eremita expressè in libro tertio revelationum S. Brigittæ cap. 20. & in libro 4. ejusdem tituli cap. 74. testatur Mater Dei. Et idem habetur Marci 1. Matthæi 3. Lucæ 1. & Joannis 1. Beda super Euangelium: *Misit Herodes*, sic ad intentum: *Videmus impletum in Joanne, quod de illo Angelus Zachariæ, priusquam nasceretur, prædixit; quia præcederet ante Dominum in spiritu, & virtute Eliæ. Ambo namque continentèr viventes, ambo habitu inculti, ambo in solitudine degentes, ambo præcones veritatis, ambo Regis & Reginæ persecutionem propter justitiam perpessi sunt. Ille Achab, & Iezabel, iste Herodis & Herodiadis. Ille, nè ab impiis occideretur, igneô curru raptus est in cœlum. Iste, nè ab impiis vinceretur, perfectô martyrij certamine spiritu regna cœlestia petivit.* Hæc Beda Venerabilis. Magister dicit etiam in historia tripartita, quod corpus Beati Joannis Baptistæ fuit sepultum inter corpora sanctorum Prophetarum Elisei & Abdiæ per manus discipulorum suorum, tanquam ejusdem devotionis Frater, & professor. Itaque qui dicit Joannem Baptistam non esse Eremitam arguit se inconsideratum: imò qui de Joanne Baptista alitèr sentit, docet, vel prædicat, quàm prædicti Patres docuerunt, & scripserunt, errare censendus; quia Scripturæ sacræ contradicit.

S. Ioan. Bap. & S. Elias similis omninò conversationis.

805. Nicolaus de Lyra super tertium caput Matthæi Euangelistæ pulchrè probat Eliam & Eliseum atque Joannem Baptistam de uno habitu fuisse. Joannes de Abbatis-villa super hunc textum: *Circuierunt in melotis*, ad Hebræos XI. *His* inquit, *Descendit Apostolus ad sanctos Eremitas.* Et infrà. *Quibus, & quorum conversatione, & habitatione dignus non erat mundus: idest amatores mundi non erant digni tantorum virorum præsentiâ. Et ipsi sancti Eremitæ erant errantes sicut Principes illorum Elias & Eliseus, & Ioannes Baptista, in montibus; & speluncis, & in cavernis terræ.* Hæc ille. Ambrosius in Epistola ad Vercellenses post medium ait, *Hinc illi processerunt viri Elias, & Eliseus, atque Ioannes Baptista, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuviis induti inopes atque egentes angustiis, & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant, inter alta, & condensa montium, invia rupium, speluncarum horrenda, fovearum vadosa, quorum conversatione dignus orbis terrarum non erat.* Hæc ille. Concludens manifestè Eliam, & Eliseum & Joannem Baptistam de uno Ordine, & habitu Eremitico fuisse.

Circuiêrunt in melotis &c. dictum de SS. Elia, & Eliseo, & Ioan. Bapt.

ANNOT. (a) Primus fuit S. Elias: *De S. Elia Institutore primo Religiosæ Eremiticæ monasticæ vitæ, & specialiter Carmelitani Ordinis peculiaritèr actum est in parte prima lib. 1. 2. 3. & 4. De ejus primariis discipulis SS. Eliseo, iona, &c. eâdem Parte 1. lib. 2. cap. 5. 6. 7. & 8. De S. Ioanne Baptista eximio Religionis hujus cultore, & in monastica Eremitica vita perfectissimo Eliæ imitatore eâdem p. 1. lib. 5. cap. 2. per totum, & ibi in Notis.*

CAPUT VIII.

(a) *De Provinciis Ordinis Carmelitarum: & de introitu illorum in Angliam.* (a)

806. PRima Provincia est Terræ Sanctæ. Secunda Siciliæ. Terria Angliæ. Quarta Narbonæ. Quinta Romæ. Sexta Franciæ. Septima Alemaniæ Inferioris. Octava Lumbardiæ. Nona Aquitaniæ. Decima Hispaniæ. Undecima Hyberniæ. Duodecima Provincia Provinciæ. Tertia-decima est Scotiæ. Quarta-decima Tusciæ. Quinta-decima Bononiæ. Sexta-decima Tholosæ. Septima-decima Cathaloniæ. Decima octava Alemaniæ Superioris. Decima-nona Vasconiæ.

Provinciæ Ordinis Carmelit.

De illis vide plura in Notis num. 809.

807. (b) Cum Carmelitæ perseverassent in Terra Sancta à tempore sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, & Regis Achab usque ad (c) annum Domini millesimum ducentesimum duodecimum, quô eorum aliqui venerunt in Angliam, tempore Joannis Regis Angliæ, & Innocentij Papæ tertij, ac Stephani Langtoniæ Cantuariensis Archiepiscopi; (d) Dominus Joannes de Vescij mansionem Carmelitis dedit in Sylva de Hulme, juxta Alnewicum in confinibus Scotiæ. Et eisdem Dominus Richardus de Grey Choldenorus dedit mansionem apud Ailesfordiam in Cantia, ubi sanctissimâ conversatione Deo, & Virgini gloriosæ continuè famulantur, crescunt, & multiplicantur, atque per diversa loca in ejusdem Regni partibus devotissimè sunt fundati. Undè quidam metricè sic ait:

(b) (c) *Angliam Carmelitæ ingressi anno 1212.* (d)

(e) Anno milleno ducenteno duodeno
Hulmæ Carmlitæ capiunt ad tempora vitæ.
Carmis concessi priùs in Boria loca Vesci.
(f) Carmis in claustro Grey primus fixit in Austro:
Quæ loca concessi Carmelitis ego Vesci
Percij firmavit: Deus his sibi nos sociavit.

(e) *Versus de primo Carmelitarum ingressu in Angliam.* (f)

808. (g) Nomina Fundatorum Conventuum Carmelitarum in Anglia sunt: Dominus Joannes de Vescij, Dominus de Alnewico fundator primus Conventûs Alnewici, & Domini de Percij fundatores secundi. Dominus Richardus de Grey, Dominus de Choldenore fundator Conventus Ailesfordiæ: cujus corpus unà cum corporibus posterorum suorum requiescit in choro prædicti Conventûs. Isti duo Domini, Vescij videlicet & Grey, duxerunt Fratres de monte Carmeli ad Angliam. Dominus Thomas Alwuger miles fundator Conventûs Neuyndenæ primus, cujus corpus jacet in choro ibidem. Dominus Radulphus Kempnale & Guilielmus Calthorpe fundatores Conventûs Brunhamiæ primi. Fundator Londoniarum Dominus Richardus de Grey prædictus. Cantabrigiæ Fundatores Domini Reges Eduardus primus & Eduardus secundus unà cum Dominis Guidone de mortuo mari, & Derkyno Vicario de Waldenæ. Eboraci funda-

(g) *Nomina Fundatorum Conventuû Ord. Carm. in Anglia.*

fundatores Domini de Vescij, & de Percij suprà memorati. Oxoniæ antiqui loci fundator Dominus Nicolaus Nooleet & fundator Conventûs moderni Dominus Eduardus Rex. Bristolniæ Dominus Eduardus Rex primus post conquestum fundator. Norwicij fundator Frater Cowgate quondam civis Norwici. Lenniæ fundatores Domini de Bardolfe, & Scaliis, Dominus Joannes Wygnale miles & magister Walterus Qwyluvare. Lincolniæ fundator magister Odo Kelkennij de Scotia. Berwici fundator Dominus Ioannes Gray de Scotia. Novi Castri fundator Dominus Clemens Papa quintus unà cum Domino Rege Eduardo primo post conquestum. Norhanttonæ fundatores Dominus Sion de monte forti, & Dominus Chytwode milites. Sandewycij fundator primus Henricus Cowfelde de Alemania fundator secundus per concessionem Dominus Thomas Beawforde Comes Dorcestriæ. Glowcestriæ fundatores Domina Helyonora Regina Mater Domini Regis Eduardi primi post conquestum, & Domini Ioannes Gyffarde & Thomas Barkeley milites. Stawafordiæ fundatores Dominus Eduardus Rex primus, & magistri Henricus Sampson & Walterus Fflemyng. Wyntonyę fundator Dominus * Petrus de Wyntonia Præpositus Ecclesiæ sanctæ Helenæ Wyntoniensis: qui propter miraculum sibi per gloriosam Virginem Mariam ostensum, Fratres ibidem fundavit. Gyppyswycij fundatores Domini Galfridus Hadley, & Robertus Norton milites. Nortynghamiæ fundator Dominus Reginaldus de Grey, Domini de Wylton, & Schyrland. Iernenutæ Dominus Eduardus Rex primus post conquestum fundator. Cestriæ fundator Thomas Stadhom. Appylbyæ fundatores Domini de Vescij, Percij, & Clyfforde. Kyngystonyæ fundatores Dominus Eduardus Rex secundus post conquestum, & Domini Robertus Duztrede, & Richardus de Lapool milites. Malernæ fundatores Domini Richardus Gravysende Episcopus Londoniarum, & Richardus Yselhma Rector Ecclesię de Sowthanfelde. Sancti Botulphi fundatores Domini de Orby. Suttonæ fundatores Dominus Edmundus Dux Cornubiæ primus, & illustris Princeps Eduardus primogenitus Domini Eduardi Regis tertij fundator secundus. Schorhinæ fundatores Dominus Eduardus Rex secundus post conquestum, & Domini de Movumbray. Hychiæ fundatores Dominus Eduardus Rex secundus post conquestum, & Domini Ioannes de Blomevyle, & Adam de Larower. Marleborgiæ fundatores Ioannes Goodhyne & Willelmus Ramyshyllel mercatores. Scardeburgiæ fundator Dominus Eduardus Rex secundus post conquestum unà cum Domino de Nevyle, & Domino de Raby. Snetyrleiæ fundatores Domini de Ros, & Robertus Bachon, & Ioannes Bret milites. Coventriæ fundator Dominus Ioannes Pultnay miles. Dynbiæ fundator Ioannes Swynnemore. Luduviæ fundator Dominus Laurentius Ludlouyloya cum Domina Hauvicia consorte sua. Caliciæ fundatrix in prima fundatione Domina Mathilda Comitissa Atrebatensis de Regno Franciæ & illustris Princeps Dominus Rex Eduardus tertius post conquestum fundator fuit secundus. Doncastriæ fundatores Dominus Ioannes Dux Lancastriæ & Ioannes Nykbrothyr cum Mathilda consorte sua. Northallertonæ fundatores Dominus Eduardus Rex tertius jam prædictus, & Dominus Thomas Hatfelde Episcopus Dunolmensis, & Domini de Nevyle, & Ioannes Zoole unà cum Helena consorte sua.

*Al. Petr. de Lhyntonia Decanus Ecclesiæ S. Helenæ Lhyntoniæ.

809. Igitur in Anglia sunt triginta novem numero Conventus Fratrum Carmelitarum: qui à modico, & tenui fonte Prophetæ Eliæ in monte Carmeli principium habentes, in magnum fluvium excreverunt, Deo, & Beatæ Mariæ Virgini, suæ advocatrici, & sancto Eliæ Prophetæ suo Fundatori, cum omni castitate, paupertate, devotione, humilitate, & obedientia, die ac nocte servientes à temporibus Prophetarum usque ad tempora præsentia in fervore Religionis semper permanserunt. Avertat Dominus à Carmelitis omnes superbas, avaras, litigiosas, & sollicitu sine anxias, ac Religioni inimicas divitias; *quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.*

Numerus Conventuũ Ord. Carm. in Anglia. Vide plura hic infrà

Mat. 16.

ANNOT. (a) De Provinciis &c. *Totidem Provinciæ, & eôdem ordine recensentur in Actis Capituli Generalis anni MCCLXII in Conventu Trevirensi: Postea accesserunt aliæ, ità ut modò in Actis Capituli Generalis anno 1666. Romæ habiti recenseantur triginta novem. Discalceatorum utriusque Congregationis simul sunt viginti, atque ità in universum quinquaginta novem, de quibus sigillatim in sequentibus tractabitur.*

(b) Cum Carmelitæ perseverassent in Terra Sancta à tempore sanctorum Prophetarum Eliæ. & Elisei &c. *De continua successione Ordinis hujus à tempore S. Eliæ, & deinceps plura videri poterunt Parte primâ.*

810. (c) Ad an Domini MCCXII. *Illô annô aliquos è Carmelo in Angliam venisse, quibus se junxit S. Simon Stock scribit idem Bradleus in alio Tractatu cap. 2. Vide hic infrà num 83, atque alij relati in Chronologia vita S. Simonis Stock ad istum annum. Circà hæc plura videri poterunt in Annalibus Ordinis ad annum MCCXII. num. 2. Ibi consequenter annotatur,* Carmeli Eremitas eo anno in Angliam ingressos. Eremitoria dumtaxat, seu humiles mansiones in Eremis sibi construxisse, & sic perstitisse usque ad annum MCCXL. quandò plures è Carmelo in Angliam adventantes, formata Cœnobia fecerunt. *Idem repetitur in ijsdem Annalibus ad annum MCCXL. ubi ista:* Hôc ergò annô gravissima hæc Angliæ Provincia faustô Sydere propagari cœpit. Etsi enim, juxtà dicta sub anno 1212. jam pridem ad eam Insulam pauci aliquot ex fratribus nostris appulerint, qui Beato Simoni adhærentes cum eo Eremiticè vixerint: Cœnobia tamen usque ad hoc tempus fundare non cæperunt.

Angliam Carmeli incola aliqui ingressi an. 1212. & alij an. 1240.

811. (d) Dominus Ioannes de Vescij mansionem Carmelitis dedit in sylva de Hulm .... Dominus Richardus de Grey Chold. apud Ailesfordiam. *Dubium hîc moveri potest: an isti Ioannes de Vescij, & Richardus de Grey Carmelitis mansiones dederint anno MCCXII. prout indicare videtur hôc locô Thomas Bradley, & consonant versus sequentes:* Anno milleno ducenteno duodeno; *an verò annô Christi millesimô ducentesimô quadragesimô. Prout habent Gulielmus de Sanvico in Parte prima hujus Speculi lib. 9. num 410. & 442. ac 443. & Ioannes de Vineta in Chronico hic infrà nu. 883.* Difficultati propositæ *facilè satisfit; & Authores isti cum Thoma Bradleyo conciliantur: Annô enim MCCXII. Carmelitæ aliqui in Angliam venerunt, & in præfatis locis humiles,*

Fundatores primi ibi fuerunt Ioannes de Vescij, & Richardus de Grey.

humiles, Eremiticas mansiones construxerunt. Deinde annô MCCXL. præfati Domini de Vesiij, & de Grey alios secum adducentes illis formata Cœnobia construxerunt. Sed an ijdem etiàm annô MCCXII. humiles illas Eremiticas mansiones dederint? fieri id potuit, ut illi tùm juvenes, è Terra Sancta reduces (variæ enim Anglorum expeditiones ad illam fuerunt) Eremitis è Carmelo mansiones illas dederint. Annô autem MCCXL. ijdem tunc grandævi (aut eorum filij ejusdem nominis, vel nepotes) ex Terra Sancta reversi monasteriorum formatorum fundationes primas fecerint.

(e) Annô millenô ducentenô duodenô &c. Versus illi in antiquo Speculo Ordinis, indeque translati in Annalibus paulò alitèr, minusque correctè habentur. Quod autem ibi locô duodenô dicitur quadrageno, etiam veritatem habet, si attendatur non prima locorum concessio, & acceptatio, sed formatorum Cœnobiorum fundatio, juxta jam dicta.

(f) Carmis (Gallicè Carmes) abbreviatè ponitur pro Carmelitis.

812. (g) Nomina Fundatorum Conventuum Carmelitarum in Anglia. Eôdem Ordine texitur etiam series Conventuum, & fundatorum in Speculo antiquo Ordinis, typis edito Venetiis anno 1507. & habetur foliô 60. atque etiam adjungitur annus fundationis singulorum monasteriorum: nomina autem propria locorum nonnihil aliter, & quandoque minùs accuratè, exprimuntur sic: I. Alneluici anno Domini 1212. II. Eylijsfordiæ anno 1212. (Intellige utroque loco de primo tempore, quo ibi in Eremitoriis habitare incœperunt, non de Cœnobiorum absoluta fundatione.) III. Nelbyndeniæ (annus non apponitur). IV. Brunhamiæ anno 1240. V. London. anno 1241. VI. Cantebriggiæ anno 1251. VII. Eboraci anno 1255. VIII. Oxoniæ anno 1260. IX. Bristollis anno 1267. X. Norlbici anno 1268. XI. Leuniæ anno 1269. XII. Lincolniæ anno 1269. XIII. Berlbyci anno 1270. XIV. Novicastri anno 1270. XV. Norhamptonæ anno 1271. XVI. Sandlbici anno 1272. XVII. Globcestriæ anno 1273. XVIII. Stanfondiæ (annus non adscribitur) XIX. Wintoniæ Additur; fundator Dominus Petrus de Lhyntonia Præpositus Ecclesiæ S. Helenæ Lhynton. Qui propter miraculum, sibi per gloriosam Virginem Mariam ostensum Fratres ibidem fundavit (annus autem fundationis non exprimitur) XX. Gyppislbici anno 1279. XXI. Notyngliamiæ anno 1276. XXII. Jervennitæ anno 1278. XXIII. Cestriæ anno 1279. XXIV. Apulbyæ anno 1281. XXV. Hyngestoniæ anno 1290. XXVI. Maldonæ anno 1292. XXVII Sancti Botulphi anno 1300. XXVIII. Suttonæ anno 1312. XXIX. Schorthæ anno 1315. XXX. Hychiæ anno 1316. XXXI. Marleburgiæ anno 1216. XXXII. Scardeburgiæ anno 1319. XXXIII. Snijterleyæ anno 1321. XXXIV. Conventteæ anno 1532. (corrig. 1332.) XXXV Dinbyæ anno 1339. XXXVI. Ludlolbiæ anno 1340. XXXVII. Calisiæ anno 1312. post 1344. XXXVIII. Doncastriæ anno 1350. XXXIX. Northallertonæ an. 1354.

Anni fundationum Conventuũ Ordinis hujus in Anglia.

813. De plerisque istorum Conventuum fundationibus agitur in Annalibus Ordinis ad præfatos annos. Quoad fundationem Conventus Oxoniensis factam anno 1260. animadvertendum, posteà circà tempora Ioannis Papæ XXII. & Eduardi Regis Angliæ secundi post conquestum (aliqui scribunt Tertij) Monasterij istius fuisse factam ampliationem, seu translationem ad commodiorem, & ampliorem locum, per præfatum Regem Eduardum, attribuentem redditus pro viginti quatuor studiosis Theologis: prout audiemus hìc paulò infrà num. 822. & 826. Quantùm ad fundationem Conventus Wintoniæ, quâ occasione facta sit in Annalibus Ordinis ad annum Christi 1252. Ibidem annotatur Monasterium istud titulo Beatiss. Virginis Mariæ appellatum fuisse, & quo ad tempus Fundationis dicitur: Hôc anno primitùs Fratres nostros Wintoniam ingressos, in aliquo parvo loco, Hospitiolo, vel Sacello; monasterij autem perfectam constructionem nonnisi pro anno 1278. vel circitèr obtinuisse. Igitur in Anglia anno Christi MCCCLIV. erant triginta novem Conventus Ordinis hujus. Postmodùm etiam alij plures accesserunt, de quibus Scriptores Anglici: & nominatim recensentur in Libro de ortu, & progressu Ordinis hujus, typis edito Coloniæ anno 1643. (in quo variorum de hoc Ordine Scriptorum Opuscula continentur) pag. 121.

Anglicorum Conventuũ Ordinis hujus fundationes pleraque referuntur in Annalibus Ordinis.

CAPUT IX.

De litteris transmissis à Prælatis Terræ Sanctæ ad summum Pontificem. Et de decreto Universitatis Cantabrigiæ in confirmationem antiquitatis Ordinis Carmeli.

814. Isti sacri Ordines videlicet Ordo sancti Samuelis Prophetæ, Ordo Rechabitarum, Ordo Carmelitarum, Ordo Hospitaliorum sancti Joannis Jerosolymitani, Ordo Templariorum, & Ordo sanctæ Mariæ Teutonicorum incœperunt in Terra Sancta. De Ordine sancti Samuelis agunt Doctores super hunc textum: *Obviam habebis gregem Prophetarum.* De Ordine Rechabitarum est mentio Jeremiæ trigesimô quintô. De Ordine Prophetico Carmelitarum scribitur in libris Regum, & tangitur ad Hebræos undecimo, & in Historia tripartita. De Ordine Sancti Joannis habebis in Historia Jerosolymitana (quæ quidem Historia sic incipit. *Terra S. promissionis*) cap. LXIIII. De Ordine Templariorum in eadem Historia cap. LXV. De Ordine sanctæ Mariæ Teutonicorum in prædicta Historia c. LXVI. Nunc redeamus ad propositum, & videamus quid Prælati Terræ Sanctæ pro prædicto Ordine de Carmelo ad Summum Pontificem concorditèr scripserunt. (a) *Sanctissimo, inquiunt, in Christo Patri, ac Domino Domino N. Diviná providentiâ Sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Richardus Nicosiensis Archiepiscopus, Guilielmus Episcopus Ebronensis venerabilis Patris Domini Patriarchæ Ierosolymitani Vicarius, Guilielmus Episcopus Tiberiadensis ejus ad Deum Oratores assidui devota pedum oscula Beatorum, & cum Terræ sanctæ recommendatione seipsos. Gustatô frequentèr amaritudinis calice* &c. & infrà. *Credimus vos non ignorare, Pater sancte, qualitèr sacer Ordo Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, qui inter cæteras sacras Religiones Apostolicæ Sedi devotas claret devotione conspicuâ, & in cismarinis partibus à tempore cujus non extat memoria à prædictis sanctis Patribus extitit in ejusdem Terræ Sanctæ solatium institutus; cujus alis longè, latèque postmodum opitulatione divinâ extensis, Fratres ejusdem Ordinis subventioni Terræ sanctæ, devotione penè ineffabili devoventes, quæ manus pietatis subministrabant eisdem, tenui particulâ pro suis supportandis necessitatibus retentâ, Fratribus domorum suarum præmissarum, ministrabant devotiùs in sæpè dicta Terræ sanctæ subsidium convertenda &c. Datum Achon anno Domini 1282 die 23. Mensis Septembris.* Ecce, Cyrille, in hoc suo scriptô affirmabant Pastores illi primi, prædictum Ordinem in illis partibus à *tempore cujus non erat memoria à sanctis Patribus institutum.*

Ordines religiosi in Terra Sancta instituti.

(a) Littera Prælatorum Terræ S. ad Summum Pontificem.

815. His correspondent Magister hospitalis Fratrum sancti Joannis, cum magistro Militiæ Templi in sua Epistola eidem Summo Pontifici. (b) *Sanctissimo, inquiunt, Patri, ac Domino . . . Frater Nicolaus Lurginus domus ho-*

Littera alia ad eundem.

(b)

spitalis S. Ioannis Ierosolymitani magister, & pauperum Christi custos, ac Frater Gulielmus de Belloloco pauperis militiæ Templi Magister humilis, cum supplici Terræ sanctæ recommendatione seipsos, devota pedum oscula Beatorum. Sedentes super flumina Babylonis flere amarè, proh dolor! compellimur, dum Terram illam quasi factam naufragam conspicimus jugis persecutionis infligi sagittis, & validis fluctuum impulsibus agitari, quam ejus beavit præsentia, qui in ea pro redemptione humani generis immolatus manibus tradi non dubitavit nocentium, & Crucis amaritudinem gustare. Et infrà. *Invenimus siquidem in nostra memoria tabula exaratum quod Ordo Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, in cismarinis partibus, à tempore quo memoria non existit à sanctis Patribus in ejusdem Terræ sanctæ solatium extitit institutus &c. Scriptum Achon 12. die mensis Iulij anno Domini 1283.* Si fortè nobis nolint credere, tamen credant Testibus istis: non à re quam testantur erant remoti: non ab ejus experientia erant longinqui; ejusdem Terræ Sanctæ erant coloni, domestici, vicini, noti negotio de quo tractant, scriptis pronuntiant, litteris exponunt, chirographis protestantur: quòd Carmelitarum Ordinis antiquitas, aut initium, omnium hominum memorias superavit: *à tempore*, inquiunt, *quo memoria non existit.*

816. Circa ann. Domini MCCCLXXIV. in Anglia motæ fuerunt rixæ per æmulos quosdam Ordinis Carmelitani circà antiquitatem, intitulationem, & confirmationem ejusdem Ordinis. Remedium adhibere cupiens immaculata Universitas Cantabrigiensis, negotium commisit examinandum deputatis Regentibus, Theologis & Iurisperitis, ac tandem hoc edidit Decretum: (c) *Universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis &c. Nos verò Cancellarius memoratus, attendentes præmissa consona esse juri, & rationi, auditis rationibus & allegationibus, visisque privilegiis, lectis & examinatis unà cum nonnullis aliis monimentis, & scripturis antiquis; de consilio, & consensu Discretorum, & Iurisperitorum dictæ Vniversitatis nobis assistentibus in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli in Iure communi ac speciali confirmatum, & titulô Beatæ Mariæ Dei Genitricis forè specialitèr insignitum, ac etiam Fratres dicti Ordinis (prout sufficientèr apparuit per præmissa exhibita, producta & allegata) Eliæ & Elisei sanctorum Prophetarum fore imitatores, & successores, causa cognitione & Iuris Ordine in ea parte de jure requisitis, ad plenum observatis reputamus, decidimus, ac decidendo declaramus in his scriptis.... Datum Cantabrigiæ 23. die mensis Februarij anno Domini 1374.* Ex dictis hactenùs manifestum habes, dilecte Cyrille, quàm indiscretè & falsò nonnulli impugnent Carmeli Ordinis originem, & antiquitatem.

(c) *Cantabrigiensis Vniversitatis Decretum circa Ordinem Carmelitanum.*

ANNOT. (a) (b) (c) *Littera illa Prælatorum Terræ Sanctæ, & bina Decreta Vniversitatis Cantabrigiensis integra exhibita sunt in parte prima hujus Speculi, sub finem in Appendice §. 1. & 5. ubi consequenter quædam circa illa annotantur.*

INFORMATIO, ET SVPPLICATIO

(a) (a) Ad Summum Pontificem Eugenium IV.

Per eundem Authorem THOMAM BRADLEY.

§. 1. *Motivum scriptionis.*

817. EUgenio Beatissimo Papæ quarto universi Gregis Anachoretarum, servorum Apostolicę Sedis minimus Frater Thomas Bradley, Conventus Carmelitarum civitatis Norwici in Regno Angliæ salutem, & cum omni subjectione, ac devotione plenam in omnibus obedientiam. Vestram, Pater, precibus attentare celsitudinem movet me paritèr tàm pietas vestra, quàm charitas aliena. Sanctissimæ Religioni Carmelitarum, per Prophetas Eliam, & Eliseum, atque Baptistam Joannem fundatæ, ac institutæ, & in Lege nova tàm de jure positivo, quàm per sanctos Romanos Pontifices confirmatæ, ac titulô gloriosissimæ Virginis Mariæ specialitèr insignitæ, à quibusdam, quærentibus quæ sua sunt, spiritu invidiæ, & malitiæ agitatis (non obstantibus fundatione propheticâ, confirmatione Apostolicâ, & intitulatione Christi Matris Mariæ) sine aliqua scriptura, vel ratione quotidiè detrahitur; dicentibus nec ipsum Ordinem, nec Fratres ejusdem Ordinis esse, vel fuisse sequaces Prophetarum, nec Fratres gloriosæ Virginis Mariæ, sed potiùs cujusdam Mariæ Eremiticæ inhabitantis montem Carmeli per Angelum conversæ: nec ipsos Fratres, aut ipsum Ordinem unquam fuisse confirmatos, seu confirmatum. Ista, & alia malitiosè, sine verecundia, confingunt, non solùm in disputationibus publicis, sed & in determinationibus, ac aliis actibus Scholasticis, & alibi indifferentèr, publicè, & privatìm; non solùm contra Iura Canonica, & sanctorum Patrum, summorum Pontificum Canonicas sanctiones, sed & in gravamen, & detrimentum finale ejusdem Ordinis.

Impugnatio Ordinis Carmelit. causa scriptionis Opusculi hujus.

§. 2 *Origo, & successio Ordinis Prophetici Eliani.*

818. QUarè ad pedes Sanctitatis Vestræ humilitèr, & devotè supplico, ob reverentiam Dei, & Matris ejus gloriosæ Virginis Mariæ, ac Prophetarum Dei Eliæ & Elisei, ac Baptistæ Joannis; pro parte devoti Filij vestri Prioris Generalis, ac omnium, & sin-

Pro remedio interpellatur Summus Pontifex.

& singulorum vestræ Sanctitati devotorum Fratrum prædicti Ordinis, quatenùs contrà talitèr obloquentes, & detrahentes, in honorém, & favorem Carmelitarum Ordinis dignetur de opportuno remedio providerè. Nè tàm sancta, antiquaque Religio, ex fundatione prophetica, ex Judaica Synagoga olim progenita, nec maculata, & inter Gentilitatis, Paganorumque rabiem non oppressa. inter ipsos Christianos perferre cogatur, sui decoris fuscari intentionem. Sicut enim olim placuit Divinæ sapientiæ, de Ur Chaldeorum populum sibi peculiarem elicere; & in gremio Gentilitatis Religionis munus noluit solvere; sed electæ suæ Religioni gentis Judaicæ adjungens, Synagogam Religione ditavit, & Religionem fecit authenticam in laudibus Synagogæ (Adamantina enim Religio Judaicæ gentis cunctis fuit prælata ritibus populorum, plures ad seipsam sectas traxit, familias honestatis, secundùm illud Esther 8. *Iudeis nova lex oriri visa est.* Et sequitur. *In tantùm ut plures alterius Gentis, & secta, eorum & Religioni & ceremoniis jungerentur.*) Ità in Judaica Synagoga Religio Monastica, Eremitica, primitùs delineata in antiquis Patribus; deindè magis adumbrata per Samuelem Prophetam, ac denique clariùs expressa per magnum Eliam, semperquè continuata ad Christum (qui fuit plenitudo Legis Mosaicæ) deficiente, & mortiferâ redditâ tunc Synagogâ, non ea paritèr extincta fuit, sed tanquam bonus palmes insertus optimæ viti Christo, & ab eo impinguatus: atque ità perfectionis complementum recipiens, & magis authentica facta in Religione Christiana, vicissim ipsam fœcundavit, & nobilitavit. Etenim inter Judæos Samuelem Prophetam quasi Religiosum comperimus fuisse claustralem. Undè cum primò unxisset Saul Regem Israël, remisit eum ad Urbem, & dixit: *Cum ingressus fueris Vrbem, ibi obviàm habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsos quoque prophetantes: & insiliet in te spiritus.* 1. Regum 10. Undè Magister Historiarum. *Hic nota*, inquit, *quòd Samuel Propheta Domini primus instituit Conventus Religiosorum in Iudæa jugitèr psallentium Domino, & dicebatur Conventus eorum cuneus, idest quasi couneus, & dicebantur Prophetare, idest jugitèr Deum laudare: & fortè ex eis aliqui prophetabant.* Hæc ille. Mansiones autem, Conventus illorum Prophetarum, seu Religiosorum varij erant. Quidam habebant Conventum in Galgala: alij morabantur in Naioth in Ramatha, ubi nuntij Saul missi ad persequendum David prophetabant, idest psallebant. 1. Regum. cap. 19. & alia loca habebant, ubi Religioni vacabant tunc dicti Prophetæ in circuitu Terræ Sanctæ.

Iudaica Synagoga produxit Carmeli Ordinem.

Is posteà, seu vitis, insertus fuit Christianæ Religioni.

819. Illi autem Religiosi, seu Prophetæ, à tempore Samuelis non cessabant usque ad adventum Eliæ Thesbites Prophetæ. Quô tempore, suadente Achab, omnis populus ad cultum Idolorum se inclinavit, in tantùm, quod penè perijt tota Religio Prophetarum Samuelis: & inclinavit omnis populus cervices suas ritibus Idolorum; in tantùm quòd exclamaret Elias coram omni multitudine. *Ego remansi Propheta Domini solus; Propheta autem Baal quadringenti, & quinquaginta, & Propheta lucorum quadringenti sunt viri.* 3. Regum cap. 18. Tunc (b) volens Elias modum vivendi illorum Religiosorum Samuelis celsiorem instruere, sæculo renunciavit, & se Deo profitens, Religiosam vitam Eremiticam, & solitariam primus ducere cœpit, in virginitate perseverans; ut impleretur visio * Sobac patris sui. Nam ante nativitatem ipsius Sobac pater Eliæ vidit in somnis viros candidatos se salutantes. Undè Comestor in Historia Scholastica super 2. cap. 4. lib. Reg. inquit: *Legitur, quod Sobac pater Elia nondum nati vidit in somnis viros condidatos se salutantes.* Hæc Magister Historiarum. Postquam autem Elias Propheta incœpisset, ac tenuisset vitam Eremiticam, quosdam discipulos sibi elegit: inter quos Eliseus supremus fuit ut patet 3. Reg. cap. 19. Deindè Abdias, Jonas, atque Micheas, & alij Prophetarum Filij, institutionem, & successionem Eliæ in monte Carmeli modò monasticô, seu Eremiticô, in sancta contemplatione continuaverunt usque ad Incarnationem Domini nostri Jesu Christi. Qui statim post prædicationem confratris illorum Joannis Baptistæ, & Apostolorum, fidem Catholicam susceperunt. Quamvis enim Prophetæ ab antiquo fuerint instituti ad psallendum Deo per Samuelem Prophetam, nunquã tamen usque ad Eliam Prophetam famosè & regularitèr erant congregati ad vitam monasticam in Carmelo: de quo Balbinus in Epistola ad Antoninum Imperatorem sic scribit. *Mons*, inquit, *est nomine Carmelus, in quo vetus Religio, & sanctitas antiqua est. Elias illic sacrificia semper offerebat Deo: apparent & nunc vestigia de ara sacrificiorum.* Hæc ille. Et Gregorius Nazianzenus in libro suo Apologetico. *Quæ vobis de loco silentij, & quietis disserimus, vos probate: nam quid aptum sit ad silentium, & ad philosophandum docet Elias Propheta, libentèr Carmeli montis rupe contentus.* Hæc ille. Et Jacobus de Vitriaco lib. 1. Historiarum Orientis cap. 52. *Est autem alius Carmelus trans Iordanem, juxta desertum solitudinis in quo latuit David fugiens à facie Saul, ubi erat habitatio Nabal viri stulti. Hic autem Carmelus in quo conversatus est Elias, situs est in maritimis, distans ab Accon quatuor milliaribus.*

(b)

* Alij passim scribunt *Sabacha.*

Eremiticâ, Monasticam vitam auspicatur Elias.

Discipulos congregat, & statuit in Carmelo.

820. Cum autem jam Carmelitæ temporibus Eliæ & Elisei in tantum numerum crevissent, ut spatiosum desertum Carmeli montis non posset eis sufficere, Filij Prophetarum venerunt ad Eliseum coadjutorem Prophetæ Dei Eliæ, ac suum præceptorem, & dixerunt. *Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis: eamus ergo usque ad Iordanem, & tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus ibi nobis locum ad habitandum; qui dixit; Ite* 4. Reg. cap. 6. Et tandem multi ex Carmelitis erant derivati de monasterio seu eremo montis Carmeli, ut ibidèm juxtà littus Jordanis conversarentur. De quibus Hieronymus in sua Epistola ad Rusticum, de institutione Monachi ait: *Filij*, inquit, *Prophetarum, quos Monachos in* veteri

Multitudo discipulorum Eliæ.

veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas juxta fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polentâ, & herbâ agresti victitabant. Hæc Hieronymus. Idem in Epistola 35. ad Paulinum Monachum de institutione Monachi sic ait. *Noster Princeps est Elias, noster Eliseus, nostri duces sunt Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudine, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* Isti autem Prophetarum Filij semper pallia alba portare solebant, juxta visionem Sobac Patris Eliæ, in signum virginitatis: & virgines secundùm eorum professiones permanere curaverunt. Undè idem B. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de virginitate servanda dicit. *In antiqua Lege sola erat benedictio liberorum.* Et subditur: *Paulatim verò crescente segete messorum missus est virgo Elias, & virgo Eliseus, ac virgines multi Filij Prophetarum.* Hæc ille.

821. Quid autem movet me ad laudem Religiosorum Carmelitarum si debeam exprimere, hoc solum est, quòd utique movebat Apostolum Paulum ad laudandum seipsum, Corinthijs scribens Epistolam secundam: undè super illa Apostoli (2. ad Corinthios XI.) *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.* Dicit Haymo. *Venerunt quidam pseudoapostoli post decessum Apostoli Pauli, dicentes, eum non esse à Deo missum; quòd non fuerat à Christo vocatus ante ejus Ascensionem, nec ab eo edoctus. Insuper & traderet contraria prædicationi Apostolorum aliorum, quos magnos vocabant Apostolos: sicque averterunt plurimos ab amore Apostoli Pauli, quos ad amorem suum traxerunt, dicentes: se à magnis Apostolis missos, scilicet Petro, & Andrea. Apostolus ergo Paulus volens iterùm ab amore eorum separare Corinthios & ad suum revocare, qui fidem Christi in illorum cordibus priùs infixerat, laudabat se verbis, sed non corde, neque sensu: quia sciebat se nihil proficere propter humanam laudem, nisi tantùm ut illi ab ejus prædicatione recederent.* Hæc Haymo. Conformiter, quia quidam Hæretici pseudoapostoli jam per Angliæ ambitum scandalis, & hæresibus incessanter debacchantes, detrahunt Carmelitarum Ordini, ac negant ipsorum fundationem, Virginis MARIÆ intitulationem, ac Apostolicam confirmationem: & avertunt plurimos ab amore Fratrum Carmelitarum, potissimùm Dominos temporales, tàm Clericos quàm vulgares: & ad amorem suum fœdum, & fœtidum trahunt. Cogor ergò in laudem Carmelitarum Religionis sanctissimæ assurgere, & scriptis sanctorum Prophetarum, Apostolorum, & Orthodoxorum Patrum publicis dictis, & scriptis, sub paucis verbis eos mendaces esse, probare.

Hæretici, detractores Carmelitani Ordinis in Anglia.

§. 3. De titulo Ordinis: & quòd Elias, & Ioannes Baptista ejusdem fuerint instituti.

822. ET quidem quo-ad titulum à B. Virgine Dei Genitrice Maria, Dominus Joannes Papa XXII. in Registro anni 6. Pontificatûs sui sic ait, *Ioannes Episcopus servus servorum Dei, dilectis Filijs Priori, & Fratribus Monasterij Ordinis beatæ, & gloriosæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo Oxoniensis, Linconiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cæteros Ordines in agro Ecclesiæ plantatos, sacrum vestrum Ordinem, suis exigentibus meritis, gerentes in visceribus charitatis, ad ea vigilanter intendimus, ac operam sollicitam impartimur, per quæ status ejusdem Ordinis ad Divini nominis gloriam, & exaltationem catholicæ fidei, & honorem ejusdem Ordinis, prosperis semper successibus affluat, tranquillis foveatur eventibus,* & *continuis proficiat incrementis. Sanè charissimi in Christo Filij nostri* (c) *Eduardi Angliæ Regis illustris, petitio nobis exhibita continebat, quòd ipse ad Fratres Ordinis vestri, obtentu gloriosæ Virginis* MARIÆ, *cujus dictus Ordo vocabulô insignitur, specialem gerens devotionis affectum, dùm quoddam periculum sibi prospiceret imminere, totius devotionis promptitudine votum vovit, quòd si ejus precibus liberaretur à periculo supradicto, viginti quatuor Fratribus dicti Ordinis Oxonij studentibus de loco, & ædificijs competentibus, ac vita necessarijs provideret. Cujus votum Dei Genitrix gloriosa benignè suscipiens eundem à prædicto periculò liberavit* &c. *Datum Avinione 3. Idus Martij Pontificatûs nostri anno sexto.* Videtis, Pater beatissime, quomodò Dominus Joannes XXII. Sanctitatis vestræ prædecessor, exponit titulum Fratrum Filiorum Prophetarum Ordinis gloriosissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmeli, cum dicit in Bulla. *Obtentu gloriosæ Virginis* MARIÆ, *cujus dictus Ordo vocabulô insignitur, specialem gerens devotionis affectum, dum quoddam periculum sibi prospiceret imminere ejusdem Virginis imploravit auxilium.* Et sequitur. *Cujus votum Dei Genitrix gloriosa benignè suscipiens, eundem Regem à periculo liberavit.* Iste Textus tangit tria. Primò devotionem Regis ad Carmelitarum Ordinem, per hoc quod dicitur in Bulla: *Obtentu Beatissimæ* MARIÆ *Virginis gloriosæ cujus dictus Ordo vocabulo insignitur, specialem gerens devotionis affectum:* Secundò tangit ejusdem Regis devotam precationem cum dicit. *Ejusdem Virginis imploravit auxilium.* Tertiò subjungit ipsius Regis specialem salvationem, cum dicit. *Cujus votum Dei Genitrix gloriosa benignè suscipiens, eundem Regem à prædicto periculo liberavit.* Ex quibus concluditur, quòd eadem sit Virgo cujus vocabulô Carmelitarum Religio insignitur, & temporibus Apostolorum insignita fuit, & cujus ipse Rex postulavit auxilium. Undè Joannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus in suo opere de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium. *Sicut Religiosi Carmelitæ, inquit, sunt primicerij virorum virginum, ità & B. Virgo* MARIA *est fœminarum virginum verò primiceria. Quæ conformitas primitiarum spontaneæ virginitatis singulariter inter Dei Genitricem, & Monachos Carmelitas dudum prophetata, & impleta fuit. Et propter dictam conformitatem seipsos Fratres Beatæ* MARIÆ *Virginis appellabant.* Hæc ille.

(c) Eduardus Angliæ Rex B. Virg. Mariam in periculo invocans exauditur, & liberatur.

823. Ex his patet, & ex dicendis magis confirmabitur, Christi matrem fuisse Patronam Carmelitarum Ordinis, & Prophetam Dei Eliam fuisse ipsius Ordinis fundatorem: cujus

Ioannes Baptista Eremita Ordinis Eliani.

cujus professionis, & Ordinis in nova Lege Joannes Baptista fuit: ut testatur Hieronymus in Legenda S. Pauli primi Eremitæ cum ait: *Inter multos sæpè dubitatum est, à quo potissimùm Monachorum Eremus habitari cœpta sit; quidam verò*, inquit, *altiùs principia repetentes à Beato Elia, & Ioanne Baptista principia sumpserunt.* Hæc Hieronymus. Joannes XLIV. Episcopus Hierosolymitanus libro de Institutione primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova Lege perseverantium de Joanne ità scribit: *Anno siquidem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris factum fuit verbum Domini super Ioannem Baptistam, habitantem in deserto apud fluenta Iordanis, ubi Religiosi Carmelitæ Prophetarum Filij manebant.* Hæc Patriarcha. Undè Ecclesia.

Præpotens martyr, Eremique cultor,
maxime vatum.

Planè dicit hìc Ecclesia *Ioannem fuisse Eremitam de Ordine Prophetarum.* Undè passim Patres Eliam, Eliseum, & Joannem Baptistam simul jungunt, tanquam primos Monastici, ejusdemque Instituti authores. Ambrosius in Epistola ad Vercellenses ait: *Hinc processerunt viri Elias & Eliseus atque Ioannes Baptista, qui pelliceis tunicis, caprinis exuvijs induti, inopes, atque egentes, angustijs, & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant.* Isidorus libro 2. de origine Officiorum cap. 15. agens de authoribus conversationis Monasticæ: *Quantum*, inquit, *attinet ad authoritatem veterum scripturarum hujus propositi Princeps, Elias, & ejus discipulus Eliseus.* Et paulò infrà: *Hujus etiam propositi in nova Lege extitit author Ioannes Baptista: qui Eremum solùm incoluit.* Joannes Cassianus libro 1. de institutis Monachorum capite 1. agens de habitu Monachorum: *Hoc enim habitu & illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis hujus fundaverunt primordia, Eliam & Eliseum Divinarum scripturarum authoritate monstratur.* Et sequitur: *Ioannes quoque, qui veteris novique Testamenti velut quidam sacratissimus limes, initiumque processit.*

Princeps Monachorum in nova Lege.

824. Et Philippus Jerapolitanus super Evangelium Joannis capite primô, scribit: *Miserunt ab Ierosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Ioannem Baptistam habitantem cum Carmelitis Confratribus suis prope fluenta Iordanis, ut interrogarent eum: Tu quis es? & confessus est, se neque Christum esse (quæ opinio in publico habebatur) nec Eliam, neque Prophetam. Et dixerunt quid ergo baptizas? Quæsierunt de Elia, & sub nomine Prophetæ de Eliseo, propter duo; primò quia in his duobus præcesserat figura baptismi, secundò propter similitudinem indumentorum. Ioannes habuit melotam de pilis Camelorum; sic Elias. Ioannes cingebatur zonâ pelliceâ; sic Elias.* Et infrà hæc quoque ad propositum habet. *O Carmelitarum Religio quàm magna facta es in domo Domini! numquid olim à modico, & tenui fonte Prophetæ Dei Eliæ principium habuisti, & ecce nunc in magnum fluvium crevisti. Tu olìm plantata in Eremo nunc facta es civitas plena populo. Tu autem habes fundatorem in paradiso adhuc viventem, & gloriosam Virginem* MARIAM *Reginam cœli, Dominam mundi, & Imperatricem infernorum in Patronam singularem. De te olìm ait Propheta dicens: Plantata est Domus Domini in vertice Montium, & fluent ad eum omnes gentes, idest de omnibus gentibus, quorum memoratus fuit beatus Lucas in Actibus Apostolorum dicens. Erant autem habitantes in Ierusalem Iudæi viri religiosi, ex omni natione, quæ sub cœlo est. Sicut enim & de te olìm Patriarchæ, & Prophetæ processerunt, sic nunc procedunt de te Sacerdotes, & Levitæ, Doctores, Euangelistæ, qui Patres, ac Patroni omnium Religiosorum facti sunt.* Hæc Philippus. Jacobus de Vitriaco libro primo Historiarum Orientis & Occidentis cap. 53. *In solitudinibus Iordanis Beatus Ioannes Baptista, fugiens hominum turbas, ut liberiùs vacaret Deo, ab annis puerilibus delituit.* Hæc Jacobus. Beda super Euangelium Lucæ 1. de SS. Elia & Joanne Baptista ità scribit: *Sicut Elias*, inquit, *erit Præcursor Iudicis, sic erat Ioannes Præcursor Redemptoris. Ambo in deserto, ambo victu parci, ambo inculti vestitu, ambo Regum insaniam tolerant, ille Iordanem, cœlum petiturus divisit; hic ad lavacrum salutare quô cœlum petitur, convertit.* Hæc Beda. Ex dictis patet manifestè, quòd Elias Propheta, & Joannes Baptista erant professores unius Ordinis, ac fundatores Carmelitarum uniusque meriti .... (d) Non est ergo Carmelitarum Religio nova plantatio. Est enim de veteri Lege, de Prophetis, de Apostolis, de Patriarchis, de Summis Pontificibus, ac de SS. Patribus. Sileant ergo miseri, qui eis sine causa detrahunt. O Carmelitæ vos arguunt novitatis, ex abundantia malæ voluntatis. (d)

Cum posteris S. Elia in desertis habitavit.

§. 4. *Epilogus.*

825. O Sanctissime Pater, istam informationem simplicem dignetur Paternitas Vestra sanctissima benignô favore suscipere, & tale super hujusmodi remedium contra obloquentes, & detrahentes in favorem Carmelitarum Ordinis providere; quatenùs dictus Ordo pro Vestræ sanctissimæ Paternitatis statu Venerabili obligetur temporibus perpetuis preces devotiùs fundere Altissimo, & Virgini gloriosæ MARIÆ. Quod facturi estis, Beatissime Pater, citiùs faciatis; nè dum medicina paratur ægroto, pereat ille expectando. Conservet Vos Deus Ecclesiæ suæ per tempora longiora. Scriptum in cella Anachoretæ, (e) Norwici anno Domini 1441. tertiâ die mensis Decembris. (e)

ANNOT. (a) Ad Summum Pontificem Eugenium IV. *Causa scriptionis fuit, quorundam in Anglia impugnatio institutionis, confirmationis, & intitulationis Ordinis Fratrum B. V.* MARIÆ *de monte Carmeli, sicut initiò ipse testatur.*

(b) Volens Elias modum vivendi illorum Religiosorum Samuelis celsiorem instruere: *scilicet in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ, pro ut in parte prima luculentèr satis declaratum est. Vide etiam hic supra Notas ad caput 2. Defensorij Ioannis Hildesini.*

826. (c) Eduardi Angliæ Regis. *In Historia Anglicana Ecclesiastica (auctore Nicolao Harpsfeldio) ad secul. XIV. cap. 2. hæc ad propositum:* In majores se posteà Eduardus angustias, & captiones, à quibus nunquam se explicare potuit, ut posteà dicetur, induxit. Incipiunt itaque omnia domi forisque, ut in hujusmodi fit discordijs, in deteriùs labi. Scotis hinc auctus animus, ità ut in Angliam violentis impressionibus incurrerint.

Eduardus Angliæ Rex ratione beneficij per B. V. M. sibi præstiti Oxonij Carmelitis collegium fundat.

Quas dum reprimere conatur Eduardus, insignem bis, & memorabilem exercitus sui cladem accepit, & ægrè quidem sui ipsius saluti præcipiti fugâ consuluit. Qui, cum prioris illius infausti prælij difficultate premeretur, MARIÆ Virgini religiosâ sponsione vovit, se in Christi, & illius honorem ædes constructurum, ubi vinginti quatuor Carmelitis, qui rei Theologicæ operam darent, idoneos sumptus suppeditaret, si ab imminente calamitate eriperetur. A qua, Dei benignitate, ereptus, sponsionem suam repræsentavit, ædesque illas votivas Oxonij construendo, voto se liberavit. *Bzovius in Annalibus ad annum Christi MCCCXIV. numero 6. ferè eadem scribit. Eduardus igitur Rex Monasterium fundatum Oxonij anno 1260. ampliavit, seu ad alium commodiorem locum transtulit, illudque, modo dictô, dotavit: sicut annotavimus hic suprà ad caput 8. Chronici num.* 813.

(d) Non est ergo Carmelitarum Religio nova plantatio. Est enim de veteri Lege, & Prophetis &c. *Ibi consequentèr plurimorum Patrum, & Doctorum authoritatibus, atque ex vetustis Historijs, ac authenticis scriptis copiosè declaratur, & demonstratur. Quod SS. Prophetæ Elias, & Eliseus, atque Ioannes Baptista unius ejusdemque professionis, & habitus, fuerint: quod Carmelitana Religio à præfatis Prophetis Elia & Eliseo fuerit inchoata, & fundata, atque per Filios Prophetarum continuata usque ad Incarnationem Salvatoris: quod Ordo hic titulo B. Virginis* MARIÆ *sit specialitèr insignitus; & denique quod à multis Pontificibus sit approbatus, & solidè confirmatus: sed cum pleraque eadem relata sint partim in Tractatu præcedenti, partim in prima hujus Speculi parte, hoc loco repetere supervacaneum videretur.*

(e) Norwici anno Domini 1441. *Tunc nondùm erat Episcopus: assumptus autem fuit circa annum* 1446. *Vide suprà num.* 759.

TRACTATVS
DE
Fundatione, intitulatione, antiquitate, Regulâ, & confirmatione Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, Semperque Virginis MARIÆ de monte Carmeli.

AUTHORE EODEM R^MO. P^R. AC D^O. THOMA* BRADLEYO EPISCOPO DROMORENSI.

* *Al.* SCROPO.

NOTATIO PRÆVIA.

Tractatus iste abbreviatus, sed tamen verbis ipsius Authoris hîc datur; eò quòd (ut etiam suprà monuimus) pleraque sint eadem, quæ in Chronico, aut quæ dicta sunt Parte primâ, atque in anterioribus hujus partis Opusculis alijs.

PROLOGUS AUTHORIS.

827. QUia Isaias Propheta, cùm de Christi Incarnatione prophetaret, promisit, quòd *Virgo* Deum foret *paritura* (Isaiæ 7.) & *gloriam Libani*, idest albedinem & *decorem Carmeli possessura* (Isaiæ 35.) scilicet Ordinem Eremitarum de monte Carmeli; qui *Grex Dei est* (Micheæ 7.) Ideò ego Thomas Bradley gloriosissimam Virginem MARIAM, Matrem Carmeli, in suis gregibus, idest Carmelitis, & hæreditate, ac possessione, laudare, ac magnificare, non per fabulas, sed per res gestas, disposui.

CAPUT PRIMUM.

De Fundatoribus Ordinis Carmeli.

828. PRimos Fundatores Ordinis B. Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmeli ostendit D. Hieronymus in Prologo vitæ S. Pauli Ægiptij primi Eremitæ, sic dicens: *Inter multos sæpè dubitatum est, à quo potissimùm Monachorum eremus inhabitari cœpta sit. Quidam enim altiùs repetentes à B. Elia, & Ioanne principia sumpserunt.* Similiter Isidorus libro 2. de origine offic. cap. 15. 2^m. *genus Monachorum est Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca, & vastas solitudines sequi, atque habitare perhibentur ad imitationem scilicet Eliæ & Ioannis Baptistæ, qui eremi secessus penetravere.* Hæc ille. Idem Isidorus libro 2. de origine Officiorum cap. 15. *Vndè ad Monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis hujusmodi conversationis extiterit author, cujus isti habitum imitantur? Quantum attinet ad authoritatem veterum Scripturarum: hujus Princeps Elias, & discipulus ejus Eliseus fuerunt, sive alij Prophetæ, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis faciebant sibi casulas juxtà fluenta Iordanis: hujus etiam propositi in Euangelio Ioannes Baptista extitit, qui eremum solus incoluit, locustâ tantum & agresti melle nutritus.* Hæc ille. Similiter Joannes Cassianus magnus Eremita exhortans discipulos suos ad imitandum vestigia antiquorum Eremitarum veteris Testamenti librô 1. de Institutis Monachorum cap. 2. ait: *Hôc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis fundavere primordia, Eliam scilicet & Eliseum auctoritate Divinarum Scripturarum monstratur.* Et subdit idem Cassianus in eodem libro cap. 2. dicens: *Idcircò hæc, quæ nequeà veteribus Sanctis, qui hujus professionis fundamenta jecerunt, neque à Patribus nostri temporis, qui eorum per successionem instituta nunc usque custodiunt tradita, vidimus exempla, ut superflua, & inutilia nos quoque resecare convenit.* Hæc Cassianus. Joannes item quadragesimus-quartus Episcopus Ierosolymitanus libro 1. de Institutione Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium ad Caprasium Monachum cap. 2. *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Carmelitarum*

Elias, Eliseus, Ioan. authores, & Principes Monachorum.

melitarum primus Princeps extitit, à quo sancta eorum primæva institutio exordium sumpsit. Item Bernardus Doctor & Abbas Cassinensis in expositione primi Capituli Regulæ S. Patris Benedicti, scilicet de quatuor generibus Monachorum dicit sic: *Attende benè, in veteri Testamento Elias & Eliseus: in novo Testamento Ioannes Baptista: Paulus, Antonius post tempora Apostolorum inventores, & conservatores horum Monachorum Eremitarum seu Cenobitarum extiterunt.* Hæc ille. Et Hieronymus magnus Eremita in Epistola ad Paulinum Monachum: *Nos autem* (id est, Monachi) *habemus propositi nostri Principes Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macharium, & ut ad authoritatem Scripturarum redeam: Noster Princeps est Elias, noster Dux est Eliseus, nostri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudine, & faciebant sibi tabernacula juxta fluenta Iordanis.* Hæc Hieronymus Eremita magnus de Institutionibus Eremitarum Terræ Sanctæ. Ex quibus prædictis authoritatibus manifestè habetur, Eliam, ac Eliseum, atque alios Filios Prophetarum veteris Testamenti, Joannemque Baptistam mediatorem utriusque Testamenti cum suis discipulis fuisse de uno habitu, & de una professione, seu religione, ac austeritate vitæ, in tantùm quòd post mortem meruit per manus discipulorum suorum, id est, Filiorum Prophetarum, sepeliri inter corpora sanctorum Prophetarum Elisei, & Abdiæ in Civitate Sebastæ, sicut testatur Eusebius Cæsariensis in 12. lib. Eccles. Histor. Et idem testatur Hieronymus in Prologo super Abdiam. Et benè: mos namque fuerat Judæis, Reges, Sacerdotes, & Prophetas sepeliri in sepulchris patrum suorum: quod etiam in Joanne Baptista completum est.

829. ANNOT. *Consequenter totò illô capite Patrum, & Scriptorum aliorum authoritatibus adstruitur, & confirmatur quod* Propheta Dei Elias sit Monachorum omnium, & peculiaritèr Religiosorum montis Carmeli primus Princeps, à quo sancta eorum primæva Institutio exordium sumpsit: *& quod* S. Propheta Eliseus fuerit primarius ejus adjutor: atque Filij Prophetarum istorum discipuli, & successores. *Quod* sicut Propheta Elias fuit in veteri Lege primus author vitæ monasticæ; ità Joannes Baptista in novo Testamento instaurator, & innovator. *Denique quod* isti duo ità fuerint similes, ratione consanguinitatis (uterque ex stirpe Aaron) officij (uterque præcursor Christi) habitationis (uterque in Eremis) vestitus, austeritatis, prædicationis, virtutis, & meriti; ut Joannes Baptista meritò dictus fuerit Elias. *Quæ omnia luculenter pertractata sunt in antecedentibus, præsertim parte 1. libro 1. 2. & 3. atque etiam in binis Tractatibus præcedentibus Authoris ejusdem, ideò hic prætermittuntur.*

CAPVT II.

De Habitu Ordinis.

4. Reg. 1.
Elias, Eliseus, Ioan. Bapt. vestibus à reliquo populo distinctis usi.

830. PRædicti autem Prophetæ Elias & Eliseus, & Joannes Baptista Monachorum Carmelitarum Principes, seu Authores, fuerunt in habitu à reliquo populo segregati. De habitu Eliæ dicitur quod habuerit vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos. Undè Ochozias Rex quærens: *Cujus figura esset & habitus vir Dei, qui occurrit servis suis? Vir,* inquiunt, *pilosus est, & Zonâ pelliceâ accinctus renibus.* Et ait Rex servis suis: *Elias Thesbites est*: quem inter tot millia populorum non judicasset esse Eliam, saltem ex habitu, nisi solitus fuisset habitu separatô à reliquo populo vestiri. Joannes Baptista more Eliæ habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos, ut dicitur Matth. 3. Marci 1. Similiter sequaces Eliæ & Joannis Baptistæ vestiti fuerunt habitu more Eliæ & Joannis Baptistæ, ut notat eos Apostolus ad Hæbreos undecimo: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis.* Hebr. 11. Melota, autem, scribens Glossa dicit, quòd est vestis hispida ex pilis camelorum, vel caprarum, vel taxorum contexta, quali usus est Elias, & alij: nam Chrysostomus super hunc locum inquit: *Hîc agitur de Elia, & successoribus suis.* S. Chrys. homil. 38. Joannes de Abbatis villa super hunc locum prædictum: *Circuierunt &c. Hic descendit Apostolus ad sanctos Eremitas, qui non fuerunt martyres, dicens: Circuierunt per deserta, & multa mundi loca in melotis, & in pellibus caprinis: melota pellis est animalis, quod etiam taxus vocatur, cujus pellis etiam melota dicitur, & est valdè hispida, sicut pellis ericij: His enim pellibus tegebantur Sancti, quasi homines silvestres, viventes in desertis, egentes necessariis, angustiati anxietatibus mentis, afflicti laboribus: quibus, & quorum conversatione, & habitatione dignus non erat mundus, id est, amatores mundi non erant digni tantorum virorum præsentiâ. Et ipsi Sancti erant errantes, sicut Elias & Ioannes Baptista, in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ.* Hæc ille.

831. (a) Superhumeralibus etiam in veteri Testamento usi fuerunt Elias, & Eliseus, Joannes Baptista, aliique Carmelitæ eorum sequaces: præceperat enim Lex Iudæis in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbriis suarum vestium funiculos facere: quas fimbrias cum funiculis dicti Eremitæ de monte Carmeli juxtà Legis præceptum in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. Erat autem superhumerale vestis sine manicis, & sine caputio usque ad renes descendens, in utroque latere aperta, brachiis etiam denudatis, cujus posterior pars copulabatur anteriori &c. Novæ autem Legis tempore huic vesti in apertura colli junctum fuit caputium, quod quidem caputium descendebat usque ad medias tibias, tegens caput & scapulas: idcircò etiam tunc hæc vestis à quibusdam fuit dicta *Cuculla*, à quibusdam *Scapulare*. Sed quia istud caputium non solùm operiebat caput; sed etiam scapulas, ideò dicti Carmelitæ funiculis indè resectis, cum summâ diligentiâ diebus ac noctibus illud simpliciter per annos mille ducentos duodecim gestabant (b) usque ad annum Domini millesimum ducentesimum duodecimum, quô tempore venerunt Carmelitæ in Angliam. (c) Erat tunc vir sanctus in Religione prædicta Simon Stock nomine, natione Anglicus, qui Dei gloriosam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulo, aliquo communiret privilegio, dicens voce devotissimâ.

(a) Superhumeralium usus in veteri Lege.

Vestis illa in nova Lege vocatur Scapulare.

(b) Carmelitæ in Angliam venerunt anno 1212.

(c)

Fos

Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor cœli, Virgo puerpera,
Singularis.
Mater mitis, sed viri nescia,
Carmelitis da privilegia
Stella maris.

Ibi S. Simon Stock Scapulare accepit à B. V. Maria.

Cui Beatissima Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, Scapulare, seu Cucullam antiqui Ordinis Carmelitarum cum parvo caputio usque ad cingulum descendens in benedictis manibus suis tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quòd in hoc moriens æternum non patietur incendium, id est, in hoc moriens salvabitur, tradidit. Quod ipse Simon devotè suscipiens caputium grossum de scapulari seu cucullâ suâ deposuit, & caputium suum aliud juxtà formam caputij, quod à B. Virgine receperat Scapulari addidit; quô etiam Scapulari tam ipse, quàm omnes alij Carmelitæ usque in hodiernum diem die nocteque pro habitu suæ professionis utuntur.

Pallia alba gestarunt Carmelitæ à tempore S. Eliæ.

832. Tempore verò Eliæ & Elisei Eremitæ Filij Prophetarum de monte Carmeli, & de aliis locis Terræ Sanctæ super habitum suæ professionis pallium de puro panno albo portabant: Hôc palliô operuit Elias vultum suum, cum in monte Oreb transiret Deus ante eum: Hoc etiam pallium misit Elias super Eliseum, quando ipsum accepit in discipulum. Prædictis verò palliis Carmelitæ supradicti usi fuerunt tàm in veteri, quàm in novo Testamento continuè & incessanter usque ad annum post Incarnationem Domini sexcentesimum trigesimum nonum: quo quidem anno prædicti Carmelitæ primò deposuerunt pallia alba, & vestem stragulatam unanimitèr susceperunt. Undè B. Cyrillus Propheta ac Eremita montis Carmeli in Epistola ad Eusebium Priorem montis Neroi cap. 2. ait:

Illa deponere coacti fuêre anno Dom. 639.

Dum Homar Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Saracenorum Terram Sanctam cepisset, & Christianos in ea degentes suo dominio subjugasset, Saraceni molestè ferebant quòd nostræ Religionis professores veste albâ desuper induti incederent; cum soli eorum Sattrapæ hujusmodi coloris habitu desuper uterentur. Propter quod gestationem pallij albi dictis professoribus interdixerunt: pro quo Professores prædicti pallium barratum tunc unanimitèr assumpserunt. Hæc ille.

Et resumpserunt an. 1287.

In Capitulo Generali in monte Pessulano anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo in Festo S. Mariæ Magdalenæ celebrato, pallium stragulatum authoritate Domini Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ dimiserunt, & ad imitationem Fundatorum pristinorum Patrum professorum illius Religionis ipsi eorum successores album pallium, quod dudum à Saracenis compulsi dimiserant in eodem Capitulo Generali unanimitèr reassumpserunt, cui pallio caputium album addiderunt. Quod pallium album, ut præmittitur, caputiatum ex tunc Cappam albam vocaverunt. Et sic adimpleta Prophetia quædam cujusdam sanctæ Sybillæ, scilicet Hildegardis, de persecutione Ecclesiæ Christi in fine mundi capitulô *Filia Sion,* in quo & ipsa prophetavit de Religiosis Carmelitis sub figura equorum: *Venient,* inquit, *equi varij coloris, eorum egressio ab Oriente in Occidentem; sed mutatô vellere paulatim incedent; & progressio eorum ab Occidente in Orientem: hi primi & novissimi.* Prædictorum ergo palliorum barratorum depositionem, & albarum capparum reassumptionem Bonifacius Papa octavus Carmelitis confirmavit anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Romæ apud S. Petrum 7. Calend Decembris Pontificatûs sui ânno primo. Bullam vidi in Conventu Carmelitarum Londini.

833. Hæc de Habitu Carmelitarum, seu varietate ipsius, ac mutatione pallij albi in pallium barratum, & reassumptione pallij albi, & confirmatione ejusdem breviter ad præsens scripsi, nè nimiâ prolixitate generem fastidium legentibus. Tamen cum quis invenerit Speculum Reverendi Magistri Fratris Joannis Baconthorpij de Institutione ejusdem Ordinis, vel Speculum Reverendi Magistri F. Ioannis de Ciminetho Universitatis Metensis de Institutione prædicti Ordinis, aut Speculum R.di Magistri F. Ioannis Hildesheim, vel Opusculum, quod Scutum Carmelitarum inscribitur, vel alia (d) opera quæcumque mihi in hoc repugnare videntur, sciat prudens Lector pro certo, (d)
quòd quoad hoc Capitulum non rectè senserunt, ut clarè patet in 7. lib. de Institutione, & peculiaribus gestis Monachorum Carmelitarum authoritate sanctissimorum Patrum Dom. Ioannis XLIV. Episcopi Ierosolymitani, & Cyrilli Prophetæ, qui Doctores Hæbreorum (ubi Carmelitæ primò sumpserunt exordium) extiterunt.

834. ANNOT. *De Habitu Ordinis, ejusque varia mutatione, & mutationis causis plura videri poterunt in parte prima lib. 7. per totum. Circa jam dicta aliqua hic annotanda occurrunt, videlicet.*

(a) Superhumeralibus in veteri Testamento usi fuerunt Elias & Eliseus. *Superhumerale sic dictum ab humeris; idem est quod Scapulare: de quo peculiaritèr actum est parte 1. lib. 7. cap. 4.*

(b) Usque ad annum Domini MCCXII. quo tempore venerunt Carmelitæ in Angliam. *De adventu Carmelitarum in Angliam, vide hic supra cap. 8. Chronici ejusdem Thomæ Bradley, & ibi in Annotat, num. 807. & 810.*

(c) Erat tunc vir sanctus in Religione dicta Simon Stock nomine, *qui scilicet istô annô, ætatis suæ circiter 48. Ordinem est ingressus. Scapulare autem à B. V. M. accepit anno 1251. Prior Generalis Ordinis existens. De S. Simone, & Scapulari ipsi tradito vide hic suprà in Viridario Ioannis Grossi num. 599. & 617. ac num. 618. ubi explicatio triplex istorum verborum;* In quo quis moriens &c. *adducta est. De eisdem quandoque tractatio recurret, potissimè in parte tertia.*

835. (d) Opera quæcumque mihi in hoc repugnare videntur. *Quidam existimarunt, pallium album Eliæ, ex curru igneo dejectum Eliseo, per ignem fuisse extrà plicas denigratum, & intrà plicas mansisse album: atque ità fuisse varij coloris. Sed id tanquam improbabile meritò rejiciunt Thomas Bradleyus hôc locô, & Lezana Tomo 1. Annalium Carm. ad annum mundi 3204. ante Christum 849. & Tomo 3. ad annum Christi 642. Vide etiam in Speculi hujus parte 1. lib. 7. num. 276. & hic suprà num. 559.*

CAP. III.

CAPUT III.

De Regula & modo vivendi sectatorum Ordinis hujus.

836. Regula, & modus vivendi horum Monachorum Carmelitarum in veteri Testamento hic erat: Vivebant secundùm legem Mosaicam, & veteris Testamenti traditiones, & ultrà hoc promittebant castitatem, paupertatem & obedientiam, & sequestrabant seipsos tàm habitu, quàm habitatione à reliquo populo Judæorum. De ipsorum castitate dicit B. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de virginitate servanda: *In antiqua Lege sola erat benedictio liberorum: paulatim verò crescente segete missus est virgo Elias, virgo Eliseus, & virgines multi Filij Prophetarum.* Hæc ille. Constat etiam consequenter & ejus discipulos non fuisse possessionatos: quod quidem expressè habetur de Eliseo 3. Reg. 19. quem Elias invenit arantem in duodecim jugis boum, & *misit pallium suum super illum; qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam, dicebatque: Osculer oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te: dixitque ei vade & revertere. Reversus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt. Consurgensque abijt, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.* Hæc ibi. Hîc habetur expressè, quod licèt Eliseus non fuerit de domo Levitarum, sed de Tribu Ruben; amore tamen Omnipotentis Dei relictis omnibus disciplinæ propheticæ se commisit. Quod & eorum sequaces fecisse credendum est. Undè Hieronymus contra Vigilantium: *Hac in Iudæa usque hodie perseverat consuetudo, non solùm apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, totius orbis foveantur ministerijs.* Hæc ille. Quòd etiam Filij Prophetarum fuerunt Eliæ & Eliseo in omnibus penè obedientes testatur Nicolaus de Lira super 2. cap. 4. libri Regum super hunc locum: *Adoraverunt eum: adoratione dulia,* inquit Magister, *tanquam Superiorem suum, eò quod esset substitutus locô Eliæ, sub cujus regimine priùs vixerant.* Hæc ille. Insuper de sequestratione eorum à reliquo populo Judæorum quoad habitationem satisfacit Scriptura 4. Regum 2. 5. & 6. ubi dicitur, quod quidam ipsorum manserunt in Carmelo, quidam in monte Ephraim, quidam in Galgala, quidam in Bethel, quidam in Jerusalem, quidam in Sarepta, quidam in Samaria, quidam in Jericho, & quidam propè fluenta Jordanis. De quibus B. Hieronymus ad Rusticum Monachum in Epistola de vita Monachali ait: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis polentâ & herbis agrestibus victitabant.* Hæc Hieronymus. Ex prædictis patenter claret quòd illi fuerint perfectissimè Deo relegati, sicut & Carmelitæ moderni eorum sequaces sunt. Nam sicut Carmelitæ moderni Euangelium implent, & aliqua superaddunt, sicut patet in eorum Regula Bullata, sic & illi in veteri Testamento legem Mosaicam impleverunt, & aliquid superaddiderunt, ut dictum est superiùs. Et idem testatur Cassianus in Collationibus Patrum. Undè in 4. cap. primæ partis, seu in Collationibus Theonæ Abbatis sic ait: *Sicut Eliam quoque, & Ieremiam probamus non fuisse sub Lege, quod, cum licitè conjugia absque reprehensione potuerant iniisse, virgines tamen perseverare maluerunt, sic Eliseum, ac reliquos ejusdem propositi viros Mosaicæ Legis superasse mandata, de quibus ità ait Apostolus: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis &c.* Et infrà: *Quòd omnes offerre decimas possessionum non contenti; sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potiùs Deo, ac animas suas obtulerunt.*

Regula & vivendi norma Filiorum Prophetarum sub veteri Lege.

Erat tunc observantia castitatis paupertatis & obedientiæ.

Religati Deo perfectissimè erant Filij Prophetarum.

Legis veteris mandata superantes.

837. ANNOT. *Ista ibi Bradleyus de norma, & ratione conversationis Filiorum Prophetarum, & successorum eorundem in veteri Lege. Consequenter declarat, quòd* in nova lege doctrinam Euangelicam amplexati fuerint, & illi fideliter inhæserunt in observantia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, juxta formam vitæ, & ad exemplum S. Prophetæ Eliæ: & sic processerint usque ad annum Domini quadringentesimum duodecimum. Tunc autem Joannes XLIV. Episcopus Jerosolymitanus Regulam scriptam illis tradidit: in cujus observantia perstiterunt annis ferè octingentis, donec ea ab Alberto Patriarcha Jerosolymitano in breviorem normam redigeretur. Illa autem ab Alberto Regula primùm ab Honorio tertio, jussu B. Virginis illi apparentis, approbata; deindè à multis alijs Pontificibus confirmata, ac in punctis nonnullis modificata fuit: & sic usque in præsentem diem observatur: *quæ omnia luculenter tractata sunt in parte prima lib. 8. per totum. Quoad apparitionem, & visionem B. Virginis Mariæ factam Honorio III. eam hoc capite sic refert Bradleyus.* Primæ noctis tenebras interrumpens Sanctissima Dei Mater, lucerna superni luminis, omnium malorum medicina, omnium bonorum Mediatrix Honorium tertium Summum Pontificem maturitatis suæ oculis inspiciens, & minaci vigore lenitatem clementiæ contemperans, admonet, quòd petentium vota complenda non differret, &c.* His dictis Virgo Maria sanctissima disparuit, & Papa expergiscens se ad orationem contulit, & Cardinales suos mox concitat ob nixè in favorem Ordinis Carmelitarum perpetuò non violandi, sicut in legenda in Commemoratione solemni B. Mariæ Virginis apud Carmelitas manifestè habetur. *De illa apparitione vide parte primâ num. 357.*

Regula Carmelitani Ordinis sub Lege nova.

Honorio III. Papa apparens B. V. M. jubet Regulæ Car. approbationem.

* Vid. sup. num. 798. ubi idem ijsdem ferè verbis refertur.

CAPUT IV.

De Approbatione Ordinis.

838. Religio Carmelitana est approbata tam jure Divino, quàm jure Regulæ Christi, & Apostolicæ institutionis ..... Carmelitana Religio etiam jure Canonico est approbata. Imprimis Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus anno Domini CCCCXII. Eremitis montis Carmeli suâ potestate ordinariâ Regulam tradendo etiam hôc ipsô Religionem hanc approbavit, sive approbatam declaravit. Deindè Albertus etiam Patriarcha sanctæ Ecclesiæ Ierosolymitanæ, nec non Legatus D. Papæ Regulam istam inspexit, ac in quibusdam abbreviavit, & determinavit; atque ità authoritate suâ ordinariâ, nec non Legationis suæ, confirmavit antè Concilium Lateranense. Id utique dicti Patriarchæ tunc secundùm Ius

Religio Carmelis ab antiquo approbata.

Canonicum licitè fecerunt; nam correctio, aut mutatio, vel regularis institutio, aut approbatio non fuit eis prohibita, nec reservata Sedi Apostolicæ antè dictum Concilium Lateranense, in quo fuerunt primò prædicta prohibita, & Sedi Apostolicæ reservata, videlicet lib. 6. Decretalium tit. *De religiosis domibus* cap. *Religionum diversitatem*. Ergò ante illud Concilium generale licuit de jure dictis Patriarchis Joanni, & Alberto, potestate ordinariâ Carmelitis Regulam tradere, abbreviare, declarare, seu etiam totalitèr mutare, ac eorum Religionem approbare, & institutionem eorum confirmare: *quia quod non est superiori reservatum, nec inferiori ordinario prohibitum, intelligitur de jure sibi esse concessum*, ut patet lib. 2. Decretal. tit. *de sententia excomm.* Capitulo *Nuper*. Et titulo *De sponsalibus* capitulo, *Cum apud*. Et in decretis 16. Quæst. 1. cap. *Sunt nonnulli* &c.

839. Ampliùs, licèt dictum Generale Concilium Lateranense prohibuerit novas Religiones de cætero invenire, ùt patet lib. 3. Decretal. tit. *de Religiosis domibus* cap. *Ne nimia*. Tamen quas invenit priùs institutas, non reprobavit: & hoc rationabilitèr; quia *Constitutio futuris dat formam negotiis, & præterita dispendiis non commendat*, ut dicitur Extra. de Constitution. cap. *Cognoscentes*. Oportet ergo dicere quòd dictum Concilium Generale Religiones ante ipsum legitimè institutas, quas tunc prohibere poterat, & non prohibuit, sed remanere tacitè consensit, tunc etiam ratas habuerit, & tacitè approbaverit: quod enim non potest permanere Conciliô Generali prohibente, si non prohibeatur, permanet eô tacitè consentiente, & approbante: in hoc enim casu taciturnitas habetur pro consensu, ut notatur distinct. 27. cap. *In me*. Et per Joannem Andream Extra. de Regulis juris cap. 10. *Qui tacet*. lib. 7. Sed Religiones ante dictum Concilium legitimè institutæ non potuissent permanere: si illud Concilium eas prohibuisset, quas prohibere utique poterat. Quemadmodùm Concilium Lugdunense posteà alias prohibuit, quæ non manserùnt, ut patet libro 6. Decretal. tit. *de Religiosis domibus* cap. *Religionum diversitatem*. Ergo Religiones legitimè institutas, quas idem Concilium Lateranense permanere non prohibuit, dum in Capitulo, *Ne nimia*, de Religionibus disponebat, tacitè approbavit, præsertim cum oppositum tunc non protestaretur, sicut è contra fiebat protestatio Extra. de Electionibus cap. *Indemnibus*. Ergò Carmelitæ multis modis ante Concilium Lateranense, & in Concilio Lateranensi confirmati fuerunt. Præterea Carmelitarum Religio longè ante Concilium Lateranense habuit Regulam à sanctis Patriarchis S. Jerosolymitanæ Ecclesiæ: & illam Regulam decem Summi Pontifices devotissimè confirmaverunt. Ordines verò, & Regulæ approbatæ à Papa, in jure, pro approbatis habentur; ut patet 5. lib. Decretal. tit. *de excessibus Prælatorum* cap. *Nimis iniqua*. Et *Nimis prava*.

Taciturnitas quando reputata pro consensu.

840. ANNOT. Carmelitana Religio etiam Iure Canonico est approbata. Imprimis Joannes Patriarcha Jerosolymitanus anno Domini CCCCXII. &c. *Regula à Joanne Patriarcha Ierosolymitano tradita huic Ordini est liber inscriptus*: De Institutione primorum Monachorum &c. *de quo peculiariter actum est in parte prima sub initium num.* 4. 5. 6. *& seq. nec non lib.* 8. *cap.* 1. *& ibi in Notis num.* 290. 294. *& seq. Et ex isto libro Albertus etiam Patriarcha Ierosolymitanus Regulam compendiosiorem, & magis determinatam confecit. Vide eodem librô* 8. *cap.* 4. *per totum, & ibi in Notis.*

CAPUT V.

De Titulo Ordinis.

841. CUm Elias Propheta in spiritu prophetico novisset Filium Dei nasciturum ex Maria Virgine, cujus *caput* esse debebat *ut Carmelus* .Cant. 7. tunc congregavit Filios Prophetarum ex diversis locis Terræ Sanctæ in monte Carmeli, & ibi docuit eos vivere in paupertate, castitate, & obedientia voluntaria. Quibus etiam Ecclesiam in prædicto monte, juxtà fontem suum, ad honorem illius Virginis quæ erat ventura, ædificavit, quæ adhuc stat in eodem loco: propter quod dicti Eremitæ Filij Prophetarum Terræ Sanctæ, Fratres sanctæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli dicti sunt; cum Elias eorum Fundator ad honorem illius Virginis Ordinem suum incepit, longè ante ejus nativitatem, & adventum: non immeritò ergo Carmelitas decuit Beatæ Mariæ Virginis decorari titulô, qui primi in sancta virginitate, ac paupertate voluntariâ in monte Carmeli seipsos dedicasse leguntur ad honorem ejusdem Virginis gloriosæ.

Titulus Ordinis Carmelit.

ANNOT. *Hæc pauca ex isto capite* 5. *delibata sufficiant, cum reliqua hic paulò ante in Chronico cap.* 4. *num.* 787. *& seq. & alibi tractata sint.*

CAPUT VI.

De antiquitate Ordinis montis Carmeli.

842. IMprimis *ex variis Pontificiis Diplomatibus ostenditur*, quòd Ordinis hujus Institutio præcesserit Concilium Generale Lateranense, celebratum anno Domini 1215. *Deindè ex testimoniis Prælatorum Terræ Sanctæ, & ex Historicis declaratur*, quòd longè ante Concilium Lateranense, & ab antiquo, in Terra Sancta fundatus fuerit Ordo Carmeli. *Denique ex Decreto immaculatæ Universitatis Cantabrigiensis (ut ait) atque aliis vetustis, & authenticis scriptis demonstratur* prima Ordinis hujus Institutio, & origo à S. Propheta Elia sub veteri Testamento.

843. ANNOT. *Litteræ illæ Prælatorum Terræ Sanctæ, & Decretum Universitatis Cantabrigiensis inserta sunt parti primæ in Appendice, littera quidem* §. 1. *num.* 500. *& sequens. Decreta autem bina* §. 5. *num.* 517. *& seq.*

844. CAPUT VII. *Agitur in eo de duplici Monachorum genere, videlicet Cænobitis, & Eremitis. Deindè referuntur præcipuorum Ordinum Religiosorum origines, de quibus sigillatim, & pleniùs agetur alibi; idcò hic prætermittuntur.*

APO-

APOLOGIA BAPTISTÆ MANTVANI

Contra detractores Ordinis Fratrum B.mæ Virginis Mariæ de monte Carmeli ad D. Sigismundum Gonzagam S. R. Eccl. Cardinalem, ejusdem Ordinis Protectorem.

LIBER VI. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio Prævia.

845. *Abbas Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hôc eum elogiô commendat*: Baptista Mantuanus, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in secularium litterarum scientia nulli secundus, sacræ Theologiæ Doctor, Philosophus insignis, Poëta, & Orator celeberrimus, ingeniô excellens, sermone disertus, vitâ & conversatione præclarus. Latinæ linguæ decus, & Græcæ clarus interpres, metrô excellens & prosâ. Scripsit utrôque multa egregia volumina, quibus nomini suo per universum Orbem Christianum famam celebrem acquisivit. *Et infrà*: Vivit adhuc in Italia celeberrimâ opinione ubique nominatus, & varia conscribit sub Maximiliano Romanorum Rege, annô Domini quô nos ista complevimus. MCCCCXCIIII. *Ibidem recenset quadam (non omnia) ejus scripta. Antonius Possevinus in Apparatu littera B. hac inter alia, de eodem*: Baptista Mantuanus insignis Theologus, & Poëta verè pius ... natus anno 1448. obijt anno 1516. Cessit spontè post triennium Generalatui Carmelitarum. Ejus integrum corpus extat Mantuæ apud Carmelitanos. De illo autem perhonorificum reddidere testimonium Joannes Picus Mirandulanus, Joannes Iovinianus, Pontanus, Beroaldus, Ioannes Trithemius, Petrus Lucius, Petrus Canisius noster, Cæsar Cardinalis Baronius, & plerique alij. *Ejus Opera in tomis quatuor recognita prodierunt Antuerpiæ an. 1576. (& inter ea Apologia quæ sequitur) atque antea Parisiis cum Commentariis Ascensij Badij, & aliorum an. 1513. ut ibidem testatur Possevinus. Alij quoque clarissimi scriptores non pauci ipsum singulari præconiô deprædicant. Causa scribendi hoc Opusculum eadem fuit illi, quæ Bernardo Olerio, Ioanni de Hildensheim, & Thomæ Bradley; molestatio scilicet æmulorum quorumdam, Ordinem hunc calumniantium, tamquam non approbatum, nec Regulam approbatam habentem, nec titulô B. Virginis Dei Genitricis Mariæ insignitum: & hinc scandala apud exteros, perturbatio, ac inquietatio inter Religiosos domesticos. Obiter hîc notandum: quàm cæcos reddat homines passio: Cum enim Religio Carmelitana tàm multipliciter, & solidè sit confirmata, & Regulam habeat propriam, plurimorum Pontificum diplomatibus solemniter approbatam (prout videre licet hic suprà parte 1. lib. 8. ferè per totum, & libro 10. etiam per totum) titulumque illum* Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, *Summi Pontifices non modò confirmarint*, sed & indulgentias peculiares ijs qui eô titulô vel Ordinem vel Fratres singulos nuncuparent, concesserint, & passim in omnibus *ferè Bullis eô titulô Ordinem indigitent, ecquis illa tam patentia ignorare poterit, nisi vel historiarum penitùs ignarus, vel in luce meridiana oculos occludens, ne videat? Hæc obiter.*

Baptista Mantuani varia, & eximia doctrina.

Passio, & invidia homines cæcos reddit.

APOLOGIA BAPTISTÆ MANTUANI.

§. 1. *Causa scriptionis.*

846. Doleo, Reverendissime Pater, ac Illustrissime Domine, quòd non tàm occasione inducar, quàm necessitate compellar, respondere maledictis improborum, & quòd contra morem, ac institutum meum compellar rixari, & videri litigiosus: quod vitium à teneris annis ad hanc usque ætatem nesciebam. Apprehendam ergo stylum, & quod coram loqui non datur, litteris committam; ut ingrediatur sermo per oculos, cui negatur intrare per aures. Patienter ergo ferte, si importunè te adorior, si intempestivè te interpello, si nugis te onero. Nolumus literas tibi esse molestas. Iube eas silere: differ arbitratû tuô eas legere, quo usque earum jucunda sit lectio. Est hæc in epistolis major commoditas, quam in viva voce, quòd lectoris arbitriô loquuntur, & silent.

Literarum prærogativa.

847. Tecum ergo paululùm expostulabo, & non meæ laudis gratiâ, sed pro gentis meæ defensione, quam non possum sine culpa indefensam relinquere, pauca subinferam. Quod si in hoc certamine quidquam mali exempli fortè videbitur, in litis authores retorqueto. Nos enim non ad offendendum, sicut ipsi, sed ad defendendum arma suscipimus: non mittimus

mus in eos tela, sed potiùs repellimus in nos missa. Quod si inter repellendum quemquam eorum feriri contigerit, faciet hoc casus, non nocendi animus. Displicet, vel minimùm eorum læsum iri: nec minùs egrè fero, quòd nomen innocentiæ coger amittere, quàm quod nos videam tantis eorum patere calumniis. * *Iure hoc evenit, ut quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimetur: & cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.* Sic lex. Quod si hoc licet unicuique pro sui defensione, quid pro suorum omnium, & pro Religionis salute licebit? Audies rem nefariam, nauseosamque, subsannantem, plenam injuriarum, plenam scurrilitatis; & (utinam mentiar) evidens facinorosæ mentis indicium. Hęc invidorum est, superborumque hominum consuetudo, suprà quàm dici potest fœda, suprà quàm ferri possit onerosa, ut illi, quia proximorum bonis offenduntur, hi quia certant videri celsiores, semper moliantur ea convellere, si possint, vel obscurare, si non possint, quibus superari videntur ab aliis.

* In ff. *de Iustitia* l. ut natura, Florentius.

Defensio sui qualiter licita.

§. 2. *Titulus Ordinis à Beata Virg. Deipara.*

848. IAm totus ferè Christianismus intelligit, & est tàm nostris, quàm alienis notatum annalibus, Apostolicis etiam litteris approbatum, sacrum Ordinem nostrum *Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ* titulô insignitum: sed quosdam homines fecit sua malitia tam linguaces, tam ingeniosos ad cavillandum, tam versutos ad sugillandum, ut nonnullos simplices, & idiotas garrulitate suâ provocent ad credendum, Mariam, quæ in nostro scribitur titulo, fuisse illam Ægyptiam meretricem, quæ, post spurcissimam vitæ obscœnitatem, ad se tandem reversa, more Magdalenæ venit ad Christum; & per longam, gravemque pœnitentiam facta est de illarum numero meretricum, de quibus Christus dicit: *Meretrices præcedent vos in regno cælorum.* Vide, quæso, Pater Reverendissime, si homo iste jocatur, quanta sit in joco illiberalitas, quanta petulantia, quanta obscœnitas! si seriò loquitur, quanta sit in ejus verbis acerbitas, in intellectu obscuritas; quàm sit atrox, & amarum istud scomma: quantò igne flammigeret ista phalarica: profectò his convenit illud psalmi: *Exacuerunt linguas ut serpentes,* & illud: *Non est in ore eorum veritas. Cor eorum vanum est, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant;* & quomodò, bone Deus, non extimescunt illud psalmi: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Sed dubito verificatur illud in eis: *Excæcavit enim eos malitia eorum.* O nos infelices, in quos annos lapsi sumus, in quam temporum calamitatem jam pervenimus? Certè in eam de qua prædictum est, *Refrigescet charitas multorum.* O lamentabile morum excidium! O virtutum jacturam deplorandam! Qui debent esse *sal terræ, lucerna accensa super candelabrum, & civitas supra montem posita,* ad condiendam terrenam inscitiam, ad fugandas sæculi tenebras, ad piorum innocentiam protegendam, facti sunt, insulsi, & obscuri, &, amissis divinæ gratiæ muris, dissipati, solo æquati, fundituùs eversi. *Mutatus est color optimus: defecit sanctus: diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Sed gratias ago Deo meo, quòd utcumque res eat, tandem sapientia vincit malitiam. Nam in Summorum Pontificum privilegiis, & præcipuè Sixti (qui nos mirificè studuit decorare) non dictum est *Maria* simpliciter; sed additum est *Dei Genitricis,* quod Græcè dicitur *Theotocos.*

Titulum B. V. Mariæ Ordini auferre conati aliqui.

Mat. 21. Psal. 139. Psal. 5. Psal. 5. Sap. 2. Math. 24. Math. 5. Thren. 4.

849. Sunt ejusdem rei plura testimonia. (a) Legimus enim in antiquis historiis, quas viri literatissimi, non solùm nostræ professionis, sed etiam extranei scripserunt: Patres nostros, non Carmelum Nabal, sed Carmelum Eliæ inhabitasse, qui est inter Judæam, & Phœniciam, in Diœcesi Cæsariensi, & in eo construxisse sacellum Matri Christi paulò postquam è vita migravit: & fuisse Sacellum à Palæstinis, & Phœnicibus, Galilæisque gentibus celebratum, & in summa semper habitum reverentia; utpote quod existimabatur ædium Mariæ prima esse. Quò factum est, ut populis in eam appellationem consentientibus, ab eo sacello cognomen habuerint: & meritò quidem: decuit enim eos tantæ Virginis titulô insigniri, qui primum ei templum dedicarunt. Josephus Antiochenus in Speculo perfectæ militiæ Ecclesiæ primitivæ sic de nobis inquit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi, viri solitarij, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei imitatores: qui de monte Carmelo descendentes, per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Virginis Mariæ honorem in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Legimus etiam, & Bartholomæus Platina meminit in vitis Pontificum, Honorium quartum voluisse Patres nostros pro palliis variatis, atque virgatis, quibus, more Palæstinorum, utebantur, vestiri candidis, (b) in signum puritatis Beatissimæ Virginis, cujus titulô erant insigniti. Quod futurum aliquando multò ante Deus ostenderat: nam, ut recitat Petrus Comestor Scholasticæ historiæ scriptor, Sabacha pater Eliæ nondùm nati, vidit in somnis viros candidatos se invicem salutantes. Sed de his jam satis. Sublata est jam verbi æquivocatio, obstrusus est aditus his officiis. Quâ viâ deinceps insidiaberis nobis, ô noster Zoile, quicumque es, qui non prohibes linguam tuam à malo, nec cohibes labia, ne loquantur dolum? Sed quid non audet diruere superbia? quid coinquinare non pergit invidia?

(a)

Sacellum in Carmelo dicatum Virg. Deiparæ: illud venerabile.

Alba vestis Ordinis signum puritatis B. V. Mariæ.

(b)

ANNOT. (a) Legimus .... Patres nostros ... Carmelum Eliæ inhabitasse, qui est inter Iudæam, & Phœniciam in Diœcesi Cæsariensi, & in eo construxisse sacellum Matri Christi. *De Carmeli situ, & Sacello (à nonnullis Ecclesia nuncupato) ad honorem B. Virginis Deiparæ ibi constructo, satis dictum est parte primâ libro 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 5. Ex eodem Mantuano alia quadam, de hoc Sacello, hic paulò post sequuntur.*

(b) In

(b) In signum puritatis Beatissimæ Virginis. *Candidis palliis, in signum puritatis Marianæ, uti Religiosos hujus Ordinis tradunt quoque alij exteri, & domestici. Vide parte primâ, in Appendice §. 6. num. 523. De palliis barratis, seu virgatis, assumptis coactione Saracenorum circa annum reparati Orbis 639. & dimissis authoritate Pontificiâ annô 1287. peculiariter actum est parte 1. libro 7. capit. 7. & alibi sæpiùs.*

§. 3. *Confirmatio Regulæ.*

850. AJunt rursùm, nos, gentem obscuram, (a) Regulam non habere ab Ecclesia approbatam. Pijssime Deus, quod genus hoc hominum? quævè hunc tam barbara morem observat patria? Hospitiô prohibemur arenæ. Gens heri, aut nudius tertiùs nata non veretur Fratres nostros, antiquorum Patrum reliquias, taxare tam irreligiosè, tam inhumanè, ut nihil Religionis præ se ferant, nihil humanitatis videantur habere. Regulam dicunt nos non habere. Antè Christi adventum Regulam habebamus, quam discipuli Eliæ, Filij Prophetarum observabant. Post Christi adventum pro vitæ Regula semper habuimus Christi Euagelium, Acta, & Epistolas Apostolorum. Hanc eandem Regulam habuit Basilius, habuit Augustinus, habuit Benedictus. Undè didicit Franciscus, quæ observanda dedit discipulis? fortenè excogitavit à se ipso? nonnè accepit ex Euangelio? nonnè Euangelium est approbatum? Quam Regulam habebant Paulus, & Antonius in Ægypto, Hilarion in Assyria, Benedictus in Italia: eandem nos habebamus in Carmelo, in montanis Judææ, in tota Assyria, in Ægypto, in Arabia, in Phœnicia, in Cypro.

Regula Carmelitani Ordinis olim, & modò qua.

Regula omnium Religiosorum ex Euangelio sumpta.

851. Accidit sub Christo, quod & ante legitur accidisse: quamdiu enim vixit memoria disciplinæ Adæ, non erat opus hominibus aliâ lege. At ubi subrepere cœpit oblivio, & lux primitiva veritatis extingui, pro face jam finita, prolata est altera lex, scilicet Mosaica, quæ usque ad Christum nobis luxit. At ubi venit plenitudo temporis, & Sol justitiæ Christus apparuit, jam non facibus, non lucernis, non luce mendicatâ nobis opus fuit: Sol enim emicuit, & omni tenebrarum expulsâ caligine, cunctis gentibus dies illuxit. Tunc fides, tùm charitas, tùm religio, tùm pietas, non per urbes tantùm, & castella, sed per nemora ipsa, per loca deserta, arida, & inaquosa longè latèque floruerunt. Tùm erat passim unus vitæ modus, una morum Regula, una forma sanctitatis ubique. Tunc Martyres venerunt, tunc Virgines prodierunt, Monachi, Eremitæ, & Anachoretæ pullularunt. At ubi fervor parùm intepuit, nubes quædam suborta est, id est oblivio primæ sanctitatis, quæ solem aliquantisper obscuravit. Prodierunt mox Doctores, qui variis doctrinis Soli, id est Christo, succurrerunt. Tum plerique laici, Religionis studiosi, lucem à Doctoribus acceperunt, quam ab ipso Sole primi capiebant. Hinc sunt egressæ Regulæ istæ, quas isti dicunt nos non habere. Sed de hoc rursùm paulò infrà dicemus.

852. ANNOT. (a) Regulam habere ab Ecclesia approbatam. *De triplici (una tamen in substantia) Regula Ordinis hujus, & varia ejusdem approbatione, confirmatione, moderatione abundè dictum est parte 1 libro 8. per totum; ut superfluum sit isti tàm manifestæ calumniæ plura opponere. Notandum hic,* Quod sicuti (*ut rectè Mantuanus*) Quamdiu vixit memoria disciplinæ Adæ non erat opus hominibus alia lege &c Ita quoque proximè post Christum inter Religiosos, seu Monachos, fuisse, unum vitæ modum, unam morum Regulam, unam formam sanctitatis ubique, videlicet sanctum Euangelium. Erat quoque Monachis veteris Testamenti, atque etiam post Christum seculis aliquot, exemplar vitæ S. Eliæ Prophetæ, instar Regulæ: sic & S. Antonij vita postmodum Monachis fuit tamquam Regula viva. *Sunt ad hoc propositum ea, quæ parte primâ librô 8. cap. 1. sub initium, & ibi in Notis, dicta.*

§. 4. *Ordinis antiquitas.*

853. REdeo ad propositum: Nos vocant genus ignobile, quorum fuit, ut antè dictum est, tam antiquum, tam illustre principium, ut ex ea saltem parte, cunctis Religionum Ordinibus (quòd sine invidia dictum sit) non solùm possimus, sed etiam debeamus anteferri. Nos respiciebat Hieronymus, cum dicebat: *Princeps noster Elias, Dux noster Eliseus, Duces nostri Filij Prophetarum.* Quid si diceremus, ipsum Hieronymum, ipsum quoque Basilium, qui Monachis Orientalibus Regulam scripsit, fuisse de nostris? Riderent fortè isti; qui, quòd cœci sunt, & historiarum penitùs ignari, nos appellant, gentem obscuram: cœcis videntur omnia obscura: tamen hæc vera esse auctores idonei prodiderunt. Quin & * Joannem Baptistam nostris adscribunt: quod & videtur Christus innuere, cum de ipso dixit: *Et si vultis scire, ipse est Elias.* Hujus quoque signum est, quòd inter duos Eliæ discipulos, Eliseum scilicet, & Abdiam fuit sepultus. Sed nolo in præsens plura congerere, nec plures merces in nundinas ferre.

Antiquitas Carmelitani Ordinis.

* Ad hoc propos. vide nu. 185. & seq 824. 828.

854. (a) Reperimus, & in promptu omnibus est, & oculô ad oculum potest videri, Leonem Quartum Pontificem Maximum, largas Indulgentias nostris benefactoribus elargitum: quem constat Pontificatum gessisse annô salutis nostræ octingentesimô quinquagesimô quartô: Franciscum verò, & Dominicum, viros quidem sanctissimos, constat circà millesimum ducentesimum annum floruisse. Quò fit, ut arctissimô judicij articulô concludi possit, nos Carmelitas, saltem per trecentos & quinquaginta annos antecessisse Minores & Prædicatores: hoc, inquam, convinci potest scriptis, & litteris Apostolicis: contrà quas nulla exceptio fieri possit. Ex Historiis verò nostris, & alienis, quibus saltem tanta fides est, quantâ isti volunt dari suis, altiùs nostra tendit antiquitas. Undè & in sexto Decretalium libro, cùm de Religiosis domibus agitur, post quorumdam novorum Ordinum mentionem ita legitur: *Eremitarum autem S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, qui dictum* (hoc est Lateranense) *Concilium præcesserunt, in solido statu volumus permanere.* Quibus verbis & nostra antiquitas, & approbatio ipsa satis constat. Nam cum illic dicatur, nos *Concilium Lateranense præcessisse,*

(a)

Ea evincitur ex antiquitate Indulgentiarum.

cessisse, & nos debere *in statu solido permanere*, compendiô luculentô, & efficaci nostræ vetustati testimonium fertur. Sed sunt nonnulli qui *solitô* non *solidô* putent legendum. Verùm glossema id parvi putamus; cum habeamus firmiorem Apostolicum sermonem, cui magis inhærere nos oportet. Nam Joannes XXII. in solemni privilegio nobis concesso locum illum Decretalis exponit dicens hôc pactô: *Sacer Ordo vester in agro Domini divinâ dispositione plantatus, & titulô Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ specialiter insignitus, quem in* (b) *statu solido, stabili, & firmo volumus permanere*, & reliqua. Ecce quam sapienter iste Summus Ecclesiæ Pater duobus adjectis nominibus, id est *Stabili*, & *firmo*, fecit clarum, quod similitudo dictionum obscurarat. Quòd si subinferat aliquis, quemadmodùm solent plerique nugari, cur ergo vetustatis locum non tenemus? Respondemus, futurum fortè, ut olim teneamus: possumus id sperare, quoniam jure nobis est debitus: intereà sicut Christus consulit, in loco novissimo humiliter recumbemus, donec veniat qui nobis dicat: *Ascende superiùs*: nec ad hanc præsidentiam multùm anhelamus. Nam cum, ut Paulus inquit, *non habeamus hic civitatem permanentem, sed futuram inquiramus*, stultum putamus, peregrinos in via de honore contendere, qui solùm conari debent, in patriam cum salute pervenire.

855. (a) Reperimus & in promptu omnibus est, & oculô ad oculum potest videri, Leonem IV. Pontificem Maximum largas Indulgentias nostris benefactoribus elargitum, quem constat Pontificatum gessisse annô salutis nostræ DCCCLIV. *Illud meritò premit Mantuanus contrà nonnullos, jactitantes Ordinem hunc posteriorem aliis Ordinibus Mendicantibus, aut demùm incœpisse circà annum Christi MCC. aut aliquantulum ante*; *Contra enim* arctissimô judicij calculô concluditur (*præter alia monimenta non pauca*) *ex eo quod oculô ad oculum videri possit, non tantum in historiis, & Annalibus Ordinis hujus, sed & in ipsis Pontificiis diplomatibus; quòd ante annos octingentos, à Leone IV. & ab aliis nonnullis ipsi ferè proximè succedentibus, Ordini huic, ejusque benefactoribus variæ Indulgentiæ sint concessæ: de quibus latiùs tomò 3. Annalium Ordinis, & nos in sequentibus in Bullario Ordinis, ubi eæ Indulgentiæ in ipsis Pontificiis diplomatibus relatæ, & confirmatæ, extant. Vide etiam hic supra, parte primâ in Appendice § 7. num 527. & 529.*

(b) In statu solido, stabili, & firmo volumus permanere *Ordinem scilicet hunc. Circa illa verba & confirmationem Ordinis doctissimè disserit Philippus Ribot parte I. lib. 10. cap. 5. & seq. nec non Ioannes Bacho hic suprà.*

§ 5. *Viri sanctitate & eruditione illustres in hoc Ordine.*

856. AJunt, nos gentem obscuram, quorum majores, ut suprà diximus, fuerunt Apostolorum coadjutores, Samaritanorum, Galilæorum, & Palæstinorum Euangelistæ. Quorum multos Ludovicus Rex Francorum, è Syriaco bello rediens, secum adduxit in Gallias, ut eos haberet domi intercessores, quos foris habuerat coadjutores. Nos gentem ignobilem vocant, quorum multi sunt sancti Confessores; quorum multi fuerunt Doctores eximij, disputatores acerrimi, ut eorum scripta indicant, quæ adhuc extant, & ubique leguntur. Alios brevitatis causâ prætereo, tres istos præterire non possum, (a) Cyrillum Alexandrinum antiquissimum, qui in Concilio Ephesino legem ferri obtinuit, quâ cautum est, ut Mater Christi Maria *Theotocos*, id est, *Dei Genitrix* appelletur, & Cyrillum Præsbyterum natione Græcum, qui per multum tempus in monte Carmelo legitur habitasse, & spiritu propheticô claruisse. Accidit enim sanctitati ejus res dictu mirabilis, & quæ nullô pactô sit reticenda. Illô ergò Missam celebrante, tabulæ duæ argenteæ, litteris Græcis exaratæ, repentè super altare descenderunt, quas, completô Sacrificiô, summa cum religione (quippè quas judicabat cœlitùs sibi missas) accepit, ac perlegit. Cùm autem vidisset eas multis obscuritatibus involutas, fecit eas Latinas, & misit in Siciliam ad Joachimum Abbatem Floriacensem, qui scripsit in eas commentum, multa indè eliciens supra futuris Religionum Ordinibus, & super venturo Ecclesiæ statu, & præcipuè super Ordine Minorum, & Prædicatorum, qui paulò post pullularunt. Et ne videamur ista somniasse (quod tabulæ fortè dicturæ sint) lege librum Bartholomæi Pisani, quem scripsit de laudibus Beati Francisci: ibi videbis fieri mentionem de omnibus quæ dixi de Cyrillo, de Joachim, de tabulis, & de omnibus vaticiniis ante dictis.

Doctores eximij Ordinis Carmelit. — *Cyrilli duo.* — *Cyrillo Presbytero tabulæ argent. binæ à Deo missæ.*

857. Venio ad tertium, Angelum martyriô coronatum, qui, præter sanctimoniæ splendorem, claruit etiam spiritu prophetiæ, & multa de futuris vera prædixit: præsertim de regno Turcorum ampliando, de Repub. Christianorum affligenda usque ad ea tempora, quibus Turci in Italiam pervenerunt; quæ omnia fuerunt hactenùs adimpleta. Hunc virum sanctissimum Romæ quondàm repertum Beatus Franciscus ita est veneratus, ut prostratus in terram pedes ejus sit deosculatus, eumque prædixerit Martyrem futurum. Angelus autem, mox ut surrexit, eum intuitus, in hæc verba prorupit: *Beatus tu, Francisce, qui Christi stigmatibus es decorandus*: nec habent Minores pro Francisci stigmatibus testimonium magis idoneum: & hujusmodi colloquiis fuit præsens Beatus Dominicus.

Prophetiæ S. Angeli de Turcorum regno. — *Stigmata S. Francisci prædixit S. Angelus.*

858. Placet hôc locô interserere testimonium Carthusiensis illius, * qui scripsit librum de temporibus, FASCICVLVM TEMPORVM vulgò appellatum: hic recitans gesta anni millesimi ducentesimi nonagesimi primi, sic inquit ad verbum. *Nobilissima civitas* * *Acconensis à Saracenis destruitur; ac demùm Deifera Maria in Carmelo monasterium, ad quatuor milliaria civitati vicinum, ab eis igne crematur, Fratribus in eo degentibus perfidorum gladiis trucidatis: & tunc, proh dolor! Ordo Carmelitarum mellifluum locum ex toto perdidit: in quo à tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum duobus millibus ducentis, viginti & unô annis persliterant.* Sic ille.

* Werneri Rolevinck.

*Historiam illam latiùs descriptam vide hic suprà num. 448. & seq.

859. Habes igitur, Reverendissime Pater, ex libello illo, per quàm vigilantissimè elaboratô, & loci, & originis, & antiquitatis nostræ validum testimonium, quô durissimæ frontes conte-

(b) conterantur. Subjiciam hic transeunter, quod idoneô locô legisse memini, (b) animas scilicet Fratrum illorum, qui sunt à Saracenis tunc trucidati visas in cœlum ab Angelis deferri, & ad Christum ire cum palma martyrij. Nos vocant gentem ignobilem, quorum plerique fuere Patriarchæ; ut, de quo suprà dictum est, Cyrillus Alexandrinus, ut Albertus Patriarcha Jerosolymitanus, qui Carmeli montis Monasterium in melius erexit, & vetustate jam collapsum instauravit, Regulam quoque, seu vivendi formam ante Lateranense Concilium, quando novas Religiones instituì non erat prohibitum, auctoritate quâ legitimè fungebatur, Fratribus dedit: quam postmodùm Innocentius, Alexander, Nicolaus, Clemens, Joannes, Urbanus, Bonifacius, Eugenius, Sixtus, Innocentius, & plures alij summi Pontifices confirmaverunt. Et dicunt hi tã imprudenter, nos Regulam non habere? O genus hominum præceps, & incircumspectum: adeò improvidi sunt, & inconsulti, & similes vento qui dicitur Cæcias, ad se stolidè nubes alliciunt. Scimus qui Regulam habeant propriam, scimus qui communem. Minores propriam habent, quam Franciscus tulit, & Innocentius declaravit: Monachi nigri propriam: Eremitæ, & Canonici S. Augustini propriam: nos propriam. Abeant ergò hinc quicumque sunt maledici isti, alienę famæ sicarij, claustralis vitæ perturbatores, & piarum mentium sævi carnifices.

Animæ Fratrum trucidatorum à Saracenis visæ in cœlum ferri.

(c) 860. Redeo ad Patriarchas. (c) Joannes Patriarcha Jerosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit; ipse antiquorum Carmelitarum vitas scripsit, incipiens ab Elia usque ad sua tempora: & extat ad hunc usque diem liber ille, quem ego vidi, tenui ac legi.

Patriarcha ex Ordine Carmelit.

(d) (d) Adde supradictis Petrum Thomæ Patriarcham Constantinopolitanum, qui post multas clades Saracenis illatas (ipse namque Alexandriam Ægypti Urbem nobilissimam cum Petro Cypri Rege Christo restituit) post multos libros Catholicè, & ingeniosè conscriptos, jacet in Cypro Famagustæ, sanctitatis opinione diffamatus.

ANNOT. (a) Cyrillum Alexandrinum. *De isto S. Cyrillo, & altero Constantinopolitano, nec non S. Angelo aliquoties sermo erit in sequentibus, peculiariter parte 4. ubi illorum vita, cum elogiis dabitur, nec non parte 5. ubi de libris ab illis scriptis agetur. De B. Cyrillo Constantinopol. quædam dicta sunt sub initium partis primæ. Epitomen vitæ istorum tradit Ioannes Grossus in Viridario, hic supra num.* 590. 594. 597.

(b) Animas Fratrum *per Saracenos interemptorum ab Angelis in cœlum deferri vidit S. Bertholdus, ut in ejus vita, & in Fasciculo temporum atque ab Ordinis historicis refertur. Vide parte* 1 *num.* 414.

(c) Joannes Patriarcha Jerosolymitanus ad hanc dignitatem ex Carmelo venit: ipse antiquorum Carmelitarum vitas scripsit, incipiens ab Elia usque ad sua tempora: & extat ad hunc usque diem liber ille, quem ego vidi, tenui, ac legi. *De illo Ioanne, & libro isto ejus (inserto parti primæ, & distributo in septem partiales libellos) latiùs actum est initiò partis primæ, & in ejusdem partis libro* 8. *capite* 1. *Vocatur* Patriarcha; *eò quod fuerit Episcopus Ecclesiæ Ierosolymitanæ, postmodùm Patriarchalis dignitatis titulò insignitæ.*

(d) Adde supradictis Petrum Thomæ Patriarcham Constantinopol. *De illo vide hic suprà in Viridario Ioannis Grossi nu* 606 *Vita istius Beati viri conscripta à philippo Mazzerio Cancellario Regni Cypri primùm edita inter Acta Sanctorum per RR. PP. Bollandum & Henschenium, extat tomô 2 mensis Ianuarij, ad diem 29. ejusdem mensis: deindè novis Notis illustrata, & analectis aucta per eundem P. Godefridum Henschenium, recusa fuit.*

§. 6. *Ordinis Monasteria in Terra Sancta: propagatio ad Europam.*

861. Nos vocant ignobiles, qui (a) olim dum Asia, & Africa Christum sapiebant in regionibus illis (ut in nostris Annalibus continetur) habuimus septuaginta, & ampliùs, Monasteria ampla, pulcherrima, atque magnifica: inter quæ erant ferè omnia loca, quæ Christus, & Mater ejus, suâ conversatione celebrarunt. Quòd si vitio dant, quòd ea perdidimus, vitio dent Reipublicę Christianæ, quòd ea regna jam diu amiserit, & amissa recuperare nondum curet. (b) Habeo apud me Decretum Godfridi (qui, captâ Jerosolymâ, de Syris triumphavit) super quadam pietate, quam omni Sabbatô jubebat exhiberi Fratribus nostris, qui tunc incolebant montana Judææ, per quæ transivit Maria, cum ad salutandum Elisabeth se conferret. Floruit autem Godfridus circa annum Christi millesimum centesimum, ante Franciscum, & Dominicum saltem annis centum. Attulit autem Decretum hoc ex Cypro cum quatuor Bullis Romanorum Pontificum in Fratrum nostrorum favorem ad Patriarchas Ierosolymitanos olim missis, Frater Iordanus, Mantuanus, Ordinis nostri, qui loca Terræ Sanctæ visitavit, & ad videndas pyramides Regum Ægyptiorum Memphim, quondàm urbem clarissimam, modò Cairum appellatam, usque pervenit.

(a) Numerus Monasteriorum Ordinis Carmelit. in Terra S.

(b) Godefridi de Bulyon decretum Carmelitis concessum.

862. Accidit nobis quòd & Basilij Monachis, (Basilij, inquam, Monachis, propositô vivendi, & habitûs affinitate nobis junctis.) Nam & ipsi quoque eisdem de causis, hoc est ob frequentes Barbarorum incursus, & ob desolationem fidei nostræ, plurima, & opulentissima Monasteria in Capadocia, in Thracia, in Græcia, in Phrygia, & in Cycladibus jam pridem amisêre. Nostri ergo Patres vel solâ antiquitate venerabiles, ex eorum numero sunt, qui in vineam Patris-familias Evangelici primâ horâ venerunt: Iuniores undecimâ horâ conducti, unâ horâ laborarunt, & cum pares nobis à Vineæ Domino facti essent, ipsi sese nobis prætulerunt, qui portavimus pondus diei, & æstus. Quòd si fortè visi sumus hactenùs, aut numerô pauciores, aut facultatibus tenuiores, nil mirum est; sumus enim extorres, ex propriis sedibus pulsi, palantes, & vagi, rabiei Barbarorum expositi, cœpimusque à paucis annis, hoc est à tempore prædicti Ludovici Regis Francorum, in Italia, in Gallia, in Germania, in Hispania, & demùm in tota Europa fructificare: & jam, Deô pientissimô, & Beatissimâ Dei Genitrice Mariâ curam nostri gerentibus, adeò coaluimus, instauratique sumus, ut nos caudices cariosi, jam seniô, & bellô, ac longâ peregrinatione consumpti, convulsique, cum

Basiliani Ordinis plurima Monasteria amissa in Oriente, similiter & Carmelitani.

Ordo Carmeli in Europa olim quasi extorris.

Dei benignitate servatus.

cum novellis plantationibus possimus aliquandò de paritate contendere, aliquandò de præsidentia gaudere: & nisi misericors Deus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus extincti, hoc est ad unum omnes extirpati. Noluit autem fidelis Deus antiquam in nobis mutare sententiam: sumus enim de filiis Rechab, de quibus in Ieremiæ cap. XXXV. ita dicitur: *Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia ejus mandata, & fecistis universa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel; Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab in æternum stans*
(c) *in conspectu meo.* (c) Et hi discipulis Eliæ postmodum adhæserunt.

863. (d) (d) Accidit hoc in nobis admiratione dignum, & protectionis divinæ manifestum indicium, quòd scilicet, more nascentis Ecclesiæ, ex persecutionibus incrementum sumpsimus, & dùm extirpamur, propagati sumus: nulla namque aliarum Religionum, quæcumque illa sit, post similem suorum calamitatem, post tale naufragium potuit sese attollere: sed multæ, etiam sponte suâ, quasi Dei gubernatione, destitutæ, corruerunt. Nos autem post violentam deprædationem, post tumultuosam nostrorum non expulsionem solùm, verùm etiam occisionem, post tantam barbarici furoris inundationem, & bellorum incendia tam crudelia, reviximus, & quasi ex transplantatione magis aucti sumus: factumque videtur in nobis, quod in psalmo dicitur: *Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno in populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*: quod dictum cò maximè congruit nobis, quod Eliæ discipuli, sicut testatur Regum historia, *Filij Prophetarum* appellabantur. Nos ergo quondam Orientales, nunc verò, propter fidem Catholicam, per Occidentem, & Septemtrionem sparsi, propter Euangelium ejecti, propter fidem Christi exules, tam inhumaniter tractamur ab istis, ut nos neque rectô dignentur intuitu: *Vva eorum uva fellis, & botrus amarissimus.*

Et in tribulatione, ac per adversa dilatatus.

Psal. 104.

Deut. 32.

864. ANNOT. (a) Olim dùm Asia & Africa Christum sapiebant, in regionibus illis, ut in nostris Annalibus continetur, habuimus septuaginta, & amplius Monasteria. *De numero Monasteriorum Terræ sanctæ ex monimentis Archivi Ordinis in Annalibus Ordinis tomo 4. ad an. 1289. hæc leguntur:* Provincia Terræ sanctæ aliàs habebat 77. Conventus, qui fuerunt perditi, quando Christiani fuerunt expulsi: nunc non habet nisi quinque loca in Regno Cypri. In ipsa Terra sancta Fratres habent linguam magis Græcam quam Latinam.

(b) Habeo apud me Decretum Godfridi ... super quadam pietate, quam omni Sabbatò jubebat exhiberi Fratribus nostris, qui tunc incolebant Montana Iudææ. *De Eremitorio isto Fratrum nostrorum tempore Godfridi de Bulyon (circa annum Domini MC.) in montanis Iudææ, per quæ transivit B. Virgo Maria, salutatura Elizabeth agitur Tomò 4. Annalium Ordinis.*

Annal. Ord. ad an. 1141.

(c) Et hi (*Rechabitæ*) discipulis Eliæ postmodùm adhæserunt. *Quod, & qualiter Rechabitæ, exemplô, & instructione Elisei Religiosam, Monasticam vitam exercuerint, habetur ex dictis parte 1. lib. 4. cap. 8.*

(d) Accidit hoc in nobis admiratione dignum, & protectionis divinæ manifestum indicium; quòd scilicet, more nascentis Ecclesiæ, ex persecutionibus incrementum sumpsimus. *Id liquet ex dictis librô nonô ferè per totum, & hic suprà num. 642. passim alibi. Propterea (casibus particularibus prætermissis) id solùm consideratione dignissimum hic memoramus: quod seculô superiore, dum per hæreses grassantes, in variis Europæ partibus, Provinciarum aliquot, & multorum Monasteriorum jacturam fecisset Carmelitanus Ordo, mox in eo excitatus fuerit spiritus S. Teresiæ; quæ, primævum instaurando rigorem, Ordinem & in novis Conventibus, & Provinciis quàm maximè multiplicavit per universum Orbem Christianum, quin & inter infideles, per missiones ad illos postmodùm institutas. Et hinc peculiariter confirmatur veritas istius sponsionis factæ S. Petro Thomæ, de qua ejus discipulus Ioannes Hildesheim hic suprà num. 662.*

§. 7. *Historia memoratu dignissima.*

865. (a) Est aliud memoratu dignissimum, quod ad universalem pietatis profectum cupio cunctis esse notissimum, idque perquam paucis explicare conabor. Nazareth oppidum magis illustre quam opulentum, undè Virgo Maria genus traxit, non longè distat à monte Carmelo: quò factum est, sicut accepimus ab antiquis, ut Patres nostri Filij Prophetarum, Eliæ successores, cum Ioachim & Anna Mariæ parentibus, sicut vicini solent, conversarentur: & quia summoperè studebant mundi contemptui, & ante omnia, more Eliæ, & Elisei, cælibatui, & Virginitati, Mariam infantulam, quæ tùm quoque, nescio quid divinitatis prætendebat, ad nuptiarum abdicationem, & ad perpetuam continentiam sic animarunt, ut Virginitatis perpetuæ susceperit votum: propterea Angelo Gabrieli legitur respondisse: *Quomodò fiet istud, quia virum non cognosco.* Et quoniam mons Carmelus erat sanctitatis nomine diffamatissimus, accedebant illuc frequenter, cum vacabant, ex vicinis locis religionis amatores viri ac mulieres, & præsertim cum Matre Virgo parvula, & jam adulta; & cum viris illis sanctissimis, quos authores habuerat sancti propositi, tantam familiaritatem contraxit, ut quoties poterat vel ad eos accederet, vel eos ad se accersiret, subministrans, etiam eis, secundùm facultates, multa necessaria: erant enim pauperes, ac mendici, contemplationi divinorum penitùs addicti. (a)

Nazareth vicinus Carmelo monti percelebri: quem B. V. Deipara, & ejus parentes frequentarunt.

866. Post Christi passionem, cum jam Apostoli, (& præsertim Joannes Euangelista, cui fuerat à Christo commendata) pulsi à Judæis ad Gentes transmigrassent, domum se retraxit, Nazareth pervenit, & frequenter veniebat in Carmelû. Familiariter alloquebatur viros istos, curas suas eis explicabat, cum fiducia lamentabatur, & ipsi cum ea pariter affecti tristabantur mutuò, & collacrymabant. Restabat ei solùm hoc solatium: non habebat alios cum quibus posset mitigare suspiriis mentis ardorem. Tandem moritura etiam eos advocavit, & in medio eorum tradidit spiritum. Sepulturæ interfuerunt, æternum vale dixerunt. Demùm cum summa animi amaritudine reversi, * sacelli fundamenta jecerunt, Mariæ titulum imponentes, ut illuc quotidiè, tamquam

* De isto Sacello vide parte 1. num. 242.

quàm ad Mariæ domum, convenirent. Et hôc uno solatio fruebantur, ut amantes solent, quòd ejus, quam videre ampliùs non poterant, domum videbant. Hinc, sicut antè dixi, factum est, ut à loco illo cognominati sint *Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmeli.*

Tu vide, tu existima, tu perpende, tu judica, Pater Reverendissime, quanti debeas facere titulum, quem quidam obscuri nituntur auferre. Sub hoc titulo militavimus Christo jam mille quingentos circiter annos, à morte scilicet Mariæ ad hæc usque tempora. Sic ubique terrarum nuncupamur: Christi Vicarij Pontifices Romani sic nos apellant: & hoc illustrissimum tituli decus, ut patet intuenti nostra privilegia, nobis confirmarunt. Videtur hinc, Ordinem nostrum Ioanni Euangelistæ successisse: qui post eum Mariæ, dum viveret, curam habuerit, & post mortem titulum ejus hæreditarit. Sint modò qui nos calumnientur: sint qui conturbent, dummodò tu sis qui nos diligas, ac tuearis. Vive, vale.

867. ANNOT. (a) Est aliud memoratu dignissimum ... Nazareth &c. non longè distat à Carmelo: quo factum est, sicut accepimus ab antiquis, ut Patres nostri Filij Prophetarum, Eliæ successores, cum Joachim & Anna Mariæ parentibus, sicut vicini solent, conversarentur. *Vide etiam ad hoc propositum hic suprà parte primâ lib. 6. cap. 2. sub finem, & ibi in Notis num. 224. Etiam de hoc scribit Abbas Trithemius libro 2. de B. Virgine in Urticeto cap. 12. & 13. ubi hac inter catera:* Mons etenim Carmelus à temporibus Eliæ & Elisei Prophetarum, usque in adventum Domini, sanctis & justis claruit Eremitis, Deo secundùm Pharisaicam traditionem inculpatè famulantibus: ad quos pro consilio, & informatione doctrinæ salutaris ad justitiam, & sacratioris vitæ institutionem, non modò præscripti Salvatoris nostri secundùm carnem parentes, verùm etiam alij quique de universa Judæa viri boni & justi frequentes, & crebrò leguntur habuisse recursum. *Notabile id est, quod percelebris in Hispania Ecclesiastes Regius è Societate Iesu,* curiosè ex Adrichomij theatro Terra sancta observat,* ex Nazareth, domicilio Virginis Deiparæ, fontem scaturientem fluere versùs Carmelum, undè radices ejus rigantur; tamquam Nazareth ipsa Carmelum fœcundaret, nimirùm suum Ordinem Virgo Maria: cujus caput ut Carmelus: & datus ei decor Carmeli dicitur.

*Franciscus Soto concione de S. Teresia in ejus Beatificatione.

Fons ex Nazareth scaturiens Carmeli radices rigat.

De Emerentiana matre S. Anna, Carmelum visitante, & de visione tribus Carmeli Eremitis circa ejus progeniem, quadam ex S. Cyrillo, Petro Dorlando, & aliis sunt dicta in Notis ad cap. 4. libri sexti in prima parte. De Æde sacra (seu Synagoga, ut aliqui nuncupant) olim in Carmelo, primitùs ab Elia constructa, & deindè ab ejus posteris jugiter conservata, ad quam Iudaorum populus orationis, & instructionis gratiâ Sabbatis & Calendis accedere solebat, actum est parte primâ hujus Speculi libro 4. cap. 4. num. 156. & 160. De ea quoque videre poterunt Lyranus, Abulensis, Gaspar Sanchez, & alij Interpretes in illa quarti Regum capitis quarti verba. Quam ob causam vadis ad eum? Hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. *Plura circa hac Lezana tomò 1. Annalium.*

Lezana ad an. mundi 3143. & 4065.

Ex aliis Baptistæ Mantuani operibus excerpta nonnulla.

868. B*aptista Mantuanus in suis quatuor tomis etiam passim alibi eadem de sui Ordinis origine scribit, & quidem de Patientia libro 2. cap. 27. ubi ista:* Hic est ille Elias, qui primus cœlibem, & monasticen, seu solitariam vitam instituit; qui montem Carmelum, undè nos & nomen, & originem ducimus, miraculis, & sanctimoniâ, illustravit. Ipse, ut Regum testatur historia, sui propositi imitatorem, & duplicatæ virtutis hæredem reliquit Eliseum, Prophetam quidem insignem magnis prodigiis, & singularis vitæ sanctitate mirabilem, & qui amborum vitam sequerentur, posteritate usque ad adventum Christi propagatâ, fuere quam plurimi. Quô tempore qui montem illum sanctum incolebant, fidei Christianæ se addicentes, Christi operarij sunt facti, & Apostolis adjuncti, summo manè, hoc est, dum adhuc infans esset Ecclesia, venerunt in vineam patris Euangelici, diei, & æstus pondus portaturi. *Ibi consequenter de primo Sacello in Carmelo Deipara consecrato, ac de Eliana posteritate continuata in Carmelo, donec Barbarorum incursionibus infestata in Occidentales plagas se debuit transferre. Id contigit anno à Christo nato* 1238. *& sequentibus: sicut in Speculi hujus parte* 1. *libro* 9. *descriptum est. Ferè eadem habet in libro de Vita Beata titulo* de origine Carmelitarum.

Libro 3. Parthenices Mariana hac quoque de Carmelo, Instituti Monastici loco originario, & de Elia primo Monachorum exemplari

Inter Cæsareas arces, Tyriosque colonos,
Et vada Jordanis frontem Carmelus in auras
Tollit ———————————————
Mons Patrum pietate sacer, latèque priorum
Inclytus hospitio Vatum: ————————
Illinc perpetuis ceu missi è fontibus amnes
Relligio, & sacri fluxit reverentia cultûs.
Quidquid habent alij montes pietatis, ab isto
Ducitur: hâc unâ plures è vite racemi
Diffusi latè terras, atque æquora complent.
Hinc Carthusiacis æterna silentia claustris,
Hinc varias Benedictus oves collegit &c.

Peculiariter de Carmelitano Ordine post alia subdit:

Hinc nostri venêre Patres, habitacula montis
Culmen adhuc servat, toto apparentia ponto,
Quæ nostri posuêre Atavi, modò possidet hostis
Barbarus, expulsæ solem periêre cadentem
Arctoasque domos, & gentis regna latinæ
Relliquiæ antiqui generis, Vatumque propago.

Et in Eclogis Ecloga X.

Bembe genus nostrum, generisque exordia dicam,
Venimus Assyriis (ut Candidus inquit) ab oris
Est pater Elias nobis, qui substulit armis
Pastorum genus omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in æthera curru.
Pastores alii, quotquot per rura vagantur
Omnia, sunt rivi nostris de fontibus orti:
Nos dedimus leges pascendi, ostendimus artem:
Nos radix, alij rami, sed nos quoque rami:
A veteri radice Patrum jam ætate caduci,
Tradidit Elias certam pastoribus artem.

CHRONICON

Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli

Authore IOANNE DE VINETA S.Theologiæ Magistro, Quondam Provinciali Franciæ.

LIBER VII. PARTIS SECUNDÆ

Notatio Prævia.

869. *Ioannis de Vineta eruditio, & scripta.* S*Ixtus Senensis in Bibliotheca sancta, Possevinus in Apparatu, Lezana in Annalibus Carmelitanis tomo quarto, & alij agunt de scriptis Ioannis de Vineta, qui claruit circa annum Domini MCCCLX. De isto Authore, & hoc ejus Tractatu in ijsdem Annalibus tomo primo capite* 10. *in Apparatu illa referuntur*: Valdè clarus in Ordine fuit Joannes de Vineta, Armoricus Brito, Prior Parisiensis, & Provincialis Franciæ per plures annos. Edidit, inter alia sui ingenij monumenta librum, seu chronicon Ordinis, quod incipit: *Cum quidam Fratres nostri.* Chronicon istud typis editum fuit Venetiis anno MDVII. in Speculo magno Ordinis, in quo extat folio 57. & sequentibus. *Cum autem pleraque in eo contenta jam ante præcesserint in parte prima, illud non integrum (ob rationem suprà indicatam; nè ferè omninò eadem repetantur sæpiùs) sed abbreviatum, verbis tamen ipsius Authoris, dandum, visum fuit.*

PRÆFATIO AUTHORIS.

870. *Ratio scripti hujus Chronici.* CUm quidam Fratres nostri Ordinis juniores, quærentibus à quo Ordo noster sumpsit exordium, vel quare dicimur Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, nesciant satisfacere competenter; hinc est, quòd in scriptis formam talibus relinquentes, voluimus respondere. De hujus autem veritate testimonium perhibentes, dicimus: Quòd à tempore Eliæ Prophetæ, & Elisei ejus discipuli, montem Carmeli (qui non multùm distat ab Accon) devotè inhabitantium; multi sancti Patres tàm veteris, quàm novi Testamenti solitudinem ejusdem montis inhabitantes, per contemplationem, cœlestium veri amatores, ibidem juxta fontem Eliæ in monte Carmeli, in sancta pœnitentia, sanctis successibus continuati, sunt laudabilitèr conversati. *Successio Ordinis Carm. compendiò tradita.* Quorum successores post Incarnationem Domini nostri Jesu Christi ibidem Oratorium in honore Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei construxerunt, & ipsius titulum elegerunt: & ob hoc Fratres Ordinis B. Mariæ Virginis de monte Carmeli deinceps per Apostolica privilegia sunt vocati. Quos Albertus Jerosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, ac Sedis Apostolicæ Legatus, in unum collegium congregavit, scribens eis certam Regulam, ante Concilium Lateranense, posteà à pluribus summis Pontificibus approbatam. In cujus Regulæ, & Ordinis professione nos, eorum sequaces, usque in hodiernum diem, auxiliante Virgine benedictâ, in diversis mundi partibus Domino famulamur: cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CHRONICON.

871. (a) ANno igitur ante Incarnationē Domini nostri Jesu Christi circitèr DCCCCXLIV. ut Chronographi tradunt, cœpit Achab regnare in Israël. In diebus verò hujus Achab Regis Israël, & in regno ejus fuit quidam Propheta magnus, de tribu Aaron, cui nomen erat Elias: ex patre vocato Sabacha; ortus in civitate Thesba, quæ est in regione Galaad: ex qua Thesba Elias Thesbites dictus est. Hic Propheta Dei Elias, Ordinis Carmelitarum Princeps primus extitit, à quo sancta eorum primæva institutio exordium sumpsit. Ipse enim obtentu contemplationis Divinæ, & desideriô sublimioris profectûs, longè ab urbe recedens, & seipsum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, religiosam, & prophetalem vitam Eremiticam primus hominum à proposito ducere cœpit: quam, sanctô dictante, & mandante Spiritu, inchoavit, & instituit in monte Carmeli. Qui quidem mons est in Terra sancta, & confinio Palestinæ Provinciæ, & Phœnicis, situs juxta mare, distans à Civitate Nazareth tribus milliaribus, & à civitate Ptholemaida (quæ modò vocatur Accon) quatuor milliaribus, & à Civitate sancta Jerusalem triginta duabus leucis: habens propè se civitatem quandam, quæ olim Porphiria dicebatur; nunc autem Cayphas appellatur. Hic verò Propheta Dei Elias attraxit sibi quàm plures discipulos... Jonam... Eliseum... Michæam..., Abdiam... *

(a) *Ordo ille quando, ubi, per quem institutus.*

* De istis ijsdem sigillatim actum est parte 1. lib. 2. ideo hic omittuntur. Vide ibi cap. 4. 5. 6. 7.

872. Anno XVIII. Regni Josaphat Regis Jerusalem sanctô Patre Eliâ Prophetâ primô Institutore Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, in cœlum per currum igneum vivô raptô, sanctus Eliseus ejusdem Eliæ discipulus, Filiorum Prophe- *Rapitur Elias: cui in Officio succedit Eliseus.*

Prophetarum habitantium in Carmelo, Galgalis, Bethel & Jericho magisterium suscepit.

873. Anno XV. Imperij Tiberij Cæsaris factum fuit verbum Domini super Joannem habitantem in deserto apud fluenta Jordanis, prædicantem baptismum pœnitentiæ. Tunc Religiosi Filij Prophetarum montis Carmeli, & alij propè fluenta Jordanis, & in cæteris eremis Terræ Promissionis habitantes, fuerunt à sancto Joanne Duce eorum, sicut & cæteri de populo, baptizati.

Carmeli Eremitæ à S. Ioan. Bap. baptizati.

874. Tempore prædicationis Christi, & à Passione ejus, regnante Romano Imperio usque ad tempus Tyti, & Vespasiani Imperatorum, Fratres de monte Carmeli apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt. Et tempore Beati Petri Apostoli Antiochiæ Cathedrati, ipsi in circumquaque Regione adjacente; diversis locis Catholicâ pro fide insistebant.

Christianam fidem disseminant.

875. Anno Incarnationis Christi LXXXIII. Fratres Carmelitæ diruentes Semnion antiquum: ædificaverunt primæ Virgini Deo dicatæ, scilicet Beatæ Mariæ Genitrici Dei, Capellam quandam in monte Carmeli juxta Fontem Eliæ, in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam quasi vestigium hominis de mari ascendentem in Carmelum: ubi professores prædicti seipsos huic Virgini, & ejus Filio se commendantes, ad effundendum ei sedulas preces, & supplicationes, atque laudes etiam tunc semper convenerunt. Et propterea cæteri, & ab eorum religione externi, eos deinceps *Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmeli* appellaverunt.

Capellam Dei Genitrici in Carmelo construunt.

876. Tempore Archadij, & Honorij Imperatorum fuit in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine: qui cæteros consortes suos ejusdem montis Monachos exemplô suô, & magisteriô sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundùm Propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diversis dictis, tàm veteris quàm novæ Legis: & ex nonnullis Tractatibus editis à prædecessoribus suis. Qui tandem, propter ejus sanctitatem, in Pontificem Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ XLIV. successit. Hunc Ioannem charissimus ejus discipulus Caprasius nomine, ejusdem montis, & Religionis Monachus suppliciter flagitavit, ut quæ de Institutione hujus Ordinis, seu Religionis, & primis ejus Fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirendâ frequentèr disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breviter redigere in unum volumen: in quo omnia per ordinem intuerentur; nè oporteret eos librorum numerositatem evolvere. Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset ulteriùs jugem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit. Scripsit enim eloquiô, & litteris Græcis, in quodam libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & Fundatorum ejus dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta & gloriosas virtutes, exterioremque habitûs ornatum. Propterea prædictus Ioannes ista brevi, & lucidô eloquiô ordinatè descripsit; ut successores dictorum Patrum in illo libro, tanquàm in nitido Speculo, Institutionem suam intuentes, eam observare propensiùs conarentur: & sanctam vitam ac virtuosos mores dictorum patrum ex totis præcordiis imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis religiosis Eremitis montis Carmeli legendum & observandum tradidit, tempore Honorij Imperatoris anno Domini CCCCXII.

Ioannes ex Carmelicola Ierosolymitan. Patriarcha XLIV

Regulam scribit, & tradit Carmelitis.

877. Anno Domini CCCCXXVIII. præsidebat loco Papæ Cœlestini primi Beatus (b) Cyrillus Frater Ordinis de Carmelo, Doctor egregius, Patriarcha Alexandrinus, in Concilio Ephesino, quod fuit celebratum per ducentos Episcopos. Qui quidem B. Cyrillus disputans contra Nestorium, ponentem Beatam Virginem Mariam obnoxiam peccato, & non esse Matrem Dei, sed puri hominis, conscripsit librum per quindecim Capitula distinctum: in quo pluribus rationibus ipsum Nestorium confutavit, diffiniens, cum prædicto Concilio, temerarium esse dicere, Beatam Mariam aliquâ peccati maculâ * obnoxiam fuisse. Et quia ità scientificè pro Beata Virgine contra Nestorium disputavit, (c) sancitum fuit, quòd Fratres sui Ordinis titulô Dei Genitricis Mariæ meritò debeant specialitèr insigniri; & etiam, quia primus Conventus, quem prædicti Fratres habuerunt in novo Testamento fuit in Porta Aurea, ubi Beata Virgo concepta fuit.

(b) *Cyrillus ex Carmeli incola Alexandr. Patriarcha in Concilio Ephesino præsidet.*

* *Al.* Infectam.

(c)

878. Anno Domini * MCXXI. erat quidam Patriarcha Antiochenus, & in Terra Sancta Apostolicæ Sedis Legatus, vir amabilis Deo & hominibus, nomine Aymericus Malafayda, natione Lemovicensis de villa appellata Salamiacum. Qui prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli laudabilem conversationem attendens, eos multùm specialitèr suô tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem prædictus Patriarcha quosdam eorum qui ex occidente supervenerant, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem religiosæ vitæ Eremiticæ, in prædicto Ioannis libro descriptæ: & perpendens, hoc ideò maximè contingere; quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant codicem illum legere; fecit librum illum de Græco in Latinum transferri. Et Fratrem Bertoldum, sanctum, & famosum, de unanimi omnium assensu in primum Priorem eis instituit, & ei curam animarum cæterarum injunxit: quibus & Monasterium in hoc monte Carmeli ædificari faciebat, intra quod eos includere intendebat: sed priusquam Monasterium hoc consummasset, sustulit eum de mundo Deus.

* Legendum MCXLI. Vide supià nu. 309.

Aymericus Patriarcha Antiochenus qua Carmeli Eremitis præstiterit.

879. Anno Domini * MCXCIX. Albertus Patriarcha Ierosolymitanus: & in Terra Sancta Apostolicæ Sedis Legatus, ad petitionem

* Leg. MCCIX. aut MCCV. Vide sup. nu. 316.

Alber. Patr. Ierosf. Regulam scribit.

nem Fratrum de Carmelo scripsit eis Regulam per decem Articulos distinctam. *

* Eadem & alia habentur hic supr. num. 302 & seq. ideo hic omittuntur.

Quâ Hon. III. Papa approbat. Et alij Pontifices Rom. confirmant.

Anno Domini MCCXXVI. Honorius Papa tertius, tertiô Kalendas Februarij, decimo anno sui Pontificatûs, hanc Regulam Alberti approbavit, & Fratribus in remissionem peccatorum injunxit.

Anno Domini MCCXXX. Gregorius Papa nonus VIII. idus Aprilis, tertio anno sui Pontificatûs dictam Regulam tanquàm à Sede Apostolica approbatam confirmavit.

Anno Domini MCCXLV. Innocentius Papa quartus VI. idus Iunij secundo anno sui Pontificatûs dictam Regulam confirmavit: sub eadem verborum forma, quâ Gregorius nonus.

Anno verò Domini MCCXLVIII. Innocentius Papa quartus die prima mensis Octobris, quinto anno sui Pontificatûs prædictæ Regulæ declarationem, correctionem, & mitigationem sub Bulla confirmavit: & cœperunt ijdem Fratres villas, & civitates inhabitare. *

* Latius ista sunt descripta parte 1. lib. 8. cap. 5. 6. & 7.

Anno Domini MCCLVI. Alexander Papa quartus die tertia mensis Februarij: secundo anno sui Pontificatûs ejusdem Regulæ declarationem, correctionem, & mitigationem Fratribus confirmavit. Idem præstiterunt Urbanus IV. Nicolaus IV. Bonifacius VIII.

880. Anno Domini MCCLXXXV. procurante Fratre Petro de Amiliano Priore Generali ejusdem Ordinis, Honorio Papæ quarto fuit supplicatum per Dominum Gervasium tituli sancti Martini in montibus presbyterum Cardinalem, ut pallij, sive mantelli gestationem in alium decentem habitum, ædificantem animas fidelium, commutaret. Quam supplicationem idem Pontifex anno primo sui Pontificatûs, videlicet dictô annô Domini MCCLXXXV. vivâ voce concessit. *

Barrata, seu varij coloris pallia dimittuntur, & alba resumuntur authoritate Apostolicæ Sedis.

* Vide plura lib. 8. cap. 7. partis 1.

Anno Domini MCCLXXXVII. Fratres Carmelitæ in Capitulo eorum Generali in monte Pessulano in Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ celebrato, pallium barratum dimiserunt, & ex authoritate Sedis Apostolicæ, pallium album assumpserunt. Cui pallio, capucium prædicti Fratres addentes, cappam vocaverunt.

Capparum albarum assumptionem confirmant Pontifices.

Anno Domini MCCLXXXVIII. Nicolaus Papa quartus primo anno sui Pontificatûs horum palliorum barratorum depositionem, & capparum albarum assumptionem, sub Bulla confirmavit.

Anno Domini MCCXCV. Bonifacius Papa octavus septimo Kalendas Decembris, anno primo sui Pontificatûs horum palliorum barratorum depositionem, & capparum albarum assumptionem sub Bulla Fratribus nostris confirmavit.

881. Anno Domini MCCXXXVIII. propter Paganorum insultus, quos Fratres Carmeli sustinuerunt in Terra Sancta, coacti sunt terram illam deserere: & ad alias Provincias se transferre. Ideò aliqui ex prædictis Fratribus natione Cyprij. petitâ licentiâ à Priore montis Carmeli ad Insulam Cypri transfretarunt. Alij verò natione Siculi ad Insulam Siciliæ navigaverunt. Quidam verò natione Provinciales apud Massiliam civitatem Provinciæ applicuerunt. *

Translatio Ordinis è Terra S. in Europam.

* Vide plura parte 1. l. 9. c. 3. & 4.

882. Benignus Deus qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, istos Fratres Carmelitas Matris suæ, tanquam in ultimis mundi partibus disposuit dilatari. per quos ad laudem sui nominis, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris ejus populus utique posset ardentiùs excitari. Anno igitur Domini M.CCXXXVIII. Papæ Gregorij noni anno * VII. & Illustrissimi Regis Angliæ Henrici tertij anno XXIII. venerunt ad Terram Sanctam, ad Ptholomaydam (quæ alio nomine dicitur Accon) à Paganis eam defensuri; &, si favisset Deus, à terra Turcos expulsuri, multi Christiani; in quo tempore Pagani multas fecerant equitationes in terris Accon vicinis. Experti autem quòd (d) in monte Carmeli, distante ab Accon quatuor milliaribus, (d) erat aqua scaturiens de Fonte Eliæ, qui est in ipso monte juxtà cellas, & Oratorium quod Fratres construxerant in honore Virginis Mariæ, non abundavit aquis nisi Fratribus ibidem existentibus. Scientes insupèr, quòd fons ille, cui non erat similis in terra, multum posset proficere usui Christianorum, qui fuerant vicini, quasi obsessi, non permiserunt Fratres in monte sedere, sed ipsos fugabant. Fratres verò venientes Ptholomaydam, idest Accon, manserunt inter Christianos, ut sacerdotes peregrini. Postmodùm verò tempore æstivô, ut quantumcunque possent, Saraceni nocerent Christianis in Accon existentibus, proiecerunt in fluvium de Accon, qui dicitur Belum, qui tunc præ fervore solis & æstûs aquis attenuatis cœpit desiccari, cadavera bestiarum, & Christianorum, quos occiderunt; ut sic fœtorem pestiferum, & aquas redderent mortiferas. Christiani verò fugati pro defectu aquæ dulcis, quæ non erat in fontibus, pro eo quod omnes fontes infecerant Turci, cœperunt infirmari, præcipuè præ calore vini Cretensis, & Cyprij, quod pro sui fortitudine nonnisi lymphatum solet hauriri. Inquirentes ergò Christiani, si aliquis fons relictus esset non toxicatus, didicerunt à Fratribus de Carmelo, quod Saraceni non infecerunt illorum fontem, qui vocatur Fons Eliæ in monte Carmeli; quia sciebant ipsum non solere scaturire in absentia Fratrum. Ideòque videbatur Turcis sufficere illum fontem à Fratribus deseri illius loci. Missus ergo exercitus armatorum ad Carmelum, ut veritatem scirent, regressi renunciaverunt se invenisse montem amænum, cellas defossas, sed desertas, & in rupibus fontem desiccatum. Undè verè poterant verba recipere Jeremiæ desolationem locorum Terræ Sanctæ plangentis. *Predo irruit, ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo.* Quoad fontem dicere poterant verba Amos primo dicentis: *Luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.* Accersitis igitur Fratribus quæsierunt Proceres, si fons ille ipsis in Carmelo existentibus abundaret aquis, responderunt, quod sic. Mirantes ergo, ducunt Fra-

* Lege XII.

Fontis Eliæ in Carmeli prodigium. (d)

Fratres cum exercitu ad Carmelum, qui locum tàm sanctum, & Patrum Prophetarum habitaculum, Genitrici Dei dedicatum, ita desertum, in tantùm plangebant, ut etiam adstantes ad fletum provocarent. Tandem unus illorum, Fratres piè confortans ait: Viri Fratres, ista desolatio erat antiquitùs prophetata, quandò etiam, & misericordia fuit promissa per Jeremiam dicentem: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes Vrbes ejus destructa à facie Domini, & à facie furoris ejus. Hac enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam.* Et alibi: *Reducam Israel ad habitaculum suum, & pascetur Carmelus.* Cum dicit; *Consummationem non faciam*, promisit misericordiam, & restitutionem per Saracenos destructorum, cum subjunxit; *Reducam Israel* &c. Confortati ergo Fratres adiverunt verticem, ad illum scilicet locum, ubi Elias Propheta Ordinis Pater post tres annos, & sex menses siccitatis, suâ prece pluviam impetravit: & flexis genibus adoraverunt Deum, & Dominam loci, Matrem Jesu Christi, & sanctos suos Prædecessores, ut fontis aqua more solito servis Dei scaturiret. Antequàm ergo ab oratione surgerent, inundabant aquæ largifluæ de fonte.

Quâ occasione Ordo Carmeli per Europam multùm propagatus.

883. Quod multi Christiani diversarum nationum videntes, propter miraculum, quod Christo placuit facere ad preces Fratrum Genitricis suæ, in diversas mundi partes secum adduxerunt, fundantes eis mansiones in honore suæ Advocatæ Virginis Mariæ. Inter quos Christianissimi milites Dominus (e) Joannes de Vesci, & Dominus Ricardus de Grey natione Anglici, post multos actus bellicos in Palæstina contra Infideles strenuè peractos, de Terra S. ad Angliam remeantes, quosdam hujus Religionis Fratres Anglicos de licentia Prioris Monasterij montis Carmeli, secum ex devotione ad Angliam duxerunt, videlicet anno Domini 1240. in Festo Nativitatis Domini. Horum autem Fratrum unus vocabatur Frater Yvo, cui Dominus Joannes de Vesci mansionem dedit in Sylva de Holim juxta Alnewicum in confinibus Scotiæ. Alter verò Frater vocabatur Radulphus, cui Dominus Ricardus de Grey dedit mansionem apud Eylisfordiam in Cantia. Ubi sanctissimâ conversatione Deo, & Virgini gloriosę continuè famulantur, crescunt, & multiplicantur, atque per diversa loca in ejusdem Regni partibus devotissimè sunt fundati. Sapientia siquidem Patris Altissimi attingens à fine usque ad finem fortitèr, & disponens omnia suavitèr, Carmelitas Fratres Matris suæ præparatos, ac calceatos pedes in Euangelium pacis per varias mundi partes honorificè voluit dilatari, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat Jesus Christus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

884. ANNOT. (a) Anno ante Incarnat. circiter DCCCCXLIV. cœpit Achab regnare. *Dicit circiter; varia enim sunt sententia circa præcisum annum primum regni ejus. Salianus, in Annalibus Ecclesiasticis veteris Testamenti tomo 4. & cum eo Lezana tomo primo Annal. Carmelit. primam S. Propheta Elia appariti nem coram Achab, referunt ad annum mundi 3123. ante Christum 930 regni Achab septimum. Tornielius verò ad sequentem. Illô annô S. Elias Religiosam Monasticam vitam quodammodò delineavit in solitudine Carith. & post triennium in Carmelo eandem, & Ordinem suum fundavit: quâ ratione id factum peculiariter declaratur tomo 1. Annalium Carmelit.*

(b) Cyrillus Frater Ordinis de Carmelo. *De illo videri poterit in antecedentibus num. 742. & 747.*

(c) Sancitum fuit. *Quomodò id intelligendum, declaratum est hic supra num. 747.*

(d) In monte Carmeli .. erat aqua scaturiens de fonte Eliæ. *Fontis illius mentio frequens fuit in parte 1. videlicet libro 3. cap 3. atque in ipsa Regula num. 318. 332. Historiam illam fontis istius exercitui anglico siti afflicto aquam præbente versibus eleganter celebravit Baptista Mantuanus libro 8. Fastorum. Ibi hac inter catera:*

Cùm genus Assyriis nostrûm descendat ab oris
Undè fit occiduas ut sic compleverit urbes?
Anglia Conventus tot habet, * ior Scotica tellus, ** De Conventibus Angliæ vide suprà num 808. 812. 813.*
Credere quòd nequeant qui non vidêre Britannos,
Cur apud Anglorum populos ita creverit, audi.

Et infrà de Barbaris in Carmelum irruentibus

Et quia Carmeli fontem, qui proximus urbi est,
Audierant, Patribus nostris absentibus imbrem
Non dare; quò facerent lymphas arescere, factô
Impetû, mactarunt, quot sunt in monte reperti:
Et subitò clausit aquas: sed major eorum
Barbaricæ percussa metu feritatis, in urbem
Pars ierat: Deus hos rabidâ subtraxit ab irâ.

Post alia refert, quomodò exercitus Christianorum Anglica nationis, & aliarum, in Carmelum reduxerit illos residuos Carmeli Patres, & saxa à Barbaris in fontem congesta eruerit, & quomodò tunc rursùs fons fluere caperit.

——————————— Fonte repertô.
Funditûs exhaustô (nam post crudelia Patrum
Funera nostrorum defecerat) omnibus ingens
Incubuit mœror; flexô tum poplite sancti
Oravêre patres, lymphas, mox, flumine factô,
Fons vitreas effudit aquas, quæ tempora belli
Aspera perpetuò fecêre salubria fluxu.
Ista Duces tanta intuiti miracula, secum
In patriam duxêre viros, quibus arma negabant
In laribus sedem Assyriis: & templa domosque
Construxêre novas: paucis ita floruit annis
Relligio quasi virga solo depacta feraci:
Et veluti palmes robur translata recepit.

Plura circa hac videri poterunt in Annalibus Ordinis Carmelit. ad annum Christi 1239. & in Chronologia vita S. Simonis Stock, inserta Vinea Carmeli. In libro cui titulus Itinerarium Terræ Sanctæ, inibique sanctorum locorum, ac rerum clarissimâ descriptione per Bartholomæum à Saligniaco Sedis Apostolicæ Prothonotarium, *Typis edito Lugduni anno Christi 1525. dedicato D. Ioanni à Lotharingia S.R E. Cardinali, fontis istius prodigium refertur tomo 10 cap. 6.*

(e) Dom Joannes de Vescij . . . (e) Dom. Richardus de Grey . . . anno Domini MCCXL. *Illô annô per præfatos Dominos facta fuit fundatio Monasteriorum duorum priorum in Anglia, istis in locis, ubi jam ante ab anno MCCXII. humiles dumtaxat eremiticas mansiones incoluerant. sicut pleniùs declaratum est hic suprà in Notis ad caput 9 Chronici Thoma Bradley num 807. & 810. Reliqua hujus Opusculi pleniùs pertractata, & sufficienter explicata sunt parte primâ per totam.*

EXCERPTA EX SPECULO INSTITUTIONIS

Ordinis gloriosissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli Per Ioannem de Ciminetho.

885. *Abbas Trithemius libro de Viris Illustribus hujus Ordinis, Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana, & post eos alij hac de ipso Authore scribunt:* Joannes de Ciminetho, Lector Conventus Metensis, natione Gallus, vir in Divinis Scripturis studiosus, & multùm eruditus, ingeniô præstans, & clarus eloquiô, declamator sermonum popularium egregius: scripsit Speculum Institutionis Ordinis sui. Hæc illi. *Consequentèr alias ejus lucubrationes referunt. Speculum illud, ad distinctionem ejus quòd parte primâ habetur distributum in decem libros, vocatur* parvum Speculum. *Agitur latiùs de eodem Authore in Annalibus Ordinis ad annum Domini MCCCXXXVI. (circa quem vixit) ubi refertur, quod fuerit* Doctor Parisiensis, & inter alia quæ posteritati reliquit, scripserit tractatulum, qui incipit: Filij Sanctorum estis, Fratres, hujus sanctæ Religionis professores: cujus fundamentum in montibus sanctis. *Typis editum fuit Opusculum istud Venetiis anno* 1507. *in Speculo magno Ordinis folio* 50 *& sequent. In eo Historia Ordinis breviter perstringitur. Quia autem contenta hujus libri pleraque ferè eadem præcesserunt in prima parte, atque in libris aliis hujus partis dumtaxàt annotandum videtur succinctè, quid in eo tractetur, & quo Ordine: Si quis Opusculum ipsum videre expetat, adeat dictum Speculum antiquum Ordinis Venetiis excusum.*

886. *Imprimis ibi agitur* de primario Ordinis hujus Fundatore S. Propheta Elia, ejusque discipulis Eliseo, & Filiis Prophetarum: *Deindè* de loco in quo Religio hæc instituta fuit, videlicet Carmelo à quo nomenclaturam sortitur, deque aliis mansionibus tempore veteris Legis: *tùm* de continua successione Carmelicolarum usque ad Christi Incarnationem: *& quod* S. Joannem Baptistam de Christo testimonium perhibentem, ac deindè ipsum Christum prædicantem audierint, atque post passionem ejus baptizati in Christo, veritatis Euangelicæ nuntij fideles, ac fidei Christianæ legitimi defensores effecti sint, habuerintque mansionem in Jerusalem, in loco dicto, Porta Aurea. *Deindè accuratè rationes redduntur cur hic Ordo* B. Virginis Mariæ *vocetur: inter cæteras hæ:* Professores hujus Religionis titulô B. Mariæ Virginis decorari decuit, qui primi in sancta Virginitate, ac paupertate voluntaria seipsos dedicasse leguntur. Undè Beatus Hieronymus in Epistola ad Eustochium de virginitate scribit: Virgo Elias, virgo Eliseus, virgines multi Filij Prophetarum ..... Hinc sponsus Ecclesiæ præeminentiam hujus Virginis considerans, ei magisterium hujus sanctæ professionis attribuendo dicebat, Caput tuum ut Carmelus Canticorum 7. Ipsa etiam personalitèr in ipso sancto monte Carmeli cum sanctis virginibus, & Religiosis ejusdem loci frequentèr dicitur habitasse, tùm propter sanctitatem loci, & devotionem ibidem habitantium; tùm propter vicinitatem locorum. Distat enim civitas Nazareth à monte prædicto quasi per tria milliaria .... Fratres verò tempore quô Ecclesia per totam Judæam & Samariam ædificabatur post ascensionem Domini, in eodem monte, juxta fontem ubi habitavit Elias, Oratorium in honore Beatæ Mariæ Virginis primi construxerunt. Undè & sancta Sedes Apostolica, præmissis rationibus diligentèr inspectis, huic Religioni titulum Beatæ Mariæ Virginis per litteras suas solemnitèr appropriari decrevit.

887. *Consequentèr scribitur* de Regula Ordinis in nascente Ecclesia: *& quod* ea in scriptis tradita fuerit à Joanne Patriarcha Jerosolymitano, ex hoc Ordine assumpto, ac deindè ab Alberto etiam Jerosolymitano Patriarcha in compendium redacta, insertis quibusdam observantiis aliis: atque ità primum ab Honorio III. approbata fuerit, & posteà ab Innocentio IV. in nonnullis mutata & mitigata, & sic confirmata: quam etiam plures alij Pontifices confirmationis privilegiô roborarunt. *Tandem differitur* de Habitu Ordinis, ejusque mutatione, ac denique de Terræ Sanctæ totali amissione, Religiosorumque ibi per Paganos trucidatione, eorumque glorioso martyrio: cæterorumque in Europam transmigratione, & inibi multiplicatione, potissimùm favore S. Ludovici Regis Franciæ: (a) qui cum primâ vice cum exercitu transfretasset in Terram sanctam, indè rediens ex Carmelo Religiosos aliquot secum advexit in Franciam; qui ibi multiplicati, & indè ad alias Regiones derivati fuerunt, uberesque fructus, ad Fidei Catholicæ fulcimentum protulerunt.

ANNOT. (a) *De S. Ludovico è Carmelo in Franciam Religiosos aliquot conducente, vide parte* 1. *libro* 9. *cap.* 6.

TABV-

TABVLARE
ORDINIS FRATRVM DEIFERÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO

Authore Petro Bruno Gandavensi.

LIBER VIII. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio Prævia.

888. IN *Opusculo hoc succinctè tanquam in brevi Tabella, unô quasi intuitu repræsentatur Ordinis hujus originalis, & primordialis institutio, atque continua successio. In Annalibus Ordinis tomo 4. ad annum Domini 1493. hac de Authore, & ipso Tabulari inserta leguntur* : Vivebat hôc annô Petrus Bruyne Gandensis Prior, qui Tabulare Ordinis nostri scripsit, complectens institutionem, successionem, & Regulam, impressum Alosti, apud Theodoricum Mertens. Ejus Epitaphium scripsit Jacobus Reimolamus. *Impressio illius Tabularis per præfatum Theodoricum Mertens facta fuit annô 1474. & in fine hæc subjiciuntur* : Annô Domini millesimô quadringentesimô septuagesimô quattô, die S. Remigij.

Tabulare hoc primum fuit impressum Alosti an. 1474.

Hoc opus impressi Martins Theod-ricus Alosti.

Et ex isto impresso anni 1474. prodit jam hæc secunda editio.

EXORDIALIS PRÆFATIUNCULA.

889. VEtustissimorum Religiosorum, Fratrum Dei-feræ Virginis Mariæ de monte Carmelo, conscripturus Tabulare, sex quantumvis minimis, duce Dominô, peractis punctulis, hujus oratiunculæ terminos statuam. Is itaquè dicendorum subservabitur Ordo, ut cum de Institutione, successione, ac editæ Regulæ traditione parumper dixerim, quod restat de confirmatione, intitulatione, ac Habitûs assignatione postremò subnectam.

PVNCTVM I.

De Institutione.

890. VEræ Religionis Primicerius, & Author Elias Propheta palàm edocebitur, si veræ Religionis essentiales libeat inspicere proprietates. Sunt autem hujusmodi hæ, cum paupertate castitas, & obedientia. Quod si cuiquam minimum desit, hic sibi falsum sortitur Religionis vocabulum. Idcircò si Propheta Samuel cuneos Prophetarum adunasse legatur, quanquam forsan obedientes, & paupetes fuerint concedendi, negatam tamen Samueli castitatem primi Regum testatur historia. (a) Nostro quidem Elias, unà cum Eliseo collega, defuit nihil: qui & obedientes, & pauperes, ac Virgines permansêre. Nonnè Deo summo quàm Regibus ampliùs obtemperabant? at cum paupertatem scrutamur: nihil lucidiùs. Hæc autem in tertio quartoque Regnorum libris gestarum rerum indagine patent.

Samuelis inter & Eliæ institutum quod discrimen.

(a) Elias & ejus discipuli virgines, pauperes, obedientes.

891. Denique verò quò factum sit, ut cæterorum Patrum transuecti virtutibus, tantum culmen servandæ virginitatis primùm conscenderint, ex ijsdem Regnorum scrutamur historiis; nam dum montis Carmeli declivió septenas preces Elias fuderat, è maris regione parva nubecula, humanam figurans effigiem, eminùs oritur. Exindè pluviales imbres legimus subsecutos: quò fit ut terra, jam pridem herbarum negatâ viredine, frumenti, vini, & olei multimodos stringeretur edere fructus. Hâc quoque nubeculâ Virginem parituram Salvatorem mundo Elias prævidit; ut in, *de Institutione Monachorum in veteri Lege exortorum, & in nova perseverantium* Joannes Jerosolymitanus ad Caprasium testatur abundiùs. Hinc de servanda Virginitate propositum sumpserat: quo suos habere præcipuè voluit discipulos sequaces. Ad hoc, Eustochio, in, *de servanda virginitate* Hieronymus scribit: *In veteri*, inquit, *Lege sola erat benedictio liberorum; quia Orbis erat vacuus: paulatim verò increscente segete, messor immissus est Virgo Elias, Virgo Eliseus, Virgines multi Filij Prophetarum.*

Elias ad honorem Virginis Deiparæ, in typo Nubeculæ prævisæ, virginitatem amplexus.

ANNOT. (a) Nostro quidem Eliæ, unà cum Eliseo collega defuit nihil: qui & obedientes, & pauperes, & Virgines permansêre. *De S. Elia, & discipulorum ejus Filiorum Prophetarum Paupertate, Castitate, & obedientia: & quòd, ac qualiter eorum vita ratio superaverit Institutum Samuelis, actum est in antecedentibus. De Nubecula Virginem Deiparam, & ejus à peccatis puritatem, atque perpetuam virginitatem, præfigurante copiosè dictum parte primâ libro 6. cap. 1. 2 & 3.*

PVNCTVM II.

De successione.

892. AB Eliæ, Eliseique, Virginum Prophetarum, tempore, eorum successores discipulos Filios Prophetarum sacra crebriùs

(a) *Successio continuata Eliæ, & posterorum ejus compendio tradita.*

briùs in Regum historiis testantur eloquia: Quia unà (a) cum Patribus; verùm & post Patres, sacris Patrum hæsêre vestigiis: illa maximè incolentes loca, quibus Patres suos servisse Deo ferventiùs, audierant: habebaturque mons Carmeli, inter jam dicta loca, longè celebrior.

Hos quidem Virginum Prophetarum sequaces Jesu Salvatoris attigisse tempora Iosephus Antiochenus, libro de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ, capitulo XII. testatur, dicens: *Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores, surrexerunt strenuissimi, viri solitarij, contemplationique dediti: sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces: qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Virginis Mariæ honorem, in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Hæc ille.

Post hæc Cosdroës Persarum sceptriger, & demùm Humar spurcissimi Mahometi successor tertius, in populum Dei sævientes, non hanc quibant Dexteræ Excelsi plantationem delere de medio; quin Aymericus Patriarcha Antiochenus, post verò Iacobus de Vitriaco Aconensis Pontifex, *quasi apes abditis suis alveatibus Domino mellificantes*, eosdem invenerint.

ANNOT. (a) Cum Patribus: *Quod* cum Patribus (Elia & Eliseo & Filiis Prophetarum) & post Patres, sacris Patrum inhæserint vestigiis *illorum successores, continuatâ serie, usque ad Christi Domini in carnem adventum, & exindè usque in præsens tempus satis manifestum est ex omnibus totâ parte 1. contentis; ubi etiam de Cosdroe, Humar, & Aymerico. Vide parte 1. libro 8. cap. 1. & 2.*

PVNCTVM III.

De Regulæ editione.

893. TAndem ad Ierosolymitanum usque Patriarcham Albertum tempus elabitur: quô fit, ut suæ ditionis Fratribus Carmelitis anno Christianæ salutis * MCXCIX. Regulam formet. Nondum enim Apostolicæ Sedi Religionum fuerat institutio reservata. Hujus namque primùm Alberti substituto successore, Lateranense Concilium celebratum didicimus: quod & sexto Decretalium. De religiosis domibus capitulo *Religionum diversitatem* §. *Cæterùm*: planissimè traditur.

* Lege MCCV. aut MCCIX. Vide suprà n. 316

Regula traditio, & confirmatio.

Itaque per Honorium Papam tertium hujusmodi Regulæ confirmatione transactâ, tandem ad Innocentium Papam quartum venitur: qui maximô pulsus Fratrum precamine, per Hugonem tituli Sanctæ Sabinæ Præsbyterum Cardinalem, unàque cum Guilielmo Anteradensi Episcopo, summis Doctoribus, suô nomine totam conscribi eandem Alberti Regulam præcepit: salvô tamen, quod de locorum habitatione, paganorum, guerrarumque visis insultibus, duxerit mitigandum. Ut scilicet non tantùm in eremo, sed ubi eis donata loca fuerint, valeant commorari. Hinc in diversis Europæ partibus derivati sunt, per Ludovicum in Francia: Eduardum (Reges) in Anglia: ut non minùs alterô Solis splendore se eosdem recepisse gaudeant.

894. Verumtamen cum jam rotarum binarum vehiculô, Auriga Summus ille Innocentius Papa quartus, suas invehi non posse sarcinas, cerneret: mox saltum Carmeli, ac Eremi condensa perlustrans quò duas sibi rotas adaptet, asportavit: ut quadrigâ, & exercitu multô, Regum more, Domini sui bella gerantur invictiùs. Quorundam, credo, lincea prævolarunt ingenia; ut jam quid velim multi præsenserint, id scilicet, Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus Carmelitas, & S. Augustini Eremitas, qui jam longæva Institutione, ac confirmatione, perstiterant, addictos exstitisse. Insuper omnimodis privilegiorum usibus debere gaudere, eorum maximè, quæ in Clementinis exprimuntur, confectis Bullis Joannis XXII. suorumque successorum indubitantèr didicimus.

Mendicantium Ordinum quatuor institutio.

ANNOT. *De Regula ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita, & per Pontifices plures confirmata, deque Ordinis propagatione per Europam lucu entiùs scripta videri poterunt parte 1. libro 8. & 9. Quantum ad tempus datæ Regulæ dicto libro 8. annotavimus, quod pro MCXCIX. (seu 1199.) legendum sit MCCIX. seu MCCV.*

895. (a) Innocentius Papa quartus saltum Carmeli, ac Eremi condensa perlustrans, quò duas sibi rotas adaptet &c. *Id quod de Innocentio IV. hic scribit Brunus, eum binis rotis duas etiam alias adaptasse, ut quatuor essent Ordines Mendicantes, instar quadrigæ, crucem, & fidem Christi ad quatuor Orbis partes portantes, latiùs memorat Arnoldus Bostius libro de Patronatu B. Virginis cap. 9. & Balduinus Leersius in Collectaneo exemplorum cap. 2. in sequentibus in lucem proferendis. Sunt autem Religiosi Mendicantes cooperatores Prælatorum Ecclesiæ prout determinat Clemens V. in Clement.* Dudum, *de sepulturis ex Concilio Viennensi his verbis monens ipsos Prælatos:* Eos (*Mendicantes*) in prædicationis officio, & propositionibus Verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis, tamquàm cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes, promptâ benignitate recipiant. *Sic olim in Ecclesiæ primordiis Carmeli montis incolæ Apostolorum cooperatores fuerunt. Vide parte 1. libro 5. cap. 8.*

PVNCTVM IV.

De Confirmatione.

896. ANimadvertite, quæso, quam sancti Pneumatis doctus spiraculô Ecclesiasticus ille hujusmodi Ordinis applaudat confirmationi: cum, alludens, dicat Eliæ: *Prophetas facis successores post te: Beati qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt.* An non quod hic pœnè Prophetes Jesus enuntiaverit arcanô Dei consiliô, depromptum concedemus? Itaque Gamalielem testor, *si ex Deo consilium est, aut opus, dissolvi non poterit.* Verumtamen si jam sanctô Spiritu plantatum, solidatumque sacrum Ordinem hujusmodi, Fratres experimentô didicerant: satiùs tamen duxerunt, superintendere illi Canticorum elogio: *Si murus est ædificemus super eum propugnacula.* Itaquè quam citiùs procuraverunt, ut Fratrum Prædicatorum, Minorumque per Honorium Papam tertium sacris institutis Ordinibus, mox

Confirmatio Ordinis.

mox eôdem Honoriô, ac Gregoriô nonô subsequente, is sacer Ordo eorum, qui prophetali pollebat institutione, summâ roboris communitione firmetur. Vincentio teste, *suo historiali Speculo libro XXX. cap. CXXIII.*

Quis Ordinem supra 2000. annorum existentem diceret non confirmatum?

Quis jam antea bis mille annorum circulis plantatum Ordinem dixisset invalidum; cum nullâ unquam papalium edictorum læsus editione extiterit: imò papali munitione, veluti murô cinctus, jam longè firmior redditus sit? nec solùm Romani Pontifices ipsum Ordinem confirmarunt: sed ut ipsius Fratres multiformibus privilegiis indulgentiis, exemptionibus, protectionibus, prærogativis, libertatibus tuerentur, benignè concesserunt.

ANNOT. *De multiplici hujus Ordinis confirmatione, exemptione, privilegiatione abundè disserit Philippus Riboti hic suprà parte 1. libro 10. quibuscum conferri poterunt dicta in Compendio Ioannis Bachonis particula 7. 8. & 9. De privilegiis, & indulgentiis Ordini huic concessis videri poterunt etiam dicta in Appendice ad partem primam §. 7. & 8.*

PVNCTVM V.

De Intitulatione.

897. HIc quidem Ordo noster munitissimus suæ denominationis sortitus est hujusmodi intersignia. Primum enim *Propheticus* dicitur; quia suos habuit Prophetas Institutores. Olim quidem *Prophetarum Filij* vulgò dicebantur; non quod ij omnes futurorum secretorum denuntiatione pollerent: sed quòd prophetandi, id est psallendi, crebriùs vacarent officio. Nonnumquam etiam hujusmodi professores, nostris seculis *Carmelitæ* dicuntur, nec abs re; quia in Carmelo monte, qui sacris Terræ sanctæ terminis clauditur, conversationem, quam loquor, institutam, supra audivimus. Haud aliter quàm à Carthusia, Cistercio, Carthusienses, Cistercienses audimus nominari.

Tituli varij Ordinis.

Specialis, & præcipuus is est Dei-fera Virginis Maria.

Ast demùm is noster Ordo titulo *Deiferæ Virginis Mariæ* gaudet se specialiùs insigniri: cui & ratio, & authoritas adminiculum præstant: hæc quidem ratio est: Quis non primos virorum Virgines, quodam proximitatis nexu, primæ Virgini, Mariæ scilicet, dicat copulandos? cum sancta canat Ecclesia studiosiùs, *Virginem Virgini commendavit*: quasi de Virgine intersit Virgini. Itidem perpulchrè Armachani testatur authoritas, qui coram Venerabili Cardinalium cœtu in Avenione de Gloriosæ Virginis Conceptione perorans, inter cætera de Carmelitis intexuit. *Prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conversi, & in uno latere ipsius Carmeli montis primò Ecclesiam, seu Oratorium in honorem prægloriosæ Virginis Mariæ construxerunt, & ob id nimirùm primitùs Dominæ nostræ sunt adscripti, ut dicerentur Fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo*: hæc ille. Ijs autem attentis Papa Ioannes XXII. nostræ exemptionis privilegio hujusmodi laudis miscuit verba. *Sacer Ordo vester in agro dominico, Divinâ dispositione, plantatus, & Gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialitèr insignitus; Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.* Quod & ante, & post, Pontifices Maximi egêre crebriùs.

De isto Armachani testimonio vide parte primâ num. 513.

ANNOT. *De intitulatione Ordinis hujus nil opus hi plura attexere; cum in Antecedentibus parte 1. libro 6. cap. 5. 6. 7. & 8. de variis titulis, seu nomenclaturis hujus Ordinis, sit luculenter actum.*

Quoad titulum illum: Ordo Fratrum B. Virginis Dei Genitricis Mariæ *quantoperè olim impugnatus fuerit ab æmulis, & eos represserint Summorum Pontificum authoritas, atque virorum doctissimorum pro Ordine suo Zelus, satis testantur libri præcedentes Ioannis Hildesini, Bachonis, Olerij, Bradley, & Mantuani.*

PVNCTVM VI.

De Habitûs assignatione.

898. POstremò restat de Habitûs assignatione nostrum subsequentem inferre sermonem; ut scilicet disparis amictûs primordialis ratio cunctorum mortalium patescat obtutibus. Adeò enim (a) varius hujus Religionis Habitus extat, ut Fratres subternigro, vel griseo, desuper albi pallioli, vel quondam barrati tegmine velarentur. Non id egisse fortunam docebo; Expleta namque mihi videntur sapientissimæ illius (b) Sibillæ vaticinia: quæ de finali Ecclesiæ Christi persecutione depromens, de Carmelitis sub equorum figura videtur intexere. *Venient*, inquit, *equi varij coloris: eorum egressio ab Oriente in Occidentem. Sed mutatô vellere paulatim incedent, & progressio eorum ab Occidente in Orientem: hi primi, & novissimi.* Tractandaque distinctiùs singula duco. Itàque indui Scapularibus aspicimus Carmelitas: qui, (c) sanctô tradente Simone Stock, virgineis tentum manibus Scapulare (quando suæ devotionis in Virginem Mariam, veluti cujusdam præmij præludiô, Mariam etiam aspexerat) mirum in modum alacres induendum susceperunt.

Habitus varius Ordinis.

(a)

(b)

(c)

Scapulare à B. Virgine Maria datum S. Simoni Stock.

899. Verùm etiam albô supertectos mantellô ejusdem Ordinis professores intuemur. Hujus quidem nedùm figura, imò Divina super hujuscemodi re providentia nuntiabatur, cum Sabacha Pater Eliæ, nondum nati, vidit in somno viros candidatos se salutantes. Quod scholastica historia, super secundo quarti Regum capitulo testatur liquidiùs: sed expetita nè veritas silentiô subruatur, & illud etiam sciri conveniens arbitror, quod Humar ille perfidus cunctos Christicolas atroci suâ tyrannide stringens, albi eos pallioli vestitione prohibuit: Satrapas suos hôc solô definiens colore fulciri. Post barratum debere singulos palliolum sumere, probâ satis usi ratione, consultissimè concluserunt: intendentes Patris eorum Eliæ quondam igneô de curru prolapso, * quod & rugarum extremitatibus ab interna convolutione, ignis activitate, ut discolor videretur, jam jamque contexerat.

*Circa hæc vide supra num. 276. & 559.

Tandem eo Regionum Occidentalium prospero situ comparuimus: ut Honorio Papa quarto, albas, quas gerimus, cappas redditas gaudeamus.

Omnium tamen dictorum, hortor vos, & dignum, & verum prendite testimonium. Quondam enim priorum temporum gestarum rerum, malefidorum hominum ex una, & dictorum Fratrum Carmelitarum ex altera partibus in Universitate Cantabrigiæ, de hujusmodi Fratrum Institutione, Intitulatione, & Confirmatione exoriri visa est quæstio, quæ dum Cancellario coram dicenda proponeretur, formâ sequenti scripto redacta definitio
(d) subsecuta est: (d) *Vniversis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis præsentes litteras inspecturis, Ioannes de DoneWico Cancellarius Vniversitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam.* Et post pauca: *Ordinem Beatæ Mariæ de monte Carmeli jure communi & speciali confirmatum, & titulô Beatæ Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum, ac Fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit, per exhibita, producta, & allegata, Eliæ & Elisei fore Imitatores, & successores: causa cognitione, & juris ordine in ea parte de jure requisitis, ad plenum observatis, reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his scriptis &c. Data 23. mensis Februarij, anno Domini 1374.*

ANNOT. (a) Varius hujus Religionis habitus extat. *De habitu Ordinis, ejusque varia significatione, & iteratis mutationibus tractat liber septimus totus in prima parte.*

(b) Sibillæ. *Intelligitur S. Hildegardis. Vide hic supra num. 660.*

(c) Sancto tradente Simone Stock... jam dictum Scapulare mirũ in modum alacres induendum suscepetunt. *De antiquissimo Scapularis usu patet ex dictis eôdem librô septimô cap. 4. Fuit autem ea vestis maximè privilegiata, dum per gloriosissimam Dei Genitricem Mariam ea B. Simoni Stock tradita fuit in signum salutis, & celeris liberationis è pœnis purgatorij. Sed de istis latiùs parte 3. Interim videri etiam poterunt dicta hic supra num. 599. 617. & 618.*

(d) Universis. *Istud, & etiam alterum Universitatis Cantabrigiensis Decretum pro defensione tituli, antiquitatis, & confirmationis ejusdem Ordinis integra exhibentur in parte 1. sub finem in Appendice, §. 5. num. 516. & 519.*

EPILOGUS.

900. Hujusmodi nostrô Tabulari suæ diffusionis terminos nactô, fit, ut summoperè legentem adhorter, non omnem Carmelicorum me superfudisse flosculorum redolentiam putet: quin & longè fragrantiores, pluresque abditos noscat, etiam ultrò impartiendos, exigentibus, dum eô petantur scriniô, quô gregatim collecti curiosiùs reservantur. Nec tandem eisdem defuturos flosculos temeriùs arbitremur, cum ille terrestris Paradisicola noster Elias tales jam captet, quos & sponsæ, & agni nuptiis acceptissimos applicabit: quò unà secum Carmeli fautores conducat Mater * Sororque Maria, quæ Regem de se incarnatum, genuit, per omnia regnantem sæculorum sæcula. Amen. * Vide sup. n. 149.



SPE-

SPECVLVM HISTORIALE
DECLARATIVVM STATVS
Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmeli
Authore IOANNE DE MALINIS.

LIBER IX. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio Prævia.

901. IN *Apparatu ad Tomum primum Annalium Carmelitanorum cap.* 10. *hæc de Authore Speculi illius scribuntur:* Joannes de Malinis vir doctissimus, prout opus ipsius ostendit; cui titulus est *Speculum Historiale Carmelitarum*, quod incipit: *In diebus Achab Regis*, typis editum cum Speculo Ordinis à fol. 42. Aliqui confundere illum videntur cum Joanne Palæonydoro, qui etiam Mechliniensis, seu Malinensis Conventûs fuit, sed toto cœlo falluntur, cum ipse * Palæonydorus in Epistola ad Rumoldum Laupach expressè asserat se ex hoc Joanne de Malinis collegisse suum opus; ex quo infertur, diversum ab eo, & antiquiorem ipso fuisse. *Etiam indè habetur, hoc Speculum confectum fuisse ante annum Christi* 1495. *quô Palæonydorus signavit præfatam Epistolam ad Rumoldum Laupach, præfixam suo libro trimerico de Ortu, & processu Ordinis sui. Agunt de eodem Ioanne de Malinis Petrus Lucius, Antonius Possevinus, Franciscus Swertius, Valerius Andreas, & alij. Quamvis autem illud eruditè, & luculentèr referet historiam Ordinis; quia tamen pleraque ferè eadem sunt quo-ad substantiam, quæ in parte prima, & in Opusculis antecedentibus; nè ferè eadem sæpiùs repetantur, illud abbreviatum, verbis ipsius Authoris, exhibetur: qui integrum expetit, præfatum Speculum magnum Venetijs excusum inquirat.*

* Vide hic infra num. 936.

Wastelius hunc nuncupat *de Molinis*, & *Molinium* Swertius in Athenis Belg. *A Malinis sive à Machlinia* cæteri verò *de Malinis*.

Wastel. l. 1. Vindic. sect. 5. art. 1.

CAPVT PRIMVM.
De origine hujus Religionis.

902. IN diebus Achab Regis Israël (cujus regnum præcessit Incarnationem Domini nostri Jesu Christi, per annos circitèr nongentos triginta octo) fuit vir ex Tribu Aaron de civitate Thesba, quæ est in Regione Galaad: & nomen ejus * *Sabacha*: Et habuit filium, cui nomen *Elias Thesbites*, dictus à *Thesba* civitate jam dicta. Ante cujus nativitatem Sabacha pater ejus vidit in somnis viros candidos se salutantes. Cui tunc revelavit Deus quæ post agenda erant per Eliam filium ejus: Viri enim candidi sunt Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmeli, pollentes candore duplici, mentali videlicet illibatæ castitatis, & corporali cappæ albæ desupèr eos tegentis. In quo Eliam velut rectè vivendi exemplar imitantes, Sabacham patrem ejus sunt salutantes: dum vitæ Eliæ tramitem non deserentes, salutem animæ sunt possidentes. Sanctus enim Propheta Dei Samuel Conventus Religiosorum in Judæa primus instituit: quorum Conventus in Sacra Scriptura dicitur *Cuneus* quasi *coüneus*; quia ipsi simul congregati habitabant. Eorum officium erat prophetare, id est, Deo psallere, & ipsum jugitèr laudare: quidam etiam eorum spiritum prophetiæ habebant. Qui Religiosi in aliis sacræ Scripturæ locis dicuntur *Filij Prophetarum*, id est Discipuli eorum; quia post Samuelem alij Prophetæ excellentes eos regebant: & diversos eorum Conventus ædificabant.

S. Eliæ Tribus, & patria.

* *Al.* Sobac.

Visio Patris ante ejus nativitatem.

Quid illa significaverit.

903. Undè Propheta Dei Elias Conventus Religiosorum habitantium in Galgala, Bethel, & Jericho longô tempore dulcitèr gubernavit. Post autem hunc modum vivendi horum Religiosorum, celsiorem vitam religiosam inveniens, sæculo renunciavit, & se Deo profitens religiosam vitam Eremiticam, & solitariam primus ducere cœpit, in virginitate perseverans, cujus sanctitas vitæ tantùm resplenduit, ut illius merita de quo à Christo dictum est: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista* huic Eliæ comparata, sufficientèr explicata fuerint, dum Gabriel Zachariam alloquens, Ioannem *in spiritu & virtute Eliæ præcedere Deum*, asseruit. Hic Propheta Dei Elias celsitudinis Religiosæ vitæ per ipsum tunc novitèr inventæ, imitatores juxta revelationem suo patri factam habere cupiens, quosdam Prophetas in discipulos elegit, inter quos supremus fuit Eliseus Filius Saphat de Abelmeula..... Ionas... Abdias. *

Religiosam Eremiticam vitam primus instituit, & exercuit.

Mat. 11.

Ejus sanctitas satis eruitur ex comparatione cum S. Ioanne Bap.

Lucæ 1.

*De Eliseo, Iona, & aliis vide p. 1. l. 2. c. 4. 6. & seq.

904. Sanctus ergo Propheta Dei Elias, quia charitatis ardebat fervore, quia virginalis castitatis pollebat virore, quia paupertatis utebatur fundamentis, quia abstinentiæ corporalis gloriabatur angustiis, quia asperitatis operiebatur indumentis, horum sanctorum Prophetarum (& nostrum, qui eis succedimus, ut declarabitur in capitulis sequentibus) in Deum provocavit affectum; ipse enim quædam vivendi exemplaria, in quibus summa perfectio hujus sanctæ Religionis consistit (gesta scilicet sua, & merita ad exornandas animas nostras) demonstravit in cordibus nostris; ut vocem ejus cum effectu audiendo, ad imitationem ejus, castitatem Deo voventes, & sæculo renunciantes à conspectu hominum sepa-

Vita S. Eliæ exemplar, & norma Religiosæ Monasticæ conversationis.

separati vitam Eremiticam, & solitariam duceremus. Et hoc Isidorus 7. Ethymologiarum cap. XIII. ait: *Religiosi Eremitæ imitantur Eliam.* Quidquid enim in hac sacra Religione virtutis est, & gratiæ, ab ipso sancto Elia, quasi à quodam fonte lucidissimo omnium rivulorum, emanavit.

Al. Sobac. ANNOT. Fuit vir de tribu Aaron... * Sabacha. *Quod Sabacha, & consequenter ejus filius Elias fuerint de tribu Aaron, tradunt quoque S. Epiphanius, & alij relati in Notis ad caput primum libri primi in prima hujus Speculi parte. num. 40.*

Sabacha pater ejus vidit in somnis viros candidos. *De illa visione, & ejusdem significatione plura habet Lector in parte prima libro 7. cap. 5. & ibi in Notis. Reliqua etiam hujus capitis latiùs descripta, & notis illustrata videre licebit parte 1. per totam, ad quam proindè Lectorem remisimus.*

CAPUT II.

De loco in quo hæc sancta Religio habuit exordium, & de raptu Eliæ.

905. Est mons quidam in Terra sancta, in confinio Palæstinæ, & Phœnicis, situs juxta mare, vocatus Hæbraicè Chermel, Latinè Carmelus, distans à civitate Nazareth tribus milliaribus, & à civitate Accon quatuor, & à civitate sancta Jerusalem triginta duabus leucis, habens propè se civitatem quandam, quæ olìm Porphyria dicebatur, nunc autem Cayphas appellatur. Hic mons fertilis est in pascuis, herbis, & fructibus, oleis consitus, arbustis, vineisque condensus: habet etiam plurimum eremi, & solitudinis. In parte hujus montis quæ supereminet civitati Cayphas, sive Porphyriæ, est fons qui *Eliæ fons* nuncupatur; quia de hujus fontis aqua Elias bibebat, quandò in hoc monte habitabat. Hujus loci sanctitate, & devotione tractus Propheta Dei Elias, in quibusdam speluncis, & cavernis montis hujus juxta prælibatum fontem, vitam Eremiticam, & Religiosam, cum suis discipulis, longô tempore duxit, in orationibus, jejuniis, & aliis diversis asperitatibus ibidem persistens... *

Carmeli situs.

In eo Elias, & ejus discipuli Religiosam Eremiticam vitam duxerunt.

* Vide plura p. 1. l. 3. c. 3. & seq.

906. Cumque Elias in hoc monte diu mansisset, & ministerium Dei, pro quo creatus fuerat, complevisset, voluit eum Deus elevare per turbinem ignis in Paradisum voluptatis. Descendit ergo cum Eliseo de hoc monte, & pervenerunt ambo in Galgala; sciens enim Elias suam translationem imminere, voluit ante suum raptum in Galgala, Bethel, & Jericho adire; ut Religiosos discipulos suos, Filios Prophetarum, in his tribus locis commorantes, consolaretur; ne de sui corporali absentia tristarentur. Et quia Eliseus ejus fidelis discipulus non poterat ampliùs ei corporalitèr assistere; voluit Elias in aliquo Conventu horum locorum, eum cum aliis suis discipulis Filiis Prophetarum, in eisdem locis commorantibus, dimittere. Tanta verò erat vis amoris præcipui in magistrum, quod nec precibus horum Religiosorum, nec exhortatione sui magistri Eliæ voluerit ab ejus corporali præsentia separari: donec currus igneus, & equi ignei dividerent utrumque. Incedentes ergo paritèr pervenerunt ambo ad Jordanem: quem percussit Elias suô palliô, divisæque sunt aquæ Jordanis in duas partes, & transierunt Elias & Eliseus per siccum. Videns itaque Elias appropinquare horam suæ translationis, dixit ad Eliseum: *Postula à me quod vis, antequam tollar à te*: & postulans Eliseus ait. *Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me*: quod & ità factum fuit. *Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque: & receptus est Elias in curru equorum igneorum*: quod cernens Eliseus, clamabat, dicens: *Pater mi, Pater mi*, geminando verba præ tristitia. Tunc ad sui consolationem dejecit ei Elias pallium suum & non vidit ampliùs eum.

Elias ante raptum discipulos visitat.

Jordanem palliô dividit, & siccô pede transit.

4. Reg. 2.

Rapitur ad Paradisum: Eliseo pallium dimittit.

907. Ascendit ergo per turbinem ignis in *Paradisum* voluptatis: qui locus est in partibus Orientis constitutus, cujus vocabulum ex Græco in Latinum vertitur *Hortus*: porrò Hæbraicè *Eden* dicitur, quod in nostra lingua *delitiæ* interpretatur: quod utrumque junctum facit *hortum delitiarum*. Est enim locus amœnissimus, longô maris, & terræ tractu à nostro habitaculo secretus, adeò editus, ut & usque ad lunarem globum attingat; undè & aquæ diluvij illuc minimè pervenerunt. Omni etiam genere ligni, & pomiferarum arborum est consitus, habens lignum vitæ; quod sic dictum est; quia Divinitùs accepit hanc vim, ut qui ex ejus fructu comederet corpus ejus stabili sanitate, & perpetuâ soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate, vel ætatis imbecillitate in deterius, vel in occasum laberetur. Habet insupèr lignum scientiæ boni & mali; quod à natura hoc nomen non accepit, sed ab occasione rei posteà secutæ. Arbor enim illa non erat mala, sed scientiæ boni & mali ideò dicta est; quia post prohibitionem erat in illa transgressio futura, quâ primus homo experiendo disceret, quid esset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum: cognovit nimirum primus homo, priusquàm tangeret hoc lignum, bonum per prudentiam & experientiam, malum verò per prudentiam tantùm: sed usurpatô lignô vetitô malum per ignorantiam novit; quia tunc didicit quid sit inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ.

Paradisus qualis & ubi.

Lignum vitæ qualis virtutis.

Lignum scientiæ boni & mali cur sic dictum.

908. In eo loco in magna quiete carnis, & spiritûs, Elias cum Enoch (qui ibidem eum longè ante præcessit) vivet, donec tempus Antichristi adveniat. Non est autem arbitrandum, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt Sancti, quandò peractô operis die denarium paritèr accepturi sunt: vel sic esse quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum migrarunt (de qua ille non morte, sed translatione migravit) jam enim aliquid melius habet quam in hac vita posset, quamvis nondùm habeat quod ex vita rectè gesta in fine habiturus est. Talem autem puto habitudinem adhuc in corpore mortali, atque animali habere Eliam, & Enoch, qualem habuit Adam

Conditio, seu status Eliæ & Enoch in Paradiso.

Adam ante peccatum; non qualem habebimus post resurrectionem; nec senectute marcescunt, nec cibis corporalibus fortasse egent, sed habent satietatem, qualem habuit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: vel si his opus est, pascuntur sicut Adam, ante peccatum de lignorum fructibus, contra corruptionem; & de ligno vitæ, contra vetustatem.

909. *Eliseus autem apprehendit vestimenta sua*, &, præ dolore, *scidit in duas partes*: & accepit pallium Eliæ quod sibi, dum ascenderet, dejecerat, abijciens vestem suam, ut uteretur deinceps veste Eliæ, & reversus percussit Jordanem Eliæ palliô, & divisæ sunt in duas partes aquæ Jordanis, & transijt Eliseus per siccum alveum fluminis. *Videntes autem Filij Prophetarum qui erant in Iericho è contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum, & venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram*, recipientes eum loco Eliæ in patrem & magistrum: & mansit Eliseus cum eis in Jericho per dies aliquot: & postquam dulcoravit amaras aquas civitatis Jericho, ascendit ad visitandos Religiosos commorantes in Bethel, & inde abiit in montem Carmeli: ubi Dominum in speluncis contemplans, cum aliquibus suis, & Eliæ discipulis, longô tempore mansit. Est etiam alius Carmelus trans Jordanem, juxta desertum solitudinis, in quo latuit David fugiens à facie Saul: ubi fuit habitatio Nabal viri stulti, cujus Carmeli memoriam hûc introducere voluimus; nè, cum de nostro Carmelo loquimur, sub æquivocatione nominis alius intelligatur.

Eliseus pallii Eliæ Iordanem dividit.

4. Reg. 2.

Loco Eliæ in Patrem recipitur.

Filios Prophetarum visitat.

910. ANNOT. *De Carmelo, plura habes parte 1. libro 3. cap. 3. & 4. De Raptu Eliæ, ac statu in quo nunc degit in Paradiso libro 4. cap. 1. agitur. Quod autem in Paradiso nunc degat, communissima est Patrum, & Doctorum sententia. Ità S. Hieronymus Epistolâ ad Pammachium*: Enoch translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cœlum: necdum mortui, & Paradisi jam coloni: habent membra, cum quibus rapti sunt, atque translati. *Et Abulensis in caput 5. Genesis, ubi hæc*: Doctores Catholici omnes, & tota fidelium Ecclesia credit, quòd Enoch translatus fuerit in Paradisum, sicut Elias, & manent isti duo in terrestri Paradiso, ut post pugnent, & prædicent contra Antichristum. *Et Bellarminus libro de gratia primi hominis cap. 12.* Sententia, *ait*, est gravissimorum Authorum, Henoch, & Eliam translatos esse in Paradisum, undè expulsus fuit Adam.

CAPVT III.

De hujus Religionis sanctæ in diversis locis per Eliseum Prophetam facta multiplicatione tempore Legis antiquæ.

911. DUm Eliseus contemplationi Dei insisteret, ascendit ad eum in montem Carmeli mulier quædam magna de civitate Suna, distante à monte Carmeli quatuor leucis: in cujus mulieris domo Eliseus hospitabatur, quandò per illam civitatem transibat. Ob cujus hospitalitatis remunerationem, virtute verbi Elisei, mulier de viro suo jam sene filium susceperat: quem mortuum posteà suscitavit, & reversus est in Galgala propter Conventum Religiosorum ibi habitantium, quos, morando cum eis, frequentèr alebat, & pulmentum amarum ex herbis agrestibus quibus immixtæ erant colocynthides, farinâ dulcoravit .... Filij autem Prophetarum dixerunt ad eum: *Eccè locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. Eamus usque ad Iordanem, & tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum, & abijt Eliseus cum eis.* Hi ergo viri sancti sæculo renunciantes, variis desideriis, & affectionibus tracti, ac fervore religionis accensi, turbis, & urbibus derelictis, eligebant sibi, juxta voluntatem Elisei, loca eremitica, proposito suo, & devotioni magis convenientia: ubi polentâ, & herbis agrestibus victitabant. Aliqui enim eorum, ad exemplum, & imitationem sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ, elegerunt habitare in monte Carmelo, juxta fontem Eliæ: ubi vitam solitariam ducebant in alvearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini spiritualem dulcedinem mellificantes: à quibus processit hujus sanctæ Religionis genus: cujus sectatores Anachoritæ, id est, Eremitæ meritò nuncupantur; eò quod nequaquam contenti fuerint hâc victoriâ, quâ inter homines occultas diaboli insidias calcaverunt; sed apertô conflictu dœmonibus congredi cupientes vastos secessus eremi, & solitudinis hujus montis continuè, & incessantèr penetrare non timuerunt, ad imitationem Eliæ, & Elisei Principum eorum. De quibus Propheta Isaias trigesimo secundo capitulo sui libri ait: *Habitabit in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit; & erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Aliqui verò ex his Filiis Prophetarum hominum turbas fugientes, ut liberiùs contemplationi essent vacantes, mortui quidem mundo, viventes autem Deo, in agris, in solitudine Jordanis, quietis sibi sepulchrum elegerunt: quoniam enim Elias, & Eliseus aquis Jordanis Eliæ pallio percussis, & in duas partes divisis transierunt per siccum, & Naaman leprosus in Iordane lotus, virtute verbi Elisei à lepra mundatus, & sanitati fuit restitutus; ideò multi ex Filiis Prophetarum, propter hujus fluminis sanctitatem, & aquarum opportunitatem, faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis: ubi devotissimè Domino militabant.

Hospitatur in Suna.

Hospita filium impetrat, & mortuum vivificat.

4. Reg. 6.

Filij Prophetarum Religiosam Eremiticam vitam agunt juxta Iordanem, & in Carmelo.

Successores eorum semper continuati.

Isa. 32.

912. Cum autem Beatus Apostolus Paulus Sanctorum Legis veteris Testamenti ad Hæbræos XI. capitulo faceret memoriam, horum omnium sanctorum Religiosorum vitam noluit dimittere intactam, quam restringens, in his describit, dicens: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus*

Circuierunt in melotis, dictum de Elia, & Filiis Prophetarum.

nibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ, & hi omnes testimonio fidei probati fuerunt. Quæ verba de Filiis Prophetarum, & Elia, ut dicitur in Glossa, sunt intelligenda.

ANNOT. *De S. Eliseo, & multiplicatione Religionis ejus sub ipso vide plura parte 1. libro 4. cap. 3. & sequ.*

CAPUT IV.

De tempore in quo Professores hujus Religionis ab Apostolis baptizati fuerunt, & fidem Christi humilitèr, ac devotè susceperunt.

913. SUccessores sanctorum Prophetarum Religiosi Eremitæ in monte Carmeli, & in aliis Eremis habitantes ab ipsis Prophetis, atque paternis legibus traditum tenebant, Christum pro humani generis redemptione incarnandum: quem ardentèr, totis cordis visceribus, expectabant venturum. Cum ergò venit plenitudo temporis, *fuit homo missus à Deo*, hujus sanctæ Religionis Princeps eximius: *cui nomen erat Ioannes* Baptista: qui ferè omnibus diebus vitæ suæ in eremo, & maximè super flumen Iordanis, habitavit, vinum & siceram non bibit: melle silvestri & locustis victitavit: indumentô de pilis camelorum opertus, & zonâ pelliceâ succinctus fuit: & post mortem inter corpora Fundatorum hujus sanctæ Religionis, scilicet Elisei, & Abdiæ Prophetarum, in Sebaste civitate à suis discipulis sepeliri meruit. Anno ergo quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris factum fuit verbum Domini super Joannem, ut viam Domini prepararet in Eremo, præcedens Christum *in spiritu & virtute Eliæ*, convertens corda patrum ad filios, parans Domino plebem perfectam: & venit in omnem Regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: ad quem cum exiret Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, accesserunt quoque Religiosi Carmelitæ de monte Carmeli, & alij in Eremis habitantes, ut baptizarentur ab eo in Iordane.

Ioan. 1.

Carmeli incolæ Filij Prophetarum à S. Ioanne Bap. baptizantur.

914. Temporibus autem præcedentibus Iudæa in diversas inciderat captivitates: sed his diebus, desolationis Antiochi Epiphanis Regis Syriæ recolebatur memoria recentiùs: qui ad tantum Iudæos redegerat opprobrium, ut legem Domini, & ejus justificationes observantibus mortis insligeret tormentum: quisque verò cogebatur idolis offerre Sacrificium, vel mortis pati supplicium. Multos ergo Iudæorum abominationes has ferre non volentes, (a) oportuit propriam patriam relinquere, & in aliis diversis mundi Regionibus habitare: quorum plurimæ progenies, in eisdem Regionibus natæ, ad Iudæam, cum aliis temporibus in tranquillitate teneretur pacis, remeantes, religiosè studebant vivere. Alíqui enim in eremis religiosam vitam Eremiticam erant gerentes: alij verò in civitatibus, & maximè in Ierusalem, ad cœnobialem vitam se religabant.

Iudæi per mundum dispersi.

(a) *Tempore pacis reversi in Iudæam, plures Religiosam Eremiticam vitam amplexi.*

Religiosi autem Eremitæ de monte Carmeli, & alij in eremis commorantes, nè præcepta Legis transgrederentur, singulis annis in Ierusalem ter venire consueverant; ut juxta Legis præceptum tres festivitates peculiares, Paschæ, Penthecostes, & Scenophegiæ ibidem celebrarent. Anno ergo eodem in quo Christus ascendit in cœlum, *Religiosi* in Iudæa habitantes, *ex omni natione quæ sub cœlo est*, in Ierusalem convenerunt, ut Festum Penthecostes ibidem celebrarent. Apostoli autem Domini nostri Iesu Christi habitabant tunc in Ierusalem prope loca horum Religiosorum, scilicet in cœnaculo grandi & strato, in quo præcepit Dominus sibi parari Pascha: (b) quod erat in monte Syon, scilicet in illa parte quæ dicitur *Mello*: ubi erat palatium quod David sibi construxerat. Itaque in die Penthecostes factus fuit repentè in dicto palatio de cœlo sonus tanquam advenientis spiritûs vehementis, & replevit totum cœnaculum, ubi erant Apostoli, & discipuli sedentes: repletique sunt omnes Spiritu sanctô: & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Auditô istô fragore insolitô sonante in cœnaculo obstupuerunt, & scire cupientes undè istud tonitru processerat, ad cœnaculum Apostolorum accesserunt: qui cum illuc pervenissent, stupebant omnes, & mirabantur; quoniam audiebat unusquisque, linguâ suâ in qua natus fuerat, Apostolos loquentes..... Et baptizati sunt ipsâ die in Christo, recipientes Spiritum sanctum, & loquentes diversa genera linguarum. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione, & fractione panis, quotidiè quoque perdurantes in orationibus unanimiter in templo, cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem; atque per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt.

Religiosi de quibus in Actis Apostolorum cap. 2. erant Filij Prophetarū.

Mansionem habentes prope Cœnaculum Apostolorum.

(b)

Plura circa hæc vide p. 1. l. 5. per totum.

A quibus ad Christi fidem conversi, baptizati, & eorum cooperatores effecti.

915. ANNOT. (a) Oportuit propriam patriam relinquere. PETRUS COMESTOR *in Historia Scholastica ad capit 2. Actuum Apostolorum capitulo 12. ad istud propositum scribit.* Erant autem in Jerusalem Judæi viri religiosi, & in Judæa habitantes, & præter illos alij multi supervenientes ferè ex omni natione quæ sub cœlo est: quia multis captivitatibus dispersi fuerant Judæi, præcipuè sub Antiocho Epiphane. *Plura ad hoc propositum dicta sunt hic suprà in parte 1. libro 5. cap. 4. & seq.*

(b) Quod erat in monte Syon, scilicet in illa parte quæ dicitur Mello. *Idem Auctor in caput 1. Actuum Apostolorum capitulo 1. hæc de isto Apostolorum habitaculo:* Omnes quidem tā Apostoli quā alij discipuli necnon mulieres habitabant in illa parte Jerusalem quæ dicebatur Mello, scilicet in monte Sion, ubi David construxerat sibi palatium, & ibi erat cænaculum illud grande stratum, in quo præcepit Dominus sibi parari Pascha. *Luculentiùs etiam illa & sequentia describuntur eâdem parte 1. lib. 5. cap. 5. & seq.*

CAP. V.

CAPUT V.

Quarè hæc Religio Ordo Beatæ Mariæ Virginis *nuncupetur, & cur Professores ejus* Fratres de monte Carmeli *appellentur.*

Capella in Carmelo Virgini Deipara dicata post Christi ascensionem.

916. POst Ascensionem Domini nostri Jesu Christi, cum in Judæa, & Samaria à Christi-fidelibus ædificaretur Ecclesia, Religiosi Eremitæ de monte Carmeli specialem devotionem Genitrici Dei habentes in eodem monte Carmeli, juxta fontem Eliæ, Capellam quandam in honore Beatæ Mariæ Virginis primò devotissimè construxerunt: ubi singulis diebus, horis statutis, ad effundendum Deo preces, & ejus Matri, conveniebant. Ipsi autem Eremitæ olim in veteri Lege *Filij Prophetarum* appellari solebant, ut in primo disseruimus capitulo; sed ex quo Prophetæ excellentes, qui eos regebant, in Israël defecerunt, ipsi Eremitæ illum titulum amiserunt, & *Religiosi* vocati fuerunt: qui etiam pro eo quòd à sæcularibus actibus, & vita segregati, quasi singulares, & solitarij in Eremis (ut in tertio tetigimus capitulo) morabantur, ideò à Beato Hieronymo in plerisque suis Epistolis *Monachi* appellantur; eò quòd *Monachus* interpretatur *singularis* & *solitarius*. Post Ascensionem verò Domini Jesu Christi, quia ipsi Eremitæ in monte Carmeli ad honorem Beatæ Mariæ Virginis Capellam specialitèr construxerant, ubi devotè eidem gloriosæ Virgini Matiæ serviebant, idcircò ejus titulum retinere elegerunt: & ex tunc *Fratres Beatæ Mariæ Virginis* appellari voluerunt: quô titulô Professores hujus sanctæ Religionis decorari decuit; quia primi in sancta virginitate voluntaria Deo seipsos dedicasse leguntur. Hinc Hieronymus in Epistola ad Eustochium: *In veteri Lege enim, quia vacuus fuit mundus, sola erat benedictio liberorum: paulatim verò, crescente segete, messor immissus est virgo Elias, virgo Eliseus, virgines multi Filij Prophetarum.*

Inde nomenclatura Fratrum B. M. Virg. Ordini attributa.

917. Quoniam Beata Virgo Maria * de stirpe Aaron, de qua fuit Elias, sumpsit originem; ideò decimo septimo capitulo libri Numeri sicca virga Aaron, germinasse, floruisse, & amigdala protulisse invenitur; quia virginitas quæ in his sanctis Patribus fuit sterilis, in Virgine Maria, rore gratiæ fœcunda, germinavit, floruit, ac fructum pretiosum attulit, dum ipsa ventre Beatô, gaudia Matris habens cum virginitatis honore, Salvatorem mundo protulit, per quam nobis virginitatis insignia pullularunt. Undè sicut in dictis Professoribus hujus sanctæ Religionis decor virginitatis fuit semper incorruptus: ità Beata Virgo Maria ex intemeratis visceribus Filium Dei proferens virginalem decorem perpetuò inviolatum retinuit, secundùm quod Isaias dudùm de ipsa trigesimo quinto capitulo sui libri prophetavit, dicens: *Lætabitur deserta, & invia & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri.* Cujus prophetiæ aperiendo sensum, eam veracitèr exponimus in hunc modum: Eremitica Religio, quæ est deserta, & invia, propter modicam hominum frequentiam, lætabitur, & exultabit, scilicet in Virgine Maria, & solitudo Carmeli, ut lilium florebit in ea; quia Maria germinans germinavit Dei Filium, quem cum conceperit, exultabit lætabunda, & laudans Deum. Quod adimpletum fuit, cum Beata Virgo Maria, post Filij conceptum (ut habetur Lucæ primo) lætabundè laudavit Deum, decantando hoc Canticum: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* &c. Ideò autem *exultavit*, quia simul est ei *data gloria Libani*, scilicet candidi Christi, *& decor* virginitatis *Carmeli & Saron.* Ipsi autem Carmelitæ ei devotè famulantes *videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri*: Quia ergo Professores hujus sanctæ Religionis titulum Sanctæ Mariæ Virginis congruentissimè obtinere meruerunt, rectè sponsus Ecclesiæ ejusdem Reginæ præeminentiam considerans, illi magisterium hujus sanctæ Religionis attribuit dicens: *Caput tuum ut Carmelus.* Canticorum septimo. Quoniam autem hæc sancta Religio *Beatæ Mariæ Virginis* in sæpè dicto monte Carmeli habuit initium; ideò *Ordo de monte Carmeli* consuevit appellari. Undè & sancta Sedes Apostolica, præmissis rationibus diligentèr inspectis, huic Religioni titulum *Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli* per litteras suas solemnitèr decrevit appropriari.

** Quomodo id intelligendum vide nu. 557*

Atque etiam ob alias congruentias.

Isaiæ 35. verba: Lætabitur deserta ... Gloria Libani data est ei, decor Carmeli &c. exponuntur.

Isaiæ 35.

Lucæ 1.

Canticorum 7. verba: Caput tuũ ut Carmelus B. Virgini applicatur.

ANNOT. Post Ascensionem Domini .... Capellam in honore B. M. V... construxerunt. *De Capella in Carmelo constructa anno Christi 38. ad honorem Matris Christi, & instaurata, mutata, seu translata anno 83. Vide parte 1. libro 6. cap. 5. num. 242. & in singulis libris hujus partis.*

CAPUT VI.

De Regula secundum quam Professores hujus Religionis vivunt, & de temporibus in quibus, ac personis à quibus eam receperunt.

918. CUm Orientalis Ecclesia ab origine sua instar illius Reginæ, quæ à *dextris Regis in vestitu deaurato circumdata varietate* perhibetur extitisse, prærogativâ Religionis floruerit, & suæ lucis primitivos radios ad partes Occidentales transmiserit; à tempore Heraclij Imperatoris usque ad nostra tempora, die vergente ad vesperam, eclipsim passa, cecidit ad occasum; imò ferè pervenit ad defectum; anno namque ejusdem Imperatoris quinto, videlicet anno Domini DCXVII. (a) Cosdroas quidam prophanus regnum Persarum adeptus Jerosolymam advenit, & Ecclesias subvertit, atque totam patriam devastavit: quô

Ecclesia in Oriente quando caperit deficere.

Psal. 44.

(a)

Cosdroas, & Homar Terram S. devastarunt.

quô ab Heraclio superatô, & interemptô, cum Imperator Ecclesias ordinaret, quas nequissimus dejecerat, & ex propriis sumptibus reparare præcepisset, statim post ejus recessum impijssimus Princeps Arabiæ nomine (b) *Homar*, discipulus perfidi Mahometi, atque regni ejus successor tertius, collectâ secum infinitâ multitudine potentèr, & violentèr in modico tempore contra Christianos qui in regno Jerosolymitano morabantur, prævaluit, atque totam Terram Sanctam sibi cum multa sanguinis effusione, velut bestia sæviens, subjugavit. Ex tunc Ecclesia Orientalis, quæ nutrita fuerat in croceis, propter carnales voluptates, & illecebrosos fluxus, à Domino derelicta fuit, *tamquam umbraculum in vinea, & tanquam tugurium in cucumerario*: quæ tamen in quibusdam suis (quasi pauci racemi, finitâ vindemiâ, & sicut lilium inter spinas) adhuc perseverans, cultum Religionis ferventiùs nitebatur conservare jugitèr .... *

Isaiæ 1.

* De Regula plenissimè actum parte 1. lib. 8. per totũ, ideo cætera hic prætermittuntur.

919. Cum ergo post Regulas religiosè vivendi in actibus Apostolorum scriptas sancti Patres, Apostolis succedentes in partibus Orientalibus, multifariè multisque modis instituissent, qualitèr quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcunque modum religiosè vivendi elegerit, in obsequio Iesu Christi vivere debeat, & eidem fidelitèr de corde puro, & bona conscientia deservire: quidam Frater Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, vocatus Joannes, in Patriarcham Ierosolymitanum sublimatus quasdam religiosè vivendi normulas à Beati Basilij Regula excerptas, dicti Ordinis Fratribus imposterùm observandas dereliquit..... Postmodùm Fratribus Albertus Patriarcha Ierosolymitanus Apostolicæ Sedis legatus etiam Regulam scripsit: quam Regulam à Sede Apostolica mitigatam, Fratres prædicti ex tunc semper profitentur. Susceptâ itàque hâc Regulâ Fratres ipsi in diversis eremis Terræ Sanctæ, & Insularum circumiacentium plurima Monasteria sui Ordinis fundaverunt, cum simplicitate cordis in eisdem Deo & Beatæ Mariæ humilitèr servientes.

Regula Ordinis scripta primùm à Ioanne Patriarcha Ierosol. ac deinde ab Alberto etiam Patr. Ierosf.

ANNOT. Cosdroas ... Homar. *De Terra S. devastatione per istos, quædam dicta sunt parte 1. lib. 7. cap. 6. & libro 8. cap. 1. De norma vitæ observata in hoc Ordine tempore Legis veteris vide parte primâ libro 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 5. & in hac parte 2. num. 836.*

(b) *De Regula Ordinis una in substantia, sub triplici differentia, agitur parte 1. libro 8. cap. 2. 3. & seq.*

CAPVT VII.

De Regulæ hujus Religionis confirmatione à Summis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus.

920. Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidiô sunt fulcienda perpetuì, & præcipuè illa super quibus Sedis Apostolicæ auctoritas salubris providentiæ studium noscitur habuisse, idcircò cum Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli Regulam ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano suscepissent: Papa Honorius tertius præmemoratam Regulam Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli ab Alberto datam confirmavit, & eis in remissionem peccatorum observandam injunxit. Deindè Papa Gregorius nonus successor Honorij præfatam Regulam Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, anno primo sui Pontificatûs confirmavit. Cum verò propter Paganorum frequentes insultus multiplicarentur mala in Terra sancta, Fratres ipsi in eremis securè vivere non poterant; ea propter ad summum Pontificem Innocentium quartum celebrantem Lugduni Generale Concilium, duos ex suis Fratribus * Reginaldum scilicet & Petrum miserunt, ut Regulam mitigari in aliquibus suis clausulis, & maximè in prohibitione habitandi in villis, seu civitatibus postularent. Qui Pontifex eorum postulationem gratantèr accipiens, Regulæ mitigationem Dominis Hugoni de Sancto Theodoro Presbytero Cardinali & Guilielmo Anteradensi Episcopo commisit: quam ad libitum postulantium, mitigatam, & correctam, idem Innocentius quartus, anno quinto sui Pontificatûs, videlicet anno Domini MCCXLVII. approbavit & confirmavit. Eandem Regulam sic mitigatam, & correctam, Alexander quartus, & Urbanus quartus, & Clemens quartus confirmaverunt. Post hæc Nicolaus quartus, & Bonifacius octavus, & Clemens quintus Regulam memorati Ordinis approbaverunt, & confirmaverunt. Et sic prædicta Regula Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli secundùm sui substantiam nullatenùs variata, multis confirmationibus extitit roborata, nec non etiam totus Ordo (quem soli Romano Pontifici, & soli Sedi Apostolicæ, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, sine ullo medio Sedes ipsa Apostolica subjacere voluit) multis privilegiis, & gratiis fuit solidatus.

Ea ab Honorio III. approbata.

Ab aliis pluribus est confirmata, & in nonnullis mitigata.

* *Al.* Reynaldum, Vide parte 1. n...

Sed in substantialibus non variis

ANNOT. *De Regulæ approbatione, confirmatione, moderatione luculenter tractatum est in parte 1. libro 8. capit. 5. 6. & seq. ideo præscripta pauca hic sufficiunt.*

CAPVT VIII.

In quibus temporibus Professores hujus Religionis partes Occidentales habitare cœperint, & loca, quæ habebant in Terra sancta, amiserint.

921. Religiosi Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, quia in Terræ sanctæ finibus, videlicet in ipso monte Carmeli, suum primum sumpserunt exordium, in eisdem Terræ sanctæ partibus, & in Insulis præcisè circumstantibus Conventus suæ Religionis olìm habere solebant. Saraceni autem sanctam Civitatem Jerusalem anno Domini MCLXXXVII. capientes eã Christianis abstulerunt;

Ierosolyma anno D. 1187. Christianis eripitur.

runt; undè ex tunc Fratres ipsi diversos, & graves insultus Paganorum in Terra sancta fuerunt perpessi. Undè anno Domini MCC XXXVIII. nonnulli ex prædictis Fratribus ex monte Carmeli, & aliquibus aliis Monasteriis Terræ sanctæ, propter Paganorum frequentes insultus dispersi, per mundi varias Regiones compulsi fuerunt transfretare, prout habetur ex his Bullæ Innocentij Papæ quarti verbis; * *Paganorum incursus dilectis Filijs Fratribus Eremitis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, necessitatem induxisse dignoscitur, quòd se ad partes cismarinas non sine afflictione multa spiritûs contulerunt; cùm eis contemplationis dulcedine recreari solitis, ex hujusmodi transitu turbata non modicùm fuerit quies mentis.* Item Alexander quartus scribit: *Dilecti Fratres Eremitæ Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, securè nequeunt, sicut accepimus, propter frequentes Paganorum incursus in mansionibus, quas habent in partibus transmarinis, commorari, & ob hoc oportet ipsos se transferre ad Regiones varias, & remotas.....* *

Translatio Ordinis Carmelit. à Terra S. in Europam, quando, & cur facta.

* Vide hic supr. n. 427.

* Vide eadem pleniùs p. I. lib. 9. cap. 3. & 4.

922. Anno autem Domini MCCXLVIII. Beatus Ludovicus Francorum Rex Illustrissimus, dilatationem Fidei Christianæ ardenti desideriô cupiens, ad Terram sanctam, & super gentem incredulam transfretavit: qui per quinque annos ibidem remanens plures civitates, & castra Terræ sanctæ muris fortissimis circumdedit: tunc etiam Terræ sanctæ religiosa loca perquirens, & ad montem Carmeli ascendens, propter sanctitatem, & laudabilem conversationem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, ibidem commorantium, eorum Monasterium visitavit. Postmodùm verò auditâ morte Reginæ Matris suæ Baronum suorum consiliô redire in Franciam acquievit; & dùm esset in mari tertiâ nocte propè diluculum ad rupem, seu terræ lingulam juxta montem Carmeli, navis deferens Regem binâ impulsione tàm fortitèr est collisa, quòd à nautis, & aliis fracta, & submergenda protinùs crederetur. Tantâ igitur concussione excitati, & perterriti Sacerdotes, Clerici, & alij, sanctum Regem coram sacro corpore Jesu Christi orantem invenerunt: cumque omnes submergi indubitantèr crederent, campanam Monasterij Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli pro matutinis dicendis sonantem in auribus suis resonare senserunt: quâ auditâ pius Rex cujus loci campana esset principaliorem nautam interrogans diligentèr, eam esse Monasterij Beatæ Mariæ de monte Carmeli ex nautæ responso percepit. In devotionem igitur Genitricis Dei accensus, Monasterium tunc visitare proposuit, si ipsa ab illa gravi tempestate eum cum aliis liberaret. Tranquillitate igitur ejus meritis & precibus in mari subitò factâ, Beatâ Mariâ eos à prædicto periculo mortis liberante, mox mitis Rex montem Carmeli ascendit, & matutinas Fratrum cum magna devotione audivit: quibus dictis pius Rex illum humilitèr contemplans, & prædictorum Fratrum titulô Beatæ Mariæ in toto Orbe Terrarum, quoad Ordines approbatos, singularitèr insignitorum, famâ laudabili, & religiositate permotus, quosdam à Priore dicti Conventûs postulavit: quos, tanquam alter Joseph Fratrum consolator, in Franciam ducens, eis in civitate sua * Parisius Monasterium ædificavit: qui alios ad suam Religionem recipientes in diversis regni Franciæ partibus Monasteria sui Ordinis construxerunt.

S. Ludovicus Rex Francia transfretat in Terram S.

In Franciam rediens periclitatur propè Carmelum.

Liberatur à periculo meritis B. V. Mariæ.

Carmelum ascendit: indè aliquot Religiosos in Franciam ducit.

* Ita olim nunc Parisij.

923. Deus autem Israël summè bonus his qui recto sunt corde, nihil odiens eorum quæ fecit, ut dulcedinem suam in Christianos demonstraret, Terram sanctam fluentem lacte & melle, à potestate Sarracenorum auferens, eam Christianis largitus fuerat: qui pro nihilo habentes terram desiderabilem, in luxus varios effluxerunt, operti iniquitate, & impietate suâ: Etenim *prodyt quasi ex adipe iniquitas eorum: transientes in affectum cordis* facinoribus pleni: attendere nolentes, solum peccatum esse quod oculos Majestatis Dei offendit: quodque ipsum mitem & suavem, nobis durum reddit. Hoc enim est quod de Angelo diabolum fecit, de amico inimicum, de libero servum, de incorrupto mortalem & corruptum, de beato miserum, de cive exulem & ejectum, de filio Dei, filium diaboli: hoc est quod nunquam impunitum Deus relinquit. Undè peccatis prædictorum impiorum hominum exigentibus, & criminibus profanorum, qui Terram sanctam sceleribus multimodis sordidabant, ipsum provocantibus, conversus est nobis in crudelem qui natura benignus est, & suavis; *facti enim sumus in derisum vicinis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos. Cythara nostra conversa est in luctum: & fortitudo nostra redacta est in favillam: facta est quasi vidua domina Gentium: Princeps Provinciarum facta est sub tributo.* Adeò enim conclusit Dominus in gladio populum suum, & hæreditatem suam sprevit, & adeò *dominati sunt nostri inimici qui oderunt nos*, quòd non solùm omnes regiones, civitates, & munitiones, ab introitu terræ Egypti, usque ad Mesopotamiam, itinere plus quam viginti dierum, inimici nobis abstulerint: sed totam Terram Promissionis violentèr occuparunt. Anno siquidem Domini * MCCLXXX VIII. civitates Tyrum, & Tripolim ceperunt, pluresque villas & castra Terræ sanctæ destruxerunt: Monasteria etiam quæ Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmeli ibidem habebant, diruentes ex ipsis Fratribus plures trucidarunt.

Psal. 72.

Peccatorum effectus miri, & pessimi.

Peccata Christianorũ in Ter. S. causa amissionis ejusdem.

Quanta fuerit ista perditio.

* *Al.* 1289. Vide n. 447

924. Opulentissimam insupèr civitatem Accon capientes, & innumerabilium Christianorum sanguinem effundentes, eam pænitùs expoliaverunt: in qua Fratres hujus Religionis solemnem Conventum quem in ea habuerunt, amiserunt. Est autem prædicta civitas binomia, vocatur enim *Ptholomaida* & *Accon*; eò quod duo Fratres, unus dictus *Accon*, & *Ptholomaeus*, alius *Accon* ipsam fundasse, & à nominibus suis nomina civitati dicantur imposuisse. Est autem inter mare, & montes, habens portum competentem flumine Helô præterfluente satis commodè fundata, hortis, & vineis, & casalibus circumstantibus, &

Accon, & Ptholomaida eadem civitas, binomia.

Ejusdem situs.

arabili terrâ sufficientèr abundans, in Provincia Phœnicis, sub Tyro Metropoli constituta: à qua prædicti Infideles, diri, crudeles, & impij homines egredientes, & ad sanctum montem Carmeli, qui ab ea non longè distat ascendentes, Monasterium Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, quod numquam antè destruxerant, igne cremaverunt, & omnes Fratres ibidem repertos gladiô trucidarunt. Civitatem etiam Cayphas, & omnes urbes, juxta dictum montem fundatas, destruxerunt. Quod totum factum est, ut adimpleretur quod dictum fuerat per Jeremiam Prophetam capitulo quarto libri sui sic dicentem: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes urbes ejus destructæ sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris ejus.* Et sic montem Carmeli, in quo, Professores hujus Religionis à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum continuè, & incessantèr in contemplatione Dei persiterant, in hac persecutione ex toto amiserunt. Lætitiam enim & exultationem quâ contemplationis dulcedine in eodem monte recreabantur; non esse ibidem perpetuò permansuras, Isaias olim prophetaverat 16. capitulo libri sui dicens. *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo*: Ab illo tamen monte dilatati fuerant Professores hujus Religionis in diversis Terræ sanctæ partibus, & in partibus Occidentalibus multiplicati sunt in multas Provincias, Provinciæque in domos, domus in personas multas, sufficientes, & idoneas; quæ per Orbem virescendo florent, & florendo multum fructum afferunt ad Fidei Catholicæ fulcimentum.

Carmeli monasterium infideles igni tradunt, & Religiosos omnes occidunt.

Carmeli desolatio ista prædicta à Prophetis.

Carmeli Ordo per Occidentales regiones multiplicatus.

ANNOT. *De novissima Ordinis hujus multiplicatione in Terra sancta, & ejus indè transmigratione in Europam, atque inibi propagatione: pleniùs instruit liber nonus in parte prima. Historia de S. Ludovico periclitante in mari juxta Carmelum: & indè Religiosis aliquos in Franciam conducente describitur cap. 6. istius libri: & de totali amissione Terræ S. ac perditione omnium Monasteriorum Ordinis hujus, ac Religiosorum in Carmelo trucidatione per Barbaros cap. 8.*

CAPUT IX.

De habitu hujus Religionis.

925. FUndatoris hujus sanctæ Religionis Prophetæ Dei Eliæ habitus ex his integralitèr constabat: meloiâ induebatur, zonâ pelliceâ circa renes cingebatur, caputiô (quod nunc * Scapulare appellamus) ante & retrò usque ad renes descendenti operiebatur, & super hoc pallium album portabat, & baculum in manibus deferebat: ad cujus imitationem Discipuli sui similibus habitibus erant induti. Dicitur autem Melota propriè à Mele animali, quod etiam taxus appellatur, de cujus pilis, vel pelle vestis facta, quæ est hispida valdè, melota est vocata. Quælibet tamen vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, melota, sive pera, impropriè est dicta: undè indumentum de camelorum pilis, vel de pellibus caprinis, melota, sive pera consuevit dici .... * Postmodùm pallium barratum per longissima tempora gestaverunt, quòd pallium ex septem partibus duplicis coloris ab invicem distinctis ipsum totalitèr integrantibus, perpendicularitèrque descendentibus constabat: quarum tres erant nigræ, sive griseæ, quæ significabant gestantes pallium debere tres virtutes Theologicas in corde semper retinere: aliæ verò quatuor partes erant albæ, quatuor virtutes Cardinales illos debere in mente jugitèr custodire: quæ partes sic erant in pallio ordinatæ. Pallium à pectore descendendo usq; ad terram erat fissum, & partes fissionis erant albæ: secunda pars à latere dextro erat nigra, & etiam secunda à latere sinistro: tertia verò pars à latere dextero erat alba, quem colorem habebat tertia à latere sinistro: sed ultima pars in eo existens erat nigra. Hoc pallium Professores hujus sanctæ Religionis antiquitùs Carpitam appellabant; postmodùm verò consueverunt ipsum vocare Chlamydem, seu Mantellum.

Habitus priscorum Patrum Ordinis hujus Melota, Zona, Scapulare pallium album.

** Al. Superhumerale.*

** Eadem habentur p. 1. l. 7. c. 3.*

Pallium album deinde fuit mutatum in barratum.

926. Melotæ verò gestatio succedentibus temporibus derisionem potiùs, quàm ædificationem, eam videntibus, comparabat; idcircò Professores hujus Religionis eam dimiserunt, & ejus loco tunicam nigram, sive griseam, quam subtùs Scapulare portant, assumpserunt. Processu etiam temporis, quia pallium barratum in partibus Occidentalibus, videlicet Italiæ, Galliæ, & aliis, minùs religiosum hominibus videbatur, in tantùm quòd propter ejus varios colores in derisum à pluribus haberetur; Ideò, procurante Fratre Petro de Amiliano Priore tunc Generali hujus Religionis, Papæ Honorio quarto fuit supplicatum p r Dominum Gervasium, titulo sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, ut hujus pallij, sive mantelli gestationem in alium decentem habitum, ædificantem animas fidelium, Fratres ipsi possent mutare. Quam supplicationem idem Pontifex anno primo sui Pontificatûs vivâ voce concessit: undè Fratres in Capitulo suo Generali in monte Pessulano anno Domini MCCLXXXVII. in Festo Beatæ Mariæ Magdalenæ celebrato, pallium prædictum Authoritate dicti Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ, dimiserunt: Scapulari tamen, ut priùs, reservatô, pro speciali habitu sui Ordinis, & retentô. Et ad imitationem Fundatoris hujus sanctæ Religionis Eliæ Prophetæ, juxta visionem quam viderat Sabacha pater ejus (de qua in primo capitulo latiùs locuti sumus) ipsi Fratres pallium album, in eodem Generali Capitulo unanimitèr assumpserunt: cui pallio capucium album addiderunt: quod pallium album sic capuciatum Cappam albam ex tunc vocaverunt, quam usque ad hodiernam diem gestant. Horum autem palliorum barratorum depositionem, & capparum albarum assumptionem successor Honorij Papæ Nicolaus Papa quartus anno primo sui Pontificatûs, nec non Bonifacius octavus primo anno sui Pontificatûs confirmaverunt.

Melota cur relicta.

Barratum pallium cur, & quando depositum, & resumptum album.

ANNOT. *De habitu Ordinis hujus, & ejus significatione, ac variâ mutatione tractat totus liber VII. in parte prima.*

CAP. X.

CAPUT X.

De adventu futuro Fundatoris hujus Ordinis, & ipsius cum Antichristo controversia disputationis, atque de morte, & gloria resurrectionis illius.

927. AUxiliante gratiâ Spiritûs sancti, reseratis quibusdam scintillis de hujus Religionis statu præterito, atque præsenti, quæ nube tenebrosâ velabantur; aggrediendum existimavimus, eâdem gratiâ adjuvante, ad differendum futura quæ per Prophetam Eliam Fundatorem hujus Religionis in extremis temporibus sunt agenda. Sciendum ergo, quantùm ex sacris Scripturis, & Doctorum Orthodoxorum dictis excerpere valuimus, quòd in novissimis diebus (de quibus ignoratur quandò erunt, eò quòd *non sit nostrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater cælestis posuit in sua potestate*) orietur, secundùm Beatum Methodium, in Corozaym, vel secundùm alios in Babylone, radix peccati de Tribu Dan, ex patre peccante in filiam, perditionis filius, Antichristus nomine, omnium malorum princeps: post cujus conceptum malignus spiritus descendet in uterũ matris ejus, cujus virtute deinceps puer nascetur, aletur, & adolescet. Non autem ipse diabolus sic ei unietur, ut natura diabolica fiat una persona cum humana natura: quemadmodùm in Christo natura Divina & humana fuerunt unitæ unitate personæ: sed homo ille suscipiet omnem actum Satanæ. Tantâ verò contra justos iniquitate effrœnabitur, ut etiam electorũ corda non parvô feriantur pavore. Undè scriptum est. *Ità ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Nullos ante se fuisse Christianos dicet; sed omnes Antichristos extitisse. Blasphemabit autem nomen Jesu Christi. . . .

Act. 1.

Antichristus ubi nasciturus.

Eum Satanas reget.

Mat. 24.

928. Adversùs hujus pestiferi hominis seductiones, & multimodas falsitates mittet Dominus Deus de Paradiso voluptatis ad consolationem suorum electorum Fundatorẽ hujus Religionis Eliam Prophetam, sicut promisit per Prophetam suum Malachiam. Cum venerit ergò, exponendo legem spiritualitèr, quam nunc Iudæi sapiunt carnalitèr, *convertet cor patrum ad filios*, ut scilicet filij, idest Judæi, sic intelligant legem, quemadmodũ eam Patres, idest Prophetę intellexerunt: sic enim cor Patrum convertetur ad filios, cum intelligentia Patrum, perducetur ad intelligentiã filiorum, & cor filiorum ad patres eorũ, dum in illud quod consenserunt illi, consentiant isti. Celeberrimum est enim in sermonibus, & in cordibus Fidelium, Judęos tunc per Eliam in Christum verum esse credituros.

Adversùs ipsum e Paradiso veniet Elias.

Ut consoletur, & confortet electos, ac convertat Iudæos.

929. Cum ipso autem Elia veniet Enoch, & ambo *Testes* Christi (ut ait B. Joannes in Apocalypsi capit. XI) *prophetabunt*, idest, veracitèr prædicabunt, & futura denuntiabunt, *diebus mille ducentis*, idest, tribus annis cum dimidio, sicut prædicavit * Antichristus: prædicabunt autem *amicti saccis*, idest induti indumentis asperis; quemadmodùm enim in præcone primi adventûs fuit Indicium humilitatis, & paupertatis, vestis asperitatis (quia Joannes erat indutus *de pilis camelorum*) ità Præcones secundi adventûs prætendent signum humilitatis & paupertatis, in vestibus asperitatis, & vilitatis, pœnitentiã prædicantes, & eam exemplô ostendentes. *Hi autem sunt duæ olivæ* Spiritûs S. gratiâ pingues, & uncti unctione puritatis & munditiæ. Et sunt *duo candelabra*, scilicet lumine veritatis, & munditiæ *lucentia*, aliis lumen largientes, & *stantes in conspectu Domini* terræ, solium regiæ majestatis contemplando: quod Deo placet.

Cum ipso veniet Enoch.

* *Verisimiliter* antè Christus.

Quamdiu & quomodo prædicabunt.

930. *Cum finierint testimonium suum*, idest prædicationem, in qua perhibebunt testimonium de Christo, *bestia*, scilicet Antichristus (qui dicitur bestia, propter crudelitatẽ brutalitatem, voracitatẽ, quæ quidem bestia ascendet de abysso malitiæ, & iniquitatis, & tenebris infidelitatis) *faciet adversùs eos bellum* disputationibus, miraculorum operationibus, persuasionibus, promissionibus, & tormentis corporalibus. Ipsi verò ostendent eum mendacem coram omnibus hominibus; undè Gentes videntes illum confusum, & ejus seductionem à famulis Dei increpatam, fugient ab eo & adhærebunt Prophetis illis justis. Videns ergo seductor se durissimè increpatum, & ab omnibus contemptum, *vincet illos*, violentiam inferendo; quia *occidet illos, & corpora eorum jacebunt inhumata in plateis Civitatis magnæ*, scilicet Jerusalem, *quæ vocatur spiritualitèr Sodoma, & Ægyptus*: Sodoma, idest, muta, quia tempore Antichristi à confessione nominis Jesu Christi erit muta. Vocatur etiam Ægyptus, idest, cæca, propter tenebrãs infidelitatis, in qua civitate *Dominus illorum*, scilicet Christus *crucifixus est*, *& videbunt* oculis carneis aliqui *de populis, & tribubus, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium* in plateis jacentia, ad victoriam & gloriam Antichristi, *& corpora eorum non sinent* sequaces Antichristi *poni in monumentis*, ut discipuli Eliæ & Enoch, scilicet Professores hujus Religionis, & alij confundantur, & terreantur. *Et inhabitantes terram*, idest terrena sapientes, *gaudebunt super illos*, idest, de morte & cõfusione illorum, *& jucundabuntur & munera mittent invicem*, quod est signum magnum congratulantium. Ideò autem gaudebunt *quoniam hi duo Prophetæ* dum viverent *cruciaverunt eos*, idest, cruciatum sempiternum prædixerunt eis, *qui habitant super terram*; *& post dies tres, & dimidium, spiritus vitæ*, idest, anima æternalitèr vivificans, *à Deo*, idest, virtute Divina *intrabit in eos, & stabunt super pedes suos, & timor magnus* reverentiæ Dei vel pœnæ infernalis *cadet super eos*, qui videbunt eos resuscitatos, *& audient vocem magnam de cœlo dicentem illis: Ascendite huc* scilicet ad consortium Beatorum, *& ascendent in cælum in nube* ad perfruendum gloriâ cœlesti, quam Fidelibus suis daturus est Deus: qui est in sæculorum sæcula benedictus. Amen.

Antichristũ mendacem ostendent.

Ideo ipsos occidet in Ierusalem.

Ea cur vocetur Sodoma, & Ægyptus.

Elias & Enoch die 3. resurgent, & gloriosi in cælum ascendent.

931. ANNOT. *De futuro S. Eliæ reditu, & gestis tempore Antichristi, peculiariter scribit S. Augustinus libro 20. de Civitate Dei capite 29. cujus hic est titulus*; De adventu Eliæ ante judicium, cujus prædicatione Scripturarum secreta reserante Judæi convertentur. *Ibi consequenter hæc inter cætera*: Per hunc Eliam magnum, mirabilemque Prophetam, expositâ sibi lege, ultimò tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, idest, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.

S. Elias sub finem mundi Iudæos convertet, & fideles confirmabit.

FASCICULUS TRIPARTITUS

HISTORIARUM

Prophetici, & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli,

Authore Joanne Palæonydoro.

Ex impressis exemplaribus tertia editio.

LIBER X. PARTIS SECUNDÆ.

Notatio Prævia.

932. F*Ranciscus Swertius in Athenis Belgicis de Authore, & hoc ejus opere ista scribit*: Joannes de Aqua veteri, Ultrajectinæ ditionis oppido, vulgò Oudewater, aliàs Palæonydorus, Carmelita Mechliniensis, vir in divinis Scripturis studiosus, & linguâ patriâ disertissimus. Scripsit Fasciculum temporum sui Ordinis &c. ... de puritate Conceptionis B. Mariæ &c. *Ibi consequentèr recenset alias ejus lucubrationes. In vetusto MS. Codice Archivij Conventûs præfati Mechliniensis, & in Historia ejusdem hæc, inter alia*: Anno 1456. die 8. Aprilis professus est F. Joannes de Oudewater: qui alitèr vocatur, ab Aqua veteri, & Palæonydorus, antiquitatis eruendæ studiosus, & felix: multæ, ac variæ eruditionis, inter alia scripsit præclarum opus de initio, profectu, & statu Ordinis nostri, variis in locis typis editum. *Agunt de Palæonydoro, hocque Fasciculo Tripartito, & aliis scriptis ejus Abbas Trithemius in libro de Viris Illustribus hujus Ordinis, Petrus Lucius, Possevinus, Valerius Andreas, & alij, peculiaritèr autem Lezana in Annalibus Carmelitanis, & quidem Tomo 4. hæc inter alia, habet*: Joannes Palæonydorus... Conventûs Mechliniensis fuit Alumnus, & tàm eximius Ordinis sui zelator, ut vix alius in tota antiquitate ipsi quoad hoc superior, aut æqualis reperiatur. *Ibi consequentèr refert scripta ejus, ac inter ea*: Pro defensione etiam sui Ordinis non pauca volumina edidit. Primò, Fasciculum, seu opus Tripartitum libris tribus digestum, quod sæpiùs in nostrorum Annalium decursu citavimus. *Hæc Lezana.*

Joannis Palæonydori eruditio, & scripta.

933. *Prætermissis, brevitatis causâ, variorum encomiis, & testimoniis de Fasciculo hoc Tripartito, eidem præfixis, pauca dumtaxat hîc sufficiant ex Rutgero Sicambro Canonico Regulari S. Augustini, viro celebri, & variæ eruditionis, metrô exercitato & prosâ: de quo, & opusculis ab ipso editis videri poterit Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Is igitur in censura de hoc Opere hæc inter cætera*: Rutgerus Sicamber, Canonicus Dumtensis, Religioso Patri, Fratri Joanni Palæonydoro, Battavo, Ordinis Carmelitarum, salutem plurimam dicit. Vidi Opus tuum, Pater Venerande, quod de illustratione tui Ordinis distinctè lucidèque composuisti, & maximâ affectus sum voluptate, propterea quod multum commoditatis allaturum videam .... Ex hoc Opere, tui Fratres facilè intelligent, quantùm ad eos affectum habeas, quantoque flagres amore in tuæ Religionis Professores. Quòd si quispiam tibi, mi Pater, hoc, quid scripsisti, vitio dederit, lauda Deum, & gratias age, quià dignus habitus es, ut pro charitate patiaris. Rogo, nè frangaris, sed memineris plures Sanctorum contradictores habuisse. Nam difficillimum est, hoc tempore scribere, quod à nemine carpatur. Tàm varia sunt genera hominum aliena scripta examinantium. Hic quià stylus rusticus est, offenditur; altèr quià materia displicet, dedignatur. Isti, si quid comptiùs dixeris, displices, illi, si quid rudiùs. Et quid dicam? Impossibile est, ut scribens omnibus placeat, etsi metrô scripserit, prosâque. Quarè te æquum est, chare mi Pater in Christo, hominum judicia contemnere, quæ ambigua sunt semper & fluctuantia. Ità statuamus, ut, qui volet, scripta nostra legat, dimittat qui non volet. Et maledicere desinat, malè scripta nè noscat sua. O cœcitas, o dementia horum temporum! o caligo! o tenebræ! Scribere aliquid & laborare quidam nolunt, desidiâ pressi. Ferendum hoc quidem, sed quod & scribentes impugnare laborant, nullô sustinendum pactô. Precor autem vehementèr, ut quàm potes citò operam des, ut imprimatur, & pluribus tuus labor, & exemplo sit, & commendationi. Quod si feceris, tibi plures debitores facies, & à summo Deo, justo omnium retributore, præmia digna recipies. Et licet majoris sit virtutis operari præclara, ad memoriam tamen posterorum scribere quæ sanctè facta sunt, grandi laude non caret, ac mercede. Obtinget verò tibi, ut & aliis solet, quatenùs post mortem, & in hoc sæculo commenderis, & in cœlesti Regno fulgeas. Quod ut consequi queas rogo, ut quæ laudas, operibus comprobes. Parùm enim prodest benè scribere, nisi benè scripta, bona vita comprobet. Hoc scribo, non quod te necesse sit commonere, sed quòd meipsum scribendo incendere cupiam. Nam qualis sis in studiis bonis, & exercitiis, tua palàm scriptio

Scribere quod, & qualiter omnibus placet, vix possibile.

Gesta præclara scribere, laudabile, at multò melius ea imitari.

tio designat. Vale. Datum anno Domini MCCCCXCV. XI. Kalendas Februarij. *In fine autem Operis idem Rutgerus ad Lectorem aliquot subjicit Versus, è quibus isti*

De veteri lympha, frater dictus generosæ
Virginis, istud opus fecit prælustre, Joannes.
Hunc librum relegas animo miti, pie Lector:
Si maculas modicas inveneris, aut minùs apiũ
Quid positum, limâ clementi rode, secaque.
Hoc simul ipse cupit, & mandat codicis au-
ctor.
Si quid repereris dignũ, præclarũ, & honestũ,
Utile, jucundum, verum, simul atque salubre:
Indè Deo grates à quo rectum fluit omne,
Lector agas grandes, laudesq; Cunctipotenti.

PRÆFATIO AUTHORIS.

Directa ad Ven. P. Rumoldum Laupach.

934. *Venerabili, Religiosoque Patri, Fratri Rumoldo Laupach, Sacra Theologiæ Lectori, Priori Conventûs Franchfordensis, Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperquè Virginis Mariæ de monte Carmeli, Frater Ioannes Palæonydorus, ejusdem Religionis minimus, salutem dicit & charitatem.*

Cum animadverterem, doctissime Pater, seniorum Patrum priscorum, nostræ Religionis sacratissimæ labores, quibus initium & processum nostri Ordinis lucidissimè declararunt, vetustate, aut incuriâ oblivioni traditos, curam dedi in unum illorum sententias breviter conscribere Trimericum; ut cognoscant posteri prædecessorum Patrum nostrorum diligentias, & studia ad dandam scientiam sequacibus, undè noster sacer Ordo firmissimum habuerit exordium, & usque in præsens fuerit per sanctos Patres laudabilitèr continuatus. Et quià te, Pater Venerande, nuper id desiderasse cognovi, hunc Librum Trimericum, quem ex Patrum diversorum Tractatibus satis laboriosè collegi in unum, tuo nomini dicavi, confisus quòd tuâ diligentiâ, & studiô ad plurimorum notitiam poterit pervenire. Suscipe igitur, colende Pater, Opusculum, non verborum ornatu compositum, sed dictamine simplici colligatum in unum, quod velut apis, ex diversis Patrum Libris congregavi, qui discretis temporibus, magna nostri Ordinis luminaria unô spiritu diversa conscripserunt in laudem nostræ Sacræ Religionis Opuscula.

Fasciculus Trimericus digestus ex priscis Patribus Scriptoribus præclaris.

935. Primus Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus; hic ad instantiam Fratris Caprasij Prioris montis Carmeli sui in Prioratûs officio successoris, scripsit Librum *de Institutione Primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.* Ipse floruit temporibus Archadij & Honorij Imperatorum circa annos Domini CCCC. Incipit sic. *Principium Religionis hujus* &c. Alter fuit ille magnus Cyrillus, Doctor Græcus, Constantinopolitanus, montis Carmeli, & totius Ordinis post Brocardum Prior Generalis. Iste scripsit ad Eusebium confratrem suum *de processu Ordinis Carmelitarum, à tempore Ioannis prædicti usque ad dationem Regulæ per Albertum.* Claruit anno Domini MCLXXXVIII. incipit. Tractatus: *Sacræ hujus Religionis prisci professores.* Tertius Guilielmus * Samuco scripsit *Chronicũ de multiplicatione hujus Religionis per Provincias Syriæ & Europæ, & de perditione Monasteriorum Terræ sanctæ.* Incipit sic. *Religiosi Carmelitæ sicut in Terra sancta sumpserunt exordium.* Claruit tempore Rodulphi Imperatoris anno Domini MCCLXX. Quartus fuit Sibertus de Beka, qui scripsit *Tractatum de consideratis super Regulam hujus Religionis*, tempore Henrici Imperatoris Septimi, anno Domini MCCCX. Quintus Philippus Riboti, scripsit *de Institutione & peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum.* Volumen unum in decem libris distinctum. Incipit. *Principium Religionis hujus.* Sextus, Magister Joannes Grossi, Generalis Prior, scripsit *Viridarium* de Rectoribus Ordinis Carmelitarum, cujus initium est. *Quià rebus grandibus.* Item de sanctis Ordinis Tractatum unum. Incipit. *Quià Deus in Sanctis suis.* Etiam scripsit de Magistris Ordinis & Illustribus viris. Incipit. *Recitatis ut præfertur, de Sanctis.*

Joanne Ierosolymitano.

Cyrillo Græco.

Guilielmo Samuco.

* *Al.* de Sanvico.

Siberto de Beka.

Joanne Grossi.

936. Septimus Magister Joannes de Bachone scripsit *Compendium Historiarum & Iurium pro defensione Ordinis Carmelitarum.* Incipit. *Beatus Bernardus in quodam sermone.* Item Tractatum super Regulam Carmelitarum comparativè ad vitam Virginis Gloriosæ. Incipit. *Titulus Carmeli, & Titulus Beatæ Mariæ.* Octavus, Joannes de Cimineto *Speculum Ordinis* Incipit. *Filij Sanctorum estis.* Nonus Magister Joannes de Vineta. Incipit. *Cum quidam Fratres nostri Ordinis.* Decimus Joannes de Hildesheym, *Tractatum per modum Dialogi inter Directorem & Detractorem.* Incipit. *Vetustæ Religionis.* Undecimus, Magister Thomas Bradley Anglicus. Incipit sic. *Quià Isaias Propheta.* Duodecimus Frater Petrus Brun, de Institutione Ordinis. Incipit. *Vetustissimorum.* Decimus tertius Frater Arnoldus Bostius Gandensis de illustribus viris Ordinis nostri. Idem elegantissimum opus *de Patronatu Beatissimæ Virginis Mariæ.* Incipit. *Petisti vir clarissime.* Consequentèr Martinus Italus fecit exquisitam orationem, *de Titulo & Sanctis, ac Doctoribus Ordinis nostri.* Incipit. *Etsi dicendi.* Item Joannes Gluel. Incipit. *Notandum hic de origine* Anno Domini MCCLXXVII. Joannes de Malinis scripsit *Speculum historiale Ordinis* distinctum in decem * libros. Incipit. *In diebus Achab Regis.* Joannes de Gouda scripsit unum Opus, quod *Scutum Carmelitarum* dicitur. Ex dictis ergo istorum Patrum collegi hoc Trimericum. Parce, precor, Pater, paulispèr insipientiæ meæ, & si quid quavis negligentiâ in hoc opere vitiatum cognoveris, ignosce; sum enim errori obnoxius, ut homo. Idcircò quod labor incautus ademit, hoc tua velim emendatio suppleat. Id ergo sic emendabis, quòd ante operis transmissionem fortè poteram prævidisse: & quià Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Joannes Spanhemensis Abbas, Ordi-

Joanne Bachone.

Atque alii.

* *Al.* capitula.

Ordinis Divi Benedicti, satis lucidè, & extentè de Doctoribus nostri Ordinis, & illustribus viris in suo libro de laudibus Carmelitarum scripsit, de illis succinctim pertransibo. Vale Pater colendissime, & ora pro me. Ex Conventu Aquensi V. Kal. Martij. (a) Anno Christianæ salutis MCCCCXCV.

937. (a) ANNOT. Anno Christianæ salutis MCCCCXCV. *id est 1495. Indè habetur, quo tempore Opus illud fuerit absolutum: biennio post (anno MCCCCXCVII.) typis Moguntinis editus fuit sub hoc titulo:* Liber trimerestus, anaphoricus, & panegyricus, de principio & processu Ordinis Carmelitici. *Qui liber sub titulo* Antiquitatis, & sanctimoniæ Eremitarum montis Carmeli. *Recusus est Venetiis anno MDLXX. In hac autem tertia editione (ex duabus prioribus inter se collatis) præponitur titulus, quem plerique vetusti, & moderni Scriptores exprimunt, id est:* Fasciculus Tripartitus. *Congruè dicitur* Fasciculus; *quià in eo, ceu Fasciculo, succinctè digesta sunt præcipua Historia Carmelitana, additur* Tripartitus; *quià dispertitus in tres partes: seu* Libellos.

PROLOGUS EJUSDEM.

Ad suos Confratres.

938. GLoriosissimæ Dei Genitricis immaculatæ Virginis Mariæ, vetustissimæ Religionis cujus fundamenta per sanctos Dei Prophetas, in sancto Carmeli monte locata consistunt, laudes & præconia multifariè multisque modis Patres nostri ab initio tractatibus ab olim ornare curaverunt: & quid ampliùs superest, quod à me, amantissimi Confratres, requiritis? Numquid ut illorum dictis addam aliquid postulatis, aut abradam? Absit, nec id vestra præstolatur charitas. Sed ut è multis unum breviùs quò valerem, librum Trimericum, semotâ pigritiâ, scriberem. Filij Sanctorum estis, qui hoc petitis, quibus favere sanum, obtemperare jucundum arbitror, & recalcitrare delirum. Nam vos non tantùm Virginis Gloriosæ titulus decoravit, sed etiam in montibus sanctis per sanctos Vates primaria fundatio, cæteris prærogavit. Grave quidem onus, quod imponitis, æmulorum dentibus, nè dicam lacerandum, tamen peracutissimè masticandum, & dum vestris cupio parere votis, detractorum periculosè cadam in manibus. Non tamen illorum formidine, optatis desideriis virtuosis, utcumquè Deus dederit, satisfacere pertimesco. Venerandorum ergò Patrum sacratissimæ Religionis nostræ correctionibus me submitto (ut si quid minùs exquisitè posuerim, veniam piè concedant) maximè Reverendi Patris nostri Magistri Joannis de Nussia, nostræ sacræ Religionis Alemaniæ inferioris Provincialis, cujus duci frænis gaudeo, sub cujus alis protegi, totâ mente concupisco. Interrogabo igitur Patres meos, & annunciabunt mihi, majores, & dicent veritatem evidenter. Memor ero dierum antiquorum, ut generationes singulas cautè ruminando perstringam. Mandavit enim Deus Patribus nostris, nota facere gesta priscorum filiis suis, ut cognscat generatio altera: & ut filij, qui nascerentur, & exurgerent, enarrarent filiis suis, ponerentque in Deo spem suam. Qui plantavit Patres nostros in montem sanctificationis suæ; montem, quem dilexit spiritus ejus, in terram, quam suô sanguine consecravit. Ideò circumduxit eos, & docuit, & custodivit usque in præsens, quasi pupillam oculi sui, & conservabit in ævum.

Accipite ergo, Fratres dilectissimi, pium munusculum, quod instanter postulastis offerendum. Et quià omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum descendens est à Patre luminum, ad concepti operis initium reor necessarium divinum auxilium implorandum: non enim frustrà in Deo sunt positæ spes precesque, quæ, cum rectæ sint, inefficaces esse non possunt. Ad rectas igitur spes animum sublevabo, humilesque preces porrigam in excelsis, dicamque:

O stelliferi conditor orbis
Qui perpetuô nixus soliô
Rapido cælum turbine versas!
Da fontem lustrare boni, da luce repertâ
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas, & pondera molis
Atque tuo splendore mica tu Virgo Maria,
Ianua clausa manens, labe patrona carens:
Vbera nunc aperi Christi dulcedine plena;
Nato, mell fluens Virgo Maria, tuo.
Vis, potes, & debes mitissima, maxima tutrix:
Dirige scribentis, Virgo Maria, manum.

LIBELLVS PRIMVS.

De Instituti Prophetici Eliani Carmelitani Origine, propagatione, & continuata Successione usque ad Christi Salvatoris adventum.

CAPVT PRIMVM.

Magnus Dei Propheta Elias Carmelitani Ordinis Fundator: idque rationibus, & auctoritatibus ostenditur.

939. *Virgines 2. causa maximi mali.* A Benignissimo creatore Deo, charitate gloriosissimâ Adam & Eva, virgines purissimi, erant in Paradiso plantati. Sed demeritô grandi tàm Paradisi vernantem locum, quàm decoram virginitatem, repulsi perdiderunt. Fuit igitur divinâ prævisum scientiâ, ut lapsus duorum utriusque sexûs virginum, per exempla duorum aliorum in primum reduceretur statum. Decuit igitur ut de stirpe Adæ & Evæ masculus & fæmina haberentur, qui primi virginitate servatâ Filium Dei nasciturum præirent, & Virginem ac Salvatorem eorundem futurum factô suo ostenderent. Hoc in Elia completum esse, & in Virgine sacratissima non nisi indoctus intelligit. Elias enim (Hiero-

(Hieronymô teste *libro primo contra Iovinianum*) fuit virorum primus, qui se matrimonio contineret, ubi sic ait. *Eliam ergo quàm stultè posuit in cathalogo maritorum, me tacente, manifestum est. Si enim venit Ioannes in spiritu & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est, utique non solum in spiritu ejus venit, sed etiam in corporis castitate.* Et Ambrosius libro primo de virginitate. *Elias nullius corporei coitûs fuisse permixtus cupiditatibus invenitur. Ideò cum Domino apparet in gloria, ideò curru igneô raptus ad cœlum, ideò Dominici venturus est præcursor Iudicii.* Concordat de Elia præsagium à Magistro in historiis 4. Reg. 2. introductum. Quod Sabacha pater Eliæ necdum nati vidit in somnis viros candidatos sese invicem salutantes. Undè Joannes XLIV. Jerosolymorum Episcopus dicit, quod *hæc visio præfiguravit quales filius Sabacha Elias sua vita monastica imitatores esset habiturus. Cernens namque Sabacha viros candidos vidit in spiritu Religiosos viros per Eliam filium suum instituendos, nedùm in candore mentalis syncera puritatis, sed etiam corporalis habitûs albi eos desuper tegentis.* Hæc ille.

Virgines 1. Salvatorem præeuntes.

Elias ergo de terra Arabum, & de * tribu Aaron fuit ortus. Hic cum esset in matris utero, vidit pater ejus somnium, quòd nascentem filium viri vestibus candidati salutabant, institis eum involventes, ac pro cibo ignem ei subministrantes. Hoc ut pater Prophetis in Jerusalem indicasset, responsum accepit, quia magnus erit, utriusque sexûs lumen, & verbum ejus sapientia. Quidam interpretati sunt de igne, quod significabatur ab Elia Israëlem in igne, & gladio judicandum. Regnante ergò apud decem tribus Achab (sicut dicitur Eccl. 48.) *Surrexit Elias Propheta: verbô Domini continuit cœlum, & dejecit à se ignem in terram. Sic amplificatus est in mirabilibus suis. Qui sustulit mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini, qui dejecit facilè potentiam Regum. Qui audit in Syna judicium, & in Horeb judicia defensionis. Qui receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Quis poterit similitèr gloriari illi? Beati qui eum audierunt, & in amicitia ejus decorati sunt.*

* Vide hic suprà parte prima nu. 40.

Visio mirabilis Sabacha Patris Eliæ.

940. Hic Propheta Dei sanctissimus sacrum Carmelitarum Ordinem, nongentis & ampliùs annis ante Christi incarnationem de Maria Virgine, in sancto monte Carmeli in tribus omnis Religionis substantialibus punctis, voluntaria paupertate, obedientia, & castitate, imò in virginitate sua, & Elisei, aliorumque Filiorum Prophetarum instituit. Undè Magister Joannes * Botubij Doctor Anglicus Ordinis Carmelitarum contra æmulos nostræ Religionis in materia de fundatione primaria & vetustate Fratrum Carmelitarum in Universitate Cantabrigiensi, sic ait. *Sanè dici potest, & satis catholicè, quòd nostri Ordinis primi fundatores fuerunt Elias & Eliseus sancti Dei Prophetæ. Probatur hæc conclusio sic. Quodlibet verum quod licet alicui proferre, sanè dici potest & satis catholicè: Sed quod Elias & Eliseus sancti Dei Prophetæ, fuerint primi fundatores Ordinis Carmelitarum, est verum quòd licet alicui proferre: Igitur sanè dici potest, & satis catholicè, quod Ordinis Fratrum Carmelitarum primi fundatores fuerint Elias & Eliseus sancti Dei Prophetæ. Consequentia patet, & major est evidens. Minor patet per Dominum* (a) *Richardum Radulphi Armachanum, qui fuit primas Hyberniæ in quodam sermone qui sic incipit:* Ave Maria. *Quem prædicavit coram Venerabili cœtu Cardinalium, in Conceptione Virginis gloriosæ, in Conventu Carmelitarum Avinionensi, ubi inter cætera sic dicit. Beata Maria fuit illustrata virtutibus in sua origine. Hanc illustrationem in suo ortu sanctus, ac peculiaris Ordo suus, & antiquus Carmelitarum prætendit in habitu. Qui quidem sanctus Ordo hoc festum Conceptionis solennizat, candorem sui habitûs (ut æstimo) prudentèr, & devotè referens ad hoc festum. Miramini forsitàn quod dixi: Ordo suus peculiaris, & antiquus; cum tamen (veritate attentâ) nullatenùs sit mirandum; quoniam, ut dicunt fide digna historiæ à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, qui sæpiùs morabantur in monte Carmeli, juxta civitatem Dominæ nostræ Nazareth ad tria milliaria, secretiùs solebant homines inhabitare devoti usque ad tempora Salvatoris. Et tunc Eremita scilicet Carmelitæ, prædicantibus Apostolis in fide solidati, in latere uno montis ipsius primò Ecclesiam, seu Oratorium construxerunt in honore Beatæ Mariæ Virginis: atque in illo loco, in quo didicerant ipsam in vita sua cum aliis sodalibus Virginibus sæpiùs moram traxisse. Et ob hoc nimirùm inter omnes alios Religiosos Dominæ nostræ primitùs sunt ascripti, ut vocarentur Fratres Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmeli. Qui insuper in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium, solidissimè laboraverunt Et consequenti tempore à Sancto Ioanne Ierosolymitano Patriarcha Regulam vivendi communitèr Sanctorum Paulini & * Basilij susceperunt. Meritò gaudet igitur præ cæteris Ordinibus antiquitatis honore. Vndè hic Ordo rationabilitèr propter hanc prærogativam duplicem in magna reverentia ab omnibus est habendus. Hæc ille,* tàm de Institutione Ordinis, quàm de titulo ejusdem, & antiquitate. Idem patet per Jacobum de Vitriaco, Canonicum Regularem Episcopum Acconensem ac Sedis Apostolicæ Cardinalem Legatum in libro qui dicitur, (b) *Memoriale*, capitulo LII. ubi sic dicit. *Quidam viri sæculo renuntiantes, ad imitationem sancti viri ac solitarij Eliæ Prophetæ in monte Carmeli, maximè in illa parte, quæ supereminet civitati Porphyriæ, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur: non longè à monasterio Beatæ Margaretæ Virginis vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum tanquàm apes Domini dulcedinem mellificantes.* Alludit Vincentius in speculo historiali libro 30. capitulo 23. *Idem Honorius tertius, qui confirmavit Ordinem Prædicatorum, Regulam Eremitarum habitantium in monte Carmeli, quem Eliam frequentasse legitur, approbavit, & eis in remissionem peccatorum tradidit observandam à Venerabili Alberto Ierosolymitano Patriarcha editam.* Hæc ille. Concordat istis Magister Joannes Doctor Parisiensis de Bachone in Tractatu de institutione Ordinis Carmelitarum particulâ tertiâ. *Samuel fuit primus qui instituit conventum Religiosorum, & dicebatur Cuneus Prophetarum, quorum officium erat Deum contemplari. Posteà viri contemplativi dicti Filij Prophetarum Eliseo adhæserunt.* 4. Reg. 2. *Hinc Carmelitæ contemplationem eandem à Cuneo,*

* Leg. Horneby, seu Horemius.

(a)

Religionis cujuslibet substantialia puncta ab Elia inchoata.

* Regula Ord. Carm. an. & quâ ratione ex Regula S. Basilij v. num. 577.

(b)

Cuneo, & *Filiis Prophetarum inchoatam continuare curaverunt*. Hæc ille.

941. Probantur prædicta authoritate illius magni Joannis XLIV. Patriarchæ Jerosolymitani in libro ad Caprasium *de Institutione Monachorum in Lege veteri exortorum*, & *in nova perseverantium*, ubi sic dicit. *Propheta Dei Elias Monachorum Carmelitarum primus Princeps extitit*, *à quo non in torrente Carith, eò quòd esset locus Religioni non aptus, sed in Carmelo, Deo jubente, eorum institutio initium sumpsit*. Idem in eodem libro. *Ideò Salvator noster Christus sciens Ioannem Baptistam monastica vita ab Elia instituta imaginem gerere, dixit de eo turbis. Si vultis recipere Ioannes ipse est Elias*. Subdit idem lib. 6. cap. 3. *Ipsi verò Carmelitæ primi inter viros sese per virginitatem spontè Deò perpetuòque dedicantes castraverunt propter regnum cœlorum*. Quapropter non immeritò non tantùm ad litteram, à loco patris sui Eliæ, sed à spirituali intelligentia, dicti, ac nuncupati *Carmelitæ* venerunt in hunc diem. Cupientes igitur tàm carnis quàm mentis à se rescindere immunditias, hortatione Patris eorum Eliæ ad litteram in montem Carmeli ascenderunt. His consonat Nicolaus de Lyra in Postilla super quartum Regum cap. 2. ubi dicitur in textu. *Videntes Filij Prophetarum stantes econtra, quod Iordanis Eliseo cessit, dixerunt. Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*. Dicit sic super illo verbo, ADORAVERUNT, *id est in Principem*, & (c) *Patrem loco Eliæ illum receperunt, sub cujus regimine prius vixerunt*. Hæc ille.

942. Et licèt secundùm Magistrum in historiis, Samuel primum conventum instituerit Religiosorum, quod idem Magister Nicolaus de Lyra testatur super primo libro Reg. cap. 19. ubi dicitur. *Misit Saul lictores, ut raperent David. Qui cum vidissent Cuneum Prophetarum vaticinantium, & super eos Samuelem stantem*, scilicet tanquam Principem, & Patrem, atque Institutorem eorundem, dicit sic super illis verbis; *Cuneum Prophetarum vaticinantium, idest, Religiosorum Deum laudantium*. Sequitur in textu. *Factus est etiam spiritus Domini in illis*, idest, spiritus devotionis, & *prophetare cœperunt etiã ipsi*, idest, Deum laudare. *Misit & tertios nuntios, qui & ipsi prophetaverunt. Et iratus Saul abijt & ipse. Et factus est etiam super eum spiritus Domini, & prophetavit usque dum veniret in Nayoth in Ramatha, & exspoliavit se vestimentis suis*, scilicet regalibus, *atque prophetavit cum cæteris coram Samuele. Et cecinit nudus*, regalibus scilicet vestibus spoliatus, *die totâ & nocte*. Ecce quòd ante Eliam Samuel instituit Religiosos, sive Cuneos Prophetarum, idest, in lyris, & cytharis, & hujusmodi musicis instrumentis canentium, & prophetantium, idest, Deum laudantium. Igitur licèt Samuel ante Eliam instituerit Religionem, (d) non tamen quantùm ad tria Religionis essentialia puncta. Undè & Hieronymus in Epistola ad Rusticum: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri legimus Testamento, faciebant sibi casulas juxtà fluenta Iordanis, & turbis hominum derelictis, polentis & herbâ agresti victitabant*. Credo sufficientèr piis Lectoribus fuisse hucusque probatum, Eliam ante Christi incarnationem Carmelitică Religionis fundasse primordia, non suspicativè sicut Antoninus in secunda parte, titulo tertio, cap. 4. videtur asserere; nam prædictorum testimoniis, ac veridicorum, scitur, quod ab Elia primordialitèr sunt instituti.

Samuelis & Eliæ instituta in quo differant.

ANNOT. (a) Richardum. *De isto Richardo Hiberniæ Primate videri poterit Thomas Waldensis in Doctrinali fidei, ubi etiam referuntur eadem. Vide quoque hîc suprà num.* 523. — Waldens. to. 3. tit. 9. c. 83.

(b) Memoriale *passim inscribitur*: Historia Jerosolymitana, *seu* Historia Orientis.

(c) Patrem loco Eliæ receperunt. *Latiùs ista referuntur, & explicantur parte* 1. *libro* 4. *cap.* 3. *Cur dicti Filij Prophetarum explicatur eadem parte num.* 66. & 68.

(d) Non tamen quantum ad tria Religionis essentialia puncta. *Quòd Samuel in Cuneis, seu Congregationibus virorum speciali ratione Deo servientium, & psalmos canentium non invexerit observantiam castitatis, & paupertatis patet; cum ipse Samuel uxorem, filios, & divitias habuerit. Quòd verò Elias primus illa opere servaverit, & aliis tradiderit, luculenter demonstratum est in antecedentibus, & confirmabitur in sequentibus.*

CAPUT II.

(a) Carmelitanæ Religionis substantialitèr ejusdem, status triplex.

943. Vetustissima Carmelitarum Religio ab initio usque in præsens (a) statum triplicem comprehendit. Sub unâ tamen (licet diversis temporibus) & eadem fundamentali Religione immutatâ, & fide. Nam licèt dispar conditio temporis circumstantiarum differentiam aliqualem pepererit, tamen (teste Philosopho) *substantiam rei accidens non mutavit*. Undè Augustinus contra Faustum. *Eâdem* (inquit) *fide antiqui crediderunt Christum venturum, quâ Christiani eum venisse credunt, licèt sub aliis signis & Sacramentis*. Hæc ille. Hinc Lucas in actibus Apostolorum fatetur, quòd professores Christianæ Religionis in exordio prædicationis Christi, & Apostolorum aliò nomine fuerint designati, quàm modò. Prius enim nominati *Discipuli*, tandem dicti sunt Antiochiæ *Christiani*: quare absit ut aliquis opinari velit aliam Religionem fuisse in eis, quàm sit in nobis. Undè Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus (ut recitat Magister Philippus Riboti in *de peculiaribus gestis Carmelitarum* libro 5. cap. primo,) Non arbitror quod aliquis negare velit, quin unâ & eâdem Religione salvâ, Professores Carmelitarum ex diversis causis, discretis temporibus possint designari variis titulis, & dispositionibus. Nec absurdum Fratres & Successores montis Carmeli nunc esse ejusdem Religionis cum illis, qui ante Christi incarnationem fuerunt; licèt illi Judæi fuerint *Prophetæ* & *Filij Prophetarum* nominati, modò sint dicti *Fratres Beatæ Mariæ Virginis* & *Christiani*. Illi enim firmam fidem in Christo habuerunt, à quo animarum speraverunt salutem. Pro hac consequenda mundum reliquerunt, corpora, & actiones suas Deo obtulerunt. De istis Apostolus ait,

Carmelitani Ordinis (sicut Ecclesiæ) varius status, manente identitate substantiali.

Circuje-

* Ad Hebr. 11. * *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt.* Hæc Joannes. Sic ergo secundùm diversa tempora ab exordio nostri Ordinis usque in præsens Carmelitæ in accidentalibus diversimodè diversis institutionibus, & cæremoniis claruisse noscuntur, atque titulis.

944. Primus igitur status, sive prima dispositio nostri Ordinis fuit tempore Legis scriptæ, quandò Elias Prophetarum eximius (ut prædictum est) in monte Carmeli, ad honorem Virginis nascendæ Ordinem Carmelitarum instituit, & eandem Dei Filium parituram prænoscens, in perpetuam Patronam Ordinis & suorum Successorum elegit. Hi tunc temporis, ultrà præcepta Mosaicæ Legis, sub Regulâ seu normâ vivendi per Eliam institutâ; scilicet in castitate, paupertate, & obedientiâ vixerunt, *Filij Prophetarum* appellati. Horum aliqui habitarunt in monte Carmeli ut Eliseus. Alij in Sarepta ut Jonas. Alij in Samaria ut Abdias cum pluribus aliis. Quidam in Jericho, quidam in Galgalis. Alij in monte Effraim. 4. Regum 5. Alij in conventu juxta Jordanem. 4. Regum 6. Concordat Nicolaus de Lyra in Postilla super 4. Reg. 2. ubi sic dicit. *In Bethel, & Iericho manebant Filij Prophetarum, & isti erant viri religiosi & collegiati, vacantes orationi, & contemplationi; quorum aliqui habuerunt spiritum Prophetiæ: & erant primò congregati sub Samuele. 1. Regum 10. & posteà sub aliis Prophetis excellentibus. Et dicuntur Filij, id est Discipuli Prophetarum secundùm Rabbi Salomonem. Hæc autem loca Elias ante transuectionem suam voluit visitare propter Discipulorum suorum congregationem.* Hæc Lyra. Similitèr scribit Abbas Joachim Ordinis divi Patris Benedicti in libro de concordia novi & veteris Testamenti, sic dicens. *Præcesserat prophetica vita in Elia, ex cujus vita gloriosa Eliseus Propheta in sua claritate inchoavit conventum Ordinis.* Alludit his Cassianus in collationibus Patrum, parte primâ, collatione sancti Theonis Abbatis, capitulo quarto. *Sicut Eliam probamus non superatum à lege cum licitè conjugia absque reprehensione inisse poterat, virgo tamen perseverare maluit. Sic Eliseum & reliquos ejusdem propositi viros Mosayca Legis superasse mandata benè novimus. De quibus Apostolus ait. Circuierunt in melotis* &c. *qui omnes offerre decimas non contenti, ipsa prædia respuentes semetipsos Deo & animas suas obtulerunt.* Hæc ille. De hac Regula, & conversatione Carmelitarũ testatur Sozomenus Doctor græcus in historia tripartita libro primo capit. XI. (sicut Joannes Cassianus recitat.) Sic ergo patet prima dispositio Carmelitarum.

Status primus tempore Legis Mosaicæ: qualis tunc conversationis ratio.

945. Secundus status ejusdem Ordinis, sive dispositio fuit tempore Legis gratiæ, quandò Joannes Baptista venit *in spiritu & virtute Eliæ*, cum Carmelitis circa Jordanem in solitudine conversatus, & ab eis in eodem conventu in Superiorem & Magistrum assumptus. Hinc posteà tempore prædicationis Apostolorũ funi Carmelitæ conversi ad Euangelicã perfectionem, & ab eis baptizati. Atque cum illis fidem Christi in primordiis nascentis Ecclesiæ constantissimè defenderunt, & prædicarunt. Isti continuantes patronatum suæ *Sororis Virginis Mariæ Dei Genitricis ab Elia prius prælectæ in Ordinis sui Patronam; in monte Carmeli primitùs ejus in honore Ecclesiam, seu Oratorium construxerunt. Hi tunc temporis sacrum Euangelium Christi, & Apostolorum doctrinam; cum observantia Decalogi Mosayci, & Regulæ, idest (b) conversationis ab Elia institutæ, usque ad annum Domini CCCCXII. pro norma vivendi habuerunt. Hôc annô Ioannes prius Prior, seu Abbas, & Pater montis Carmeli, posteà Episcopus Ierosolymitanus XLIV. ad instantiã sui Successoris in Prioratu, scilicet Fratris Caprasij, Regulam Eliæ, & vitam, atque institutionem colligens græcis litteris, & Basilij Regulam perscrutando, omnia quæque excerpens, Fratribus suis tradidit observandissimè meditandam. Sub tali conversationis Regula Eliæ, Ioannis, & Basilij permanserunt ad annũ Domini * MCXXI. Isti tempore illo varios titulos habuerunt, nominati tum generalitèr *Religiosi, Eremitæ, Monachi*, tum specialitèr *Carmelitæ, Eremitæ Fratres B. Mariæ Virginis*. Eô tempore infiniti numerô imitatores Eliæ claruerunt, (c) sub duplici tamen differentia. Quidam propheticam vitam, & monasticam ab Elia institutam hæreditariâ successione observantes in monte Carmeli, Bethleem, Syon, Synai, juxta Iordanem, & aliis locis, sub regimine, & obedientia Prioris, seu Abbatis, & Patris montis Carmeli, sub nomine & patronatu B. Mariæ Virginis & sub titulo Carmelitarum permanserunt, & continuaverunt. Alij verò Eliæ quidem imitatores, & illius vitæ zelatores egregij, Deo inspirante, ut Eliæ fons ad fines usque terræ diffunderetur, & ex unica Eliæ vite multi palmites nascerentur, non sub regimine Prioris & Patris Carmeli manserunt. Et quidem veracitèr ex Spiritu sancto factum esse liquet, ut sancta Dei Ecclesia numerosiori fructu gauderet contemnentium mundum Eliæ exemplô. Quidam horum aut fuerunt institutionum Præceptores, sive Regularum, vel se aliis ob Deum, & meritum singulare Præceptoribus subdiderunt. Enimverò hi à patrono passivo Elia, cujus vitam, & imitationem in cœlos usq; intulerunt, veracitèr Carmelitæ & Eliani sunt; quanquam non ità nominentur, sed aut Eremitæ, aut Anachoritę, sive Cœnobitę, sive illius alteriusque Discipuli, sub cujus institutione, obedientia & exhortatione degebant, appellati sunt. Tales erant Paulus Eremita primus, magnus Antonius, & infiniti alij.

Status secundus à Christo usque ad an. 1141. Qualis tunc vivendi norma.

* Vide hîc suprà nu. 249.

(b)

* Lege MCXLI. Vide hîc suprà parte 1. n. 309.

(c)

Notabile pro intelligentia Carmelitanæ historię. Vide plura infra nu. 965.

Monachi omnes olim Eliæ imitatores, quidam etiam successores.

946. Tertius status Ordinis, sive dispositio cœpit circa tempora annorum Christi * MCXXI. sub regimine Priorum Generalium, Magistrorum primorum latinorum; quandò græca institutio, & vetus illa vivendi Patrum norma Ioannis & (d) Basilij in monte Carmeli, & aliis Cœnobiis illic usque servata per Aymericum Patriarcham de græco in latinum est translata. Et hinc non multum post temporis Albertus Ierosolymitanus Patriarcha ante concilium Lateranense compendiosam ex norma Eliæ, ex libro Ioannis XLIV. & ex Regula Basilij Patris nostri extractam Regulam sancto Priori montis Carmeli Brocardo, & Fratribus ejus Eremitis

* MCXLI.

(d)

Status tertius ab anno 1141. usque in præsens; qualis tunc Regularis vitæ forma.

tis

tis tradidit observandam suo jure ordinariò. Sub hoc statu, sive dispositione, aut differentia Ordinis nostri tertiâ, propter multiplicitatem Ordinum exortorum, accrevit Ordo Carmeli, tàm in tituli quàm Regulæ, antiquitatisq; confirmatione, sub majori tutelâ, munimine, gratiis, privilegiis, & provisionibus, quam ante sub duobus præcedentibus statibus primis. Antiquis nempè temporibus, dum Carmelitæ tàm Græci quàm Judæi in Orientali, & in Asiana maximè Ecclesia floridissimè clarerent, non fuit tanta cura de Apostolicis provisionibus; sed humili simplicitate ambulantes sanctâ atque probatâ conversatione contenti permanserunt; maximè propter nimiam antiquitatem, & famosam Religionem Eliæ Carmelitarum Institutoris, in Orientali Ecclesia nunquam aut nusquam apparuit Apostolicæ provisionis necessitas, sicut post in Occidentali Ecclesia, propter incognitam Religionem, novellamque in eisdem partibus ipsius plantationem summa incubuit necessitudo. Sub eâ compendiosâ Domini Alberti Regulâ Carmelitæ vixerunt, & vivunt usque in præsentem diem, sub titulo, & patronatu gloriosissimę Dei Genitricis Mariæ.

ANNOT. (a) Carmelit. Religionis status triplex. *Lezana pro majori claritate in octo status dispertit totum spatium quo Ordo sic perstitit.*

(b) Conversationis ab Elia institutæ. *Quod, & qualiter exemplum S. Eliæ in hoc Ordine fuerit loco Regulæ, declaratum est in parte 1. libro 8. cap. 1. & ibi in Notis.*

(c) Sub duplici tamen differentia: *nempè alij successione, qui, strictè loquendo, Carmelitæ dici possunt: alij duntaxat imitatione. Vide hic infra Notationem præviam ad libellum secundum num. 965.*

(d) Basilij. *Ex Regula Basilij quid desumptum sit pro Regula Ordinis Carmeli, Vide supra in Notis ad Viridarium Grossi num. 577.*

CAPUT III.

(a) *Religionis (a) Monasticæ, & Eremiticæ vitæ primus Auctor Elias.*

947. QUidquid virtutis, & perfectionis est in quovis monastico Ordine à Beatissimo Propheta, & Patre Elia, tanquàm à primordiali Eremitarum, Monachorum, etiam universorū Religiosorum Institutore, velut à fontali principio exemplaritèr emanasse, sanctorum Patrū dictis dignoscitur. Est enim quadruplex, secundum Benedictum, Monachorum genus. Primum est *Monasteriale*, dictum *Cœnobitarum*, militans sub Abbate, vel Regula. Hi (ut Antoninus dicit in tertia parte Summæ titulo 16. cap. 1. §. 4.) sub Eliseo sumpserunt initium. Aliud est *Anachoritarum*, idest, *contemplativorum* in Eremis, vel extra homines in solitariis locis, à tumultu communis vulgi solitariè viventium. Isti (ut idem dicit Antoninus) ab Elia exordium habent. Cujus & imitator Joannes Baptista erat. De istis habetur 16. q. 1. *Qui verè*. Tertium est reprobatum, & dicitur *Sarabaitarum*, qui nullâ Regulâ approbatâ, soli, bini, vel terni sine pastore inclusi, vivunt. Quartum æquè reprobū: *Gyrovagum* dicitur, qui binis, vel quaternis diebus per diversas Provincias totâ vitâ suâ diversorum cellulis, vel domibus hospitantur, nunquam stabiles; Sarabaitis in gularum voluptate conformes. 16. q. 1. *Quidam Monachi.*

Monachorū genus quadruplex.

948. Omnium igitur duorum primorum, scilicet solitariorum, & monasterialium principium primum Elias est. Sed ex quo omne principium est suo effectu nobilius, claret evidenter, quòd non est Patri Eliæ similis inter Manachorum Patres, in Legislatoribus. Si quoque magnus ille Pater Abraham de Sara verè dixit. *Soror mea est, filia patris mei, & non matris meæ.* (Quod & quidam Ordinis Fratrum Minorum Prædicator celebris de sancta Clara verè dicere visus est, intendens, quòd Seraphici Patris sui Francisci filia fuerit, sed non filia matris suæ, videlicet Religionis Minorum; cùm alterius Religionis, & Regulæ professatrix extiterit.) Ego etiam (b) verè dicere potero de magno Antonio, qui frater meus est, Patris mei Eliæ filius, & si fortasse non sit Mariæ Dei Genitricis. Similitèr & de Paulo, Pambone, Machariis, & singulis non tàm Ægypti quinimò seculi luminarium, & de quocumque Eremiticæ seu Monasticæ aut spiritalis vitæ cultore sive cultrice. Cum omnis Religionis Elias Parens sit, & Origo fontalis, tanquam alter Abraham, multarum gentium verè Pater. Qui enim post Eliam surrexêre, diversorum Monachorum & Religiosorum Principes, secundùm diversa, & specialia statuta discipulos suos in observantia vitæ Monasticæ regulantes, sunt quidam veluti particulares rivuli, ab Elia primordiali, ac universali fonte affluentissimè derivati. Etenim legas, ac relegas tàm sacra scripta, quàm dicta Patrum, & historias, non invenies nisi monasticæ vitæ primum caput Eliam.

(b)

Monachorū omnium fontalis origo à S. Elia Propheta.

949. Undè Divus Pater Hieronymus magnus Eremita in Epistola ad Paulinum. *Si cupis esse quod diceris Monachus, idest solus, quid facis in Vrbibus, quæ habitacula sunt multorū? habet unumquodque propositum Principes suos . . . Nos autem habemus propositi nostri Principes, Paulum, Antonium. Et ut ad Authoritatem redeam Scripturarum, noster Princeps est Elias, noster dux est Eliseus, nostri duces Filij Prophetarum.* Et in Prologo Pauli primi Eremitæ, & Hilarionis Patris nostri idem scribit. Ecce quod Hieronymus erat Ordinis Eliæ, seu Carmelitarum: & si non Frater Mariæ Virginis de Carmelo nomine appellatus. Virtus enim, & imitatio Monachum facit, non habitus, aut nomen. Hoc præcipuè ponit Isidorus lib. 2. de origine officiorum. *Si quæris* (inquit) *quis monasticæ conversationis Auctor extiterit: Quantùm attinet ad Auctoritatem veterum Scripturarum hujus propositi, Princeps Elias, & discipulus ejus Eliseus fuerunt. Hujus etiam propositi in Euangelio Ioannes Baptista Auctor extitit. Iam deindè progenitos didicimus conversationis hujus nobilissimos Principes, Paulum, Antonium, Hilarionem, cæterosque Patres. Quorum exemplis per universum mundum adolevit sancta institutio Monachorum.* Et * Bernardus Abbas Cassinensis in expositione primi capituli Regulæ sancti Benedicti. *Attende* (inquit) *benè, quòd in veteri Testamento Elias & Eliseus, in novo Testamento Ioannes Baptista; post tempora Apostolorum Paulus & Antonius, inventores, & conservatores horum Monachorum Eremitarum seu Cœnobitarum extiterunt.* Et Beatiss. P. Macharius in sermone ad Monachos.

Id Patrum authoritatibus comprobatur.

* Est ille diversus à S. Bernardo Claraval.

Duos

Duos viros magnificos exordium monastici Ordinis protulisse credimus; quorum unus igneis equis in cœlos raptus legitur, alter verò prophetasse antequam natus sit. Ac Sozomenus in tripartita historia. *Hujus monasticæ antiquissimæ Philosophiæ Princeps in veteri fuit Elias, in novo autem Testamento Ioannes Baptista.* Undè Bernardus Claravallensis in libro ad Fratres habitantes in monte Dei. *Orientale* (inquit) *illud lumen, & antiquum illa in regione fervorem Fratribus in monte Dei Bernardus. Epulari, & gaudere oportet in Domino; quia Christianæ devotionis, & Religionis speciosissima portio quæ cœlos propinquè tangebat, quasi mortua erat, & revixit.* Infrà. *Sed æmuli cum manifestum lumen veritatis obnubilare nequeunt, de solo novitatis nomine cavillantur. Sed hæc novitas non est novella vanitas. Res enim est antiqua Religionis, & antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei, à tempore Prophetarum demonstrata, jamque nova gratia sole exorto in Ioanne Baptista instaurata, & renovata: ab ipso Domino Iesu familiarissimè celebrata, ab ejus Discipulis, ipsô præsente, concupita.*

950. Igitur sanctus Elias, qui dictus est, Prophetarum eximius, propter carnis integritatem, vitæ austeritatem, liberam Regum increpationem, propter animi firmitatem, signorum & miraculorum operationem, verè Religionis primicerius, & Auctor fuisse edocebitur, si Religionis essentiales libeat inspicere proprietates. Sunt autem hæ, cum paupertate, castitas, & obedientia. Quod si cuiquam horum trium minimum desit, hic sibi largè, non districtè sortitur Religionis vocabulum. Undè de obedientia Eliæ ait Joannes XLIV. Jerosolymitanus Episcopus: Abijt quoque Elias ubi eum ferebat voluntas Dei, & fecit juxta verbum Domini. Quippè ei Deus mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & se, à turbis & Vrbibus recedens, in deserto absconderet, ac cunctis terrenis, ac mundanis se exueret, atque deinceps monasticè in Eremo secundùm ei à Deo formam inditam viveret. Sic Eliseus vocatus ab aratro, obedientèr gressus Eliæ insequitur, domicilia parentum deserens, affectum mundi abijciens, ac Deo inspirante, pium Ducem constantèr imitatur, tàm docilis, quàm devotus. Certè nec horridi eum terret Eremi transitus, quin per invia quæque sequatur Præpositum, & Magistrum. Cum verò Discipulus quidam voci Domini, per Michæam quandò dixit: *Percute me*, obtemperare renuisset, à leone occisus est. At cum paupertatem Eliæ scrutamur, nihil lucidiùs. Hæc autem in tertij quartique Regum libris gestarum rerum indagine patent. Hinc Chrysostomus ait. *Vndè mirabilis factus est Elias? nonnè à libera ad Regem proclamatione? nonnè à zelo qui erat ad Deum? nonnè à repudiatione possessionum?* Et Isidorus. *Vndè ad Monachos studium fluxerit paupertatis, vel quis hujus conversationis extitit Auctor; cujus isti habitum imitantur. Quantum pertinet ad Authoritatem veterum Scripturarum, hujus propositi Princeps Elias & discipuli ejus fuerunt, qui habitabant in solitudine. & faciebant sibi casulas juxtà fluenta Iordanis.* Gyezi enim qui hujus sanctæ paupertatis ornamentum, pestiferæ proprietatis vitiô ausus fuerat maculare, leprosâ contagione mulctatus est. Denique verò ex hoc factum est, ut Carmelitæ Eliæ Discipuli cæterorum Patrum transvecti virtutibus, culmen servandæ virginitatis primùm conscenderint, velut ex eisdem scrutamur regnorum historiis. Nam dum in montis Carmeli declivio septenas preces Elias funderet, è maris regione parva nubecula humanam figurans effigiem eminùs oritur. (c) Hâc igitur nubeculâ Virginem absque sorde venturam cognovit, & tempus ætatis septenæ: insupèr quòd Virgo foret permansura, & mundo paritura Salvatorem. (Testatur hoc Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus in libro de Institutione Monachorum ad Caprasium montis Carmeli Priorem) Congregavit ex tunc Elias Filios Prophetarum Terræ sanctæ diversorum Conventuum, & in voluntaria paupertate, obedientia & castitate eos vivere instituit. Undè Hieronymus ad Eustochium. *In veteri Lege sola erat benedictio liberorum; quia vacuus erat mundus: paulatim verò crescente segete, messor immissus est Virgo Elias Virgo Eliseus, Virgines multi Filij Prophetarum.* Hæc ille.

Ipse essentialia Religionis Monasticæ servavit, & suis tradidit.

(c)

ANNOT. (a) Monasticæ & Eremiticæ vitæ primus Auctor Elias. *Ea quæ isto capite probantur de Monastica Eremitica vita à S. Elia instituta, deque ejus votis Monasticis paupertate, castitate, & obedientia luculentiùs declarata sunt in antecedentibus, præsertim parte 1. libro 1. & 2.*

(b) Verè dicere potero de magno Antonio, quia Frater meus. *Quâ ratione vide hic infrà Notationem præviam ad libellum secundum.*

(c) Hâc nubeculâ Virginem absque sorde peccatorum venturam cognovit. *De ista nubecula præfigurante immunitatem B. Virginis Deiparæ, à peccato orig. pleniùs tractatum est in parte 1. libro 6. cap. 1. & ibi in Notis.*

CAPUT IV.

In veteri Testamento fuerunt Eliæ quatuor discipuli principales, deindè Rectores aliorum.

951. HVjus sancti viri Prophetæ Eliæ erant quatuor principales Discipuli, in aliis etiam locis extra montem Carmeli, curam aliorum Filiorum Prophetarum gerentes. Inter quos primus, non tempore, sed dignitate, & virtute, fuit Eliseus, sibi à Deo assignatus, de quo Ecclesiasticus cap. 48. *In Eliseo completus est spiritus ejus* (scilicet Eliæ.) *In diebus suis non pertimuit Principem, & potentiâ nemo vicit illum, nec superavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, & in morte operatus est mirabilia.* Hic in Galgalis à patre Saphat, de tribu Ruben fuit natus: in cujus ortu tale contigit prodigium, ut una imago ex vitulis aureis mugiret acutè. Quô auditô in Jerusalem Sacerdos, Dei nutû, ait, *Propheta natus est in Israël, qui sculptilia destruet deorum, & fusilia.* Hæc Magister in historiis. Eliâ igitur translatô, Eliseus palliô Eliæ, quod ceciderat, Jordane divisô venit ad

Eliseus Eliæ primarius discipulus.

Discipulos. *Qui venientes adoraverunt eum proni in terram.* Ubi dicit Nicolaus de Lyra. *Adoratione duliæ, tanquam Superiorem suum, dicentes, requievit spiritus Eliæ super Eliseum.* Acceptâ igitur præpositurâ (quæ nunc dicitur Prioratus, vel Generalatus) studuit sigillatim loca Filiorum Prophetarum visitare, in singulis locis aliquamdiu, prout opportunitas exegit, commorando, atque ad eorum consolationem, & gloriam Dei, diversa (ut in quarto Regum libro apparet) coram eis signa, & virtutes operatus est. Indè verò cupiens ampliare suæ Religionis loca, ad rogatum congregationis Fratrum de Jericho, statuit novum monasterium, sive locum circa Jordanem, ut patet quarto Regum 6. Idem testatur Hieronymus ille magnus Pater Eremita & Carmelita in Epistola ad Rusticum. *Nos habemus propositi nostri Principes, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macharium, & ut ad Auctoritatem Scripturarum redeam, noster Princeps est Elias, noster dux est Eliseus, nostri duces multi Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, in solitudine, & faciebant sibi tabernacula juxta fluenta Iordanis.* Hæc ille. Ad istos venit Joannes Baptista, in desertum Jordanis, *in spiritu & virtute Eliæ*, conversatus cum eisdem, & Pater eorum effectus, Rector, atque Princeps. Tandem à Deo jussus, prædicavit populo Israelitico baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Constituit etiam duos alios Conventus Eliseus, scilicet in Samaria, extrà tamen populi tumultum, & in monte Effraim. Qui postquam opere, & sermone, miraculorumque gloriâ Eliæ Religionem Carmeliticam firmitèr continuasset, migravit à sæculo in spe bona, sepultus, secundùm Hieronymum, apud Samariam Palestinæ. Cujus sacratissimum corpus anno Domini CCCCL XXXVI. tempore Leonis primi Imperatoris, Sigiberto Gemblacensi teste, primò translatum fuit Alexandriam in monasterio Pauli leprosi. Ecce qui leprosum sanavit, & leprosum fecit, in ea quæ leprosi erant, translatus est. Posteà per Theodosium Imperatorem Ravennæ anno Domini DCCXVIII. est repositum in monasterio Monachorum. Ipsius dignissimæ celebritatis Festum XVIII. Kal. Julij agitur.

Monastica conversationis propagator.

Posteris illius cohabitavit, & præfuit S. Ioan. Bap.

952. Alter verò Eliæ Discipulus fuit Propheta Jonas, de regione Geth, quæ est in Ofir. Vndè Hieronymus in prologo super Jonam. *Sanctum Ionam Iudæi affirmant, filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta suscitavit à mortuis, matre posteà dicente ad eum: Nunc cognovi quia vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Hic Jonas (teste Magistro in historiis super quarto Regum) prædixit signum eversionis Jerusalem; quia propè esset ejus interitus, cum videret lapidem luctuosè clamantem, & gentes in ea universas. Plura etiam alia prædixit, sed scripta Propheriæ ejus non omnia habentur apud nos. Mortuus, & sepultus est in spelunca unius Judicis in Israel. Cujus sepulchrum ostenditur in una Vrbium Geth, in viculo juxta Sephorum. Hunc Hebræi *virum sanctum* nominant.

Eliæ discipuli alij.

953. Tertius Eliæ Discipulus fuit Michæas de Jemla, ex patre * Herelino, qui prophetavit ante ostensionem Eliæ in Israël, ut patet 2. Paralipom. 18. similitèr post ejus ostensionem tertij Regum 22. Hic, Eliæ reverso jussu Dei de spelunca Oreb in terram Israel, adhæsit. Postmodum dum argueret Joram filium Achab ob culturam idolorum, præcipitiô collisus, martyriô coronatus est. Sepultus est in Morasti solus, juxta sepulturam Senathim. Hujus celebritas agitur XVIII. Kal. Februarij.

* *Al. Iemla.*

954. Quartus est Abdias de terra Sychem, ortus in * Bethacoron, dispensator priùs Regis Achab, qui centum Prophetas in speluncis pavit, qui non curuaverunt genu Baal. Propter quod secundùm Hieronymum accepit gratiam prophetalem, de duce exercitûs Dux Ecclesiæ constitutus; & tandem antiquissimus moritur, & inter Sanctos refertur. Cujus sepulchrum usque hodiè cum Mauseolo Elisei, & Joannis Baptistæ, in Sebasta veneratur. Agitur verò ejus celebritas VIII. Kal. Julij.

* *Al. Bethacaran.*

ANNOT. *De istis quatuor præcipuis S. Eliæ discipulis peculiaritèr actum est in parte 1. libro 2. Sed ibi etiam Annotationes videantur.*

CAPUT V.

Filij Prophetarum, & eorum Successores, post Eliæ translationem & Elisei decessum Eremiticam, Carmeliticam Religionem usque ad Christi adventum (quem expectabant) continuaverunt.

955. (a) POst sanctissimi Eliæ translationem, primi inter viros virginis, Regum increpatoris, mirabilium operatoris signorum, & omnis Religionis, quoad tria essentialia institutoris primi; postque Elisei mortem, Religiosi, eorundem Successores, Eremitæ in Carmelo, & aliis locis habitantes, Christum venturum, & pro humani generis redemptione incarnandum, & ex immaculatâ Virgine nasciturum, ardentissimè expectabant, sicuti ab Elia fuerant edocti. Propter quod ad regnum Dei consequendum, mundum contempserunt: delicias, terrenasque divitias respuebant, ut Dei Filium ex Virgine nascendum possent amplecti, ac Eliæ, Elisei quoque institutam contemplandi & orandi Religionem, in Eremis montis Carmeli, & circa Jordanem, ac aliis locis continuare ad tempora Christi usquè studuerunt. Istud præcisè testatur magnus ille Joannes Doctor Græcus XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus ad Caprasium, super illo verbo tertij Regum cap. 18. *Iunge currum tuum; quia sonus multæ pluviæ est.* Dicens ob hanc causam Carmelitas à captivitatibus Israëlitarum à Deo præservatos. Plura miranda addidit, tàm de Carmelitis, quàm de Filiis Jonadab Recabitis, quæ hîc gratiâ brevitatis omitto. Liber Joannis in patulo est. Legat

(a) *Eliæ discipuli, & posteri continuati in Carmelo, & alibi usque ad Christi incarnationem.*

Legat quicumque voluerit. & ità inveniet.

956. De numero quidem illorum singularissimè Christi ex Virgine incarnationem desiderantium fuerunt Cinęi, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt qui venerunt de calore patris domus Rechab. 1. paralip. 2. idest de fervore devotionis seu Religionis ipsius Rechab. Hujus filius fuit Jonadab. 4. Reg. 10. qui filiis suis, & omni suæ posteritati bibere vinum interdixit. Vide Jeremiam cap. 35. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel: Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, non deficiet vir de stirpe Ionadab, filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Hi quidèm Rechabitę Cinęi, quanquam Eliam præcesserunt tempore, tamen eorum posteri, eidem in sua prophetica Institutione ac Religione adhæserunt, atque sic non immeritò Carmelitæ tàm vitæ sanctitate, quàm imitatione & religione veniunt censendi, licet noverim quosdam alitèr sentire in talibus.

Isti annumerandi Cinai, & Rechabita.

957. Insupèr de eorum numero Christum venturum expectantium erant (b) Essæi, qui in veste candida ad imitationem Eliæ incedentes, nuptiasque fastidientes monasticam agebant vitam. Inter illos plures facti sunt martyres, & inter eos erant, qui futura prædicerent. Assidæi etiam nominatissimi divino cultui assiduè assistentes, primo Machabeorum 7. ubi introducitur prophetia Psalmi 78. in ipsis impleta: *Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ,* scilicet *posuerunt.* De horum congregatione erat ille magnus Abbas, & Propheta (c) Scariothus, qui (teste Magistro historiarum) fuit unus illorum, qui Christo resurgenti, consurrexit. Similitèr dicendum est de præclaris illis Juda &, * Mamenio Prophetis. Horum primus Josepho libro primo de Judaico bello teste, Joannis Hircani, & Aristoboli filij ejus temporibus prædictiones infallibiles vaticinatus est. Alter verò ut idem 14. antiquitatum libro refert, Herodis illius majoris & Antipatris ejus genitoris tempora decoravit, ob quem Rex omnem Carmeli familiam honorificè tractavit.

(b) *Et Esseni monasticè viventes.*

* *Al.* Manachemus.

958. Scribit etiam Beatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in libro de ortu Beatissimæ Mariæ Virginis, quem post habitum Concilium Ephesinum misit Cælestino Papæ primo, quomodò ante Christi nativitatem Virgo (d) Emerentiana Deo devotissima, ex civitate Bethlehem, frequentèr consuevit cum sua Genitrice, viros sanctos in monte Carmeli visitare: quæ licèt animô suô continentiam conservare statuerit, tamen parentum voluntate, & Divinâ postmodùm revelatione, ac ordinatione, ex consilio Carmelitici montis tunc Eremitarum, Dei oraculum consulentium, Stollano viro devoto fuit matrimonio juncta. Post hæc peperit sanctissimam Annam Dei Genitricis Mariæ Matrem, & Esmeriam Matrem Elisabeth uxoris Zachariæ patris Joannis Baptistæ.

Emerentiana mater S. Anna, avia S. Elizabetha.

ANNOT. (a) Post S. Eliæ translationem ... successores Eremitæ in Carmelo, & aliislocis habitantes. *De successione continuata, & hæreditaria sectatorum posterorum S. Eliæ pleniùs actum est in parte 1. libro 3. cap 5. & sequentibus: qui plura desiderat, adeat primum Tomum Annalium Ordinis hujus, in quo successio illa texitur usque ad Christi in cœlos ascensionem. In eodem par te libro 4. cap. 8. agitur de præservatione Carmelicolarum à captivitatibus Iudæorum, de Cinæis, & Rechabitis eodem libro cap. 5.*

959. (b) Essęi. *Istos fuisse SS. Eliæ & Elisei sectatores, posteros, ejusdemque instituti continuatores demonstratur luculenter Tomo 1. & 2. Annalium Ordinis: satis erit, hic obiter delibasse aliquot illustrium Scriptorum asserta. Gilbertus Genebrardus libro 1. Chronographiæ ad annum mundi 3272.* Eliseus miris, & inusitatis operibus insignis 4. Regum 12 &c. construxit cellas Prophetis in Jerichuntis solitudine: manavit Institutum, & loci Religio ad posteros: fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis habitatum hominibus continentiæ incredibilis. *Esseni itaque Elisei (& consequenter Eliæ) sunt successores. Aubertus Miræus in libro cui titulus:* Ordinis Carmelitani ab Elia primùm inchoati &c. Origo & incrementa *sub initium:* Elias clarissimus in Carmelo &c. *Consequenter de ejus discipulis, & posteris:* Prophetarum Filij, Essenive Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem, usque ad Virginis partum produxerunt *Adrianus Adrianius lib. de orig. Monastices cap. 2.* Judæorum meliores Eliæ atque Elisei discipuli, Hesseni appellati sunt... liquet hos Essenos, vel Hessenos ipsos esse Filios Prophetarum. *Iacobus Salianus in Annalibus veteris Testamenti ad annum mundi 3893. num. 48. hæc de Essenis:* Esseni Religiosi erant illorum temporum, sicut & Filij Prophetarum.

An, & quâ ratione, & jure præfati Esseni, Cinæi, Rechabitæ Carmelitanæ Historiæ subjectum sint, vide Notationem prævtam ad libellum secundum hic paulò infrà: nempè quia Eliana Monastices Posteri, alij quidem imitatione, & successione qui in castitatis, paupertatis, & obedientiæ observantia Eliam tanquam vitæ Religiosæ normam prospicientes, in Carmelo, & aliis Terræ sanctæ locis, in quibus ipse Elias, ejusque successor, & hæres; atque eorum discipuli, & posteri manserunt: alij autem dumtaxat imitatione.

(c) Scariothus. *De illo, Iuda quoque, Manachemo, deque historia Emerentianæ videri poterunt Annales Ordinis hujus tomo primo.*

960. (d) Emerentiana. *Petrus Dorlandus Carthusianus in sacris Litteris exquisitè doctus in libro* de vita sanctæ Annæ, *quem ex Theutonico idiomate vertit Iudocus Badius, & habetur in fine libri de* vita Christi, *Ludolphi de Saxonia etiam Carthusiensis cap. 1. historiam illam sic commemorat:* Appropinquante plenitudine temporis, quâ per filium suum Deus humanum genus redempturus erat, septuaginta septem, ut D. Cyrillus Carmelita ait, ante Divini verbi Incarnationem annis, floruit in Judæa Virgo quædam generosissima ex David stirpe nata, dives admodùm, mirèque formosa, optimè morata, validèque cordata, ac spei de redemptione Israël refertissima. Quæ cum parentum venia Filios Prophetarum in Carmelo visitare solita, ab eisdem, moribus & prudentia, ac sanctitate plurimùm illustrabatur, donec jam matura viro, jam plenis nubilis annis, matrimonio ad generis propagationem à parentibus optimis, & prudentissimis ex veteri Instituto addiceretur. Quibus tamen virgo castis colloquiis imbuta, virginalique vitæ assueta, animo destinato primùm refragata rem ad Carmelitas retulit. Qui in jejunio, & oratione Deum consuluerunt, donec eorum tres in spiritu rapti radicem vidêre pulcherrimam, geminam ex se arborem emittentem; è quarum altera natus est ramus speciosissimus tria diffundens ramalia; è quorum primo longè decentissimo natus est flos purissimus, atque fragrantissimus odore cælum, ac terram perfundens optimo. E reliquis quoque prioris arboris ramalibus flores nati sunt, si seorsim spectentur, pulcherrimi, sed ad primi floris comparationem nihil. Ex altera verò arbore orta est virga sanè pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Hâc radice sic visâ, audita est simul vox, dicens: Hæc radix est Emerentiana nostra, magnæ propagationi desti-

Lezana ad annum ante Christum 77. n. 6. destinata. Quâ re intellectâ, virgo Deo, & parentibus obediens, Stollano viro justo, & Deum timenti nupsit. *Eadem scribunt alii plures relati à Lezana tomo 1. Annalium Carmelitarum ubi accuratè differit circa hanc historiam & de parentibus S. Annæ. Vide etiam hic suprà num. 236.*

CAPUT VI.

(a) *(a) Cur de antiquitate Religionis Carmelitanæ pauca reperiantur Scripta.*

961. LIcèt in primo capitulo hujus clarè pateat Eliam & Eliseum sanctos Dei Prophetas fuisse Institutores Ordinis Fratrum Carmelitarum; tamen ad obstruendum quorundam æmulorum ora, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, hoc idem latiùs declarabo. Non enim desunt Elianæ, sive Carmelitanæ Religionis adversarij, dicentes verbum Aristotelis qui visis libris Moysi retulisse fertur: Ille multa dixit, sed pauca probavit, aut nulla: non possum credere successionem Eliæ & Elisei, ac Religionis continuationem in monte Carmeli, & in desertis Jordanis, aliisque Terræ sanctæ locis; quia de talibus nihil scripti profers. Ad refellendas tales, atque consimiles cavillationes, reor non esse silendum. Sciant ergò tales, quòd Incolæ montis Carmeli, & aliorum nostræ Religionis locorum fuerint Eremitæ simplices, ac pauperes, magis orare quam scribere consueti, & à Prophetis edocti. Annales verò eorum temporum scribebantur à litterariis Regum Notariis. Attamen Prophetæ majores, veluti Elias (de quo habetur 2. Paralipomenon 21. *Allata autem erant ipsi* Joram filio Josaphat *littera ab Elia Propheta &c.*) Similitèr Ionas, & consimiles, plura conscripserunt, quæ non habentur apud Latinos, vel etiam Græcos, immò nec multa apud Hebræos. Exempli gratiâ: Sacra Scriptura primi Paralipomenon ultimo, recitat, Gad, & Nathan Prophetarum libros esse scriptos; & tamen jam nullibi habentur, nec etiam inter Iudæos. Similitèr & 2. Paralip. 9. libri Prophetarum Ahiæ & Addo. Et 2. Paralip. 12. liber Semeiæ Prophetæ. Insuper 2. Paralip. 20. scripta inducuntur Iehu filij Anani: atque 2. Paralip. 23. liber seu sermones Ozai. Prætereà in epistola Apostoli Iudæ inducitur prophetia Enoch. Talia, & consimilia Scriptura sacra plura recenset, quæ tamen nunc temporis non habentur, nec apud Latinos, Græcos, vel Hebræos. Hujus ratio assignari potest; quòd in persecutione Regum Assyriorum, Ægypti, & Chaldeorum hujusmodi libri lacerati, combusti, vel dispersi sunt, divinâ dispensatione; nè videlicet multitudo nimia librorum, aut tædium bonis, aut superfluam occupationem inferret. Esdras enim Scriba, qui cæteros sacræ Scripturæ libros combustos, spiritu Dei rursùs instauravit; utique & cæteros collegisset, si spiritui Dei placuisset.

Carmeli Eremitæ olim pauca scripserunt.

Sicut perierunt plures libri sacri.

962. Æquò modò sic æmulis Carmelitarum respondendum esse arbitror, quòd Carmelitæ in desertis Iordanis, & Carmeli, ac aliis locis habitantes, si quid Scripturæ de origine Ordinis, & antiquitate, ac ad tempora Christi continuatione, & post tempora Apostolorum habuissent, utique inter tot persecutiones, nedùm veteris Testamenti, de quibus jam dictum est: sed maximè novi Testamenti per Tyrannorum, & Sarracenorum destructionem perdiderunt. A quibus sæpè etiam eorum plurimi sunt martyriô coronati. Prætereà multa sunt facta antiquitùs, quæ omninò non sunt conscripta: numquid ideò facta non sunt, quia haud conscripta consistunt? absit. Exempli gratia: Primô Machabeorum 9. dicitur, quod *cætera verba bellorum Iuda, & virtutum quas fecit, & magnitudinis ejus non sunt descripta; multa enim erant valdè.* Similiter Ioannis ultimo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt libros.* Non est ergo bona consequentia; continuatio Eliæ & Elisei Religionis, & Successorum eorum non est conscripta, ergo non est vera, sed falsa, & excogitata. Sed verte eam, & valebit. Hoc factum non est, ergò Scriptura de eo falsa est. Sed proba æmule veritatis, continuationem Religionis Carmelitarum usque ad tempora Christi factam non esse: & tunc concedam consequentiam tuam veram fore.

Ità & scripta Carmelitana.

963. Scias tamen quod plura (b) de nostri Ordinis antiquitate & continuatione scripta sunt, quæ quidem non legisti, vel legere dissimulasti. Primò, Josephus Antiochenus in libro de perfecta militia præmiti.æ Ecclesiæ cap. 12. *Perfectorum* (inquit) *militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt, viri strenuissimi sanctorum Eliæ & Elisei sequaces &c.* Secundò, * Sigibertus Gemblacensis historiographus in chronica Jerosolymitana. *Cum in sancta pœnitentia Carmelitæ perseverassent à tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, tandem Christum prædicantem audiverunt, & processu temporis per Apostolos baptizati sunt.* Tertio in loco est antiquissima chronica Romanorum quæ Romana dicitur, in qua legitur sic: *A tempore Eliæ & Elisei Prophetarum Religiosi de numero eorum qui morabantur in monte Carmeli juxta civitatem Dominæ nostræ Nazareth, secretiùs solebant inhabitare usque ad tempora Salvatoris. Qui tandem prædicantibus Apostolis in fide confirmati in uno latere ipsius montis, primò Ecclesiam in honore Virginis Mariæ construxerunt.* Quartò, consonant * antiquissima Carmelitarum statuta, ubi sic dicitur. Primo capitulo libri primi. *A tempore Eliæ & Elisei Prophetarum, montem Carmeli inhabitare solitorum, sancti Patres tàm veteris quàm novi Testamenti, in ejusdem montis solitudine, pro contemplatione cælestium juxta fontem Eliæ, in sancta pœnitentia sunt laudabilitèr conversati. Quorum Successores, post Christi incarnationem, Ecclesiam ibidem in honore Dei Genitricis Mariæ construxerunt, atque illius titulum eligentes, deinceps sunt Fratres Beatæ Mariæ Virginis de Carmelo per Apostolica privilegia nominati:* & hoc testimonium est de jure validum 14. q. 2. super prudentia. *Nam in Testes sunt assumendi qui eadem negotia tractaverunt.* Igitur

(b) *Extant tamen adhuc quædam antiqua de hoc Ordine scripta.*

* Vid. supr. n. 745.

* De istis antiquis. statutis vide sup. nu. 522. & 524.

Igitur antiquis Patribus de tali continuatione & antiquitate Ordinis credendum est. Manifestum enim est in decursu librorum Regum & Paralipomenon, & aliorum, semper fuisse Prophetas excellentes apud Hebræos .... numquid tales Prophetæ filios, idest discipulos habuerunt? utique. Tempore transmigrationis sub Nabuchodonosor Baruch, Jeremias, & Rechabitæ translati non fuerunt, sed in Judæa manserunt, quanquam postmodum in Ægyptum coactè confugerint. Idem testatur de Carmelitis Joannes XLIV. Jerosolymitanus Episcopus dicens, quòd non sint in Babylonem translati, & aliis fugientibus timore humanô, Carmelitæ in desertis Carmeli, & Jordanis, ac aliis Terræ sanctæ locis usque ad tempora Salvatoris permanserunt. Hæc ille.*

* Vide sup. n. 172. & seq.

964. Et notandum in calce hujus primi libri quod mons Nabal est in terra Juda, mons autem Eliæ secundum Hieronymum super Isaiam cap. 40. est situs inter Phœnicem Palestinam, in maritimis. Idem dicit Nicolaus de Lyra super Isaiam cap. 33. in sorte Effraim & Isachar. Similitèr Joannes Januensis in suo Catholicon idem refert, & concordat Magister cap. 35. in historiis primi Regum. Et meritò in monte Carmeli per Eliam & Eliseum fundamentalitèr sumpsit initium omnis Religionis perfectio. Est enim Religio mons observantiæ regularis, quæ in Carmelo figuratur, alio culmine significans sanctam Clericorum Regulam. In Religione siquidem sicut in monte Carmeli, primò multa congregantur merita, & apertè condemnantur idola, sicut patet 3. Regum cap. 18. Dixit Elias: *Congrega ad me universum Israel*, idest universum meritum, quô homo fit fortis ad Deum, & hoc *in monte Carmeli*; ibi enim idolorum Prophetæ sunt per Eliam Prophetam destinati ad mortem. Secundò summè contemplantur superna, & à mente deseruntur vitia. Dicitur enim 4. Regum 2. cap. Quod Eliseus puerorum inclamantium deserens facinora, ascendit *in montem Carmeli*, & dedit se ad divina contemplanda. Tertiò sancta impetratur gratia, quâ à morte suscitatur anima. Habetur enim quarto libro Regum cap. 4. quod mulier Sunamitis ascendit in *montem Carmeli*, & gratiam pro filio extincto petiit, & illius resuscitationem obtinuit. Undè Macharius in sermone ad Monachos, qui incipit. *Fratres charissimi* sic dicit. *Eliam, & Eliseum, ac Filios Prophetarum quos constat veracitèr veteris Testamenti Monachos fuisse imitari curate. Meliùs est enim cum Elia Carmelum, & cum Eliseo, ac Filiis Prophetarum Iordanis ripas frequentare, quàm cum quibusdam Israeliticis Bethel Samariam, & Bersabeæ civitates inhabitare. Meliùs est enim cum Elia in deserto subcinericium panem accipere, & vas aquæ, quàm post Monachi professionem delitias desiderare carnales. Veniamus ergò ad Monachum novi Testamenti, Ioannem scilicet Baptistam, qui propter sanctitatem, & munditiam à Domino vocatus est Angelus. Hic ab Angelo in spiritu & virtute Eliæ Dominum præcursurus prædicatur, & ab ipso Domino de eo dicitur. Si vultis scire Ioannes ipse est Elias. Quorum exempla, Fratres charissimi, in Ordine monastico, quia sectari cœpistis, debetis sollicitè curare, ut ab eorum recto tramite, idest monastica vita, nullatenùs recedatis. Hos secuti sunt Paulus, & Antonius, & multi hujus propositi sectatores, qui idcirco laudibus extolluntur, quia à cœpto Ordine nullatenùs leguntur deviasse.* Hæc ille. Et * Balbinus in Epistola. *Mons est nomine Carmelus, in qua vetustissima Religio, & sanctitas antiqua est: Elias illic sacrificia semper Deo offerebat.* Hæc ille. Et licèt primò fuerit sterilis Carmelus, tamen divinitùs à tempore habitationis Eliæ, & suorum Successorum factus est fœcundissimus, tàm pastô quàm potu, velut scribit Abbas Joachim ad Cyrillum Abbatem. O Carmeli mons, Deo dilecte, per te idola ruunt, Prophetæ Baal pereuntur, cultus Dei neglectus restauratur, populus ad Deum colendum revocatur, aspirante Deo. Qui vivit & regnat trinus & unus in sæcula sæculorum, Amen.

Carmelus mons figura perfectionis Religiosæ vitæ.

* De Balbino illo vide parte 1 num. 120.

ANNOT. (a) Cur de antiquitate Relig. Carm. pauca reperiantur scripta. *Vide eadem tractata à Ioanne Hildesino in Defensorio Ordinis hic supra cap. 2. num. 650. & ibi in Notis & seq.*

(b) De nostri Ordinis antiquitate scripta. *Præcipuum inter ea est liber De institutione primorum Monachorum, per Ioan. Ierosolymit. qui sectus in septem libros partiales continetur parte 1. Speculi hujus (de quo plura hic supra num. 4. & seq.) & alia, in eadem parte primà contenta.*

LIBELLUS SECUNDUS.

De processu Ordinis hujus in novo Testamento usque post annum Christi millesimum centesimum.

NOTATIO PRÆVIA.* In librum subsequentem.

* Adjecta per F. Dan. a V. M.

Lectoris benevolentia rogatur, levem oculorum operam Notationi huic præviæ dare ante lectionem libelli istius secundi. Hinc discet quod utile erit scire pro subsequentium, quin & antecedentium intelligentia, seu instructione.

965. *Mirabitur forsan quispiam legens in sequenti hoc libro plures adscriptos Eliano Instituto, qui passim à Scriptoribus Carmelitæ non appellantur (eadem est ratio quorundam de quibus in præcedenti libro actum.) Ad hoc propositum instruent ea quæ Annalista Ordinis hujus Ven. P. Lezana scribit Tomo 3. Annalium in Apparatu cap. 2. num. 10. ubi sic:* Pro hujus ergò Apparatûs colophone, ac dicendorũ in hoc tomo majori luce; quod etiam veluti consectariè ex dictis hauriri potest, præ oculis sincero Lectori obijcimus, prout etiam tomo præcedenti in Apparatu cap 7. a nu. 2 fecimus; inter Monachorum, Ascetarum, seu Anachoretarum

Monachi veteres quidam imitatione tantùm, alij imitatione, & successione Elianæ Monastices posteri.

retarum myriades, Elianæ monastices posteros, alios esse *imitatione dumtaxat;* alios *etiam successione:* eos quidem *dumtaxat imitatione* appellamus, qui Eliam, & Eliseum, filiosque Prophetarum prospicientes, ipsorum institutum variis in Orbis regionibus, non aliud posterius Basilianum, Augustinianum, aut Benedictinum æmulari studebant: quorum maximam partem fuisse ea quæ dicto cap. 7. attulimus, manifestè evincunt. *Successione* autem eos dicimus, qui nedùm ipsorum vitæ ritum, institutumque æmulari gestiebant, sed veluti paternæ hæreditatis successores in Carmelo ipso monte, aliisque Terræ sanctæ circumvicinis mansionibus, in quibus eos olim habitasse sciebant, mansionem quoque jugem, vel interruptam, prout temporis ratio offerebat, studiosè tenebant. Posteriores istos *Carmelitas* ore pleno in operis discursu appellamus. Cum enim Elianam Monasticen in Carmelo quoque ipso Prophetarum mansionem habuerint, proculdubio absque ulla vocabuli invidia *Carmelitæ* nuncupari possunt. Priores autem illos numquam *Carmelitas* dicimus, sed vel generali nomenclatura *Monachos*, vel quandoque *Eliani, Esseni, aut Prophetici Ordinis* seu *Instituti cultores.* Quæ si pius noster animadvertat Lector, offensionem, quam forsan incurret ex hujus Operis lectione, quòd in ipso plures referantur qui nullatenùs ab Authoribus *Carmelitæ* nuncupentur, effugiet. *Hæc ibi Lezana: qui istam suam thesim probat peculiariter authoritate Ioannis Antistitis Ierosolymitani, verbisque illius adductis supra in Speculi hujus parte prima libro 2. cap. 8. num. 87. post medium:* Quidquid ergo virtutis &c. *ac denique sic concludit:* Propter quod prædicti Monachorum principes fuerunt velut quidam particulares rivuli ab Elia, tamquam à primordiali, & universali omnium rivulorum fonte derivati.

Posteriores Carmelitæ, non priores nuncupandi.

966. *Ista idem Lezana fusè, & solidè pertractat tomo 2. Annalium in Apparatu cap. 7. cujus titulus est:* Omnes, & singuli Monachi, & Anachoretæ post Christum in quatuor primis sæculis, ante Basilij præsertim institutionem viventes, ad Propheticum & Elianum Institutum quadamtenùs spectant. *Id cum authoritatibus Patrum, & illustrium Scriptorum multorum firmasset, sic concludit:* Maneat ergò, ut firma, inconcussaque veritas quatuor sæculorum post Christum Monachos, seu Anachoretas æmulatores, seu imitatores dici debere sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei, ac proindè ad eorum propheticum, seu Elianum institutum spectasse, imitatione saltem. *Consequenter ostendit, quòd etiam plures successione: qui strictè loquendo, Carmelitæ nuncupandi sunt.* An etiam, *inquit,* successione? Itá equidem; si de pluribus (non de omnibus) ipsorum sit sermo, cum constet ipsos, nedum Eliæ institutum æmulatos fuisse, sed & in Eliadum bonis, veluti hæredes substitutos fuisse, in quo, ut diximus, ratio successionis posita est. Etenim ex ipsis multos Carmeli Eliani montis arva incoluisse pro comperto habetur. Hi sunt inter alios Agabus Propheta, Enochus de Amatim, Basilides, Hilarion, Eutitius, Basilius Magnus, Eubolus, Caprasius, Joannes Jerosolymitanus Antistes, & Cyrillus Alexandrinus, quos in sequentibus commemorabimus. Deindè plures ex ipsis Jordanis fluenta colebant, eâ præsertim parte quâ lacus Asphaltites cernitur, Thecue, Engaddi, Quarentenæ, vel Ierichuntis solitudo, prout de singulis annotabitur in sequentibus. Cum autem, juxtà dicta, hæc loca ab Essenis culta fuerint, manifestè indè elicitur Essenorum posteros etiam quoad successionem in ipsorum possessionibus dici debere. Idem pari jure asseri oportet de illis, qui loca Galgalæ, Bethel, Iericho, Gabaa, Cariatharim, Naioth, Maspha, Ephraim, Samariæ, & Sarephta, incoluisse noscuntur, cum in his quoque suas mansiones habuisse Eliam, Eliseum, aut Filios Prophetarum ex ijs quæ to. 1. ad ann. 3154. dicta manent pro comperto habeatur. Ac similiter de illis, qui Ægypti loca inhabitabant, quæ olim Essenorum, ipsorum in Monachatu Ducum, coloniæ fuerant, ut puta lacus *Maria* dictus, & similia. Plures quoque ex ipsis eòdem vestium genere cum Elia & Prophetis usos fuisse, videlicet superhumeralibus, melotis, cappis albis, & Zonis. *Ista ibi consequenter prosequitur, ac sigillatim declarat. Vide etiam ad hoc propositum dicta hîc supra libello primo cap. 2. num. 945. nempè* sub duplici differentia esse Eliæ imitatores, alios videlicet successione, & imitatione, alios dumtaxat imitatione *& cap. 3. de his posterioribus dici posse:* esse fratres nostros filios Patris nostri Eliæ, & non Matris nostræ: *Notanda etiam ea quæ hîc infrà lib. 2. cap. 2. sub finem dicuntur, nu. 976. nec non cap. 3. Opere-pretium etiam erit notare id quod lib. 3. capite primo num. 1029. & 1030. dicitur.*

Eremitæ omnes, & Monachi in primis post Christum sæculis Eliæ æmulatores.

Plures etiam successores, & qui.

967. *Quicumque jam dicta perpenderit, & in æqua rationis lance appenderit, desinet mirari, & culpare Carmelitanos Scriptores, quòd in Historia Carmelitana tractent de jam nominatis, atque aliis, tamquam Carmelitanæ vitis palmitibus, sive traducibus, seu Eliani Instituti imitatoribus, sectatoribus, æmulatoribus. An non talis censendus Magnus Antonius, de quo S. Athanasius in ejus vita scribit.* Sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, ad illud exemplum vitam suam debere componere. *Et auctor vitæ S. Pachomij:* Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè proposita, qui magni Eliæ, atque Elisei, necnon & S. Ioannis Baptistæ æmulator existens. *Igitur S. Antonius Eliani Instituti æmulator, & sectator fuit. Ità quoque cæteri veteres Monachi: quos propterea Macarius S. Antonij discipulus, istis hortatur verbis:* Eliam & Eliseum, ac Filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos fuisse, imitari curate. *Plura ex eodem vide hîc paulò ante.* * *Tales quoque Eliæ æmulatores, & Instituti ejus sectatores fuisse S. Ioannem Chrysostomum, & monachos, quos inter, monasticam egit vitam satis eruitur ex ipsius vita (per Gregorium Patriarcham Alexandrinum) in quo hæc inter cætera:* Cæpit primordia jacere monasticæ conversationis. *Et infrà:* Qui autem in eo monasterio, in quo degebat,

S. Antonius Eliæ æmulator.

Tales quoque alij veteres Monachi.

* Nu. 964.

Talis S. Chrysostomus.

degebat, diversabantur, perspectâ ipsius sanctâ conversatione obsecrabant, sibi ut præesset. Ille è diverso non sustinebat eis præsidere. Tradidit alioqui præscriptas quasdam finitiones, & regulas. Adhortatus insuper eos est, ut Sanctorum conversationem piâ æmulatione imitarentur, præcipuè quidem Eliæ, & Elisei Prophetarum, qui quidem Angeli terrestres effecti pretiô inopiæ, & extremæ penuriæ mercati regnum cœlorum consecuti sunt. *Illa verba*: præcipuè quidem Eliæ & Elisei, *satis indicant ipsum, & istos Monachos fuisse sectatores S. Eliæ & Elisei. Talem quoque Elianæ conversationis monasticæ æmulatorem fuisse celeberrimum Monachorum Patriarcham Basilium Magnum satis innuit ejus germanus frater Gregorius Nyssenus hæc de illo scribens*: An etiam audebimus ad sublimem Eliam sermone ascendere, & ostendere nostrum Doctorem suæ vitæ institutô illius gratiæ assimulari? *Plura ad hoc propositum roborantia adducit Lezana dictô locô tomi secundi Annalium.*

Et S. Basilius.

968. *Ex jam dictis satis est manifestum*, veteres Monachos, temporibus S. Antonij, S. Basilij, S. Chrysostomi, fuisse Eliani Instituti sectatores, & æmulatores. *Hinc S. Hieronymus, S. Isidorus, Ioannes Cassianus, atque alij plures in præcedentibus varijs locis adducti, adstruunt* Monachorum sui temporis Principem Eliam, *& ipsum* conversationis monasticæ primum Auctorem. *Et propterea passim Patres ipsum* tanquam monasticæ vitæ primum exemplar *proponunt, & ad ejus imitationem hortantur. Ista etiam tradit, & confirmat Annalistarum vertex Cardinalis Baronius tomo 3. Annalium ad annum Christi 324. §.* At quibusdam *Scribens de Monachis istius temporis*: Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus instar Eliæ & Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum. *Dicit*, Instar Eliæ, ac Ioannis Baptistæ; *quia istorum, Principum vitæ monasticæ, instituta tenebant, aut exempla æmulabantur. An non igitur jure omnes isti Eliæ æmulatores, quadam ratione ad Elianam historiam admittendi, & ab ea non arcendi? nec Carmelitanæ historiæ Scriptores de illis tractantes censoriâ severitate notandi. Eadem est ratio de sacris Virginibus Euphrasia, Euphrosyna, Syncletice, Sara, atque alijs, de quibus sigillatim tractat Lezana tomo 2. & 3. Annalium Carmelitanorum. Sic quoque ratiocinandum de Filijs Prophetarum, Cinæis, Rechabitis, & Essenis tempore Legis veteris, nempè quosdam* & imitatione, & successione Eliani Instituti sectatores, & hæredes fuisse, *videlicet illos, qui in Carmelo, circà Iordanem, & alijs Terræ S. locis in castitatis, paupertatis & obedientiæ observantia Eliam tamquam suæ conversationis exemplar prospiciebant (juxta dicta parte primâ libro 3. cap. 5.) De quibus S. Hieronymus, subindè in præcedentibus relatus*: Virgo Elias, Virgo Eliseus, Virgines multi Filij Prophetarum, & Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas juxtà fluenta Jordanis. *Idem sentiendum de Essenis. Nonnulli verò, præsertim Cinæi, & Rechabitæ (de quibus peculiaritèr actum est in parte 1. libro 4. cap. 5. num. 161. & ibi in Notis)* imitatione duntaxat, *sive veluti nunc Tertiarij Ordinum Religiosorum, istius Ordinis quâdam ratione censentur, quorum regulam, & instituta, quantùm sui status ratio sinit, observare profitentur. Vide parte primâ num. 165.*

Elias conversationis Monasticæ Author primus.

Filij Prophetarum, Esseni Rechabitæ quâ ratione Eliæ posteri seu æmulatores.

969. *Quis indignatur, aut culpat Historiam Seraphicam ab Henrico Sedulio concinnatam, & alios Ordinis Minorum Historicos, dum S. Ludovici Francorum Regis, S. Ivonis Presbyteri, S. Elizabethæ Regis Hungarorum filiæ, S. Elzearij Comitis vitas, & gesta ad sui Ordinis historias transferunt; quia Tertiarij Ordinis ejusdem? aut PP. Prædicatores, suo Ordini asserentes B. Rosam (primitias, inter flores Cœlitibus solemni, ac publicô ritu adscriptos ex America,) utpotè Ordinis istius Tertiariam, atque itâ Vitæ S. Dominici æmulatricem? Sed an non pari, aut majori ratione jam præfati, atque alij veteres Monachi*, Eliani Instituti æmulatores, & sectatores *(de quibus in Annalibus, & Historiis Carmelitani Ordinis agitur) â Carmelitana Historia non arcendi, tamquam ab illa alieni? Si inquam alienum non sit ab instituto Historiographorum Ordinis PP. Prædicatorum, & Minorum præfatos suo Ordini quâdam ratione adscribere, & suis historiis intexere; an rationabiliter quispiam indignabitur Carmelitanæ historiæ Scriptoribus, aut eos censurabit, quòd de præfatis Antonio, Hilarione, Basilio Magno, Chrysostomo, atque alijs, tamquam sui Instituti tenacibus, aut certè quadantenùs æmulatoribus, modô jam explicatô, in suis historiis tractant?*

Historici Ordinis Minorum, & Prædicatorum tractant de Tertiariis suorum Ordinum.

CAPUT I.

Tempore Legis gratiæ sanctus (a) Ioannes Baptista Eliæ imitator, & ejusdem Instituti sectatorum Rector.

970. SAcer Ordo gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, à sanctis Prophetis Elia & Eliseo in veteri Lege, Deo dictante institutus (ut dictum est in libro primo) est laudabilitèr, & fructuosè (Spiritu sancto duce) à Carmelitis eorundem Successoribus tempore tàm veteris, quàm novæ Legis continuatus. Tunc primus & præcipuus Carmelitarum omnium caput Ioannes apparuit Baptista Christi Iesu. Undè Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha XLIV. dicit: *Religiosi Filij Prophetarum Eliæ & Elisei Successores, qui in Eremo montis Carmeli, & in solitudinibus propè fluenta Iordanis, ac alijs locis Terræ sanctæ habitabant incunctanter, tenebant Christum pro redemptione generis humani ex Virgine incarnandum, moriturum, & gloriosè resurrecturum, quem ex totis præcordijs desiderabant, & sperabant venturum. Quos sicut Deus per Eliam, & cæteros ejusdem propositi Prophetas instruere de adventu Christi futuro dignatus fuit, ità etiam de præsentia Christi in mundo per ejus Præcursorem eos docere disposuit. Et insuper quod dictus Præcursor ante Iesum in spiritu & virtute Eliæ præcederet, & monasticam vitam Eremiticam ab Elia institutam assume-*

Successores S. Eliæ in veteri, & novâ Lege.

S. Ioan. Bap. unus ex eis.

assumeret. Hoc nec Lucas Euangelista siluit de ipso Præcursore dicens. Puer autem crescebat, & confortabatur, & erat in desertis locis.

971. Et Iacobus de Vitriaco in libro Historiarum Orientis & Occidentis cap. 53. *In solitudinibus Iordanis Ioannes Baptista fugiens hominum turbas, ut liberiùs vacaret Deo, ab annis puerilibus delituit.* Item Ambrosius ad Vercellenses cap. 14. * Et Bernardus ad Fratres de monte Dei: *Antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei est, à tempore Prophetarum demonstrata; Iamque nova gratia sole exorto in Ioanne Baptista instaurata, & renovata, & ab ipso Domino Iesu Christo familiarissimè celebrata, & ab ejus Discipulis ipsô præsente concupita.* Consequentèr Philippus Abbas Hierapolitanus super illud Ioannis. *Miserunt Iudæi &c.* ait sic. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem Baptistam habitantem cum Carmelitis confratribus suis in Eremo propè fluenta Iordanis.* Hæc ille. Et Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymitanus. Hic Ioannes venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Factum est verbum Domini super Ioannem habitantem in deserto super fluenta Iordanis, ubi Carmelitæ Filij Prophetarum manebant. Propter hoc & alij in Eremis Terræ sanctæ habitantes fuerunt tunc à Sancto Ioanne eorum Duce (sicut cæteri de populo baptizati) cum ergo voce præconis intellexissent Dei Filium præsentem esse in mundo, quem diu videre totis præcordiis cupiebant, volebant eidem inseparabilitèr adhærere. At postquàm Christi excellentiam audierant à Ioanne commendari, quidam eorum secuti sunt Iesum. De istorum numero fuit Andreas Frater Simonis Petri, ut habetur Ioannis primo, ubi sic dicitur: *Stabat Ioannes, & ex Discipulis ejus duo:* sequitur; *Unus eorum qui secutus est Iesum, erat Andreas Frater Simonis Petri.* Quidam verò juxta Iordanem, in monasterio à sancto Eliseo constructo manserunt. De istorum numero fuerunt illi, qui à Ioanne erant missi ad Christum dicentes. *Tu es qui venturus es?* isti, auditô quod Ioannes decollatus fuisset in carcere, tulerunt corpus ejus, & in sepulchro Patrum eorum Elisei, & Abdiæ honorificè sepelierunt.

* Vide sup. n. 186.

972. Cum ergo ex diversis Collegiis in diem festum in Ierusalem convenissent, ab Apostolis baptizati sunt, & Spiritu sanctô repleti. De quibus dicitur Actuum 2. *Erant in Ierusalem habitantes viri religiosi &c.* tunc Beatâ Virgine adhortante in ipsis fidei Christianæ crepundiis, in promulgatione nominis Iesu Christi, & Fidei prædicatione, plantationeque primaria, impertetritè (b) sanctis Apostolis ad mortem usque colloboraverunt, totamque crescentis Ecclesiæ fabricam cum eis genuerunt, ut habetur in Romana Chronica. Hinc Iosephus Antiochenus in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ cap. 12. dicit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt viri strenuissimi, solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Virginis Mariæ honore in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Hæc ille. Et (c) Eusebius Cæsariensis libro 10. * Ecclesiasticæ historiæ commendans sanctissimi Patris Eliæ germina, jam à millenis circiter annis secùs decursus aquarum divini fontis ab eodem plantata, Apostolorum tempore, pro cœlestis Regni spargendo semine, etiam remotos adiisse populos, & ad Antiochiam pervenisse testatur, dicens: *Apud Antiochiam floridissima congregatur Ecclesia, in qua etiam fuerunt Prophetici Ordinis viri quamplurimi, cum quibus Paulus & Barnabas.* Unde Actuum 13. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Item in (d) Romana Chronica. *Prædicationis Domini nostri Iesu Christi tempore Eremitæ de monte Carmeli Ierusalem accesserunt, quorum quidam anno septimo à passione Domini usque ad tempus Titi & Vespasiani Imperatorum apud Ierusalem in porta aurea religiosè consederunt. Alij verò Beati Petri Apostoli Antiochiæ cathedrati temporibus in circumquaq; Regione adjacente in diversis locis Catholicâ pro fide substiterunt.* Hæc ibi. Alludit his (e) Sigebertus Gemblacensis Monachus Ordinis sancti Benedicti in sua historia Jerosolymitana, dicens. *Cum Carmelitæ in sancta pœnitentia perseverassent à tempore sanctorum Eliæ & Elisei Prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt; Qui Religiosi fidem Catholicam confitentes in Christo baptizati sunt. Deindè perseverantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebem, veritatis Euangelicæ nuntij fideles, & Religionis Christianæ legitimi Successores effecti sunt.* Hæc ille. Et Philippus Abbas Hierapolitanus qui suprà. *O Carmelitarum Religio, quàm magna facta es in domo Domini! Numquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuisti? & ecce nunc in magnum fluvium crevisti. Tu olim plantata in Eremo, nunc facta es civitas plena populo. Tu Fundatorem habes adhuc in paradiso viventem, & gloriosam Virginem Mariam Reginam cœli, Dominam mundi, in Patronam singularem. Sicut enim olim de te processerunt Patriarchæ, & Prophetæ, sic nunc de te procedunt Sacerdotes & Levitæ, Doctores, & Euangelistæ, qui Patres & Patroni omnium Religiosorum facti sunt.* Hæc ille.

Eremitæ Carmeli fide Christi imbuuntur, & baptizantur.

(b) (c) (d) (e)

* Lege 2. *Christianam fidem prædicant.*

973. ANNOT. (a) Joan. Bap. Eliæ imitator. *Idem tradunt cæteri historici Ordinis hujus, & exteri plurimi. Et id Euangelica ista attestatione certificatur:* Præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ; *nam ut Patres in illa verba scribunt,* conversatione simillimâ ambo deserta secuti, victu frugi, vestitu inculti, cinctu despecti. *Vide plura parte 1. lib. 5. cap. 2. & ibi in Notis, necnon in plerisque hujus 2. partis libris.*

(b) SS. Apostolis collaboraverunt. *Vide parte 1. lib. 5. cap. 8. & ibi in Notis, atque in opusculis hujus partis.*

(c) Euseb. lib. 10. *Videtur error in citatione. Quæ Eusebius lib. 2. cap. 3. & 17. scribit* de Prophetarum vitam agentibus *vide parte 1. lib. 5. in Notis ad cap. 7. num. 206.*

(d) Rom. Chron. *Consule de illis dicta parte 1. lib. 5. cap. 8. & ibi in Notis.*

(e) Sigibert. Gembl. *Testimonium istud allegant plures alij. De eo vide hic supra num. 745.*

CAP. II.

CAPVT II.

Plures utriusque sexûs, Christi, & Apostolorum tempore, Monastica conversatione clarissimè florentes.

974. SAtis est jam brevibus deductum, quòd Joannes Baptista verus fuerit Religionis Carmeli observator, & Princeps, cum discipulo suo sancto Andrea. Nunc verò (a) de cæteris discipulis ejus nominatim restat declarandum. Quamvis verò discipulorum ejus paucorum nomina Euangelistæ exprimant, tamen plures eos fuisse describunt, qui Patrem suum Joannem Carmelitam ipsi Carmelitæ sinceritèr observantes, posteà Christo, & deinceps Apostolis familiarissimè adhæserunt. Horum unus fuit Sylas comes Apostoli Pauli, de quo habetur Actuum 15. capitulo. Ipse quievit anno Domini 74. Julij die 13. Alter Martialis filius Addi, Petri Apostoli consanguineus, & sancti Stephani, Episcopus Lemovicensis, Galliæ. Ultima Junij ab hoc sæculo migravit. Tertius Saturninus filius Legeæ Regis Achaiæ, Episcopus Tholosanus primus, martyriô coronatus penultimâ Novembris. Quartus Fronto Episcopus Petragoricensis, qui sanctam Martham sepelivit. Iste postquam cooperatus fuisset Fratribus in constructione Ecclesiæ in honore Virginis gloriosæ in sancto monte Carmeli, fuit in prædicto loco suæ nativitatis Episcopus constitutus. Construxit igitur illic monasterium. Hujus Festum colitur octavo Kal: Novembris, idest vigesimâ quintâ die Octobris. Quintus Natanael Philippi Apostoli germanus, qui & Vrcissinus dictus est, Episcopus Bituricensis, in Lege doctissimus. Ipse decessit mensis Novembris die nonâ. Et alij Carmelitæ, discipuli Joannis multi, quorum nomina sunt in libro vitæ.

(a) *S. Ioannes Bap. discipuli Eremitica vita sectatores.*

975. Istos habuit socios sanctissimos (b) Enoch de Amathim puer velut alter Samuel, à parentibus in montem Carmeli adductus Virgo permanens. Hic Enoch in monte Carmeli Fratrum Rector, & Præpositus fuit constitutus. Cùm verò loca suorum Fratrum circà Jordanem visitaret, audivit sanctum Ioannem Christum Deum commendare, ubi dixit. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, tunc cum quibusdam Fratribus suis deinceps Christo junctus est, ab eo septimus in numerum discipulorum 72. ordinatus. Et hoc non sine mysterio factum creditur. Nam primus Enoch fuit septimus ab Adam in linea Seth, translatus in paradisum, significans septimam ætatem, in qua Beatus Enoch Carmelita beatam & Ereminicam vitam peregit. Indè post Ascensionem Christi ab Apostolis Nicopoli Episcopus ordinatus, vocatis quibusdam de Fratribus, monasterium ibi constituit. Sed tribus tantùm annis illi Ecclesiæ præsidens Beato Marco adhæsit. Tandem Marcus à Roma missus, visitatis Aquileiâ, Cyprô, & monte Carmeli, profectionem fecit in Ægyptum. Itàque Marcus assumptô Enoch Eremitâ montis Carmeli, cum Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum. Ubi constructis monasteriis, & Fratribus religiosè institutis Enoch ad Terram sanctam post Martyrium sancti Marci reversus in monte Carmeli, contemplationi, & orationibus vacans, die septimâ mensis Iulij diem clausit extremum, ubi anno Domini 64. à Fratribus digno cum honore traditus est sepulturæ. Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, Monachorum nomine censerentur, qui à Beato Marco (qui primus Alexandriæ præfuit) suadente Enoch Christi Discipulo, normam suscepêre vivendi cô fervore lectioni orationique, ac operi manuum diebus, & noctibus incumbebant, ut nec escarum quidem appetitûs, vel memoria nisi altero tertiove die incideret, corporis interpellante inediâ. Hæc in historia Alexandrina, & in libro de institutis Monachorum, & in supplemento Sigeberti de illustribus viris. Testatur hoc idem Philo de Eremitis Terræ sanctæ. *Palæstinam* (inquit) *Viri quidam spirituales inhabitant plures jam quàm quatuor millia, sancti vulgaritèr nominati, & æstimati, quoniam Dei cultores præcipui sunt. Non animalia, sed mentes suas virtute munitas Deo offerendas esse putantes, cultu morum, & conversatione optimi, in civitatibus non habitant, existimantes ut contagionem aëris corporibus, sic conversationem vulgi animo nocere. In singulis tamen civitatibus ex eodem collegio specialis Procurator constituitur, qui eorum vestimenta, ceteraque usui necessaria tueatur. Albâ semper veste desuper induuntur, habentes illud dignum, & valdè mirabile (quod non in aliis invenies gentibus tàm Græcorum quàm Barbarorum) quòd omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communitèr possidentur.* Hæc ille. Plura quoque alia miranda de Carmelitis, & Prophetici Ordinis viris dixerit. Consonat Hieronymus in libro de illustribus viris, sic scribens. *Philo Alexandrinus de genere Sacerdotum in libro de prima Marci apud Alexandriam Ecclesia, in nostrorum laudem versatus est, non solum eos ibi, sed & in multis quoque Provinciis esse memorans, & eorum habitacula dicens esse monasteria.* Ex quo patet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, qualem nunc Monachi imitantur. Prædicti Enoch memoriam facit Sixtus Papa quartus in confirmatione indulgentiarum & gratiarum Ordinis nostri dicens. *Sanctorum Eliæ & Elisei & Enoch, nec non & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt successionem hæreditariam tenentes.* Hæc ille. Sicut ergo Elias Religionem Carmeli Eremiticam in veteri Testamento inchoavit, sic Ioannes Baptista eandem circa Iordanem, & Enoch in Carmelo, & alij multi eandem observantes continuaverunt, & ad ejus observantiam alios induxerunt.

(b) *Enoch de Amathim ex Carmeli incola comes S. Marci.*

Et adjutor in disciplina monastica formanda.

Esseni de quibus Philo instructi fuerunt à S. Marco.

Albâ veste superius utebantur.

976 De fœmineo etiam sexu in eisdem partibus Carmelitæ claruerunt. Inter istas erant illa Beatissima (c) Maria soror Lazari, & Martha. Hæ postquam fuissent in Terra sancta cum gloriosissima Virgine Maria, & Carmeli- (c)

Fæminæ monasticen exercentes. melitis Religiosè conversatæ, venientes in Territorium Aquense eandem vitam continuarunt. Maria verò solitaria annis triginta Eremum incoluit. Martha verò duo construxit monasteria, unum virorum, aliud virginum. De quo Vincentius libro nono historiarum capitulo 100. Magnentia, quæ & (d) Tecla, virgo nobilissima, magnis virtutibus, & humilitate claruit, Elianæ Religionis observatrix sollicita. Hæc Pauli Apostoli Discipula monasterium virginum apud Antiochiam construxit. Aliud etiam claustrum ejusdem Ordinis virorum Carmelitarum, non longè ab Antiochia in solitudine montis Neroij, idest in montanis nigris, cujus curam Evodius gessit primus Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus. Post quem sanctus Ignatius successor Evodij, ubi & Angelos audivit antiphonas cantantes. De istis, & aliis prædictis in Vincentio invenies. Hæc in antiquissimis Patrum nostrorum leguntur chronicis. Prædicti loci, videlicet Neroij, Eremicolas, Frater Thomas de Cantiprato Ordinis Prædicatorum in libro suo Apum multum recommendat. (e) Et quanquam hi de utroque sexu apud historiographos non nominentur Carmelitæ, sed Religiosi, satis tamen est eos Carmelitas fuisse, & Elianæ Religionis, tàm ostensionis virtute, quàm conversationis exemplô. Nec mirum, ex quo non erat tunc temporis Carmeliticæ Religionis nomen in Europa, adeò sicut in Terra sancta, vulgatum, vel cognitum. Nec tunc, ut nunc, fuit tanta Religiosorum statûs divisio.

(d)

(e) *Carmelitæ nemencur olim non ità usitatum, ut modò.*

977. ANNOT. (a) De cæteris discipulis ejus. *Quòd discipuli S. Ioannis Bap. vitam à communi populo differentem egerint satis ista Lucæ 5. verba indicát.* Discipuli Joannis jejunant frequenter: *sicut ipse Ioannes, sicut & Filij Prophetarum herbis agrestibus, & polenta victitantes. Quoad Silam, Martialem, Saturninum, Frontonem, & Nathanael ibi recensitos à Palæonydoro, an, & quô jure, & fundamento inter Prophetici Eliani instituti alumnos accenseri possint, sigillatim disserit Lezana tomo primo Annalium. Sed peculiariter ad hoc propositum oculorum obtutus tantisper vertendus ad Notationem prævium ante hunc libellum, secundum.*

978. (b) Enoch de Amathim. *Animadvertendum, quòd ille longè diversus sit ab eo de quo Genesis 5. & eô aliquot millibus annorum posterior, at ex Carmeli incola, comes S. Marci, post cujus Martyrium remeans in Carmelum ibidem sanctô fine quievit, condigno honore parentatus. De quo ista Ioannes Bonifacius:* Quidam nomine Enoch Carmelitus in Christo colendo, atque sequendo feliciter antevertit. Qui D. Marci comes fuisse affirmatur, & fortasse consors in illis Euangelicis cænobiis, quos Alexandria omnium prima vidit, ordinandis. *Plura de eo in Annalibus Carmelitanis tomo 2. ad annum Christi 36. 45. & 64. ubi num. 2. ista inter cætera:* Quod unus è 72. Christi discipulis à Palæonydoro, & aliis asseratur non facilè impugnari potest, esto in Catalogis discipulorum non conspiciatur relatus; nomina enim ipsorum incerta sunt, ut habet Eusebius lib. 5. histor. cap. 14. & alij plures, alij pauciores recenseant, & forsan aliqui binomij fuerunt, ut propterea inter ipsos etiam alio nomine Enoch esse potuerit, imo & inter illos septimus, ut ijdem authores scribunt. *Ejus mentionem in Bullis Ordini concessis faciunt Sixtus IV. Iulius II. Vide hic supra num. 533. & 539. In vetusto Kalendario Mechliniensi dies obitûs ejus annotatur* Nonis Julij.

Joan. Bonifac. *de B. V. lib. 2. c. 2.*

979. (c) Maria soror Lazari, & Martha. *Eas Prophetici Instituti æmulatrices nuncupat Lezana variis locis. Et quidem Martham vitam egisse monasticam tradunt Petrus de Natalibus in ejus vita (ubi ista;* Monasterium construxit, ibique orationibus, & jejuniis quotidie vacabat.) *Baptista Mantuanus lib. 7. Fastorum, & alij. Magdalena autem in asperrima eremo in contemplatione vitam solitariam egit.*

Lezana to. 2. Annal. ad an Christi, 48. n. 5. & 6

(d) Tecla. *Thomas Waldensis in Doctrinali fidei tomo 1. lib. 3 cap. 7. eam vocat* professam sub manu Pauli, *id confirmans ex S. Augustino. Propterea etiam Laurentius Beyerlinck inter Carmeli alumnos eam refert. Suarez etiam, & Ascanius Tamburinus inter Moniales eam recensent. Immo veram Religiosam fuisse, & veli consecrationem, quam à Paulo accepit, religiosi status signum esse confirmat idem Suarez. Ità Lezana tomo 2. Annal. Carmelit. ad annum Christi 46. ubi plura hoc ipsum roborantia adducit.*

(e) Et quamquam hi ... non nominentur Carmelitæ &c. *Ista, & ibi consequentia benè notanda. Alia ad hoc propositum vide hic supra num. 965. & seq.*

CAPUT III.

Propheticum Elianum Monasticum Institutum post tempora Apostolorum continuatum.

980. Multifariè, multisque modis sancti Patres in Ecclesia primitiva Deo secretiùs cupientes deservire, suis Confratribus vitam, & regulam sanctissimi Patris nostri Eliæ in exemplum obtulerunt. Nam circa annos Domini CLXX. floruit ille magnus Pater (a) Helenus Episcopus Alexandrinus, priùs Carmelita. Hic habitum, & religionem Carmelitici Ordinis in Monasterio apud Alexandriam dedit Protho & Hyacintho & Eugeniæ virgini in habitu virili advenienti, posteà martyrio triplici coronatis. Hæc sanctissima virgo Carmelita pòst juxta Nitriam monasterium fundavit, in quo pater ejus Philippus sepultus est. Deindè aliud Romæ teste Vincentio: * Porrò circa annos Domini CXC. clarus effulsit (b) Serapion ille sanctissimus, ex Eremita & Anachorita Carmeliticæ Religionis, octavus Episcopus Antiochenus. Post eum Amphilon ipsius in Episcopatu successor.

(a)

* In Spec. hist. l. 12. c. 111.

(b)

981. Hinc circa annos Domini * CCL. surrexit magnus Antonius, qui Paulum Eremitam juxta scripta Hieronymi in deserto invenit. De quo Dionysius Omonsenus in vita sancti Pachomij dicit sic. *Erat per idem tempus vita Beati Antonij cunctis admiranda, qui magni Eliæ & Elisei æmulator existens studio imitatus est singulari.* Et Athanasius in vita sancti Antonij. *Meminerat quoque Antonius Eliæ dicentis: Vivit Dominus cui asto hodiè. Igitur secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ capere exemplum & ad illud speculum vitam suam debere componere.* Item in collationibus Patrum cap. VI. collatione Pyamonis. *Anachoritæ meritò nuncupantur qui vastos Eremi recessus penetrare non timebant, ad imitationem sancti Ioannis Baptistæ, Eliæ quoque & Elisei, de quibus Apostolus ità commemorat. Circuierunt in melotis &c.*

* Rosweyd. & Lezana habent CCLIV.

S. Antonius, & alij Monachi olim S. Eliæ institutum sectabantur.

982. Cum igitur anno à Passione Domini XLII. (c) Titus & Vespasianus Jerosolymam venissent, Eliæ Successores, ob reverentiam Christi honoratos muneribus, illæsos dimiserunt. Undè Franciscus Petrarcha dicit. *Vespasiano*

(c)

spasiano sub Nerone rem Hierosolymis gerenti, vicinum Carmeli montem oraculum experiendi desideriò accessit. Vndè in immensum auctus est, acceptô responsô, quòd quidquid ageret, & mente concepisset, & attentasset successurum felicitèr, quamvis arduum & laboriosum videretur. Hæc ille. Quia igitur (secundùm Hieronymum) bonum opus assiduâ indiget admonitione, cernentes Patres memoriam hominum esse labilem ea quæ exemplis prædicabant, & verbis scriptis commendare curabant, velut fecerunt, Fructuosus, Serapion, Macharij, Amos, Pyor, Isidorus, Pachomius, Pasnutius. Hic invenit sanctum Onufrium in deserto Oreb, Donatus, Orsesius, Paulus & Stephanus, Ferriolus, Aurelianus, Cassianus,
(d) Cæsarius, & alij quàm multi. (d) Qui licèt ab institutione Eliæ fuerint primordialitèr exorti, & Religionis Carmelitarum: tamen vulgaritèr solô nomine à Carmelitis differentiam habent; quia aliarum Regularum aut institutores, aut observatores facti: veluti Augustinienses, Benedictini, Paulini, Iacobitæ. Quia ergo omnis Religionis (secundùm Chrysostomum in Dialogo de dignitate Sacerdotum) Elias parens est, & origo fontalis: ideò Antonius cum aliis Patribus, & Discipulis de Religione Carmelitarum censetur, quanquam Carmeli montem non incoluerunt. Et quisquis Eliam in hoc non commendat, in tam sancto germine radicem fructu fraudat & vitem propagine. Sic dicendum est de sancto Fructuoso Episcopo & martyre, qui fuit anno Domini CCXL. hujus discipuli ac Diaconi Evagrius & Eulogius. Invenit autem sanctus Antonius Paulum in Eremo de quo dixit tale testimonium, *Vidi Eliam, vidi Ioannem in Eremo, & verè Paulum in paradiso.* Eusebius etiam Carmeliticæ Religionis Monachus anno Domini CCLX. martyrium subiit.

Quâ ratione ad Elianam spectent posteritatem.

983. (c) (e) Dionysius verò Papa hujus nominis primus, ex Monacho Religionis nostræ pro Christo martyr effectus est. CCLX. anno. Item anno Domini CCLX. sancta Carmelita, & soror nostri Ordinis Cyrilla virgo, filia (ut legitur) Decij, martyriô coronata est. Circa annos Domini CCCX. sanctus Pater noster Spiridion Eliæ Religionem magnis virtutibus decoravit: de quo habetur in historia Ecclesiastica libro 10. Quòd Episcopus Cyprius fuit ex Ordine Prophetarum. Et alibi de eo habetur, quod vitam Propheticam duxit, non quòd ipse, & alij futura prædicerent, sed quòd Religionis Propheticæ à Propheta Elia institutæ observatores essent, Deum orationibus, & religiosis exercitiis laudantes. Et hoc modo Nuntij Saulis primò missi, & alij secundò & reliqui tertiò missi; insuper & Saul veniens prophetavit nudus 1. Regum 19. idest Deum laudavit, secundùm Nicolaum de Lyra. Sancta etiam Pelagia, conversa per sanctum Nonnum Episcopum, sub virili habitu venit ad monasterium Carmeliticæ Religionis in monte Oliveti, ubi studiosè perseverans in hoc stupendo facto dormivit in Domino. Ad horum Patrum instantiam scripsit Hieronymus primum librum vitas Patrum. In hoc monasterio floruit tempore sancti Hieronymi sanctus Adolius Tharsensis genere, Fratrum illorum rector. De prædictis Sanctis invenies largiùs, & de sequentibus in Speculo Vincentij, & in vitis Patrum.

S. Dionysius PP. S. Cyrilla S. Spiridion Carmelitana Vineæ palmites.

984. ANNOT. (a) Helenus. *De ipso deque Eugenia &c. ista scribit Baronius:* Eugenia in Christum credens nuptias aversata, unà cum fidelibus Eunuchis Protho & Hyacintho secedens, virili habitu delituit inter Monachos, quos Essenos à Philone dictos esse, superiùs demonstravimus, hæc omnia perficiente S. Heleno Episcopo Heliopoleos. *Essenos Prophetici religiosi Eliani fuisse Instituti exercitatores, & continuatores luculenter declaratur in Annalibus Ordinis tomo 1. & 2. utrobique in Apparatu, & in decursu utriusque operis. Inspiciendi indices verbo* Esseni. *Vide quoque hic paulò ante ad lib. 1. cap. 5. De eodem S. Heleno in Vitis Patrum refertur, quòd dum infantulus in monasterio cresceret tanta sanctitatis virtutibus augebatur, ut si quando missus fuisset ignem è vicino petere, ardentes prunas vestimentô deferret illæsô.* In Annal. Eccles. ad an. 188.

985. (b) Serapion. *De SS. Serapione, Antonio, Fructuoso, Eusebio, Dionysio, Spiridione, & aliis, de quibus hoc capite, an, & quâ ratione Elianæ posteritati accenseri possint, instruet lectio tomi secundi Annalium Carmelitarum. Vide quoque Notationem præviam in hunc librum secundum. Solemnizantur autem in toto Carmelitarum Ordine festa sub ritu duplici, tamquam ejusdem Ordinis, S. Dionysij Papæ die 19 Ianuarij, S. Serapionis Episcopi die 30. Octobris, S. Spiridionis Episcopi die 14. Decembris (in quo ad Officium, & Missam ista canitur Oratio:* Sancti Spiridionis Confessoris tui, atque Pontificis nos Domine festa tueantur, & sicut ille Religionis à Propheta Elia institutæ, orationibus & operibus fuit fidelis imitator &c.) *De istis peculiariter agetur in parte 4. hujus Speculi.*

(c) Titus, & Vespasianus. *Vespasianum in Carmelo fuisse, ut ibi certior fieret de eventu belli contra Iudæos, referunt quoque Tacitus, & Suetonius, agentes de Vespasiano, & Genebrardus scribens de Elia, & Oratorio illi in Carmelo dicato:* Ei (*scilicet Eliæ*) post mortem (*intellige post raptum*) Synagoga, sive Sacellum in Carmelo monte vulgato ipsius habitaculo, dicatum est, in quo vigebat Oraculum, de quo Suetonius in Vespasiano c. 5. Apud Judæam Carmeli Dei Oraculum consulentem Vespasianm, ità confirmavêre sortes, ut quidquid cogitaret, polliceretur. *Quod dicitur honoratos muneribus, qualiter intelligendum sit, dictum hic supra in Notis ad caput. 2. Chronici Thomæ Bradley num. 777. De Æde illa, seu Sacello* (Semnion *olim dicebatur*) *in quo Oraculum illud vigebat, vide parte 1. num. 100. & 108. Ejusdem sic paucis meminit Aubertus Miræus:* Post raptum, Oratorium, tanti vatis nomine decoratum in Carmelo dedicarunt.

(d) Qui licet ab institutione Eliæ fuerint primordialiter exorti &c. *Ista, & proximè antecedentia, ac subsequentia qualiter intelligenda sint perspicies Lector ex dictis hic supra num. 965. & seq.*

986. (e) Dionysius verò Papa... ex Monacho nostræ Religionis... *In toto Ordine Carmelitano festum ejus tanquam alumni ejusdem Religionis solemnizatur sub ritu duplici die 19. Ianuarij: in quo in Canonico Officio, Ecclesia authoritate approbato legitur:* * Dionysius imitatus sanctissimos illos monastici instituti Duces, qui ædificatis sibi casulis prope fluenta Jordanis, & turbis urbium derelictis, herbis agrestibus victitabant, Anachoreticam, seu monasticam, & verè propheticam vitam aliquamdiu egit, &c. *Eum Elianæ scholæ in Carmelo à S. Elia erectæ professorem fuisse plenius declaratur in Annalibus hujus Ordinis.* * Ad matut. lect. 4. To. 2. ad an. 274.

(f) Martyr, *circa hoc meritò notanda quæ in iisdem Annalibus scribit Lezana.* * Vitam martyrio consummasse elici videtur ex Martino Polono, Honuphrio, Wernero Rolevinck, Marco Guazo, & aliis, qui eum (martyrem) appellant; quibus favet Luitprandus in fragmentis fragment. 266. de eo dicens: (Qui tulit passionem) ita ut propterea etiam ab Ordine nostro martyris cultum habuerit. Cæterum, re accuratiùs perspectâ, * To 2. ad an. 272.

spectâ, cum martyrologio Romano, & aliis multis nonnisi ut confessor celebratur. Monuimus enim in superioribus sub ann. 194. & 220. martyris nomen olim tribui consuevisse non solum iis, qui violenta morte pro Christo passi occumbebant, sed & iis quoque qui fidei confessionis ergò cruciamenta aliquot subiissent; inter quos accenseri poterat Dionysius, qui plurimis exanthlatis laboribus inter Ecclesiæ persecutiones tolerandas, & hæreticorum errores profligando vitam finiit.

CAPVT IV.

Tempore Constantini magni in utroque sexu monastici Eliani Instituti celebres cultores.

987\. CIrca annos Domini CCCIX. ut dicunt Historiographi, & Vincentius in Speculo, Constantinus, (ex Constantio & Helena procreatus) multas in Christianos persecutiones exercuit. Divinâ igitur clementiâ per Baptismi lavacrum à lepra curatus, matrem suam Helenam ad inquirendum lignum sanctæ Crucis hortatus est. Igitur Beatissima Helena ad Angeli monitionem Jerusalem pergens, primò Sepulchrum Christi (quamvis difficultèr) invenit, sordidatum quidem, & desuper Veneris templum ædificatum: ubi cantibus virgines insistebant, ut in antiquissima chronica reperitur. Scribit autem Socrates Historiographus Græcus ipsum Domini Sepulchrum sacratissimum ab Helena inventum esse revelatione duarum Carmelitici Ordinis Sanctimonialium, ob gravem præcedentem persecutionem in spelunca latitantium. Tunc palàm apertô Domini monumentô, & Veneris templô destructô, invenit tres cruces, invenit & titulum, & clavos. Hæc ille. Rufinus verò scribit, quòd per Judæ confessionem Crux Christi sit inventa. Hinc (a) Helena Christianissima in eodem loco, scilicet Calvariæ, mirificam construxit Ecclesiam, statuens ibi monasterium virginum secundùm Carmelitanę Religionis institutum, ordinans Sanctimonialem nomine (b) Mariam, earum Matrem, & Abbatissam. Admiranda autem humilitate, & obsequiô hæc Regina Orbis, & mater Imperij his virginibus servivit, & famulatum Christi se famulam deputavit. Hæc Rufinus ut habetur libro 10. Ecclesiasticæ historiæ cap. 8. sic regina prudentissima fecit merita, quæ erant virginum Christi, sua; dum in eis dilexit, quod ipsa per integritatem carnis non servavit.

S. Helena Ecclesiam, & monaster. ædificat Ierosolymis.

(a) (b)

Ejus magna humilitas.

988\. Huic Mariæ successit Syncletices, de qua Vincentius lib. 17. Historiarum cap. 9. & Hieronymus in Vitas Patrum dicit eam fuisse Abbatissam. Deindè sancta Matrona. Postquè Sara tempore Theodosij senioris, de qua Vincentius lib. 17. cap. 9. Hæc post aliquod tempus à Beato Cyrillo Alexandrino Episcopo cum quibusdam Virginibus vocata est, ut præesset in loco novo juxta Nylum fluvium, non longè ab Alexandria (Virgine Dei Genitrice Mariâ locum ostendente) in hoc monasterio fuit Eufrosyna Virgo, de qua Vincentius libro 13. Historiarum cap. 51. Post Saram præfuit Virginibus quædam nomine Romana. Tunc virgo sancta, nomine Nonna, de qua libro 4. Vitas Patrum. Patres verò istarum Sororum in Ierusalem plures per successionem fuerunt, de quibus posteà dicetur. Renovavit insupèr sanctissima Mater Helena monasterium Fratrum (c) juxta Portam auream in honore sanctæ Annæ pridem fundatum. Similitèr monasterium Fratrum in monte Syon Ordinis nostri restauravit. Plura quidem tunc temporis monasteria Carmelitæ habuerunt in Terra sancta, scilicet in Bethleem (cujus (d) monasterij Pater fuit sanctus Hieronymus: & cum eo sancta Paula vidua, & Eustochium virgo sacratissima) in monasterio Jordanis ab Eliseo constructo (ut patet 4. Regum 6.) sanctus Joannes Baptista (ut dictum est suprà) fuit illorum Fratrum rector: qui & Christum in Jordane baptizavit: Discipuli ejus sunt ante descripti: in monte Effraim (de quo 4. Reg. 5.) in Jericho: in Galgala: in Bethel: in Samaria: in Nazareth: in Betania: in Valle Iosaphat: in Ebron: in deserto montis Quarentenæ propè fontem Elisei, ubi Christus tentatus fuit: in hoc monasterio fuit aliquandò sancta Paula Vidua (ut patet in legenda illius) hujus loci Eremitas Iacobus de Vitriaco in historia Orientalium singulari laude commendat: in Eremo quæ adjacet mari Galileæ, ubi Christus satiavit quinque millia hominum, nomine Walim à fundatore: in Civitate Achon, sive Ptolomaida Syriæ: in Tyro civitate Syriæ: in pede montis Libani, cujus planities irrigatur ex puteo aquarum viventium: antè portam civitatis Sareptæ Sydoniorum, ubi Elias obviavit viduæ. Et dicitur à Ludolpho, Eliæ conventus: in nobili Civitate Tripolitana, cujus planities irrigatur de fonte hortorum; in solitudine fontis hortorum, appellatum *Belli loci*, propter loci pulchritudinem. Extrà Terram sanctam: in Cypro apud Famagustam monasterium Beatæ Mariæ de monte Dei. Illud monasterium Helena sancta construxit, repatrians à Ierosolymis versùs Byzantium. In Thebaida civitate Hermopolitica, in quo sanctissimus Pater noster Onufrius in juvenili receptus est ætate. Post, acceptâ licentiâ, in solitudine montis Oreb LX. latitans annis, inventus est à sancto Pafnutio, & eô præsente spiritum Deo tradidit. In Nicopolis civitate Ægypti per sanctum Enoch Carmelitam fuit monasterium ædificatum. Porrò in monasterio circà Iordanem fuit à Priore loci (nomine Ioannes) receptus sanctus Zozimas, inventor sanctæ Mariæ Ægyptiacæ. Sed heu, decorem ablatum Carmelitanæ Religionis; quia propè hæc omnia loca in nihilum penitùs à Paganis sunt redacta.

Virgines sacræ Syncletices, Sara, & alia.

(c) (d)

Loca varia sectatorum S. Eliæ.

989\. ANNOT. (a) Helena ... monasterium Virginum Carmelit. Relig. &c. *In Annalibus Carmelitanis de S. Helena, & illo monasterio ista referuntur*: Huic etjam anno (326) historia illa de adventu Helenæ &c. *Et infrà*: Hujus sanctæ fœminæ auspiciis plura Prophetici, & Eliani instituti Cœnobia tum virorum, tum etiam fœminarum, erecta vel restaurata fuerunt. Primò enim Jerosolymam veniens sepulchrum Domini, quod

prius

prius inveniri non poterat, revelatione duarum Sanctimonialium, in spelunca quadam ob graves tyrannorum persecutiones latitantium, invenit. Ità enim tradunt historici nostri. Has verò Moniales Ordinis nostri fuisse conceptis verbis exprimunt ijdem, Bostius, & Palaeonydorus; nec mirum sanè, cum hoc aevo unicum solummodo Elianum, Essenum, & Propheticum extaret institutum. Quin addit Bostius: Habuerant enim praedictae Sanctimoniales pacis tempore suas mansiones prope praefatum locum, in humili structura, sed fervente persecutione passae fuerant tam devastationem loci, quàm dispersionem consororum suarum. *Plura ad hoc intentum videri poterunt dicto loco Annalium.*

(b) Maria . . . Syncletices ... Matrona ... Sara ... Romana ... Nonna ... Eufrosyna &c. *quòd, & quâ ratione ab historia Carmelitana ista aliena non sint, declarat idem tomus secundus Annalium Carmelitarii n. ...* De S. Syncletice *in Luitprandi fragmentis ista leguntur*: Videre potui vitam S. Syncleticis virginis, & Abbatissae Aegyptiae (cujus dies festus est quinta Januarij) hanc scripsit S. Pontifex Athanasius, ut quemadmodum Monachi habent Speculum in Antonio, sacrae virgines eam, tamquam Speculum, intuerentur. Dicitur fuisse mulierum Virginum Professionis Propheticae, & Carmeliticae Parens.

(c) Juxtà portam auream in honorem S. Annae. *De illo monasterio vide hic suprà num. 690.*

(d) Monasterij Pater, *id est, Rector Monialium. Hieronymum fuisse sectatorem Eliani Instituti de se testatur ipse in epistola ad Paulinum, agens de institutione Monachi, & primis auctoribus Monachorum (qualis ipse erat)* Noster, *inquit*, Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces Filij Prophetarum. *Quibus ista non sufficiunt pleniorem reperient instructionem tom. 2. & 3. Annalium hujus Ordinis ad annos ubi de S. Hieronymo sermo est.*

CAPUT V.

Saeculo quarto à Christi Nativitate illustres Monasticae Elianae vitae continuatores.

990. *Eliani Instituti illustres sectatores.* MAchario Episcopo Jerosolymitano defuncto, cujus tempore Helena sancta Dominicam Crucem invenit, successit sanctus Maximus XL. Patriarcha Jerosolymitanus. Istius temporibus sanctissimae vitae Patres Elianae Religionis maximi zelatores in diversis eremi locis conversantes, totum Orbem virtutibus, & sanctitate illustrabant. E quibus (a) Hilarion ad duos menses Antonij magni Discipulus, indè Palaestinam veniens, eremum Carmeli, & alia plura solitaria loca incoluit circa annos Domini CCCXX. tandem in Regno Cypri post multas exercitatas, & patratas virtutes diem clausit extremum anno Domini CCCLXXII. ut testatur Vincentius in Speculo historiali libro 15. cap. 19. & 45. Inter alios autem Carmeliticae Religionis clarissimos Patres clarus effulsit his temporibus nominatissimus ille & magnus (b) Basilius nobili genere Cappadociae genitus, cujus vitam discipulus ejus Amphylochius Episcopus Iconiae Doctor Graecus, Zozomenus, & Socrates duo Historiographi idiomate Graeco, Rufinus verò, & Platinus Rhetor in Latino interpretes, seu translatores diligentèr conscripserunt. Hic Basilius vir sapientissimus, & continentissimus patriam relinquens, & Athenas veniens, abstinentiâ & castitate valdè decorus, vas sapientiae Eubolum praeceptorem Graecorum adijt: dedidque sese adeò doctrinis, ut admirandus esset in scholis, universis Atheniensium Magistris. Igitur vigintiquinque annis moram habens ibi, & omnem Graecam Philosophiam adeptus, nec invenire per ipsam Creatorem omnium valens, anxius fluctuavit; sed paulò post nocte vigilantem eximius circumfulsit splendor ab extrà monens, & illuminans ab intrà. Ob id statim Aegyptum petens invenit quemdam Eremitam virum Christianissimum atque doctissimum, incolam quondam montis Carmeli, nomine Porphyrium. *Atque alij.* Hic dedit ei sacri Canonis libros ad legendum, ad scrutandum Divinae sapientiae arcana. Ibidem annô expletô rediens Athenas praeceptori suo Eubolo Christi donavit cognitionem. Tunc pariter Jerosolymam venientes cum magna devotione Christianae Fidei, ab Episcopo Maximo in Jordane baptizati sunt, praesentibus Cyrillô Diaconô, & Joanne montis Carmeli eremitis. Et eccè dum baptizarentur, fulgor ignis venit super eos, & columba aquam Jordanis turbans revolavit in coelum. Admirans autem Episcopus Basilij in Deum dilectionem orans vestivit eum Christi resurrectionis vestimentô, posteà Eubolum. Post haec in Carmelo commorantes communi consensu Antiochiam intraverunt. Illic erat tunc Patriarcha nomine Meletius, à quo Basilius dignus reputatus consecratus est Diaconus. Hinc cum Eubolo intravit Cappadociae regionem; nocte praeteritâ antequam venirent Caesariam, revelata fuerunt per visionem Eusebio Episcopo eorum nomina, & quia deberet Basilius ipsius fieri successor. Admirans autem Episcopus in Basilio pelagus profundissimae sapientiae, vocatis quibusdam montis Carmeli Fratribus, in monte Didimi eis monasterium constituit, cum quibus Basilius omni humilitate conversando post mortem Eusebij meruit provehi ad summum in Caesaria Sacerdotij gradum. Iste est (c) Basilius, qui Monachorum instituta duplici sub forma composuit. Una est per modum Dialogi: & hanc ejus confratres Carmelitae in monte Didimi assumpserunt, & eundem in Patronum eligentes de Ordine sancti Basilij vocati sunt. Alia per modum communis admonitionis quam sanctus Joannes XLIV. Jerosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. In hac Carmelitae vixerunt quousque ab Alberto compendiosam Regulam acceperunt.

(a) *S. Hilarion.* (b) *S. Basilius.* (c)

991. Praedictis etiam temporibus claruit Prior montis Carmeli sanctus Eutitius. Hic convertit Meletium (Antiochenum post Episcopum) ad Christi fidem, & eidem habitum, & normam Ordinis dedit. Iste etiam sanctum Basilium in monte Carmeli ad prophetalem institutionem acceptans, sanctae Religionis habitu investivit. Circa haec tempora Gregorius Basilij germanus in monte Didimi Prior ordinatus, posteà Nissenus, aliàs Emisenus, fuit Episcopus. In eodem loco etiam frater Basilij Petrus cum Eubolo & Amphylochio conversatus

versatus est. Iisdem temporibus magnus ille Gregorius Nazianzenus Episcopus in Montanis nigris sanctæ Carmeliticæ Religionis habitum, & vivendi normam cum suo Discipulo Eutropio, post Episcopo, & martyre, suscepit. Echitius Discipulus Gregorij Nazianzeni & Eraclides Monachus eodem tempore sub institutione Carmelitarum fuerunt instituti. Sic & Cyrus Alexandrinus Philosophus & Medicus. Deinceps * Joannes Damascenus in Constantinopolitana civitate per Carmelitas conversus se laudabilem in eorum Religione in omnibus exhibuit. Huic beata Virgo abscissam restituit manum.

* Ioan. Damasc. floruit circa an. Christi 720.

992. Fuerunt & tunc in sexu fœmineo plures sanctæ fœminæ in diversis locis Ordinis nostri. Istarum una fuit sancta Melania vidua, vigintiquinque annis in Monasterio Dominici Sepulchri cum quinquaginta virginibus Deo serviens. Hæc Evagrium posteà Carmeli montis Monachum febricitantem curavit, eum ad propositum sanctæ vitæ inducendo. Similitèr & Afra per sanctum Narcissum conversa, quæ in igne martyrium celebravit: in cujus sepultura mater ejus Hilaria cum tribus puellis, Digna, Eumenia, & Euprepia flammis per infideles trucidatæ sunt apud Cretam. Illis temporibus fuit Domitilla Neptis Domitiani cum Eufrosina, & Theodora, & multis aliis in una domo combusta. Constantia etiam filia Constantini Carmelitanâ institutione imbuta exemplô sanctitatis aliis præfuit. Et licet per Historiographos non scribantur fuisse Religionis Carmeliticæ, tamen temporum congruentiæ consentiunt, & Ordinis Carmelitarum historiæ, sub institutione Carmeliticæ Religionis easdem vixisse.

993. ANNOT. (a) Hilarion. *S. Cyrillus (de quo vide hic supra pagina 4. num. 9. & seq.) in Epistola ad Abbatem Ioachimum, quæ præfixa est ipsius Oraculo Angelico, sic scripsit de S. Hilarione*: Igitur cum pro veneranda celebritate B. Hilarionis, co-eremitæ nostri quondã, sacrarũ missarum solemnia inchoassem cum fratre Eusebio comite, &c. *En Carmeli eremitam Cyrillum; Hilarionem co-eremitam sibi nuncupantem. Ipsum autem aliquando Carmelum incoluisse confirmat ejusdem elogium, seu Epitaphium ex vetustis Græcorum monumentis erutum à diligentissimo antiquitatis scrutatore Auberto Miræo, in libro de Ortu, & incrementis Ordinis Carmelitani capite 6.*

Hilarion Tabathensis Palæstinus, natu Gentilis,
Alexandriæ Christum cognoscit.
Bimestris Antonij discipulus. Eremi cultor.
Essenorum dispersorum, in Carmelo Palestin.
Reparator magnificus.

Hinc in antiquis Ordinis Kalendariis, & tabulis 21. Octobris notatur: Hilarionis Confessoris Ordinis nostri.

(b) Basilius. *Istum quoque, & alios, atque etiam Virgines sacras, de quibus hoc capite mentio est, Elianum Institutum quadam ratione sectatores fuisse, ostendit, & confirmat tomus 2. & 3. Annalium Ordinis: Vide etiam Notationem sub finem libri primi hujus fasciculi tripartiti.*

(c) Basilius monachorum instituta composuit . . . Joan. XLIV. Jerosol. Episc. suô librô (*scil. qui inscribitur* de institutione primorum monachorum) inseruit & Carmelitis tradidit: *Circa ista vide hic supra in Notis ad Viridarium Ioan. Grossi num. 577. & 610.*

CAPUT VI.

Circa Honorij & Arcadij Imperatorum tempora (a) Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymorum, & alij utriusque sexûs Carmelitici Ordinis sanctissimè viventes claruerunt. (a)

994. (b) Tempore Honorij & Arcadij Imperatorum circa annos Domini CCCC. fuit quidam nominatissimus montis Carmeli Eremita sanctæ, religiosæquè vitæ, nomine Joannes. Hic in juvenili ætate videns, quàm raræ sint veræ amicitiæ, fallaces amores, omniaque esse caduca, & transitoria; pecuniam, mundum quoque adeò contempsit, ut Eremum montis Carmeli peteret, quô se credidit à parentibus facilitèr posse celari. Ubi Deo ab adolescentia serviens, tantâ emicuit humilitate, ut ipsi quoque seniori (c) Cyrillo Priori loci, illius obedientia stuporem incuteret. Post hæc Cyrillo ad Patriarchatum Jerosolymorum assumpto, Ioannes eidem in Prioratu successit. Porrò Cyrillus ipsum Ioannem ad civitatem Ierosolymitanam accersitum Archidiaconum suum ordinavit, & statim (d) monasterium Sororum Dominici Sepulchri coactus est recipere gubernandum (hoc enim erat officium illo tempore Archidiaconorum) tunc juvenis quidam, (e) Theonas nomine, parentum quidem imperiô vinculum subiit conjugale, in quo unius lustri tempore permanens, uxoris assensu, relinquens mundum Ioannis discipulatui adhæsit. Quippè dum ipse cum uxore sua inter cæteros Israëlitas decimas suarum frugum, atque primitias in Ierusalem, secundùm statutum suæ devotionis, Deo offerret, sanctus Ioannes utriusque in Deum cor ardens perpendendo, cœpit pro temporalibus ipsis spiritualia seminare: sicque iàm uxorem, quàm ipsum ad contemptum terrenorum provocavit. Deinceps Ioannes, Cyrillo defuncto, dum ad Patriarchatum Ierosolymitanum esset assumptus, * Evagrius ei successit in Archidiaconatu. Evagrio autem primò Lectore per Basilium, indè presbyterô per Gregorium Nazianzenum ordinatô, cum spiritu propheticô tunc clarus haberetur, Antiochenus Patriarcha constitutus est. Quapropter Theonas (de quo jam diximus) Archidiaconatum in Ierusalem post illum suscepit. Ad istum Theonam venit Serapion Eremita Carmelita factus, qui tantâ effulsit perfectione, ut postmodum decem millium Pater in Ægypto fieret Monachorum. Hic Theonas trium linguarum peritissimus (teste Vincentio lib. 20. cap. 9. histor.) fuit. Hic, secundùm Hieronymum XXX. annis continuis tacuisse fertur. Posteà resignans Archidiaconatûs officio, memor Elianæ Religionis, à Ioanne prædicto sibi declaratæ, effectus est Pater trium millium Monachorum in Vitas Patrum lib. 1. cap. 19. Huic

(b)
(c)
(d)
(e)

Ioannes ex Carmeli incola Ierosolymitan. Antistes XLIV.

* De Evagrio, quis & qualis fuerit Lezanato, 2 Annal. Carm. ad an. 386. n. 12.

Huic Ruffinus in Archidiaconatu successit. Ruffino verò successit Enoch: posteà XLIX. Patriarcha Jerosolymitanus.

995. De Joanne verò prædicto habetur libro 2. Ecclesiasticæ historiæ sic. * *In Ierosolymis post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparavit sedes.* Undè Prosper Aquitanicus. *Ioannes Monachus ob vitæ puritatem, & prophetiæ gratiam quam à Deo meruit, illustris habetur: qui Ierosolymis post Cyrillum Ecclesiam cepit gubernandam.* De hoc Gennadius de illustribus viris ità refert. *Ioannes Episcopus scripsit librum, in quo probat se non Origenis fidem, sed dogmata secutum.* Ad hunc Joannem Lucianus presbyter fuit missus. Undè Sigibertus in chronica anno Domini CCCCXXVII. *Ioannes Sanctorum corpora Stephani, & Sociorum ejus transtulit in Ierusalem.* De hoc Vincentius in Speculo histor. lib. 20. c. 7. Scripsit verò ipse Joannes ad instantiam Fratris Caprasij Prioris Carmeli librum *de Institutione Monachorum in Lege veteri exortorum & in nova perseverantium*, sicut testatur Cyrillus Doctor Græcus, Prior Ordinis nostri Generalis in Epistola ad

(f) (f) Abbatē Joachim tempore Innocentij Papæ tertij. Hujus in libri disciplinâ, & institutione Carmelitæ sine Paganorum insultu vixerunt, amplioribus dilatati monasteriis, usque ad tempora Heraclij Imperatoris. Iste est * Caprasius qui postea tempore persecutionis Hæreticorum Eutychianorum misit discipulos suos ad defensionem Orthodoxæ fidei Liberatum & Felicem ad Africam, Simplicianum ad Italiam, Romanum ad Constantinopolitanam urbem. Quidam verò opinantur istum Romanum sancto Benedicto habitum monasticum tradidisse. Timotheum verò Caprasius misit in monasterium montis Neroij, ut Fratres ibi contra Eutychianos defenderet. Hujus Timothei discipuli fuerunt Martyrius, Ninulphus & Simeon Antiochenus, de quo Vincentius lib. 21. cap. 51. histor. ponit. Quod à Timotheo receptus inimitabilem duxit vitam.

(g) (g) Tandem Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus plenus sanctitate, post paraliticorum curationem, cæcorum illuminationem, solvens debitū, viam transijt universe carnis an. Domini CCCCXXXII. pridie idus Januarij.

* Verb. ejusdem sensûs habet Ruffinus l. 2. c. 21.

* De Caprasio illo accuratè agitur tomo 3. Annal. Carm. vid. Indic. rerum.

996. Huic successit in Episcopatu vir Catholicus Juvenalis Comes sancti Cyrilli Alexandrini in Concilio Ephesino. Hujus Juvenalis successores tres Ecclesiam Jerosolymitanam valdè destituerunt, quos Dei vindicta brevi tempore substraxit è medio, & rursus pius Dominus per Carmelitam Enoch XLIX. Episcopum Jerusalem restauravit, singula reformando. Plures etiam doctissimi viri

(h) (h) Joannem Chrysostomum Carmelitanæ Religionis institutionem habuisse affirmant, & cum ipsis in Religione fuisse conversatum. Hic à Miletio (de quo suprà diximus) Diaconatûs gradum, ab Evagrio Præsbyteratum suscepit. Vincentius lib. 18. histor. cap. 42. & 44. tandem verò Episcopus Constantinopolitanus ardore solis tabefactus in exilio martyr effectus est. Joannem autem Cassianum discipulum suum ex Constantinopoli trusit, qui juxta Marsiliam duo monasteria, unum virorum, aliud fœminarum instituit, Elianæ Religionis imitator usque in finem vitæ. Vincentius lib. 20. histor. cap. 14. & 15.

997. ANNOT. (a) Joannes XLIV. Patr. Jerosol. *Vocatur* Patriarcha, *eò quòd Episcopatus ille postmodum Patriarchalis tituli honore insignita fuerit (sic etiam S. Cyrillus, de quo capite sequenti nuncupatur* Patriarcha Alexandr.) *De isto Ioanne, & libro per modum Regulæ ab ipso scripto, & huic Ordini tradito, frequens fuit mentio in antecedentibus, peculiariter in parte prima num. 2. & 3. Reliqua quæ hôc capite attinguntur pleniùs digesta, discussa, & illustrata reperiuntur in tomo 2. & 3. Annal. Ord. Carm.*

(b) Tempore Honorij & Arcadij. *Vide hic sup. n. 293.*

(c) Cyrillo. *Lezana in Annalibus circa illum Cyrillum annotat.* Plurium nostrorum historicorum concors sententia est, Monachū, imo & Carmeli incolam aliquandò fuisse. *Et infrà:* Hunc Cyrillum Monachum, & Carmeli cultorem haberi non alia ratione sustinendum credimus ... nisi quia in crebris illis à sua sede expulsionibus cum Monachis in aliquo monasterio, Carmelo etiam forsan, monasticam vitam duxerit, ut propterea Historici nostri id traditum cernentes Monachum, & Eliæ sectatorem nuncupaverint.

(d) Monasterium sororum Domini sepulchri. *De eo tractant Annales Ordinis tomo 2. ad annum Domini 326. Vide etiam hic supra Notas ad caput 4. num. 989.*

(e) Theonas: *De illo, & de Caprasio, atque aliis, de quibus hoc capite agitur, an, & quo jure accensendi Elianæ posteritati sigillatim tractant iidem Annales Carmelitani. Vide etiam Notationem præviam hic supra nu 965. & seq.*

(f) Ad Abbatem Joachim. *Legendum* ad Eusebium. *Vide in parte prima num. 293.*

(g) Tandem Joannes .... anno Domini CCCCXXXII pridie idus Januarij. *Lezana tomo 3. Annal. obitum Ioannis refert ad annum Christi CCCCXVI. Quo ad diem omnes conveniunt, fuisse 12 Ianuarij, ad quem à Molano, & aliis insertus Martyrologiis legitur. Vide hic suprà sub initium partis 1. num. 3.*

(h) Joannem Chrysostomum. *De ejus Monachatu quædam dicta sunt hic supra nu. 967. Plura ad hoc intentum videre licebit tomo 2. Annalium Carmelit. Inspiciendus index rerum verbo* Joan. Chrysost.

CAPUT VII.

Sanctus Cyrillus ex Carmeli incola Patriarcha Alexandrinus monasterium Puellarum construxit, hæreticum Nestorium devicit.

998. Temporibus prædicti S. Ioannis mortuo Patriarchâ Alexandrinô Theophilô (cujus mentio sæpè fit in Vitis Patrum) (a) an. Dom. CCCCIII. Cyrillus Eremita montis Carmeli, Episcopus Alexandrinus XXVIII. ordinatur, vir vitæ sanctissimæ, fideique catholicæ fidelissimus propugnator strenuusque Hæreticorum debellator; fuit verò contra Timotheum (qui ad Patriarchatum aspirabat) totius populi assensu assumptus. Hic apud Alexandriam nedùm claris, sed & christianis ortus parentibus ab avunculo suo Theophilo Athenas missus, ibi adeò profecit, ut in brevi adipisceretur Doctoris insignia. Audiens autem S. Joannis in Jerusalem bonam famam, dum ipsius præsentiâ aliquamdiu fruitus fuisset, junctis Fratribus Carmeli in Religione, Speculum dedit illis fulgentissimæ sanctitatis (teste Arnoldo de Villa nova sacræ Theologiæ Professore in (a)

S. Cyrillus Patriarcha Alexandr. ex Carmeli incola.

Epistola Regi Aragoniæ missa.) Idem habetur in historiis Jerosolymitanis, & in historia Alexandrina, & in ea, quæ dicitur Tripartita. Testantur idem plures aliæ Græcorum historiæ. Similitèr Joannes Cassiodorus. Sic & (b) Joannes de Hisduno in explanatione illius: *Datus est ei decor Carmeli.* Idem dicit Thomas Episcopus (c) Norwicensis, & Thomas Waldensis Anglicus contra Witcleff hæreticum in libro de Sacramentalibus. Dominus etiam Ivo in magno volumine Decretorum, seu Conciliorum, ex quo Gratianus plurima sumpsit.

999. Deindè Cyrillus, sumptâ licentiâ Prioris, longâ Religionis institutione exercitatus, venit Alexandriam, ubi presbyter ordinatus est. Post hoc Pontifex factus statim Renocianorum, idest, Nestorianorum Ecclesias claudens vasa earum Ecclesiarum dirumpens, Episcopum eorum Theoponpum rebus omnibus spoliavit. Judæos quoque propter plures turbationes ab illis patratas extrusit de Alexandria pellendo. Hinc super Nylum, Dei Genitrice jubente, monasterium Virginum sui Ordinis collocavit (ut suprà * dictum est) adeò autem illud in brevi accrevit, ut in eo centum & viginti cellulæ haberentur. Claruit autem in illo Eufrasia virgo sanctissima XI. anno vitæ suæ velata, quæ cum multis clarisque virtutibus, atque miraculis fulgeret, trigesimô vitæ suæ annô, tertiô idus Januarij quievit in Domino. * Prima verò mater illius monasterij fuit sancta Sara, vocata de Jerusalem (de qua sæpè fit mentio in vitis Patrum) circa eadem ferè tempora floruit magnus & Divus Pater Hieronymus alter Elias, & Baptista Joannes, institutorum eorundem maximus amator, & cultor, rector Sanctimonialium in Bethleem, Ordinis Eliani. Hujus sanctissimi Hieronymi defuncti, & Joannis Baptistæ similitudines vidit Cyrillus Alexandrinus (teste Cyrillo Jerosolymitano de miraculis ejusdem ad Beatum Augustinum.) Paula etiam, & Eustochium fœminæ sanctissimæ, atque doctissimæ, cum cæteris virginibus Ordinem Eliæ tunc illustrabant. Fuerunt & Discipuli Hieronymi sanctissimi multi, inter quos Eusebius & Philippus Elianæ Religionis zelatores ferventissimi.

S. Cyrilli gesta heroica.

* Num. 988

* Colitur 13 Martij.

1000. Hic ergo Cyrillus Doctor Græcus Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Alexandrinus Patriarcha ex mandato Domini Cœlestini Papæ primi (jubente Dei Genitrice) locô ejus in Concilio Ephesino præsedit contra Patriarcham Constantinopolitanum Nestorium. Hujus Nestorij Diaconus, Anastasius nomine, vir certè doctissimus fuit, sed non prout oportuit. Hic ad populum sermonem faciens ait: Dei Genitricem Mariam nullus dicere præsumat, quoniam Maria homo fuit, & Deum ab homine generari nimis est impossibile. Cui Nestorius consentiens idem publicè prædicavit, affirmans veritatem ità se habere. Undè nata est magna in populo Christiano divisio. Introduxit etiam idem Nestorius in Ecclesiam Dei Pauli & Fortunati doctrinam dicens. Ego Nestorius nunquam, qui fuit duorum mensium, vel trium confitebor Deum, innuens Christum tantummodò hominem esse. Cujus sententiam plures secuti Episcopi magnam fidei turbationem suscitavêre. Tunc Cyrillus librum de origine & parentela Virginis producens in medium, disputavit, Mariam veracitèr dicendam Theotocos, & ob id conceptam & natam absque quavis peccati labe: temerarium esse asseverans in ea aliquam maculam extitisse origine vel actione. Utraque hæc Nestorius negando, & refellere conando blasphemabat. Sed à Cyrillo, & Patribus Concilij obstructum est os loquentium iniqua, & vera Ecclesiæ fides in Concilio præfixa est, ac determinata. Unde (d) Richardus Dumelensis Episcopus cap. 10. sui libri Philobibon. *Ariana*, inquit, *malitia totam ferè ecclipsavit Ecclesiam, Nestoriana autem debacchari præsumpsit in Virginem, atque non tàm nomen quàm diffinitionem Theotocon abstulisset, nisi miles invictus Alexandrinus Monarcha Cyrillus congressus ejus inanes exsufflasset.* De isto Concilio habetur in Decretis dist. 16. cap. *Sacrosancta.* Hic notatur primò antiquitas ejusdem Concilij, & nostri Ordinis, quô tempore, quô Patriarchatû, cujus Præsidentiâ. Secundò, motivum congregationis, scilicet duplex blasphemia, & error, scilicet Virginem esse peccato contaminatam, & eandem nec Dei Genitricem dicendam fore. Tertiò elucidatio parentelæ Virginis. Quartò defensio, & diffinitio Concilij. Quintò condemnatio Nestorij, & demùm confirmatio Tituli Ordinis nostri: nam ex eo quod Cyrillus tàm gloriosè defensavit gloriam Christi & Matris ejusdem, sancitum fuit, quod Titulus sui Ordinis, quô dicebantur Fratres B. Mariæ de monte Carmeli, Ordini esset adscribendus. Tandem cum Patriarchatum XXI. annis gubernasset, quinto Kal. Februarij felicem spiritum Deo reddidit.

Præsidet in Concilio Ephesino, locô Papæ Cœlestini.

Nestorij impij dogmata refellit.

B. V. Mariâ Dei Matrem esse confirmat.

1001. ANNOT. (a) Anno Domini CCCCIII. Cyrillus Eremita montis Carmeli. *Legendum potius* An. CCCCXII. *De isto S. Cyrillo vide hic supra nu.* 590. 611 *nec non* 741. & 747. *De gestis ejus, & de cæteris viris, ac fœminis, de quibus hoc capite 7. pleniorem instructionem reperiet Lector tomo* 2. & 3. *Annalium Ordinis.*

(b) Joannes de Hisduno (*verisimiliter legendum* de Hisdinio, *de quô hic supra num.* 788. & 792.

(c) Norwicensis: *potius* Dromorensis: *natione seu habitatione* Norwicensis: *de quo hic supra num.* 757 *fuit autem Vicarius Generalis Episcopatûs Norwicensis, etiam Episcopalia exercens munia.*

(d) Richardus: *à Trithemio nuncupatur* Richardus de Burij Episc. Dilmelmensis Eduardi Anglorum Regis III. Cancellarius, in Divinis scripturis studiosissimus.

CAPUT VIII.

Cur Elianæ Carmeliticæ Religionis alumnis in novo Testamento titulus hic adscribatur: Fratres Beatiss. Mariæ Virginis de monte Carmelo.

1002. Tactâ occasione in capitulo præcedenti de Concilio Ephesino titulû nostrum Ordini Eliano ritè & justè impositum esse probanti, videndum restat (incidentalitèr quidem fateor) de hujusmodi tituli veritate. Sicuti

Sicuti suprà capitulo tertio primi libri digessimus, Pater omnis Religionis atque Monachorum, Eremitarumque Elias extat, singularis, tum nomine, tum origine, Princeps Carmelitarum existit, pluribus convenientiis conformitèr ad hoc se adaptantibus. Ità æquè (a) pari, & simillimâ formâ Dei Genitrix; (a) Cœli Regina Maria omnium veracissimè Christianorum universalis Patrona est, & Mater, peculiaritèr verò omnium Eremitarum, & Religiosorum, peculiarissimè tamen Carmelitarum Ordinis nedum Mater, & Patrona, verùm & * Soror usque in hunc diem habita est. Nec abs re; nam quidquid unquam in Carmelo decoris, & sanctitatis emicuit, Venerandissimæ Dei Genitrici adscriptum, vel adscribendum venit. (Vide Bernardum super illo verbo Isaiæ, *Datus est ei decor Carmeli*) quin etiam ab Elia, & ejusdem Successoribus illi donatum, & à sancta Sede Apostolica adjudicatum est.

* Vide hìc sup. n. 249.

1003. Hic notare congruum duxi Titulum Patronatûs ex variis oriri causis, atque assumi initiis. Aliquandò à Fundatore patrono activo, velut Cœlestini, Wilhelmitæ; quandòque à passivo electo, ut Basiliani, Benedictini; interdum à loco, ut Carthusienses, Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses: aliquandò ab Ecclesijs, vel Ecclesiarum Patronis, in quorum honore Ecclesiæ sunt fundatæ, ut Ordo Dominici Sepulchri: quandoque à Patronis, in quorum honore Ordines sunt instituti, ut S. Trinitatis. Pariformitèr traditum tenemus à Patribus Eliam esse Patronum Ordinis Carmelitarum, tanquam ejus primum Institutorem & Auctorem; eò quòd, juxta sanctiones Patrum Ordinis nostri, hanc Religionem primitùs in monte Carmeli fundaverit; de quo latiùs in primo libro superiùs diximus. Super hæc tradiderunt nobis Seniores nostri (veluti in eodem primo libro tactum est) Mariam Virginem futuram Christi Matrem ab Elia primò, hinc ab Eliæ Successoribus ab illo edoctis, * electam fuisse in Patronam sui, atque suorum posterorum. Quod tempore gratiæ devotè impleverunt eorum sequaces, Capellam primi fundantes in ejus honorem, ut in libro primo dictum est.

Patronus undè dicatur.

Elias quâ ratione Patronus Carmelitarum.

* Vide parte 1. lib. 6. cap. 1. & seq.

1004. Ad hoc autem quod sit Patrona passiva peculiarissimè Ordinis Carmelitarum Dei Genitrix Virgo Maria, redduntur à Majoribus nostris plurimæ rationes, quarum aliquas recensendas congruum duxi. Prima propter primariam Ordinis Carmelitarum in laudem Virginis Mariæ institutionem: nam Elias eorum Monarcha in monte Carmeli orationi incumbens, dum septimâ vice de mari nubecula conscenderet, septimâ ætate Virginem nascituram, & Filium Dei parituram intellexit. Ex tunc * in virginitate sua & Elisei, ac plurium Filiorum Prophetarum ad honorem ejusdem Virginis, in Carmelo Religionem fundavit. Istud valdè ad longum declarat Joannes XLIV Episcopus Jerosolymitanus. Sic ergo Elias ad nasciturae Virginis, & Deum pariturae honorem, primordialitèr Ordinem prædictum in monte Carmeli locavit. Secundò pro se, & suis in Patronam suæ Religionis elegit. Tertiò in Sororem copulavit. Quartò Discipulis suis eandem desiderare, & virginitatem servare persuasit. Qui tempore Legis gratiæ Successores eorundem legitimè proficientes, sunt à beata Virgine quasi in recompensam (secundùm scripturas plurium eruditorum Virorum) præsentialitèr visitati, spiritualitèr eruditi, Fratres appellati, in adversitatibus quoque consolati. Nam, secundum sanctissimi Eliæ institutionem Fratres in nova Lege eandem Virginem Mariam Dei Genitricem * Sororem appellabant, in Patronam adoptabant, specialibus obsequiis deserviebant, & in ejus honore Ecclesiam construebant. Ut ergo Virgo Maria in mundo nata gauderet, & honoraretur de sua propria & singulari Religione, Elias suam Religionem in ejus honore instituit.

Ordo Carmeli ab Elia inchoatus ad honorem Virginis Deiparæ.

* V. p. 1. l. 6. cap. 1. n. 215. 217.

* Vide nu. 224. & 866

* Vide nu. 249.

1005. Secunda ratio à Patribus inducitur, quæ dicitur conformitatis, scilicet virginitatis primitivæ; quia ambo tàm Elias quàm Sacratissima Dei Mater permanserunt virgines primicerij virginum. Elias in veteri Testamento, Virgo gloriosissima in novo Testamento, primi virginitatem suam Deo consecraverunt. Ambo virginitatem verbô, & exemplô cæteros docuerunt, & spontaneè virginalitèr viventes, finalitèr virgines permanserunt. De hoc similitèr Joannes XLIV. exquisitissimè disputavit, propter quod censeo hîc esse breviandum. Tertia ratio propter consanguinitatem, idest, ex conformitate cognationis. Nam ut Epiphanius Episcopus Cypri dicit, Elias de nobili summi Pontificis Aaron prosapia, * sicut & Virgo Maria, originem traxit; successio verò cognationis humanæ naturalem trahit amorem; *Nemo enim carnem suam unquam odio habuit*, ait Apostolus. Cæteris enim paribus, velut Patres scribunt, sanctus quisque cognatos suos scientiâ & virtute alios præcellentes licitè potest, imò debet ipsos aliis præferre. Sic Salvator in Apostolos elegit cum cæteris cognatos suos Joannem Euangelistam, & Jacobum &c. Pariformitèr Virgo Maria sciens Eliam religiosissimæ vitæ fuisse, & Successores suos simili modô instituisse, prætulit Religionem Eliæ & institutionem, tam Samueli quàm cæteris, qui ante Eliam religiosæ & propheticæ vitæ animum dederunt. Quarta ratio ex prædicta ortum habet, scilicet ratione hæreditariæ successionis. Nam jure hæreditariô prædictæ cognationis Maria sacratissima, nedùm Carmelum, sed & cuncta monasteria, universaque Ordinis Carmeli temporalia, sicut & spiritualia, velut naturalis Eliæ hæres, ritè suô nomine vendicat, atque possidet. Et *quia* (juxta Justiniani civilium legum sanctionem) *ubi successionis est emolumentum*; *ibi & tutela onus esse debet*, rationique congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. Igitur beatissima Maria, cujus possessio est in Carmelo, jure hæreditariô se Carmelitarum Advocatam, Patronam, atque Tutricem fidelissimè exhibuit.

* Vide nu. 557.

1006. Quinta ratio venit ex loco. Quippè sicut (teste Hieronymo) Rachel Bethleemitanæ civi-

civitatis, & finium ejus est Mater (juxta Prophetiam Jeremiæ) quia juxta Bethleem sepulta legitur. Cur non magis Patrona, quin amplius & Mater dicenda venit montis Carmeli Virgo Maria, & in eo habitantium, ex quo juxta Carmelum Eliæ, scilicet in Nazareth nata est, atque nutrita, suâ quoque dulcifluâ conversatione, ac Dei & sui Filij conceptione non tam Carmelum, & confinia ejus illustraverit, quàm consecrata reddiderit. Sexta ratio habetur ex Virginis Mariæ * personali visitatione. Ipsa enim in nova Lege tanquam Magistra Religionis, schola virtutum, ac legislatrix, ut soror & Patrona priùs prævisa, & adoptata, visitando Fratres in monte Carmeli, in mysteriis fidei, & perfectæ Religionis continuatione, ipsos instruxit, instituit, & innovavit. Nam teste Hieronymô, * Nazareth à Carmelo tribus distat milliaribus tantùm. Annales enim, & Patrum nostrorum historiæ plenæ sunt, quòd ab initio, & per incrementa temporum, Carmelicolas visitando, unicè syncerissima Virgo Maria semper adoptavit. Nec dubium est ob veterem loci sanctitatem, eam sæpe numerò cum suis Sodalibus Carmelum visitasse (teste Armachano.) Erat ergo huic Ordini soror, nomine Maria, quæ dum de Nazareth in Montana Carmeli conscendere statueret, sive vellet, pluries dixit Filio suo. *Vadam, & narrabo nomen tuum Fratribus meis*, Patris Eliæ Filiis. Et quid putas Ordo Carmeli responderit? utique illius sanctissimæ Elizabeth verbum. *Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* atque illud verbum institutoris Eliæ. *Mulier da mihi filium tuum.* Undè Martinus Italus. *Ad eos autem qui ineunte tempore superioribus ex Prophetis originem traxerant, sanctam Dei Genitricem, cùm in humanis ageret, sicut Matrem ad filios, sæpenumerò venisse legimus. Ad istiusmodi etiam viros Christum cum Discipulis quibusdam pervenisse didicimus.* Hæc ille. Septima ratio est primaria Ecclesiæ à Fratribus Eliæ in monte Carmeli in Virginis honore constructio. In eo videlicet loco, ubi dicerant eam cum Sodalibus suis sæpè moram traxisse. Undè Martinus Italus. *Præterea quoque Prophetarum Filij sacram ædem nomini Virginis, postquam in Cœlo fuit assumpta, primi dedicasse perhibentur.*

Nazareth vicina Carmelo.

* Vide nu. 224. & 866

* Vide nu. 103. & 865

Quem B. Virgo Maria aliquandò visitavit.

1007. Octava ratio sumitur ex Prophetarum fidelitate, Deus enim, qui mentiri non potest, quod promisit, infallibilitèr implevit. Teste enim Bernardo Doctore mellifluo Isaias de Virgine Maria præconium proferens ait. *Datus est ei decor Carmeli*; igitur uti decor conchæ est pulchritudo Margaritæ, ità æqua forma decor, nedum Carmeli, sed & cujuslibet loci est cœtûs insignium personarum talem locum inhabitantium. Nec enim propter locum gentem, sed propter gentem locum eligit Deus. Igitur ut Propheta Dei fidelis inveniretur, *decor Carmeli datus est ei*, scilicet cœpta in Carmelo Religio, servata quoque diutinè cum derivatis ex eo monasteriis innumeris insignium utriusque sexûs personarum; atque sic meritò gloriosa Virgo Carmelum sibi datum cum omni decore illius vendicat sibi. Præterea Salomon in Canticis Spiritû sanctô plenus de ipsa protulit dicens. *Pulchra es & decora charissima, caput tuum ut Carmelus.* Quæ verba cum sint de universali Ecclesia dicta, etiam ad litteram secundùm majores litterales Expositores, & Virgo sacratissima sit Ecclesiæ nedum membrum, sed & post caput Ecclesiæ Christum Jesum majus atque præstantius, liquidè patet ad litteram de ipsa scripturam illam debere intelligi. Quæ quidem verba Abbas Vercellensis sic elucidat, dicens: Carmelus mons est pascuosus, atque ubertrimus, idcircò propter ejus eminentiam, ubertatemque, & nominis interpretationem, Ordo in eo inceptus Seraphicus dicitur, quia omnibus cæteris Ordinibus præstantior est, de cujus plenitudine omnes Ordines alij accipiunt. Hæc ille. Quia ergo per Carmelum Virgo Maria decoratur, honoratur, & commendatur, dignum est, quòd in Carmelo ei dato, habeat Carmelitas ejus titulô decoratos, eam specialitèr venerantes. Nam Prophetiæ per facta repeniuntur. Porrò Saul in Carmelo Mariæ dato, fornicem triumphalem erexit, Elias sacrificando Deum verum declaravit, Eliseus sedem sibi collocavit.

Decor Carmeli datus B. Virgini Deiparæ.

Vide de his num. 727. & seq.

Cujus etiam caput ut Carmelus.

1008. Per prædictam rationem inducitur ratio nona, quæ sumitur ex ipsius Virginis dignitate. Quippè sicut præ omnibus creaturis, etiam Angelicis, in Dei præscientia, vel prævisione Virgo Maria velut futura Mater Dei, secundùm plures magnos Theologos, est in mente Dei præhabita, ac præordinata, uti prima omnium creaturarum in Dei intentiòne, licèt pluribus creatis posterior in executione. Ità omni formâ & pactô, præ omnibus Ordinibus sive Religionibus antiquior Ordo, sive ejus Religio suo nomini debuit nedùm præordinari, verùm etiam dicari, atque in propriam atque peculiarem possessionem tribui. Decuit igitur propter excellentiam tantæ creaturæ Dominum Deum ei attribuere antiquiorem omnium aliarum Religionem, quæ non est alia quàm Carmelitarum, in qua scilicet per illius Religionis professores peculiaritèr veneraretur. Pro veneratione ergo Virginis Mariæ in Carmelo continuanda, orta est Fratrum de Carmelo per Eliam instituta Carmelitarum Religio. Veneratio enim, quæ fit in locis Sanctorum, ipsis sanctis, Deo attribuitur, ut de veneratione dedicationis, & de consecra. dist. 3. cap. *Pronunciandum.* Et sicut tempore Prophetarum * salvandi Filium Beatæ Virginis venturum venerati sunt secundùm Augustinum, sic Fratres de Carmelo ipsam Matrem Filij venerantes in Carmelo B. Mariæ dato, suam Religionem in ipsius honore ante ejus nativitatem inceperunt.

* Vide nu. 729.

Deiparæ Virgini nondum natæ dicata Religio Carmeli.

1009. Objiceret aliquis nostræ Religionis æmulus hanc rationem cassando, dicens, plures sunt Ordines titulô Beatæ Mariæ Virginis insigniti, per Apostolicam Sedem eôdem titulô decorati, velut Dominorum Teutonicorum, similitèr Servitarum Beatæ Mariæ: hujusmodi cavillationi si congruum sit respondere, aut dignum, nondùm videre mihi videor: Attamen

ne

ne pertinacem eorum proterviam, atque cervicem augeamus, tantummodò istud eos audire velim. Ex quo Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus & hujusmodi sanctissimi viri plures, tàm ad eorum venerationem, quàm ad Ecclesiæ Catholicæ universalem instructionem, & utilitatem à Deo meruerunt habere singulares Ordines, à principio suæ conversationis usque in hunc diem, quamobrem gloriosa Virgo ab initio usque ad illos novellos, de quibus argumentaris, Ordines, non meruit peculiarem suæ venerationis Religionem? Dic quæso, cur per tot centenos annos nullam singularem, ac propriam habuerit? vel si habuerit, dicas quæ sit? Sed reverà non invenies, nisi Religionem Carmeli.

1010. In calce hujus Capituli ratio decima addi potest, scilicet defensionis per religiosissimum atque doctissimum Carmelitam Cyrillum Patriarcham Alexandrinum (de quo dictum est Capitulo præcedenti) Sufficiat autem ante omnia Authoritas Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ. Vide * Bullas Joannis XXII. similitèr Clementis VI. & eorum Antecessorum, & subsequentium; nunquàm alitèr, nisi valdè raró, invenies, nisi sic, *Dilectis Fratribus Beatæ Mariæ.* Igitur vel unus Summorum Pontificum intelligit de Maria Ægyptiaca (fateor sancta pœnitentiaria) vel de quavis alia, vel ne? si sic, tunc cæteri nominantes *Dei Genitricem*, erraverunt: quod absit à Summo Vicario Christi. Undè Innocentius IV. contulit omnibus Christi fidelibus contritis, Ordinem nostrum sub titulo Beatæ Mariæ Virginis nominantibus, decem dies indulgentiarum: * Urbanus verò VI. tres annos & totidem quadragenas (teste Bartholomeo Presbytero Cardinali, titulo sancti Marcelli.) Hujus testimonium est in Conventu Ordinis nostri Franckfordensi Provinciæ Alemaniæ inferioris. Insupèr Sifridus Archiepiscopus Coloniensis X. dies. Mater igitur & Patrona Carmeli, & Carmelitarum peculiaris est Maria Virgo Dei Genitrix, & verè dicitur. Ecce Mater tua, o Carmeli veneranda concio, si Mater omnium multiformi ratione peculiariùs tamen Mater tua. Verbum omni acceptione dignum. Ecce Mater tua, cui omnis necessitas tua ascendit usque ad cor; commota quippè fiunt ejus viscera super quovis filio, fratreque suo. Ergo dilige eam, & venerare tanquam ubique præsentem, & ab hac hora accipe eam in tuam, ut illa te tandem assumat in gloriam suam. Si magnum est, juxta verbum David, esse generum terreni Regis, quale hoc esse æstimas, & quanti, o homo mortalis, esse, & dici Fratrem Reginæ cœlestis. Ipsa nempè, potius quàm Hester, populum suum sibi donari indesinentèr postulat. Exora eam dicens. *Dic obsecro, quod soror mea sis, ut benè mihi sit propter te* o Maria, *& vivat anima mea ob gratiam tui.*

* Vide nu. 463. 465. 472. 476.

Summi Pontif. Ordinem Carmeli B. V. Deiparæ dicatum adstruunt.

* Vide nu. 510. & 529

Genes. 12.

1011. His omnibus prædictis rationibus concordat Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus (qui floruit tempore Innocentij primi.) Similitèr Josephus Antiochenus, & præclarissimus Magister Joannes Grossi in tractatu de origine Ordinis Carmelitarum: sic & Philippus Abbas Hieropolitanus super Euangelio Ioannis. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis &c.* Etiam Dominus Richardus Radulphi primas Hiberniæ Armachanus cognomento, in sermone, qui incipit, *Ave Maria.* His & concordat Hæreticorum invictissimus malleus Thomas Waldensis libro de Sacramentalibus cap. 89. Et Magister Thomas Bradley Episcopus in suo libro de fundatione Carmelitarum. Et hæc de titulo dicta sufficiant. Vide frater nè vivendo malè, ipsum dici simul perdas, & esse. Vive ut nedùm frater ejus dici, sed & hæres sororis, & æternæ gloriæ illius particeps fore merearis. Cole Deum, cole Mariam, cole Eliæ vitam, & nihil tibi deerit in loco Elianæ pascuæ constitûto.

Istorum testimonia præcesserunt.

Monitio ad Carmelitas.

ANNOT. (a) Cæli Regina Maria . . . Carmelit. Ordinis Mater, & Patrona. *De patronatu B. V. Mariæ in hunc Ordinem peculiariter agetur parte 3. per totam. Quoad titulum illum Ordini attributum,* Fratres Beatiss. Virg. Dei Genitricis Mariæ, *& de Capella in Carmelo ei dicata post Christi in cœlos ascensionem, aliquoties actum est in antecedentibus; videlicet parte prima libro 6. cap. 5. & ibi in Notis; atque in omnibus libris, seu Opusculis hujus secundæ partis.*

CAPUT IX.

Carmelitæ propter Eutychianorum hæreses, & Mahometi, suorumque crudelitatem multa Monasteria perdiderunt: Cappas Barratas coacti assumpserunt: de sancto Anastasio Martyre.

1012. POstquàm magnus, & divus Pater Augustinus circa annos Domini * CCCC. ad fidem Christi conversus, monasterium Canonicorum Regularium, instituisset, vivendo cum illis juxta vitam Apostolorum, in eorum Actibus scriptam, adunavit & alios Fratres in Eremo, quibus certam conscripsit Regulam. Deinceps post hæc tempora, circa annos Domini ferè * CCCCLX. Eutyches (imperante Marciano) præsbyter, & Archimandrita Constantinopolitanus, id est Abbas, dogmatizabat, Dominum Jesum non esse consubstantialem nobis secundùm carnem, sed corpus de cœlo assumpsisse. Rursùm asserens ante adunationem in eo duas quidem fuisse naturas, sed post adunationem, unam factam esse. Hujus adjutor, & defensor Hæresis Patriarcha Alexandrinus successor Cyrilli fuit Dioscorus. Ob hanc causam quarta Synodus in Chalcedonia sexcentorum, & triginta Patrum fuit congregata. In qua Iuvenalis Jerosolymitanus Episcopus Ecclesiæ reconciliatus; hanc hæresim extirpans damnavit. dist. 15. & 16. Verùm impius Eutyches plura monasteria tàm Ordinis nostri, quàm aliorum Patrum in Syria, & cæteris Provinciis, aut omninò devastando, vel occupando, suo pravô ac venenatô dogmate subegit. Hàc calamitatis tempestate (a) Caprasius, de quo suprà, misit

* Alii referunt ad annos 448. 449. 450. & seq.

Eutyches hæresim suã spargendo Ecclesiam, & monasteria multa perturbat.

(a)

Discipulos suos de monte Carmeli ad diversa loca, ad Eutychianis resistendum, & monasteria Ordinis tuenda. Et non longè post vigesimâ die mensis Octobris migravit ad Dominum. Eodem anno Alamandrus Rex quorundam Saracenorum, nuper ab Orthodoxis conversus, & baptizatus, dum Eutychiani eundem seducere vellent, faceiâ eos devicit propositione, aiens, se litteras accepisse, Michaëlem Archangelum esse defunctum. Illis verò respondentibus, hoc impossibile fore, eò quòd Angeli impassibiles extent. Respondit Rex: Qualitèr ergò (ut dicitis) Christus nudus crucifixus est, nisi duæ sint, atque fuissent in eo naturæ? atque sic confusos à se rejecit. Porrò divus, atque sanctissimus Pater Benedictus post susceptum à sancto Romano Religionis habitum, circa annos Domini DXXX. Regulam Monachorum composuit. Et ab illo vocati *Monachi sancti Benedicti*, qui in Europa maximam inter omnes Religiones alias fructificationem, & utilitatem in Dei Ecclesia patrarunt.

1013. Quibus temporibus Christiana Religio plures ab infidelibus, maximè à Cosdroa Rege Persarum Tyranno, sustinuit persecutiones, anno quippè Domini DCXVII. Syriam intrans, Jerusalem cepit; & sequenti anno Antiochiam expugnavit. Tunc Carmelitæ pluribus hinc indè Ordinis sui monasteriis devastatis, tantummodò in Eremis Carmeli, Jordanis, montis Neroij, & Quarentenæ, ac paucis aliis solitudinibus, loca retinuerunt, multis tunc in monasteriis nostris martyriô coronatis. Eâ tempestate (b) Anastasius, priùs magus, sed ad fidem Christi conversus, Monachorum quoque Pater in Aurea Porta Ordinis Carmelitici effectus, vocatus per Patriarcham Zachariam de monte Carmeli, ubi habitum induerat, à Cosdroa cum cæteris captivis in Persidem ductus, & atroci Martyriô vexatus, tandem cum aliis LXX. decollatus est. Sequenti die custodes carceris ad invicem dixerunt, uno incipiente loqui ad alterum. *Vidi canes circa corpus illius Monachi sedentes, nec tangere illud, sed custodire.* Respondit alter. *Et ego dum explerem vigiliam meam, vidi lucidissimam stellam, quam videre pergens, jam non stellam, sed corpus illius Monachi reperi.* His verbis à Christianis adhuc in carceribus tentis relatis, ad reliquos, sacræ reliquiæ sublatæ sunt, ac tandem in ejus monasterium sancti Pauli * ad Aquas Salinarum reconditæ sunt. Hujus festum colitur XI. Kal. Februarij. De quo Vincentius lib. 24. histor. cap. 14.

(b)

S. Anastasij gloriosum martyrium.

* *Al.* ad aquas Salvias: *ubi S. Ap. Paulus decollatus.*

1014. Deinceps anno Domini DCXXX. cum Heraclius Cosdroam Regem Persarum superasset, partemque ligni sanctæ Crucis cum Patriarcha Zacharia, populoque Christiano captivo, cum magno honore Jerosolymam reportasset, cœpit valdè industriè Ecclesias ac monasteria reparare, & illis ubique in terris regia munera elargiri. Quibus peractis ad patriã repedavit. Tunc Carmelitæ gratias Deo referentes, atque benedicentes, antiqua sua monasteria, cum mœrore priùs relicta, rursùs summa cum lætitia inhabitantes, suam Religionem magis studiosè augmentare curarunt. Successori etenim Zachariæ, nomine Modesto, Joannes Elemosynarius magna dona, & munera misit ad Ecclesiarum, & monasteriorum Terræ sanctæ reædificationem.

Cosdroas & Humar Terram S. occupant, & devastant.

1015. Iisdem temporibus surrexit perfidissimus Mahometus; cujus discipulus fuit Humar Rex Arabiæ. Hic non longè post hæc tempora (teste Nicolao de Lyra super 18. cap. Apoc.) secundùm Hugonem Floriacum in Chronica, totam ferè Terram sanctam, Syriam, Phænicem, Palæstinam, Siciliam, Africam, Hispaniam quoque subjecit, undique delens Christianum nomen. In his etiam Provinciis multi erant Religiosi Christiani in magnis monasteriis ducentorum, trecentorumve Monachorum, vel ampliùs in castitate viventes, (c) quorum centum quadraginta millia æstimantur fuisse virgines, qui per gladium Saracenorum martyrizati, ad cœlorum regna transierunt. Hæc Lyranus. His consonat Cyrillus Propheta, Prior & Presbyter montis Carmeli, in libro de peculiaribus Carmelitarum Ordinis gestis 7. & 8. cap. dicens. (d) Dum Christianissimus Heraclius de profano Cosdroa victoriam obtinuisset, reportatâ quoque Cruce Domini in Jerosolymam ad propria rediisset, Rex Arabiæ Humar cum ingenti Saracenorum multitudine totam Terram sanctam anno Domini DCXXXVI. suo dominio subjugavit. Quo tempore pauci quidem respectu anteriorum temporum, sed tamen probatissimi nostræ Carmeliticæ Religionis Monachi, dimissis Urbium mansionibus, in monastica vita ab Elia instituta in eremis Carmeli & aliis permanserunt; Attamen ipsi, sicut & cæteri Christiani Terræ sanctæ sub magno jugo tributorum ad tempora usque Caroli magni steterunt, multis tribulationibus afflicti. Saraceni autem molestè ferentes habitum nostri Ordinis albi coloris, cum soli eorum Satrapæ albis vestirentur, coegerunt Fratres, habitum ipsum deponere, undè pallia barrata assumpserunt. Hæc Cyrillus ut suprà. Porrò Tunica Domini inconsutilis anno Domini DCC. inventa est per confessionem Simonis Judæi, & à Patriarchis Gregorio Antiocheno, Thoma Jerosolymitano, Joanne Constantinopolitano in Jerusalem, ubi Dominica Crux adoratur, reposita.

(c)

140. millia Martyrum Religiosorum Virginum.

ANNOT. (a) Caprasius. De isto Carmeli Archimandrita, & gestis ejus informabit lectio tomi 3. Annalium Carmelit. videatur index verbo Caprasius. In illo tomo obitus ejus adscribitur an. 450.

1016. (b) Anastasius. *In Ordinis Kalendariis antiquis, & recentioribus ejus memoria his verbis* S. Anastasij martyris, Ordinis nostri *fit ad diem 22. Januarij: quã ejus festum solemnizatur per totum Ordinem: in cujus festi officio ad horas Canonicas, & Missam olim ista legebatur Oratio seu. Collecta*: Deus in te sperantium fortitudo, qui sancto Anastasio Monacho Instituta Eliæ profitenti auxilium gratiæ tuæ ad vincula, & verbera cum septuaginta aliis pro Christi Religione constanter sustinenda præstitisti &c. *In ejusdem Officio Canonico pro Carmelitarum Ordine approbato à S. Congregatione Rituum anno 1609. sub Paulo V. & anno 1628. sub Urbano VIII. hæc specialis Oratio aliquantum immutata canitur*:

tur: Deus in te sperantium virtus, qui de Carmeli solitudine ad subeundam martyrij palmam B. Anastasium evocasti. *Vitam ejus dabimus* (*Deo dante*) *in parte 4. Speculi hujus.*

1017. (c) Quorum (*Monachorum*) 140. millia æstimantur fuisse Virginis. *Lyrani verba circa istud Apocalypsis*. ET VIDI, ET ECCE AGNVS STABAT SVPRA MONTEM SION: ET CVM ILLO 144. MILLIA, *sunt ista*. Hic consequenter describitur præmium persecutionem Mahumeti sustinentium ... Sciendum quod sicut dicitur in Chronica Hugonis Floriacensis: circa finem imperij Heraclij, Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Mahumeto duce ceperunt Egyptum, & Æthiopiam graviter invadere. Similiter Hommarus Mahumeti discipulus Damascum, & regionem Phœnicis, & Jerusalem, totamque Syriam occupavit: & Antiochiam comprehendit: & in his terris erant multi Religiosi Christiani in cœnobiis magnis ducentorum, trecentorum, & ampliùs Monachorum in castitate viventium: quorum major pars, vel multi erant Virgines: & in illa persecutione per gladium Saracenorum transierunt ad regnum cælorum ... CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA. In tanto enim numero, vel circiter æstimantur prædicti occisi probabiliter ... HI SVNT QVI CVM MVLIERIBVS NON SVNT COINQVINATI. Vel simpliciter integritatem carnis tenendo: vel saltem post votum castitatem servando. VIRGINES ENIM SVNT. Virginitas enim in Scriptura aliquando accipitur strictè pro integritate carnis, aliquando magis largè pro continentia, maximè votô consecrata. HI SEQVVNTVR AGNVM QVOCVNQVE IERIT; quia sequuntur Christum, non solùm per viam mandatorum, sed etiam consiliorum. *Circa ista Lezana tomo 3.* * *Annalium Carmelit. annotat.* Ordinis nostri traditionem, quâ asseritur ista 144. millia Martyrum in hujusmodi Mahometi sectatorum persecutione ex Monachis magna ex parte extitisse, in hujusmodi Hugonis Floriacensis, & Lyrani testimoniis fundamentum habuisse. Quod maximè verum erit, si dicamus, prout aliqui ex hujus loci Expositoribus sequuntur, hic poni numerum certum, & definitum 144 mille pro indefinito, & incerto, pro quamplurimis videlicet; sicut & in illo Apocalyps. 7. ET AVDIVI NVMERVM SIGNATORVM 144. MILLIA, juxta Ambrosium, Haymonem, Ansbertum, Anselmum, Bedam, & alios. Nec numerus incredibilis apparebit cogitanti ea tempestate ad 90. millia Christianorum à Persis divendita fuisse Judæis, qui illos crudeliter interfecerint, ut dicunt aliqui apud Bellarminum de Scriptorib. Ecclesiastic. in Antiocho Monacho circa annum 630. Tollitur autem difficultas, quæ circa tam ingentem Martyrum numerum esse potest, si animadvertatur, eum non referri solùm ad hoc tempus quô Homar Syriam, aut Terram sanctam invasit, sed ad totum illud quô gens ista eam Regionem occupavit, videlicet à temporibus præfatorum Cosdroæ, & Humar, usque ad annum Christi 1099. quando Terra sancta Christianitati recuperata fuit, aut etiam usque ad totalem Terræ S. amissionem factam circa annum Christi 1290. (*descriptam hic supra parte 1. l. 9. cap. 8.*) *Ità Lezana ibidem: addit, quòd illa die 144. millibus Martyrum illo temporis decursu traditio communis sit in Ordine: undè versus antiquus.*

* Ad an. 639. n. 5.

Innumeros fratres, aluit quos Virginis Ordo
Barbaricâ cernis procubuisse manu.

(d) Dum Christianiss. Heraclius de profano Cosdroa: *De Cosdroa, & Humar, & de Terra S. devastatione, atque Ordinis hujus afflictione per istos, nec non de palliorum alborum depositione videri poterit in parte prima Speculi hujus libro 7. cap. 6. & libro 8. cap. primo num. 291. & hic supra num. 918.*

CAPVT X.

Summorum Pontificum compassiva liberalitas erga afflictum Ordinem Carmelitarum: de S. Gerardo, & Nativitate S. Bertholdi.

1018. POst hæc tempora Mahometanis maximam Ecclesiæ Christi partem auferentibus, ac in totalem fidei extinctionem, atque exterminium machinantibus, (a) Constantinus sextus totus Catholicus septem præliis eosdem de Jerusalem expellens, prævalere illis non valuit. Hinc quâdam nocte vidit circa stratum suum angelicum nescio quem juvenem ipsum excitantem. Qui dixit: Constantine exaudivit Dominus preces tuas. Mitte nunc, & sume (b) Carolum Magnum Galliæ Regem, Dei Ecclesiæ propugnatorem, & res tuæ prosperè evenient. Igitur illicò destinavit Joannem Jerosolymitanum Patriarcham, & Neapolitanum Episcopum Joannem, David Jerosolymorum Archipresbyterum, & duos Hæbreos Isaac, & Samuelem ad Carolum Legatos. Qui lectis Legatorum litteris fusis lacrymis, cum universa sua potentia profectus est. Cum autem plurima loca bellico labore in Terra sancta cepisset, Aaron Rex Persarum, atque Saracenorum timens adventum Caroli in terram suam, missis eidem corporibus sancti Cypriani & Spirati, capite quoque sancti Panthaleonis, & pluribus aliis reliquiis, civitatem Jerusalem cum tota Terra sancta illi tradidit. Indè fugatis Paganis, cum Carolus ad Galliam redire disponeret, voluit Constantinus eum remunerare muneribus, sed ipsô Carolô renuente, obtulit illi plures reliquias sacras, Coronam Domini spineam, unum Clavum Dominicum, frustum Crucis Domini, & brachium sancti Symeonis, sudarium Domini Jesu, Camiseam Virginis Mariæ. Sicque ad Patriam reversus est.

(a)

(b)

Carolus Magnus Ecclesiæ propugnator etiam Terræ S. suppetias tulit.

1019. Verùm hæc lætitia, proh dolor, brevi tempore finem habuit. Mortuô enim Carolô anno Domini DCCCXV. Rursùs Terra sancta post pauca tempora devastata fuit. Et dum Carmelitæ cum cæteris Christianis essent vehementèr afflicti & attenuati annis non paucis, plures ex eis martyrio coronati sunt. Audiens igitur eorum penuriam & persecutionem (c) Papa Leo IV. an. Domini DCCCXLVIII. electus, ipsis compatiendo, dedit certas Indulgentias omnibus Christi fidelibus, eisdem in tanta necessitate subvenientibus, manusque adjutrices porrigentibus, teste Sixto IV. in confirmatione Indulgentiarum Ordinis nostri. Similiter Adrianus II. anno Domini DCCCLXX. Stephanus V. anno Domini DCCCXCIX. Gregorius III. anno Domini DCCCCIX. Plures etiam alij dederunt in simili causa Indulgentias. Joannes X. anno Domini DCCCCXX. Joannes XI. anno Domini DCCCCXL. Gregorius V. anno Domini DC

(c)

Leo Papa IV. & alij Pontifices Rom. indulgentias Carmelitano Ordini concesserunt.

DCCCCXCIIII. Sergius IV. anno Domini MXX. Alexander II. anno Domini MLXX. Gregorius VII. anno Domini MLXXIV. Ordo Cluniacensis institutus fuit anno Domini DCCCCXV. in Cluniaco per Odonem.

1020. Porrò anno Domini MXLI. Henricus I. * Imperator subegit * Wandelicos, Suevis conterminales, fortunam adorantes. Hujus tempore (d) sanctus Gerardus Eremita Carmeli, posteà Antiochenus Patriarcha, Romam veniens facere querelas Christianorum Principibus super crudelitate infidelium in Terra sancta à Benedicto IX. honorificè susceptus est. Et effectus ab eo à latere Legatus, ab eodem ad Imperatorem Henricum destinatus est. Tunc apud Imperatorem existens, vidit in exercitu illius nobilem juvenem militem Guidonem nomine, de Malefaida Lemovicensem industrium, & devotum. Quem adeò divinis verbis inflammavit, ut penè cingulum militiæ deponeret, omniaque vendere, & Carmeli montem adire disponeret. Eodem tempore Henricus Bohemiæ Ducem Oldericum superavit. Paucis diebus indè transactis, Guido visione nocte habitâ, ut ad solum natale remearet, de manè visitans Imperatorem pro obtinenda licentia, cum eo ad Ecclesiam venit. Tunc invenit beatum Gerardum solum cum uno Clerico in parte seorsim orantem: moxque ejus pedibus advolutus, humilitèr fatetur se peccasse, eò quòd tantò fuerit tempore beneficiorum Dei immemor. Episcopus verò manum ejus apprehendens, de terra ipsum elevavit. Deindè Patriam revisere, uxorem ducere, filios quoque procreare suasit, dicens: Ostendit mihi hâc nocte Omnipotens Deus duo luminaria fulgentissima, totam Orientalem Ecclesiam illustrantia de femore tuo procedere. Istud autem rei veritas posteà declaravit. De ipso autem Gerardo Martinus in chronicis meminit dicens. *Hujus Benedicti IX. tempore Gerardus Episcopus in Hungaria super bigam ligatus de altissimo monte præcipitatus, martyrio coronatus est.* Et Petrus Præmonstratensis in sua chronica, quæ incipit, *Sapientis consilium*, similitèr scribit. *Tempore* (inquit) *Benedicti IX. qui floruit anno Domini MXXX. Gerardus Ordinis Carmelitarum Patriarcha Antiochenus, in Hungaria super bigam ligatus de alto jactus præcipitiò martyrizatus est.*

* Lege II.

* Al. Vindelicos.

(d)

Guidonis de Malefaida (al Malaphayda) patria, nuptiæ, proles.

1021. Hinc Guido prædictus cum Regi Hungariæ * Soloni valdè esset acceptus, neptem Regis sumpsit in uxorem circa annos Domini MXLV. De qua post genuit duos filios Aymerum, posteà Podiensem Episcopum, & Bertholdum, postmodùm primum Priorem Generalem Latinum Ordinis nostri. Qui à patre ad studium missi Parisiense, post accepta Theologici Doctoratûs insignia, revocati sunt. Ordo Valumbrini, sive Vallis umbrosi exordium habuit anno Domini MLXX. per Joannem Guilbertum sub Regula sancti Benedicti. Grandimontensis Ordo anno Domini MLXXVI. incæpit sub patre Stephano. Carthusiensis Ordo sub Regula S. Benedicti anno Domini MLXXXIV. ortus est. Dehinc Ordo Cistellensis sub Herdigo.

* *Al.* Salomon.

1022. ANNOT. (a) Constantinus VI. *Lezana tomo 3. Annal. Carmelit. ad annum 772. & sequentes animadvertit hunc Constantinum filium Leonis, & Irene de cujus cum Saracenis præliis plura historici, Theophanes præsertim.*

(b) Carolum Magnum: *Lezana eodem tomo ad an. 976. & sequentes circa illa de Carolo Magno à Palæonydoro hic descripta ista annotat.* De eleemosynis à Carolo Magno Terræ sanctæ incolis Christianis elargitis cohæret valdè cum iis quæ ad nostræ historiæ seriem valdè opportuna testatur exterus Author Julianus Perez, seu Petri, Historicus Hispanicus, Toletanus, & Archipresbyter S. Justæ in Tractatu, cui titulus ADVERSARIA num. 264. ubi sic: Ferunt paulò post annum 779. Carolum Magnum ad Terram sanctam à Barbaris oppressam asserendam, cum exercitu trajecisse, & eum secutum fuisse Genesium Abbatem Corbeiensem, qui nimis favit Jerosolymis fratribus Carmelitanis miserabiliter oppressis, & ejus causâ multi viri militares, relicto militiæ cingulo, vitam illam secuti sunt. Ex quo ea hausit Michael Muñozius noster in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 3. c. 1. art. 2. nu. 5. Exponenda tamen. Illud enim *trajecit cum exercitu*, non de exercitu, quo Jerosolymam pervenerit, accipiendum, prout vulgaris opinio fert, dicentium eum armis Terram sanctam occupasse: eam etenim & ipsi Francorum historici aversantur ut falsam: solùm ergò id intelligendum de exercitu copioso, quem Carolus ducebat in Italiam; qui Aaronē Saracenum Syriæ Principem cogere potuit ad deditionem S. Civitatis. Deindè, illud, *qui nimis favit Jerosolymis Fratribus Carmelitanis miserabiliter oppressis*, ad ipsum Carolum videtur referendum; siquidem, prout ex Francorum historiis hausimus, ipse, utpotè pius, & devotus, amplas eleëmosynas Jerosolymis distribuendas misit. Id denique: *Et ejus causâ multi viri militares, relicto militia cingulo, vitam illam secuti sunt*, proculdubio convincit Ordinis propagationem hoc tempore factam.

(c) Papa Leo IV. *De Indulgentiis à Leone IV. & aliis Pontificibus in favorem Ordinis hujus concessis plenior tractatio erit hic infra libello 3. cap. 16. De illis etiam quædam dicta sunt in Appendice ad partem 1. 5. 7. & 8. nu. 527. 534.*

(d) Gerardus. *De Gerardo, seu potius tribus Gerardis diversis (circa quos nonnulli hallucinantur, tres diversos unum eumdemque existimantes) instruet quoque lectio tomi 3. Annalium Carmelit. ad annos 1034. 1045. nec non Vineæ Carmeli parte 6. cap. 1. num. 866. sub finem Historia de Guidone Malaphayda, & ortu S. Bertholdi latiùs traditur, & illustratur eodem tomo 3. Annal. Carmelit. ad an. 1061. ac seq. Ibi autem benè notat Lezana circa annos quibus Solon, seu* Salomon *Rex Hungariæ fuit, & Guido ejus neptem in uxorem accepit, emendandam Chronologiam Palæonydori. De Gerardo Antiocheno Patriarcha verisimiliter censet, ipsum tantùm fuisse titularem.*

CAPUT XI.

De recuperatione Terræ sanctæ, & S. Bertholdi ingressu in Religionem.

1023. Postquam Aymerus ab Urbano secundo anno Domini MLXXXVIII. Podiensis Episcopus extiterat ordinatus, idem Urbanus propter Saracenos Ecclesiam Orientalem devastantes, in Alvernia Galliæ, quæ Clarus mons appellatur, Concilium Generale anno Domini MXCII. celebravit, & aliud Turonis pro subsidio Terræ sanctæ. Omnibus igitur Ecclesiæ Prælatis consentientibus Aymerus Podiensis Episcopus totius militiæ Christianæ Legatus præficitur. Qui, assumptis secum fratre suo Bertholdo, & Petro Carmelitâ, magnæ sanctitatis viro Eremita, profectus est

Urb. II. duo Concilia generalia celebrat pro succursu Terræ S.

est cum Rege Franciæ Philippo, & Duce Lotharingiæ Gotfrido de Bulion, ac aliis Regibus, Principibus, Ducibus, & Nobilibus, exercitu quoque Christianorum innumerabili.

1024. Isti, postquam ventum est in Terram sanctam, exterminatis pluribus Saracenorum locis, & castris, Antiochiam pervenerunt, & statim obsederunt. In hac erat quidam Turcarum Admiratus dictus Porro. Hic famâ Boëmundi allectus, fœdus cum eo iniens, tradidit eidem filium suum obsidem, & tres turres. Captâ tandem civitate Christiani *Kyrie eleyson* altâ sonantes voce, hujusmodi signô à Turcis distinguebantur. Rege autem, & Domino Civitatis fugiente, & ad terram Tancredo commissam perveniente, ibidem cognitus, illicò ab Armenis capite truncatus est. Tunc aliquibus Turcarum in castrum se recipientibus, quod eminet civitati, tali positione loci, ut nullatenùs alicujus artificium machinæ timere habeat, * Corroberandus eorum Princeps, qui ad auxilium Antiochiæ fuerat à Calipha perfidæ gentis destinatus, coagulaverat sibi innumeras ferè gentes: Damascenorum etiam Regem, & Jerosolymorum Admiratum. Hi à Sensadolo Cassiani filio antedictum municipium seu castrum recipientes, civitatem adeò vehementèr obsederunt, ut gravissimâ fame opprimerentur Christiani, ità ut pauci ab humanis carnibus se continerent.

Christiani Antiochiam obsident.

Al. Curbaran.

Gravissimâ fame premuntur.

1025. In hac tribulatione sanctus Bertholdus de Malefaida magnô mœrore confectus, promisit se Deo & Beatæ Mariæ Virgini jugitèr in monte Carmeli serviturum, si Dominus respiceret plebem suam. Tunc eidem Jesus splendidam crucem super caput gestans, cum Beatissima Matre sua, & sanctô Petro apparens, durè increpavit, Christianis beneficia collata fornicantibus atque ingratissimis. Cumque minaretur se vindicaturum, sanctissima & pijssima Virgo Maria misericordię Mater cum Beato Petro ad pedes Domini corruit, supplicans ut iram clementiâ suâ mitigaret. Deindè ait Dominus Bertholdo Presbytero: Vade, dic populo meo: Lupanar, prostibulum, & omnem à vobis abusum proijcite, & optimum præstabo vobis auxilium. Si reversi fueritis ad me, ego quoque revertar ad vos. Cantetur diebus quinque Responsorium: *Congregati sunt inimici nostri.* Eodem tempore cuidam alteri Religioso apparuit Beatus Andreas Apostolus, demonstrans locum in Ecclesia sancti Petri, ubi invenienda esset lancea Salvatoris.

Propter peccata sua.

1026. Igitur non multò post, ignis in castra Turcarum de cœlo descendit. Quod videntes Christiani post lanceam Domini inventam, trigesimo-sexto die obsidionis contra Corroberandum in prælium exierunt, dulci pluviâ ipsis, & eorum equis recreatis. Et ecce de montibus innumerabilis exercitus cruce signatus, vexilla alba in manibus gestans descendere visus est, cujus Duces Georgius, Demetrius, Mauritius, sancti Dei Martyres æstimati sunt. Tunc Aymerus Episcopus exclamavit voce magna dicens: *O fortissimi milites Christi, ecce auxilium Domini, pugnate viriliter*, Igitur in conflictu diei illius ceciderunt Turcarum fortium armatorum tàm peditum, quàm equitum plusquam centum millia, præter illos cœlesti igne consumptos, anno Domini MXCVIII. in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli. His visis Admiraldus Castro præsidens, Christianus cum trecentis militibus effectus, se & castrum tradidit Boëmundo. Sicque captatâ pace, in die Kalendarum Augusti Aymerus Episcopus Podiensis migravit ad Christum.

Pœnitentes cœlesti adjutorio victores effecti profligant ultrà 100 millia Turcarum.

1027. Bertholdus autem cum Petro prænominato ab Antiochia cum exercitu Christiano Tripolim advenit, deindè Achon, posteà Jerusalem: quam expugnantes octavâ die Julij anno Domini MXCIX. eam ceperunt, & Gotfridum Ducem vigesima sexta die Julij Regem Jerusalem unanimitèr esse statuerunt. Tunc Symeone Patriarchâ Jerosolymitano in Cypris defuncto, Arnolphus Archiadiaconus in festo sancti Petri ad Vincula fuit locô ejus ordinatus. Eodem tempore quidam fidelissimus Christianus, Urbis indigena, locum ostendit ubi absconderat partem ligni sanctissimæ Crucis, habens semiulnam, auro decoratam. Post hæc Rex Gotfridus, habitâ de Rege Babylone victoriâ, & Joppen captâ, ac civitate Cayphan, ad radices montis Carmeli, correptus febribus anno Domini MC. debitum solvit universæ carnis 15. Kal. Augusti, sepultus in Golgotha. Huic Baldewinus Frater ejus per omnium electionem successit, sacrâ benedictione perunctus à successore Radolphi Damberto Patriarcha Latino, in Ecclesia B. Mariæ in Bethleem. Post annos XVIII. Baldewino successit in regno ejus consanguineus Baldewinus de Burgo anno Domini MCXX. Hoc anno exordium habuit Præmonstratensium Ordo per Patrem Norbertum, sub Augustini Regula. Similitèr Ordo Templariorum sub emolumentis Dominici Sepulchri, ut Peregrinos susciperent, & deducerent in pace.

Jerosolymam expugnant & capiunt an. 1099.

ANNOT. *Ea quæ hoc capite tractantur, concernentia Ordinem hunc, & Petrum Eremitam accuratè tomo 3. Annalium examinantur, & illustrantur: atque illuc Lectorem plura circa illa scire cupientem, remittimus. De S. Bertholdo alia mox sequuntur capite 1. libri sequentis, & in Notis ad illud. Historiam sacræ expeditionis in Terram S. & de ejus recuperatione per Godefridum Bulionium (quæ paucis hoc capite traditur) accuratè, & luculenter descripserunt Guilielmus Tyrius, Iacobus de Vitriaco, & alij plures.*

LIBELLUS TERTIUS

De Ordinis instauratione post ann. Christi millesimum centesimum transmigratione in Europam, inibi propagatione, ac variis eventibus, & successione Priorum Generalium.

CAPUT PRIMUM.

Ordinis instauratio per Aymericum Patriarcham Antiochenum, & mutatio nomenclaturæ Superiorum.

** Al. Malafaida & Malephayda.*

B. Bertholdus Ordinem Carmeli ingreditur.

1028. POst Terræ sanctæ recuperationem, Bertholdus de * Malefaida, Parisiensis Doctor eximius, votum quod in totius Christiani exercitûs angustia voverat Antiochiæ, fidelitèr implevit. Ascendit itaque montem Carmeli, & Religionis habitum, quem postulavit, dignè recepit. Tandem adeò inter eos profecit, ut ferè omnium eximius virtutibus & sanctitate clarescerer. Tempore autem illo Aymericus * de Samiliaco, Apostolicæ Sedis in Terra sancta Legatus à latere, Antiochenus Patriarcha, prædicti Bertholdi consanguineus, venit in montem Carmeli. Fratrum autem laudabilem conversationem attendens, & omni, quâ poterat, protectione erudiens ac præmuniens, cum audiret Latinos Græcas litteras ignorare, fecit in Latinum de Græco Joannis XLIV volumen transferri. Et quia eorundem universalis Rector ab hac vita discesserat, de omnium consensu præposuit eis insignem prædictum Magistrum Fratrem Bertholdum (a) anno Domini MCXXI.

** Al de villa appellata Samaliacũ v. n. 500.*

Instituitur Rector universalis.

(a)

1029. Hunc plerique dicunt primum esse Ordinis Carmeli Priorem Generalem, causam hujus ignorantes: ratione cujus causas inserere congruum duxi. (b) Dicitur autem *primus Prior Generalis*, pensatis quibusdam causis. Prima, quia primus erat, qui à Patriarcha Latino Prior fuit institutus. Secunda quia primus Prior Latinus. Tertia, quia primus sub dispositione Latina ordinatus. Quarta, quia primus nominatione Latinus Generalis Prior. Præcedentes autem nostri Ordinis Patres, quibus in castitate & paupertate obediebant, in veteri Testamento Judæorum modô, *Prophetæ* appellati sunt, & ipsi *Filij Prophetarum*. In primitiva verò Ecclesia novi Testamenti *Archiphilaces*, idest Rectores & Præpositi, Monachi & maximè *Abbates*, idest *Patres* usque ad prædicti Bertholdi viri doctissimi atque sanctissimi tempora sunt nuncupati. Eorum autem subditi sunt *Eremitæ Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo*, vel *Monachi Carmelitæ*. Sed tempore ejusdem Bertholdi *Fratres Eremitæ Beatæ Mariæ Virginis Dei Genitricis de Carmelo* vocati sunt. Nec hujusmodi accidentia nominum tàm Prælatorum nostri Ordinis, quàm subditorum mutare valuerunt nostræ Religionis substantiam, & identitatem in hunc usque diem, ut suprà copiosissimè libro primo probavimus. Tali igitur modo verissimum est, sanctum Bertholdum *primum Generalem Ordinis nostri fuisse Priorem*, computando Priores Latinos, per Latinum Patriarcham sub Latina dispositione, ac denominatione. Nam ante eum Abbates nostri, id est Patres, omnes fuerunt Hebræi, vel Græci.

(b)

Nuncupatur Prior Generalis.

Cur sic nominatus.

Nomenclaturæ Superiorum Ordinis Carm. varietas.

1030. Et hæc est summa causa, quare Historiographi Latini multos (de quibus in præcedentibus duobus libris disputavimus) Patres non scripserunt esse Ordinis nostri, id est Carmelitas, sed tantùm nomine communi, scilicet Religiosos. Verùm apud Hebræos, & Græcos, & earundem linguarum sciolos Latinos major de Ordine Carmelitano notitia semper fuit, propter quod etiam abscondita Ordinis nostri magis produxerunt in lucem, grandia, & æmulis incredibilia scribentes atque narrantes, quorum pauca in duobus libris recitavimus. Hâc inductione aliqui inscij, atque protervi, illum sanctum (c) Sabbam Abbatem monasterij montis Synai, ubi corpus sanctæ Catharinæ quiescit, ab Ordine Carmelitarum secant, dicentes eum non habuisse Abbates, verum solummodò Priores. Qui si rectè perscrutati fuerint Doctorum Græcorum antiquorum scripta, vetera Ecclesiæ Concilia, historiasque Veterum, & hujusmodi; ipsi viderint; tantummodò mittant Eliæ, atque Carmelo virum sanctum Sabbam, sed & Synai monasterium. Sed hæc aliàs.

Monitum pro Carmelitanæ historiæ notitia necessarium.

(c)

1031. Ad Generalem Latinum nostrum Priorem redeamus, de quo ausim dicere, non effectum fuisse sine Dei, & Mariæ, Carmelitici Ordinis hæredis ordinatione speciali: quatenùs ipse Latinus ex diversis Latinorum regionibus fertiliorem Carmeli Religioni numerum adderet: in Europam quoque, priusquam de Terra Sancta eradicaretur, ipsam magnæ ubertatis abundantiâ plantaret, lucernâ non sub modio, sed palàm super candelabrum Romanæ Ecclesiæ erectâ. Porrò (d) Baldewinus de Burgo, Rex Jerusalem, monasterium in monte Carmeli consummari curavit, ab Aymerico priùs inchoatum, ut deinceps collegialitèr in unum, modô Latinorum Cœnobitarum, conviverent. Nam (e) in antris priùs vixerunt sub tribus substantialibus punctis, antiquorum Eremitarum, & Religiosorum more. Post Baldewinum, Fulco Flandrensis in regno successit annis XI. Indè filius ejus annis XXIV. Posteà Balde-

S. Bertholdus Dei dispositione speciali Latinus Ordinis Superior Generalis.

(d)

(e)

Baldewini Germanus Abnericus annis XII. Igitur Bertholdus dum Ordinem XLV. annis laudabilitèr rexisset ætatis circiter CXV. annorum, plenus operibus bonis, in Domino felicitèr obdormivit. Suô autem tempore (f) multorum animas pro Christo passorum Fratrum, in diversis Terræ sanctæ locis, seu monasteriis, corporali intuitu, in cœlum deferri vidit. Clarens verò diversis miraculis, obiit quarto Kalendas Aprilis, in monte Carmeli reconditus, in Oratorio Virginis gloriosæ Mariæ.

Animas Fratrum in cœlum deferri videt.

1032. Anno Domini MCXLI. Ordo Wilhelmitarum initium habuit à Wilhelmo milite, sub Regula sancti Benedicti. In Anglia verò Ordo Sempigam sub Patre Gilberto anno Domini MCXLVIII. incœpit, & habent Regulam suam. (g) Gerardus intereà Ordinis Carmeli, atque montis frater laicus, procurator Monialium Ordinis nostri in Jerusalem, perpendens Christianis continuè periculum imminere, in subsidium Peregrinorum inchoavit novum Ordinem Militantium Hospitalariorum sancti Joannis Baptistæ, sub Regula sancti Augustini. Ordo Militum Teutonicorum, seu Dominorum B. Mariæ ortum habuit tempore Clementis III. an. Dom. MCLXXXIX. sub Regula sancti Augustini.

1033. ANNOT. (a) Anno Domini MCXXI. *Legendum* MCXLI. *& undè error ille irrepserit, vide in parte I. libro 8. in Notis ad caput secundum num. 309. Ex illo errore alij sequuntur, nempè circa annum obitus S. Bertholdi (qui non contigit anno MCLXI. sed circà MCLXXXVII) & S. Brocardi (qui contigit verisimiliùs anno MCCXXI) & circa annum datæ Regulæ (qui non MCLXXI. ut capite sequenti Palæonydorus, sed verisimilius MCCV. assignatur,) Sed de istis accuratè tractat Lezana in Annalibus Carmelitanis ad præfatos annos. Ratio igitur Chronologiæ circa initium, & tempus regiminis S. Bertholdi, S. Brocardi, S. Cyrilli ea tenenda est, quam Ordinis Annalista Lezana, accuratissimâ indagine statuit, & tradit sic, ut Ordinis instauratio per Aymericum Patriarcham, & Bertholdi institutio in Priorem Generalem non anno MCXXI. quo Aymericus nondum erat Patriarcha, sed anno MCXLI facta sit. Cum autem S. Bertholdus annis 45. Ordinem rexerit, & supervixerit Aymerico (defuncto anno 1187.) aut sub idem tempus decesserit, tandemque post lapsum temporis Brocardus successerit (atque ità circa annum 1188.) & is præfuerit annis 33. (teste S. Cyrillo hic suprà num. 301.) extenditur tempus regiminis Brocardi usque ad annum 1221. quò successit ipse S. Cyrillus. Et isti tres in Terra S. potissimè in Carmelo manentes, Ordinem rexerunt. Intereà in Europa ab anno 1215. (aut ut verisimilius scribit Lezana ab anno 1221.) tamquam Vicarius Generalis, seu Generalis secundarius, cum potestatis plenitudine præfuit S. Simon Stock. Vide hic suprà num. 338. sub finem, & 579.*

(b) Dicitur autem primus Prior Generalis. *Plura circa hoc videri poterunt in ijsdem Annalibus Carmelitanis ad annum MCXLI. Et illa pro Carmelitanæ historiæ notitia benè notanda sunt.*

(c) Sabbam Abbat. *Quo fundamento iste, & alij plerique veteres Eremitæ, ac Anachoretæ Carmelitano Ordini accenseri debeant, dictum est in Notatione prævia ad libell. secundum. Cui illa non sufficiunt videat tomum 2. Annalium Ordinis.*

(d) Balduinus de Burgo: *Rectè notat Lezana in Annalibus Carmelit. ad an. 1141. Balduinum Regem, qui juvit in constructione istius monasterij fuisse alium illum Balduinum Fulconis filium. Interim monasterium istud non fuit consummatum nisi diu post, scilicet tempore Alberti Patriarchæ Ierosolymitani: sicut patet ex dictis parte 1. libro 8. cap. 2. Latiùs de istius monasterij constructione agitur in Annalibus Ordinis ad annum 1141. num. 4. 6. 7. & seq. nec non ad an. 1205.*

(e) In antris priùs vixerunt, sub tribus substantialibus punctis: *ut satis perspicuum est ex dictis parte 1. ferè per totum, & confirmabitur ex dicendis.*

(f) Multorum animas ... in cœlum deferri vidit. *Ità quoque Wernerus Rolevinck in Fasciculo temporum ad an. 1187. & alij Scriptores vitæ S. Bertholdi. Vide suprà parte 1. num. 414.*

(g) Gerardus intereà montis Carmeli. *De isto Gerardo, & duobus aliis (quos aliqui malè inter se confundunt) accuratè tractatur in Annalibus Carmelitanis tomo 3. ubi videatur index verbo* Gerardus: *& in Vinea Carmeli num. 866.*

CAPUT II.

Regula in compendium redacta à S. Alberto Patriarcha Ierosolymitano tradita S. Brocardo ante Concilium Lateranense.

1034. Consequentèr defuncto Bertholdo, cùm (a) Brocardus natione Jerosolymitanus per omnium fratrum electionem in Generalem Priorem nostri Ordinis subrogatus esset, Albertus Patriarcha Jerosolymitanus, tunc in civitate residens Aconensi, ab eodem rogatus (b) ex dictis & institutis sancti Patris nostri Basilij, & Joannis XLIV. Episcopi Jerosolymitani secundùm temporis qualitatem, Fratribus Eremitis B. Mariæ Virginis de Carmelo anno Domini (c) MCLXXI. Regulam extractam & compendiosam suâ Authoritate ordinariâ, tradidit observandam. Hanc Alexander III. (qui fuit electus anno Domini MCLIX.) teste Magistro Petro Raymundi Generali, atque Magistro Joanne Grossi etiam Generali, anno Domini MCLXXX.* confirmavit. Similitèr Innocentius III. anno Domini MCXCIX. Hujus Brocardi circiter tempore contulerunt benefacientibus Ordini nostro indulgentias. (d) Lucius tertius, Urbanus tertius, Clemens tertius, Innocentius tertius. De quibus à Sixto quarto habetur in confirmatione nostrarum indulgentiarum.

** De Alex. III. Vide supr. num. 703.*

1035. Iste est Brocardus qui toto Prioratûs sui ævo studuit amari ut facilis, timeri ut fortis, & ut prudens observari. Donatumque à Deo illi extitit, ut etiam vivens miraculis coruscus esset. Nam instar Eliæ mortuum suscitans juvenem, ad Ordinis susceptionem, velut alterum Jonam induxit. Interdùm Albertus Patriarcha eundem Patrem devotissimum pro componendis treugis (e) ad Saladinum, Syriæ, & Ægypti Regem misit in Damascum. Ibidem omnibus ad nutum impetratis, rebusque strenuè gestis, velut erat vir sagacis ingenij, postulatus à Mamaluco Soldani, idest vice-Principe leproso, & manibus contractione corrosis, pro remedio opportuno perductum ad fluenta Jordanis, & baptizatum, fidelemque Christi nominis defensorem factum, duxit secum in Carmelum. Ubi in habitu, & observantia Ordinis perseverans, migravit ad Christum.

S. Brocardus mittitur ad Soldanum Damasci.

Porrò idem Brocardus, veniente octogesimo ætatis suæ anno, constitutus in agone, ait Fratribus suis. *Filioli, vocavit nos Deus ad Ordinem, & numerum Eremitarum suorum fidelium. Insupèr appellati sumus singulariter Fratres B. Mariæ Virginis. Videte ergò ne post meum decessum hoc nomen falsum inveniatur in vobis. Igitur perseverate constanter in bono. Odite divitias, mundum contemnite, & vitam rectam ad Eliæ & Mariæ formam componite.* Quibus dictis, spiritum emisit ad supera, secundâ die Septembris anno Domini MCXCVII. Eodem anno Innocentius tertius ad Papatum fuit assumptus. Audiens Patriarcha Albertus eum defunctum, ait. Jam flos Carmeli decidit; quô dictô flevit dicens. Jam securus est, tutus est, inter Principes Ecclesiæ sublimatus, Cathalogo Sanctorum inscribendus.

Ejus morituri monitio saluberrima.

* Regula Alberti Patriarchæ Jerosolymitani, data Fratribus Carmelitis, fuit ex S. Basilij & Joannis XLIV. Episcopi Jerosolymitani scriptis extracta.

** Vide hîc suprà n. 577*

Notandum: Quòd hîc consequenter in Exemplaribus omnibus Fasciculi Tripartiti ponatur Regula; sed illa verbatim eadem descripta extat in parte 1. libro 8. cap. 3. à nu. 318. usque ad 329. ideò superfluum esset hîc repetere.

ANNOT. (a) Brocardus natione Jerosolymitanus. *De Brocardo, ejusque in Priorem Generalem institutione, & Regula ab Alberto Patriarcha ei tradita, ex S. Cyrillo eidem contemporaneo vide parte 1. lib. 8. cap. 2 & 3. & ibi in Notis num. 301. 318. 331. & in parte 2. num. 561. & 593.*

(b) Ex dictis, & institutis S. P. N. Basilij. *Id qualiter verum, consule Notas in Viridarium Grossi hic suprà num. 577.*

(c) Anno MCLXXI. *Legendum esse* MCCV. *aut* MCCIX. *habetur ex Notis ad caput. 2. libri 8. in prima parte hujus Speculi num.* 316. 397. & 398.

(d) Lucius tertius, Urban. III. &c. *De Indulgentiis ab istis concessis vide hic infrà cap. 16.*

(e) Ad Saladinum *Legendum* Saphadinum *ut notat Lezana tomo 4. Annalium Carmelit. ad annum 1213. quò cum Nuntiis Apostolicis S. Brocardus ab Alberto Patriarcha destinatus fuit ad Saphadinum Soldanum Damasci, pro Terræ S. restitutione obtinenda, ut habetur ex litteris Apostolicis Innocentij III. dicto loco Annalium insertis.*

CAPUT III.

Compendium vitæ, miraculorum, & martyrij S. Angeli.

1036. Floruerunt prædicti Brocardi temporibus præclari nostri Ordinis viri. (a) Angelus
(a) martyr, Joannes ejus germanus Episcopus Jerosolymitanus, Petrus Episcopus Bethel, Enoch Jerosolymitanus Anachorita & Eremita. Joseph Præsul Emaus, & Cyrillus Presbyter ac Doctor Græcus, Propheta, cum Eusebio suo socio. Sed nunc de Angelo nostro, secundum ordinem rei, prosequamur. Igitur sanctus Angelus de Christi tribu (Mariâ Virgine nunciante) secundùm carnem extitit progenitus. Cujus Patri Jesse, & Mariæ Matri, in Jerusalem, sub tributo mansionem habentibus, Virgo Maria apparuit dicens. *Messiam verum Dei Filium, de quo dubitatis, mundo genui. Moneo igitur ut baptismi lavacrum suscipiatis: & tunc duos gemellos procreabitis. Unum Angelum nominabitis, Christi futurum martyrem, alterum Ioannem, qui gratiâ Dei plenus erit.* His ergo à Nycodemo Episcopo baptizatis, eorum exemplô centum & triginta Judæi fidem Christi susceperunt. Post hoc eôdem Nycodemô Episcopô filiis commendatis, patentibusque unâ horâ animas Deo reddentibus, dum adolevissent, monitis Nycodemi, in Conventu Carmelitarum (b) in
Aurea porta in domo sanctæ Annæ nominata, Religionis habitum suscepere. Posteà à Nycodemo ad eorum instantiâ missi sunt ad montis Carmeli Priorem, ut in illius manibus professionis votum emitterent. Hinc diversis claruêre miraculis. Primò more sancti Patris nostri Elisei, ferrum quod de manubrio in torrentem Cyson ceciderat, orationibus supernatare fecerunt. Secundò divisis aquis alvei; siccis pedibus abierunt.

S. Angeli parentes monitu B.V. Deiparæ ad fidem conversi.

Ejus, & fratris ingressus in Ordinem Carmeli.

1037. Intereà vigesimo quinto eorum ætatis annô Jerosolymam missi, & sacerdotali dignitate insigniti, ab (c) Onofrio Nycodemi
successore lætè suscepti sunt. Post hæc Angelus, obtentâ licentiâ, Eremum petijt, & quinquenniô Anachorita permanens, arctissimam vitam duxit. Tunc acceptâ à Deo legatione, ut in regnum Siciliæ pergens, ibi verbum erogaret, venit Jerusalem. Reperit autem fratrem suum Joannem, defuncti Onofrij successorem. Ad ejus igitur prædicationem octoginta Judæorum colla sua veræ fidei Christianæ subjugarunt. Hinc assumptis Fratribus Ordinis, Petro de Conventu Bethleem, Joseph de Conventu Emaus, & Nycodemo de Conventu Jerusalem versùs Siciliam navigavit. Et cum jam ferè appropinquassent, triêres quatuor Barbarorum, seu Piratorum ipsos invadunt. Qui dùm quosdam percuterent, alios verò mutilarent, orationibus sancti Angeli liberati sunt, fulmine è cœlo super Barbaros missô. Quô majori parte Barbarorum absumptâ, & cæteris cæcitate percussis, fidem recipientibus, & à sancto viro baptizatis, & visu receptô illuminatis, prosperô ventô ad Messanam pervenere civitatem. Ibi muto à nativitate à Domino Deo suis precibus linguę usum obtinuit. Pluribus autem diebus inibi Verbum Dei seminans, Romam adijt; ubi dum (d) sanctissi-
mis viris Dominico atque Francisco obviasset: ait Seraphicus Franciscus. *Ecce Dominice Angelum Ierosolymitanum, verè angelicum virum, martyrem Christi mox futurum.* Hæc dicens, ut erat summæ humilitatis, Angeli osculabatur pedes. Quem Angelus humanè repellens: *Salve* (ait) *humilitatis exemplar, qui singulari gratiâ corporaliter Christi stigmata portabis.* Sanctissimus verò Pater Dominicus eorundem sermonibus suspensus admodum admirabatur, dicens: Amen.

Recessus in eremum.

Navigatio in Siciliam.

S. Franciscus stigmata sacra prædicis S. Angelus.

1038. Deinceps visitatis Apostolorum reliquiis, Angelus ad Leocatam Siciliæ perveniens, incestuosum Beringarium, qui cum sorore propria multis annis turpiter vixerat, primò secretè, deindè publicè increpavit. Sed dum, sorore conversâ ad pœnitentiam, ipse

in

in malitia perseverasset, sancto viro mortem minabatur. Factum est igitur: dùm sanctus Angelus primâ die Maij juxta Ecclesiam Apostolorum Philippi & Jacobi prædicaret quinque millibus ferè hominum, adeò vulneratur à Betingarij complicibus, ut sanguis copiosè de cerebro quasi alveus efflueret. Supervivens tamen usque ad quintam Maij diem, populum docens, & miraculis clarus, ivit ad Christum, pro terrenis cælestia, pro caducis æterna commutans. Hujus sacrum corpus sanctæ memoriæ Pater Magister Generalis Joannes Soreth à Calixto tertio Pontifice maximo in dominium Ordinis acquisivit, cum Ecclesia Apostolorum Philippi & Jacobi, quæ tantum thesaurum usque tunc possedit.

Martyrium S. Angeli.

1039. ANNOT. (a) Angelus Martyr. *Vita ejus scripta anno 1227. ab oculato Teste Enoch Patriarcha Ierosolymitano; in capita digesta & edita an. 1527. per Thomam Bellorosum Canon, Panormitanum, Commentario prævio & Notationibus nostris illustrata recusa fuit Bruxellis anno 1665 In ea etiam agitur de Ioanne fratre ejus, sanctitate & miraculis quoque illustri. Epitomen vitæ S. Angeli habet Ioannes Grossi hic suprà num. 597. De cæteris Patro Episcopo Bethel. Enoch, Ioseph (qui fuerunt socij S. Angeli) videri poterunt Annales Ordinis, & ipsius S. Angeli vita.*

(b) In Aurea porta. *Conventûs istius mentio frequens fuit in antecedentibus. Vide num. 555.*

1040. (c) Onofrio. *Ille* Onofrius (*seu* Honuphrius) *similiter* Nicodemus *&* Joannes frater S. Angeli, *fuerunt successivè Patriarchæ Ierosolymitani Syro-Græci. Animadvertendum enim, quòd sub ea tempora Ierosolymitani Patriarchæ duo essent, alter Latinus, pro Latinis residens Ackone. Alter verò Græcus, seu Syro-Græcus, Ierosolymis Patriarchalem Sedem tenens pro Christianis non Latinis, scilicet Græcis, Armenis, Palæstineis, Syris, seu Surianis, qui suæ nationis & idiomatis Patriarchas expetebant. Latiùs circa hoc in vita S. Angeli, & in Annalibus Ordinis ad an.* 1190. *n.* 5.

(d) SS. viris Dominico atque Francisco. *Historiam illam (ab omnibus vitæ S. Angeli Scriptoribus traditam) Mantuanus refert hic suprà num. 857. eam Lucas Waddingus in Annalibus Minorum refert ad annum Christi 1216. Lezana autem in Annalibus Carmelitanis adscribit annô 1219. idque conformiùs est contextui S. Angeli.*

CAPUT · IV.

S. Cyrillus, Doctor Græcus monitu B. V. Mariæ proficiscitur in Carmelum: Armeniæ Apostolus: prophetico spiritu clarus: successor S. Brocardi: moritur in Carmelo.

1041. (a) PRædictus (a) Cyrillus Constantinopoli claris ortus parentibus, omnibus Divinarum, humanarumque litteris eruditus; dum audisset Soldanum Iconij sacros Christianæ Religionis libros optare, sumptis codicibus, quorum lectione ejus animum faciliùs æstimavit imbuendum, Iconium venit. Igitur in brevi adeò ipsum monendo, persuadendoque peroravit, ut Cathecumenum factum in Paschali solemnitate baptismi lavacrô intinctum in Christo regeneraret. Intereà Cyrillum cogebat Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani ad Alexandrum III. Romanæ urbis Pontificem legatio pro Imperio Romano ante diviso, in unum corpus redigendo. Missi sunt simul cum Cyrillo Oratores, qui magna pollicerentur, si Pontifex in sententiam ejus descenderet. Quibus respondit Pontifex: Non esse facilè in unum jungere, quod Prædecessores sui de industria disiunxissent. Cùm verò Soldani desiderium ex B. Cyrilli relatione cognovisset, scripsit illi, dicens. *Alexander Episcopus servus servorum Dei Soldano Iconij salutem. Veritaten agnoscere, & agnitam custodire &c.* His litteris acceptis, & legatione fideliter peractâ, Cyrillus rediit Constantinopolim.

S. Cyrillus Iconij Soldanum convertit, & baptizat.

Ab Imperatore Romam mittitur.

1042. Post hæc inter Cyrillum, & Constantinopolitanum Patriarcham resuscitatâ de Spiritus sancti missione controversiâ, à Græcis, injuriis vincere cupientibus, quod ratione non poterant, Cyrillus de Constantinopoli exturbatus cessit malitiæ. Revoluit enim animô, in unam Catholicam sententiam Græcos & Latinos vix posse convenire; cum cerneret Græcorum codices, scismaticorum astutiâ viriatos; ac statuit eos ex toto deserere. Cum ergò talia animô revolveret, sequenti noctu quædam venerabilis ætatis, ac luminis imago virginea ipsum alloquitur, ut ei videbatur, inquiens: *Noli trepidare: si errores cupis effugere Græcorum, eosque à te procul abjicere, atque tibi laborare, vitam in Eremo montis Carmeli demonstrandam assume: Nam in ipsa salvaberis.* His auditis Cyrillus respondit. *O Domina Virgo Maria gaude, tu sola cunctas hæreses interemisti in universo mundo, tu mihi consolatrix, ac Magistra in calcatum publicè callem me figere oportet pedem, & altiora sperantem paucissimorum signatum vestigiis iter arripere.*

Inter ipsum, & Patriarch. Constantinopol. controversia.

Monitû B. V. Mariæ ad Carmelum navigat.

Igitur Cyrillus omnia temporalia pauperibus distribuens; sæcularia quoque sæculo relinquens, versùs Syriam navigavit. Tandem ad sanctam Terram devenit, & in Jerusalem (Deô ordinante) prædictum Brocardum obvium habuit. Qui ad Cyrillum Græcô & Philosophicô collobiô indutum, dixit. *Salve vir bone. Quid habes negotij?* Gavisus Cyrillus Græcam, Atticamque linguam audiens, respondit. *Nihil negotij habeo, nisi promptâ voluntate Deo me totum offerre.* Quapropter Brocardus sibi talem Doctorem divinitùs missum existimans, ipsô in montem Carmeli secum sumptô, ait. *Ex hoc monte omnis Religio primordialiter effluxit; qui cæteris cujuscumque habitûs, formam vivendi præstitit, normam, statuta, & Regulam, ac omnia quæ à quocumque Institutore noscuntur approbata.* * *In hoc sancto monte superbenignissima Dei Genitrix Virgo Maria traditur à Patribus frequenter cum Sodalibus fuisse, & Eremitas tunc hîc degentes, Fratres suos appellasse.* Cum verò Cyrillus corporalem captasset requiem, apparuit illi sacratissima Virgo Maria dicens. *Hîc tutus eris.* Alterâ die sacri Ordinis habitu investitus à Brocardo, quotidiè de Scripturis sacris, & vita Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, ac eorundem Successorum invicem colloquebantur.

* De hoc plura num. 553. 866. 867. 868. & alibi.

1043. Deinceps porò corde, & humilitate Cyrillus Deo inhærens, Divinâ tùm gratiâ tùm revelatione dignus habitus est. Nam alicujus temporis intervallô vidit per quandam

noctem virum aspectu eximium, venerandum, juxta se stantem, capite infulatum, & dicentem. *Ne timeas Cyrille, sum enim* * *Basilius, quondam montis Carmeli Eremita, Cæsariensium Pastor, veniens hac tibi denunciare à Deo, quatenùs in Armeniam pergens, verbum Dei illic prædices, & lucernam Christi accendas.* Quâ visione Priori manifestatâ, de illius licentia cum fratre Eusebio in Armenia Dei semen spargens, Deo cooperante, sequentibus signis totam Armeniam ad fidem Christi convertit. Ex tunc suasione Cyrilli Rex Armeniæ cum omnibus Episcopis, & subditis suis anno Domini MCLXXXI. Lucio III. Papæ se subjecit. Hinc Cyrillus post decem annos ex Armenia ad montem Carmeli reversus, angelico tum aspectu, tum affatu, crebrisque divinis revelationibus consolationem habuit. In veneranda enim commemoratione sancti Hilarionis Eremitæ Carmeliticæ Religionis, Missarum solemnia celebranti, Angelus virginei aspectûs in nebula sibi apparuit, virgam liliatam habens in manu, & duas tabulas argenteas, Græcis litteris inscriptas, & dixit. *Has tabulas misit tibi omnipotens Deus, tanquam familiari amico.* In his erat scriptum quoddam compendium undecim capitulis distinctum, quod Abbati Joachim Ordinis divi Patris Benedicti tradidit explanandum. Initium tale est. *Tempore annorum Christi à mille ducentorum quinquaginta & quatuor &c.*

*De S. Basilio vid. supr. n. 577.

Dei jussu in Armeniam proficiscitur.

Angelus apparens ei binas tabulas argenteas adfert.

1044. Porrò post decessum sancti Brocardi (b) anno Domini MCXCVII. Prior tertius omnium Fratrum electione factus est. Cœlestinus vero Papa anno Domini MCXCI. anno suo primo auditâ ejus famâ, admonitum habuit, ut Patriarchatum susciperet Jerosolymitanum. Quod ille omninò renuit, sic rescribens. *Beatissimo Patri Cœlestino pedum oscula, Cyrillus famulus Christi. Sufficit mihi thesaurum Domini mei, id est animam, pro qua magnus ille mercator advenit, proprium sanguinem fundens, portare in hoc vase fictili: in monasterio nempè Carmeli, terrestres Angelos reperi, quorum veracitèr in cœlis conversatio est &c.* Dum quâdam vice cœco Eleëmosynam tribuisset, denarium cœcus oculis applicuit, & protinùs vidit. Tunc & mente illuminatus, recipi ad Religionem postulavit. Cyrillus verò propter absentiam Patris Brocardi, acceptare illum distulit. Et factum est post triduum quod sic illuminatus spiritum exhalaret. Cùm autem die quartâ Brocardus advenisset, fratribus occupatis obsequiis funeralibus, surrexit vivus, & ait. *Per Cyrillum à morte sum resuscitatus, cujus meritis sui à cecitate mentis & corporis liberatus.*

(b) *Patriarchatus Ierosol. ei præsentatur.*

Humiliter recusat.

Cœco visum tribuit.

Qui ejus meritis à morte resurgit.

1045. Certificatus * Divinâ revelatione Cyrillus, ob Christianorum scelera, Carmeli Religionem à Terra sancta eradicandam, pijssimam Virginem Mariam, ut Carmeli gregem conservaret, sedulis precibus rogitavit. Nec defuit Zeloso Dei Matris amatori Divina consolatio. Divinitùs enim edoctus est, quòd diversarum Regionum viri Mariæ Religionem profiterentur, qui eam in suis Regionibus copiosissimè multiplicarent: Et majori incrementô Monasteriorum, & personarum, tàm numeró, quàm privilegiis Apostolicis roborati, per totam Europam transplantarent. Demùm universarum virtutum ornamentô repletus, post tres annos assumptæ curæ sui officij, morbô ingravescente, cunctis monasterij Carmeli & Ordinis rebus ordinatis, & Sacramentis Ecclesiæ devotè susceptis, anno Domini (c) MCC migravit ad Christum. Est verò sepultus juxta corpora sanctorum Bertholdi, atque Brocardi; ubi sanctam Trinitatem, tres miraculis prædicantes, diem Resurrectionis præstolantur in pace. Eodem mense obitûs sancti Cyrilli, nautis de Cypro navigantibus, quidam in navi defunctus, ad littus montis Carmeli projectus est. Corpus autem à Fratribus collectum, dum ad sepulturam portaretur, super tumulum sancti Cyrilli erat collocatum, quousque fovea pararetur. Statim vero mortuus surrexit, dicens se à Beato Cyrillo vitæ meliori reservatum. Ob id habitû Ordinis sumptô XII. annis supervivens laudabilitèr, dormivit in Domino.

* Vide de illo revelat. parte 1. l. 9. c. 1. n. 416. & 419.

Revelatio ei facta de amissione Ter. S. & sui Ordinis propagatione.

(c)

Moritur, in Carmelo sepelitur.

Ad ejus sepulchrum mortuus resurgit.

1046. ANNOT. (a) Cyrillus Constantinopoli. *Epitomen vitæ illius habet Ioannes Grossi in Tractatu de Sanctis Ordinis hujus hic suprà num. 594. De revelatione circa Ordinis è Terra sancta in Europam transmigratione, illi à Deo facta agitur libro 9, ejusdem partis cap. 3 num. 416. & 419. Liber ejusdem per modum Epistolæ directus ad Eusebium montis Neroij insertus est parti prima hujus Speculi libro 7. cap. 6. & libro 8. cap. 1. 2. & 3. Vita, & gesta ejus traduntur tomo 4. Annalium Carmelitarum, & in Actis SS, per RR. PP. Bollandum, Henschenium, & Papebrochium ad diem 6. Martij: quo per totum Ordinem festum illius sub ritu duplici solemnizatur.*

(b) Anno MCXCVII. *Legendum potius* MCCXXI. *Rationem istius Chronologiæ rectè deducit Lezana in Annalibus Carmelitanis ad istum annum.*

(c) Anno Domini MCC. *Quantum ad obitûs annum, verisimilius assignatur* MCCXXIV. *ad quem plura de eo videri poterunt in dictis Annalibus Ordinis.*

CAPUT V.

(a) *Ordinis ex Terra sancta traductio in Europam: Regulæ confirmatio, jubente Virgine gloriosa.* (a)

1047. * PRæsciens Deus, propter Christianorum demeritum Terram sanctam, melle & lacte manantem (nedùm temporali respectu; verùm ampliùs melle suavissimæ Filij Dei conversationis, & lacte pietatis erga pœnitentes in sua humanitate assumptâ) devastandam, Religionemque Eliæ, & Marianam, ibi quidem eradicandam, sed numerosioribus palmitibus in Europam, & Latinam Ecclesiam transplantandam. Ob id tempore præcedenti sub tribus Generalibus Prioribus Ordinis nostri, Bertholdo, Brocardo, Cyrillo ordinavit diversarum Regionum de Europa, & Latina Ecclesia viros, Religionem Eliæ in monte Carmeli, & aliis Terræ sanctæ monasteriis profiteri. Qui post (ingruente necessitatis articulô) in suarum nationum Provinciis essent idonei eandem ibi instituere. Igitur dum propter recessum de Jerusalem Regum

* Vide ad hoc proposit. parte 1. nu. 416. & 419.

Nationum diversarum homines Carmeli Ordini aggregantur.

Franciæ,

Franciæ, & Angliæ, Philippi, atque Richardi ad loca nativa, Christiani in Terra sancta non haberent, propter Europæ Principum discordias, consueta subsidia, Pagani cum Saracenis Terram sanctam crudeliùs solitò, cœperunt invadere. Eà propter Carmelitæ de Europæ Regionibus oriundi timore perculsi ad suas Regiones redire, & inibi monasteria construere statuerunt; ut securè Deo, & Matri ejus famulatum jugem possent impendere. Propter quod, cum plures de Fratribus hoc non esse decens, judicarent; statim post mortem Cyrilli, convocatis universis omnium Terræ sanctæ Conventuum Patribus, factum est Capitulum Generale in Ecclesia primaria Virginis Mariæ in monte Carmeli. Ibi verò, Omnibus ad vigiliam noctis & ad orationem hortatis apparuit Superiori montis Carmeli Virgo gloriosa ingenti lumine, dicens: Hic sermo Filij mei est, ut non solùm Palæstinam & Syriam, sed etiam universum Carmeli Ordo Orbem Christianum illustraret. Hinc quidam natione Cyprij Carmeli Ordinem in Famagusta instituerunt. Similitèr in Eremo Frontana ejusdem insulæ. Alij verò de Sicilia orti, fundaverunt monasterium in Suburbio Messanæ Civitatis, in urbe Panormitana, Drepanensi, ac Leocata, aliàs Leoncio. In hoc capitulo erat ordinatum, quatenùs in omnibus observantiis, uniformes inveniremur, tùm in officio Ecclesiastico, tùm in vestimentis, & hujusmodi. Cujus ordinationis est initium: *Quoniam ex præcepto sanctorum Patrum jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino; & quia justum est, ut sub una Regula viventes uniformes in necessariis nostra vita observantiis inveniamur &c.*

Qui posteà Ordinem in Europam traducunt.

1048. (b) Postquam autem venerabilis (b) Bertholdus septem annis studiosè Ordinem rexisset, diem clausit extremum. Defuncto Bertholdo, Alanus Brito loco ejus subrogatur. Circa initium regiminis istius, Dominus Joannes Vesci, & Dominus Richardus Grey Anglici Barones, ab Anglorum Rege Richardo in præteritis annis, in suo recessu ad Terræ sanctæ defensionem cum expedito exercitu dimissi, ad Angliam redire decreverunt. Tunc montem sanctum Carmeli ascendentes, quosdam Fratres ex Anglia natos, de Prioris Alani assensu ad Angliam perduxerunt. Dominus autem Joannes Vesci in sylva, juxta Alnewicum illis construxit monasterium. At Dominus Richardus Grey apud Ailesfordiam in Cantia dedit eis locum, (c) anno Domini MCCXII. Ex his post pauca tempora in Nervedia, in Londoniis, in Eboraco, & aliis pluribus Angliæ locis, sunt multiplicati.

Angliam Carmelitæ ingrediuntur an. 1212.

1049. Fuit autem in diebus illis in Anglia quidam Solitarius, in trunco solus residens, Deo acceptissimus, nomine Simon, natione Anglicus, Spiritu Prophetiæ clarus. Prænoscens autem Carmelitarum adventum in Anglia, dimissâ solitudine, Regnum Anglicanum, velut sydus, verbô paritèr & exemplô illustrans perambulabat. Hic post, assumptô Ordinis nostri habitu, in tantùm scientiâ & vitâ cæteros fratres præivit, ut Alano defuncto in Capitulo Generali in Anglia celebrato, (d) in Generalem Ordinis Priorem eligeretur. Erat enim compositus moribus, charitate fervens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserendum pronus, eloquentissimus, tàm vehemens, tàm efficax quoque Divinorum eloquiorum enucleator, ut Anglorum animos à vitiis ad virtutes mirabilitèr commutaret. In judicio certus, in eloquio modestus, strenuus in agendis, humilibus & minoribus se blandum, pœnitentibus benignum, rigidum superbis, & inflexibilem reddens obstinatis.

Illis se jungit S. Simon Stock.

Eruditione, & sanctitate insignis.

1050. Et quia Innocentius in Concilio Lateranensi prohibuit novas Religiones invenire, Prælati Terrarum in Europa, ubi Carmelitæ novitèr venerant, fuerunt ipsis valdè infesti, quasi novam Religionem induxissent, propter Regulam Alberti novitèr assumptam. Non enim attenderunt, quòd ante Concilium Lateranense Albertus suâ potestate ordinariâ hoc potuit. Hâc necessitate ingruente, Radulphum Alberti successorem, qui Concilio Lateranensi interfuit, Carmelitæ pro consilio adierunt. Suasit igitur, ut ad Honorium Innocentij successorem, pro Regulæ Alberti confirmatione accederent. Venientes autem Reatæ ad urbem (e) Fratres, Honorium tertium cum Cardinalibus suppliciter orant, ut antiquam Propheticam Religionem, Albertique Regulam suæ etiam confirmationis munimine roboraret. Distulit autem Matris Dei milites exaudire Vicarij Christi Curia. Quapropter sacratissima Dei Mater Maria tenebris noctis interruptis, ethæreo cum lumine adveniens, Summum Pontificem admonuit, ad petentium vota animum dare. Nec est (inquit) adversandum in his, dum jubeo, nec dissimulandum, dum promoveo. Insinuavitque eidem duos de curialibus suis dictæ Religionis æmulos, Deô ultore, esse plexos dispari exitu, sed discessu pati. At expergiscens Pontifex, suos obnixè concitat in Ordinis favorem Mariani. Igitur anno suo primo confirmavit Honorius Regulam Alberti anno Domini MCCXVI. III. Kal. Februarij, secundo anno regiminis ipsius Simonis, sub tribus distinctis Bullis. Una est in Conventu Tholosano (teste Magistro Joanne Grossi) habens in longitudine pedem, in latitudine quartam partem pedis. Altera in Conventu Lugdunensi (teste Magistro Joanne Bachone.) Tertia in Conventu Londonensi, teste Magistro Joanne Borubij. Cujus tenor talis est: *Honorius Episcopus Servus servorum Dei,* * *dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremi de monte Carmeli, salutem &c.*

Honorio III. Pontifici apparet B. V. Maria.

Monent confirmari Regulam Carmeli.

* Bulla illa præcessit in parte 1. nu. 350. ideo hic prætermittitur.

1051. Consequentèr confirmavit Gregorius nonus, cujus tenor talis est: *Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremi montis Carmeli, salutem & Apostolicā benedictionem. Ex officij nostri debita circumspectione, tenemur solicitam exhibere cautelam, ne hi qui ascenderunt orare cum Domino, & pedes suos laverunt, iterum eos coinquinent, à contemplationis specula descendendo &c.* * *Regulam vestram approbatam à bonæ Memoriæ Honorio Papa Prædecessore nostro, & ab eo vobis traditam, in remissionem peccatorum*

* Etiam illa Bulla habetur ibid. n. 354.

catorum observandam Authoritate Apostolicâ confirmamus, & in eodem loco ac aliis terrarum locis, perpetuis temporibus observari præcipimus &c. Porrò Honorius III. anno suo primo confirmavit Ordinem Fratrum Prædicatorum. Et anno Domini MCCXXII. Ordinem Fratrum Minorum: similitèr Ordinem sanctæ Claræ, & Fratrum de tertia Regula. Prædicti etiam Pontifices, scilicet Innocentius III. Honorius III. & Gregorius IX. contulerunt benefactoribus Ordinis nostri quasdam Indulgentias, ut patet per Sixtum Papam IV.

1052. ANNOT. (a) Ordinis ex Terra S. traductio in Europam. *Illam à Scriptore vicino illis temporibus quibus contigit, Guilielmo de Sanvico, seu Samuco litteris commendatam reperiet Lector in prima parte hujus Speculi libro 9. cap. 3. 4. & seq.*

(b) Ven. Bertholdus: *Chronologiæ rationem quo-ad tempus regiminis, & obitûs venerabilis Bertholdi Prioris Generalis, nec non duorum antecedentium, & trium subsequentium habet Annalista Ordinis Ven. P. Ioannes Baptista de Lezana, quem in hoc sequendum reputamus.*

(c) Anno Domini MCCXII. *Tunc Carmelitas aliquot in Angliam venisse habetur ex dictis hic supra num.* 807. 810. 831.

1053. (d) In Generalem: *Quo ad initium, ac tempus regiminis B. Simonis Stock insistendum supputationi ejusdem P. de Lezana. Ceterùm illo anno MCCXV. B. Simonem Generalem Vicarium pro negotiis Ordinis, cum potestatis plenitudine pro Europæ partibus institutum tradit Segerus Pauli in Chronologia vitæ ipsius Simonis. Lezana verisimilius autumat id contigisse aliquot annis post. Quædam circa hoc dicta hic supra num.* 579.

(e) Fratres Honorium III. cum Cardinalibus suppliciter orant. *De illa Regulæ confirmatione, & prævia B. Virginis Mariæ apparitione plura vide in parte 1. libro 8. cap. 5. & ibi in Notis num.* 358. (*ubi etiam dictum, quod vetusta Ordinis exemplaria exprimant annum decimum ipsius Honorij*) *Ejusdem mentio fuit num.* 837.

CAPVT VI.

Monente Patronâ Ordinis ab Innocentio quarto Summo Pontifice contra illatas infestationes remedia postulata & impetrata: Regulæ moderatio.

1054. HInc post prædictorum Pontificum confirmationem, Fratres Ordinis Carmelitarum, dùm in diversis Europæ partibus fuissent multiplicati, præsertim in Eremo Aquilegiensi apud Marsiliam: in Avinione quoque, & in Arelata, & in pluribus aliis locis, per devotorum fidelium subsidia monasteriis fundatis, plures Ecclesiarum Prælati diversas eis molestias intulerunt. At beatissima Dei Mater Virgo Maria à suis Fratribus humilitèr invocata, apparens Priori Carmelitici Ordinis Generali, ait: (a) *Vade ad Innocentium quartum intrepidè, qui juxta sui nominis interpretationem partem innocentûm fovêre consuevit.* Igitur Virginis Christiferæ consiliô, Innocentium accedentes, ab eo mirâ humanitate tractati, pia vota sua consecuti sunt. In primis eos sub protectione Sedis Apostolicæ recepit, & quod tempore interdicti, divina (clausis januis) celebrarent, indulsit, Idibus Junij Pontificatûs sui anno secundo, residens in Lugduno. Incipit, * *Religionis vestræ meretur honestas.* Scripsit secundò Ecclesiarum Prælatis & universis Christi fidelibus, ut Fratres benignè recipientes, de locis eorum Religioni aptis gratiosè providerent. Incipit: * *Cum dilecti Filij Prior & Fratres &c.* Ex Lugduno XII. Kal. Julij anno Pontificatûs sui secundo, anno Domini MCCXLV. Eodem anno confirmavit Regulam Domini Alberti, sub eadem verborum forma Gregorij noni. Has post litteras obtentas, Fratres Eliani & Mariani Ordinis de Carmelo in Sicilia, per Apuliam, per Tusciam, & omnes Italiæ Provincias fuerunt in diversis Eremis dilatati. Ex Anglia per Hyberniam, & Scotiam, Narbonam, Aquitaniam, Hispaniam quoque adaucti sunt. Sed nec tunc Ecclesiarum Prælati quidam, & Diœcesani cessarunt resistere Fratribus. Undè coacti Carmelitæ novas litteras ab eodem Innocentio obtinuêre. Incipit: * *Paganorum incursus dilectis Filiis & Fratribus Eremitis Beatæ Dei Genitricis de monte Carmeli necessitatem induxisse dignoscitur.* Ex Lugduno VI. Kal. Augusti anno Pontificatûs nostri quarto, anno Domini MCCXLVI.

* Vide parte 1. num. 463.

* Vid. ibid. n. 427.

* Vide p. 1. nu. 433.

1055. Porrò circa hæc tempora Christianissimus (b) Francorum Rex Ludovicus, post multa exercita contra Paganos prælia, reversus ad Franciam, cùm ad Carmeli radices evasisset maris periculum, Virgine Mariâ à se invocatâ, ascendit Carmelum. Tunc Deo & Mariæ gratiarum actione refusâ, sex Fratres de Francia natos, secùm de Prioris licentia duxit. Veniens autem Parisios, extra portam Barraram manere statuit. Sed posteà, multiplicatis Fratribus propter studium litterarum, in civitatem translati sunt. (b)

Prædictus verò Innocentius Fratrum providens quieti, exemit eos ab authoritate Episcoporum. Incipit: * *Devotionis vestræ precibus inclinati.* Et quia (teste Hieronymo ad Eustochium) nulla tàm sancta, tàm justa, & diu provisa est institutio, quæ in futurum plurimos non patiatur defectus, quin aliquandò correctione indigeat, Idem (c) Innocentius anno Domini MCCXLVIII. Kal. Octobris mitigavit, declaravit, ac correxit Regulam nobis ab Alberto traditam, & confirmavit. Cujus tenor talis est: * *Innocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, salutem & Apostolicam benedictionem. Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidiô sunt fulcienda perpetui &c.*

* Habetur in Annal. Carm. ad an. 1246. nu. 3.

(c)

* Vide p. 1. num. 391.

Regula ab Innocentio IV. sic mitigata & declarata, integra habetur in parte prima hujus Speculi libro 8. cap. 7. num. 375. & seq. Ideò hic prætermittitur.

1056. Anno sequenti, scilicet anno Domini MCCXLIX. in Oppido Harlemensi Fratres nostri Conventum fundaverunt, & in Oppido Bruxellensi. Hinc (d) Bopardiæ, Franchfordiæ, Crucenaci, Winhem, & in cæteris aucti sunt civitatibus, Colonia, Mogontia, Spira, Wormacia, Argentina, & similibus. (d)

Tunc

Tunc contra Prælatorum infeſtationes, Innocentius quartus, anno ſuo VIII. V. Kal. Octob. iteratò ſtabiliuit Fratres Carmelitas ſub Apoſtolica protectione. Incipit: * *Religionis veſtra meretur honeſtas.* Item an. ſuo nono Idibus Januarij. Incipit: *Ex parte dilectorum Filiorum Eremitarum Ordinis ſanctæ Mariæ de monte Carmeli.* Etiam anno ſuo octavo dedit quaſdam Indulgentias & remiſſionem tertiæ partis omnium peccatorum, ac quadraginta dies, V. Kal. Octob. Incipit. *Splendor paternæ gloriæ.* Inſupèr quòd non teneмur dare decimas de hortis noſtris & virgultis, anno ſuo XI. quinto Kal. Decembris. Incipit: *Sacroſancta Romana Eccleſia.* Conſequentèr quòd excommunicatis & interdictis Ordinem noſtrum intrantibus abſolutionis beneficium impendere poſſumus. Incipit: *Quia ex Apoſtolica cura.* Etiam anno & die quibus ſuprà, quòd de quibuſcumque criminibus Prior abſolvere poteſt ſuos Fratres. Incipit: *Canonicâ inſtitutione cavetur.* Conſequentèr quòd Prior idoneos Fratres de licentia Diœceſani, ad prædicandum poteſt emittere, anno ſuo XI. Kal. Septembris. Incipit: *Devotionis augmentum.*

* Habetur num. 463.

ANNOT. (a) Vade ad Innocentium. *Illud contigit anno MCCLI. Vide ſupra num. 442. & 443. Prior Generalis erat S. Simon: cui etiam tunc B.V. Maria Scapulare tradidit. Innocentius IV. quam beneficus Ordini fuerit, patefcet legenti in parte prima libro 9. cap. 4. & 5. ac 7. nec non libro 10. cap. 1. Præcipua ejus Bullæ huic Ordini conceſſæ inſerta ſunt tomo 4. Annalium Ordinis, ad ſingulos annos quibus data.*

(b) Francorum Rex Ludovicus. *Hiſtoriam S. Ludovici periclitantis circa Carmelum, & indè Religioſos in Franciam ducentis traditam ab ejuſdem ferè temporis ſcriptore Guilielmo de Sanvico videre licebit in eadem parte prima num.* 437. & 440.

(c) Innoc. anno Domini MCCXLVIII. mitigavit, declaravit &c. *De iſta Regula declaratione, mitigatione, & cur, & in quibus punctis facta, accuratiſſimè ſcripſit Sibertus de Beke in Tractatu ſuper Regulam, & habetur in parte prima hujus Speculi libro 8. cap. 6. per totum: & cap. 7. ponitur ipſa Regula ſic declarata, inſerta Diplomati Pontificio. At Lector meminerit etiam Notas in utrumque illud caput levi oculorum ictu percurrere.*

(d) Bopardiæ. *Fundatio prima ibi fuit anno Chriſti* 1054. *& Coloniæ an.* 1198. *ſicut in Annalibus Carmelitanis declaratur ad iſtos annos.*

CAPUT VII.

Ordo Carmeli variis Summorum Pontificum favoribus, & ſingulariſſimò ſacri Scapularis privilegiò per S. Simonem Stock, ab ipſa Cœli Regina impetratô, decoratur.

1057. SAcer Ordo Carmelitarum, ſicut univerſalis Eccleſia, habet quinque proviſiones, quibus in hac gubernatur vita fluctuoſa. Habet Eccleſia Euangelium, pro fidei fundamento; ſacros Doctorum Canones, pro bonorum morum ornamento; Ordinarium, pro Divinorum officiorum regulamento; gratias Imperiales, pro Eccleſiarum libertatum munimento; merita Sanctorum, id eſt Indulgentias, pro peccatorum medicamento. In Canone diſt. XCVI. C. *Conſtantinus.* Ità Religio Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli, quæ eſt filia particularis Eccleſiæ, habet primò Regulam, ſecundùm quam Fratres vivere profitentur; Conſtitutiones, ſecundùm quas uniformitèr regulantur; Ordinale, ut unicorditèr Divina peragantur; Indulgentias, quibus benefactores Ordinis ſpiritualitèr remunerantur; Gratias Apoſtolicas, ut Fratres quietiùs Chriſto famulentur.

Eccleſia habet 5. proviſiones quibus gubernatur.

Ità quoque Ordo Carmelit.

1058. Defunctô igitur Innocentiô, (a) Alexander quartus in Papatum ſubrogatus, in primis annô ſuô primô Idibus Februarij, dedit remiſſionem unius anni, & unius quadragenæ benefactoribus Ordinis. Incipit: *Proviſionis veſtræ.* Secundò ne Epiſcopi aliquid exigere auſint à Fratribus, anno ſuo ſecundo VIII. Kal. Februarij. Incipit: *Cum Prælatis.* Tertiò quòd Prior Generalis & Provincialis liberè poſſint viſitare Fratres, & ad probationem novitios recipere. Incipit. *Religionis veſtræ,* anno, die, menſe quibus ſuprà. Quartò, eodem anno tertiâ die Februarij confirmavit Regulam Alberti per Innocentium mitigatam. Incipit: *Cum à nobis petitur.* Quintò, eôdem an. Idibus Februarij, quòd tempore interdicti divina poſſumus celebrare. Incipit: *Religionis veſtræ.* Sextò eodem anno, & die ut ſuprà, miſit mandatum univerſis Chriſtifidelibus, ut Fratres benignè ſuſcipientes, eis de locis opportunis providerent. Incipit: *Cum dilecti Filij.* Septimò eodem anno VI. Kal. Martij, quòd Prior electus & conſentiens, ſit à Sede Apoſtolica confirmatus. Incipit: *Quoniam ex Apoſtolica cura.* Octavò, eodem anno, V. nonas Maij, quòd familiaribus noſtris ſacramenta confeſſionis & Altaris poſſumus miniſtrare. Incipit: *Devotionis veſtræ precibus.* Nonò, quòd nullus Fratrum ſine Prioris Generalis licentia ſpeciali, poteſt alteram Religionem intrare, an. ſuo V. Idibus Februarij. Incipit. *Quieti veſtræ providere.* Decimò, omnibus Patriarchis, Epiſcopis &c. ne in quocumq; ſint moleſti Fratribus, anno, die, quibus ſuprà. Incipit. *Ad Audientiam noſtram pervenit.* Undecimò, anno eodem V. Kal. Aprilis, quòd Priores poſſunt diſcolos Fratres corrigere. Incipit: *Proviſionis noſtræ.* Duodecimò, quòd in locis novitèr acceptis poſſimus Oratoria erigere, anno ſuo VII. Idibus Martij. Incipit: *Speciali gratiâ & favore.* Tertiodecimò, recepit Ordinem ſub protectione Apoſtolicæ Sedis, anno, die quibus ſuprà. Incipit: *Speciali favore.* Quartodecimò, quòd Prior Fratres abſolvat de quibuſcumque. Incipit: *Canonicâ Conſtitutione:* anno prænotato. Quintodecimò, eodem anno, III. Kal. Aprilis, de quibus Ordinem noſtrum intrantes poſſunt abſolvi. Incipit: *Ex Apoſtolica cura.* Sextodecimò, tàm Fratres quàm omnia eorum bona ſub protectione Apoſtolica recepit. Incipit: *Religionis veſtræ.*

(a) *Alexander PP. IV. Ordini Carmelit. multiplices largitur gratias, & privilegia.*

1059. Poſt deceſſum Alexandri, (b) Urbanus quartus ſucceſſit, an. Dom. MCCLXII. Hic in primis conceſſit, ut coram Magnatibus, & Nobilibus ac familiaribus in Altari portatili, divina celebrare poſſimus, anno ſuo primo, XIII. Kal. Martij. Incipit: *Devotionis veſtræ.* Secundò eodem an. Idibus Maij, quod Chriſtifide-

(b) *Urbanus PP. IV. Ordini Carmelit. varia tribuit indulta.*

ſtifidelibus familiaribus abſolutionis beneficium poſſumus impartiri. Incipit: *Vobis ad hoc totâ mente &c.* Tertiò confirmavit Regulam Alberti per Innocentium mitigatam, eodem anno, XXII. Maij. Incipit: *Cum à nobis petitur.* Vidi Bullam in Conventu Leodienſi Provinciæ Franciæ. Quartò, conceſſit de Oratorio conſtruendo, & plura alia indulta, anno eodem, VI. Kal. Junij. Incipit: *Speciali gratiâ, & favore.*

1060. Poſtquam autem ſacer Marianus & Eliæ noſter Ordo privilegiis Summorum Pontificũ
(c) (ut præmiſimus) fuit ſolidatus, (c) B. Simon Prior Generalis, eò magis Chriſto & Matri ejus intentiùs ſerviens, & Fratres ad ſerviendum inducens, quantò Ordinis titulô celebriores, & Apoſtolicæ Sedis acceptiores erant. Undè non multitudini divitiarum, ſed gratiarum, non ornamento veſtimentorum, ſed virtutum incumbens, ſedulò Mariam deprecabatur, quatenùs Ordinem ejus titulô inſignitum, aliquô ſingulari privilegiô munitum, ad ſui Laudem, & multorum ædificationem fidelium decoraret, frequentèr ſic orando: *Flos Carmeli, vitis florigera: ſplendor cœli, Virgo puerpera ſingularis. Mater mitis, ſed viri neſcia: Carmelitis da privilegia: ſtella maris.* Nec defuit fervido ſuo Zelatori ſuperliberalis Virgo Dei Mater, ſed Angelicis comitata catervis, lumine amicta eidem apparuit dicens. * *Dilectiſsime mi, recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meæ confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium. In quo moriens æternum non patietur incendium. Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.* Emergit fama facti, rumor de Anglia ad exteras ſpargitur nationes, fit res celebris populo Dei. Ratione itaque tanti, tamque ſingularis ſigni ſalutis, & privilegij pacis ſempiternæ, complures magnorum Statuum viri & fœminæ arma illa Reginæ cœlorum, & ſcutum apprehendentes, ſe Religioni Carmeli offerebant: Velut Ludovicus Rex Franciæ, Anglorum Rex Eduardus, D. Henricus Lancaſtriæ dux miraculis clarens, Comes Nortumbriæ Henricus, Angela filia Regis Bohemiæ, Joanna & Anna Tholoſanæ ſacrum Ordinis habitum Scapulare nocte dieque portarunt, aliique plures diverſarum Provinciarum. Plures inſupèr ijſdem temporibus eundem habitum ſuſcipientes, à diverſis ſunt curati languoribus.

* Al. dilectiſſime mi.

Scapulare ſignum ſalutis, accipit S. Simon Stock à B. V. Maria.

Proceres plures ſcapulare recipiunt.

1061. Tandem B. Simon deficiente vino, aquam in vinum mutavit. Invitatus in domo Germani ſui ad prandium, bullitum piſcem in aquam projectum, fecit, ut nataret illæſus. Aliis inſuper
(d) pluribus miraculis clarus, (d) dum quinquaginta annis Ordinem (teſte Magiſtro Joanne Groſſi) laudabilitèr rexiſſet, multis Apoſtolicis privilegiis impetratis, Vaſconiam Provinciam,
(e) (e) anno centeſimo vitæ ſuæ viſitans, in Burdegalia febribus correptus, XVI. die Maij, coram poſitis Fratribus & orantibus migravit ad Dominum anno MCCLXV. pluribus miraculis etiam poſt obitum clarus, & memoriâ dignus.

S. Simon Stock moritur Burdegala an. 1265.

1062. ANNOT. (a) Alexander IV. &c. (b) Urbanus IV. &c. *Diplomata iſtorum Pontificum videre licebit in Bullario Ordinis, atque etiam tomo 4. Annalium ad iſtos annos. Quædam etiam in parte prima hujus Speculi libro 10 cap. 1. & 2. Peculiariter hic reflectendum, ad ſingularem Dei providentiam, ſic ordinantem, ut Ordo ex Terra S. exturbatus, & in Europam traductus mox tam benevolos, & in ſui favorem effuſos reperires Summos Pontifices. Id factum, ut ex antecedentibus habetur, interceſſione potentiſſima ſuæ Patronæ V. M. Vide ſupra num. 430. 442. 445. & 477.*

(c) B. Simon Prior Generalis... Virgo Dei Mater eidem apparuit dicens: ... Recipe hoc tui Ordinis Scapulare. *De illa apparitione glorioſa Virginis Mariæ facta B. Simoni, deque tradito eidem ab ipſa Scapulari vide hic ſuprà nu. 599. 617. 618. & 831. Plura circa eam dicentur in parte tertia. Feſtum ejus ſolemnizatur in toto Ordine Carmelit. die 6. Maij.*

1063. (d) Dum 50. annis Ordinem rexiſſet. *Circa hoc notandum quod Lezana ad annum 1265. ſcribit:* Ab anno 1212. quo Carmeli aliquot Eremitæ in Angliam venerunt; vel paulò poſt, ſub anno videlicet 1215. prout Segerus autumat, ſub ipſius, abſdubiè ſanctitate, & doctrina præclari, ac moribus illius Regionis peritiſſimi, cura, & gubernio extitêre; etiam ſub titulo Vicarij Generalis, juxta dicta ſub anno 1221 & ſequentibus, ut propterea in ipſius vita, ac Officio Burdegalenſis monaſterij, quinquaginta annos præfuiſſe dicatur, computatis ſcilicet ijs, qui ante Generalatum tranſierunt. *Ad idem propoſitum vide hic ſuprà num. 579.*

(e) Anno centeſimo vitæ ſuæ... migravit ad Dominum anno MCCLXV *Ità quoque Pitſeus de Viris illuſtribus Angliæ ad annum Chriſti 1265.* Burdegali tandem in Vaſconia vitam hanc cum meliore commutavit, & ibidem in æde ſumma ſepulturam accepit die decimo ſexto Maij, anno ætatis ſuæ plus minus centeſimo, nati verò Chriſti Servatoris 1265. dum Angliæ regali poteſtate præſideret Henricus tertius. *Aubertus Miræus libro de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani cap. 6.* Obiit S. Simon anno ætatis ſuæ plus minus centeſimo, nati verò Chriſti Servatoris 1165. *Lezana in Annalibus ad annum 1265 atque alij ab eo ibi citati, eundem annum ſignant.*

CAPVT VIII.

Marianus, & Elianus Carmeliticus Ordo multifariè, imò (a) omnifariam à Deo, Patriarchis Ieroſol. Conciliis Generalibus, ac Apoſtolicâ Sede ſolidatus, approbatus, & confirmatus. (a)

1064. FRatrum Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli Religio per ſanctos Prophetas inchoata, & in veteri Teſtamento continuata, & ſimilitèr in Lege gratiæ uſque in hunc diem continuè ſine intermiſſione exculta, multiplicitèr ſolidata, approbata, & confirmata eſt. Patet hæc concluſio per Magiſtrum Joannem Borubij contra æmulos Carmelitarum ſic. Extra. de Rel. do. c. *Religionum diverſitatem §. Ceterum,* ubi ſic dicit Papa. *Ceterum Carmelitarum & Eremitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit, in ſolido ſtatu volumus permanere.* Papam enim velle, voluntate beneplaciti, aliquem Ordinem *in ſolido ſtatu permanere*, eſt ipſum Ordinem ad permanentiam acceptare: ſed Papam aliquem Ordinem ad permanentiam acceptare, eſt ipſum Ordinem approbare: Igitur Papa in iſta Decretali approbat Ordines Carmelitarum & S. Auguſtini. Conſequentia patet per Archidiaconum in Gloſſa, ubi approbat iſtum textum, *in ſolido ſtatu*, ubi dicit. *Hæc littera mutat antiquam:* & per Dominum Cardinalem in diviſione textus *Ceterum*, ubi ſic dicit: *Carmelitarum, & Eremitarum Ordines conſolidat. Et ſic iſti duo Ordines ſunt totalitèr confirmati.* Et Joannes Andreas dicit ſic.

Confirmatio multiplex Ordinis Carmelit. ſcilicet.

Solido

Solido & non solito, & per consequens Ordo Carmelitarum est status solidus, firmus, & confirmatus. Et hoc, teste Joanne Borubij, multiplici jure. Primò, jure ordinariæ potestatis. Nam Joannes XLIV. & postea Albertus, Patriarchæ Jerusalem, ante Concilium Lateranense habuerunt authoritatem Religiones instituendi, institutas regulandi suâ ordinariâ potestate, & confirmandi. Nam instituere Ordinem, & fovere institutum, non erat Apostolicæ Sedi reservatum ante Lateranense Concilium. Hoc patet extra. de Religiosis domibus, capitulo. *Ne nimia.* Quidquid enim non est Superiori reservatum, nec inferiori prohibitum, intelligitur ei de jure concessum, extra. de senten. excom. cap. *Nuper.* & de sponsalibus. *Cum apud se.* & XVI. q. I. *Sunt nonnulli.*

Iure ordinariæ potestatis.

1065. Secundò, Jure Canonicæ ratificationis. Concilium nempè Lateranense novas de cætero Religiones sine Apostolicæ Sedis licentia invenire prohibuit, propter nimiam diversitatem (ut suprà dictum est) sed inventas, & ante Concilium institutas Religiones non exterminavit, & ait. *Quicumque se ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Tunc verò ante Concilium Lateranense non erat approbatio Religionis, nisi ordinariæ potestatis, vel juris; sed Religio Carmeli ante Concilium illud erat ordinariè approbata; igitur in eodem Concilio jure Canonicæ ratificationis extitit confirmata.

Iura Canonica ratificationis.

1066. Tertiò, jure specialis Apostolicæ Decisionis. Ordo enim Carmeli ante Concilium Lugdunense per Honorium tertium, Gregorium nonum, Innocentium quartum, Alexandrum quartum, Urbanum quartum, & per cæteros erat multiplicitèr confirmatus: tunc etiam post per Lugdunense conciliũ, donec aliud ordinaret in suo statu permissus: qui status fuit solidus, & per jã dictos confirmatus. Post hoc, per Bonifacium, hic §. *Donec*, totalitèr fuit rescecatus, ut patet in sexto de Religios. do. C. *Religionum diversitatem.* Et sic in suum firmum, & solidum statum, quem semper ab initio habuit, reductus est. Igitur specialis Decisionis jure est realitèr confirmatus.

Iure Apostolica decisionis.

1067. Quartò. jure Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ordinationis. Quisquis enim Ordo habet Regulam à Sede Apostolica confirmatam, censetur approbatus & confirmatus; extra, de excess. Prælatorum, C. *Nimis iniqua* &c. *Nimis prava.* Sed * Ordo Carmeli habet Regulam à Sede Apostolica confirmatam & approbatam. Quintò, jure specialis mentionis. Quippè dum in privilegiis datis fit alicujus mentio specialis, jus ei valet, pro quo inducitur, sed Joannes XXII. & Clemens VI. in privilegio exemptionis Ordinis nostri tangentes illud jus Decretalis de Relig. do. in sexto §. *cæterum*, sic dicunt. *Sacer Ordo vester in agro Dominico Divinâ dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulô specialitèr insignitus Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.* Infrà. *Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere, considerationis intuitum dirigentes.* Hæc ibi. Ecce mentio per Apostolicam Sedem facta de confirmatione Carmelitarum in communi.

Iure ordinationis Ecclesiæ Rom.

* Regulæ approbationem multiplicè vide parte I. lib. 8. cap. 5. & 8.

1068. Sextò, juré irrefragabilis, & Divinæ provisionis, ad similitudinem Christianæ Religionis. Actuum 5. *Si ex Deo est &c.* Sed Ordo Carmelitarum processit semper, Deo protegente, in sua antiquitate, & prophetica institutione, & stabilitate: nec unquam per Saracenos, vel Assyrios, Chaldęos, atque Imperatores Romanos Ecclesiam Dei persequentes vel per aliquam legem editam potuit hucusque dissolvi. Hæc prævidens Isaias dixit. *Habitabit in solitudine judicium, & justitia in Charmel sedebit, & opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.* Istud Beato Petro Thomæ Carmelitæ, Theologo magno, à Beata Virgine eidem apparente, dum obnixè pro Ordinis stabilitate orasset, fuit ostensum, dicente: *Petre exaudita sunt à Filio meo preces tua, (b) Elia enim Religio usque in finem sæculi permanebit. Nempè in transfiguratione Filij mei Elias ab eo instantissimè petijt, & obtinuit.* (c) Origenes super libro Numerorum ait: *Moyses in hac apparitione oravit pro populo suo petens, ut cum plenitudo Gentium introisset, & omnis Israël salvus fieret.* Existimandum planè non est, Moysen pro populo suo, qui sibi adeò rebellis, & cervicosus semper extiterat, sollicitasse; Eliam autem, Carmeli Patriarcham, cœtum Fratrum suorum neglexisse, cujus Legislator fuerat, & præceptor; sed magis haud segniter pro eo supplicasse, & exauditum. Nec etiam verisimile est, quòd Deus negare velit Religioni Carmeli, peculiari Matris suæ familiæ, quod omnibus dedit Religiosis. Hactenùs enim quælibet Religio duravit, ad minùs usque ad mortem sui Fundatoris, Patronus Carmelitarum, & Fundator Elias Propheta, & virginum primicerius, nondùm mortuus, usque in præsens manet vivus, Paradisi terrestris colonus.

Iure Divina provisionis.

Isa. 32.

(b)

(c)

1069. ANNOT. (a Omnifariam ... solidatus &c. *De omnimoda Ordinis hujus confirmatione eruditè, & luculenter tractarunt Philippus Riboti in prima parte hujus Speculi, libro 10. nec non Ioannes Hildesinus, Ioannes Bacho, & plerique alij in hac parte secunda.*

(b) Eliæ Religio usque in finem seculi permanebit. *Istam revelationem factam S. Petro Thoma litteris commendavit ejusdem discipulus Ioannes Hildesheim in Defensorio, hic suprà, cap. 5. Videantur etiam ibidem Nota, num 661. & 663. ac seq.*

1070. (c) Origines super libro Numerorum: *videlicet homilia 7. ubi ista:* Quem, *inquit*, oportebat orare ad Dominum pro sanitate populi illius, nisi Moysen? Moyses orat pro illis, & fortè hoc erat, quod cum Domino Jesu colloquebatur: cum in monte transformatus est, petens ab eo, ut cum plenitudo gentium introisset: tunc omnis Israël salvus fieret. *Hinc rectè infert Palaeonydorus;* Si Moyses oraverit pro populo rebelli; majori ratione existimandum, Eliam orasse pro suo cœtu.

CAPUT IX.

Circà, & post ann. Dom. MCCLXX Ordo Carmeli Apostolicis auctus privilegiis, & personis refulgens sanctitate conspicuis: pallia Barrata deposita, Cappæ albæ resumptæ.

1071. DEfunctô igitur sanctô Simone Stock, Tholosæ in Aquitania Provincia, fuit celebratum Capitulum Generale in die Penthecostes, invocatôque Spiritu sanctô ad totius Ordinis regimen fuit electus Frater (a) Nicolaus Gallicus. Hic gregis sibi commissam assumens curam, corpus suum in Dominico onere, & servitio studuit mancipare. Hujus tempore Urbani successor Clemens quartus, inprimis Ordini nostrô concessit, ut nullus ultra duas dietas ad judicium Fratres nostros trahere præsumeret. VII. Idus Maij anno suo primo. Incipit: *Meritis vestræ Religionis.* Secundò eodem anno, X. Kal. Junij, mandavit omnibus Prælatis à Fratrum cessare molestia, & defensionis eis præsidia ministrare. Incipit: *Ad audientiam nostram pervenit.* Tertiò eodem anno IV. nonas Junij concessit de Altari portatili. Incipit: *Devotionis augmentum.* Quartò eodem anno, nonis Augusti donavit, quòd legata ultimarum voluntatum recipere possimus. Incipit: *Necessitati vestræ paternô compatientes affectû.* Quintò, quòd non daremus decimas de agris nostris, & virgultis. Incipit: *Speciali gratiâ, & favore.* Sextò eodem anno XI. Kal. Novembris Prælatos adhortatus est, ne in novis locis recipiendis Fratribus sint molesti. Incipit. *Ex parte dilectorum Filiorum.*

(a) *Clementis IV. PP. varia indulta concessa Ordini Carmelit.*

1072. Anno autem Domini MCCLXVII. Venerabilis Prior Nicolaus celebravit Capitulum Generale in civitate Messana in Sicilia. Tandem cum annis quinque Ordinem gubernasset auriga bonus, cum Elia turbas hominum fugiens, resignatô humilitèr officiô, ad Eremum se transtulit. Hic vir sanctitate plenus, atque doctissimus conscripsit librum perutilem, quem *Igneam sagittam* prætitulavit, anno Domini MCCLXX. Hunc librum vidi in Conventu Leodiensi. Ex quo Authorem sui potest de facili patescere, tàm Divinis, quàm humanis fuisse litteris eruditum. Claret etiam, quantâ sanctitate Carmeli Religio priscô tempore fulserit, quàm veraque sit Beati Cyrilli Prophetia, qui ait: (b) *Ab infantiæ suæ primordio, usque in tempora pubertatis, margaritis multiplicibus, parentumque sanctitudine, excisa de petra durissima, vallis Virginis nitebit, donec pedetentim muscarum stercoribus, & viarum pulveribus fuscabuntur.* Visionem, sive prophetiam sancti Cyrilli, sibi à Deo per Angelum missam habeo cum commento. Tandem Nicolaus plenus dierum & sanctitate secundo Aprilis cœlum adiit, & in Auriaca tumulatur.

Nicol. Gall. author libri Sagitta ignea, *cedit officio Generalatûs.*

(b)

(c) 1073. His temporibus (c) sanctus Albertus de Trapano, carnis origine nobilis, sed mente nobilior, ex parentibus sterilibus post XXVI. annos connubij ortus fuit. Hic parentum votis, Dei Genitrici Mariæ ante Conceptionem peculiaritèr extitit dicatus. Viderunt etenim complures idonei visione desupèr concessâ de utero venerabilis Matronæ Joannæ, eum in utero gerentis, cereum nimiô fulgore micantem, emanare. Nec secùs accidit. Siculorum enim regionem, velut lampas ardentissima, virtutibus, prædicationibus, miraculis crebris, irradiavit. Complures filios ex Judæis Ecclesiæ peperit: civitatem Messanensem à fame & exterminio precibus liberavit. Ipse aliquandò Provincialis Siciliæ, totius perfectionis exemplar, plura scripsit utilia. Tandem in civitate Messanensi (d) anno Domini MCCXCVII. septimo nonas Augusti, obdormivit in Domino: tantâ suæ sanctitatis opinione relictâ, ut pro singulari apud Deum Patrono, nedum ab incolis Regni illius, sed à pluribus etiam per Orbem fidelibus, usque hodiè veneretur. (d)

S. Alberti vita compendium.

1074. Consequentèr post resignationem Nicolai, Capitulum Generale fuit Parisijs in Festo Nativitatis Mariæ celebratum, electusque unanimitèr, per Spiritus sancti invocationem, (e) Rudolphus Alemanus vir religiosissimus, qui causas Ordinis cum suis subditis commissis dignè studuit gubernare. Hic postquam quibusdam annis gubernasset, contemplativâ vitâ affectus, ad Conventum * Aveluti in Anglia se transtulit. Ubi in Dei servitio, & contemplatione Altissimi, migrans ad Dominum, glebam corporis terræ commendavit. Ijsdem temporibus plures Fratres Carmelitici Ordinis in Terra sancta à Saracenis in monasteriis Eremi Quarentenæ, in Valim, & in Montanis nigris martyriô coronati, & cæteri omnes variis pœnis trucidati sunt, & monasteria ab inimicis crucis Christi igne combusta. Insupèr & Antiochia capta est, &, cum monasterio nostro, igne, & ferrô depopulata. (e)

* *Lege propè Alnewicum.*

Saraceni plures Ordinis Carmel. trucidant.

1075. Post Rudolphum, celebratô Capitulô Generali in Conventu Burdegalensi, Provinciæ Aquitaniæ in die Epiphaniæ, anno Domini MCCLXXIII. Frater Petrus de Amiliano Provinciæ Narbonensis, Rutinensis natione, vir devotus, fuit concorditèr in Generalem Priorem electus: rexitque XX. annis, partìm sub Gregorio decimo, qui Lugdunense Concilium celebravit. Iste pius Pater per omnia venerandus celebravit Capitulum in monte Pessulano in die Penthecostes anno Domini MCCLXXVII. tempore Joannis Papæ XXI In hoc loco montis Pessulani contigit * magnum miraculum de sublevatione Reliquiarum per solos Fratres Ordinis nostri. Porrò anno Domini MCCLXXXI. celebravit Capitulum in Conventu Londoniarum in Anglia, in die Penthecostes, tempore Martini Papæ quarti. Deindè aliud in Provincia Lombardiæ in die Penthecostes, anno Domini MCCLXXXIV.

* *Illud vide hic supr. num 706.*

1076. Hinc (f) Honorius quartus concessit posteà vivâ voce, quòd Fratres nostri albas cappas reassumerent, non confirmans hoc litteris, morte præventus. Tunc anno Domini (f)

MCC

MCCLXXXVII. in die Beatæ Mariæ Magdalenæ iterum fuit Capitulum Generale in monte Pessulano celebratum. Convenientibusque illuc Provincialibus tàm Terræ sanctæ, & Siciliæ, quàm Provinciæ Tusciæ, Franciæ, Alemaniæ, Lombardię, Aquitaniæ, Angliæ, Hispaniæ, Hiberniæ, &c. Fratres nostri albas cappas reassumpserunt, tempore Humar, vi Saracenorũ coactè dimissas. Tunc impleta est
(g) Prophetia (g) Hildegardis Ordinis sancti Benedicti, libro de novissima Christianæ Fidei persecutione, Cap. FILIÆ SION. *Venient equi varij coloris, quorum egressio ab Oriente in Occidentem, sed mutato vellere paulatim incedent. Horum progressio ab Occidente in Orientem, hi primi & novissimi.* Hæc in monte sancti Ruperti juxta Bingiam, Moguntinensis Diœcesis fuit, ubi ejus corpus ante summum altare vidi honorificè locatum, & elevatum. Fuerunt enim ab initio, & prima institutione desuper albis palliis cooperti, teste Joanne XLIV. *Docuit Elias hanc Religionem assumentes, debere palliò supervestiri albô, quemadmodùm eos albis indutos Dominus ostendit Sabacha Patri Eliæ. Quos ideò candidatos vidit, quia Eliam, monasticè vivendi exemplar, erant imitaturi, in candore nedum mentali synceræ puritatis, sed etiam corporali habitûs.* Hæc ille. Hoc albô palliô Elias vocatum de aratro Eliseum tetigit, vultum in monte Oreb operuit, Jordanem divisit. Istud etiam pallium Eliseo de igneo curru projecit.

1077. • Virgo etiam Beatissima Maria Zelatori suo præcipuo Anselmo Cantuariensi Archipræsuli, similitèr sanctæ Brigidæ, & cæteris dilectis suis, in candido amictu apparuit. Ipsa etiam volens per omnia Fratribus assimulari (teste Joanne in Apocalypsi cap. XIX.) palliô candidô superamicta perhibetur. *Vxor* (inquit) *agni præparavit se, & datum est illi, ut operiat se byssino splendenti & candido.* Athanasius quidem Alexandrinus Episcopus, de sancto Antonio, in libro de ejus vita, testatur eum albo fuisse indutum collobio. *Aliâ* (inquit) *die sanctus Antonius in loco eminenti, candenti præcinctus veste, procedentem judicem suo provocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij.* Hæc ille. De Carmelitis in Apocalypsi quæritur. *Hi qui sunt amicti stolis candidis, qui sunt, & undè venerunt?* Et responsum est. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Scriba etiam Divinæ Legis Esdras doctissimus id testatur dicens. *Qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendentes tunicas à Domino acceperunt.* Ob id Nicolaus Papa quartus, pallij albi assumptionem sub Bulla plombea Fratribus confirmavit. Secundò, immunitatem, & Ordinis privilegia XI. Idûs Augusti anno suo primo approbavit. Incipit: *Solet annuere Apostolica Sedes piis votis.* Tertiò Regulam Alberti per Innocentium quartum mitigatam confirmavit. Kalend. Julij, anno suo secundo. Incipit: *Cum à nobis petitur quod justum est.* Quartò confirmavit omnia data Alexandri quarti, & Clementis quarti, Prælatos à Fratrum vexatione cohibendo. Incipit: *Ad audientiam nostram pervenit.*

B.V. Maria pluribus apparuit in candida veste.

Nicolai IV. concessiones Ordini Carmelit.

1078. ANNOT. (a) Nicolaus Gallicus. *Istum B. Simoni Stockio in regimine Ordinis successisse scribunt etiam alij Ordinis Historici, Ioannes Grossi hic suprà num. 564. (Sed vide etiam num. 579.) Arnoldus Bostius in Speculo Historiali libro 7. cap. 25. ubi ista.* Anno Domini 1265. defuncto Beato Simone Stock, communi electione R. P. Nicolaus natione Gallicus, septimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum constitutus est. *Ità quoque Segerus Pauli in Chronologia vitæ Beati Simonis, ad istum annum. & Lezana in Annalibus Carmelitanis, ad eundem annum. Segerus dicto loco tradit, eundem Nicolaum anteà per annos circiter quindecim fuisse Vicarium Generalem Ordinis in partibus Orientis: atque ità in regimine Ordinis fuisse annis novemdecim; aut ferè viginti. Vide etiam jam dicto loco hic suprà num. 564. 579.*

(b) Ab infantiæ &c. *Verba illa nequaquàm dicta de Ordine Carmelitano declarat Lezana tomo 4. Annalium ad an. 1270. num. 9.*

(c) S. Albertus de Trapano. *Compendium vitæ ejus est hic supra in Viridario Ioannis Grossi num. 601 Vitam illius primigeniæ scriptionis dabimus in parte quarta.*

(d) Anno Domini MCCXCVII. *Quoad S. Alberti annum obitus dissentiunt Historici, plerique annum 1292. alij autem 1307. scribunt. utraque sententia suis nititur rationibus, quæ in ejus vitâ, inserendâ parte 4. expendentur. Quoad diem 7. Augusti omnes conveniunt.*

(e) Rudolpho. *Ità quoque MS. codicis Mechlin. exemplar Viridarij Ioannis Grossi: sed in Veneto excuso anno 1507. est* Radulphus: *& hanc lectionem sequitur Lezana in Annalibus, & secundum eum censemus.*

(f) Honorius IV. concessit &c. *Historia mutationis capparum accuratè descripta est hic suprà parte 1. libro 7. cap. 5. 6 & 7. num. 269. & sequent.*

(g) Hildegardis. *De illa vide hic supra num. 660.*

CAPVT X.

Terra sancta ab infidelibus devastata: Carmeli montis Conventus incendio traditus: Priorum Generalium successio.

1079. (a) CAptâ quasi insuperabili civitate Acconensi Saraceni anno (a)
Domini MCCXCI. (Wilhelmo de * Samuco teste, qui tunc per mare vix evasit, ut habetur libro IX. cap. VIII. de peculiaribus gestis Carmelitarum,) proh dolor demolitis, ac vastatis, tàm in Accon, quàm in Tripoli, & aliis Terræ sanctæ Oppidis, & locis omnibus Carmelitarum Ordinis monasteriis, etiam primordialem totius nostri Ordinis locum in Carmelo destruxerunt, cunctis rebus igne crematis (b) (b)
post tempora habitationis Eliæ & suorum successorum bis mille ducentorum viginti unius annorum. Manet tamen Ecclesia nostri Conventûs in Carmelo usque hodie incombusta, Saracenis nec audentibus, neque valentibus infringere, ut testatur Magister in Theologia Sibertus in suis additionibus, etiam Magister Joannes Duseldorp sacræ Theologiæ professor, & Frater Petrus Fabri Lector Conventûs Schonhoviensis, qui navigantes ad sanctam Terram Ecclesiam à longè viderunt. Sed Magister Wilhelmus civis Harlemensis retulit mihi, quod anno MCCCCLXXXIX. fuerit cum multis in monte Carmeli, & in Ecclesia, cujus testudo interior opere Mosaycô est depicta. Dixit insupèr, non vidisse se majorem.

* *Al.* Sanvico.

Carmeli monasterium post annos 2221. ab inhabitatione Eliæ igne crematur.

 jorem.

jorem. Tulerunt indè quinque captivos infideles, aliis fugientibus. In hac Ecclesia est Altare Theotocos Mariæ, à sancto Jacobo Apostolo, post Assumptionem Virginis, consecratum.

1080. Eodem anno, quo Conventus Carmeli montis fuit combustus igne, Generale Capitulum in Conventu Trevirensi Provinciæ Alemaniæ in die Penthecostes fuit celebratum. (c) Tunc (c) Petrus de Amiliano cedens officio, pauco post tempore in Conventu Coloniensi moriens tumulatus est. Deindè celebratô Generali Capitulô in Conventu Burdegalensi anno Domini MCCXCIII. unanimitèr est electus Prior Generalis Frater Raymundus de Insulis, Conventûs Tholosani. Bonifacius VIII. imprimis primo anno sui Pontificatûs X. Kal. Augusti concessit, quòd Prior loci potest Fratres Episcopo præsentatos ad prædicandum mittere. Incipit: *Religionis vestræ meretur honestas.* Secundò, eodem anno (d) VII. Kal. Decembris(d)confirmavit albarum assumptionem capparum. Incipit: *Iustis petitionum desideriis.* Tertiò omnes libertates priùs Ordini à Sede Apostolica concessas anno suo tertio confirmavit, Prid. Kal. Aprilis. Incipit: *Cum à nobis petitur quod justum est.* Quartò Regulam Alberti, ab Innocentio quarto mitigatam confirmavit. Porrò anno Domini MCCLXVII. à Philippo quodam Florentino institutus est Ordo Fratrum Servorum Virginis Mariæ, qui vocantur Spectantes, sub Regula sancti Augustini. A Cœlestino quinto Cœlestinorum Ordo, sub Regula sancti Patris Benedicti initium sumpsit, anno Domini MCCXCIII.

Bonifacius VIII. PP. varia concedit Ordini Carmelit. privilegia.

1081. Hinc Generalis Prior Raymundus anno quarto resignans officio, statim post obiit, Tholosæ sepultus. Tunc celebratô Capitulô Generali in Conventu Brugensi Provinciæ Franciæ in Flandria in die Penthecostes, electus est Prior Generalis Gerardus de Bononia, Magister in Theologia Parisiensi, * magnum suis temporibus lumen Ecclesiæ. Ibi promulgatis statutis quinquaginta Rubricarum, undecim sub ordine Provinciæ divisæ sunt. Posteà anno Domini MCCC. in die Penthecostes in Florentia Provinciæ Tusciæ. Eodem anno fuit (e) fundatus Conventus noster (e) in Oppido Mechliniensi, & habuit à sua fundatione Priores XXVI. nùnc verò habet XXVII. Venerabilem Patrem sacræ Theologiæ Lectorem Fratrem Joannem Boydts. Deindè fuit iterum anno Domini MCCCIII. Capitulum celebratum in Narbona in die Penthecostes, & post anno Domini MCCCVI. Tholosæ. Ibi ordinatum fuit Festum Conceptionis Mariæ. & Venerabilis Sacramenti solemnitèr celebrari, atque de sancto Ludovico IX. lect. Deindè Januæ in Provincia Lombardiæ anno Domini MCCCIX. Eodem tempore Clemens quintus prohibuit, alios tres Mendicantes nova loca circa nostra construere, nisi ad spatium centum quadraginta cannatum: Nonis Decembris, anno suo quarto. Incipit: *Vestra Religionis statum tranquillum, & prosperum affectantes.* Anno MCCCX. incepit Ordo Paulinorum, id est sancti Pauli de Galatia sub Regula sancti Benedicti.

* De quo hic supr. n. 514.

1082. Consequentèr fuit Generale Capitulum Londoniæ celebratum in Anglia in die Penthecostes anno Domini MCCCXII. Ibi inter cætera fuit ordinatum, quod post generalem confessionem diceretur sic. *Ideo precor Beatam Virginem Mariam, & omnes sanctos Dei, & te Patrem orare pro me ad Dominum Iesum Christum.* Hinc anno Domini MCCCXV. in Conventu Coloniensi Provinciæ Alemaniæ. Ibi fuit ordinatum, quòd Ordinale Dominici Sepulchri per Reverendum Magistrum Sibertum de Beka correctum observaretur per totum universalitèr Ordinem. Eodem anno obiit Frater Rotgerus Bacalaureus Parisiensis, Provincialis totius Provinciæ Alemaniæ. Successit illi Magister Joannes de Sublobiis, qui interfuit Concilio(f)Generali Lugdunensi an. Domini MCCCLXIII. Ipse cum Rutgero Coloniæ sepultus est. Tunc Frater Simon de Spira electus, non rexit morte præventus, & Coloniæ tumulatus.

Ordinale (id est Caremoniale) Dominici Sepulchri servat. in Ordine Carmelit.

1083. ANNOT (a) Captâ quasi insuperabili civitate Acconensi *Ejus rei historia ab oculato teste posteritati tradita, inserta est parti prima hujus Speculi, libro 9. cap. 8 num. 448 ubi etiam de monasterij in Carmelo conflagratione, & Religiosorum ejusdem per Barbaros trucidatione.*

(b) Post tempora habitationis Eliæ & suorum succes. 2221. *De isto numero annorum plura sunt dicta hic supra num. 459 & seq.*

(c) Petrus de Amiliano cedens officio &c. *De ipso, deque Capitulorum Generalium celebratione, ac Priorum Generalium successione, de quibus hoc capite 10 pleniorem expetens informationem, reperiet tomo 4. Annalium Ordinis ad annos designatos.*

(d) Confirmavit albarum &c. *Bulla inserta est parte 1. Speculi hujus num. 280.*

1084. (e) In oppido Mechlin. *Tunc facta est translatio Conventus à suburbio (ubi initium habuerat ab anno 1254.) intra Urbem: de qua plura in Annalibus Ordinis ad illum annum.*

(f) *Ibi errorem aliquem irrepsisse notat Lezana in Annal. ad an. 1345. n. 7.*

CAPUT XI.

Singulare Privilegium monente B. Virgine Mariá concessum: viri eruditione spectatissimi.

1085. (a) Gloriosissima Dei Genitrix Virgo, perpetua Carmelitarum Patrona, & Mater singularissima, addens adhuc glorificare Jonathan, id est columbam, Ordinem scilicet Carmeli, candore & prudenti simplicitate insignem, memor dierum antiquorum, Eliæ, & suorum devotorum fidelium, apparens Domino Joanni XXII. ante Papatum, dixit: Vidi tuam ad me devotionem, veluti igitur ego te ab adversario tuo liberabo, ad altissimum te promovens statum, sic videas similem Fratribus meis vicem Eliæ Filiis refundas: Regulam ab Elia & Eliseo in monte Carmeli in eorundem vita inchoatam, & per servum meum Albertum scriptam & confirmatam, solidè approbabis. Insupèr, me & Filio (a)

Ioan. XXII PP. apparens B. V. Maria Ordinis solidationem mandat & concessionem magni privilegij Sabbatini.

Filio meo jubente, Privilegium dabis, ut quicumque Ordinem meum intraverit, à culpâ, & pœnâ liberatus in æternum salvus fiat. Ista apparitio sub Bulla plumbea cum Indulgentiis fertur esse in Anglia, Instrumentum verò ejusdem in Conventu Januensi. Hic ergo Joannes vigesimus secundus (b) jussionibus Divinis obediens, imprimis, anno suæ coronationis primo Ordinem nostrum cum omnibus quæ illius sunt, sub protectione Sedis Apostolicæ assumpsit, eximens eundem ab Episcoporum jurisdictione, anno Domini MCCCXVI. Incipit: * *Sacer Ordo vester in agro Dominico.* Secundò, aliorum Prædecessorum suorum Ordini nostro indulta confirmavit, & grandiora addidit.

Ioan XXII amplia privilegia Ordini Carmelit. concedit. (b)

* Habetur hîc supr. n. 472.

1086. Defunctô autem anno Dom. MCCCXVII. Magistrô Gerardô Priore Generali in Conventu Avinionensi, postquam totum Ordinem rexisset laudabilitèr, post insignia Theologiæ & Philosophiæ, non pauca quidem volumina ab eodem conscripta, celebratum fuit Capitulum Generale in Burdegalia, in die Penthecostes anno Domini MCCCXVIII. In hoc Capitulo fuit electus Magister Guido de Perpiniano. Tunc fuit divisa Provincia Alemaniæ in superiorem & inferiorem, & additæ sunt ad XI. Provincias aliæ tres, scilicet Narbona, Apulia, & Scotia, & sic XV. Provinciæ Ordinis assignatæ sunt. Iste Guido post tres annos fuit à Joanne XXII. assumptus primò Majoricensis Episcopus, deindè Elnensis, Doctor inter præcipuos commendatus. Qui post grandia, pluraque, & instructissima edita volumina XXI. Augusti ivit à sæculo nequam, corpore Avinione sepultô. Hôc assumptô, an. MCCCXXI. in die Penthecostes in monte Pessulano Capitulô Generali celebratô electus fuit Magister Joannes de Alerio, Conventûs Tholosani. Ibi statuerunt Patres fieri octavas de Corpore Christi, & Festum novem lectionum de Sanctis, quorum corpora in Conventibus Ordinis nostri quiescunt. De Sanctis quoque quorum nomina habentur in Canône Missæ, ac de sanctis Apollonia, & Barbara.

Assumit Guidonem Generalem ad Episcopatum Majoricensi.

1087. Eodem anno XI. Kal. Augusti Joannes XXII anno suo quinto, promulgavit illam Decretalem, *Vas electionis*, in stabilimentum quatuor Ordinum Mendicantium. Item VIII. Augusti, anno suo sexto, prohibuit aliis tribus Ordinibus Mendicantium recipere Carmelitas ad suum Ordinem sine speciali Generalis Prioris licentia. Incipit: *Sacra Religionis, in qua virtutum Domino.* Consequentèr anno suo VII. quod Fratres nostri Sacros Ordines recipere possint à quocumque Catholico Episcopo. Incipit: *Religionis vestra synceritas meretur.* Instituit etiam Ordinem militiæ Jesu Christi, ut resisterent Saracenis, sub Regula sancti Augustini, anno MCCCXXIII.

Ejusdem alia indulta Ordini Carmelit.

Porrò anno Domini MCCCXXIV. celebrato Capitulo Generali Barchinonæ in Cathalonia Provinciæ Hispaniæ in die Penthecostes, ordinatum fuit, quod Salve Regina diceretur in fine omnium horarum, & quod Gloria in excelsis in omnibus Missis Beatæ Virginis diceretur. Et quod in principio Capituli Generalis cantaretur Missa de sancto Spiritu, & fieret sermo. Itemque Fratres Clerici annuè dicerent tria Psalteria, Laici verò tria millia Pater noster. pro Fratribus & Benefactoribus Ordinis Defunctis. Etiam quod semel in hebdomada per Adventum fierent novem lectiones de Beata Virgine, dum laudes non impedirent. Hinc fuit celebratum Capitulum Generale Albiæ in Provincia Aquitaniæ anno Domini MCCCXXVII. in die Penthecostes.

Barchinonensis Capituli Generalis decreta.

1088. Joannes autem XXII. anno suo undecimo XI. Kal. Decembris æquiparavit Ordinem nostrum Prædicatoribus & Minoribus in statuto. *Dudum super Cathedram.* Incipit: *Inter cæteros Ordines.* Et quod Cœmiteria nostra benedici possunt liberè ab alieno Episcopo, si proprius recusaverit, anno suo decimo quinto, VIII. Idûs Januarij. Incipit: *Merita vestra Religionis.* Deinceps autem resignatô officiô post novem annos Joannes de Alerio, Pater magnæ laudis, non multò post deficiens, sepultus est in Conventu Tholosano. Tunc anno Domini MCCCXXX. Capitulô generali in Valencenis Provinciæ Franciæ celebratô in die Penthecostes, electus fuit Prior Generalis Magister (c) Petrus de Casa, Conventûs* Bononiensis Provinciæ Aquitaniæ. Iste celebravit Capitulum Generale in Conventu Nemansensi Provinciæ Narbonensis in die Penthecostes, anno Domini MCCCXXXIII. Aliud in Conventu Bruxellensi in Brabantia Provinciæ Alemaniæ inferioris, in die Penthecostes anno Domini MCCCXXXVI.

Ioan XXII. concessiones aliæ.

(c)

* *Lege Lemovicensis.*

1089. Istius tempore (d) Benedictus XII. primò Doctor sacræ Theologiæ Ordinis Carmelitarum, deindè assumptus in Abbatem in Ordine sancti Benedicti anno Domini MCCCXXXIV. statuit quod nullus Fratrum Ordinis nostri se ad Ordinem sancti Benedicti transferret vel Bernardi, sine licentia Summi Pontificis speciali. Incipit: *Regularem vitam.* Secundò declaravit quòd Ordines Mendicantium sine reditibus viventes, sint arctioris vitæ quàm Carthusienses. Incipit: *Omni humana natura statum*, nonas Decembris anno suo primo. Hinc fuit Capitulum Generale in Conventu Lemovicensi in die Penthecostes celebratum anno Domini MCCCXXXIX. Ibi fuit statutum quod de sancto Martiali & de S. Timotheo fieret Festum duplex ut unius Apostoli, & duplex Festum de sancta Ursula. Insupèr IX. lect. de sanctis Mauro & Saturnino. Iste Petrus postquam rexisset Ordinem annis duodecim assumptus fuit per Clementem sextum in Episcopum Vasionensem, deindè in Patriarcham Jerosolymitanum. Ipse, post plures conscriptos libros & tractatus, deficiens, in Ecclesia Vasionensi sepultus est, miraculis clarens, tertiâ die Augusti.

(d)

Benedictus PP XII. assumptus ex Ordo Carm. Abbas, & deinde Sum. Pontifex.

Petrus de Casa ex Generali Car. Patriarcha Jerosol.

1090. Post illius assumptionem anno Domini MCCCXLII. fuit Capitulum Generale Lugduni in die Penthecostes celebratum, ubi electo Magistro Petro Raymundi de Grassa, Conventûs Tarascij Provinciæ Narbonensis,

fuit

fuit statutum & approbatum officium Sororum Virginis Mariæ in die Urbani celebrandum. Item quod Octavæ fierent de Corpore Christi, de sancto Michaele, & de omnibus Sanctis. Collegit Magister Petrus diversa Ordinis statuta in volumen unum, sub Rubricis LXIX. additis adhuc quatuor Provinciis, scilicet Romana, Tholosana, Bononiensi, Cathalonia, ac sic essent decem & novem. Post Vasconiæ Provincia addita est. Etiam quod Antiphona *Ave Regina cælorum*, versus: *Ora pro nobis*. Collecta *Protege*, semper post gratias dicerentur à Fratribus extrà Refectorium comedentibus. Clemens sextus anno suo primo, nonis Augusti, concessit quod oblationes ultimarum voluntatum liberè reciperemus sine canonica reddenda portione. Incipit. *Necessitatibus vestris paternò compatientes affectu.*

Clementis VI concessio.

1091. Hinc fuit celebratum Capitulum Generale in Conventu Mediolanensi in Provincià Lombardiæ anno MCCCXLV. Post in Conventu Metensi Provinciæ Franciæ in die Penthecostes anno MCCCXLVIII. Aliud in Conventu Perpinianensi an. Dom. MCCCLI. Deinde Tholosæ anno MCCCLV. In hoc Capitulo fuerunt confirmata Statuta per Reverendum Magistrum Petrum collecta in unum. Hoc tempore Clemens Sextus anno suo sexto approbavit exemptionem, Fratribus per Joannem XXII. concessam, & statuit quod coram nullo Episcopo trahi possumus ad judicium. Incipit: *Sacer Ordo vester in agro dominico.* Iste Clemens habuit confessorem de Ordine nostro Fratrem Petrum de Bereto, & constituit illum esse Episcopum Vasionensem.

1092. Jisdem temporibus in Angliâ floruit magnus iste Juris & Theologiæ doctor * Joannes de Bachone Provincialis Angliæ, omnium sui temporis Theologorum Princeps. Scripsit etiam penè innumera opuscula. Mortuô post XV. annos Magistrô Petrô, & in Monte Pessulanô tumulatô, fuit Capitulum Generale in Conventu Burdegalensi anno Domini MCCCLVIII. in die Nativitatis Mariæ celebratum. Ibi electus fuit Generalis Prior Magister Joannes Balistarij. Ipse suo tempore secundum in Theologiâ non habuit. Hic anno Domini MCCCLXII. Capitulum Generale celebravit in Conventu Treverensi Provinciæ Alemaniæ inferioris. Hinc aliud Ferrariæ in Provincia Lombardiæ anno Domini MCCCLXV.

* De eo vide hic supra n. 713.

1093. Clemens etiam sextus anno suo primo, decimo Kal. Septembris: constituit quòd non daremus decimas de his, quæ infrà septa locorum colimus. Incipit: *Dilectos Filios Priorem Generalem.* Porrò Innocentius sextus anno suo quinto prædictum indultum confirmavit, anno Domini MCCCLII. Incipit: *Provisionis nostræ.* Secundô, idem Innocentius concessit quod tempore Interdicti Divina possumus etiam in aliorum Ecclesijs celebrare, V. Kal. Octobris, anno suo octavo. Incipit: *Sacra vestræ Religionis.* Tempore Innocentij sexti Ordo Virorum ac Mulierum sanctæ Brigittæ & Salvatoris ortum habuit in Suetia, anno Domini MCCCLX. & habent Regulam per se. Posteà Ordo Jesuatorum, sub Urbano V. incipit, & dedit eis albam tunicam, cum caputio, & eorum Protector griseam chlamydem addidit, anno Domini MCCCLXVII. Ordo novus Canonicorum Regularium, dicti vulgaritèr Scopitini, sub Urbano V. in Senensi agro sancti Salvatoris exorsus est, anno Domini MCCCLXX. Isti habent tunicas albas & scapulare album, & hastam super camisiam lineã. Porrò * Calamitramiæ Militum Cisterciensium Ordo sub Regula sancti Benedicti militat, & Fratres habent crucem in latere dextro. Consequentèr Ordo Militiæ Spiritûs sancti est sub Regula sancti Augustini. Isti supra nigram cappam apertam habent rubeam crucem

Clementis VI. & Innocentij VI. concessiones.

Ordinum aliquot Religiosorum initia

* *Al. Calatravæ.*

1094. ANNOT. (a) Gloriosissima Dei Genitrix Virgo.... Apparens Domino Joanni XXII. *Historiam illam pleniùs descriptam habes hic infrà in* Collectaneo exemplorum *Balduini Leersij cap. 6. & apud Benedictum Gononum in* Chronico SS. Virginis Deiparæ *ad annum Christi* 1321. *Scriptores alios plures domesticos & exteros, qui historiam prædictam apparitionis, sponsionis, & jussionis SS. Virginis Mariæ commemorant, referunt ven. P. Lezana in libro* Maria Patrona (*qui hic sequitur, in parte 3.*) *cap 5. P. Irenæus à S. Iacobo in* Tractatu Theologico de protectione SS. Virginis Mariæ *sect. 2. cap 3 & P. Paulus ab omnibus SS. in* Clavi aurea *parte 2. cap. 9. De eadem apparitione facta Ioanni XXII. & concessione, ac confirmatione Privilegij Sabbatini quædam etiam sunt dicta hic suprà parte 1. num 535. & 540. Plenior tractatio de eisdem erit in parte 3. Speculi hujus*

(b) Jussionibus divinis obediens. *Ratione istius apparitionis, quam superliberalis, & beneficus Ordini huic fuerit Ioannes ille XXII. videre licebit in Bullario Ordinis nec non tomo 4. Annalium Ordinis ab anno MCCCXVI. & deinceps Vide etiam hic suprà in parte 1. num. 536. 542.* Ista Indulgentia sub bulla plumbea fertur esse in Anglia. *Id referunt alij plures, prout latius alibi.* Instrumentum (*authenticum scilicet*) in Conventu Ianuensi: *Illud inseretur parti 3*

(c) Petrus de Casa *Ab alijs nuncupatur de cesis. Quædam de eo dicta sunt hic suprà num. 571.*

1095. (d) Benedictus X I. primò Doctor Theologiæ Ordinis Carmelit. *Possevinus in apparatu, litterâ B. sic de illo.* Benedictus Papa hujus nominis XII anteà dictus Jacobus Fornerius, sive Furnius, è tractû Tolosanæ Provinciæ in oppido Sacearduno diœceseos Pamiensis civitatis natus, vel (ut alij scribunt) Cadurcensis: Ioan. autem Papæ XXII. ex sorore nepos, primò Carmelita, deinde Monachorum Cistersiensium sub Regulâ S Benedicti militantium Abbas Fontis Frigidi, ac deinceps S. R. E. Cardinalis tituli S. Priscæ denique Pont. Max *conformiter scribit Renatus Choppin in* monastico, *seu* de jure Cœnobitarum *libro 2. titulo 1.* Benedictus XII. Papa, Ioannes XXII. sororis filius, ex summo Carmeliticæ Sectæ Theologo Cisterciensium Monachorum Abbas thronum conscendit supremæ Apostolicæ Ecclesiæ, apud Avenionem Provinciæ Narbonensis an. MCCCXXXV. *Ad marginem adscribitur* Benedicti XII. Papæ Epitaphium: Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Gassinus aluit, Vaticanus coronavit. *Istud epitaphium etiam refertur, à Possevino loco citato, & à Claudio de la Ville libro 2,* epitaphiorum heroicorum *epitaphio 4. Allusio est ad tres montes; Carmelum (ubi origo fuit Carmeliticæ Religionis) Cassinum (incunabula Ordinis Benedictini, è quo prodijt Cisterciensis) & Vaticanum (locus sepulturæ S. Petri, & aliorum plurimorum summorum Pontificum. & ibi censetur Sedes Apostolica) Nec est quod quis miretur, ex Carmelitano Ordine assumptum istum in Abbatem; ejus enim rei varia sunt exempla; Ita quidem seculo præcedenti ex Ordine Carmelitano assumptus Ioannes Briselotus ex Conventu Vallencensi Abbas Altimontensis Ordinis S. benedicti in Hannonia, & Martinus Cuparus ex Priore Antuerpiensi, ac*

deim

dein Provinciali, Abbas Crispiniensis, etiam Ordinis S. Benedicti, Sed de his plura in Annalibus Ordinis Carmelit. tomo 4. ad an. 1335. De celebratione Capitulorum Generalium, & successione Priorum Generalium, ac cæteris, de quibus hoc capite, latiùs tractatur in eisdem Annalibus Ordinis ad designatos annos.

NOTA. Hic paulò ante in aliq. exempl. loco C irrepsit G *Gasimus* leg. *Casimus*.

CAPVT XII.

Plures sanctitate vitæ, & doctrinâ clarissimi Ordinem hunc, & Orbem illustrantes

1096.

(a) HIs temporibus sanctus (a) Andreas ante Nativitatem Virgini Mariæ à parentibus promissus, quintodecimo vitæ suæ anno Ordini donatus est. Hic nedum generis, verùm sanctitatis nobilitate præclarus, litterarum studijs sufficientèr Parisijs imbutus, veniens in Patriam suam, in Conventu Florentino præfectus est. Pòst, divinâ revelatione cogente, Ecclesiæ Fesulanæ curam suscepit, & duodecim annis sanctissimè rexit. Enimverò quantum in honorem atque amorem Dei Genitricis exarserit, narratu quidem difficilè, quin & (ni fallor) impossibilè foret. Undè post plura conscripta volumina, post vigilem Dei ovium curam, in prædicando & hortando; post suæ eximiæ sanctitatis exempla, Virgo gloriosa in nocte Natalis Christi eidem apparuit dicens: *Tertiodecimo die conspectu Filij mei & meo gavisus astabis.* Quâ revelatione lætitiâ syncerâ repletus, & qui priùs ob victûs austeritatem macilentus, tunc seraphico colore perfusus, anno Domini MCCCLXXIII. migravit ad Christum. Nativitatis verò suæ LXXI. multis post obitum miraculis fulgens, sicut decuit amatorem Mariæ Virginis.

S. Andreas Corsinus B. V. Mariæ devotissimus.

Ab ea ad cælum invitatur.

1097. Claruit etiam circa hæc tempora (b) Magister Petrus Thomas. Hic (teste Cãcellario Cypri) ortum habuit ex Aquitaniâ. Hic deditus litterarum studijs in Conventu Cadomensi habitum nostræ Religionis assumpsit. Totum verò studium suum, & vitam sine intermissione post Deum intemeratæ Virgini affectuosissimè dicavit, etiam in corporali suo necessitate recurrens ad eandem: undè plures habuit ab eadem Virgine revelationes, Dum aliquando humanâ necessitate Virginem exoraret, dixit illi in visu: *Ne timeas Petre, omnia tibi necessaria adjicientur.* Alterâ die Deo suæque Genitrici gratias agens, postquam Missarum complevisset mysteria, venit quidam Mercator, & factâ confessione dedit illi decem aureos Regales. Exindè temporalium semper sufficientiam à Deo consequutus est. Adeptis autem Parisijs Doctorum insigniis; post frequentes orationes, pro Ordinis nostri stabilitate, in (c) nocte Penthecostes instantiùs Virginem Mariam exoravit: cui apparens illa dixit: *Vsque in finẽ mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit: Nam illius Institutor Elias Filio meo apparente in transfiguratione, pro eadem causa postulavit, & impetravit.* Hic primò Episcopus Pactensis, indè Patriarcha Constantinopolitanus, post multa conscripta volumina, similitèr elegantissimorum & magistralium sermonum, postque multa virtutum opera, factus Legatus in Alexandriam, vulneratus infidelium telis, in Famagusta Cypri, in die Epiphaniæ migravit ad Christum, civitate Alexandriâ captâ, anno Domini MCCCLXVI. Est verò sepultus ibi in Conventu nostro clarens miraculis, sicut & in vita. Singularitèr autem à loci illius incolis pro morbo Epidimiæ & Pestilentiæ imploratur. Consequentèr Magister Joannes Balistarij celebravit Capitulum Generale in Monte Pessulano anno Domini MCCCLXIX. In hoc Capitulo fuit ordinatũ, quod in Adventu semel in Hebdomada fieret de Domina plenum officium, hôc modô. Ad Vesperas, Capitulum; *Ecce Virgo.* Responsoriũ, *Christi Virgo.* Hymnus, *Ave maris.* Versus, *Diffusa.* Antiphona, *Ave Regina.* Canticum, *Magnificat.* Collecta, *Deus qui de Beata Maria.* Ad nunc dimittis Antiphona. *Ecce Ancilla.* Ad Matutinum Invitatorium, & alia sicut in Annuntiatione ejusdem &c.... * Cætera ut in Commemoratione Virginis. Hujus Magistri Generalis tempore Gregorius XI. anno suo primo, Nonis Aprilis anno MCCCLXX. concessit illi absolutionem Apostatarum. Incipit: *Providi more Pastoris.* Secundò confirmavit indultum Innocentij sexti II. Kalend. Junij annô suô secundô, & quod in aliorum Ecclesijs tempore interdicti Divina possumus celebrare. Incipit: *Provisionis nostræ.*

(b)

S. Petrus Thomas etiam ejusdem Virginis studiosissimus cultor.

Ab ea revelationes, & gratias multas habuit.

(c)

Ordinationes Capituli Generalis circa Officium B. V. Mariæ

* De isto Cap. Generali vide Annal. Ord. ad an. 1369

Gregorij XI concessiones.

1098. Celebrato deinceps Capitulo Generali in Aquis Mortuis in Provincia Provinciæ in die Penthecostes an. Dom. MCCCLXXII. statutum fuit, quod Frater cujuscumque conditionis obtinens aliquam à Generali Priore gratiam, statim visendam traderet suo Provinciali, aut Priori locali, sub privatione ejusdem gratiæ. Magister igitur Joannes postquã Carmeli cœtum XVI. annis aurigasset, in Conventu suo Majoricarum sepultus est XXIIII. die Septembris, anno Domini MCCCLXXIV. Post hoc, an. MCCCLXXV. fuit Capitulum Generale celebratum in die Penthecostes in Conventu Podiensi. In hoc Capitulo fuit electus Magister (d) Bernardus * Olensis de Conventu Minoricensi Provinciæ Cathaloniæ. Ibi statuerunt Patres, quòd in qualibet hebdomadâ per Quadragesimam, præter in ultima, fieret semel de Domina, cum consueto officio. Sic quod in prima hebdomada in secunda Feria si vacaret, in secunda hebdomada in tertia Feria, & sic consequentèr, cum Euangelio diei, & memoria de tempore, cum Responsorijs de Feria si occurrerint illo die: Sin autem, omnia Responsoria sint de Domina. Itẽ quòd dictis gratijs addatur Psalmus De profundis. Requiem. Kyriel. Pater noster, & ne nos. Aporta, Credo videre. Collecta. Deus veniæ. Absolve. Requiscant in pace.

(d)

* *Al.* Olerius

Decretum circa Officium B. V. M. in Quadragesima.

1099. Porrò (e) sanctus Theodoricus Alemanus Ordinis nostri, summâ sancti Spiritûs gratiâ præclarus, miraculorum gloriâ insignis, carnis domitor mirabilis, postquam super nudo loricam ferream quotidie fuisset indutus, præsente

(e)

B. Theodoricus miraculis clarus.

sente Vrbis Romanæ Senatore, puellam à dæmonio liberavit. Indè in civitate Senensi surdo auditum restituit. In civitate Florentina insuper contractum ex toto sanavit. Tandem in Conventu Venetiarum diem clausit extremum. Ibi ad ejus sepulchrum, visum mulier cæca recepit: alia similitèr illuminata est, cappam illius oculis admovens.

S. Avertanus etiam miraculorum gratiâ illustris.

(f) 1100. (f) Sanctus etiam Avertanus Gallus Lemovicensis, sublimis sanctimoniæ vir, XX. die Februarij, ingentium miraculorum gloriâ notus, apud Lucanam civitatem, ivit ad Christum. Hic dum perpenderet se ab hoc sæculo migraturum, cupiens introire Lucensem civitatem, à custodibus habitâ repulsâ, ait: Veniet tempus, ut introducere me, vobis volentibus non dabitur facultas. Igitur abscedens paulispèr, & Deo spiritum emittens, adeò miraculis coruscantibus effulsit, ut Clerus cum populo ad tanti viri reliquias intrà ferendas accurreret. Verùm corpore ejusdem fixo, & omninò immobilitèr permanente, ibidem cum summa reverentia ingentem construxere basilicam.

De B. Franco.

(g) (g) Equô modô Francus de Senis, vir Deo, atque suæ Genitrici devotus, Carmeli Religionem signis magnoperè & virtute decorans, varioque corpus suum nudum ferro carpens castigansque, in Conventu Cremonæ, Provinciæ Lombardiæ, XI. die Aprilis, in pace quievit, multis miraculis clarens.

De S. Angela, deque Ioanna, & Anna Tolosanis.

1101. Angela filia Regis Bohemiæ, quæ Pragam illustrat, Joanna & Anna Tholosanæ sacræ Virgines, prædignæ regalis Mariæ pedissequæ, Domini Jesu Christi sponsæ, plenis oleo lampadibus, virtutum coruscæ, intraverunt cum eo ad nuptias. Complures possemus adducere, tàm mares, quàm fœminas, Eliæ Mariæque sequaces, cœlo notos & terræ cognitos, qui in sua gloria gloriam Dei revelantes, miranda suæ sanctitatis monimenta, Posteris reliquerunt: Sed non admittit affectata brevitas stylum longiùs evagari, illustriores perstrinxisse satis sit.

1102. ANNOT. (a) Sanctus Andreas (b) Magister Petrus Thomas. *Epitomen vitæ istorum duorum exhibet Viridarium Ioannis Grossi hic suprà 106. & 107. Qui plura de illis expetit, adire poterit tomum 4. Annalium Ordinis. In parte 4. Speculi hujus, ad dies quibus illorum festa solemnizantur vita eorumdem dabitur.*

(c) Nocte Penthecostes. *De ista apparatione, & sponsione D. Virginis, vide plura hic suprà num. 663. ac seq.*

(d) Bernardus Olensis. *Ita quoque cognominatur ab aliis nonnullis Scriptoribus, & in exemplari vetusto MS. Codicis Mechliniensis, Viridarij Ioannis Grossi (quod dedimus hic suprà num 551. & seq.) in ejusdem Viridarij impresso anni 1507. legitur:* XVII. Prior Generalis fuit Fr. Bernardus Olerii, sacræ Paginæ Doctor Provinciæ Cathaloniæ de Conventu Majorissæ * *in vetusto Codice MS. ab annis circiter 200. exarato, qui extat apud me legitur de* Conventu Minorissæ, *& illa est genuina lectio, ut ex authenticis relationibus ex Cathalonia Romam, & indè ad nos missis, didicimus, in quibus ista:* Alumnus Conventus Minorisæ fuit R.mus M.r Bernardus Oller cujus adhuc gentiles de ipsius cognatione in ea urbe extant. *Advertendum autem quod* Oller *Hispani pronuntient quasi scriberetur* Olier, *quia secundùm* (l) *æquivalet* (i) *in gramatica Hispanica. Vndè habetur, eum nuncupandum* Olerium *seu potius* Ollerium, *sive Latinâ pronuntiatione* Olierium, *non verò* Olensem. *Porrò Minorisa, seu Minorissa, aut Minoresa, undè Bernardus oriundus, nobilis, & antiqua est urbs Cathaloniæ, quæ in Bulla Canonizationis S. Ignatij de Loyola apud Felicem Contilorium de Ca*nonizatione Sanctorum pag. 789. *vocatur* Minoressa. *In Breviario nostro Festo S. Ignatij legitur* Manresæ. *Cathalani autem vulgariter proferunt* Manressa, *seu* Manresa. *Hæc annotanda hoc loco videbantur, ut constet de genuino Bernardi illius loco natali, & cognomine, in quo utroque nonnulli hallucinantur.*

* Extat in antiquo Speculo Ordinis folio 103.

(e) S. Theodoricus. *Vitæ ejus Epitomen vide hic supra num. 603.*

(f) S. Avertanus. *Vitam ejus ediderunt PP. Bollandus & Henschenius ad diem 25. Februarij quo ejus Festum solemnizatur. Vide de eodem hic supra num 604 & 624.*

(g) Francus de Senis. *Est is diversus à Francisco Senensi. Nonnulli istos duos unum eumdemque reputarunt (veluti hic Palæonydorus) ast duo diversi sunt. sicut videre licebit in Annalibus Ordinis tomo 4. & in Vinea Carmeli, in Chronologia vitæ S. Simonis Stock, num. 760. De cæteris quæ hoc capite tractantur luculentiùs scribitur in Annalibus Ordinis.*

CAPVT XIII.

(a) *De statu Ordinis tempore schismatis ab an. Dom.* MCCCLXXVIII *usque-ad* MCCCCXXV. (a)

Schisma perniciosum in Ecclesia.

1103. VRbanô sextô, an. Domini MCCCLXXVIII. in Summum Pontificem electô, Cardinalibus in civitatem Fundorum fugientibus, secutum est schisma pessimum XL. annorum, usque ad Martinum quintum, gravi Ecclesiæ scandalô factô, & animarum jacturâ, propter hæreses insurgentes. Alemaniæ autem Priores Provinciales fuerunt successivè Simon de Spira, Magister Henricus de Dusseldorp anno Domini MCCCXLIII. Magister Tilmanus Conventûs Aquensis, anno Domini MCCCLXVI. Magister Gotschalcus, Magister Hermannus, anno Dom. MCCCLXXIII. Porrò Urbanus sextus imprimis V. Septembris, primo suo anno concessit Priori Generali auctoritatem absolvendi Fratres ab excommunicatione, & irregularitate. Incipit: *Exigentibus tui sacri Ordinis.* Secundò eodem anno, VI. Kal. Octobris, quòd possimus vota commutare, injustaque bona incerta loco restitutionis recipere. Incipit: *Meritis vestræ Religionis.* Tertiò XI. Kal. Septembris anno suo decimo confirmavit constitutionem Benedicti XII. quod nostræ Religionis Fratres non se transferrent sine licentia Summi Pontificis ad Ordines Benedicti, vel Bernardi. Incipit: *Provisionis nostræ debet provenire subsidiis.* Quartò dedit * Indulgentias trium annorum, & totidem quadragenarum omnibus Christi-fidelibus *qui Fratres nostros nominarent, sive Ordinem Beatæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli.* Quo tempore fuit Generale Capitulum in Conventu Brugensi in Flandria Provinciæ Franciæ. Hujus autenticum instrumentum est in Conventu Franckfordensi Provinciæ Alemaniæ inferioris.

Vrbani VI. varia indulta Ordini Carmelit.

* Vid. supr. num. 529.

1104. Reverà autem hîc intentissimè est notandû illud Proverbij: *Dum caput ægrotat, cætera membra dolent.* Undè turbatione factâ in Summo

mo Pontifice, turbatus etiam extitit Ordo Carmeli. Proch dolor! quidem: sed magis lugenda sancta Mater Ecclesia. Quædam nempè Ordinis nostri Provinciæ Urbano sexto obediebant, Alemania, Italia, Anglia, &c. Undè ab Urbano sexto Bernardus Generalis noster fuit hujusmodi Provinciarum obedientia privatus; eò quòd sequeretur Clementem septimum, cum Provinciis Galliæ, Cathaloniæ, Hispaniæ, & hujusmodi. Mansit tamen Bernardus Rector super illos, qui Clementi obediebant. Instituit autem Urbanus anno Domini MCCCLXXIX. Vicarium Ordinis Michaëlem de Bononia. Qui anno Domini MCCCLXXXI. in Capitulo Generali Veronæ celebrato in die Penthecostes fuit electus ab his, qui Urbano obediebant. Post annos autem quinque Urbanus Michaëlem absolvens, constituit Vicarium Magistrum Joannem Rayde de Lombardorum Provincia. Ipse electus fuit posteà in Generali Capitulo Brixiensi, anno Domini MCCCLXXXVII. Ipse rexit Provincias Ordinis sibi subjectas ferè XVI. annis. Capitulum Generale habens in Conventu Franckfordiensi Alemaniæ inferioris, tempore Provincialis Magistri Joannis Brammatt, anno Domini MCCCXCIII. Hic terminavit cursum vitæ præsentis in officio, & sepultus est in Conventu Mediolanensi. Illô defunctô, factâ congregatione Patrum in die Penthecostes, anno Domini MCCCCV. electus fuit Frater Matthæus de Bononia, sex fermè annis regens. Porrò priùs, scilicet anno Domini MCCCLXXXIII. Bernardus Generalis, fautor Clementis septimi, cessit officio. Undè Capitulo in Avinione celebrato, electus fuit Magister Raymundus *Aquarij Provinciæ Narbonensis anno Dom. MCCCLXXXIV. Agubernans Provincias sibi subjectas annis quatuor, & totidem mensibus, diebus decem. Huic successit Magister Joannes Grossi electus anno Domini MCCCLXXXIX. in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, in Conventu Perpinianensi Provinciæ Cathaloniæ, anno primo sui Magisterij, regens Provincias sibi subjectas XXII. annis. Eodem anno fuit electus Prior Provincialis Alemaniæ inferioris Magister Joannes Brammatt: Ipso an. Dom. MCCCCVII mundum linquens, Coloniæ terræ commendatus est. Post illum Magister Henricus, deindè Magister Nicolaus: Consequentèr anno Domini MCCCCXXI. Magister Thomas.

* Al. Vaquerij & Aquerij.

1105. Post verò universale Concilium Pisis celebratum Papa Joannes XXIII. ut fieret Ordinis nostri obedientia vera, & certa, Magistros Matthæum de Bononia, & Joannem Grossi, Magistros Generales Ordinis nostri divisos cum Provincialibus & Patribus utriusque partis, vocavit in unum Capitulum Bononiæ Dominicâ secundâ post Pascha. Vbi utroque officium resignante, Reverendus Magister Joannes Grossi ex utraque parte unanimitèr fuit electus, tredecimque post annos regens, (b) an. Dom. MCCCCXXIV. ivit è sæculo. Hujus tempore Martinus Papa quintus prohibuit quatuor Ordines Mendicantium, alium Ordinem assumere, præter Carthusiensium, sine Summi Pontificis licentia speciali. Incipit: *Viam ambitiosæ cupiditatis.*

(b)

1106. Inter cæteros Ordines est Ordo sancti Ambrosij Episcopi, sub Regula sancti Benedicti, cum grisea cappa. Ordo sancti Lazari sub Augustini Regula, cum rubea cruce. Ordo sancti Antonij sub eadem Regulâ cum blavea cruce. Ordo Crucif[e]rorum cum stella, sub eadem Regula, cum rubea cruce in dextra parte. Et Ordo Pœnitentium Mariæ Magdalenæ sub eadem Regula, & habent habitum Præmonstratensium. Ordo sancti Jacobi de Alto Passo sub Regula sancti Augustini isti habent cappas nigras apertas, cum rubea conchula. Ordo de mercede in Aragonia cum aperta cappa rubea, & armis Regis Aragoniæ in pectore sub Regula Augustini. Ordo Sclavorum cum nigris cappis clausis, est sub eadem Regula. Ordo sancti Petri de Magella subest Regulæ sancti Augustini: ipsi habent cappas nigras apertas. Ordo de sancta Burga, eodem habitu, & Regulâ. Ordo Scororum sub eadem Regula, & cappa nigra clausa. Ordo Fontis Ebrardi sub Regula sancti Patris Benedicti. Ordo Fratrum Mamonopoli. Ordo sancti Victoris concordat cum Regularibus. Ordo Stegentium, sive Stanctengentium subest Regulæ sancti Augustini: isti habent collobia nigra. Ordo Fratrum & Sororum Cellitarum sancti Alexij sub eadem Regula. Ordo de Orto Cœli. Ordo sancti Thomæ. Ordo sancti Eligij. Ordo sancti Columbani Abbatis. Porrò novus Ordo Mendicantium ortum habuit tempore Innocentij septimi à quodam Redo nomine, quem Gregorius X. approbavit tempore schismatis, anno Domini MCCCCVII. sub Beati Hieronymi titulo; subest Regulæ sancti Augustini. Eugenius quartus dedit eis habitum griseum cum Scapulari ejusdem coloris & pallio. Ordo Canonicorum Cœlestini habitus, Congregationis sancti Georgij de Alga apud Venetias oritur tempore Gregorij XII. per nobilem virum Laurentium anno prædicto, sub Regula sancti Petri, à Gregorio XII. confirmatus. Ordo Monachorum Alborum, id est montis Oliveti novus, in Senensi agro à nobilissimis viris initium sumpsit, quem Gregorius XII. confirmavit, & ob honorem Virginis Mariæ album habitum dedit, sub Regula sancti Benedicti. Ordo Canonicorum Regularium temporibus Joannis XXIII. initium habuit anno Domini MCCCCXI. dum Pisis Synodus haberetur, in Lucensi agro, à quodam Fratre Jacobo Brixiano Ordinis sancti Dominici. Et vocatur Congregatio Frisonaria à loco, dicti vulgaritèr Fratres de Camisea. Ordo Reformationis novæ per venerabilem virum Ludovicum Barbum in monasterio sanctæ Justinæ apud Pataviam urbem, ubi Religio à disciplina regulari deciderat, restauratur, anno Dom. MCCCCXII. sub Regula sancti Benedicti. Ordo Eremitarum sancti Hieronymi sub (c) nova Regula, ex dictis Beati Hieronymi excerpta, per B. Lupum instauratus fuit.

Ordinum Religiosorum variorum varius habitus, regula, & origines.

ANNOT. (a) De ſtatu Ordinis tempore ſchiſmatis. *In Annalibus Ordinis latiùs, & hic ſuprà in Viridario Groſſi clavi ſecunda num.* 574. *& ſeq. agitur de ſtatu Ordinis iſtis temporibus diviſi in duas partes ſub binis Generalibus, ac de ſucceſſione Generalium.*

(b) An. 1424. Ivit è ſæculo. *Diutiùs vixit. Vide hic ſuprà num.* 582. *& Notas ad caput ſequens.*

(c) Sub nova Reg. *v. infra n.* 1199.

CAPUT XIV.

Progreſſus Ordinis ab anno MCCCCXXV. *uſque ad* MCCCCLXXII. *ubi de Reverendiſſimo Patre (ſanctæ memoriæ) Ioanne Soreth.*

(a) 1107. (a) POſt deceſſum Joannis Groſſi anno Domini MCCCCXXV. factâ univerſali congregatione Patrum Ordinis noſtri in Conventu Nannetenſi in Britannia in die Penthecoſtes, electus fuit totius Ordinis Prior Magiſter Bartholomæus Racoli. Hic quatuor annis regens, aſſumptus eſt à Martino quinto Epiſcopus Maſſilienſis. Deinceps Capitulô Generali in Conventu Ratiſponenſi Provinciæ Alemaniæ ſuperioris, an. Dom. MCCCCXXX celebratô, omnibuſque Gremialibus confeſſione factâ, communicantibus, & ſuper electione fiendâ juramentum præſtantibus, invocatô Spiritu ſanctô, electus fuit Magiſter Joannes Faci de Conventu Avinionenſi. Illo tempore erat Provincialis Alemaniæ inferioris Magiſter Petrus de nova Eccleſia. In hoc Capitulo fuit renovatum, quod ſemel in hebdomada per Quadrageſimam fieret officium de Beata Virgine, dempta ultima. Poſt hoc celebravit Capitulum Generale anno Domini MCCCCXL. in Conventu Aſtenſi. Aliud in Conventu Cabiloniæ in Provincia Narbonenſi, anno Domini MCCCCXLIV. in hoc Capitulo fuit inſtitutus Prior Provincialis Alemaniæ inferioris Magiſter Gotfridus de Loe Conventus Mechlinienſis. Hinc aliud Capitulum Romæ ad ſanctam Mariam Majorem in die Penthecoſtes XXVIII. die Maij, anno Domini MCCCCXLIX. Eodem anno Magiſter Joannes Faci fuit per Eugenium quartum aſſumptus Regenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Poſt cujus aſſumptionem vacabat officium duobus annis. Impetravit autem reverendus Magiſter Joannes Faci ab Eugenio mitigationem Regulæ quoad eſum carnium, anno ejus primo, XV. Kalend. Martij. Incipit: *Romani Pontificis providentia circumſpecta.* Secundò, ab eodem, anno ejus quinto, auctoritatem quam habent Minores pœnitentiarij in urbe, VII. Kal. Maij. Incipit: *Sacra Religionis.* Tertiò, idem Eugenius renovavit & confirmavit data Joannis XXII. *Dudum ſuper Cathedram.* Et *Vas electionis*, anno ſuo XVI. XVII. Kal. Februarij. Incipit: *Gregis nobis crediti.* Item à Nicolao quinto confirmationem Eugenij de confeſſionibus audiendis an. Dom. MCCCCXLVIII. anno ejus ſecundò. Incipit: *Proviſionis noſtra.* Item ab eodem, anno ſuo tertio, de Decimis non dandis, anno Domini MCCCCXLIX. Incipit: *Inter cætera noſtra ſollicitudinis.*

Decretum de Officio B. V. M. ſemel in hebdom. etiam in Quadrageſima.

Varia conceſſiones Summorum Pontificum.

1108. Porrò anno Domini MCCCCLI. celebratô Capitulô in Avinione in Feſto omnium Sanctorum, electus fuit Generalis Magiſter Joannes Soreth, vir devotiſſimus, natione Normannus, Conventûs Cadomenſis, ſui Ordinis reſtaurator, & Regularis vitæ collapſæ elegans reformator, memoriâ dignus, non ſine maximis periculis, & laboribus. Huic Magiſter Rolandus Brito Ordinis Prædicatorum, tale coram pluribus dedit teſtimonium. *Carmelitæ elegerunt pro Priore Generali præſtantiſſimum Sacerdotem Eccleſiæ Dei.* Porrò an. Dom. MCCCCLIV. etiam Conventum Mechlinienſem in bonam vitam reſtauravit. Ubi ex voluntate, & mandato prædicti Magiſtri Reverendiſſimi, qui me miſit, venerabilis Prior loci Frater Joannes de Platea, Zelator vitæ Regularis, habitu ſanctæ Religionis me induit, anno Domini MCCCCLV. menſis Aprilis die ſexta, quæ fuit tertia dies Paſchalis Feſtivitatis. Fundavit etiam Reverendiſſimus quinque monaſteria Virginum Ordinis noſtri, obtinendo eis à Nicolao quinto eadem Sororum privilegia Auguſtini, & Prædicatorum anno Domini MCCCCLII. nonis Octobris. Incipit: *Cum nulla fidelium conventio.* Ipſe celebravit Capitulum Pariſijs anno Domini MCCCCLVI. Ibi fuit ordinatum, quod de ſancto Lazaro fiet officium, ſicut de uno martyre & Pontifice, & in Litaniis diceretur *ſancte Alberte, ſancte Cyrille, ora pro nobis.* Tunc ſupportatus ab officio Magiſter Gotfridus, iterùm fuit inſtitutus Magiſter Petrus de Nova Eccleſia Provincialis. Hinc anno Domini MCCCCLXII. celebratô Capitulô Generali in Conventu Bruxellenſi Provinciæ Alemaniæ inferioris, in die Penthecoſtes, fuerunt ſtatuta Ordinis innovata, approbata, & conformitèr acceptata, quæ Generalis Prior Magiſter Joannes Soreth collegit in unum. Anno ſequenti defunctô Magiſtrô Petrô Provinciali, Reverendus Magiſter Martinus Aquenſis, in Capitulo Provinciali Coloniæ celebrato, fuit electus, qui ut bonus Paſtor, Regularem vitam augmentare, & continuare curavit.

Ioan. Paleonyd. Author hujus Faſciculi veſtitus habitu Car. an. 1455.

De ejuſd. profeſ. vid. ſup. n. 932.

Pontificum variæ conceſſiones Ordini Carmelit.

1109. Impetravit Reverendiſſimus Pater Soreth à Nicolao quinto, quòd nemo Ordinis noſtri ſe transferret ad alium, niſi ad Carthuſienſem, ſine licentia Summi Pontificis ſpeciali, anno Domini MCCCCLIV. Incipit: *Romanorum geſta Pontificum.* Secundò, à Calixto tertio confirmationem & declarationem de confeſſionibus audiendis, anno Domini MCCCCLVI. Incipit: *Inter cætera, quæ noſtra Paſtorali.* Tertiò, quòd nullus beneficiatus poteſt habere adminiſtrationem in Ordine, ſine Prioris Generalis licentiâ, anno ejuſdem Calixti primo. Incipit: *Ad Romanum Pontificem.* Quartò, quòd Fratres in reformatione viventes habeant eligere Priorem, quem Provincialis debet confirmare, anno Calixti ſecundo, anno Domini MCCCCLVII. Incipit: *In decore Religionis.* Quintò, à Pio ſecundo mitigationem Regulæ quoad jejunium Feriarum tertiæ & quintæ poſt Exaltationem ſanctæ Crucis, anno Pij ſecundo. MCCCCLIX. nonis Novembris.

bris. Incipit: *Ad hoc Divina miseratio.* Sextò, eodem anno & die, quod impedientes reformationem, ipsô factô, sunt excommunicati. Incipit: *Pontificalis auctoritas nos admonet.* Septimò, Pius dedit, ut rebelles arctius emendaremus, eodem anno & die. Incipit: *Sollicitudo pastoralis officij.* Octavò, à Paulo secundo obtinuit, quòd Fratres reformati possint eligere Priorem quem debet Provincialis confirmare anno Domini MCCCCLXV. pridie Kal. Februarij, anno ejus secundo. Incipit: *Circa quorumlibet Regularium.* Tandem pluribus Privilegiis Ordini obtentis, dignissimus Pater Magister Joannes Soreth, Generali Capitulô Aureliaci habitô in Aquitaniâ in die Penthecostes, anno Domini MCCCCLXVIII. post multa conscripta volumina devota, atque virtutum opera, anno Domini MCCCCLXXI. vigesima-quinta Julij, postquam viginti annis dignissimè Carmelum rexerat, (b) Andegavis obiit, miraculis clarus in hodiernum usque diem, sanctis meritò connumerandus.

V. P. Joannes Soreth obitus.

(b)

ANNOT. (a) Post decessum Joannis Grossi. *Historiæ isto capite compendiò traditæ, pleniùs digestæ videri poterunt in Annalibus Ordinis. Animadvertendum autem Capitulum Generale in Conventu Nannetensi non fuisse celebratum anno MCCCCXXV post mortem Ioannis Grossi, sed anno MCCCCXXX. sponte resignante ipso Ioanne Grossi ob debilitatem: qui post adhuc annis aliquot supervixit. Sic & Capitulum Ravenspurgense (non Ratisponense, ut habet Palaeonydorus) non anno MCCCCXXX. sed MCCCCXXXIV. celebratum fuisse, prout ex ipso authentico, & originali Registro, seu libro Ordinis testatur Ven. P. Lezana tomo 4. Annalium ad an. MCCCCXXX. Registrum illud non viderat Palaeonydorus, sicut nec Arnoldus Bostius.*

1110.

1111. (b) Andegavis obiit miraculis clarus. *In Fasciculo temporum Werneri Carthusiensis circa annum 1464. sic paucis mentio illius fit:* Joannes Soreth, Prior Generalis, ac Reformator Carmelitici Ordinis, Vir sanctæ vitæ, & singulariter Christo fructificus, postquàm Carmelum totum viginti rexerat annis, Andegavis obiit, ubi quamplurimis nunc miraculis corruscat. *Insigne ejusdem elogium, & vitæ compendium habet Trithemius libro de scriptoribus Eccles. atque etiam in libro de Viris illustribus Ordinis Carmelitani: ubi similiter testatur eum:* multis coruscum miraculis. *De illius obitu, & miraculis plura videri poterunt in Annalibus Ordinis ad ann. 1471.*

CAPVT XV.

Post ann. Dom. MCCCCLXXII. *Ordo multis Apostolicis privilegiis locupletatus: alia quadam notabilia.*

1112. POst tanti Patris decessum, factâ Congregatione Patrum in civitate Astensi in die Penthecostes, anno Domini MCCCCLXXII invocatô Spiritu sanctô, electus fuit Magister Christophorus Brixiensis. Porrò Sixtus quartus, anno suo primo revocavit, irritavit, annihilavit quandam Calixtinam, finistrè in præjudicium quatuor Ordinum Mendicantium procuratam. Incipit: *Quia in futurorum eventibus.* Ipse etiam post hoc, illos maximè suâ auctoritate Apostolicâ præmunivit. Igitur Magister Christophorus imprimis à Sanctissimo Sixto Papa quarto, anno ejus primo, impetravit sancti Patris Ordinis nostri (a) Alberti de Sicilia Canonizationem, sub Bulla plumbea, anno Domini MCCCCLXXVI. pridiè Kal. Junij, Pontificatûs Sixti anno quinto. Incipit: *Cœlestis aulæ multum numerum augeri sancta lætatur Ecclesia.* Secundò, anno eodem obtinuit innovationem, & approbationem omnium privilegiorum prius Ordini concessorum. Incipit: *Dum attentâ meditatione pensamus.* Ibi concessit Priori Generali dispensationem tàm de jejunio quàm esu carnium. Ità ut tres dies plures vel pauciores ad jejunium faciendum nominare, ac remittere possit, remissionem quoque peccatorum semel in vitâ, & semel in mortis articulo. Tertiò, anno Domini MCCCCLXXVII. septimo Kal. Septembris, Pontificatûs Sixti anno sexto, exemptionis Ordinis confirmationem. Incipit: *Sacer Ordo vester in agro Dominico.* Quartò confirmationem, innovationem, & de novo concessionem, & extensionem Indulgentiarum, anno eodem, septimo Kal. Aprilis. Incipit: *Dum attentâ meditatione pensamus.* (a)

Summorum Pontificum gratiæ, & privilegia concessa Ordini Carm.

1113. Hinc Capitulo celebrato in Conventu suo Brixiensi in die Penthecostes, anno MCCCCLXXVIII. fuit innovatū statutum antiquum, quòd de sanctis, quorum corpora Romæ ad sanctum Martinum in montibus, & in cæteris Conventibus Ordinis quiescunt, fieret Festum novem lectionum. Insupèr quia illa multi ignorant, hæc esse sciant. Ad sanctum Martinum in montibus sub summo Altari sunt corpora beatissimi Silvestri Præsulis & Confessoris, & beati Martini Papæ & Martyris, Fabiani, Stephani, Sotheris Martyrum, & Summorum Pontificum, Arthemij & sanctissimæ filiæ ejus, Cyriaci, Mauri, Papiæ, Mirarij, Pergi, Smaragdi, Trasonis Martyrum; Anastasij, Innocentij Pontificum; Quirini, Leonis Episcoporum; Asterij, Sisinij, Pollionis, Theodori, Nicandri, Crescentiani martyrum; beatæ Sotheris atque Paulinæ, Menemiæ, Julianæ, Cyrillæ, Theopestæ, Sophiæ Virginum & martyrum; Quiriacæ & Justæ Matronarum; & aliorum multorum, quorum nomina soli Deo sunt nota. Insupèr quòd fieret Festum duplex, vel totum duplex de omnibus illis sanctis, & octavis, in quorum diebus, & octavis concessæ sunt indulgentiæ in Sixtina. Item quòd de cætero fierent octavæ solemnes de Festo Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, & Michaëlis. Et novem lectiones XV. Februarij de sanctis Faustino & Jovita. De sancto Honorato Episcopo, & Confessore, XXIV. Aprilis. De sancto Erasmo Episcopo, & martyre tertiâ Junij. Demùm cum novem annis providè gubernasset, Romæ ad sanctum Martinum in montibus, terris corpus liquit, vadens ad creatorem anno Domini MCCCCLXXXI.

S. Martini in montibus Conventus Romæ Sacrarium plurimorū SS. Corporum.

1114. Tunc à Papa Sixto fuit constitutus Vicarius Ordinis Magister Wilhelmus Crich Provinciæ Turoniæ Brito. Qui anno eodem defunctus, successorem habuit reverendum Magistrum Pontium Conventûs Avinionensis. Iste anno Domini MCCCCLXXXII. in Capitulo Generali in Avinione habitô in die Pen-

Pontius electus Generalis Ordinis.

Penthecostes fuit electus Generalis Prior. Ibi fuit ordinatum, ut in die Corporis Christi, & per octavam ad nunc dimittis, diceretur Antiphona *Alleluia*: *Verbum caro factum est.* Et ad hymnos ejusdem metri. *Gloria tibi Domine qui natus.* Et quod loco Vers. *Oculi*, & *Edent*. per octavas Nativitatis Christi: *Verbum caro.* Et per octavas Paschæ: *Hæc est dies.* Et Festum decem millium martyrum, duplex esset. Ejus tempore Innocentius octavus anno suo primo, tertio Kal. Februarij, anno Domini MCCCCLXXXIV. confirmavit omnia privilegia Ordinis priùs data, similitèr Indulgentias. Incipit: *Dum attentâ meditatione.* Hinc Capitulô Generali celebratô in Conventu Rupeculensi in Sabaudia, in Provincia Provinciæ in die Penthecostes, anno Domini MCCCCLXXXVIII. fuit confirmatus reverendus Magister Joannes Wirici de Nussia Provincialis inferioris Alemaniæ, electus in Capitulo Provinciali, resignatô officio per Martinum seniô confectum, & debilem, postquam XXIV. annis Provinciæ præfuisset. Porrò anno Domini MCCCCXCII. reverendus Magister Pontius celebravit Generale Capitulum Romæ ad sanctum Martinum in montibus. Eô tempore magnus ille Dominus Abbas Spanhemensis Ordinis Divi Benedicti Dominus Joannes insignem librum de Ordinis nostri antiquitate, titulo, & laude, insignibusque, & illustribus Viris conscripsit, qui Dei Ecclesiam illustrarunt. Hunc librum Religiosus Pater sacræ Theologiæ Lector Joannes Lapicida Coloniensis, Prior Conventûs Crucenacensis impressuræ commendavit, anno Domini MCCCCXCIV.

Innocentius .... Privilegia, & Indulgentias Ordinis confirmat.

Trithemius Alias scribit duos libros de Ord. Carmelit.

1115. Porrò anno Domini MCCCCXCIII. de licentia Domini reverendi & Patris Domini Henrici de Bergis Cameracensis Episcopi (quàm post multas solicitudines, & labores, alterâ die sancti Lucæ Euangelistæ gratiosè obtinui) consecratus est locus, alterâ die undecim millium Virginum, per reverendum

(b) Dominum (b) Gotfridum Episcopum Dagnensem Domini Cameracensis in spiritualibus Vicarium & Suffraganeum, in oppido Antuerpiensi, ubi consecratione completa, Missarum

(c) solemnia (c) celebravi primus: & in die Apostolorum populo verbum Divinum prædicavi binâ vice, & aliis diebus festis, post Festum Epiphaniæ reverendus Magister noster Egidius Fabri (qui prius Magistro Provinciali assistebat) & sui coadjutores, in die sanctæ Agnetis, post multas dietas in unam cum Dominis de Capitulo convenerunt fraternalem unitatem. Ad laudem Omnipotentis Dei, suæque Genitricis Mariæ. Amen.

Antuerpiensis Conventus Carmel. consecratio.

1116. Circà hæc tempora reverendus Pater Rumoldus de Laupach Prior Conventûs Franckfordiensis Ordinis nostri, Lector sacræ Theologiæ ad multorum mercatorum diversarum nationum instantiam, qui in itineribus multorum periculorum, precibus beatissimæ Annæ sæpè se liberatos, & præservatos cognoverunt, ac repetitis vicibus in temporalibus & spiritualibus adjutos, ex præmeditatâ deliberatione, & devotione syncera ad gloriam Omnipotentis Dei & reverentiam Virginis intemeratæ Mariæ, suorumque prædignissimorum parentum Annæ & Joachim, totiusque ejusdem parentelæ spiritalem congregationem, seu fraternitatem, an. Dom. MCCCCLXXXI in profesto Nativitatis B. Mariæ Virginis, utriusque sexûs diversarum personarum erexit. Quam adscribendam, intitulandamque Matronæ prædigniori sacratissimæ Annæ & collegæ suo pastori Joachim decrevit. Innocentius verò octavus prædictam confraternitatem, cum certis privilegiis confirmavit. Similitèr Dominus Bertholdus Moguntinensis Archiepiscopus. Hinc post ingentis structuræ inceptum schema, & fermè totalitèr consummatum, post allatas sacrosanctæ Annæ reliquias de Lugduno magnis cum periculis & laboribus, postque alias varias uni homini intolerabiles curas & operas, post varia loca septis nostri Conventûs Franckfordiensis apposita, nobis incorporata, Capellam in eodem Conventu laboriosissimè construxit ad honorem sanctissimæ Annæ. Ubi est tabula pretiosi operis argentea pro conservandis sanctissimæ Annæ reliquiis, ab adunatis Confratribus ferè quatuor millibus reposita. Tandem ivit ad Christum nonis Octobris anno Domini MCCCCXCVI. Ad cujus Confraternitatis robur, & fidelium mentium ad beatissimam Annæ devotionem excitandam, magnus Pater Dominus Ioannes Spanhemensis Abbas supradictus anno Domini MCCCCXCIV. clarum opus in laudem sacratissimæ Annæ conscripsit.

S. Anna Confraternitas anno 1481. Francofurti solemniter instituta.

Ad instantiam mercatorum, ejus meritis à periculis liberatorum.

Innocent. VIII. P.P. & Bertholdus Archiep. Mogunt. Indulg. concedunt.

Capella magnifica construitur.

Trithemius librum scribit de S. Anna.

ANNOT. (a) Alberti de Sicilia canonizationem: *Bulla Canonizationis habetur in antiquo Speculo Ordinis Venetiis impresso an. 1507. folio 94. & ejusdem pars in Annalibus Ordinis ad an. 1476. De isto S. Alberto vide hic suprà num. 601. & 602.*

1117 (b) Gotfrid. Episc. Dagn *Iste Godefridus Greveraij assumptus erat ex Ordinis Carmelitani Conventu Gelriensi. In historia MS. De memorabilibus Antuerpia gestis, de illo memoratur: quòd* anno 1482. Antuerpiæ consecraverit, sub titulo B. Virginis Mariæ, atque in honorem SS. Trinitatis, & omnium SS. Apostolorum, altare summum in Ecclesia primaria Urbis, eidem Virgini Deiparæ dedicata. *Et quòd* an. 1493. die 22. Octobris in crepusculo idem ille, ex indulto Pontificio, Conventui nostro Antuerpiensi initium dederit, locum Deo, ac Deiparæ Virgini, sub titulo Annunciationis, dicando, &c. *Hæc ibi. Item, quòd* an. 1511 Joannes Briselotus Archiepiscopus Arborensis, & Sardiniæ Primas (ex Conventu Vallencenensi ejusdem Ordinis assumptus) chorum consecraverit: *& quod* an. 1517. Adrianus Arnoldi Episcopus Rossensis Suffraganeus Cameracensis (ex ejusdem Ordinis Conventu Brugensi assumpus) Altare summum ad honorem SS. Sacramenti consecraverit: *& quod* anno 1567. Martinus Cuperus (qui Antuerpiæ Carmelitani Conventûs Prior extitit.) Episcopus Chalcedonensis, Suffraganeus Cameracensis, in Ecclesia D. Virginis primaria Urbis, atque in aliis nonnullis altaria, hæreticorum impietate prophanata consecraverit. *Istâ obiter de Urbe, & Conventu ubi nunc (anno 16-0.) Speculum hoc Carmelitanum perficitur, & typis editur.*

Episcopi 4. assumpti ex Ord. Carm. successivè Antuerpia

(c) Celebravi primus, *scilicet author Fasciculi hujus tripartiti Ioannes Palaeonydorus.*

CAP. XVI.

CAPUT XVI.

Compendium Indulgentiarum à Summis Pontificibus successivè per sex sæcula (à Leone quarto usque ad Sixtum quartum) Ordini Carmelitano, aut ejus intuitu aliis concessarum.

(a) 1118. (a) LEo Papa quartus, qui electus fuit anno Domini DCCCXLVII. contulit omnibus Christi fidelibus Ecclesias nostras visitantibus in Nativitate Christi, in die sancto Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Penthecostes, Assumptionis, Nativitatis, Anunciationis, Purificationis Dei Genitricis Mariæ, sancti Michaelis Archangeli omnium sanctorum, in duobus Festis sanctæ Crucis, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum martyrum Fabiani & Sebastiani, in die Parasceves, & per octavas dictarum festivitatum, in diebus Vocabulorum omnium Ecclesiarum Ordinis nostri, septem annos, & totidem quadragenas. Adrianus secundus, Joannes XI. Sergius quartus Innocentius quartus in prædictis festivitatibus, & in earum octavis, (b) tertiam partem omnium peccatorum, in Domino relaxarunt. Clemens tertius, Alexander secundus, Gregorius quintus, Gregorius septimus, in prædictis festivitatibus & in qualibet earundem, similem gratiam largiti sunt. Joannes XX. in omnibus diebus Quadragesimæ, & in omnibus festivitatibus principalibus totius anni, duos annos, & duas quadragenas. Benedictus Papa X. qui ter in hebdomada tempore quadragesimali, secunda, quarta, & sextis feriis, & etiam in festis vocabulorum, nec non diebus Sabbathis ob Beatæ Dei Genitricis reverentiam, & in diebus Dominicis piè visitarent XL. annos. & totidem quadragenas, & omnium peccatorum septimæ partis remissionem, in Domino relaxavit, omnes Indulgentias & peccatorum remissiones suorum Prædecessorum duplicando. Urbanus tertius in omnibus diebus Quadragesimæ & in omnibus festivitatibus principalibus anni, duos annos, & duas quadragenas. Gregorius octavus, Innocentius quartus contulerunt qualibet die cuilibet dicenti Pater noster, & Ave Maria in Ecclesijs nostris pro vivis & defunctis XL. dies. Clemens tertius in omnibus festivitatibus principalibus anni, & in tota Quadragesima, duos annos & duas quadragenas. Innocentius tertius in diebus Nativitatis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, diebus omnibus Quadragesimæ, & quinque festivitatibus Beatæ Mariæ, & in diebus octavarum, duos annos, & duas quadragenas. Honorius tertius in festis Vocabulorum, in die Parasceves, in die sanctæ Crucis, in die Nativitatis, Anunciationis, Purificationis, Assumptionis Dei Genitricis Mariæ, XL. annos, & totidem quadragenas. Gregorius nonus in omnibus diebus Quadragesimæ & festivitatibus principalibus anni, duos annos, & duas quadragenas. Alexander quartus in omnibus Quadragesimæ diebus, in omnibus festivitatibus anni, unum annum & unam quadragenam. Urbanus quartus in festivitatibus, & per octavas Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, & per omnes dies Quadragesimæ, Resurrectionis, Ascensionis, Penthecostes, Corporis Christi, ac quinque festivitatibus B. Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, omnium Apostolorum & Evangelistarum, omnes Indulgentias suorum Prædecessorum duplicando, unum annum, & unam quadragenam relaxavit. Clemens quartus in omnibus diebus Quadragesimæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, Penthecostes, Corporis Christi, Joannis Baptistæ, omnium Apostolorum Mariæ Magdalenæ, quinque festivitatibus Beatæ Mariæ, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, in dedicatione Ecclesiarum seu Altarium, & per omnes octavas, in stationibus totius anni, in Generalibus & Provincialibus Capitulis quamdiu duraverint, in diebus Sanctorum, quorum corpora requiescunt in nostro Ordine, centum annos, & totidem quadragenas. Idem Clemens quartus in die Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis Mariæ XXX. an. XXX. quadragenas, Joannes XXII. in Nativitate, Annunciatione Purificatione, Assumptione Virginis gloriosæ, XL. annos, & XL. quadragenas. Urbanus quintus in Annunciatione Virginis Mariæ, VII, annos & VII. quadragenas. Nicolaus quintus omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones à supradictis Prædecessoribus suis concessas, duplicavit in prædictis diebus & festis, & annos septem. & totidem quadragenas in Domino relaxavit. Sixtus quartus, & Innocentius octavus in Annunciatione, Visitatione, Assumptione, Nativitate, Conceptione, Præsentatione ac Purificatione Virginis gloriosæ, & per octavas, & in diebus Vocabulorum, XXX. annos, & totidem quadragenas.

Leo PP. IV. Ordini Carmelit. Indulgentias concessit.

(b)

Et consequenter alij plures.

1119 Consequentèr Leo quartus his qui domos confractas Ordinis nostri reficiunt, septem annos & septem quadragenas. Adrianus quintus, Stephanus quintus, Sergius tertius, Joannes X. Joannes XI. Sergius quartus, Innocentius quartus omnibus qui domos confractas refecerint, pro fabricis Ecclesiarum munera dederint, qui (c) confraternitatem Ordinis assumpserint, Calicem pro Missis celebrandis, vel Tobalias seu Mappas erogaverint, qui in præmissis vel quolibet præmissorum manus porrexerint adjutrices, qui in suis testamentis nobis aliquid legaverint, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. Clemens tertius, Alexander secundus, Gregorius quintus, Gregorius septimus eandem gratiam largiti sunt. Honorius tertius manus adjutrices nostris Fratribus porrigentibus XL. annos & totidem quadragenas in Domino relaxavit. Urbanus sextus tres annos & totidem quadragenas omnibus concessit Christi fidelibus, qui Ordinem nostrum seu (c)

Fratres

Fratres Beatæ Mariæ Virginis nominaverint. Sixtus quartus, Innocentius octavus XXX. an. & totidem quadragenas concesserunt, qui ad emptionem ornamentorum, Ecclesiarum complementum, & augmentum Divini cultûs, ac paramentorum porrexerint manus adjutrices.

1120. ANNOT. (a) Leo Papa quartus. *Is totius Sanctitatis decore repletus amator Religiosorum hominum, sicut de eo testatur Anastasius in ipsius vita, successit Sergio anno Christi octingentesimo quadragesimo septimo: & Religiosis Eremitis Fratribus B. Virginis Mariæ de monte Carmeli, à Saracenis graviter afflictis compatiens Indulgentias suprascriptas concessit: & illum imitati sunt Pontifices alij. Indulgentiæ illæ à Leone IV. & aliis ejus successoribus, in favorem Ordinis hujus concessæ, exprimuntur & confirmantur in Bullis Sixti IV. Iulij* II. *& Gregorij* XIII. *in Bullario Ordinis contenta. Etiam in antiquo Speculo Ordinis eadem Indulgentiæ exarata extant: & indè extractum dedimus in partis primæ Appendice prima §. 7. & 8. num. 527. & 534. An & qualiter Indulgentiæ istæ omnes in vigore adhuc sint amplè, & eruditè declarat Reverendis. Theodorus Stratius, in libro cui titulus est* Instructio &c. *circa* Indulgentias &c. *cap. 16. & sequentibus.*

1121. (b) Tertiam partem peccatorum relaxarunt. *Eâ Indulgentiarum formulâ utuntur etiam quandoque alij Pontifices concedentes relaxationem tertiæ partis omnium peccatorum, id est pœnarum peccatis debitarum. Indulgentia enim nullius culpæ labem abstergit. Hinc etiam cum subindè dicitur*, per Indulgentiam concedi remissionem culpæ, & pœnæ, *significatur, eos qui Indulgentiam consequuntur, exsolvi nexu culpæ, & pœnæ. Culpa quidem per absolutionem, vel contritionem, Indulgentiæ præsuppositam; pœna verò, formaliter per Indulgentiam. Quo ad clausulam, seu conditionem* manus adjutrices *(id est eleëmosynas)* porrigendi, *eâ posteà sublatâ, seu in alia pietatis opera fuit mutata. Vide supr. num. 531. sub finem.*

(c) Confraternitatem Ordinis assumpserint. *Indè patet antiquitas Confraternitatis B. Virginis Mariæ; quod videlicet ante annos* 800 *ea extiterit; Adrianus enim Secundus, qui Confraternitati isti Indulgentias concessit, Pontificatum tenuit anno* 868. *& sequentibus, & ipsi haud diu post successerunt Stephanus V. (juxta alios VI. nuncupatus) Sergius* III. *Ioannes X. &c. Sed de hoc latiùs in sequentibus.*

EPILOGVS.

Ab exordio mundi semper fuere aliqui Deo, ejusque cultui specialitèr dicati, adumbrantes, & delineantes Religiosum statum, postmodùm à S. Elia Propheta substantialitèr institutum, & à Christo Domino in perfectione consummatum.

1122. QUiâ Eliam Prophetarum eximium, omnium Religiosorum nisus sum asserere sanctorum testimoniis Patriarcham, & fontale principium; hoc velim pium Lectorem attentè ruminare, quòd *Religio* dicitur à *religo*; eò quòd nos *religet* ad Dei servitium, & cultum. Vel à *relego*; quia *Religiosi relegunt* & retractant quæ Dei sunt. Vel à *rigeo*; eò quòd rigida sit. Igitur post primorum lapsum Parentum, humani generis custos pervigil Deus, statim providerat posteritati stirpis humanæ, occisô Abel justô, exemplar, undè haberet vero bono adhærendi cognitionem, & summum malum

Elias omnium Religiosorum Patriarcha.

Religio, & Religiosi undè deriventur.

fugiendi. Nam Seth qui se religavit Deo, veracitèr obediendi, filium genuit religiosissimum, Enos nomine. *Iste cœpit invocare nomen Domini*, scilicet culturâ speciali, & servitiô singulari, secundùm Postillam Nicolai de Lyra Genesis quarto. Undè filij Seth dicuntur *Filij Dei*. Consequentèr Enoch, quia *ambulavit cum Deo*, id est in latria veræ Religionis Deo servivit (Genesis quinto) transtulit illum Deus, & non apparuit. Hujus sanctissimi Religiosi Seth Religio duravit in posteris suis annis mille sexcentis quadraginta duobus, secundùm Orosium, usque scilicet sancti, justi, & sapientissimi viri Noë tempora. De quo Genesis V. *Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum in terra cui maledixit Deus.* Hic vir religiosissimus, solus eô tempore justus, Genesis VII. Prædicavit populo peccatori, à Religione Seth devianti, centum viginti annis pœnitentiam, secundùm Lyram. Nam multa malitia hominum erat in terra, & cuncta cogitatio illorum erat intenta ad malum. Istis non obstantibus, misericors Deus semper eruditos viros conservavit, qui vitam suam ad Deum religiosè seu religatè statuerent.

Genes. 4.

Relegati peculiariter Deo, & ejus servitio, semper aliqui ab initio mundi.

1123. Diluviô igitur finitô, Religio Seth in filiis Noë, scilicet Sem & Japhet, & illorum posteris, usque ad tempora Abrahæ fuit, Deô ordinante, observata per Heber, & cæteros sapientes. Abraham verò sanctissimus Religionem Seth nedùm continuavit, verùm etiam Dei mandatô, signaculô Circumcisionis reddidit perfectiorem. Ipse ædificavit Altare Domino, & invocavit nomen Dom. (Genes. XII) Præcepit igitur filiis suis Religionem Seth firmitèr observare. Unde dicitur Genes. XVIII. *Num celare potero Abraham? scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant vias Domini, & faciant judicium & justitiam.* De Isaac enim habetur Genesis XXIV. quòd *egressus* fuerat *ad meditandum in agro, inclinatô jam die*, id est ad orandum, ut dicunt Glossatores. At verò Moyses Dei præceptô singularem Tribum, scilicet Levi, peculiaritèr ad Divinum cultum instituit, quatenùs à Sacerdotibus, Scribis, & Senioribus, atque Levitis populi restringerentur à peccatis, & per sacra scripta, & doctrinas, confirmarentur in bonis. Post mortem autem Moysi * Jesus filius Nave, & duodecim Duces, usque ad tempora Samuelis eandem Religionem Seth erant continuantes cum Heli. Post istos Samuel Propheta Dei electus singulari modô, Religionem Seth ampliavit. Ipse enim nedùm de tribu Levi, verùm etiam universalitèr de omni Tribu Israël, * Cuneum Prophetarum, id est Religiosorum collegit in unum. Sub tribus tamen principalioribus punctis omnium Religiosorum eos non instituit; nam & Samuel filios habuisse, Regum testatur historia.

* Eccli 46. *Samuel cuneos Prophetarum id est Deum laudantium instituit.*

* 1. Reg. 10 & 1. Reg. 19.

1124. Deindè prostrato Saul, David Prophetarum eximius, cumulum Dei religiosè servientium multiplicitèr augmentavit. Venit tandem post David, electorum Dei Prophetarum numerus copiosus; inter quos Elias Propheta apparuit, qui Religionem Seth, sub Noë,

&

& Abraham continuatam, sub Moysen, quantùm ad Tribum Levi, singularitèr electam, à Samuele singulari modô institutam, & excultam, nedùm continuavit, selegit, & excoluit, sed & in se, & suis discipulis perfecit, & consummavit, quantùm ad obedientiam, paupertatem & castitatem perpetuam. Hujus discipuli principales librô primô capitulô quartô* descripti sunt. Post decessum sanctissimi viri Elisei, ejus discipuli egregij, Propheticæ Religionis seu Elianæ surgentes, suâ doctrinâ populum erudiebant. De istorum numero fuerunt Isaias, Micheas Morastites, Oseæ, Joel, Amos, Nahum, Abacuc, Sophanias. Et ex utero matris Deo consecratus virgo Hieremias. Hi, & alij complures usque ad transmigrationem: deinceps sub transmigratione, & post, magnus Ezechiel, virgineus Daniel, Zacharias, Aggeus, & Angelus Domini dictus Malachias, gloriosus Mardocheus, Jesus filius Syrach, atque talium Carmelitarum multi, peccata repressisse populi inveniuntur, usque ad tempora Christi; verbô, & exemplô mundum opacum illustrantes.

Elias primus observantiam paupertatis, castitatis, & obedientiæ invexit.

* num. 95. & seq.

1125. Septimâ verò ætate venit Christus Jesus, Propheta Prophetarum, omnium Religiosorum Princeps, & caput Hic Eliæ Religionem, quantùm ad tria principalia puncta, perfectam consummavit; tùm numero personarum, tùm sanctitate virtutum. Tunc crescente segete, & Christo incrementum dante (b) floruerunt Carmelitæ sanctissimi, Jonanes Baptista amicus sponsi, Andreas Apostolus, Marcus Evangelista Petri Apostoli Cancellarius & Notarius, Cleophas, Sylas, Manachem, magnus Enoch, Nathanael in lege doctissimus, Agabus Propheta, Fronto, Saturninus, Martialis, Ignatius, Egesippus historiograhpus, & complures alij, omni scienti cogniti. Horum scripta propter temporis antiquitatem, & distantiam, tùm propter Posterorum incuriam, aut certè propter tyrannorum grassationem, ut plurimùm non habentur. Et quis tantæ diligentiæ, atque laboris, quis hujus intelligentiæ, atque splendoris, ut universorum Carmelitarum doctorum scripta, volumina, tractatus, orationes, collationes legere aut ruminare totô vitæ suæ ævô queat? utpotè Basilij, Gregorij Nysseni, Hieronymi, Epiphanij, Joannis Chrisostomi, Gregorij Nazianzeni, Joannis XLIV. Episcopi Hierosolymitani, Cyrilli Alexandrini Episcopi, Eutropij, Joannis Damasceni, Eusebij Cremonensis, Serapionis, utriusque Macharij, Hilarionis, Piamonis, Pambonis, Theonis, magni Cæsarij, Miletij Episc. Antioch. Euticij Prioris Carmeli, Evagrij Episc. Antioch. Amphilochij, Heraclidis, Zozimæ, Caprasij Abbatis Carmeli, & talium plurimorum.

Christus Religiosum statum in perfectione consummavit.

(b)

1126. Et quid de modernis nostræ Carmeliticæ Religionis Scriptoribus, viris eruditis, aut doctoribus dicam, utpote de S. Bertholdo Doctore Paris. Ord. nostri Priore Gen. Latino, Brocardo, Cyrillo Græco Doctore, & aliis de quibus supersedere judicavi; nam venerabilis Abbas, (a) Historiarum armarium Trithemius, tùm in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, & de Scriptoribus Germaniæ plura de nostris narravit laude digna. Insuper in tractatu suo; quem prætitulavit *de laudibus Carmelitarum* LXVIII. nominatim, etiam quoad eorum scripta pro tunc sibi occurrentia, compilavit O celeberrimum, felicemque Patrem & Benedictinû bravium, qui benedictæ Virginis Fratres sic amavit, ut sui Ordinis initium, Patres, & Fundatores, Patronatum ipsum, ex vetusto oblivionis sepulchro in lucem aducxerit. Qui sic Carmelitanos omnes ad litterarum sacrarum studia, ad meliorem animorum cultum amplexandum animavit, qui velut Angelus sub junipero Eliam dormitântem excitavit, Cui se totum Ordo noster dat, devovet, atque tradit. Cui Diva Virgo Carmelitica Præses, facilem servat aditum cœli. Cui reverendissimus Pater Ordinis totius impartitur suffragia & preces Martinus verò Italicus in sua oratione Rethorica commemorat Ordinis viros, scilicet Martinum Florentinum, Aluisium de Panorme, Ivonem Berch Britonem, Joannem Alexij, Julianum Brixiensem, Vincentium Tuscum, Blasium Siculum. Franciscum Marsiliensem, Guilhelmum Aiconensem, Benedictum Chachinensem, Petrum Chiraldi, Andream de Apinis, Joannem Salemitanum, collaudans. & permaxime extollens Michaelem Lombardiæ. Sed quid præconij dignum, de Laurentio nostro Burello Divionensi dicere potero, Provinciali Narbonico? Nam ut in suo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, gravissimus Pater Joannes Trithemius Spanhemensis Abbas dicit: est quidem sacræ Theologiæ Doctor insignis, Divinis scripturis eruditus, secularibus literis egregie doctus, ingeniô excellens, & clarus eloquiô. Hic metrô exercitatus & prosâ, scripsit opus celeberrimum in laudem Eliæ Carmelitarum Patriarchæ, quod prænotavit *Eliadem*. Insuper de il ustribus viris Ordinis nostri,

(a) De Trithemio vide plura hic infra num. 1188. & 1234.

1127 Verum quia hujus Tripartiti fasciculi, seu trimetesti brevitas non sinit diutiùs pro nunc in talibus immorari, universos Posteros, & coexistētes meos obnixiùs rogo ut cæteros nostri Ordinis viros illustres addant huic operi. Cum his finem dicendi facio Clamitent, garriant, insaniant detractores dicentes: Carmelitæ obscurum genus hominum. Venia tamen ipsis (Patres) deprecanda est. Nam invidiâ decepti (quæ bonorum inexorabilis semper hostis fuit) nobis detractare, non suâ sponte, compulsi sunt. Qui sunt qui sanctissimam Matrem Jesu, necdum natam coluerunt? Nonne viri Carmelitæ? Qui sunt qui Hierusalem creberrimis Fidei Catholicæ doctrinis illustrarunt, ac pro eadem fide denique fusi sunt? Nonne viri Carmelitæ? Qui sunt qui supervenientem Antichristum trucidabunt? Nonne viri Carmelitæ? Videte ergo (Patres) quàm stolidè loquantur, qui semper nos lacerare conati sunt. Abiectos nos esse ferunt, non quòd sumus, sed quod nos esse vehementer affectent. Quod si velim, facilè tes..lendum puto. Nam quod minus habet Italia, Græcia supplet. Quod deest Achivis, Celtebris copia est. Quod Celtibris abest, Anglicis abundè datur. Sed eis velim gerere morem, atque omnia quæ cupiunt, unô ore secum approbare. Quid tamen? innumeras muscas, quoniam volare didicerunt, paucis columbis anteferendas opinor?

1128. Postremò dignitatem vestram Religiosi Patres, velut arbitror, satis audistis. Linguas hominum filô connectere, vel dentes pulsare malleô non possumus. Sed nostrum est, fragiles æmulorum parvifacere sententias. Quó ergò velint, modô loquantur. Nemo nobis id tollere potest, quin Carmelitæ à Filijs Prophetarum Montis Carmeli antiquum genus eorum traxerint. Nos ab Elia exordium habuisse constantèr & probatissimè fatemur. Nemo igitur id Nobis tollere potest, quin Prophetarum, deinde Martyrum, Confessorum, Virginum, nostro sit Ordini copia. Quin innumeri sint libri, quos ad Catholicam fidem illustrandam in universum terrarum Orbem Carmelitæ confecerint. Ad gloriam & laudem sanctissimæ Trinitatis, ac gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus titulô sacer Ordo noster in sancta Ecclesia specialitèr insignitur. Amen

IGITUR *Da tibi Nate prè laudes, Matrique Maria*

Finis Fasciculi Tripartiti.

SPECVLVM HISTORIALE
SECTATORVM SS. PROPHETARVM
ELIÆ & ELISEI,

De Institutione, & peculiaribus gestis, ac viris illustribus sacri Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmeli.

Auctore Arnoldo Bostio Flandro, Gandavensi.

LIBER XI. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio Prævia de Auctore Operis.

1129. INter præstantiores Ordinis hujus Historiographos meritò censeri debet Arnoldus Bostius, Theologus, Philosophus, Orator, & Poëta præclarus. Istis, atque aliis Elogiis eum celebrant Abbas Trithemius librô de Scriptoribus Ecclesiasticis; Petrus Lucius, Antonius, Sanderus, & alij. Fuit propterea, dùm viveret magna habitus in æstimatione inter doctos, ita quidem ut Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquilejensis & Cardinalis & Rupertus Gaguinus Generalis minister Ordinis SS. Trinitatis, istius sæculi viri eruditissimi, huic Arnoldo Bostio partem suarum lucubrationum dicaverint, sicut idem Trithemius dicto libro refert, verbô: Hermolaus Barbarus, & Rupertus Gaguinus. In Annalibus hujus Ordinis tom. 4. ejus obitus adscribitur anno Christi 1499. ubi etiam hæc, inter cætera. Scripsit quamplura, quibus doctrinam, & pietatem, quâ decorabatur, aliis manifestam fecit, specialiter, opus, quod prænotatur SPECVLVM HISTORIALE, in Bibliotheca nostri Conventûs Astensis reservatum, ex quo plura pro nostris Annalibus mutuata accepimus.

Arnoldus Bostius scriptor insignis.

Hermolaus Barbarus Patriarcha, & Rupertus Gaguinus ei libros dedicarunt.

Scripsit Speculum Historiale.

1130. *Alia de Bostio, & lucubrationibus ejus hîc subsequentur parte 3. ubi inseritur ipsius liber elegans* de Patronatu B. Virginis *& parte 5. ubi ponitur ejusdem* liber de viris Illustribus hujus Ordinis. *Opus istud insigne* (Speculum Historiale) *& inter præstantiora de Ordine Carmelitano lucubrata hactenùs, concinnatum fuit circa annum Christi 1490. nam anno 1494. illud exscriptum fuit per Ioannem Geerbrandum a Leydis, ut ipsemet testatur sub finem voluminis istius, quod extat in Astensi Bibliotheca: exemplar alterum habemus in Belgio, in Chartophylacio Provinciæ Flandro-Belgicæ: & inde desumpta sunt quæ sequuntur. Vtinam mox ut à suo Authore editum fuit, etiam in publicum prodiisset! Indè plures in Carmelitana historia hallucinati, lucem veritatis hausissent. Pridem, & diu deliberatum, an Speculo Carmelitano integrum inserendum (haud dubium non defuturos qui optarent) animum in diversa traxerunt sæpè rationes variæ: Tandem dissuasit ista: quòd ex accessu istius operis prolixi,* SPECVLVM ORDINIS CARMELITANI *(ejusque pretium) notabiliter excresceret: & tamen pleraque ferè eadem in antecedentibus pertractata sint, aut in sequentibus, aliundè inserenda (exceptis tamen contentis in libris primo, & secundo, & hinc indè historiis nonnullis insertis, non ità peculiaritèr Carmelitanam historiam concernentibus) nam omnia ferè libri tertij, & quarti, ac initium quinti tradita sunt, & plerumque iisdem verbis in parte prima Speculi hujus nostri septem prioribus libris, ut perspicere licebit ex collatione titulorum hujus, & istius operis. Similiter alia subsequentia, aut alibi, in hoc Speculo continentur, aut in Annales Ordinis hujus à Ven. P. Lezana sunt translata, aut Carmelitanam historiam non propriè spectant, ut ex mox dicendis liquebit. Opera pretium tamen visum fuit hîc apponere voluminis istius Prologum, & singulorum librorum, ac capitum titulos, seu Summaria, & quædam excerpta verbis ipsius Authoris.*

SPECVLVM HISTORIALE *sectatorum SS. Prophetarum Eliæ & Elisei: de Institutione & peculiaribus gestis ac viris Illustribus sacri Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ.*

PROLOGUS *Auctoris* *

* *Arnoldi Bostij.*

1131. CUm ad profectum Religiosæ vitæ, ac monasticæ disciplinæ, non solùm debeant à nobis gesta, & exempla sanctorum virorum perspicaciter recoli, sed etiam eorum dicta tenaci memoriâ retineri; hinc est quòd antiqui Patres accuratè studuerint ad Posteritatis instructionem tam dicta quàm gesta priscorum Patrum libris mandare; sunt namque tales libri, magistri, qui nos instruunt sine virgâ & ferula, sunt profundissimæ Sophiæ fodinæ, ad quas Sapiens suum mittit filium, ut indè thesauros inæstimabiles effodiat qui cunctas mundi divitias, atque delicias transcendunt.

Librorum utilitates.

dunt. Sunt putei aquarum viventium: sunt spicæ gratissimæ manibus Apostolicis confricandæ, ut egrediatur cibus suavissimus famelicis animabus. Sunt venæ aureæ in quibus manna reconditur mellifluum: ubera uberrima lactis vitæ. Omnem enim gloriam mundi operiret oblivio, nisi Deus mortalibus librorum providisset remedia. Quid namque de mundi exordio, & ejus creatione, & de Adamo, Noë Patriarchis, Moyse, & Prophetis? quid de Domino nostro Jesu Christo, & ejus Matre benedicta, atque de initio, seu infantia militantis Ecclesiæ, & ejus sanctis sciremus, nisi nos libri de illorum gestis, & dictis informarent?

1132. Verùm cùm pro exiguitate ingenij mei ad aliquid simile agendum de præclaris Patribus nostræ Religionis atramento calamum intinxissem, menti extemplò incidit, quòd ardentèr quæri debeat super aurum & topazion à cunctis Religiosis illa delectabilis serenæ conscientiæ gloria, de quâ Beatissimus Paulus Apostolus, Gentium doctor loquitur, dicens: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: & aliô in locô: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*: & dicit signantèr: *nisi in Cruce Domini* ad excludendum omnem aliam à Religiosis gloriationem. Gloriati sunt Judæi de Abraham, qui fuit Pater eorum, dicentes: *Pater noster Abraham est.* Sed quia opera diaboli, & non Abrahæ habebant ideo Deus respondit eis, dicens: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Igitur quid prodest ei, quem mores sordidant, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? quid proficit Cham quòd Noe justi filius fuit, & quid obfuit Ezechiæ, quòd pessimi Achas filius fuit? aurum de terra nascitur, sed non est terra, & aurum eligitur, & terra contemnitur. Melius est degenerem clarum fieri, quam de claro genere in contemptibilem nasci. Sunt qui gloriantur de sanctitate Fundatorum sui Ordinis, ut Eliæ, Basilij, Benedicti, Augustini, Dominici, Francisci, in quibus aliquando nomen Religionis, & non vita consistit. Nam Religio à *re*, & *ligo*, vel *lego* dicitur, & monachus à *Monos* Græcè & *Achos* id est *tristis*, quasi *unus tristis* dicitur. Ut ergo voci vita non discordet, Monachus debet ad hoc intendere, ut status ejus concordet cùm nomine.

2. Corinth. 1.

ad Galat. 6.

Ioan. 8.

Gloriari de clara progenie inane, nisi adsint opera digna.

Sicut & de sanctitate Fundatorum, si vita illis non correspondeat.

1133. Quemadmodum ergo populus Israëliticus præ cæteris populis fuit à Deo per Moysen doctus specialibus doctrinis legis, ita Religiosi Carmelitæ præ cæteris viris Israelitici germinis fuerunt à Deo per Eliam Prophetam instructi spiritualibus documentis & institutis Monasticæ Religionis, quos, ne iram Dei incurrant, oportet non quidem gloriari, quod talem ac tantum Prophetam meruerunt habere Auctorem, & Institutorem suæ Religionis, sed magis imitari vitam illius Prophetæ, & servare & intelligere dogmata ejus, & Instituta Religionis prædictæ, illaque operibus adimplere. Quæ ut intelligi promptiùs, & efficaciùs queant exerceri, laboriosam perscrutandi adhibui diligentiam, & in unum volumen redigendi ea, quæ præcedentes Patres hujus sacræ Religionis veridicè conscripserunt de ejus primaria Institutione, & documentis Eliæ, & de processu jam dictæ Religionis per tempora tam legis veteris quàm novæ, donec in novissimis diebus nostris fuit multiplicata per diversas Europæ Provincias. Ne igitur propter compilantis ruditatem (cum sit inter minores minimus) ipsum compilatum præsumptuosus quispiam respuat, aut invidus; cupio universis, & singulis hac compilatione uti volentibus, esse notum, quòd quasi nihil de propria adinventione posuerim, sed præsens opus conficitur ex dictis sententijs, authoribus, & tractatibus RR. Magistrorum Venerabilium Patrum ejusdem Religionis.

1. Carmelitæ debent imitari vitam S. Eliæ sui Fundatoris.

1134. Sed fortè his auditis revolvet adversarius, dicens: testimonium prædictorum est à jure invalidum; quia fuerunt fratres ejusdem Ordinis, & Religiosi non possunt in causa sui Monasterij testificari, sicut patet in Canone 14. quest. 11. *super prudentiam*, ibi Dominus Papa Paschalis II. scribens Guidoni Archiepiscopo Viennensi Sedis Apostolicæ Legato, dicit sic: *Super prudentiam tuam plurimum admiramur, quòd in negotio S. Stephani Clericorum, ipsorum noluisti accipere testimonium.* Sed subdit Papa dicens: *diversæ sunt species causarum, nec in omnibus causis crimina agitantur. In criminalibus si quidem accusatorum & testium illa distinctio observanda est ut in Canonibus continetur, ne quo ad probationem domestici assumantur. Ceterum* inquit Papa, *in possessionibus, vel hujusmodi negotijs hi potentissimum assumendi sunt in testes, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu, vel visu hæsitatio esse non debet.* Et ideo dicit Papa: *Si sunt Clerici idonei de assertatione causæ nullatenùs amoveantur.* Hæc ibi. Ex quo satis patet, quòd Religiosi & Clerici possunt in causis honestis sui monasterij testificari & ideò à testimonio non sunt repellendi.

2. Historicis domesticis Ordinum Religiosorum fides habenda.

Quia ipsis sua nota sunt.

1135. Nonnè de Ordine Prædicatorum fuerunt, qui de eorum Ordine scriptitarunt; aut alterius Religionis fuit, qui de S. Francisco, & ejus Religione scripsit? numquid minoris authoritatis sunt censendi, qui de ordine nostro tractatus ediderunt, quam illi qui de proprijs Ordinibus libros composuerunt? Minime. Cuilibet enim domestico meliùs constat de rebus domesticis: Nam unicuique experto in suâ facultate credendum est, quia proverbialitèr dicitur: *Experto crede * Roberto.* Causa verò præcipua edendi hoc volumen fuit dispersio prædictarum sententiarum, & authoritatum, quæ dum in uno codice simul collectæ non legebantur, quælibet se sola nostræ sanctæ Religionis institutionem, & processum incompleté describebat. Cùm autem in hoc volumine sub compendio, in libris distinctis per ordinem conjunguntur, originem dictæ Religionis, & institutionem, & processum, atque statum satis perspicuè pandunt.

* al. Ruperto.

1136 Dividitur autem præsens opus in novem libros partiales, quorum quilibet ulteriùs in distincta Capitula. In his ergo libris pote-

poterit verus Carmelita, quantùm scire sufficit, piè contemplari suæ Religionis originem, processum, ac multiplicationem: & fundatorum, & præcedentium professorum ejus dignitatem, & Monasticæ vitæ Eremiticæ institutionem, ac finem, & dignè conversantium in ea beatam remunerationem. Obsecro igitur vos Fratres charissimi, adinstar præcedentium Sanctorum Patrum amplectimini, & legite hęc: experimini, & observate; quoniam per observantiam eorum, iram Dei vitabitis. & adoptionem filiorum æternæ hæreditatis accipietis, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SUMMARIA

Librorum & Capitulorum.

1137. PRIMUS igitur liber continet, pro ut indagare potui, omnium Sacrorum Religiosorum Ordinum fundationes, qualiter scilicet, & quibus temporibus ac locis, & quibus fundatoribus initiati sint. Insuper qualiter plerique Ordines à sacra Religione Fratrum Carmelitarum Beatæ Mariæ Virginis sua initia sumpserint: & habet Capitula viginti sex, videlicet.

1139. SECUNDUS LIBER loquitur de quadruplici communione Apostolica, quæ viguit temporibus Apostolorum in Ecclesia & debet esse in omni sacra Religione, habet autem Capitula triginta unum.

1140 TERTIUS LIBER tractat de Antiquitate, & duratione, & primis Fundatoribus sacræ Religionis de monte Carmeli, ubi hæc Religio ab initio plantata fuit, ac aliis locis, quorum fuerunt Incolæ primævi professores hujus Religionis, etiam de dictæ Religionis origine, & primaria ejus Institutione, id est de forma perveniendi ad Propheticam professionem & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ, & de vita monastica, quam Elias secundùm formam per Deum ei expositam in eremo duxit, ac de viris, quos in observantia dictæ vitæ discipulos habuit. Specialiter autem de quatuor Prophetis, quos ad dictam vitam traxit, & qualiter suos discipulos illius vitæ disciplinam docuit. Insuper de ascensu Eliæ in paradisum, & quomodo Eliseus habuerit post Eliam regimen hujus Religionis. Et qualiter durante lege veteri Monachi dictæ Religionis se habuerunt, & quomodo fuerint præservati à captivitatibus Judæorum. Habet autem liber iste Capitula quadraginta sex.

5 De

5 De primis Fundatoribus priscorum Monachorum Eremitarum montis Carmeli.
6 De nativitate Eliæ prophetæ primi fundatoris Religionis Monachorum Carmelitarum.
7 Quòd Elias monasticam, & propheticam vitam Eremiticam primus hominum Deô mandante incœperit, & quòd Deus formam perveniendi ad finem, ac perfectionem illius vitæ partim apertè, & partim mysticè illi expresserit.
8 Quòd ad perveniendum ad perfectionem Propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ expediat Monacho terrenis possessionibus, & divitiis abrenuntiare.
9 Quòd oportet Monachum carnales concupiscentias crucifigere, & propriam voluntatem relinquere, ut perveniat ad perfectionem propheticam, & ad finem Religiosæ vitæ Eremiticæ.
10 Quòd ut attingatur perfectio prophetica, & finis Religiosæ vitæ Eremiticæ conveniat Monacho solitudinem quærere, atque humana consortia, & præcipuè uxorem vitare, & in continentia vivere.
11 Quòd ad apprehendendum perfectionem propheticam, & finem Religiosæ vitæ eremiticæ præexigatur, ut Monachus sit in charitate, & qualiter debeat Deum, & proximum amare, ad hoc ut sit in charitate.
12 Qualiter Monachi per quatuor præmissos gradus ad Propheticam perfectionem perveniant & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ attingant, & in eo quiescant.
13 Qualiter debeat humiliter perseverare dum perveniat ad perfectionem propheticam, & finem Religiosæ vitæ Eremiticæ.
14 Quod Elias monasticam vitam Eremiticam secundùm formam per Deum ei propositã incœperit, & ad perfectionem & finem dictæ vitæ pervenerit, & in ea perseveraverit.
15 Quòd Elias disposuerit successores habere in Observantia monasticæ vitæ Eremiticæ, & quâ ratione ipsi in sacra Scriptura appellati fuerint *Propheta*.
16 Quòd in exordio hujus Religionis primi ejus professores propter graves, quas patiebantur persecutiones nullius loci fuerint incolæ, à quo possent denominari congruè.
17 De receptione Eliæ à Vidua Sareptana, & ejusdem Viduæ filij suscitatione.
18 De Datione ignis de cœlo, & datione pluviæ super terram.
19 De fuga Eliæ in Spelunca montis Horeb.
20 Quòd quidam prædictæ Religionis professores fuerint consequenter per Deum de suis persecutionibus vindicati, & assecurati ad manendum in regno Israel.
21 Quòd aliqui ex dictis Eliæ prophetis, seu Discipulis fuerint à Deo Spiritum Prophetiæ consecuti, & quâ ratione ipsi discipuli fuerint in sacra Scriptura etiam *Filij Prophetarum* appellati.
22 Quòd Jonas Propheta fuerit Eliæ discipulus, & à Deo spiritum Prophetiæ consecutus.
23 Quod Eliseus Propheta fuerit factus Eliæ discipulus.
24 De Michea Propheta discipulo Eliæ.
25 De Abdia Propheta discipulo S. Eliæ.
1142. CAP. 26 Quòd Elias tàm factis, quàm verbis exemplar monasticè vivendi se discipulis suis præbuerit, & quidquid perfectionis est in Monachorum vita ab Elia tamquam à primo Exemplari origine emanaverit.
27 Quòd Elias ad sui, & suorum discipulorum jugem mansionem elegerit præ aliis Eremis, Carmeli montem, & de domo Orationis in eodem constructa quæ SEMNION fuit appellata.
28 Quòd multi hujus Religionis patres tam veteris, quam novæ Legis sint jugiter conversati monasticè in monte Carmeli ad imitationem Eliæ; & quâ ratione omnes hujus Religionis professores appellantur *Carmelita*, quamvis non omnes manserint in Carmeli monte.
29 De diversis mansionibus, quas dicti Carmelitæ habuerunt in solitudine, & quid significet mysticè mansio Cellæ.
30 De Commendatione Cellæ.
31 Quâ ratione Elias, & Eliseus licèt præcipuè conversarentur in solitudinibus, habuerint cuneos in civitatibus Filiorum Prophetarum, quos post eruditionem in rudimentis vitæ monasticæ transferebant ad solitudines longè ab urbibus.
32 Cur Professores hujus Religionis vocati sunt *Anachoretæ*, & de triplici Monachorum genere, & quo sub genere comprehendantur Carmelitæ.
33 Quòd Elias fuerit in Paradisum translatus, & quòd hujus Religionis regimen Eliseo commiserit.
34 De Pallio Eliæ, & quòd Eliseus à Filiis Prophetarum receptus fuerit.
35 Quòd Elias sit tempore Antichristi Judæos ad fidem Jesu Christi conversurus, & ab Antichristo martyrium suscepturus, & post tres dies resurgens, gloriosè in cœlum ascensurus.
36 Quòd Eliseus recepto hujus Religionis regimine cunctos Filios Prophetarum sigillatim visitaverit, & quòd coram eis miracula aliqua fecerit.
37 De suscitatione filij Sunamitidis.
38 Quòd Eliseus Filios Prophetarum ad observantiam vitæ monasticæ induxerit, & eis in necessariis vitæ etiam miraculosè interdum ministraverit.
39 De Naaman curato à lepra sua.
40 De ædificatione Cellularum circa Jordanem.
41 De insidiatione Syrorum adversùs terram Israël, & cæcitate eorum.
42 De abundantia Victualium in Samaria ad verbum Elisei.
43 De Interfectione Idololatrarum Baal.
44 De obitu Elisei.
45 De sepultura Elisei, & mortuo, qui revixit ad tactum sui corporis.
46 Quòd Monachi montis Carmeli fuerint propter suam Justitiam, & à captivitatibus Judæorum per Deum præservati, & per eum cibo doctrinæ monasticæ pasti.

1143. QUARTUS LIBER agit de titulis, quibus Professores hujus Religionis decorantur: Specialiter verò docet cur prædicti Professores *Fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmeli* appellentur. Insuper agit etiam de habitu Professorum hujus Religionis, & de significatione ejus, & qualiter fuerit in aliquibus variatus. Habet autem hic liber capitula viginti tria.

CAP. 1. Quòd Eliæ, ejusque discipulis fuerit figuratè revelatum, Virginem Mariam fore mundam nascituram absque sorde peccatorum.
2 De tempore significato veteribus professoribus hujus Religionis, in quo B. Maria deberet nasci, & de nativitatibus B. Joachim, & sanctæ Annæ Parentum ejusdem Virginis Mariæ.
3 Quòd Religiosis Carmelitis fuerit præostensum B. Virginem esse Virginitatem servaturam.
4 Quòd antiqui Carmelitæ pro incarnatione filij Dei oraverint, & in suis orationibus exauditi fuerint.
5 Quâ ratione Professores hujus Religionis *B. Mariæ Virgini* specialiter famulentur, & quare *Fratres* ejusdem *Virginis appellentur*.
6 Quâ ratione Professores hujus Religionis in Lege veteri, & *Propheta*, & *Filij Prophetarum* & *Carmelita* appellentur, & cur fuerint ita cognominati.
7 Quòd sub Lege Euangelij Professores hujus Religionis fuerint & *Religiosi* & *Fratres B. Mariæ Virginis* & *Monachi* ac *Eremita* & *Anachoreta* dicti; & quare his titulis fuerint decorati.
8 De illis Titulis, quibus Professores hujus Ordinis nunc designantur: & quare aliis antiquis titulis modò non denominentur.
9 De diversis rationibus quare dicimur *Fratres B. Mariæ Virginis*.
10 De roboratione ejusdem tituli per Sedem Apostolicam,

licam, & valentes rationes.
11 De roboratione ejusdem tituli per Indulgentias.
12 De ratificatione, & confirmatione omnium prædictorum per Universitatem Cantabrigiensem.
1144. CAP. 13 Qualis generaliter debet esse Monachorum habitus, & quòd illud quod à paucis circa eum præsumitur, debet tamquàm vanum vitari à Fratribus.
14 De diversis vestimentis primorum nostrorum Patrum Monachorum.
15 Quòd exemplo Fundatorum nostræ Religionis debeant ejus Professores incedere cinctis lumbis, & quòd hoc significet mortificationem luxuriosæ libidinis
16 Quòd fundatores hujus Religionis, & prisci ejus Professores melotis induti fuerint, & cur eorum Successores illas in alium habitum mutaverint significantem illud idem, quod Melotæ significaverunt.
17 Quòd hujus Religionis Professores semper superhumeralibus usi sint; & quid superhumeralia per significationem innuant.
18 Quòd loco superhumeralium B. Virgo tradiderit Scapulare S. Simoni Stock.
19 Quòd antiqui hujus Religionis Professores palliis albis desuper vestiti fuerint, & quid illa pallia significaverint.
20 Cur Professores hujus Religionis pallia alba dimiserint, & pro eis pallia barrata assumpserint, quæ aliam significationem habuerunt.
21 Cur Posteriores hujus sacræ Religionis professores dimissis palliis barratis incedant induti cum albis cappis.
22 De confirmatione albarum capparum per Bonifacium Papam VIII.
23 Quòd deceat Professores hujus Religionis exemplô antiquorum Patrum baculos in manibus gestare, & quid hoc ex sua significatione denotet.

1145. QUINTUS LIBER continet statum, & dispositionem, ac historias, seu legendas Sanctorum nostræ sacræ Religionis à principio temporis novæ legis usque ad tempora Godefridi Ducis Bulloniensis, qui Rex Jerusalem factus, Terram sanctam Christianitatis titulo armatâ manu subjecit, cum quibusdam eventibus prædicti temporis. Et habet Capitula octoginta quinque.

CAP. 1. Quòd licèt ex Professoribus hujus Religionis aliqui eorum olim fuerint Judæi, & aliqui postea Christiani, hoc tamen non deroget hujus Religionis identitati, & unitati.
2 Quod sanctus Joannes Baptista fuerit eximius hujus Religionis cultor, & in monasticâ vitâ Eremiticâ perfectissimus S. Eliæ imitator.
3 Quòd B. Joannes Baptista professores hujus Religionis primò baptizaverit & Christum non solùm venturum prædixerit, sed eum præsentem demonstraverit eosque Baptismo Christi baptizandos prædixerit.
4 De decollatione Joannis Baptistæ, ac ossium crematione, & ipsius capitis inventione.
5 Quòd tempore Imperij Tiberij Cæsaris Professores hujus Religionis, Judæos diversarum nationum ad eos traxerint, & mansionem in Jerusalem habuerint.
6 Quòd durante Lege veteri Professores hujus Religionis annis singulis in Jerusalem tribus vicibus convenire consueverint; & anno quo Christus ascendit in cœlum ipsi omnes propè domum Apostolorum in monte Sion manserint.
7 Quòd Professores hujus Religionis ad domum Apostolorum in die Penthecostes accesserint, & plerique eorum ab Apostolis baptizati fuerint.
8 Qualiter residui Professores hujus Religionis ad veram fidem Baptismi Christi pervenerint, & ab Apostolis postmodum baptizati fuerint.
9 Quòd Religiosi prædicti per Apostolos in doctrina Evangelij, & in allegoriis Legis veteris eruditi prædicaverint per Phœnicem & Palæstinam fidem Christi.
10 De Assumptione B. Mariæ.
11 De primo oratorio in honorem Virginis gloriosæ constructo in monte Carmeli.
12 Quod vita B. Mariæ Virginis concordet cum Regula moderna nostri Ordinis.
13 De S. Enoch Carmelita Schytopolitano.
14 De causis, & signis prævisis eversionis Jerusalem, & de responsione Oraculi Vespasiano in monte Carmeli facta.
15 De obsidione, & calamitate Jerosolymorum, ac destructione Jerusalem.
16 De finali destructione Civitatis Jerusalem.
1146 CAP. 17 Quod vita Eremitica sæpe dictæ Religionis post tempora Apostolorum semper viguerit.
18 De S. Paulo primo Eremita.
19 De S. Antonio.
20 De S. Pelagia in monte Oliveti.
21 De Constantini Imperatoris conversione, & Ecclesiæ Romanæ exaltatione.
22 De inquisitione, & inventione ligni S. Crucis.
23 De exaltatione, & multiplicatione ecclesiarum, & monasteriorum Terræ sanctæ.
24 De Amos Ægyptio, & Amos altero.
25 De duobus Macariis.
26 De S. Paulo Simplice.
27 De Abbatibus Piore & Isidoro.
28 De S. Serapione.
29 De civitate Occirintum.
30 De locis Nitriæ & Celliæ.
31 De SS. Pafnutio, & Onuphrio.
32 De bona indole S. Hilarionis, & tentationibus, & austeritate vitæ ipsius.
33 De quibusdam ejus miraculis.
34 De fuga, & peregrinatione ipsius.
35 De consummatione vitæ ejusdem.
36 De profectu Religiosorum post Ecclesiæ exaltationem.
37 De monasteriis Fratrum Carmelitarum in Syriæ partibus, & S. Adolio monacho montis Oliveti.
38 De obitu S. Macarij Episc. Jerosolymitani, & Successore ejus S. Maximo.
39 De S. Basilio, & ejus studio.
40 De conversione Euboli per Basilium.
41 De conversione Libanij Sophistæ, & Regula Juvenum.
42 De Baptismo Basilij, & Euboli.
43 De filiis Constantini magni, & undecimâ persecutione Ecclesiæ.
44 De Heraclio, & Quiriaco Patriarchis Jerosolymitanis.
45 De virtuosis actibus S. Basilij.
46 Quòd S. Basilius factus sit Episcopus Cæsareæ Capadociæ.
47 De missa Græca celebrata, & instituta per eundem Basilium.
48 De Judæo ex mirabili visione Sacramenti converso.
49 De muliere rogante Basilium, ut eam adjuvaret apud terræ Principem.
50 De Juliano Apostata, & ejus facinoribus.
51 De martyrio S. Quiriaci Jerosolymorum Patriarchæ.
52 De miserabili interitu ipsius Juliani.
53 De conversione quorundam gentilium, & de Regulis monachorum, ac aliis libris à Basilio editis.
54 De persecutione Imperatoris Valentis hæretici adversùs Ecclesiam.
55 Qualiter Basilius januas ecclesiæ ab Arianis occupatæ suis precibus aperuerit.
56 De negante Christum scripto.
57 De Anastasio spirituali Præsbytero.
58 De B. patre Ephrem.
59 De peccato mulieris à S. Basilio deleto.
60 De Josepho Hebræo.
61 De S. Melania, & Ruffino Præsbytero.
62 De S. Paula nobilissima fœmina.
63 De S. Cyrillo Episcopo Jerosolymitano, & vestigiis Domini in monte Oliveti, & qualiter post obitum Hieronymi vidit animam ejus gloriosam.

1147. CAP. 64

1147. CAP. 64 De S. Cyrillo Carmeliticæ Religionis, Patriarcha Alexandrino, & qualiter ipse viderit similitudinem Hieronymi, & Joannis Baptistæ.
65 De Sabiniano hæretico à S. Hieronymo extincto.
66 Aliud miraculum de Silvano Episcopo.
67 De S. Joanne Carmelita, Episcopo Jerosolymitano XLIV.
68 De expulsione Judæorum ab Alexandria & de inimicitiis inter Cyrillum Episcopum, & Horestum Præfectum ejusdem civitatis.
69 De monasterio puellarum Carmeliticæ Religionis constructo in Alexandria, & de S. Eufrasia, quæ in eodem floruit.
70 De Concilio Ephesino in quo damnatur Nestorius Hæreticus per sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum.
71 De Monacho, qui credebat Melchisedech fuisse Christum.
72 De laude, & obitu S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.
73 De persecutione Eutitianorum, & obitu S. Caprasij Carmelitæ, ac discipulis suis.
74 De S. Simeone Antiocheno, & ejus vita monastica.
75 De puteo in quo latuit, & columnis in quibus stetit.
76 De Quibusdam ejus miraculis.
77 De transitu, & exequiis ejusdem.
78 De Orientalis Ecclesiæ destructione per Regem Persarum, & aliquali ejus erectione per sanctum Gregorium Papam.
79 De Crudelitate Cosdroës Regis Persarum, & martyrio S. Anastasij Carmelitæ, ac de vesania ipsius Regis Persarum.
80 De reportatione ligni S. Crucis à Perside in Jerusalem per Heraclium Imperatorem, & renovatione tàm fidei Christianæ, quàm Carmeliticæ Religionis in Terra sancta.
81 De Machometo, & ejus Alcorano.
82 De Homar Rege Saracenorum, & qualiter ipse coëgerit Patres nostros dimittere gestationem palliorum alborum.
83 De recuperatione Terræ sanctæ per Carolum magnum.
84 De Reliquiis, quas Carolus magnus obtinuit à Constantino Imperatore.
85 De profectu fidei in transmarinis partibus, & de statu nostræ Religionis tempore ejusdem Caroli, & post eum.

1148. Sextus Liber comprehendit legendas Sanctorum Gerardi, & Bertholdi Carmelitarum, cum solemni recuperatione Terræ sanctæ per Godefridum Ducem Bullionensem. Continet etiam Regulam Fratrum Carmelitarum, & in quibus particulis, ac propter quas causas oportuerit dictam Regulam conscribi, & per Sedem Apostolicam approbari, & tandem in aliquibus clausulis per Sedem dictam declarari, corrigi, & mitigari. Et de eorundem Fratrum Ordinis multiplici approbatione, & confirmatione: & habet iste liber triginta Capitula.

CAP. 1. De S. Gerardo Carmelita Patriarcha Antiocheno, & qualiter ipse S. Bertholdum primum Priorem Ordinis Carmelitarum Generalem Nasciturum esse prædixerit.
2 De Nativitatibus SS. Haymerici Episcopi Podiensis, & Bertholdi primi Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum.
3 De Expeditione Christianorum pro recuperatione Terræ sanctæ, & qualiter Haymerus Podiensis Episcopus hujus Expeditionis legatus Bertholdum Germanum suum secum assumpserit.
4 De acquisitione Civitatis Antiochenæ, & qualiter Christus S. Bertholdo causâ correctionis populi apparuerit, & Lanceæ Salvatoris inventione, & de victoria contra Corbaran.
5 De recuperatione Terræ sanctæ, & Civitatis Jerusalem.
6 De electione Regis, & Patriarchæ civitatis sanctæ, & qualiter inventa sit portio ligni Salvatoris.
7 De bello inter Regem Jerusalem, & Admiraldum Babyloniæ apud Arthalonam
8 De reliquis Victoriis Godefridi Regis, & ejus obitu, ac de successore suo Balduino Rege.
9 Qualiter S. Bertholdus supradictus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum sit effectus.
10 De favore Balduini de Burgo Regis Jerusalem erga Carmelitas, & de obitu S. Bertholdi.
11 De S. Brocardo secundo Priore Generali Ordinis Carmelitarum.
1149 CAP. 12 De discordia Principum Terræ sanctæ, & amissione S. Civitatis Jerusalem.
13 Qualiter Albertus Patriarcha Jerosolymitanus ad Fratrum Carmelitarum requisitionem, de quibusdam articulis certam vivendi regulam scripsit, & in monte Carmeli monasterium eorum consummavit.
14 De forma Regulæ nostræ sacræ Religionis, sicut fuit per Albertum Patriarcham scripta, & Fratribus ad observandum tradita.
15 Qualiter nulla, aut pauca Albertus in prædicta Regula inseruit, quæ Joannes 44 Episcopus Jerosolymitanus priùs in Institutione hujus Religionis non scripsit, sed quæ Joannes in generali suadendo scripserat, Albertus in Regula in speciali determinavit.
16 Qualiter prædicta Regula per Innocentium tertium & Honorium tertium Summos Pontifices approbata fuit.
17 De quibusdam dubiis declaratis & confirmatione prædictæ Regulæ per Papam Gregorium IX.
18 Cur, & in quibus clausulis dicta Regula authoritate Sedis Apostolicæ per DD. Hugonem Cardinalem Præsbyterum, & Guilielmum Episcopum Anteradensem declarata, correcta, & mitigata fuerit.
19 Forma Regulæ sicut fuit per dictos DD. Commissarios declarata, correcta, & mitigata.
20 Quòd ea quæ in dicta Regula extiterunt declarata, correcta, & mitigata fuerint per Dominum Innocentium Papam IV. & plures alios Summos Pontifices confirmata.
21 Quòd Prior Generalis mox cum fuerit secundùm prædictam Regulam electus, potest statim fungi Prioratûs Officio, ipso consentiente, nec oportet, quod priùs sit ab aliquo Superiore confirmatus.
22 De mitigatione prædictæ Regulæ quoad esum carnium per Eugenium Papam IV.
23 De confirmatione prædictæ mitigationis per Pium II. & Sixtum IV. Summos Pontifices, qui insuper eam leniorem & mitiorem declararunt.
24 Quòd sacer Ordo Fratrum Carmelitarum est confirmatus, solidus, & firmus.
25 Quòd sacer Ordo Fratrum Carmelitarum sit Jure Divino, & irrefragabili providentiâ Dei confirmatus.
26 Quod sacer Ordo Fratrum Carmelitarum sit jure potestatis Ordinariæ confirmatus.
27 Quòd sacer Ordo Carmelitarum sit jure Canonicæ ratificationis confirmatus.
28 Quòd sacer Ordo Fratrum Carmelitarum sit Jure Romanæ Ecclesiæ specialis approbationis confirmatus.
29 Quod sacer Ordo Fratrum Carmelitarum sit jure specialis decisionis confirmatus.
30 Quod sacer Ordo Fratrum Carmelitarum sit jure specialis mentionis confirmatus.

1150. Septimus Liber agit de Ordinis multiplicatione facta in novissimis diebus per Syriæ partes, & quemadmodùm dicta Religio ulteriùs ad Europæ Provincias fuerit translata, & tandem prorsùs de Terra sancta eradicata. Insuper continet catenam, sive lineam Reverendiss. Priorum Generalium dictæ sacræ Religionis, qualiterque hi eam egregiè augmentarint, guberna-

gubernaverint, & diversa Privilegia protectionis, & exemptionis pro eadem Religione à summis Pontificibus impetrarint, cum quibusdam eventibus & exemplis ejusdem temporis: & habet Capitula quinquaginta tria.

CAP. 1. De S. Bertholdo primo Priore Generali sacri Ordinis fratrum Carmelitarum.
2 De S. Brocardo secundo Priore Generali ejusdem Ordinis.
3 Qualiter & quando ista sacra Religio Fratrum Carmelitarum fuerit in Provincijs Syriæ multiplicata per plura monasteria.
4 De initijs S. Cyrilli tertij Prioris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo.
5 Qualiter idem Sanctus à B. Virgine admonitus Religionem Fratrum Montis Carmeli intraverit.
6 De conversione Armenorum per eundem virum Sanctum.
7 De duabus tabulis argenteis eidem Sancto Viro celebranti per Angelum oblatis.
8 De miraculis sancti Cyrilli & obitu ejusdem.
9 De provisione, seu definitione facta in Generali Capitulo montis Carmeli ad transplantandum dictum Ordinem in Europæ partibus.
10 De Ven. Bertoldo IV. Priore Generali ejusdem Ordinis & de inceptione Provinciæ Siciliæ.
11 De Ven. Alano V. Priore Generali dicti Ordinis, & de inchoatione Provinciæ Angliæ.
1150. CAP. 12 De B. Simone Stock VI. Priore Generali ejusdem Religionis, & de inceptione Provinciæ Provinciæ.
13 Qualiter dictus Ordo per diversas Europæ Religiones plantatus fuerit.
14 Quòd diabolus multiplicationem hujus Ordinis nisus fuerit impedire, & qualitèr Professores hujus Religionis studuerint ei resistere.
15 De profectione S. Ludovici Francorum Regis ad Asiam, & translatione quorundam Fratrum de monte Carmeli ad Franciam, ac de inceptione Provinciæ Franciæ, & Alemaniæ.
16 Qualiter Innocentius Papa IV. susceperit Religionem nostram sub protectione sua.
17 Quòd diabolus contra multiplicationem hujus Religionis fortiùs bellum moverit, & qualiter hæc Religio de ipso triumphaverit.
18 Quòd Alexander Papa IV. præceperit Prælatis, ut non exigerent obedientiam à Fratribus nostris contra Apostolicæ Sedis privilegia.
19 Quòd Alexander Papa IV. præceperit Prælatis omnibus, ut cessarent à molestijs & gravaminibus omnibus quæ inferebant nostris Fratribus.
20 Quòd B. V. Maria tradiderit Scapulare B. Simoni Stock.
21 De quodam Clerico scabie infecto mirabiliter ad Ordinem Fratrum Carmelitarum per B. Virginem promoto, & sanato.
22 De miraculis S. Simonis Stock, & ejus obitu.
23 De miraculosa inceptione Conventûs nostri apud Tolosam civitatem.
24 De promotione Conventûs montis Pessulani per receptionem ligni Dominicæ Crucis jussu B. Mariæ Virginis.
25 De Venerabili Nicolao VII. Priore Generali.
26 De * Rudolpho VIII. Priore Generali, & de amissione quorundam Conventuum Ordinis nostri in terra Sancta.

* *Al* Radulpho.

27 De Petro Amiliano IX. Priore Generali.
28 De mutatione palliorum barratorum in cappas albas.
29 Qualiter quidam devotus Frater Ordinis Carmeli viderit B. Virginem Fratres & Sorores sui Ordinis sub pallio albo protegere.
30 Qualiter B. Virgo Maria Fratres suos piè visitaverit & elenodia Spiritualia tradiderit.
31 Quòd Nicolaus Papa quartus præceperit Prælatis omnibus, ut cessarent à molestijs, & gravaminibus; quæ inferebant nostris Fratribus.
32 De amissione quorundam Monasteriorum nostrorum in Syria Phenicia, & de dispositione, ac exorbitatione civium civitatis Accon.
33 De destructione civitatis Accon, & de eradicatione nostræ Religionis de Terra Sancta.
34 De Ven. Raymundo X. Priore Generali Ordinis nostri.
35 De Rev.mo Magistro Gerardo de Bononia XI. Priore Generali, & de quibusdam Ordinationibus Capitulorum Generalium.
1153. CAP. 36 Qualiter Beata Virgo Maria apparens Joanni Papæ XXII. ante Papatum præceperit ei dare Carmelitis privilegia & eos defendere ab eorum æmulis.
37 Quòd Joannis XXII. Exemerit Ordinem Fratrum Carmelitarum à potestate, & jurisdictione omnium Prælatorum.
38 De Magistro Guidone de Perpiniano XII. Priore Generali, & de multiplicatione Provinciarum Ordinis nostri.
39 De Magistro Joanne de Alerio XIII. Priore Generali, & quibusdam Ordinationibus Capitulorum Generalium.
40 Quòd dictus Papa Joannes XXII. æquiparaverit nos alijs mendicantibus in statuto *supra Cathedram*.
41 De Magistro Petro de Casa XIV. Priore Generali, & de quibusdam Ordinationibus Capitulorum.
42 De Fratre Petro Raymondo XV. Priore Generali, & de quibusdam Ordinationibus Capitulorum Generalium, ac innovatione Statutorum Ordinis, & de augmentatione Provinciarum.
43 Quòd Papa Clemens VI. confirmaverit assumptionem Ordinis nostri sub Sede Apostolica factam à Joanne XXII. & quòd ulteriùs addiderit, ne ratione delicti, aut contractûs, vel rei de quâ agitur possimus conveniri coram Ordinarijs.
44. De Magistro Joanne Balistrarij XVI. Priore Generali, & de quibusdam Ordinationibus Capitulorum Generalium.
45 De magistro Bernardo XVII. Priore Generali & de quibusdam Ordinationibus Capituli Generalis.
46 De Schismate Ecclesiæ, & de Generalibus qui tempore Schismatis fuerunt.
47 De Magistro Joanne Grossi XVIII. Priore Generali.
48 De Magistro Bartholomeo Rochali XIX. Priore Generali.
49 De Magistro Ioanne Facci XX. Priore Generali.
50 De Magistro Ioanne Soreth XXI. Priore Generali.
51 De obitu & miraculis ejusdem Reverendissimi Patris.
52 De Magistro Christophoro Martignono XXII. Priore Generali & de quibusdam Ordinationibus Capituli Generalis.
53 De Magistro Pontio XXIII. Priore Generali.

NOTANDUM *quòd tempore schismatis post Bernardum XVII. Priorem Generalem legitimi Generales Ordinis censeantur Michaël de Bononia XVIII. Ioannes de Raude XIX & Mat hæus de Bononia XX. atque ita Ioannes Grossi habetur XXI. Bartholomæus Rochali, seu Roqualius XXII. & ita consequenter.*

1153 OCTAVUS LIBER declarat in suo principio triplicem differentiam Sanctorum nostræ sacræ Religionis, & deinde narrat gesta Sanctorum ejusdem Religionis, qui sub R.mis Prioribus Generalibus viguerunt: & habet quadraginta quinque Capitula.

CAP. 1 De triplici differentia Sanctorum Ordinis nostri.
2 De conversione & baptizatione Parentum S. Angeli.
3 de nativitate sanctorum Fratrum geminorum Angeli, & Joannis.
4 Qualiter dicti Sancti ingressi sint Religionem Fratrum Carmelitarum, & de quodam miraculo ab eis perpetrato in ferri natatione.
5 Quòd sicco pede prædicti juvenes quemdam fluvium perambulaverint. & Sacerdotium obtinuerint.
6 De quodam filio mulieris cujusdam vivificato per S. An-

S. Angelum, & de ejusdem Sancti Anacoretica vita.
7 Qualiter S. Angelo suum Martyrium prædicitur, & de quibusdam miraculis ejusdem Sancti.
8 Qualiter S. Angelus limina Apostolorũ visitaverit, & contra Berengarium hæreticum prædicaverit.
9 De martyrio ejusdem Sancti.
10 De S. Ioanne Pontifice Jerosolymitano fratre prædicti S. Angeli.
11 De Enoch, Petro, & Joseph consociis S. Angeli prædicti

1154. CAP. 12 De nativitate B. Alberti Confessoris Ordinis Fratrum Carmelitarum.
13 Qualiter idem sanctus Religionem Fratrum Carmelitarum intraverit & diversas tentationes diaboli sustinuerit.
14 De quibusdam miraculis ejusdem Sancti, & officij Provincialatûs susceptione.
15 Item adhuc de miraculis ejusdem Sancti.
16 De obitu, & sepultura ejusdem Sancti.
17 De quibusdam miraculis ejusdem Sancti.
18 Quod magister Christophorus Prior Generalis impetraverit Bullam Apostolicam vim Canonizationis ejusdem S. Alberti continentem.

1155. CAP. 19 De nativitate B. Andreæ Episcopi & Confessoris.
20 Qualiter idem Andreas Religionem Carmelitarum intraverit.
21 De quibusdam miraculis ejusdem Beati Viri, & qualiter ad sacros Ordines, & ad Prioratûs Officium promotus sit.
22 Qualiter idem Sanctus ad Pontificalem dignitatem assumptus sit, & de quibusdam miraculis ejusdem B. Viri.
23 De obitu illius.
24 De miraculis adhuc ejusdem Pontificis.

1156. CAP. 25 De studio & bona indole B. Petri Thomæ Carmelitæ.
26 De prædicationibus ejusdem Petri, & qualiter Professor sacræ Theologiæ effectus sit
27 Qualiter dictus Petrus Pontifex Pactensis, & Nuncius Apostolicus ad Regem Rasciæ factus sit.
28 De legatione ejusdem dicti Pontificis Petri pro pace componenda inter Regem Ungarorum, & Venetos.
29 De reductione Imperatoris Græcorum cum suis subditis ad unionem Ecclesiæ Romanæ per eundem B. Præsulem Petrum.
30 Idem B. Præsul Cyprum, & Terram Sanctam visitat.
31 Qualiter idem venerandus vir Pontifex Coronensis factus, legationis Officio ad partes Romaniæ, & Cypri functus sit.
32 Qualiter idem B. Petrus hæresim in Cretensi insula extirpaverit.
33 Qualiter idem legatus Petrum Regem Cypri in Regem Jerusalem coronaverit.
34 Prædictus vir sanctus Schismaticos Regni Cypri ad unionem reduxit.
35. Qualiter dictus B. Vir Episcopatum suum Coronensem visitaverit, & Principi de Arcadia filium nasciturum prædixerit.
36. Qualiter idem B. Petrus legatus tempestatem maris sedaverit, & Ecclesiam in Sathalia dedicaverit.
37. De propulsatione pestilentiæ à Famagusta per eundem virum Dei.
38. De promotione ejusdem B. Petri in Archiepiscopum Cretensem, & institutione sancti Passagij adversus Soldanum Saracenorum.
39. Qualiter dictus B. Petrus Archiepiscopus guerrã inter Ecclesiam Romanam & Comitem Mediolanensem pacificaverit, ac multa pericula hujus rei causâ incurrerit.
40 Qualiter dictus Beatus Vir Petrus Patriarcha Constantinopolitanus factus sit, & de sancto Passagio.
41 De expugnatione civitatis Alexandriæ.
42 Qualiter Christiani Alexandriam captam turpiter reliquerint.
43 De infirmitate dicti B. Petri.
44 De obitu ejusdem.
45 De miraculis ejusdem B. Viri.

1157. NONUS LIBER tractat de venerabilis Doctoribus atque Scriptoribus nostræ sacræ Religionis, enumerando in specie eorum libros, & tractatus quos ad Ecclesiæ Catholicæ illustrationem subtilissimè ediderunt: & habet sex Capitula. 1157.

CAP. 1. De Doctoribus Ordinis nostri, qui ad dignitates Ecclesiæ assumpti fuerunt.
2 De Doctoribus, & Scriptoribus nostri Ordinis, qui ad Generalatûs Officium promoti fuerunt.
3 De Doctoribus Provinciarum Terræ sanctæ, Scicilliæ Narbonæ, & Cataloniæ.
4 De Doctoribus & Scriptoribus Provinciæ Angliæ.
5 De Doctoribus & Scriptoribus Galliæ.
6 De Doctoribus & Scriptoribus Alemaniæ.

EXCERPTA QUÆDAM

Ex Speculo Historiali.

Et declaratio contentorum in singulis Libris

1158. FR. DANIEL À V. M. LECTORI BENEVOLO. *Cum Speculum istud Historiale integrum hic non inseramus, ob rationes in Notatione previâ expressas (a) expediens tamen visum, saltem excerpta quædam & Declarationem ulteriorem contentorum in singulis libris exhibere. Ex autẽ quæ ipsius Authoris sunt charactere* Romano, *ut vocant Typographi, nostrâ verò litterâ apud eosdem dicta* Cursif, *distinctionis gratiâ, excusa sunt.* (a) Num. 1130.

LIBER PRIMUS

De Origine Ordinum Religiosorum.

1159. CAp. 1. *& 2. traditur succintè* institutio Ordinis Carmelitani per S. Prophetam Eliam, & cotinuata ejusdem successio, cum enarratione præcipuorum eventuum, quæ in Ordine acciderunt. *Peculiariter declaratur,* quòd & qualiter Religiosi Monachi, & Eremitæ omnes in primis post Christum sæculis, circuientes in Melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes; in montibus, & speluncis, ac cavernis terræ fuerint magni Eliæ Prophetæ sectatores (b) *videlicet* alios imitatione dumtaxat, alios & imitatione & successione, *& quod* S. Antonius in Ægypto, & S. Hilarion in Thebaide, magni Eliæ imitatores, ejus institutum mirabiliter propagarint: *ubi consequenter ista*: mirabitur fortassis cogitatio audientis, cur istos dixerim Carmelitas, cum in monte Carmeli non morarentur, nec historiographorum aliquis eos sic appellet: Hi utique non incongruè videntur Carmelitæ censeri, qui omnes hujus Religionis veri Sectatores tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur se humiliter sequi illam sanctam & Propheticam institutionem vitæ monasticæ quam Propheta Dei Elias servavit, & verbo pariter & exemplo Discipulis suis tradidit in Eremo montis Carmeli. Eodẽ etiam modo Cluniacẽses, Carthusienses

(b) Vide supr. num. 965. & seq.

Monachi veteres olim sectatores Eliani instituti.

thusienses, & Cistercienses in diversis remotis partibus habitantes, dicuntur, & appellantur à locis, in quibus eorum Religio sumpsit exordium. Quod autem historiographi eos non Carmelitas, sed simpliciter Monachos nominaverint, aut Eremitas, hoc ex eo utique factum est, quia tum non erat tanta varietas, & distinctio Religiosorum in Dei Ecclesia, nec etiam tam diversus eorum vivendi modus, sicut in præsentia est, sed omnes fuisse imitatos, præcipuè in fundamentalibus illam Eremiticam vitam, quam Deus per Eliam Prophetam docuit in Carmelo, nullus est qui ambigit. *Plura circà ista vide hic suprà.* (a)

(a) nu. 965 966. & seq.

ANNOT. *Capite 3. & sequentibus agitur sigillatim de origine Ordinum aliorum Religiosorum, de quibus opportuniùs & pleniùs tractare intendemus (Deo vitam, & vires largiente) in alio opere; ideo hic prætermittuntur.*

LIBER II.

De quadruplici Communione, quæ debet esse in omni sacra Religione.

1160. PEr *quatuordecim Capita tractatur* de quadruplici Communione in genere, ac de primâ scilicet localis habitationis *ubi latè* de Vita Cœnobitica, & de Eremitica, seu Anachoretica, & utra perfectior, & quæ securior: ad quam referendus Ordo Carmelitanus: *ubi & distinguuntur* Eremitæ in Anachoretas, & Cœnobitas: *Tangitur etiam* genus teterrimum Monachorum, qui Sarabaitæ nuncupantur.

Cap. 15. & aliquot sequentibus exponitur & commendatur secunda Communio, quomodò scilicet in Religione qualibet debeat esse fratribus Cor unum & anima una, *ubi* de charitate, pace, patientia, obedientia *: & qualiter se* gerere debeat subditus ergà Prælatum, *& è contrà. Exinde agitur* de Tertia Communione, temporalis scilicet possessionis deque necessitate, & utilitate abdicationis proprietatis, & de gravi punitione proprietariorum, tum ex sacris Litteris (in Giezi, Anania, & Saphira) tum ex Patribus, tum ex gravitate pœnæ, privatione sepulturæ sacræ, & Divini officij. *Cap. 28. exponitur* quarta Communio, videlicet Proportionalis distributionis, quæ & qualis sit: quòd sanis non debeat displicere, si infirmiores aliter tractentur, quam ipsi.

ANNOT. *Etiam contentum libri istius secundi reservatur pro alio isto opere* HISTORIA STATUS RELIGIOSI MONASTICI, ATQUE OMNIUM ORDINUM RELIGIOSORUM.

LIBER III.

De sacra Religionis B. Virginis Mariæ de monte Carmeli origine, ac primaria institutione per S. Prophetam Eliam in monte Carmeli, & ejusdem per Eliseum, ac Filios Prophetarum dilatatione in aliis locis: nec non de istius Religionis persistentia, & continuatione durante veteri Lege usque ad Christi Salvatoris adventum.

1161. QUatuordecim *primis Capitibus disseritur* de Antiquitate & Institutione Ordinis Carmelitani, deque ejus Fundatore S. Elia Propheta: qui primus hominum, Deo mandante, monasticam Propheticam, & Eremiticam vitam inchoavit, secundùm formam, ei à Deo propositam: (a) *ubi & de* quatuor gradibus quibus S. Propheta Elias à Deo instructus fuit, & ipse alios docuit conscendendum, & perveniendum ad Propheticam perfectionem, & finem vitæ Monasticæ ac Eremiticæ: (b) sunt autem hi. I. Contemptus rerum Terrenarum. II. Abnegatio propriæ voluntatis. III. Solitudo, & castitas. IV. Charitas: quibus debet adjungi Perseverantia.

(a) Vide supra nu. 22. pag. 10. & seq.

(b) De istis 4. gradib. vide num. 25. pag. 11. & seq.

Deinde per plura Capita explanantur gesta, & magnalia S. Prophetæ Eliæ: *& qualiter* in observantia vitæ Monasticæ Eremiticæ instituerit suos Discipulos posteros, & Successores: *quodque* tam factis quàm verbis exemplar Monasticè vivendi (c) se Discipulis præbuerit. Ipse enim Elias illos docuit exemplo præcedendo, & verbis instruendo, qualiter ornarent penetrália mentis, videlicet ut ad imitationem ejus sæculo, & terrenis omnibus ex totis præcordiis renunciantes, & carnales concupiscentias per continentiam & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam etiam abnegantes, & eam Superiori humiliter submittentes de conspectu etiam hominum absconsi Prophetalem vitam Eremiticam, quam Elias ipse in solitudinibus, & maximè in monte Carmeli duxit, Monachi prædicti in eodem monte, & in aliis Eremis, ac locis ad hunc finem continuarent, quatenùs eam colentes, liberiùs mentes suas cum Deo per amorem perfectè unirent. Quidquid igitur virtutis est & perfectionis in nostra Religione Eremitica, ab hoc Propheta Dei Elia, tamquam à primordiali & principali Monachorum auctore exemplariter emanavit. Et primò quidem in præmemoratos viros filios Prophetarum, ejus discipulos, deindè ab illis in cæteros nostræ Religionis professores eis tàm in Monastica eorum conversatione, quàm in locorum habitatione succedentes, & demùm ab eis in reliquos alibi degentes. Sed

(c) Vide n. 46. pag. 19. & seq. Item n. 85. pag. 27. & seq.

A S. Elia tamquam primo exemplari omnis perfectio monastica emanans.

Sed & omnium Monachorum sancta conversatio ab Elia, & à dictis ejus discipulis est derivata.

1162. *Consequenter declaratur*, (a) quòd Elias ad sui & suorum discipulorum jugem mansionem elegerit præ aliis eremis Carmeli montem, in quo domum Orationis SEMNION appellatam construxit: *Agitur quoque* (b) *de ejusdem discipulis nuncupatis* Filiis Prophetarum: *inter quos primarius Successor & duplicis gratiæ hæres fuit* (c) S. Eliseus: qui per vitæ Sanctimoniam, & miraculorum gloriam in mansionibus per ædificationem cellularum (d) circa Jordanem, & in aliis eremis potissimùm circa Carmelum, atque etiam in quibusdam urbibus ubi erant cunei (seu Conventus instar monasteriorum) Filiorum Prophetarum magnopere Propheticum Institutum ampliavit. *Quodque* horum SS. Prophetarum Eliæ & Elisei posteri & successores jugiter usque ad, & post Christi ortum perstiterint, & monasticè conversati sint in monte Carmelo, & aliis Terræ sanctæ locis, præservati à Deo, propter eorum justitiam à Captivitatibus Judæorum.

(a) Vide n. 98. & seq. & 110. ac seq.
(b) Vide n. n. 59. & seq. 69. & seq.
(c) 75. & seq.
(d) Vide n. 125. & seq. 153. 167.

ANNOT. *Ea quæ hoc libro 3. tractantur, sufficienter descripta sunt parte 1, libris 1. 2. & 3. & in aliis Opusculis hujus partis 2.*

LIBER IV.

De Titulis, seu Nomenclatura, & de Habitu Religionis hujus.

1163. CAp. 1. *agitur* (e) de visione Eliæ in monte Carmeli, & de revelatione tunc ei facta de Virginis Deiparæ immunitate ab omni sorde peccatorum. Legimus in libro 3. Regum: quòd Elias ascenderit in montem Carmeli, & pronus in terram posuerit faciem suam inter genua sua, & dixerit ad Jonam puerum suum: Ascende & prospice contra Mare: qui cum ascendisset & contemplatus fuisset, ait, non est quidquam, & rursum ait illi: revertere septem vicibus. In septima autem vice: Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari in Carmelum. Traditum tenemus Deum sub figuratâ visione revelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria, quæ per ordinem explicabo. Primò quòd quædam Infantula nasceretur, quæ ab utero Matris suæ ab omni peccato munda egrederetur. Secundò tempus, quo hoc adimpleretur. Tertiò quòd hæc Infantula Virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplexaretur. Quartò quòd Deus jungens Naturam suam humanæ Naturæ de Virgine illa homo nasceretur. Per hoc namque quòd ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam parvam oriri, revelavit Deus Eliæ, quòd quædam infantula scilicet Beata Maria per illam nubeculam signata, & instar ejusdem nubeculæ per humilitatem suam parva nasceretur, de humana natura peccatrice designata per mare, (f) quia infantula illa esset munda ab omni sorde peccatorum. Quemadmodum nubecula illa in suo ortu fuit de mari amaro, sine aliqua tamen amaritudine, sic erat nascitura. Licet namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alterius quoque proprietatis. Mare quippe ponderosum est, & amarum, sed nubecula illa levis fuit, & dulcis. Sic quamvis in quolibet homine natura humana instar maris sit in sua origine peccatorum amaritudine, & vitiorum pondere pressa, ut fateri cogatur: (a) iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Tamen Maria de hoc mari, id est humana natura aliter fuit orta; quia in suo ortu non fuit pressa amaritudine, & ponderositate delictorum, sed instar istius nubeculæ fuit levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysen figuratè scriptum est. (b) Ecce gloria Domini, apparebit in nube.

(e) Vide sup. n. 214. & seq.
Virginis Mariæ immunitas à peccato originali revelata S. Eliæ Prophetæ.
(f) Vide supr. n. 219 & 220.
(a) Psal. 37. v. 4.
(b) Exodi 16.

1164. CAP. 2. *Ostenditur* (c) quòd B. Prophetæ Eliæ in eadem visione significatum fuerit tempus, in quo Virgo Deipara nasceretur, *& eâ occasione agitur de ejusdem Virginis Parentela, his verbis*: Significavit autem Eliæ Deus in prædicta visione quo tempore nubecula illa, scilicet Beata Maria, videretur à Discipulis Eliæ de mari, id est, de amara & vitiosa natura humana oriri & ascendere. Nam ostensum fuit in eadem visione quòd nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse semel per decem gradus ascendens contra mare prospiceret, & iterum alijs septem vicibus per eosdem gradus ad contemplandum contrà mare rediret. Dixit autem Elias ad puerum suum, Ascende & aspice contrà mare. Qui cum ascendisset & contemplatus fuisset, ait. Non est quidquam. Quæro igitur quid sit puerum illum per decem gradus ascendisse, semel ad prospiciendum contrà mare, & nihil apparuisse. Certè hoc nihil aliud fuit, nisi quòd Cœtus discipulorum Eliæ contemplando ascendit per illas decem generationes humanas à beato Luca in Genealogia Jesu Christi positas, quæ fuerunt ante duluvium ab Adamo usque ad Noë, in mundi ætate prima, & per eam discurrendo totum tempus, quod fuit à Noë usque ad Adam puer prospexit, si forte eo tempore nubecula, id est, infantula aliqua esset nata contrà mare, id est contra solitam amaram & vitiosam propaginem naturæ: & quia Nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi, ideo puer dixit: non est quidquam. Præcepto tamen Eliæ rediit puer septies per decem gradus ad prospiciendum contrà mare, & vicibus istis nihil sibi apparuit, nisi in septimá vice. Iamne in quo sexta illarum generationum decas terminata fuit, genuit filium nomine Melchi, in quo incœpit harum generationum septima decas. Hic autem Melchi genuit Levi, & iste Levi duos habuit filios: unusque à beato Luca appellatur Mathat, sed ab aliis dicitur Melchi, nomen avi sui retinens, & alius, vocatus fuit Panthera. Iste verò Panthera genuit filium nomine Barpanthera: & hic Barpanthera genuit filium nomine Joachim, qui ex Anna uxore sua genuit Beatam Virginem Mariam, & ita

(c) Vid. sup. n. 221. & seq.
Subtilis explicatio ascensûs discipuli S. Eliæ.

ita in septima revisionis vice, hoc est in illa generationum decade, quæ fuit septima ab illa, in qua homines per Dei præceptum reversi fuerunt post diluvium ad multiplicandum genus humanum. Nata fuit beata Virgo in medio illius decadis septimæ: quæ tamen fuit defuncta antequam prædicta generationum decas septima esset terminata: sed antequàm ipsa beata Dei Genitrix ab hoc sæculo migravit, fuit in Nazareth, & Jerusalem, & alibi à Prophetis hujus Religionis corporalibus oculis multoties visa.

1165. Insuper, & diu ante nativitatem beatæ Annæ Matris ejusdem Virginis; ijdem Monachi Carmelitæ viderunt eam mentalibus oculis tamquam florem pulcherrimum, & suavissimum procedentem de ramis cujusdam arbustæ in quadam visione ipsis ostensæ; nam ante Christi incarnationem fuit quædam Virgo non longè à monte Carmeli, nomine Emerentiana, Deo multum devota, quæ solebat Carmelum visitare, & conversari cum Fratribus ibidem morantibus, de gestis Patrum, & Prophetarum religiosè tractans. Cujus Parentes eam matrimonio conjungi volentes; omninò non consensit, sed Fratribus manifestavit: qui unà cum ipsa orationibus insistentes, tribus diebus, ac noctibus super re tam dubia. Superveniente die tertiâ, requisiti Fratres ad invicem, dixit Senior. Istis tribus noctibus (a) vidi qualibet nocte arbustum, & desuper unum delectabilem ramum cum flore, & in flore fructum. Et similiter omnes dixerunt: Qui visionem non intelligentes, oraverunt Deum, ut magis lucidè visionem dignaretur notificare. Post orationes audita est vox: Arbustum est bona voluntas conjugij, quod in ipsa Emerentiana debet assumi: ramus proles salutis, quæ ab ipsa debet procedere. Flos erit Virgo Maria, in quo flore includetur suavissimus fructus per quem fructum Mundus debet redimi, & mundari: Jis intellectis Emerentiana matrimonio conjungitur, Deum priùs rogans, ut nullus sibi conjungeretur, nisi Deum timens. Et adductus est primus, qui ejus pulchritudinem, & libidinem intendebat. Similiter secundus, tertius, quartus, & sextus; & accidit Emerentianæ sicut Saræ Tobiæ. Septimò tandem, unus nomine Stollanus, vel secundùm alios Agar (quia binominis fuit) adducitur, qui eam cum timore Domini accepit, & filiam nomine Annam genuit, quæ, postmodùm sancto Joachim marito matrimonialiter copulata, genuit Beatissimam Virginem Mariam Matrem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris mundi.

B. Virgo Deipara corporaliter visa à Carmelitis.

(a) Visio illa paulò aliter relata est hìc suprà n. 958. 960.

1166. *Notabile id est, quod Cap. 4. dicitur de duplici Confraternitate inter Dei Filium & genus humanum, videlicet* Fraternitas Paternitatis, & Fraternitas Maternitatis. *Ibi igitur ista*: Dei filium inter, & genus humanum, antequam ipse incarnaretur erat fraternitas tantum paternitatis. Quia à quo Patre fuit Dei filius æternaliter genitus, ab eodem Patre fuit creatum genus humanum. Dei filius non erubescit Patrem suum appellare etiam Patrem eorum dicens: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Sed quia inter genus humanum, & Dei filium antequam ipse incarnaretur, non erat Fraternitas maternitatis, quoniam Dei Filius nondum erat ex Matre natus. *Ibi igitur consequenter ostenditur*; quòd quandò Filius Dei de Virgine fuit natus, inter ipsum & genus humanum quædam incæperit esse Fraternitas Maternitatis.

Capite V. *& sequentibus usque ad XII. inclusivè, agitur* de (a) Titulis, seu variâ nomenclaturâ Ordinis hujus: primitùs enim Professores ejus dicti fuerunt *Prophetæ, Filij Prophetarum*, ac deindè *Carmelitæ, viri Religiosi, Monachi, Eremitæ, Anachoretæ*, & *Fratres B. Virginis Dei Genitricis Mariæ*, qui titulus per Sedem Apostolicam est roboratus, atque in ejusdem confirmationem variæ concessæ Indulgentiæ, videlicet Innocentius IV. dedit omnibus Christi fidelibus, qui bonâ & piâ intentione Religiosos Ordinis Carmelitarum Fratres B. Virginis Mariæ nuncuparent, toties quoties, dies decem Indulgentiarum. Urbanus VI. (b) concessit anno secundo sui Pontificatûs omnibus Christi fidelibus, qui sic Ordinem seu Religiosos appellaverint, tres annos Indulgentiarum, & totidem quadragenas, si in gratiâ extiterint, perpetuis futuris temporibus. (c) Sifridus Archiepiscopus eô titulô nominantibus in sua & Suffraganeorum diœcesibus decem dies Indulgentiarum elargitus est anno Domini MCCLXXXVII.

(a) Vide n. 238. & seq. 244.

(b) Vide n. 519.

(c) Vid. n. 510.

1167. *Capite 13. & sequentibus tractatur* (d) de Habitu Ordinis: qualiter generaliter debeat esse Monachorum habitus: & specialiter de habitu Fundatorum hujus Religionis: imprimis incedere soliti erant cincti cingulô seu zonâ circà lumbos, significante mortificationem carnis, & pravorum motuum libidinis. Hinc & in Regula nostra scribitur: accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Præterea utebantur melotis, & quid illæ significent, & cur in alium habitum sint mutatæ: etiam usi fuerunt superhumeralibus, & quid illa innuant: *Et quòd* eorum loco B. Virgo Maria (e) tradiderit Scapulare S. Simoni Stock: qui cum Prior Generalis sextus Religionem dignè gubernaret, Dei gloriosam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulo, aliquô singulari communiret privilegiô, dicens sæpiùs voce devotissimâ in suis Orationibus: Flos Carmeli, vitis florigera, splendor cœli, Virgo puerpera, singularis. Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, Stella Maris. Cui beatissima Dei Genitrix cum multitudine Angelorum apparuit: Scapulare in benedictis manibus suis tenens, tradidit eidem, dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium. *Ita Cap. 18. ubi plura de illa privilegiata veste. Tandem Cap. 19. & sequentibus scribitur*, (f) qualiter antiqui hujus Religionis Professores palliis albis desuper vestiti fuerint, & quid denotent. (g) Cur illa dimissa, & pro eis pallia barrata assumpta, videlicet cogente Homarô Arabum, & Saracenorum Rege; & quare deindè illis relictis cappæ albæ resumptæ sint, confirmatæ per

(d) Vid. n. 256. & sequent.

(e) Vid. n. 599. & sic

SS. Virgo Maria Scapulare tradit B. Simoni Stock.

(f) Vid. n. 269. & seq.

(g) 273. & seq.

per Bonifacium octavum. *Denique refertur*, quòd deceat Professores hujus Religionis, exemplo antiquorum Patrum suorum, baculos in manibus gestare: & quid per hoc denotetur.

ANNOT. *De Visione S. Eliæ, & Nubecula significante Virginis Deiparæ puritatem, & de variis titulis Ordinis hujus, actum est accuratè parte 1. libro 6. per totum, & de Habitu Ordinis libro 7 per totum, atque etiam in variis libris hujus partis 2.ᵃ De Scapulari à SS. Virgine Maria tradito B. Simoni Stock aliquoties tactum est in præcedentibus: diffusiùs de eodem tractabitur in parte 3.* Vide etiam hic paulò infra (a)

(a) Num. 1180.

LIBER V.

De statu, & processu Religionis B. V. Mariæ de monte Carmeli à principio temporis novæ Legis usque-ad annum Christi millesimum centesimum.

1168. CAP. I. *Declaratur*, (b) quòd licèt Professores Religionis hujus olim fuerint Judæi, & posteà Christiani, non deroget Religionis identitati, & unitati. *Sic autem ibi inter cætera*: descriptis igitur habitibus, & titulis diversorum temporum, ac fundatoribus nostræ sæpe dictæ Religionis, & ejus statu tempore veteris Legis in præcedentibus libris, nunc ad ejusdem Religionis tempore novæ Legis progressum in præsenti libro stylum convertamus. Verùm confestim se una dubitatio ingerit, an scilicet Monachi Christiani montem Carmeli inhabitantes, ejusdem Religionis censendi sint cum illis Monachis, qui olim per Sanctum Dei Prophetam Eliam fuerunt in eodem monte instituti, pro eo, quòd illi non fuerunt Christiani, sed Judæi. Respondetur: Antiqui hujus montis Monachi, & si non nomine, tamen rectâ fide fuerunt veri Christiani, sicut sunt Monachi moderni; quoniam illi fidem firmam in Christum habuerunt, à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & corpora & animas suas Deo obtulerunt. De quibus Apostolus sic ait. Circuierunt in melotis &c. & infrà, & hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt.

(b) Vid n. 182, & 184

Religiosi Eremitæ in Carmelo sub veteri, & nova Lege ejusdem Religionis.

1169. CAP. 2. *& sequentibus describitur luculenter*, (c) *quòd* Joannes Baptista veniens in spiritu, & virtute Eliæ, Elianam vitam æmulatus, inter Heliades vixerit, ut unus ex eis: illosque suo baptismo baptizaverit, & de Christo instruxerit. *Quòd* tempore Imperij Tiberij Cæsaris Professores hujus Religionis, Judæos diversarum nationum ad suum contubernium admiserint, & mansionem in Jerusalem habuerint: *Quod* durante Lege veteri Professores hujus Religionis tribus vicibus per annum in Jerusalem venire consueverint: & anno, quo Christus in cœlum ascendit plures eorum fuerint circa domum Apostolorum die Penthecostes: & ab eis in fide Christiana instructi ac baptizati, eorum facti coadjutores per Phœnicem, & Palæstinam Christi fidem prædicaverint: atque primi Oratorium in monte Carmelo construxerint, ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ: de causis, & signis præviis eversionis Jerusalem, ac de Vespasiano in Carmelo consulente Oraculum: & quòd propterea ipsi Carmelicolæ illæsi ab exercitu Romano fuerint, de obsidione, & calamitate maximâ Jerosolymitanorum, & totali destructione Jerosolymæ, & de statu Religionis hujus illis temporibus.

(c) Vide n. 185. & seq.

1170. CAP. 17. *refertur*: Quòd vita Eremitica à S. Propheta Elia inchoata, post tempora Apostolorum semper viguerit. *Ibi igitur hæc inter cætera*: Cum post Apostolorum excessum tepescere cœpisset Credentium multitudo, plures tamen, quibus Apostolicus fervor inerat, memores pristinæ perfectionis discedentes à civitatibus, ad loca suburbana, & secretiora ad imitationem sectatorum Prophetarum Eliæ & Elisei Carmelitarum successerunt, & ea, quæ ab Apostolis meminerant statuta privatim, ac peculiariter cum dictis Sanctorum Prophetarum sectatoribus exercere cœperunt. Licèt enim imperfectorum multitudini condescendens Mater Ecclesia remissioris vitæ laxaverit habenas, tamen ab ipso nascentis Ecclesiæ principio nunquam defuerunt tàm in Terræ sanctæ, quam Ægypti partibus viri virtutum, qui ferventissimo divini amoris igne flagrantes, remissioris quoque vitæ blandimenta respuentes, communis vitæ rectitudinem, quæ sola perfectæ pœnitentiæ, quam Dominus Jesus Christus prædicavit, stabile fundamentum est, pietatis studiô tenuerunt, & posteris suis tenendam multiplicibus sanctæ conversationis regulis, & exemplis tradiderunt; qui monasteriorum per Ægyptum, & Terram sanctam Patres effecti, catervasque innumerabilium Monachorum per tramitem perfectæ pœnitentiæ ducentes, de mundo ejusque Principe diabolo, cum suis omnibus gloriosissimè triumphaverunt. Major tamen multitudo Monachorum in Ægypto floruit; nam quanti populi in Ægypti urbibus habebantur, tanta penè habebatur in desertis multitudo Monachorum. Undè videtur etiam Apostoli dictum in eis esse completum, quòd ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia. Abundavit enim aliquandò immundus Idolorum cultus in Ægypto, sicut nusquàm in ullis gentibus. Canes enim, & simias, atque alia portenta olim venerati sunt. Allia quoque, & cepas, & nonnulla olerum Deos esse credebant, sicut narrat S. Apollonius in primo libro vitas Patrum.

Monastica vitæ continuatio post tempora Apostolorum.

Et præcipua multiplicatio in Ægypto.

Ibi consequenter à cap. 17. usque ad 64. inclusivè texitur historia Monastica, atque etiam Carmelitica Religionis usque ad annum Christi circiter quadringentesimum, insertis opportunè etiam aliis nonnullis eventibus notabilioribus, & historiis Ecclesiasticis: & sub compendio describuntur gesta, & virtutes præcipuorum Monachorum, sectatorum Eliani Instituti, qui intereà claruerunt, videlicet S. Antonij, Macbariorum duorum, S. Hilarionis, S. Basilij & aliorum expressorum hîc suprà in Indice hujus libri quinti.

1171. CAP. 64. *Peculiariter agitur de S. Cyrillo, ex Carmelicola, Alexandrino Patriarcha. Ibi igitur*

ista

(a) Vide n. 590. & 611. *ista.* (a)Cyrillus in Civitate Alexandriæ Christianis ortus parentibus ab avunculo suo Theophilo sancto Patriarcha Alexandrino, de quo sæpiùs fit mentio in Vitis Patrum, Athenas ad scholas mittitur, qui plurimùm proficiens in moribus & scientia, ad ultimum in Theologia Doctor præcipuus evasit, ita ut Catholicæ Fidei præclarissimus extiterit propugnator. Exinde eremum petiit montis Carmeli, famâ attractus Joannis, qui paulò post Jerusalem Patriarcha vocatur. Deinde Alexandriam reversus ibidem Præsbyter ordinatus est. Post paucos igitur dies defuncto Theophilo Patriarcha, die tertia mortis Theophili Cyrillus ordinatur Episcopus. *Ibi consequenter describuntur gloriosa, & heroica ejus gesta, & qualiter post mortem S. Hieronymi, viderit animam ejus gloriosam.*

1172. Cap 67. *& sequentibus usque ad 78. scribitur* (b) de Joanne Episcopo, seu Patriarchâ Jerosolymitano XLIV. post S. Jacobum *&* quomodò is tempore Arcadij Imperatoris, anno Domini quadringentesimo duodecimo, primùm Regulam scriptam, seu librum de primaria hujus Religionis Institutione, ac fundatorum ejus dignitate atque Priscorum Professorum gestis sanctis, & gloriosis virtutibus scripserit, & tradiderit: qui liber tamquam nitidum Speculum repræsentans Institutionem hujus Religionis per S. Prophetam Eliam, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum, instar Regulæ fuit Carmelicolis: in cujus disciplina, & pacifica observantia permanserunt usque ad tempora Heraclij Imperatoris, per annos circiter ducentos quinque. *Agitur quoque* de præfato S. Cyrillo, *honorem SS. Virginis Deiparæ contrà blasphemum Nestorium fortissimè propugnante, præsertim in Concilio Ephesino: cui loco Cælestini Papa ipse præsedit. Tractatur etiam ibi* de monasterio puellarum Carmelitanæ Religionis ab eodem S. Cyrillo Alexandriæ constructo: De obitu & laude ipsius beati Cyrilli: De Monacho, qui credebat Melchisedech fuisse Christum: De S. Caprasio Carmelicola, ejusque discipulis, & statu Ordinis usque ad annum Christi 617.

(b) Vide n. 2 & seq. & 289. & seq.

1173. Cap. 78. *& sequentibus usque ad finem deducitur status Ordinis, ejusque gravis ac longæva persecutio inchoata per Cosdroem Regem Persarum, & resumpta ac continuata per Homar Regem Arabum & Saracenorum, ejusque Successores usque ad annum Christi 1099. præter aliquantulam respirationem tempore Caroli magni, & etiam accuratè describitur* luctuosa historia invasionis, & devastationis Terræ sanctæ per dictum Cosdroem Regem Persarum, qui sub extremis Phocæ, & primis Heraclij annis multa terrarum Imperia suo subjugavit imperio, & ut igneus, rapidusque torrens Orientem Asiamque momentô quasi corripuit, & involvit; Ægyptô enim, Alexandriâ, Libyâque potitus, etiam Jerosolymam cœpit: & Clericis Monachisque quamplurimis (quos inter præcipuus fuit S. Anastasius Persa ex Mago factus Christianus, Monachus, & Carmeli incola, ac demum Martyr gloriosus) crudeliter trucidatis: & etiam sexus utriusque Christianorum multis millibus mactatis, venerabilia loca, & ecclesias incendit: Sanctamque Crucem in Persidem asportavit: quam Heraclius Imperator post tres celebres victorias, de Cosdroë reportatas, Jerosolymam retulit: ac tum tantisper respirarunt Christiani, & Religiosi in Terra sancta: & Divinus cultus restitutus fuit. At brevis fuit lætitia, nam circa illa tempora ortus est Sathanicus ille impostor Mahumetes, deceptor orbis, falsitatis prodigium, Antichristi præcursor, qui ex Camelorum Pastore suis imposturis factus Arabum Princeps, exitialem condidit sectam: & ex omnium colluvione sectarum novum illud fabricatus est monstrum Alcoranum: cui stolido mendacio auctoritatem addidit. Hæc truculentissima fera detestabilem illam legem suam armis longiùs protendit: ejusque successores Saraceni paularim Palæstinam, Syriam, Ægyptum sibi subjecerunt. Quin & Persidem anno 640. fugatô Rege Hormisdâ, cœperunt: adeò ut tandem per totam fermè Asiam, Africam, & magnam Europæ partem abominanda illa secta vigeat, & homines dementet, atque ad inferos detrudat. Perfidi istius Mahumeti discipulus, atque Regni ejus successor tertius Homar, cum ingenti multitudine Saracenorum Terram sanctam invadens, eam totam, & civitatem Jerusalem obtinuit, plures ex Christianis necans, quosdam ad suam perfidiam trahens, omnesque quos non occidit, aut expullit, suo dominio subjugavit. Exinde ad tempora Godefridi de Bulyon Religionis hujus Professores valdè afflicti fuere: & coacti dimittere pallia alba (antiquam Religionis vestem) & assumere barrata: quæ gestarunt per annos sexcentos quadraginta octo scilicet usque ad annum Domini 1287. quô alba resumpserunt.

Cosdroës instar ignei torrentis.

Mahumetes falsitatis prodigium.

Legem condidit detestabilem.

Homar discipulus ejus Jerusalem capit.

1174. ANNOT. *Animadvertendum imprimis quoad veteres Monachos Eliano Instituto ab Arnoldo Bostio assertos (eadem est ratio de sacris Virginibus, de quibus in hoc libro) quosdam tales fuisse* successione, *alios verò duntaxat* imitatione, *sicut latiùs declaratum est in Notatione prævia ante libellum secundum Fasciculi Tripartiti Ioannis Palæonydori hic suprà num 965. Ad idem propositum videantur ea, quæ ipse Bostius scribit libro 1. cap. 2. hic suprà num* 1159

De identitate Ordinis hujus sub Lege veteri, & nova peculiariter actum est parte 1. libro 5. cap. 1. *cujus hic est titulus*: Quòd licèt ex Professoribus hujus Religionis aliqui olim fuerint Judæi, & alij postea Christiani, hoc tamen non derogat hujus Religionis identitati. *Ibi consequenter cap. 2. & 3. agitur de S. Ioanne Baptista eximio hujus Religionis Cultore, & in Monasticâ vita eremitica perfectissimo Elia imitatore Ibidem cap. 4. & sequentibus accuratè describitur,* qualiter Religiosi Ordinis hujus fidem Christi amplexati, & baptizati, atque in Evangelica prædicatione Apostolorum coadjutores fuerint. *De SS. Antonio, Hilarione, Basilio, Cyrillo Alexandrino, & aliis, de quibus Bostius hoc libro à capite 18. & deinceps, quædam dicta sunt in Fasciculo tripartito Ioannis Palæonydori libello 2. per totum.*

De Ioanne XLIV. Antistite Ierosolymitano peculiariter actum est in principio hujus operis num. 2. & sequentibus pagina 1. & seq. De libro autem, per modum Regulæ ab ipso scripto, & Carmelicolis tradito an. Domini CCCCXII. & exinde pro norma Religiosæ vitæ servato, accuratè tractatum est eadem parte 1. libro 8. cap. 1. & sæpiùs alibi.

De Cosdroë, & Terræ sanctæ devastatione per illum, quædam attinguntur eodem capite libri 8. De Homar autem,

tem, & de mutatione palliorum alborum, ipso cogente facta lib. 7. cap. 6: Sed de istis omnibus accuratissimè tractat eximius Pater Lezana tomis 2. & 3. Annalium Ordinis hujus.

LIBER VI.

De Terræ sanctæ recuperatione per Godefridum de Bulyon, & exercitum Christianorum: & de instauratione Ordinis Carmelitani, nec non de ejusdem Regula, ejusque ac Ordinis multiplici confirmatione.

1175. DEcem prima Capita tractant de S. Gerardo ex Carmelicola Antiocheno Patriarcha: & qualiter prædixerit Natiuitatem S. Bertholdi, Ordinis hujus primi inter Latinos Prioris Generalis: cujus Pater fuit Guido de Malafayda nobilis Lemovicensis: qui profectus in Hungariam, ob egregios suos actus bellicos, & vitæ probitatem, Regi sic gratus effectus fuit, ut nobilem filiam, Hungarorum Regum prosapiâ oriundam, in matrimonium acceperit: undè procreati Aymerus, & S. Bertholdus: qui juventutis annos Parisijs in studio artium liberalium, & Theologiæ transegerunt; & doctoralem lauream sunt consecuti. Aymerus autem Podiensis Episcopus, ac deinde Legatus in militiâ Christianâ ab Vrbano II. constitutus fuit: & S. Bertholdus illi, & Petro Eremitæ se associavit in sacra illa expeditione pro recuperandâ Terrâ Sanctâ factâ sub inclyto Duce Godefrido de Bulione. Cùm autem in obsidione civitatis Antiochenæ Christianus exercitus gravissimâ fame premeretur, ita ut ab humanis carnibus plures non abstinerent. S. Bertholdus in illa tribulatione magno merore confectus, promisit Deo & B. Virgini Mariæ jugiter in Mõte Carmeli famulari, si Dominus respiceret plebem suam. Tunc eidem Jesus splendidam Crucem super caput gestans cum beatissima Matre sua, & S. Petro apparens, durè increpavit Christianis beneficia collata fornicantibus, atque ingratissimis. Cùmque minaretur se vindicaturum, sanctissima & pijssima Virgo Maria, misericordiæ Mater cùm B. Petro ad pedes Domini corruit, supplicans, ut iram clementiâ suâ mitigaret. Deinde ait Dominus Bertholdo presbytero. Vade, dic populo meo: Lupanar, prostibulum, & omnem à vobis abusum proijcite, & optimũ præstabo vobis auxilium. Si reversi fueritis ad me ego quoque revertar ad vos. Cantetur diebus quinque Responsorium Congregati sunt inimici nostri. Eodem tempore cuidam alteri Religioso apparuit B. Andreas Apostolus, demonstrans locum in Ecclesia S. Petri, ubi invenienda esset lancea Salvatoris. Igitur non multò post ignis in Castra Turcarum de Cœlo descendit. Quod videntes Christiani post lanceam Domini inventam 36 die obsidionis contra Corborandum in prælium exierunt, dulci pluviâ ipsis, & eorum equis recreatis. Et ecce de montibus innumerabilis exercitus cruce signatus, vexilla alba in manibus gestans descendere visus est, cujus Duces Georgius, Demetrius, Mauritius, Mercurius, Sancti Dei Martyres æstimati sunt. Tunc Aymerus Episcopus exclamavit voce magna dicens: O fortissimi milites Christi, ecce auxilium Domini, pugnate viriliter. Igitur in conflictu diei illius ceciderunt Turcarum fortium armatorum, tàm peditum quàm equitum plusquam centum millia, præter illos cœlesti igne consumptos, anno Domini 1098. in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. Exercitus autem Christianus, & in eo Bertholdus, cum Petro prænominato ab Antiochiâ Tripolim pervenit, deinde Achon, postea Jerusalem: quæ tandem anno Domini 1099. die 18. Julij capta in potestatem Christianorũ devenit, & in Regem electus fuit Godefridus Bullonius, qui titulum quidem Regis acceptavit, at coronam auream non admisit, indignum arbitrans illuc aureo diademate hominem uti, ubi Rex Regum Christus spineam coronam pro redemptione humani Generis tulisset.

Antiochenæ civitatis obsessio.

Christiani fame premuntur ob peccata.

Christus apparet S. Bertholdo.

Lancea Salvatoris invenitur

100. Millia Turcarum occiduntur.

Ierusalem capitur à Christianis

1176. Cùm sic Terræ promissionis loca sancta, etiam alia tam gloriosè à Principibus Christianis bellicô apparatu recuperata essent, cœpit Orientalis Ecclesia revirendo florere, & cultus Religionis illis in partibus ampliari, & vinea Domini novos botros germinare. Reparabantur Ecclesiæ veteres, novæ fabricabantur: monasteria Regularium, largitione Principum, & elemosynis fidelium, in locis idoneis construebantur (a) specialiter autem cultus Religionis in monte Carmelo ampliabatur. Ex diversis autem mundi partibus quàm plurimi sæculo renuntiabant & fervore Religionis accensi eligebant sibi loca, proposito suo, & devotioni magis competentia. Ac inter hos S. Bertholdus, qui postquàm loca sancta imbre multô lacrymarum perlustrasset, ac de tantis victorijs Deo gratias peregisset, votum suum quod Deo, & B. Mariæ Virgini in Antiochia, obsidionis, & famis tempore promiserat, reddere disponens, juxta Scripturam dicentem: Vovete, & reddite: locum Carmeli Mõtis adijt; visitatisque singulis antiquis Patribus Eremitis ejusdem uberrimi montis, per diversas eorum separatas cellulas, imitator sanctissimæ vitæ illorum, ac sanctorum Eliæ & Elisei Prophetarum fieri decrevit. Quod cùm omnibus illis eremitis valdè gaudenter placuisset, ab eisdem habitum Religionis cum oratione solemni suscepit. Verùm ipse Sanctus in sancto proposito in dies proficiens tandem Eremiticæ vitæ finis, & cœnobiticæ disciplinæ ibidem extitit recuperator eximius. Etenim ipse S. Bertholdus ab Aymerico Patriarcha Antiocheno institutus fuit Superior mõtis Carmeli, omniumque cæterorum cœnobiorum Eremitoriorum, & locorum ab eo dependentium: & primus fuit nuncupatus *Prior Generalis*, cùm ante, qui præerat *Abba* linguâ Syrâ, & *Pater* Latinâ vocaretur. Rexit autem sanctissimè & amplificavit Ordinẽ annis quadraginta quinque: multorumque Fratrum suorum in Mon-

Ecclesia Orientalis refloreſcit.

(a) Vide n. 292. 299. & 466.

S. Bertholdus Carmeli Ordinem ingreditur.

tro

te Carmelo, & aliis locis terræ sanctæ passorum animas, quas Saracenorum absumpsit gladius, cum corona Martyrij ab Angelis in cœlum deferri vidit: & miraculis clarus obijt in monte Carmelo: ubi unà cum sanctis suis Successoribus Brocardo, & Cyrillo, resurrectionis diem corpusculum ejus præstolatur.

1177. *Cap. 12. & sequentibus usque ad 24 accuratè scribitur de* discordia Principum Christianorum in terra sancta, & hostili invasione, ac vastatione per (a) Saladinum Ægyptiorũ Sultanum facta anno Domini MCLXXXVII. ac amissione civitatis Jerusalem, aliarumque urbium terræ sanctæ: deque S. Brocordo, secundo Priore Generali Ordinis hujus: ad cujus, & aliorum Religiosorum Eremitarum montis Carmeli postulationem S. Albertus Patriarcha Jerosolymitanus ex libro Ioannis sui prædecessoris de institutione primorum Monachorum certam vivendi formulam seu Regulam confecit: nulla aut pauca inserens, quæ in dicto libro Joannis non continentur: sed quæ Ioannes in generali suadendo scripserat, Albertus in speciali determinavit: Regula autem ista approbata fuit per Honorium tertium, & plures alios successores ejus Pontifices: in quibusdam punctis mitigata per Innocentium quartum, & deinde in aliquot alijs per Eugenium quartum.

(a) Historiam lugubrem habes supra n 410. & 414.

1178. *Cap 24 & alijs usque ad finem libri tractatur* (b) de Ordinis hujus solida, & multiplici confirmatione, jure Divino, ac irrefragabili Dei providentiâ: jure potestatis Ordinariæ; jure Canonicæ Ratificationis: jure specialis approbationis per Romanam Ecclesiam: jure specialis decisionis: jure specialis mentionis.

(b) Vide n. 478. & seq.

ANNOT. *De illis quæ hoc libro referuntur de S. Gerardo, S. Bertholdo, Aymerico, deque recuperatione Terræ sanctæ per Godefridum de Bulion videri poterunt in Fasciculo tripartito Ioannis Palæonydori libello 2. sub finem & 3. sub initium. De multiplici Ordinis hujus approbatione luculenter actum parte 1. lib. 10. cap. 5. & seq. & in hac parte 2. sæpius.*

LIBER VII.

De Ordinis multiplicatione in Terra sancta, ac tandem ejusdem indè in Europam translatione & inibi propagatione, ac successione Reverendissimorum Priorum Generalium & celebratione Capitulorum Generalium usque ad annum à Christo nato 1488. & eventibus notabilioribus, qui intereà acciderunt.

1179. *Tribus prioribus Capitulis agitur* (c) *de* S. Bertholdo primo Priore Generali (ante quem Superior Montis Carmeli, & alij aliorum locorum Syrâ linguâ Abba, & Latinâ pater dicebantur) & S. Brocardo, secundo Priore Generrli; ac de multiplicatione monasteriorum in Terra sancta.

(c) Vide sup. n. 300. & 301. nec non 1028. & seq.

Sex sequentibus Capitibus (a) S. Cyrilli tertij Prioris Generalis gesta *referuntur*: quomodò monitu Deiparæ Virginis ad montem Carmelum venerit, & ibidem Religiosum habitum susceperit: Armenos ad Orthodoxam fidẽ converterit: ab Angelo tabulas binas argenteas acceperit: & varia miracula patraverit: deque Ordinis translatione seu migratione è Terra sancta in Europam.

(a) Vide n. 594. 595 1041. & seq.

Capite 10. & 11. scribitur de Ven. Bertholdo quarto Priore Generali, & Ven. Alano quinto Priore Generali, ac de multiplicatione Ordinis in Europa.

1180. *A Capite 12. usque ad 25. referuntur* (b) *vita, acta, & miracula S. Simonis Stock sexti Prioris Generalis: quantum promoverit Ordinem, & ab æmulis Sathanæ instinctu contra Ordinem stimulatis, defenderit, impetrando à Beatissimâ Dei Genitrice Maria singularissimum privilegium, signum salutis, & tutelæ, videlicet S. Scapulare, quò Ordo hic dignosceretur; & à malis protegeretur: & obtinendo à summis Pontificibus varia previlegia contra molestias, & gravamina illata.* Ipsi enim Beatissima Dei Genitrix cum multitudine Angelorum apparuit, Scapulare in expeditiori formâ quam priùs gestabatur, cùm parvo caputio usque ad cingulum tantùm in dorso descendens, in benedictis manibus suis tenens; tradidit, eidemque dicens: hoc erit tibi & cunctis Carmelitis privilegium, qui in hoc moriens, æternum non patietur incendium, id est in hoc moriens* cùm debitâ Ordinis obedientiâ salvabitur. Quòd ipse Simon cùm gratiarum actione à Dominâ nostrâ benignè suscipiens, Caputium suum grossum, cùm Scapulari, seu cuculla sua deposuit, & caputium cùm Scapulari, juxtà formam, sicut à B. Virgine receperat, deinceps induit. Illo enim Scapulari, tam ipse, quàm omnes alij Carmelitæ usque in hodiernum diem nocte dieque pro habitu suæ professionis utuntur. *Ita Capite 18.* Post multa miracula quæ Dominus per eum fecerat centesimo ætatis suæ anno, dum Provinciam Vasconiæ visitaret, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimoquinto, cùm fermè quinquaginta annis nostrum sacrum Ordinem debitè gubernasset, sexta decima die Mensis Maij in Connvetu Burdegaliæ ab hac luce migravit plenus dierum, ubi ejus corpus multis clarens miraculis requiescit. Qui similem induit ab adolescentia gravitatem, & ex tunc ascensiones in corde suo disposuit, atque per incrementa virtutum, in eminentiam vitæ perfectioris ascendit: exemplum dedit nobis, ut & nos sequamur vestigia ejus. *Ita Cap 22.*

(b) Vide n. 598. 599. 1060.

S. Simon Stock Scapulare accipit à SS. Virg. Maria.

* Glossa est seu explicatio à Bostio adjecta.

Consequenter ibidem referuntur (c) *historia tres valdè notabiles, & singularia Ordini præstita beneficia per SS. Virginem Mariam*: I. De quodam adolescente, scabie infecto, ob magnam in Deiparam devotionem, ab ipsa ad Ordinem mirabiliter promoto, & sanato: II. De miraculosa fundatione Conventus Tholosani, & varijs apparitionibus ipsius SS. Virginis pro eâ factis. III. De prodigio ligni S. Crucis saltantis favore ejusdem clementissimæ patronæ à Carmelitis in monte Pessulano recepti.

(c) Illa etiam referuntur in Collectan. exemplorum Bald. Leersij in p. 3. hic infra de Tolosa vid. supr. n. 704. 705.

1181. *Per subsequentia Capita vinginto octo*

conti-

continuatur series Reverendiss. Generalium Ordinis à venerabili Nicolao Gallico usque ad M. Pontium Raynaudum, qui electus fuit anno Domini 1482. die Penthecostes, & intexitur historia rerum memorabilium, quæ intereà contigerunt. Præcipua ex illis sunt. (a) Mutatio palliorum barratorum in cappas albas, facta anno 1287. approbante, & confirmante Sede Apostolicâ. Amissio Terræ sanctæ, & destructio omnium monasteriorum Ordinis, ac trucidatio Religiosorum ibidem: & intereà multiplicatio Ordinis per Europam. Celebris visio ipsius Beatissimæ Virginis Mariæ gestantis filium suum in brachiis, pallio albo circumamictæ, & aliis ornamentis ad modum Sororum Ordinis, excepto quòd coronâ redimita foret. Pallium autem album tenebant, & extendebant duo Angeli, alter à dextris, alter à sinistris; & sub eo videbantur recipi viri albi, & mulieres nitidis indutæ, & quasi à vento, & turbine defendi. Altera refertur quoque Apparitio ejusdem Virginis gloriosæ, festo ipsius ad Nives procedentis per medium chori, per stalla Fratrum, singulis spiritualia clenodia largientis, cuilibet pro sua speciali devotione.

(a) Vide sup. n. 277. & seqq.

B. V. Maria sub pallio visa protegere Carmelitas.

1182. *Cap. 56. apparitio, facta (b) Ioanni XXII. his est descripta verbis*: Joannes igitur Papa XXII. ante Papatum dùm innixiùs orationi devotè B. Mariæ auxilium imploraret, apparuit ei in somnis Beatissima Dei Genitrix Maria, vestibus Ordinis Fratrum Carmelitarum induta, hunc efferens sermonem? O Joannes, O Joannes, Vicarie dilecti filij mei, veluti ego à tuo te eripiam adversario, sic & coadjuvantibus meis orationibus te Papam facio, & filij mei vicarium constituo. Vide ergo, sicut ego pro te obtinui gratiam hanc magnam, ut etiam similiter meo Ordini, & peculiaribus Fratribus meis vicem rependas, & Regulam per Eliam, & Eliseum in monte Carmeli inchoatam, & per servum meum Albertum Patriarcham ordinatam, confirmes: sicut Innocentius prædecessor tuus eis Regulam injunxit in remissionem peccatorum. Sic & meo Ordini dabis privilegium ex parte mea, & mei filij, ut quicumque in eum intraverit, & devotè observaverit, salvetur in æternum: & liberabitur à supplicio, & à culpa: & si purgatorium à die quo hoc sæculo recedunt, intraverint, ego Mater gratiæ, Mater misericordiæ * subitò post eorum obitum liberabo, & eos in montem sanctum vitæ æternæ perducam. Postquam ergò Beata Virgo hæc, & alia præcipiendo intulisset, ab oculis ejus disparuit. Is itaque anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto in Papam assumptus omnia pro posse adimplevit, & Ordini in omnibus favit, promovit, privilegiavit, & robore Apostolico munivit. Nec fuit aliquis prædecessorum suorum, qui tanta privilegia Ordini nostro contulerit, sicut iste Papa Joannes vigesimus secundus, ut patet in pluribus bullis Ordinis. Ista autem revelatio, & apparitio dicitur contineri sub quadam bulla plumbea in Provincia Angliæ, & in Conventu Januensi, est ejus instrumentum authenticum, & magis amplum quam hic ponitur. *Capite sequenti refertur* quomodò Papa Joannes XXII. Primo Pontificatûs sui anno Ordinem à potestate, ac Jurisdictione omnium Prælatorum externorum prorsùs exemerit. *Consequenter alia ab eodem Ordini concessa privilegia referuntur.*

(b) Vide sup. n 535. & seq & 1085. 1094

B. V. Maria in habitu Ordinis Carmelitani apparet Ioanni XXII. sum. Pontif.

* *Al.* Sabatô.

ANNOT. *De successione Reverendiss. PP. Generalium ab anno MXLI. usque ad fere MD. jam paulò ante est actum in libello 5. Fasciculi tripartiti Ioannis Palæonydori, atque etiam de eventibus notabilioribus, qui interea in Ordine acciderunt. De istis luculentiùs tractat Tomus quartus Annalium Ordinis hujus. De apparitione facta Ioanni XXII. & de confirmatione* privilegij Sabbatini (*id est* liberationis animarum è pœnis purgatorij, præcipuè in die Sabbati) *pleniùs tractabitur in parte 3. Speculi hujus: quædam etiam de illis tacta sunt in antecedentibus.* (a) (a) Nu. 535. & 713. 1085

LIBER VIII.

De sanctis Angelo Martyre, Alberto Confessore, Andrea Corsino Episcopo, Petro Thoma Patriarcha Constantinopolitano, & aliis nonnullis.

1183. *Capitis primi titulus est*: De triplici differentia Sanctorum Ordinis hujus. *Ibi consequenter ista, fitu digna*: Laudemus igitur nunc in isto octavo libro viros gloriosos, & sanctos Patres prædecessores nostros in sancta Religione nostra. Nam cum laudem, & honorem ipsis reddimus, Deum in eisdem sanctis honoramus, & ipsum in eis mirabilem prædicamus; quia qui sanctis honorem tribuit, illum procul-dubiò honorat qui eos sanctificat. Quoniam ergo Deus in sanctis suis toties glorificari dignoscitur, quoties ipsos in terris fideles præconiorum laudibus venerantur; cum laus ipsis impensa ad Deum, ut dictum est, specialiter referatur; idcirco ut ipse magnificus Deus, in veteris & novi Testamenti, nostræ religionis viris sanctis gloriosiùs laudetur, singulorum ipsorum virtutes sanctas, mirabilia opera, & perpetrata ab eisdem miracula, ad memoriam revocemus.

1184. Undè notandum, quòd sicut sacra nostra religio usque in præsentiarum à suo exordio diversis in temporibus, sub triplici differentia, & dispositione creditur extitisse, ita secundùm illa diversa distincta tempora, etiam distinguuntur sancti Ordinis nostri. Nam intuendo statum & dispositionem Ordinis nostri prout fuit tempore Legis veteris, sancti & inceptores dicti ordinis fuerunt Prophetę Dei, Elias, & Eliseus, Jonas, Michæas, Abdias, & cæteri Filij Prophetarum, de quibus ad plenum scribitur supra in tertio libro per totum: Et considerando statum ejusdem Ordinis, prout extitit tempore legis Euangelicæ usque ad tempus Reverendissimorum Priorum Generalium, sancti sæpe dicti Ordinis intelliguntur fuisse Joannes Baptista, Enoch discipulus Domini, Antonius Ægyptius, cum suis discipulis, Pafnutius, Onufrius, Hilarion, Basilius, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Joannes quadragesimus quartus Patriarcha Jerosolymitanus,

Caprasius, Romanus, cum plerisque aliis supra in quinto libro ex integro conscriptis. Sed de S. Gerardo Patriarcha Antiocheno invenies in sexto libro. Verùm incipiendo dispositionem dicti Ordinis prout fuit, & adhuc est, sub regimine Reverendissimorum Patrum Generalium, sic dicuntur sancti Ordinis esse qui sequuntur in hoc libro: inter quos primatum tenent S. Bertholdus, Brocardus, Cyrillus Doctor, & Simon Stock; de quibus satis dictum est: de cæteris verò in sequentibus dicetur.

1185. *Decem sequentibus capitibus specialiter tractatur* de S. Angeli parentibus, & Fratre ejusdem, S. Joanne Patriarcha Jerosolymitano, deque illorum miraculosa nativitate, intercessione Beatissimæ Virginis Mariæ, eos, & nomina prænuntiantis, deque ipsius S. Angeli, aspera & mirabili vita, prædicatione, colloquio cum SS. Dominico, & Francisco ac martyrio. *Ibidem & alij sancti commemorantur, at strictiùs.*

De S. Angelo.

Capite 12. & per sex sequentia describuntur Nativitas S. Alberti, è parentibus sterilibus procreati, ipsius clementissimæ Virginis Matris dono: ingressus ejus in Ordinem, cum adhuc puer esset, octavum attingens annum, monente, & mandante eâdem Virgine gloriosâ: variæ & graves tentationes, quas à dæmone sustinuit: multiplicia ipsius miracula: obitus, ac exequiæ gloriosæ, Angelico concentu honoratæ: & miracula ejusdem post mortem continuata.

De S. Alberto.

Deindè à cap. 19. usque ad 25. refertur similis Nativitas S. Andreæ Corsini, etiam voto SS. Deiparæ facto, nati mundo & Religioni; qui & ab ipsa audire meruit: *Servus meus es tu, in te gloriabor;* deque promotione ejusdem ad Sacerdotium, Prioratum, Episcopatum, miraculis, & sancto fine.

De S. Andrea Corsino.

1186. *Cætera viginti capita usque ad finem complectuntur* vitam S. Petri Thomæ, eximij Sanctissimæ Virginis Deiparæ cultoris, & specialissimè ab eadem dilecti, *valde accuratè, & copiosè descriptam*: qualiter postquam in Parisiensi Palladio scientias legerat, & Doctoralem lauream adeptus esset, Procurator Generalis in Curiâ Pontificiâ, & ibidem Regens ac Orator & Concionator Pontificius effectus fuerit, & exindè Episcopus Pactensis, tum Coronensis, postmodum Archiepiscopus Cretensis fuerit constitutus. Interim autem varias obiverit legationes Pontificias ad Imperatores, Reges ac Principes, & Ecclesiam virtutibus atque factis heroicis plurimum illustraverit, propugnaverit, amplificaverit. Denique quomodò sublimatus ad Patriarchatum Constantinopolitanum, & Legatus Generalis pro via recuperandæ Terræ sanctæ, indefatigabiliter, & efficaciter laboraverit in Alexandrinæ Civitatis captione, cui interfuit, & præfuit. Tandemque Famagustæ in Cypro, glorioso fine quievit, & miraculis in vita & post mortem splendescens, contrà morbum Epidimiæ specialiter invocatur.

S. Petri Thomæ vita tradita in 20. capit.

ANNOT. *Vita præfatorum* S. Angeli, S. Alberti, S. Andreæ Corsini S. Petri Thomæ *integra (sicut & aliorum Sanctorum Ordinis hujus) inserentur parti quartæ Speculi hujus; ideò hic prætermittuntur.* Epitomen *vitæ cujusvis illorum habes hic supra in Viridario Ioannis Grossi.* (a) De S. Petro Thoma *eleganter etiam scripsit idem Bostius in libro* de Patronatu B. Virginis cap. 12. *Vide hic infra in parte 3.* (a) N. 597. 601. 606. & 607.

De præcipuis aliquot Ordinis hujus sanctis aliis vide supra in eodem Viridario Ioannis Grossi num. 585. & seq. De sanctis præcipuis sub veteri Lege actum supra num. 69. & sequentibus, nec non 947. & seq. 951. & seq. De aliis qui sub Lege Evangelica claruerunt tractat succinctè Ioannes Palæonydorus in Fasciculo Tripartito (qui paulò ante præcessit) libello secundo, & tertio per totum. Quo fundamento, & quâ ratione S. Antonius, S. Hilarion & alij Eliana conversationis instituto accenseantur vide supra num. 965 & seq. 968. & 1159.

LIBER IX.

De Venerabilibus Doctoribus, & Scriptoribus præcipuis Ordinis.

1187. CAP. 1. *Referuntur* Doctores Ordinis qui ad dignitates Ecclesiasticas extrà Ordinem assumpti fuêre. *Cap. 2. recensentur* doctrinâ excellentes, & editis libris celebres, qui ad Generalatûs officium promoti fuerunt. CAP. 3. *Commemorantur* Doctores, & Scriptores Provinciarum Terræ sanctæ, Siciliæ, Narbonæ, & Cathaloniæ. CAP. 4. *describuntur* Doctores & Scriptores Provinciæ Angliæ. CAP. 5. *enumerantur* Doctores & Scriptores Galliæ. CAP. 6. *producuntur* Doctores, & Scriptores Alemaniæ.

ANNOT. *Idem hic Author Bostius librum specialem edidit* DE VIRIS ILLVSTRIBVS HVIVS ORDINIS; *qui scriptis Ecclesiam propugnarunt, aut Catholicam doctrinam explicarunt, & illustrarunt, aut ad pietatem inflammarunt. Is totus sequitur hic infra parte quinta; eò propter ex hoc libro nono commemorantes plerosque eosdem (etsi aliô Ordine) de quibus in isto libro* DE VIRIS ILLVSTRIBVS, *plura hic referenda non sunt.*

In fine SPECVLI HVIVS HISTORIALIS annotatur, Volumen istud completum (*scribendo* videlicet, non *componendo*) per manus Joannis Geerbrandi de Leyden anno 1491. Ideo à nonnullis ipsi (*etiam Scriptori illustri*) attributum fuit.

JOAN-

IOANNIS TRITHEMII

ABBATIS SPANHEIMENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI

LIBER.

De ortu, & progressu, ac laudibus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Carmelo.

LIBER XII. PARTIS SECVNDÆ.

Notatio Prævia.

1188. *Abbas Trithemius in perscrutandis, & eruendis historiarum antiquitatibus diligentissimus, inter complura selecta opera quæ edidit, binos scripsit libros de Ordine Carmelitano; alterum de illius ortu, & progressu, ac laudibus; alterum de ejusdem Viris illustribus. Id ipse libro de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur, hæc, inter cætera, de se, & lucubrationibus suis memorans:* Joannes Abbas monasterij sancti Martini Episcopi, in Spanheim, Ordinis Divi Patris Benedicti ... amicis urgentibus compulsus sum in fine hujus cathalogi, mearum quoque lucubrationum titulos & exordia ponere: exemplo divorum Patrum, Hieronymi, Gennadij &c. *Deindè recensens lucubrationes suas, ait:* Scripsi ergo, præter hoc opus, etiam subjecta ... Laudes Ordinis Carmelitani libros duos. *& primi initium hoc ponit:* Precibus & instantiâ. *Ioannes quoque Duraclusius ipsius Trithemij discipulus, & Arnoldus Wion, atque ex illo Antonius Possevinus in Apparatu, verbo* Joannes Trithemius, *& Ioannes Busæus in Prolegomenis ad opera Trithemij in cathalogo operum ipsius Trithemij idem adstruunt, & quidem posterior his verbis:* Hæc in lucem monumenta protulit Trithemius *& infra:* De Ordinis Carmelitarum exordio, & progressu libros duos. *Illi variis in locis (à Lezana cap. 6. n. 12. in Apparatu ad* tomum 1. *Annalium Carmelitanorum indicatis) typis editi sunt, videlicet primum Moguntiæ anno* 1494. *(Vide hîc suprà num. 1114. in fine) postea Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum anno 1576. unà cum operibus Baptistæ Mantuani tomo 4. deindè Florentiæ apud Georgium Marescottum anno 1593. Moguntiæ anno 1604. apud Ioannem Albinum ac Coloniæ anno 1624. apud Ioannem Wulffrath, iterumque Coloniæ anno 1643. sumptibus Iudoci Kalckhoven. Testimonium Palæonydori, testis oculati, & Trithemio coævi habes hîc supra num. 1114. & testimonium Petri Lucij hîc infra n. 1231. Rutgerus autem Venray Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini vir eruditus (de quo, & scriptis ejus agit Trithemius, libro* de Scriptoribus Ecclesiasticis) *in laudem libri hujus Trithemiani varios conscripsit versus. Vide hîc infra num. 1229. & 1230.*

Trithemius duos scripsit libros de Ord. Carm.

IOANNIS TRITHEMII

Abbatis Epistola.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, D. *IOANNI WIRICI DE NVSSIA *Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, per inferiorem Alemaniam Provinciali, ac cæteris Patribus in Conventu Agrippinensi capitulariter congregatis,* IOANNES DE TRITTENHEIM ABBAS SPANHEIMENSIS *salutem, & charitatem.*

* De illo vide sup. n. 1114. pag. 270.

1189. Fama refert Veterum, Parthos Reges neminem salutavisse absque muneribus. At mihi quidem (Religiosissimi Patres) vestrum salutandi Collegium, animus est: sed munera condigna officio desunt, quibus amoris in vos mei synceritas declaretur. Quid igitur facerem? Nunquid propter inopiam muneris fœdus rumpitur charitatis? Absit. Vacuus ergo salutabo? Nequaquam. Quid igitur feram? Munera. Quæ munera pauper, & inops? Charitatis. Non aurum, non argentum, non lapides pretiosos; sed verba, & literas, quibus nutriatur ordo pietatis. Nuper itàque, precibus, & instantiâ Religiosorum Patrum Joannis Lapicidæ de Colonia Prioris * Crutzenacensis, & Jacobi de Cuba Lectoris, impulsus, scripsi in laudem Carmelitici Ordinis breve Opusculum, quod locô munusculi, vobis mitto examinandum. Et quamquam verecundum satis mihi fuerit, coram eruditissimis in omni eruditione, & doctrinâ Viris, tanti Ordinis voluisse laudare excellentiam: cum inter vos plures noverim eloquentissimos, qui id meliùs quàm ego facere possint: malui tamen judicari sermone imperitus, quam charitate infructuosus. Nam etsi laudibus tanti Ordinis opusculum nostrum longè sit inferius, poterit tamen

* Al. Crucenacensis.

afferre nonnihil utilitatis, dum is qui laudator Religionis vestræ esse voluit, nullam propriæ laudis suspicionem acquisivit. Credo enim, quòd laudes, & honorem excellentissimæ Religionis vestræ ab aliis potiùs quàm à propriis debeatis accipere. Suscipite nunc itaque, optimi Patres, destinatum parvitatis meæ Opusculum: in quo non quid fecerim, sed quantum voluerim pro honore Ordinis Carmelitici, pensate. Si quid verò emendatione dignum duxeritis, ut libet, corrigite: vel, si placet, mihi emendandum demandate. Variæ siquidem occupationes rei familiaris non sinebant me limam omnimodæ venustatis apponere, neque secundùm institutionem meam singula ordinare. Sicubi erratum est, negligentia causam dedit, non voluntas. Vos autem, Venerandi Patres, Apologiam facilè suscipietis, si amorem in vos meum, & sollicitudinem pastoralis curæ pensetis. Pro maximis autem computabo deliciis, si vobis affectum meum erga Ordinem cognovero non displicuisse. Opto vos in Domino semper valere, memores nostri. Datum raptissimè ex monasterio nostro Spanheim IX. Kalend. Maij, Anno Domini MCCCCXCII.

PRÆFATIO.

JOANNIS TRITHEMII.

Abbatis Spanheimensis.

1190. PRecibus, & instantiâ quorumdam Patrum de Ordine Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, subjectum opus aggressus sum: in quo breviter laudes ejusdem sacratissimæ Religionis, quantùm rei familiaris curæ, ingeniique vires perexiguæ sinebant, describere constitui: & quemadmodum à fundationis suæ principio usque in hunc diem profecerit, demonstrare compendiosiùs elegi. Verùm, cùm non sit speciosa laus in ore peccatoris, vehementer timeo, ne Ordinis tam excellentis dignitas, meâ tarditate obfuscetur; fiatque mihi, quod imperitis Oratoribus solet contingere, qui præclaras res suâ imperitiâ solent deturpare. Enimverò, cum parciùs alicubi scripsisse videor, non sum æstimandus rebus defecisse, sed verbis. Maxima quippe Carmelitici Ordinis excellentia est, quæ non modò meam, sed Demosthenis quoque facundiam, & eloquentiam procul excedere videatur. Varij sunt in Ecclesiâ Dei Ordines: huic tamen præ omnibus tantùm conceditur, ut titulô *Beatissimæ Dei Genitricis & Virginis* MARIÆ decoretur. Cum ergo maximis rebus laudandis ingenia parva non sufficiant, quid mirum, si ego in celebrando præclarissimum Ordinem videar deficere? Satisfeci quidem amicis urgentibus: quamquam minus potuerim, quam volebam. Adhuc Carmelitani Ordinis in pectore viget amor: adhuc laudandi superabundat materia: sed præ rei excellentia deficiunt verba.

1191. Magnam hujus Ordinis institutio laudem promeruit; quam Regina cœli suô vocabulô insignivit. O verè beata unio, quæ tantæ Parentis munita præsidiô in æternum firma consistit! sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quiescit: & idcircò nulla umquam adversa formidabit. Gaude decus Carmeli: te mundi Sator ob Matris honorem diligit: te Domina mundi, Virgo Maria, ut oculi pupillam, custodit: te supernæ patriæ cives colunt, amant, & laudant: nomen, & honorem Imperatricis suæ in te sedulò venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuæ. Te nemo veraciter diligit, nisi bonus: nemo institutionem tuam odio habet, nisi perversus. * *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Evangelij pacis*, quamque venusta facies, quam elegans forma, quam decorus aspectus. Beati cultores tui, qui ambulant in semitis veritatis, qui contemptis mundi rebus, tua præcepta devotâ synceritate custodiunt. Major es, o Carmeli sacrata Religio, quam ut verbis meis valeas prædicari. Silere à tuis laudibus non valeo, quoniam quod virium negat infirmitas, charitas subministrat. Jam nunc igitur, vos amici, præsentis Operis importuni exactores, de manu vestri, Ordinisque Carmelitici amatoris, diu optatum munus suscipite: & Deum Maximum pro meis reatibus sedulò exorate. Habetis ex me postulatum opusculum, in quo vestris petitionibus satisfeci, sed minimè nostræ voluntati. Plus enim pro decore vestri Ordinis voluimus, quàm possumus. Deinde vos Fratres, sub Virginis Matris Chlamyde militantes compello: vos precor, & oro, ut si devotio in Ordinem vestrum nostra vobis videtur laudabilis, pro nostris ad Dominum culpis interveniatis: nobisque Dei Genitricem vestræ Religionis Patronam placabilem reddatis, atque propitiam. Hoc, inquam, agite, ut nostri merces Operis amor fraternus sit, & oratio unitatis.

Nomenclatura Ordinis Carmelitani à SS. Virg. Maria, magna ejus commendatio.

* Cantic. 7.

CAPUT PRIMUM.

De principio Ordinis.

1192. DE Ordine Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de monte Carmelo, auxiliante Dominô, tractaturi, ab illo differendi sumamus exordium, qui ejusdem Religionis obtinet principatum. Tunc enim jucunda poterit esse lectori sacratissimi Ordinis hujus cognitio, si eum instituentis non lateat celsitudo. Enimverò singuli Ordines suos habent præceptores, & principes, fundatores, & vivendi sub Regulâ Moderatores. Alij Basilium sui Ordinis habuëre principem, alij Augustinum, alij Pachomium, nos Benedictum, Prædicatores S. Dominicum, Fratres Minores Franciscum. At hujus sacratissimi Ordinis institutor fuisse Elias Propheta maximus dicitur, principes Filij Prophetarum ex veteri Testamento memorantur; cujus propagator sanctus Propheta Eliseus extitit; quem sacratissima Dei Genitrix Virgo Maria suo vocabulo insignitum ab æmulorum invidiâ defendit.

* 1. Cor. 1. fendit. * *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ordinis sui Principes unusquisque imitari pro posse desideret; suos institutores moribus quisque sequatur, non frivolis sermonibus. Nemo in Ecclesiâ Dei de Ordinis sui excellentiâ contendat, nemo æmulationis studiô alium provocet, nemo alteri detrahat, nemo famam alterius, elationis malô corrumpat. Stultum est de alterius sanctitate gloriam quærere, & de alienâ potiùs quàm sua virtute præmium exspectare. Sunt nonnulli bonorum studiis invidi, qui sacrum Carmelitarum Ordinem impiô dente corrodunt, & lacerant; *qui de prærogativâ Virginei tituli plurimùm indignantur, Carmelitas velut indignos judicantes, qui Fratres Beatissimæ Dei Genitricis, & Matris appellentur. Alij antiquitatem hujus sacratissimæ Religionis ignorantes, Prophetas Dei summi, illius negant Fundatores extitisse, & Principes: tanquam apud Veteres nulla fuerit Religio, quæ in posteris cum Ordinis nomine derivetur. Et horum imprimis, favente Virgine Maria, sermones obstruendi sunt: & sic demùm ad laudem Ordinis continuanda oratio. Nisi enim in principio falsæ opiniones stultorum elisæ fuerint, semper nobis quasi quidam latrunculi parabunt insidias. Nunc ergo quid nobis, stolide laudator tui, opponis? Quid Ordini sancto imponis? Quid habes contra Religionem hanc, unde moveri queas? Profer, ut audiamus. Putasne justè indignaris Fratribus Carmelitis, famulis Genetricis Dei Mariæ? quid est, quòd tibi in eorum Ordine displicet? Genus, an species? Nomen, an Virtus? Vita, an Meritum? Si Genus, audi scripturam: *Dei enim & genus sumus.* Vos, inquit, Archi-Apostolus: *Genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Dei plantatio est, cave ne quid contra sanctos asperè loquaris. Elegit sibi Deus Ordinem Carmelitarum ob suum, Matrisque honorem: qui tibi si displicet, omnipotentis ordinationem impugnas. Si species displicet, audi quid Dominus dicat: * *Species agri mecum est.* Hic est ager, cui benedixit Dominus, in quo crescunt virtutum lilia, & flores pietatis. Huic agro tam sancto, tam fructifero, tamque Deo dilecto, nemo benedictus maledicere potest. Si Nomen, virgineo trophæo splendidum, displicet, stultus es; qui rerum majestate pôsthabitâ de vocabulo altercaris. Nomen benedictum Carmelitæ possident, cui qui maledixerit, maledictionibus subjacebit. Si virtus Fratrum te ad æmulationem * promovet, invidus es, qui alterius bonitate torqueris. Deniq; qui virtutē odit in proximo, injuriam facit Deo, qui merita largitur, & præmia. Si autem vita Carmelitarum tibi displicet, dic quorum; Quorumdam, an omnium? si omnium, temerarius es, qui tot fratres unâ sententiâ condemnas, à quorum sanctâ conversatione tu quoque adhuc procul distas. Omnibus enim historias veterum legentibus perspicuum est, quàm multi sanctissimi viri in hoc Ordine claruerunt. Nec dubium est hodie complures devotissimos Fratres inveniri, qui Ordinem istum suis virtutibus gloriosissimè illustrant. Si verò quorumdam Fratrum infirmitas te scandalizat, impius es; qui culpam paucorum diffundis in omnes, teque longè à perfectione sanctorum jacere indicas; dum aliorum defectus impatientèr portas.

Detractores Ordinis Carmelit.

* *De detractionibus Ordinis hujus vide supra num. 644. & seq. 718. 847. 848. & seq.*

Invectiva in detractores Ordinis Car.

Act. 17.

1. Petri 2.

* *Al. Pulchritudo. Psal. 49.*

* *Al. Permovet.*

1193. Sed scio, quamobrem contra sanctum Ordinem Carmelitarum movearis. Duo sunt, quæ tibi in eo displicent: quorum alterum est, quòd se *Fratres B. Mariæ semper Virginis* appellant: alterum, quod Eliam, & Filios Prophetarum Ordinis sui Fundatores, & Principes prædicant. Hæc sunt capita partis adversæ, hæc sunt fundamenta commotionis alienæ. Sed, o stulta humanæ conditionis præsumptio, quæ in suæ humilitatis consideratione non potest tranquilla consistere, sed semper nititur sui comparem æmulationis pravę studiô superare. Cur invides Fratribus Carmelitis Ordinis sui titulum, quem eis contulit Regina Cœlorum? Enimverò, si Domina mundi se Carmelitis * sororem exhibere voluit, quis ei contradicere potest? An non licet ei quod vult facere? an oculus tuus nequam est, quia ipsa bona est? noli turbari, noli irasci, noli frendere dentibus; nemo Reginam cœli prohibere potest, quò minùs Carmelitas suos Fratres appellet, & filios. Non frivola loquor, non falsa; cùm (a) summi Pontifices Romani, Petri Successores, Carmelitas non alitèr appellare consueverint, quam *Fratres Dei Genitricis.* * Revolve generalium conciliorum acta, & Bullas Apostolicas, & numquam præter honorem Mariani tituli Carmelitas appellatos invenies. An hoc tibi parum esse videtur, & majus à me testimonium requiris? Non est majus testimonium Ecclesiâ Dei; quoniam quidquid approbaverit illa, alterius testimoniô non amplius indigebit. Quòd si te quoque hujus excellentia tituli delectat, quid sanctis fratribus indignaris? Assume, ostenta, prædica: ipsi te minimè prohibebunt illæsi. Verumtamen scias, quoniam quidquid assumitur, proprium non putatur. Fac opera sororis, & frater eris.

Detractionis, & æmulationis adversus Carmeli Ordinem quæ causa præcipua.

* *Vide sup. n. 246. & 249.*

(a)

* *Vide supra nu. 529. & seq.*

Sanctissima etenim Dei Parens Virgo Maria, communis fidelium Mater est; nullum penitùs aspernatur devotum. Age, itàque, ut libet: soli Fratres Carmelitici Ordinis hunc virginei Patronatûs titulum authoritate universalis Ecclesiæ meruerunt, quem nullâ umquam æmulatione amittent. Quamobrem verò *Fratres B. Mariæ semper Virginis* appellati sint, suô locô consequentèr tractabimus. * Ad secundam calumniatoris positionem nunc respondendum est, quâ fratres Carmelitas de Eliæ, ac Prophetarum successione imprudentèr exasperat.

* *Infra cap. 7.*

ANNOT. (a) Summi Pontifices Romani non aliter Carmelitas appellare consueverunt quàm Fratres Dei Genitricis. *Inspicienti Bullarium Ordinis hujus propatulum erit, sic passim Pontifices nuncupare Ordinis hujus Religiosos. Vide supra parte 1. libro 10. cap. 1. 2. 3. & 4. & in Appendice num. 527 529. & seq. Rationes nomenclaturæ illius habes in antecedentibus num. 238. & seq. 529. & seq. & alibi sæpè.*

CAPUT II.

Quemadmodùm Elias Propheta Domini Fundator extiterit Ordinis Carmelitarum.

1194. (a) ELias Propheta Domini eximius rectè & catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur, si ejus facta ex Regum voluminibus absque invidiâ discutiantur. Enimverò ipse montem Carmeli primus inhabitasse legitur, à quo Fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quòd istius observantiæ Princeps Elias habeatur: à loco videlicet, ab habitu, & conversatione. Cùm ergo nomen Ordinis à loco sumitur, meritò Carmelitarum Princeps Elias memoratur, * quòd mons Carmelus, cujus ille habitator extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonijs Scripturarum comprobata profero, cum Eliam Prophetam eundem locum longè ante Christi nativitatem inhabitasse dico, qui Fratribus Carmelitis Religionis suæ nomen dedit, & exordium. Denique, si veterum testimonijs credendum est, post Eliæ raptum, & mortem Elisæi, filij Prophetarum per successionem generationis montem Carmeli inhabitantes, claris vacuum numquam sinebant esse cultoribus. Allegationes testimoniorum super his, doctis viris non sunt necessariæ, indoctis autem superfluæ. Stultum est enim tempus allegationibus insumere cùm ea quæ dicuntur, nemo doctus debeat ignorare. Verumtamen, ne videar quæsisse subterfugium, dubitanti subjectos voco in testimonium. Sanctissimus ille Patriarcha Jerosolymorum Joannes, qui claruit temporibus * Adriani Papæ I. quid aliud in libro suo de principio, & profectu hujus Ordinis exprimit, nisi quòd Elias Fundator ejus fuit? Cyrillus Græcus, Wilhelmus de * Samuco, Sibertus de Beka, Philippus Ribott, Joannes Grossi, Joannes Bachonis, viri doctissimi, atque integerrimi, quid aliud scribunt de hoc Ordine quàm quòd ab Elia exordium sumpserit? si nobis in his, quæ de hoc Ordine scribimus, fidem adhibere dissimulas, ad scripta prædictorum Patrum recurras, & nos falsitatis arguere non poteris. Consentit ergò nomen loci, ut Elias Fundator sit Ordinis Carmelitici. Vndè non sunt vituperandi Fratres hujus sacratæ Religionis, quòd Eliam, & filios Prophetarum sui Ordinis Fundatores & Principes asseverent. Quantùm verò ad rationem habitûs pertinet, in Eliam Ordo Carmelitarum pulchrâ transfiguratione consentit. Legimus ipsum amictum fuisse palliô, quô tangente Jordanis obstupuit, & se pedibus transeuntis calcabilem dedit. Sic Elisæus, sic filij Prophetarum imitatores Eliæ facti sunt, qui non solùm ei loco, sed & habitu similes permanserunt. Quòd si nobis de colore puras inferre calumniam, quamquàm sit vile argumentum, quòd de invisis coloribus disputat, ad veterum historias te vocamus, quibus in primitivâ Ecclesiâ fratres Carmelitæ instar Eliæ leguntur fuisse induti. Nec te offendat mutatio coloris, cùm non sit de substantiâ Ordinis. Potest enim mutari habitus, integritate Ordinis permanente. Sic etenim Cistercienses griseum habitum commutantes, nigrum assumpserunt, religione pristinâ nihilhominus perseverante.

(a) *S. Elias Propheta Fundator Ord. Carmelit.*

Id triplici ratione confirmatur.

* al. quia

Successio generationis spiritualis posterorum S. Eliæ in Carmelo

* leg. *Innocentij Papæ I.*

Libri istorũ habentur in parte prima Speculi hujus & in hac 2.

* al Sanvico.

De habitu hujus Ordinis specialiter actum est parte 1. libro 7. per totum.

1195. Ratione autẽ conversationis Elias Fundator Ordinis Carmelitarum extitit, qui eos in monte Carmeli sanctis moribus præcessit. Quid fecit Elias, quòd fratres Carmelitæ pro posse non imitentur? incoluit ille eremum, vasta solitudinis dilexit, soli Deo, & sibi vacavit. At Fratres Carmelitæ ab exordio suæ institutionis vitam solitariam in monte Carmelo duxerunt, soli Deo vacare per contemplationis secretum eligentes, donec tandem novissimis penè temporibus Saracenorũ persecutione de eremo expulsi, jubente Sede Apostolicâ in urbibus sunt locati. Vndè & antiquitùs *Eremitæ montis Carmeli* vocabantur. Insuper sicut Elias Dei voluntatem annunciavit, tyrannos arguit, impios trucidavit: sic fratres Carmelitæ, quantum ad eos pertinet, verbum Dei omnibus prædicant, tyrannos arguunt, impios carnalium desideriorum motus per monita salutis in se, & in alijs Dei virtute occidunt. Elias virgo mente, & corpore nullius corporei coitûs maculâ invenitur fuisse permixtus; sed tantâ puritate coràm Deo, & hominibus emicuit, ut mortem jam per annos bis mille quadringentos triginta differre meruerit. Fratres autẽ Carmelitæ, sancti Principis exemplô instructi, ad perpetuam se castitatem votô Religionis obligant: non nubent neque nubentur: Ecclesiam Dei vitâ & doctrinâ ædificant: fugatis, quantũ permittit humana fragilitas, vitijs in se & in alijs virtutes plantant. Et quamquàm non sit eis possibile Eliam in omnibus imitari, tamen si parilitas conversationis rectâ lance attenditur, Elias Carmelita primus, & optimus fuisse comprobatur.

Conversatio Eliæ exemplar conversationis Carmelitarum.

Elias virgo mente & corpore.

1196. Quid nobis jam æmulatio prava obijcies, quid Eliam Carmelitam extitisse neges? Si dicas: Eliam Ordinis Carmelitarũ idcirco non extitisse Principem, & Fundatorem, quia Regulam eorum non sit professus, non magnoperè advertimus. Quid enim, si Regulam eorum non habuit, qui ante Regulam fuit? bene, inquis. Si ante Regulam fuit, Ordinis Carmelitarum Fundator quomodò extitit? Fundator enim Ordinis esse non potuit, si regulam non dedit. Sed non est vera conclusio, quam contraria multorum consuetudo infringit. S. Dominicus Ordinem Prædicatorum instituit, & tamen Regulam Augustini non dedit, sed accepit. Sic Ordo Cisterciensis, sic Carthusiensis, sic cæteri pænè innumerabiles, Principes suæ institutionis alios habuerunt, atque alios Regulæ datores. Sed ne causeris Eliam præcessisse Regulam Carmelitarum, & ideò non potuisse Ordinis esse Fundatorem, noveris plures in Ecclesiâ Dei olim sine certâ Regulâ Ordines extitisse, qui successu temporis Regulam assumpserunt. Multis enim annis Ordo

De Regula hujus Ordinis vide parte prima libro 8. cap 1. &

Fundatores Ordinum plures regulam non scripserunt.

Ordo S. Hieronymi in Ecclesia Christi viguit qui tamen Hieronymi Regulam non accepit, (b) donec frater (b) Lupus * Oliveti Hispanus, ejusdem Ordinis Generalis, tandem sub Martino Papa quinto ex varijs ejusdem patris dictis novam Regulam comportavit. Denique multos Ordines sub quorumdam sanctorum titulis esse cognovimus: de quorum Regulâ nihil invenimus. Sed de his hactenùs, maximum Elianæ institutionis argumentum est, testimonium antiquitatis, multis veterum scriptis celebratum. Fratres enim Carmelitæ priùs extiterunt, quàm regula; quoniam (c) exemplô Eliæ, & Prophetarum ipsi sibimet vivendi Regula fuerunt. Lege vitam Eliæ, & filiorum Prophetarum, & invenies illos ante Regulam, regularitèr vixisse. Nec refert, si & alios quoque Religiosos, ea facere dixeris, quæ Carmelitas exemplô Eliæ facere diximus; quia etsi moribus Eliam cæteri pro posse sequantur, tamen soli Carmelitæ non solùm moribus, sed & habitu, & loci vocabulô ipsum imitantur.

* al. Olmeti,

(c)

1197. (d) Legimus (d) in historijs, quòd Sabacha pater Eliæ, nondùm nati, viderit in somnis viros candidatos salutantes eum: per quos rectè Fratres Carmelitas accipimus, quos habitu, & conversatione candidos esse cognoscimus. Hi genitorem Eliæ Sabacham salutant, quia illius exemplô inhærentes, quasi fratres ejus se exhibent, dum Sabacham, qui interpretatur reticulum, candidis moribus salutant. Quid autem aliud per Sabacham patrem Eliæ intelligitur quàm reticulum sanctæ Religionis Carmelitiçæ, in quâ multi salvandi capiuntur? (e) à tempore siquidem Eliæ, & Elisei Prophetarum Dei, usque ad Christi nativitatem plures montem Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur. Nam post passionem Domini prædicantibus fidem Apostolis, inter multos qui tunc convertebantur, etiam Carmeli montis Eremitæ conversi sunt, qui deindè crescente (f) numero fidelium in (f) Carmeli montis latere, in honorem Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Capellam exstruxerunt, undè & vocabulum loci, & Religionis recipere meruerunt.

Sabacha patris Eliæ visio mirabilis

(e)

à tempore Eliæ ad Christum semper Religiosi in Carmelo.

1198. Nec mireris, si etiam monachos ante Christi nativitatem in Israël fuisse dixerim, qui mōtem Carmelum, & deserta solitudinis inhabitarunt: quandoquidem & apud Gentiles in Galliâ nostrâ Belgicâ Monachatus celebris fuit, cujus professores antiquitas *Druides* (g) appellavit. Horum in urbibus, & villulis aliqui morabantur, aliqui montes, sylvasque inhabitabant, omnes de scientiâ rerum naturalium philosophabantur. Erant in maximâ authoritate populi, ad quorum omnia nutum gerebantur. Vita illis abstracta, & continentissima fuit, adeò ut nemo sinistrè loqui aliquid de ipsis præsumeret. Potestatem habebant excommunicandi rebelles, & rursùm absolvendi obedientes. Omnimodâ quoque immunitate gaudebant. Cæterùm, ne multis agam, qualis istorum conversatio fuerit, Cæsar in commentarijs expressit. Nam præter fidem, & unius Dei notitiam, actione so monachos exhibebant. Si Druides ante nativitatem Christi Gentiles solitariam, ac monasticam vitam egerunt, quid mirum si ex Judea fideles montis Carmeli Eremitæ fuerunt?

Druides in Gallia vitam monasticam egerunt ante Christi nativitatem.

(g)

1199. Denique (h) si de monachis, qui ante Christi nativitatem in Judæa floruerunt, altiora scire desideras; historias Philonis Alexandrini, & Josephi Jerosolymitani Judæorum legas: & quales eo tempore fuerint invenies.

(h)

Philo, & Iosephus Iudei scriptores de Essenis Monachis.

ANNOT. (a) Elias Propheta Domini eximius rectè, & catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur. *Id parte prima libro* . 2. 3. *&* 4. *satis est declaratum, & in sequentibus confirmabitur, præcipuè in Synopsi prima sequenti.*

(b) Fr. Lupus . . . novam regulam comportavit. *Conformiter scribit Antonius Possevinus in apparatu litterâ L. ubi ista*: Lupus de * Oliveto, Hispanus Ordinis D. Hieronymi Psior Generalis, B. autem Vincentij Ferrerij Valentini, & Ord Præd Frater, Regulam Ord. sui condidit. *Addit* eum vixisse anno 1420. *&* obijsse Romæ, *&* in Epitaphio nuncupari PRÆPOSITVM. *Verumtamen R. P. Michael Palain, in* Tractatu Appendicio (*post* tomum primum Commentariorum in Evangelia) *de* Ioanne Cassiano *variorum autoritatibus adstruit*: Redivivam S. Hieronymi Religionem in Hispania, approbatamque à Gregorio XI. accepisse Regulam S. Augustini: Regulam autem, quam ex S. Hieronymi operibus concinnaverat B. Lupus de Olmeto, non fuisse admissam in Hispania *Vt ut sit, equidem subsistit veritas ejus, quod asserit Trithemius* Fundatores plures Ordinum Regulam non scripsisse, aut non dedisse: *nec S. Hieronymus Ordini à se denominato Regulam S. Augustini, aut aliam dedit.*

(c) Exemplo Eliæ & Prophetarum ipsi sibimet vivendi Regula fuerunt. *Quòd & quomodo exemplum S. Eliæ Carmelitis vitæ norma fuerit, & de triplici Ordinis hujus Regula accuratè actum est parte* 1. *libro* 8. *cap.* 1. *& seq.*

(d) Legimus in historijs, quòd Sabacha pater Eliæ. *De Sabacha Patre Eliæ, & visione virorum candidatorum ei apparentium ante filij sui nativitatem scribunt, S. Epiphanius, Dorotheus, S. Isidorus, Ioannes Ierosolymitanus, Magister Historiæ scholasticæ, atque alij plures relati à Lezana tomo* 1. *Annalium Carmelit. ad annum mundi* 3123. *ante Christum* 930. *num.* 7. *Vide plura de istis parte prima libro* 7. *cap* 5 *& ibi in notis.*

(e) A tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum Dei, usque ad Christi nativitatem plures montem Carmelum amore solitudinis incoluerunt. *Circa hoc vide parte prima libro* 3. *cap.* 5. *& sæpè alibi eadem tradita. De transitu Ordinis hujus à veteri lege ad novam, & conversione Filiorum Prophetarum ad Christi fidem tractatum est eadem parte prima libro* 5. *per totum.*

(f) In Carmeli montis latere in honorem Dei Genitricis, & Virginis Mariæ capellam extruxerunt. *De ista capella, quandò & quô locô constructa, & de nomenclatura Ordinis ab ea, vide parte prima libro* 6. *cap.* 5. *& ibi in Notis & sæpè alibi.*

1200. (g) Druides. *Cæsar de illis scribit libro* 6. *de bello Gallico. Refert Lyræus* (*ex Nicolao Naucelio,*) *in Parecbasi de mirabili nativitat. Christi cap.* 11. Quod eorum doctrinâ imbutus Comes Carnutensis, nomine Prisçus, statuam erexerit Virginis matris puerum in sinu gestantis, eidemque Virgini pariturae templum consecraverit longè ante Christi adventum. *Porrò Druides non idololatras, sed multorum orthodoxæ fidei mysteriorum notitia illustratos ante Evangelium, vitam solitariam, & Religiosam ex instituto, seu ad imitationem Essenorum, & Pythagoricorum egisse, pluribus ostendit R. P. Matthias à S. Ioanne Tomo* 1. *historia Panegyrica Ordinis Carmelit. R. P. Philippus à SS. Trinitate Generalis Carmelitarum Discalceatorum in historia Ordinis Carmelitani libro* 1. *cap.* 1. *refert, ipsos in caverna subterranea sacellum, & altare Virgini pariture dicatum habuisse. Ibidem demonstrat idem Author istos fuisse Essenos, aut Essenorum Sobolem: & ex traditione à primis Prophetæ Eliæ discipulis instructos fuisse de Virgine Deum paritura, quam propterea venerabantur.*

Lyræus in Trisagio mariano lib. 1. sono 36.

Druides cultui Virginis pariture addicti.

An veram fidem habuerint.

Idem

Idem in Theologia Carmelitana quæstione 8. artic. 6 per totum de iisdem accuratè disserit, & variorum authoritatibus confirmat, quod Druidæ Galli viuerent in communitate, rebus sacris potissimum occupati, regulares Essenorum observantias imitati, palliô candidô amicti, & cultui Virginis pariture addicti *Ibidem satisfacit obiectionibus quorumdam existimantium ipsos fuisse idololatras, & superstitiosos.*

(h) Si de Monachis, qui ante Christi nativitatem in Iudæa floruerunt &c. Historias Philonis, & Iosephi Judeorum legas. *Videlicet vbi scribunt* de Essenis, *seu* Essæis: *quos orthodoxæ fidei, Religiosos seu Monachos, & SS. Prophetarum* Eliæ, *ac Elisei sequaces, & posteros, eiusdemque instituti continuatores fuisse, Patrum, Doctorum, & Historicorum authoritatibus diffusè declaratur tomo 1. & 2. Annalium Carmelitarum vtrobique tam in Apparatu quam in decursu Operis: quærentem instruet Index rerum, verbo* Esseni. *Vide quædam ad hoc* propositum hic suprà *num.* 959. *& plura in* Synopsi secunda *hic infrà, præsertim Scuto VII. & in parte 3. in libro Arnoldi Bostii* de Patronatu &c. *cap. 3. per totum.*

CAPVT. III.

De conversatione Filiorum Prophetarum, aliorumque Eremitarum ante Nativitatem Christi in monte Carmelo.

(a) 1201. LEgimus (a) in historijs veterum, primùm Samuelem conventum instituisse Prophetarum, quem & *Cuneum* appellabant. Deindè translato Eliâ per aëra, eius duplex in Elisæo spiritus quieuit; qui & ipse cum filijs Prophetarum montem Carmelum temporibus certis incoluit, & viuere ad normam Eliæ summoperè curavit. Ex his quidem multi suis nominibus per Patres recensentur, de quibus nostrum iudicium non inconsultè suspendimus, eorumdem testimoniô contenti. Hinc de monachorum institutione dicit Hieronymus:* *Noster Princeps Elias est, Dux noster Eliseus, & filij Prophetarum, qui in agris, & solitudine habitantes, habitacula sibi construebant iuxta fluenta Iordanis.* Erant isti viri multarum virtutum, charitate maximi, devotione & integritate summi, qui in contemplatione Dei suspensi, mundum cum voluptatibus suis contempserunt. De quibus veraciter dicit Apostolus:* *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ, qui per fidem regna vicerunt: operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Isti sunt viri fortes, atque prudentes, qui monasticæ conuersationis fundamenta iecerunt, qui post Eliam montem Carmeli inhabitantes, se habitu, & conversatione Deo dignos exhibuerunt. Ab his Ordo Carmelitarum initium sumpsit, & vocabulum: Ipsi enim Ordinis Carmelitici conversationem legis tempore servaverunt, à quibus nostri Carmelitæ sub gratiâ & nomen acceperunt & Ordinem. Nihil in his omnibus nisi tempus discrepat (b) meritò vnus Ordo Carmelitarum & Eremitarum sub lege & gratiâ dicitur, qui Vnius Dei fide, & cultu coniungitur. Neque autem ceteris Ordinibus titulus Elianus convenit, cui etsi conversatio vitæ congruat, tamen nomen loci non concordat. Antiquissimus ergo omnium Ordinum in Ecclesiâ Dei Carmeliticus est, à quo ceteri Ordines principium, & formam suæ institutionis acceperunt.

* *ad Paulinum. de institutione Monach.*

Successio discipulorum S. Eliæ.

* *Ad Hebr. 11. v. 37.*

(b) *Ordo Carmeli sub lege, & gratia vnus, & idem*

1202. Enim verò, (c) quantum attinet ad authoritatem veterum scripturarum, Monastici propositi princeps fuit Elias, & discipuli eius: qui relictis vrbibus sibi casulas* iuxta Iordanis fluenta in deserto construxerunt. Huius sub gratiâ propositi primus Baptista Ioannes extitit, qui à teneris annis solitudinem deserti inhabitavit. (d) Nec putes Sanctos Prophetas Domini, boni solitudinis ignorasse magnitudinem, cum non fuerit minimus eorum qui dixit:* *Bonum est homini, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit: quia leuabit se supra se.* Sciebant viri sanctissimi, divinô spiritu illustrati, solitariæ vitæ vtilitatem & idcirco ante legislationem operibus impenderunt, quod demùm sub regula constituti Carmelitæ pro posse imitantur. Et quamuis Elias Carmelitis regulam scriptam non dederit, eis tamen exemplo sanctæ conuersationis viuendi norma fuit, quibus post se, & locum, & habitum concessit.

(c) *Scriptura S. Authoritate probatur Elias Monachus, & Monastices Princeps*

* *Al. circa.*

(d)

* *Thren. 3. v. 27.*

Ipse & discipuli Monastices essentiam, & substantiam noverunt.

1203. ANNOT. (a) Legimus in historiis . . . Samuelē Convētum instituisse Prophetarum. *Id qualiter acciderit, & de differentia Instituti Prophetici per Samuelem inchoati ab eo, quod postmodùm magnus Propheta Elias inchoavit, actum est in antecedentibus num. 761. 762.*

(b) Meritò vnus Ordo Carmelitarum, & Eremitarum sub lege, & gratia dicitur *Id declaratum est in parte prima libro 5. cap. 1. & ibi in Notis.*

(c) Quantùm attinet ad authoritatem veterum Scripturarum, Monastici propositi Princeps fuit Elias, & discipuli eius: *Vide plura ad hoc propositum parte 1. libro 1. cap. 2. & seq. & libro 2. cap. 1. & 8. & in Synopsi prima sequenti.*

(d) Nec putes SS. Prophetas Domini, boni solitudinis ignorasse magnitudinem . . . Sciebant viri sanctissimi Divino spiritu illustrati, solitariæ vitæ vtilitatem, & idcirco &c. *plenius id expenditur à Ioanne Carthagena, & aliis hic infrà in Synopsi prima, & in Synopsi 2. Scuto primo, & sexto.*

(e) Exemplo, conversationis vivendi norma fuit. *Vide parte 1. num. 85. & seq. & 294.*

CAPVT IV.

Quandò, & quemadmodùm data sit Regula Fratribus in monte Carmelo degentibus.

1204. (a) SAncti etenim Patres, qui in monte Carmelo iuxta fontem Eliæ ante Christi Nativitatem habitabant, Regulam conscriptam habuisse non leguntur, sed ipsi norma, & Regula sibi fuerunt, qui exemplo Eliæ concorditer vivebant. Deindè post passionem Domini, multiplicatâ per Iudæam fide Christianâ, hi qui in monte Carmelo vitam imitatione Eliæ ducebant Eremiticam, secundùm Evangelium Christi vivere cæperunt, sicut in Actibus Apostolorum scrip-

(a) *Exemplum Eliæ, Regula & vita norma degentibus in Carmelo.*

In lege nova etiam Evangelium Regula est.

* Act. 1. v. 14. scriptum est: * *Erant unanimitèr in oratione perseverantes, & erat illis cor unum, & anima una: nec quisquam inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia.* Hæc est vita Apostolica, quam Fratres Carmelitæ in primitivâ Ecclesiâ studiosissimè observabant, Regulam super his Euangelicam in cordibus suis habentes conscriptam.

1205. Successu verò temporis, cùm homines paulatim inciperent ab Apostolicâ vitâ recedere, & proprium sibi quisque possidere; timentes zelosi montis Carmeli habitatores, ne & ipsorum sancta conversatio per successum temporis deficeret, de remedio imposterùm cœperunt cogitare. Regulam ergo non propter se, sed posteritatem postulabant, scientes Ordinem suum jam deinceps non satis tutum existere, nisi per Regulam confirmetur. Et reverà, nisi hodie approbatâ Carmelitæ haberent Regulam, nescio si subsisterent. Regula enim sola est, quæ Ordinem præcedentium, posteritati commendat. Tempore pacis, belli sumptus parandi sunt, ne adversitas offendat imparatos. Nam si Fratres montis Carmeli non accepissent Regulam tempore pacis, ubi de Judæa tandem per Saracenos expulsi manere potuissent? Anno igitur Domini * MCXCIX. S. Brocardus Prior montis Carmeli Regulam ab Alberto Jerosolymorum Patriarchâ obtinuit, quam suæ posteritati observandam commendavit. Nec æstimandi sunt Fratres Carmelitæ eatenùs irregularitèr vixisse, qui ex sanctâ conversatione consuetudinem in Regulam commutarunt. Non enim necessaria est regula perfectis, sed infirmis.

* Lege MCCIX. aut MCCV Vide sup. n. 316.

ANNOT. (a) SS. Patres, qui in monte Carmelo, juxtà fontem Eliæ, ante Christi nativitatem habitabant ...., norma, & regula sibi fuerant, qui exemplo Eliæ concorditer vivebant. *De Regula Ordinis hujus in Carmelo, tempore veteris Legis, & nova observata, triplici quo-ad accidentalia, eadem in substantia plura, videri poterunt in parte prima libro 8. cap. 1. & seq. ac inibi in Notis: & in Thoma Bradleyo hic ante num.* 836. & 837. *Tunc S. Elias (eadem est ratio S. Antonij respectu suorum Monachorum) fuit Regula, seu* lex viva, & animata. *Sicut pleniùs declarabitur hic infra.* In Synopsi 2. Scuto XI.

CAPUT V.

De confirmatione, & approbatione Ordinis Carmelitarum.

1206. SEd invido dente bonos lacerare non cessat perversus, dum alitèr sibi probitatis famam non potest acquirere, nisi famæ insidietur alienæ. Quantò enim crescunt bonorum studia, tantò & invidia pravorum sævitura crescit. Enimverò, quamquàm sacrum Carmelitarum Ordinem vetustas ipsa comprobaverit, quamquàm multorum Fratrum sanctitate sublimatus ab initio fuerit, nequaquàm tamen pravorum contra eum persecutio quievit. Dicebant ergo Fratribus sanctis detractores iniqui: Non est Ordo vester in Ecclesiâ Dei stabilis, quem sancta Sedes Apostolica non probavit. Hinc orta sunt scandala, hinc seditiones in populo surrexerunt, dum perversi homines sanctum Ordinem delere fundiùs moliuntur. O stulta hominum abusio, ut quod Euangelium Christi approbat, humanâ confirmatione existiment indigere.

Persecutio adversùs Ordinem.

Quem aliqui delere moliuntur.

1207. Dic mihi, detractor bonorum, legistine Bullas veterum Ordines approbantes? Quis Papa confirmavit veteres Ordines Pachomij, Basilij, Augustini, & Benedicti? nusquam invenies, hos Ordines libris confirmatos à principio. Enimverò quos sanctitas multorum approbat, quos longa vetustas confirmat, quis, nisi mentis inops, & stolidus infringat? si Ordines præfatos sancta confirmat antiquitas; Ordo Fratrum Carmelitarum, qui antiquissimus est, nullius confirmatione opus habet. Longè enim præcessit Romanos Pontifices, qui ex Elia Propheta exordium sumpsit. Hæc dixerim, non quòd Ordo Carmelitarum Apostolicô careat munimine, sed ut æmulos odiô motos ostenderem, non ratione integritatis. Nam posteàquam Fratres hujus Religionis in Europam venerunt, expulsi de Palæstina, (a) multi summi Pontifices Ordinem (a) ipsum confirmarunt, de quibus Alexander Papa III. unus extitit, post quem Innocentius III. idem fecit: amborumque vestigiis inhærens Honorius III. multis adjunctis privilegiis, & Ordinem, & Regulam denuò comprobavit. Sed de his admodùm satis dictum sit; quia etsi nos privilegia Carmelitici Ordinis non penitùs lateant, tamen nostri non est propositi, in lucem ea traducere. Hoc æmulis velim sufficiat, Ordinem hunc semper probatum extitisse ab initio, & deinceps stabilem mansurum.

Alexander Papa III. Innoc. III. & alij Ordinem confirmarunt.

1208. ANNOT. (a) Multi Summi Pontifices Ordinem ipsum confirmarunt, de quibus Alexander Papa III. unus extitit. *De varia Ordinis hujus approbatione actum est parte 1. libro 10. & in parte 2. in plerisque libris. Quo-ad Alexandrum III. sic de eo Bellarminus in sua Chronologia adjuncta libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad annum Christi* 1180 Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro tertio anno 1180. Item ab Innocentio tertio anno 1199. Item ab Honorio tertio. *Plura circà hac videri poterunt* in Annalibus Ordinis tomo 4. *ad præfatos annos.*

CAPUT VI.

De mutatione superioris habitûs Fratrum.

1209. QUemadmodùm in superioribus jam diximus, Fratres Carmelitæ suos Principes non solùm moribus, sed & habitu, pro suâ possibilitate, imitantur. Eliam verò palliô indutum fuisse sacra demonstrat historia, quô, transeunte Dominô, vultum suum operuit, & tangens eô Jordanem calcabilem fecit. Denique cùm Eliseum vocaret, pallium super eum misisse legitur, quô etiam donavit eundem, dum ipse per aëra raperetur. Erat autem pallium (si veterum scriptis adhibetur fides) rotundum, totum corpus à collo usque ad medias tibias cooperiens, angustum superiùs, & inferiùs latum, ac in anteriori parte

Pallio albo usus Elias.

Et Eliseum, ac Filios Prophetarum.

apertum. Color autem ipsius Habitûs albus fuisse dicitur, per quem interior fratrum munditia, & puritas designatur. Tali Eliam palliô amictum fuisse tradunt, tali habitu incessisse Eliseum, & Filios Prophetarum. Si quis verò hanc habitûs Eliæ descriptionem contendat esse apocrypham, nullam per hoc injuriam nobis fecerit, qui nostram opinionem non scribimus, sed præcedentium Patrum. Cappa enim Ordinem non facit, sed observantia pietatis. Nam quod antiqui Monachi, etiam unius Ordinis in colore habitûs uniformes aliquandò non fuerint, S. P. Benedictus in suâ Regulâ innuit, qui Monachos de colore vestium causari prohibuit. Hæc dixerim, non quòd album fuisse Eliæ habitum negem, sed ut hæsitantibus occasionem murmurandi contra Ordinem præscindam.

Pallia albacur dimissa, & assumpta barrata.

Vide supra num. 273. & seq.

1210. Post multos verò annos, cum Terra sancta in manus devenisset infidelium, coacti sunt fratres mutare habitum, Saracenis id urgentibus, qui solis Satrapis suis albam portare vestem licere existimabant. Publicô igitur editô Regis fratres montis Carmeli album deponere habitum compulsi sunt, & alium quemlibet assumere. Rejectô itàque necessariò habitu pristinô, cappas virgulatas assumpserunt: qui duplicis coloris, à septem partibus virgulatus extitit, quarum prima circa fissuram anterius alba fuit, & ultima in medio dorsi nigra. Tandem cum post annos non paucos, malitiâ infidelium crescente, de Terra sancta fratres cogerentur recedere, denuò habitum compulsi sunt immutare. Venientes enim, ordinatione divinâ, in Europam, ne populis risum peregrino habitu facerent, veterem habitum resumpserunt, quô usque in hodiernum diem in Ordine utuntur. Deniquè, ne mutatio hæc cuiquam frivola videretur, auctoritate summorum Pontificum mox legitur comprobata.

ANNOT. (a) De mutatione superioris habitûs. *Ea quæ isto capite narrat Trithemius accuratè tractata sunt in parte prima libro 7. per totum: undè habetur, pallium Eliæ albi fuisse coloris: & simili usos fuisse ejus posteros, donec per Saracenos circa annum Christi sexcentesimum trigesimum nonum illud compulsi sunt dimittere, & assumere virgulatum, seu Barratum: cujus loco postmodùm anno 1287. de licentia Sedis Apostolicæ pristinum album resumpserunt.*

CAPUT VII.

Quare Carmelitæ Fratres *dicantur* B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli.

1211. SEd jam quærendum nobis est, quare tot sanctis novis, & antiquis Ordinibus prætermissis, solus Carmelitarum Ordo *B. Dei Genitricis* titulô decoretur; cùm ipsa nec fundatrix illius extiterit, nec aliqua ei similitudine professionis subjecta. Quæ ergo causa fuit, ut Carmelitæ *Fratres B. Mariæ semper Virginis* ab initio dicerentur? Numquid fortuitô casu, aut elatione aliquâ inani factum est? Absit; nam sicut ex veterum lectione didicimus, titulum hunc Carmelitis convenire maximè scimus; quos ab exordio suæ institutionis Dei Genitricem semper in maximo honore, & reverentiâ habuisse non dubitamus. Enimverò non diu post Domini passionem, crescente per Judæam fide Christianâ, fratres montis Carmeli Capellam in ejusdem montis latere in Dei Genitricis honorem construxerunt: eamque in Ordinis sui Advocatam, & Patronam elegerunt, & fratres ejus deinceps appellati sunt. Sicut ergo à Carmelo *Carmelitæ*, ita à Capella quam ædificarunt usque in hodiernum diem *Fratres Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis* appellantur. Et digna quidem Carmelitis denominatio, ut qui Dei Matrem speciali semper amore venerantur, etiam illius sint titulô clariores. Quemadmodùm enim Beatissima Virgo Maria Paradisi nobis aditum prima omnium aperuit, ità Carmelitarum Religio principium, & formam cæteris Ordinibus dedit.

Capella post Christi passionem in Carmelo dicata Virgini Deiparæ.

Quæ hunc Ordinem speciali more prosequitur.

1212. Nec dubium mihi est, quin Dei parens Maria hunc Ordinem speciali favore prosequatur, quem & loco vicinum, & tempore primum sibi, & filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profectò sunt Fratres Carmelitæ sacratissimæ Virginis titulô insigniri, qui ab exordio suæ institutionis ei per humilitatem, & innocentiam suô modô facti sunt proximi, & in obsequio ejus parentelæ singularitèr devoti. Lege, & revolve omnes transacti temporis historias, & nusquam invenies Ordinem Fratrum Carmelitar. in Ecclesia Dei schisma suscitasse, vel scandalum, nec ulla novitate populum fidelem perturbasse, neque de aliqua hæresi umquam fuisse suspectum: semper enim in humilitate, & munditia, moribusque sanctis, & tranquillitate Domino servivit, semper pacificus in Ecclesia fuit, semper suâ innocentiâ contentus extitit. Qui ergo humilitate, & munditiâ Beatissimæ Dei Genitrici semper devotus extitit, ejus titulô congruè sublimatus fuit. Hoc & ipse habitus suâ munditiâ, & puritate indicat, qui Fratres Carmelitas continentiam, & castitatem summoperè observare debere * demonstrat. Et quamvis locus ipse primus, qui nomen dedit Ordini, desolatus jam sit, vocabulum tamen Carmeli Fratribus manet, unà cum patrocinio Dei Genitricis. Nunc ergo satis dictum, probatumque sit de Auctore, & loco Carmelitici Ordinis: persuasumque velim, sit omnibus, illius cultores *Fratres B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli* meritò & esse, & palam prædicari.

* *Al.* manifestat.

ANNOT. (a) Quare Carmelitæ Fratres dicantur B. Mariæ semper Virginis. *Rationes istius Nomenclaturæ alias habes parte prima libro 6. cap. 5. & ibi in Notis, nec non in hujus partis 2. plerisque libris. Illum autem titulum à Summis Pontificibus non modò confirmatum, sed & Indulgentias Christi-fidelibus eò Ordinem, aut Fratres nuncupantibus concessas habetur ex dictis suprà num. 529. & seq.*

CAP. VIII.

CAPVT VIII.

De transmigratione Fratrum Carmelitarum in Europam.

1213. Cùm propter scelera populi, Terra sancta in manus perfidæ gentis Saracenicæ redacta esset(a)an post Domini Passionem sexcentesimo trigesimo nono, fratres * Carmelitæ qui dudùm in urbibus etiam multiplicati habitabant, nimiùm ab infidelibus afflicti, ad Eremum Carmeli montis redire sunt compulsi. Non enim in Civitatibus manêre diutiùs poterant, quos Saraceni in tantùm affligebant, ut nullum eis Deo famulandi tempus quietum relinquerent, ac victui necessaria funditùs negarent. Manserunt itaque Fratres in monte Carmelo solitariam vitam in paupertate non modica ducentes, donec, multis evolutis annis, Terra sancta per Christianos iterùm fuit recuperata, & peregrinis iter ad illam in pace compositum. Facta fuit hæc Terræ sanctæ recuperatio per Ducem Gotfridum anno Domini millesimo nonagesimo nono.

(a) *Historiam habes suprà n. 291.

Carmelitæ in Terra S. ab an. Christi 639. per multa tempora valde afflicti.

Post ann. 1099. respirarunt, refloruerunt, & valdè multiplicati sunt.

1214. Deindè post annos paucos confluentibus undique peregrinis, & maximè de regionibus Europæ(b)numerus Fratrū in monte Carmelo * valdè multiplicatus est, in tantùm, ut præ multitudine montes implerent & urbes. O si tunc Ordinis Carmelitici decorem in sua majestate vidisses! numquam fuisse similem alium exclamares. Erat vidêre delectabile, fratres innumerabiles circà montem Carmelum habitantes in cellulis, & cavernis petrarum, idipsum omninò sapere, Deo maximo diu noctuque quam devotissimè servire, mundum cum suis voluptatibus pro Christi amore contemnere. Summa tunc apud ipsos erat religio, summa regularis vitæ perfectio, cum fratres in carne manentes, carnem ipsam cum vitiis suis fortitèr evicerunt. Floruit in pace Religio, quæ paulò ante turbata perfidorum incursibus deficere putabatur. Venerunt ex omni Europa fratres peregrini, & colla monasticis disciplinis in monte Carmelo humilitèr submiserunt.

(b) * De ista multiplicatione vide sup. n. 402. & seq. 406.

1215. Sed non diu duravit in Terra sancta ista tranquillitas. Mortuo namque Joanne Jerosolymorum Rege, * Terra sancta consueta subsidia habere à Sede Apostolica non potuit, Frederico Imperatore per suam rebellionem summo Pontifici obsistente, donec iterùm à Saracenis capta fuit. Jam verò deinceps Fratres Carmelitæ ab infidelibus tantâ tribulatione afflicti sunt, ut nusquàm tuti ampliùs in Judæa viderentur. Undè(c)anno Domini * millesimo ducentesimo trigesimo octavo, coactô in unum conciliô totius Ordinis in monte Carmelo, multi de Prioris licentiâ, & consiliô fratrum Palæstinam egressi sunt, & cum Regulâ, ordinariô suô, ac statutis, in Europam, undè venerant, reversi. * Venerunt ergo aliqui in Cyprum, alij in Franciam, & Angliam, nonnulli verò in Germaniam, singuli, ubi se locum pro conservando Ordine putabant invenire. Remanserunt autem & plures in monte Carmeli, qui tamen & ipsi per Saracenos brevi post expulsi sunt. O Miseranda sanctissimi Ordinis calamitas, qui penè infinitis pridem filiis exultabat, jam necessitate urgente à fratribus suis deseritur. Quem non, etsi lapideus sit, permolliat ista Carmeli desolatio, quandò non unius tantum montis, sed * multorum monasteriorum per universam Judæam Religio destructa est? sed quemadmodùm locus Eliæ Carmelitarumque salvus persisteret, quandò totus ille conculcatur à gentibus, quem Dominus noster Rex cœli suâ corporali præsentiâ sanctificavit?

Circa an. 1238. valdè angustiati ad varias Europæ regiones transmearunt.

* Vide sup. num. 416.

(c)

Multi tamē adhuc in Carmelo remanebant.

* Vide sup. num. 416. & 417.

Miseranda tunc erat Ordinis calamitas.

* Vide sup. n. 446. & seq.

1216. In Europam itaque venientibus Carmelitis, auctoritate summi Pontificis loca in diversis Regionibus ad manendum disposita sunt; qui statim, licèt cum difficultate, Conventus plures instituerunt. Magna tenebat homines Christi commiseratio fratrum: & quos sedibus suis expulsos condolebant, largâ munificentiâ fovebant. Ex hoc itaque tempore Fratrum Carmelitarum Ordo per universam Europam valdè multiplicatus est, & magnos in Ecclesia Dei fructus suâ conversatione, & doctrinâ attulit, & profert usque in hunc diem.

Hac occasione multiplicatus Ordo per Europam

ANNOT.(a)An post Domini passionem DCXXXIX *De illa Terra sancta desolatione, & Carmelitici Ordinis afflictione per Saracenos plura videri poterunt parte prima lib. 7. cap. 6. & libro 8. cap. 1. ac utrobique in Notis, nec non in Annalibus Ordinis ad illa tempora*

(b) Numerus Fratrum in monte Carmelo valdè multiplicatus est. *De illa Ordinis instauratione, & reflorescentia vide parte 1. libro 8. cap. 1. & libro 9. cap. 1.*

(c)Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo. *Ordinis transmigrationem in Europam & totius Terræ sanctæ per infideles devastationem accuratè describit testis oculatus Gulielmus de Samuco (seu Sanvico) in libro, inserto parti primæ; estque ibi liber ordine nonus.*

CAPVT IX.

De multiplici persecutione hujus sanctissimi Ordinis & ejus contra æmulos victoria.

1217. Crescente itaque per Europam Ordine, & numerô Fratrum multiplicatô, * invidens bonorū studiis Diabolus persequi fratres non cessabat: & quod per se agere non potuit, per malos homines subordinavit. Insuper variis in locis Rectores Ecclesiarum eos in suam potestatem conabantur redigere, & veluti rusticos legibus Parochialibus subjugare, usquè adeò hæc præsumptio invaluit ut Carmelitis interdiceretur publicè, ne mortuos suos sepelirent in Conventibus, nisi Parochialium prius solvissent jura Ecclesiarum. Interdicebant præterea ne quis paupertati fratrum succurreret, quasi non in ædificationem, sed in destructionem fidelium transmigrassent. Conquerebantur fratres Præsulibus; sed frustra: delere Ordinem funditùs cogitabant, sua, non Reipublicę commoda præ oculis habentes. Quid jam facerent fratres tui virgo Domina mundi? quò se verterent undique tribulati? quem calamitatum suarum Advocatum invocarent? invocabant homines,

* Vide sup. num. 442.

Ibi etiam tribulationem magnam subit.

Pp 2

Recurritur precibus ad Patronam Ordinis.

mines, sed non erat qui adjuvaret, singulis sua quærentibus. O quis metus tunc fratres tenebat, cùm se de Judæa expulsos inter Christicolas odio haberi cernerent.

1218. Desolati ab hominibus te Matrem misericordiæ invocabant, spem suam in te totam collocantes. Nec frustra. Quemadmodum enim, cum sis fons pietatis, oblivisci potuisses fratres tuos, filios tuos, viscera tua? Minimè; (a) Vocasti ergo unum ex eis quem cæteri sequebantur ducem, eumque ad sedem direxisti Apostolicam, bonam de rebus confidentiam repromittens; nec vana, sed certa promissio. Direxisti viam Apostoli tui, prævenisti eum in benedictionibus: Vicarium filij tui quid faceret, præmonuisti. O sancta, & verè digna conciliatio, quæ originem non ex hominibus, sed ex Dei ordinatione recepit. Auditis summus Pontifex necessitatibus fratrum, æmulos & detractores eorum * Apostolicâ majestate compescuit, & Ordinis tranquillitati in posterùm largitèr providit. Quid nunc dicis, tortuose coluber, qui sanctum Carmeli Ordinem te posse delere sperabas? ubi est præsumptio tua, quâ religionem Dei Genitrici consecratam conabaris evertere? confusus es, & omnes consiliarij tui Dei virtute humiliati sunt in iniquitatibus suis. Ecce sanctus Ordo contrà omnes Adversarios suos prævaluit, & confortatus est, & unus è quatuor Paradisi fluminibus factus, universam terram aquâ eruditionis irrigat: tu verò cum tuis canibus debitas rependis ultiones. Neque nova est ista perversorum æmulatio; cum ab exordio mundi semper bonos persecuti sint mali, quatenùs per multas tribulationes probentur electi. Sed dùm boni adversitatibus impiorum afflicti proficiunt, semper ad pessima scelerati cadunt.

(a) Illa pro remedio destinat ad Sedem Apostolicam:

Quæ Ordinis æmulos compescuit.

* Vide sup. n. 444.

1219. Tu autem, Carmeli decus, noli deficere, noli à proposito sanctissimæ institutionis cessare; quatenùs ad præparata tibi præmia sine fine queas pertingere. Si mater oblivisci poterit dilecti filij sui, te Regina cœli non poterit deserere. Quod si Mater obliviscatur fructûs uteri sui, tamen Maria Virgo tui non obliviscetur, sed fratres suos dilectos custodiet, & gaudiorum suorum participes constituet. Hoc autem à te necessariò exigitur, ut fratres quos nomine, & habitu tuo foves in gremio, vitâ, & conversatione immaculatos custodias. Nihil enim prodest Dei parentis insigniri vocabulô, si contrariis moribus vitæ conversatio inquinetur. Igitur ut sub titulo Reginæ cœlorum veracitèr fulgeas, ad tria substantialia Religionis observanda professores tuos ante omnia dirigas, sine quorum custodia non salvat monastica professio, sed damnat. Dominus tecum est, quamdiu fueris cum eo. Si verò semitas primę institutionis tuæ contempseris, si vitiis aditum dederis, multis malis, & incommodis subjacebis. Eris in derisum omni populo, & qui modò fulges in gloria, sub improperio, & ignominia confunderis. Cave itàque, ne primam institutionem transgrediaris, neve neglectô Dei cultu post vanitatem ambules.

Maria maternalis affectus ad Ordinem Carmeli.

Exhortatio utilis ad Carmelitas.

1220. ANNOT. *De multiplici persecutione hujus Ordinis, deque singulari SS. Dei Genitricis patrocinio, & Summorum Pontificum favore, protectione, exemptionis, & privilegiorum concessione pleniùs scribitur in libro nono, partis primæ cap 5. & 7. Vide num. 432. & præcipuè 442 & sequentibus. Quoad ista* (a) Vocasti ergo unum ex eis quem cæteri sequebantur ducem; eumque ad Sedem direxisti Apostolicam: *Is erat S. Simon Stock, Ordinis Generalis: cui etiam tunc sæpè, & ferventer oranti, pro aliquo singulari privilegio, & peculiarioris tutela signo; quô sic afflictus Ordo protegeretur, & gratior fieret Christiano populo; eidem S. Simoni tradidit sacrum Scapulare, magnis decoratum privilegiis pro cunctis Carmelitis, & etiam (participativè pro omnibus Christi fidelibus) sicut pleniùs declarabitur parte 3. Speculi hujus. In ista igitur afflictione Ordinis invocata piissima Mater, & Patrona Ordinis duplicem præstitit favorem, videlicet mittendo ad* Innocentium IV. Summum Pontificem, qui remedium efficax adferret (*prout fecit; vide suprà num. 442. 443. 444. & 445.*) & tradendo Scapulare (*de quo vide suprà num 593. 621. & sæpiùs alibi*) *an autem favor ille uterque præstitus fuerit in unâ eademque revelatione, declarabitur in parte 3. Speculi hujus.*

CAPVT X.

*De primo profectu Ordinis Fratrum in Europa, * & de multiplicatione Conventuum.*

* Vide sup. nu. 418.

1221. IN Euangelio dominus loquitur: * *nisi granum frumenti cadens in terram mortuū fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Pulchrè fratribus Carmelitis hæc sententia convenit, quæ illos granum esse Dei, & semen ostendit. Enimverò granum hoc Carmelitici germinis in terram cecidit, quandò expulsum de Judæa fuit. Mortuum autem extitit, quandò multis tribulationibus attritum, suæ transmigrationis incommodum deploravit. Multum verò fructum attulit, quando ex æmulorum pravitatibus erumpens per varios in Europa Conventus multiplicatum extitit. Sanè fructum multum Carmelitarum affert Religio, quæ sese totam Dei servitio mancipat, quæ virtutum semitas devota amplectitur, per cujus exempla multi ad justitiam convertuntur. Verè granum mortuum est Ordo Carmeliticus, qui cadens in Judæa periit, sed multiplicatus in Europa surrexit. Malleô, & incude dilatavit eum Dominus; quia dum de Palæstinâ minor numero expellitur, crescens in Europa dilatatur. Nec sine ordinatione divinæ providentiæ id factum credimus, cum paucos fratres Ordinis hujus in immensum crevisse videamus. Quemadmodū enim pauca segetis semina in terram projecta mortificantur, & multum fructum afferunt, sic pauci fratres de Carmelo expulsi, & ad tempus in terra peregrinationis afflicti, maximum in ordine numerum fratrum successu temporis protulerunt. Hæc est mutatio dexteræ excelsi: Hæc providentia Gubernatoris Altissimi, qui ex malis bona novit elicere, & paucorum calamitatem in gaudium maximum commutare: sicut enim ferrum malleô extenditur, sic Ordo Fratrum Carmelitarum ferrô tribulationis extensus, & multiplicatus est. Qui si manere in primo suo nidulo potuisset, non

* Joan. 12. v. 24.

Tribulatio Carmeli Ordinem dilatavit.

Et valdè fructiferum reddidit.

non adeò multiplicatus hodie in Ecclesia fidelium esset Nam post felicem adventum eorum in Europam, superatisque auctoritate Apostolicâ impijs persecutoribus, * paulatim valdè multiplicati sunt.

* Vide supra n. 449.

1222. Videntes enim Nobiles,& fideles conversationem fratrum esse sanctissimam, multa illis beneficia contulerunt, & cænobia illis quàm plura suis expensis erexerunt. Hinc factum est, vt fratres Carmelitæ, qui pauca in terra sancta Coenobia amiserant, multò plura in Europa reciperent. Et quemadmodùm Apostoli fidem Christi prædicantes de Iudæa expulsi multitudinem gentium converterunt; sic fratres Carmelitæ vnius Provinciæ terminô amissô,totius Europæ locum ad mansionem receperunt. Vnius ergo montis desolatio, multarum Regionum ædificatio fuit. Nequaquàm ergo se Carmelus vltra plorabit desertum, quem per totum Orbem jam constat esse diffusum. Multiplicatô verò per Europam fratrum Numerô, & multis in diversis locis erectis conventibus, cernentes Romani Pontifices vitam eorum esse laudabilem, Ordinem ipsorum privilegijs multis sublimarunt,eumque*ab Ordinariorum iurisdictione penitùs eximentes, cæteris Mendicantium Ordinibus adiunxerunt. Et quamquàm inter omnes Ordines antiquior sit, tamen in Europa quasi per mortificationem sui renouatus esse videbatur. Sed jam de omni suâ tribulatione conualuit, fortis factus in bello, omnes adversarios suos superavit, & confudit. Non est quod sibi amplius noceat, non est qui eum dentibus contingere de cætero præsumat, Dei maximâ virtute confirmatum. Gaude felix plantatio, mundi triumphans illecebras, summa carpens præmia regni, quæ nomen originis tuæ conseruas, & imitaris Principes.

*Vide supr. n. 462. 471. & seq.

ANNOT. *Plura de Ordinis multiplicatione instruet lectio libri 9. in parte 1. cap. 3. 4. 5. 6. & 7.*

CAPVT XI.

Quam vtilis, & fructuosus sit in Ecclesia Ordo Carmelitarum.

1223. * *Qvam pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, filia Principis; quam pulchra es, & decora in delicijs,* o Religio speciosa Carmeli. Tu hortus aromatum, quem dextera Dei plantavit in monte Carmelo, cuius flores suavissimum odorem reddunt, dùm viros doctos protulisti, atque sanctissimos. Tu Prophetarum Principem Eliam habuisti, tu Elisæum à mundi negotijs ad obsequium Prophetæ vocasti, tu Vatum schola, tu norma disciplinæ, & prænuncia monasticæ vnitatis. Tu sub lege gratiam, sub gratia prædicas pietatem. Verè Dei castra sunt hæc, in quibus vita Apostolica ipsos longè præcessit Apostolos. Ordinis itaque huius gressus ab initio pulcherrimi sunt, quandò fratres Deum amantes de virtute in virtutem profecerunt. O Carmeli pristinum decus! o verè sancta, Deoque dilecta conversatio, quæ diabolum vincit, carnem exuperat, mundum contemnit, & vitia. Sancta etenim conversatio Fratrum Carmelitarum si ad veritatem,& puritatem suæ institutionis ambulet; Ecclesiam ædificat, inscios informat, ad pænitentiam peccatores vocat, adversarios Christi oppugnat, delinquentes castigat. Quid hâc religione pulchrius, quid vtilius Ordine, in quo charitas imperat, obedit humilitas, zelus bonus vigilat, paupertas voluntaria regnat, continentia pugnat, castitas triumphat? optimè Religio conseruatur, dum providentia consulit, dum iustitia corrigit, dum misericordia erigit, benignitas instruit, sapientia custodit. * *O quam bonum, & quam iucundum, sic habitare fratres in vnum*, qui Deo in humilitate deserviunt, charitatis fraternæ iura custodiunt, mundum & vitia fugiunt, virtutes colunt, humilitatem diligunt, à malis omnibus recedunt. Hi sunt, qui labentem Ecclesiam humeris excipiunt, & tam verbô, quam exemplô fideles populos ad iustitiam christianam erudiunt. Qui tales se in Ordine exhibent, digni sunt, vt fratres B. Mariæ Virginis appellentur.

* Cantic. 7.

Carmeli flores suavem spirantes odorem.

* Psal. 132.

1224 Cæterùm qui vanitates huius mundi sectantur, qui contemptâ obseruantiâ regulari vitijs, & voluptatibus dediti sunt, non fratres eos B. Mariæ Virginis dixerim, sed turpissima mancipia Diaboli. Quid enim turpius, quidve damnabilius, quàm sub Ordine sancto inordinatè viuere? non est ei in Dei Genitricis honore consortium, qui servus est vitiorum. Magnopere itaque, fratres Carmelitæ, vobis curandum est, ne dignitatem nominis, quam à Regina accepistis, malis moribus amittatis. Quid enim vobis proderit fratres appellari B. Mariæ Virginis, si operarij fueritis iniquitatis? Enimverò, nisi secundùm Regulam vestram, & primam institutionem religiosè vixeritis, ad damnationem potiùs, quàm ad gloriam hunc titulum vsurpatis. Curate itaque, fratres mei, omnem à vobis iniquitatem repellere, curate bonis moribus insudare; quatenùs ad eam, quam Ordinis vestri sororem dicitis, per sancta exercitia venire valeatis. Nisi enim in communi, sine proprio, castè, & religiosè vixeritis, ad Reginam cæli non pervenietis. Si sic vivere curaveritis, vtiles in Ecclesia Dei estis. Enim verò, sicut bonos Carmelitas religiosè secundùm Regulam conversantes, omni laude dignos describimus; ità malos, & moribus deformatos,longè ab hoc volumine semovendos esse decernimus. Laudare enim nisi bonos non intendimus. Credimus autem multos ab initio bonos,& sanctos in hoc Ordine viros claruisse, hodieque clarescere,& idcirco monemus Lectorem, ne propter deformitatem paucorum totum Ordinem velit contemnere, in quo multi boni sunt, quos certum est illum ignorare. Neminem ex Carmelitis contemnendum Lector existimet, quoniam qui hodie iacere in deformitate cernitur, cras forsitan primus in acie Regularis observantiæ gradietur.

Monitio insignis ad Religiosos Carmelitas.

ANNOT. *Est illa Trithemij exhortatio insignis Carmelitis benè notanda, & prædicanda. Caeterùm quàm vtilis, & fructuosus in Ecclesia sit Ordo Carmeli patescet ex dicendis parte 4. & 5. vbi de SS. & aliis viris illustribus.*

CAPVT XII.

De Sanctis & Canonizatis ex Ordine isto.

1225. QVàm vberes fructus, quàmque suaves in Ecclesia Dei odores ager iste Carmelitici Ordinis protulerit, neminem ignorare credimus, qui veterum Historias legit. Nam, vt de his interim sileamus, qui in monte Carmelo sub lege claruerunt, tot sancti fratres sub gratiâ in Ordine isto fuerunt, vt penitùs numerari nequeant. Enimverò, (a) si quis stellas cæli dinumeret, & huius Ordinis Sanctos numerare poterit. Sed forsitan aliquis mihi huius Ordinis æmulator dicat: Quid tu Carmelitas tantoperè de Sanctorum multitudine commendas, qui nullius haberi memoriam in Ecclesia Romana non ignoras: Ostende mihi, quantos in Kalendario ex Ordine Carmelitarum sanctos inveneris. Quisquis talia dixerit, se aut inuidum, aut gestarum rerum inscium penitùs ostendit. Quid enim, quòd paucos ex Ordine fratrum Carmelitarum Sanctos Romana veneratur Ecclesia; nùm ergo pauci existimandi sunt, quoniam non multi Kalendario inscribuntur; aut numquid Ordo divi Patris Benedicti Sanctos idcirco paucos habuit, quoniam vix quindecim ad Kalendarium recepit? Enimverò quindecim millia ex eo Sancti nominibus proprijs referuntur. Non consueverunt vetusti Ordines de multitudine Sanctorum suorum inaniter gloriari, dum vnusquisque magis in se sanctitatem studuit amare, quàm in alio ad ostentationem suæ Religionis attollere. Malebant enim cultores antiquorum Ordinum sancti esse, quàm dici. Vndè non magnoperè curabant sanctissimos quosque fratres suos ad plausum vulgi extollere, neque solebant pro eorum canonizatione ad Reges & Principes sollicitandos discurrere, neque importunis summos Pontifices precibus fatigare; sufficere sibi credebant, si fratres sui locati fuissent cum Sanctis in coelis: & ideo canonizare illos non curabant in terris.

Sancti Ordinis huius vt stellæ cæli

1226. Ordo autem Patrum Carmelitarum antiquissimus est, & numquam vetustatis semitas in hac re dereliquit. Sanctos etenim, & multos, & præstantissimos habuit, sed more antiquitatis paucos in Kalendarium suscepit, dum pristinâ humilitate semper contentus fuit. Quod verò paucos veneratur huius Ordinis sanctos Romana Ecclesia, ideò factum credimus, quod cum maxima pars eorum ante transmigrationem Ordinis in Judæa claruerit, sanctitas eorum Romanæ Ecclesiæ incognita fuit. Nec opus erat eo tempore pro canonizatione sanctorum ad Sedem Apostolicam discurrere, dum in sua Diœcesi quilibet Episcopus sanctum, testimoniô miraculorum, posset declarare. Postquam verò fratres in Europam transmigrarunt, multiplicatisque diversis in Ecclesia Ordinibus, neminem pro Sancto haberi Romanæ Ecclesiæ decrevit auctoritas, nisi de consensu summi Pontificis deinceps fuerit canonizatus. Maximus autem sanctorum numerus hoc decretum præcessit, quos vetustas miraculis inducta canonizavit. Quis Papa canonizavit Apostolos, & veteres sanctos? nonnè solâ antiquitate in Ecclesia Dei venerantur, propriâ sanctitate contenti? Et Ordo fratrum Carmelitarum plures trans mare Sanctos habuit, quorum in Europa memoria nulla antiquitùs fuit. Denique post adventum Ordinis in Europam sanctos complures habuerunt, quorum si omnium nomina vellemus describere, volumen hoc in immensum extendere cogeremur: scimus autem quòd fratres Carmelitæ Sanctos suos in admirationem populi non consueverunt exponere, & ideò non fuit nostri propositi singulos per nomina recensere.

Sancti plures Ordinis huius cur parùm noti.

1227. Denique si quis viros sanctissimos, qui in hoc Ordine claruerunt, ex nomine scire desiderat, historias & chronica dicti Ordinis legat, & eam præcipuè quam frater Ioannes Mechliniensis Conventûs, dictus Oudenwater, multô labore composuit, & *Carmelitici Ordinis* * *fasciculum tripartitum* nominavit. In ea siquidem huius Ordinis tot sanctissimos Viros invenies, vt de cæteris Ordinibus paucos habuerit similes. Initium quoque Ordinis, & Progressum eius apertæ lectionis modulô aperuit, & omnes Generales Priores à primo vsque ad Pontium, qui Ordini modò præsidet per nomina descripsit. Nos verò, quos rei familiaris cura sermonem abbreuiare compellit, his finem facimus, & secundum de laude Carmelitarum volumen ordinandum pro virili nostra assumimus, in quo de illustribus viris, & doctis in eo, qui varia ad Ecclesiæ vtilitatem conscripserunt, quantos scire possumus, mentionem faciemus.

* Fasciculus tripartitus Ioannis Oudenwater, (alias Paleonydori) habetur hic supra num. 932. & seq.

1228 ANNOT. (a) Si quis stellas cœli dinumeret, & huius Ordinis Sanctos numerare poterit. *Hyperbolica nimis illa assertio haud videbitur perpendenti dicta in antecedentibus, in Notatione prævia ante libellum secundum Fasciculi tripartiti Ioannis Paleonydori num.* 966. *atque etiam dicta parte prima num.* 191. 414. 448. *Conformiter Trithemio scribunt alii plures, Ioannes Carthagena libro* 17. *Homiliarum homilia.* 1. Nemo est, qui scripto, nedum coniecturâ assequatur, quot ab Elia in speluncis, cavernis, montibus, & desertis Ægypti, & Thebaidæ, & aliarum regionum monasticam vitam professi Eliani instituti fuerint cultores, ac huius sacræ Religionis filij. *Ibi consequenter allegat præfata Trithemii verba:* Ità quoque *Leander Granatensis in vita S. Gertrudis, sub initium, ubi tractans de Carmelitano Ordine, scribit:* Existimo quòd optimè, & verissimè ad hanc Religionem reduci queant omnia Orientis Cœnobia, omnes viri illustres sanctitate, & doctrinâ, qui ex illis prodierunt. *Et illustrissimus Didacus Yepes Tirasoniensis Episcopus in vita S. Teresiæ cap.* 1, *ubi tractans de Ordine Carmelitano à S. Elia instituto, de eius posteris in primis Ecclesiæ sæculis scribit:* Fuerunt hæc felicia tempora Ecclesiæ, & huius Religionis, quando Ægypti, & Palæstinæ deserta tot monachis ornata quot stellæ cæli erant. *Plura ad hoc propositum videri poterunt apud Lezana tomo* 2. *Annalium, in Apparatu cap.* 7, *per totum, ubi circa hoc latissimè disserit.*

RVT-

RVTGERI VENRAI(a) *Sicambri, Regularis in Heyna, Carmen in librum præfatum,*

D. JOANNIS TRITHEMII *Abbatis.*

COllaudare Deos veteres suêvêre Poëtæ
Versibus, & resonâ personitante lyrâ.
1229. Sed quid non reprobum, non vanum, non sceleratum
Solliciti ingeniis composuere suis?
Volve libros Lector, & magna volumina vatum
Priscorum, invenies frivola multa cani.
Perspice Virgilium, bellare deas animosas
Iunonem, & Venerem sæpè videbis ibi.
Multa liber ficta recinit præclarus Homeri
Syncerum nihil est, nil grave, nilque pium.
Egregius Plautus, nec non Terentius acris
Lusibus incestis dedecorosa probant.
Pamphilus obticeat, concedat Maximianus,
Cesset & imparibus ludere Naso metris:
Hi residem incendunt ignem modulaтibus atris,
Nec juvenes castis moribus esse sinunt.
TRITHEMIVS noster non ludicra vana sequutus
Nititur egregiâ tollere laude viros:
Non quoscumque viros, sed claros moribus almis,
Artibus & variis, & probitate gravi.
Et meritò dictos CONFRATRES Virginis almæ:
Qui vitâ, & meritis promeruêre suis.
Eximiam laudem pro Relligione vetusta
Præ cunctis fati promeruêre patres
Moribus antiquis modo clara scientia semet
Miscuit, & bellum cum probitate gerit:
Non quod eam superet, magè sed superatur ab illa,
Quæ fuit antiqua non violata manet.
Namque videre datur nonnullos Ordinis hujus
Non minùs arte scios, quam bonitate probos.
Ista videns Dominus Trithemius inclytus Abbas
Binos insignes edidit ecce libros.
Eximios patres, & laudes Ordinis almi,
Et mores priscos attigit, atque novos.
Carmelita tuo jam nunc gratare poëtæ
E tenebris etenim te radiare facit.

Ejusdem Carmen Sapphicum.

1230. ECce, Carmelus quibus attulisse
Nomen, & mater Domini probatur
Hoc libro laudes capiunt vetusti
Relligiosi.
Quem vir insignis Spanhemensis Abbas
Edidit pulchro calamo Joannes
Litteras callens Latias, Hebræas,
Atque Pelasgas.
* Moribus claros, probitate pulchros
Luce doctrinæ rutilos coruscæ
Ordinis fratres probat, & magistros
rite sacrati.
Laudibus Fratres ideo Mariæ
Comprobat magnis venerandus Abbas,
Quatenùs prisci memores decoris
turpia vitent.
Parciùs semper magis arguendos
Esse decrevit fragiles, modestos
Fortiùs justo fore comprobandos
teste libello.
Hujus in grates faciles futuros
Ordinis Patres reputo sacrati
E situ nigro tenebrisque cæcis
jam radiantes.

* Trithemius etiam aliumscripsit librum de Viris Illustr. Ordinis Carm.

ANNOT. (a) Rutger. Venray. *Trithemius libro de Script. Eccles. hæc de eo:* Rutgerus Venray, natione Teutonicus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Cœnobij divi Apostoli Petri, quod non longè à Wormacia situm Heyne dicitur: vir in divinis Scripturis studiosus, & sæcularis litteraturæ non ignarus: metro exercitatus & prosâ (*Ibi consequenter lucubrationes ejus recenset, tum addit*) Vivit usque hodie, & varia componit sub Maximiliano Rege Romanorum, & Alexandro Papa VI. Anno Domini, quo nos ista scripsimus, MCCCCXCIV.

APOLOGIA

PETRI LUCII

Pro Domini Trithemij Abbatis Benedictini libello, de ortu, & laudibus Ordinis Carmelitarum.

1231. VEterum historiis proditum est Apellem pictorem eximium perfecta opera in pergula, vulgò inspicienda, & dijudicanda proponere solitum fuisse, postque tabulam latitasse, ut à transeuntibus si quid minùs affabrè factum fuisset, disceret. Pari modo & mihi propemodùm evenit: qui dum, velut alter Apelles, post Tabulam hanc Carmeliticam verissimis coloribus, manibus Trithemianis depictam, latitarem, audiremque varia variorum judicia, tandem veluti moræ impatiens, ob quorumdam imperitiam me cohibere non potui, quin cœcos plerosque de coloribus, ac sutores ultra crepidam judicantes reprimerem. Nonnulli enim dum Carmelitanæ Religionis gloriæ, & antiquitatis laudi invident, dictu mirum quam sese omnis antiquitatis & rerum cognitionis ignaros demonstrent ... Quorum vanitas eum vel cœco sit perspicua, tamen in meorum, præsertim juniorum, Carmelitarum gratiam, non gravabor, ea quæ doctissimus vir Trithemius de Carmelitis scripsit, comprobare, quò luce meridianâ clarius evadat, eundem non arundineis (ut ipsi blaterant) fundamentis, sed solidissimis, atque probatissimis antiquorum Scriptorum testimoniis, tanquam muris aheniis nixum, fretumque fuisse. Adversariorum lemmata sunt: Carmelitas non solùm Ordinum Mendicantium, sed & multorum aliorum ultimos ac postremos esse, eorumque principium dumtaxat incidisse in tempora Honorij IV. qui vixit anno 1286. aut, ut placet nonnullis tempore Pontificatûs Honorij tertij qui sedit anno 1216. sicque in Europa, non in Asia, & in Occidente; non in Oriente suæ Religionis fundamenta jecisse: Carmelitas, gentem obscuram, ignobilem, heri aut nudius tertiùs natam: Regulam non habere &c. [*Et alia quadam similia nimis apertè falsa; & ideo indigna ut illis charta maculetur:*] quæ commenti sunt homines usque adeò (ut diximus) omnis antiquitatis ignari, & historiarum imperiti, ut si quis cum his manus conserere voluerit, planè nodos in scirpo quæsierit, & cum insanientibus insanire occœperit. Nos tamen brevitati studentes, in pauca multa conferemus, aliis dilatandi provinciam relinquentes. Reliquum igitur est, ut promissis stemus, eaque testimonia in medium adducamus, quæ lucis instar adversariorum tenebris apposita, omnem de Carmelitana antiquitate dubitandi ansam auferant, reique veritatem ostendant: [*Ita ille.*

Apellis industria ad perfectionem picturæ.

Trithemius patitur varia hominum judicia.

Vindicatur.

Lemmata quorumdam falsa.

1232. *Ibi consequenter lemmata præfata, & alia ejusmodi refellit variorum præstantissimorum Scriptorum, atque etiam Summorum Pontificum authoritatibus: quarum pleraque Speculo huic inserta*

inserta sunt; ideo, & quia ex hactenùs dictis, ac dicendis, ista adversariorum asserta, seu veriùs commenta, ut Lucius ait, nec veritatis quidem speciem habere perspiciuntur, ulteriori istorum confutationi immorari supervacaneum esset. Sufficiant verò hîc pauca illa quibus ipse Petrus Lucius Apologiam illam absolvit; peculiariter declarans, Ordinem non circa annum Christi 1216. multò minus circà an. 1286. incœpisse.] Dic, ô æmule, Leo quartus Pont. Max. nunquid Petri cathedram tenuit anno 848. Adrianus secundus anno 867. Stephanus quintus * anno 885. Sergius tertius anno 908. Et tamen omnes hi sancti Pontifices Carmelitarum benefactoribus Dei & Sedis Apostolicæ benignitate largas Indulgentias* concesserunt, ut ad oculum patet Pontificum acta in archivis recondita legenti. Annales inclytæ civitatis Senarum Etruriæ apertè testantur Carmelitas anno 797. sacellum sancti Nicolai, quod adhuc hodie incolunt, piorum civium liberalitate possidendum accepisse.

* *al.* Sextus.

* De istis Indulgentiis plura vide sup. n. 527. 531. 1118.

APOLOGETICA APPENDICULA.*

* Adiecta per P. F. Danielem à V. *M.*

Pro eodem libro, & ejus authore.

1233. *Passiones quantoperè intellectum obtenebrent, imò obcæcent & quòd in domo aliena sapientes non sint quandoque ipsi sapientes, ad oculum patet in uno præfato Abbatis Trithemij libro (æmulationis subjecto in variis) ab ipso ex peculiari in hunc Ordinem, atque veritatis illustrandæ affectu scripto contrà impugnatores Ordinis Carmelitani quoad processum à S. Propheta Elia, intitulationem à SS. Dei Genitrice Maria, & Apostolicam confirmationem; quæ à nonnullis negabantur. Mirum autem est, quantoperè is liber fuerit impetitus à nonnullis. Quidam falsa esse quæ in eo continentur proclamantes, lemmata opposita, & manifestè à veritate deviantia, (sicut jam ex Petro Lucio audivimus) statuerunt. Alij contrà apertam nimis veritatem scripserunt, librum illum à Trithemio haud fabricatum, sed ab alio ejus nomine suppositum: librum autem illum à Trithemio verè elucubratum tam est certum, & manifestum, ut in luce meridianâ cæcutire dicendus sit qui illud neget; Vide hic supra num. 1188. Denique nonnulli haud contenti invectivâ in præfatum librum, ejus etiam causâ, ipsi Auctori morsus infigunt, & aculeatis scriptis illum, & ejus lucubrationes prosequuntur.*

Trithemij de Ord. Carm. liber æmulationis subjectum.

Defenditur.

1234. *Sed de ipsius scriptis audiamus Antonium Possevinum è Societate* Jesu *in Apparatu sacro* (a) Magnæ eruditionis plurima scripsit, quibus vel quasi rediviva Germanorum gesta, vel illustrium virorum scripta ab oblivione revocavit in lucem, condendarum autem bibliothecarum (post antiquiores alios) auctor fuit. *Ibi consequenter habet duos catalogos operum ejus (atque etiam tertium compendiosum) & in utroque recenset* libros duos de Ordine Carmelitarum. *Notat autem Possevinus, quoddam Trithemij opus non bene audire, scilicet Steganographiam (ubi etiam de cælestibus spiritibus, & secretis naturæ) At strenuè eum vendicat alter Societatis* Jesu *Scriptor Gaspar Schottus* (b) *qui de ipso authore ista:* Trithemius fuit vir non tantùm ingenio singulari, acri judicio, & omnigenâ doctrinâ præditus, sed eximiè religiosus, instituti sui regularis tenacissimus, ergà Deum ac sanctos piissimus, ut omnes qui vitam, & res ab eo gestas scripserè, fatentur .... fuit pius, fuit ingeniosus fuit prudens, fuit doctissimus, fuit in summa apud Principes, & sui ævi doctos omnes, æstimatione. *Ibidem ostendit ejus opera à nonnullis reprehensa, nominatim Steganographiam, nihil mali continere.* Constat primò Steganographiam fuisse ex parte saltem ab ipso Trithemio conscriptam. Secundò non unam, sed varias Trithemij nomine palliatas extare Steganographias. De his ego sequentia statuo, & Aio 1. Steganographiam ab ipso Trithemio conscriptam, & non absolutam; sed post librum primum, ac secundum, partemque tertij mancam relictam, nullam superstitionem, nullam Christiano homini vetitam doctrinam continere . . . Aio 2. dictam Steganographiam non verbis planis, ac claris fuisse conscriptam, sed miris, & ingeniosis ænigmatibus, gryphis, metaphoris, allusionibus, & obscuritatibus, deditâ operâ obvelatam; tum ut ne vulgò ab omnibus intelligeretur, tum ut curiosorum ingenium, si quando in illam incidissent, vexaretur ... Aio 3. si quæ Steganographia nomine Trithemij edita extat, quæ apertè mala, superstitiosa, magica continet sive in verbis, sive in signis, supposititia est, patet ex dictis assertione 1. & talis fortasse fuit quam vidit Bellarminus, Possevinus, & alij (& illa est quæ in Romano Indice Librorum prohibitorum proscribitur) Aio 4. si quæ extat in qua mentio fit variorum spirituum nihil omninò superstitionis, aut vetitæ magiæ continet, sed spirituum nomina, loca, officia, ænigmaticæ loquendi formulæ, barbara, & nihil significantia verba per variam litterarum metathesin procreata, ideò adhibentur, ne alij quàm qui aut oretenùs, aut per clavem ab auctore, aliove artem sciente instructi sunt, mysteria intelligant, iisque abutantur. *Hactenùs ex præfato Gaspare Schotto, in quo plura videri poterunt in defensionem Trithemij, atque etiam apud P. Athanasium Kircherum, Societatis* Jesu *perspicacem rerum naturalium, & Mathematicarum disciplinarum investigatorem, ab omni suspicione mali Trithemium absolventem: nec non apud Gustavum Selenum* (a) *planissimam Steganographiæ Trithemianæ enodationem tradentem, intermistis ubique Trithemij, aliorumque experimentis: & apud Iacobum Masenium, etiam Societatis* Jesu, *Annalistam Trevirensium, qui* (b) Admirabile Trithemij Abbatis ingenium, *vendicat per diversos Mathematicarum rerum peritos, & deindè his rationibus:* Cæterùm aliis pietatis religionisq; plenis lucubrationibus vitæ suæ innocentiam, integritatemque Christianæ disciplinæ abundè testatur, uti ejusdem opera Moguntiæ apud Joannem Albinum anno 1604. edita manifestum reddunt. *Et statim post:* En hominem in sacris exercitationibus præcipuo vitæ ac studiorum tempore versatum: sanctissimæ disciplinæ ubique magistrum, atque instauratorem; exemplo vitæ morumque id promeritum, ut religiosis ubique hominibus præficeretur, eosdemque ad pietatem, tot tantisque viris dignam, suis exhortationibus stimularet ... Fatentur omnes quotquot scripta ejus, citra corrupti affectus præjudicium expendunt, admirandi eum esse ingenij virum.

(a) Verbo Io. Trithem.

Trithemius vir magnæ eruditionis, & pietatis,

(b) In Schola Steganographica, clas. 7. erotem. 4.

Trithemij Steganographia immeritò taxatur.

Cur obscuritatibus involuta,

(a) In IX. libris Cryptomenytices, & Cryptographiæ.

(b) Cap. 2. in Notis, & additam. ad tomum 1. Annal. Trevir. Brow.

1235. *Steganographiam illam etjam illustravit, & sic Coloniæ an. 1635. typis evulgari curavit D. Ioannes Caramuel: estque libri istius titulus,* Steganographiæ nec non Claviculæ Salomonis Germani, Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis Ordinis S. Benedicti, genuina, facilis, dilucidaque declaratio. *Consequenter asseritur, & demonstratur opus istud non tantùm ab omni superstitione alienum sed* Theoricis ditissimum secretis; nec non Doctoribus Theologis, Expositoribus, Hebræosophis, Latinis, humanæ curiositatis studiosis: Regibus, Principibus, omnibusque qui litterarum, vel fortunæ eminentias occupant perenne necessarium. *Est autem* Steganographia occulte scribendi scientia ad celanda secreta, ac mentis arcana abscondenda (si forte litteræ de negotiis secretis interciperentur &c.) Id autem fit per variam litterarum Alphabetariarum metathesim, sive transpositionem, scribendo B pro A, C pro B, D pro C, aut aliam quamcumq; litterarum pro quavis alia assumptionem, atque aliis multiplicibus artificiis; *quibus olim usi Cæsar, & alij Imperatores, Reges, ac Principes, & modò etjam practicant. Illustrarunt hanc artem Ioannes Trithemius, & post eum Hieronymus Cardanus, Erycius Puteanus, Athanasius Kircherus, Andreas Schottus, & alij plures. Unde habetur, Trithemium non tradidisse artem vetitam, sed perutilem, in magno pretio habitam semper. At nunc de istis satis, deinceps videamus ea quæ in præfato libro* de ortu & laudibus Ordinis Carmelitani *Trithemius scripsit* de eremitica, & monastica vita S. Eliæ; & de origine ab ipso Elia Ordinis Carmelitani; *etiam Patrum Summorum Pontificum & præstantissimorum in Ecclesia Catholica Doctorum assertis confirmata.*

SYNOP. I.

SYNOPSIS PRIMA
AVTHORITATES, ET ASSERTA
ILLVSTRIVM SCRIPTORVM,

De primatu S. Prophetæ Eliæ in Monastica conversatione, ac de Patriarchatu ejusdem in Ordine B.mæ Virginis Mariæ de monte Carmeli.

Digesta per P. F. Danielem a Virgine Maria

Præfatio.

Religiosam monasticam vitam Scriptores pij magnoperè laudant; omnes hæretici oderunt.

1236. HUjus propositionis: S. Propheta Elias, Dux, Princeps, Auctor, Institutor est Monasticæ vitæ, idque Deo mandante, declarari, & stabiliri veritatem interest, non Religionis Carmelitanæ dumtaxat, sed & omnium Ordinum, atque Ecclesiæ universæ. Supposità enim ejus veritate, indè ineluctabile est argumentum contra hæreticos, antiquitatem, & sanctitatem Monastices impugnantes. Etenim sicut quotquot fuerunt unquam pij Scriptores, tùm sermonibus, tùm scriptis libris hoc genus vitæ, laudibus in cœlum tollere conati sunt; sic nulli ferè unquam hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint, inquit Cardinalis Bellarminus. (a) Criminantur autem, monasticam Religiosam vitam esse novellam, aut certè non nisi post annum Christi CCC. demùm incepisse, partim casu, partim errore: quodque istud vitæ genus sit à malo genio, mysterium iniquitatis, inimicum humanæ societatis, observationes fatuas: sicque portentosis mendaciis contrà totam Ecclesiam debacchantur. Verùm si habeatur, quòd Propheta sanctissimus, utriusque paginæ Sacræ testimoniis celebratissimus Elias istud vitæ genus auspicatus fuerit, suisque tradiderit discipulis, & ab illis propagatum, semperque continuatum id fuerit usque ad S. Joannem Baptistam, ejusdem vitæ sectatorem, ac deinceps in nova Lege per Christum, & Apostolos, verbô & exemplô hoc ipsum fuerit commendatum, & in perfectione consummatum, atque deindè per viros sanctissimos in universo mundo multiplicatum; indè habetur & antiquitas, & sanctitas Monastici instituti in genere, & consequenter omnium Ordinum Religiosorum.

(a) Lib. de monachis in præfat.

Ea ab Elia inchoata, à Ioan Bap. exercita, à Christo perfecta.

1237. Hinc Thomas Waldensis, *hæresum sui temporis expugnator, ac deinceps exortarum eversor* (de quo plura hîc infra c. 4) scribens adversùs impia commenta Joannis Witcleff, inter cæteras contumelias nuncupantis Ordines Religiosos *sectas novas, in multis frivolas, Christi legi contrarias*; Hac potissimùm ratione ista ejus deliria confutavit: Quòd *hæc novitas non sit novella vanitas, sed res antiqua Religionis.* Idque probat; quia monastica vita instituta, & inchoata fuerit à magno Propheta Elia, Deo mandante, & ab eo jugiter continuata: *A Prophetis*, inquit, Elia, *& Eliseo priùs incæpit, post Salvatoris adventum cum Apostolis in Euangelio solicitissimè laboravit* &c. Vide in *Doctrinali antiquitatum fidei Catholicæ* (a) & hic infra. (b) Ita quoque Guilielmus Eysingtenius *in Catalogo testium veritatis* Monastices totius antiquitatem contrà Centuriatores Magdeburgenses ex Monachatu S. Eliæ, & antiquitate Ordinis Carmelitani demonstrat: Elias, inquit, *Propheta primus Carmelita.* Et infra: *en hæretice, Eliæ posteritatem dici Monachos Carmelitas.* Itidem sic ait: *Sanctus Eliseus Carmelita, Princepsque Eliadum.*

(a) Tom. 3. tit. 9. c. 89.
(b) Cap. 4. num. 134.

1238. Cum autem ista tria: Quòd S. Elias Monachus: quòd primus auctor, et Princeps Monachorum: quòd Carmelitani Ordinis Patriarcha, a quo continuata extitit successio inter se connexa sint in ipso S. Propheta Elia; (hoc ipsô enim, quô Dei jussu: *Recede hinc* &c. omnia relinquens, & à conversatione hominum recedens, in solitudinem Carith, ac deindè in Carmelum; primus ipse solus pauperem, castamque vitam, austeram, & Religiosam ducere cœpit; primus fuit ipse *Eremita*, & *Monachus*: & quia eandem vitæ institutionem deindè aliis tradidit, ideo ipse in monastica conversatione, est *Princeps cæterorum*: sicut eum nuncupant S. Hieronymus, S. Isidorus, atque alij: & quia ejus præcipuum habitaculum fuit in Carmelo, atque etiam successoris ejus Elisei, ac deinceps discipulorum, & posterorum, continuatâ successionis serie; ita ut exindè moderni Carmelitæ hæreditariam successionem à SS. Prophetis Elia, & Eliseo teneant, ut Pontifices loquuntur, jure etiam *Ordinis hujus Patriarcha* nuncupatur; Ideò illa tria hîc consequenter simul, & promiscuè (seu permixtè) pertractabuntur, & confirmabuntur auctoritatibus Patrum, & illustrium Scriptorum, *juxta seriem Alphabeti*, servandi Ordinis gratiâ.

CAPUT I.

Asserta Summorum Pontificum, Patrum, & illustrium Scriptorum de Principatu ELIÆ *quoad monasticam conversationem, & de Patriarchatu ejusdem in Ordine Carmelitano.*

1239. ÆGIDIUS CAMARTUS Generalis Minimorum, præstanti præditus doctrinâ ELIAM cum aliis Prophetis conferens (a) ELIAS, inquit, *id habet præeminentiæ supra illos, quòd non solùm virginitatem excoluit, sed & præterea author fuit, cur plurimi Discipulorum ei se penitùs addixerint: collegia enim, quæ ibi instituit, viris in cœlibatu degentibus referta erant; quò fit, ut Hieronymus, Ioannes Ierosolymitanus, Cassianus, & alij quotquot de monasticis rebus scripserunt, asseruerint* ELIAM *omnium Monachorum parentem fuisse, qui tria essentialia Religionis vota primus opere adimplevit.* (De votis peculiariter agetur infra (b) de Carmelitani autem Ordinis origine à S. Propheta ELIA hæc, inter cætera scribit. (c) *Hujus verò felicissimæ Societatis, quæ per* ELIAM *in hisce Palestinæ partibus invehenda erat, Salomon videtur Prophetico spiritu, nescio quid delibasse. Comparans enim caput sponsæ, quæ est Ecclesia, Carmelo monti:* CAPUT TUUM, *inquit,* UT CARMELUS: *capillorum quoque meminit, eosque cum Galaad comparavit, dicens:* CAPILLI TUI SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE MONTE GALAAD. *Accipiamus ibi* CARMELUM *pro ipsa origine, seu potiùs radice, unde tot sanctitatis surculi germinarunt.... Tot enim discipulos, veluti propagines, in ipso Carmeli capite coegit* ELIAS, *ut eorum virtutis odor non solùm vicinos montes pervaserit, sed præterea ad Cedros usque Dei, quæ in Libano sunt, sese extenderunt. Galaad autem, caput est, & principium Libani ... & postremo tot discipulorum collegia à nostro* ELIA *instituta montes, deserta, vicos omnes obtinuerunt à mari, cui adhæret Carmelus, ad flumen usque Æthiopiæ, ad quod usque mons Galaad protenditur.* Ibidem exprimit loca in quibus ELIÆ discipuli mansiones habuerunt, & ostendit etiam in Galaad non defuisse, sed continuò ibi (consequenter majori ratione in Carmelo, loco originario) perstitisse usque ad Christi adventum: *Quamquam enim Galaatidæ, & quidem primi, ut auctor est Hieronymus, in captivitatem abierint sub Rege Salmanasar, sicut & Bethelitæ, Ierichuntini, Galgalitæ; ELIÆ tamen discipulos ijs in locis numquam defecisse, sed usque ad Christi tempora perseverasse auctor est Ioannes Ierosolymitanus. Ex eorum verò reliquiis, tamquam ex equo Troyano, prodijt celeberrimus in Ecclesia Ordo Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo.* Quia hic Author præ cæteris omnibus res gestas S. ELIÆ accuratè in præfato opere investigavit, & eruditè illustravit, ideo liberaliori manu ista ex illo delibanda offeruntur.

(a) Lib. de Elia Theib. c. 8. sect. 8.
(b) In Synop. 2. Scuto 6.
(c) Cap. 5. sect. 10.
Elias Ordinis Carm. Fundator:
Multitudo discipulorum ejus.

1240. ÆGYPTIUM MARTYROLOGIUM ad diem 6. mensis Tubæ: ELIAS *Propheta fuit primus in veteri Lege, qui deserta incoluit, & Monasticam in montibus egit vitam.* De illo Martyrologio plura videri poterunt apud Lezana *tomo* 1. *Annalium in Apparatu cap.* 5. *n.* 1.

S. AMBROSIUS de Eremitica monastica, & sanctissima vita S. ELIÆ, S. Elisei, S. Joannis Baptistæ, & discipulorum eorum tractat in Epistola ad Vercellenses. Vide supra *n.* 186.

1241. S. ANTONIUS (ut in ejus vita testatur S. Athanasius) in Religiosæ, Monasticæ eremiticæ vitæ exercitatione *ex instituto magni Prophetæ* ELIÆ *exemplum capit: & ad illud Speculum vitam suam composuit:* exemplar igitur ipsi fuit, & norma vitæ Monasticæ ELIAS: Exemplar autem exemplatum in ea ratione quâ est exemplar, aut superat, aut ad minùs adæquat. Igitur si Monachus S. Antonius, majori, aut ad minùs æquali ratione etiam S. ELIAS. Hinc idem S. Antonius volens paucis Paulum Eremitam summè laudare, comparat illum ELIÆ, & JOANNI BAP. *vidi* (inquiens) ELIAM, *vidi* JOANNEM *in deserto*; quasi diceret: vidi illum, qui vitam Monasticam eremiticam amplexus, adeò in ea profecit, ut primarios illius principes, quibus, nulli excellentiores fuere, perfectissimè in seipso expresserit.

S. Antonio exemplar vitæ Monasticæ fuit S. Elias

1242. S. AUGUSTINUS (a) adhortans Religiosos Eremitas eis in exemplum proponit S. ELIAM: *In hac vasta solitudine situ cum* ELIA.

AUGUSTINUS PAOLETTUS Ordinis Eremitarum S. Augustini Doctor S. Theol. & Ecclesiastes percelebris (b) in Sermone *in festo Prophetæ & Patriarchæ* SANCTI ELIÆ *Institutoris Religionis Carmelitanæ*, sic, inter alia: ELIAS *caput, & Generalis Religionis Carmelitanæ, ex Zelo divini honoris instituta.* Et paulò infra de S. Eliseo: *quem immediatè post se constituit Religionis suæ Carmelitanæ Generalem.* Et post alia de Ordinis Carmelitani per ELIAM fundatione, de ejusdem conservatione addit: *Haud dubiè* ELIAS *quoque promeruit, ut progenies sua, id est Religio Carmelitana, conservaretur salva, & florida quoadusque hic duraturus est mundus, & ut in die judicij eodem Generalis sui* ELIÆ *ardenti Zelo munita pro fide dimicaret, & Antichristi tyrannidem prosterneret.* De conservatione Ordinis hujus precibus S. ELIÆ vide plura hic supra nu. 661. 663. & 664.

(a) Serm. 1 ad Fratres in Eremo
(b) In libro cui titulus Sanctuarium serm. 19.

1243. BARTHOLOMÆUS SALIGNIACUS Prothonotarius Apostolicus scribens de Carmelo (c) *Montem hunc olim Prophetæ sancti* ELIAS *& Eliseus incolere soliti erant cum Filiis Prophetarũ; quorum successores sunt Fratres, qui Carmelitæ vocantur. Horum Cœnobium est in monte Carmelo, ubi fons scaturit, non quidem perpetuis aquis, sed temporaneis. Nulla enim ibi est aquarum copia, nisi transeuntibus Fratribus peregrinis Christianis, ita ut numquam Infideles bibant ex eo, ut verificetur illud Prophetæ; Deriventur foris in plateis aqua ejus, sed non bibat alienus ex eis.* De isto fonte sæpiùs mentio fuit in antecedentibus (d) atque etiam de præfato prodigio. (e)

(c) In Itiner. Jerosol. t. 1. c. 6.
(d) Nu. 100 332.
(e) Nu. 882 & 884.

1244. BELLARMINUS è Societate Jesu, Cardinalis (f) *Habemus*, inquit, *in eodem Testamento veteri,* ELIAM *& Eliseum, ac Filios Prophetarum sine uxoribus, & divitiis in hoc mundo vixisse*

(f) Lib. de monachis c. 5. 10. 1. Controv.

vixisse. Consequenter cum S. Hieronymo eos nuncupat *Monachos in veteri Testamento*, & Eliam *Principem Monachorum.* Et alibi (a) *Scriptura vehementer laudat* Eliam, *& Ioannem, qui Eremitarum Principes fuerunt. Quocircà veteres Patres* Eliam, *& Ioannem Baptistam Principes Eremitarum faciunt.*

(a) Eodem lib. c. 39.

1245. Benedictus Haftenius Ordinis S. Benedicti Præpositus Affligemiensis. (b) *Eximium Prophetarum, veterisque Testamenti decus* Elias *Propheta, qui præter naturæ ordinem factus est Paradisi colonus, & in mortali corpore immortalitatis candidatus. Religiosorum omnium jure meritò Dux & Patriarcha est appellandus. De quo, nè sine teste loquamur, ità Hieronymus:* Noster Princeps Elias.

(b) Disq. mon. lib. 1. tr. 11.

S. Bernardus. Vide supra num. 765.

Bernardus Abbas Cassinensis: hîc supra (c) *In veteri Testamento* Elias, *& Eliseus ...., inventores Monachorum.*

(c) N. 828. & 949.

1246. Cantabrigiensis Universitatis Decreta bina, in quibus sic, inter alia: (d) *Auditis rationibus, & allegationibus, visisque privilegiis, lectis, & examinatis unà cum Chronicis, & Scripturis antiquis, Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum, tituloque gloriosæ Virginis B. Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum; ac Fratres dicti Ordinis, prout nobis apparuit per Chronicas, & alias Scripturas antiquas, imitatores, ac successores esse sanctorum Prophetarum* Eliæ, *ac Elisei, pronunciamus, decernimus, & declaramus.*

(d) Decreta ista vide sup. n. 517. & seq. *Carmelitæ successores S. Proph. Eliæ.*

Caramuel *Vide* Joan. Caram.

1247. Cardinalium Sacra Congregatio Rituum *à Summo Ecclesiæ capite de splendore divini cultûs, & Officiis Ecclesiasticis in Ecclesia canendis, ac recitandis, judicandi potestatem habens,* Ecclesiastica Officia propria hujus Ordinis antiqua & nova iteratis vicibus examinavit & approbavit, anno quidem 1609 sub Paulo V. subscribente Eminentissimo Cardinali Bellarmino, & tempore Urbani VIII. subscribente Eminentissimo Cardinali de Torres. Inter illa autem sunt *Officia* SS. Eliæ *& Elisei Patronorum & Fundatorum Religionis.* Inter Festa, & Officia propria Ordinis, illud est primarium, & principale, quod nuncupatum *Festum solemnis Commemorationis,* ad diem XVI. Julij celebratur. In eo ad Matutinum Lect. 4. hæc circa Ordinis originem, & successionem à S. Propheta Elia & intitulatione à SS. Virgine Deipara, canuntur: *Viri plurimi, qui vestigiis sanctorum Prophetarum* Eliæ *& Elisei institerant, & Ioannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ, atque probatâ, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuêre) adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi* Elias *olim ascendentem nubeculam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint.* In aliis etiam Officiis perspicuè exprimitur S. Prophetam Eliam Ordinis institutorem extitisse. Ad diem XXIX. Januarij lectione quintâ in Officio S. Petri Thomæ recitatur historia Revelationis ipsi S. factæ, in qua Elias *Institutor Religionis hujus* nuncupatur. Vide supra (a) In Officio S. Angeli ad diem V. Maij lect. 5 hæc habentur: *Insignem sanctitate virũ Patribusq; suis* Eliæ *& Eliseo persimilem, miraculis Deus similibus illustravit.* In Officio S. Spiridionis die XIV. Decembris ad Officium & Missam ista legitur: Oratio S. *Spiridionis Confessoris tui atque Pontificis nos Domine festa tueantur; & sicut, ille Religionis à Propheta* Elia *instituta, orationibus & operibus fuit fidelis imitator.* Ubi notanda *Religionis à Propheta* Elia *instituta.* Ecquid clarius dici potest? Lezana (b) ex decisione Sacræ Rotæ refert *Historias in præfatis Breviariis contentas veluti canonizatas ab Ecclesia censeri:* videlicet quæ Ecclesiæ authoritate fuerunt examinatæ & approbatæ pro-ut in præsenti. Non quidem quòd fide divinâ suscipiendæ sint; sed quòd majorem habeant moralem certitudinem, quàm ex cujusvis privati authoris narratione, taliter approbatæ iteratis vicibus, maturo præmisso examine à viris præstantissimis: quos inter præfati Cardinalis Bellarminus, Cardinalis de Torres, atque alij ejusdem S. Congregationis sapientissimi assessores.

(a) N. 661. & 663. ac 664.

(b) Tom. 1 Annal. Carmelit. in Appar. c. 6. n. 24.

1248. S. Chrysostomus (e) Monachos suos hortabatur, ut Sanctorum conversationem piâ æmulatione imitarentur, *præcipuè quidem* Eliæ, *& Elisei Prophetarum;* Cur *præcipuè* Eliæ, *& Elisei,* nisi quia Monachorum ipsorum principes, & exemplaria? Ideò in variis sermonibus, seu tractatibus mirâ verborum energiâ se in eorum laudes effundit: & propter vitam virginalem ac extremam inopiam asserit, eos *nullâ re ab Angelis differre, nisi quòd mortali naturâ constabant.* (d) Ità quoque Patres alij vitam Monasticam nuncupant *Angelicam,* & propterea vetustus Pater Dorotheus proximè adducendus, docet Eliam *unam Angelorum, & hominum vitam ostendisse.*

(e) Ut in ejus vita refert Gregorius Patr. Alexandr.

(d) Ità lib. de Virginit. c. 79.

1249. Chrysostomus Henriquez Historiographus Cisterciensis: (e) *Certum est, Ordinem Carmelitarum nomenclaturam accepisse à monte Carmelo, undè & originem trahit, & magnum Prophetam* Eliam *esse Patrem, & Institutorem.*

(e) In vita V. M. Annæ à S. Barthol.

1250. Clemens VIII. Summus Pontifex in Bulla quæ incipit: *Apostolicæ dignitatis* data PP. Carmelitis Discalceatis, eos nuncupat: *Sanctorum Prophetarum,* Eliæ *& Elisei, aliorumque sanctorum Patrum, quorum hæredes sunt, vestigiis insistentes.* In litteris ad Regem Persarum (ad eum mittens quosdam Ordinis hujus Religiosos) datis Romæ an. 1604. sic inter cætera: *Habuerunt olim Religionis hujus Professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui Instituti auctores sanctos Prophetas* Eliam, *& Eliseum, omnibus nationibus, & gentibus notos.*

1251. Coelestinus à monte Marsano Capucinus (f) Elias *natione Thesbites, Prophetarum coryphæus, Anachoretarum in monte Carmelo, aliisque sacris Palæstinæ locis Religiosam vitam agentium supremus fuit Archimandrita. Zelus potissimùm* Eliæ *stemma fuit, & ab eo Ecclesiasticus, illud quod de ipso protulit, auspicatus est elogium,* dum

(f) In libro cui titulus: Clavis David observat. 79.

dum eum surrexisse quasi ignem verbumque illius, sicut faculam, arsisse *affirmavit. Hunc verò Propheta Zelus, nulla non ejus verba loquuntur, nulla non exhibent actiones... Ardentissimum* E-LIÆ *Zelum, ut suam effectus causam, subsecuta est singularis, nondumque audita castitas; ipse etenim primus omnium mortalium votivâ se castitate insignivit, & ad illius exemplum (si typus aliquis proponi possit summo prototypo) Sanctiss. Deipara cunctarū fœminarum prima virginitatu voto sese adstrinxit.*

Elias primus castitatem vovit.

1252. CORNELIUS à LAPIDE in *caput 7. Canticorum* ista verba: (a) CAPUT TUUM UT CARMELUS S. ELIÆ appropriat, eò quòd ibi habitans Ordinem Monasticum inibi inchoaverit; ubi ista: ELIAS *ergo comparatur Carmelo; primò, quia in eo orationi vacans, versabatur cum Deo. Secundò, quia illum montem incolebat, ibique monasteria fundabat, ut Carmelum occupasse, & possedisse videretur. Unde S. Hieronymus Epist. ad Paulinum de Monachis agens: Noster, ait, Princeps est* ELIAS; *noster Dux est Eliseus, nostri Duces Filij Prophetarum.* Similia scribit ad versum 42. cap. 18. libri tertij Regum, tractans de ELIÆ paupertate, castitate, victûs parcitate, vestitûs hispiditate, ac discipulis, quos jure, *veteris Testamenti Monachos dicendos* asserit: ac de eorundem successione. *Indeq; orta est antiqua & sancta Carmelitarum Religio, & familia. Undè septem Summi Pontifices Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius II. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini concessis, de Professoribus hujus sacri Instituti ità loquuntur: Tanquam Religionis Speculum, & exemplar charitate fulgentes, sanctorumq; Prophetarum* ELIÆ *& Elisei, & aliorum Patrum, qui montem S. Carmeli juxta* ELIÆ *fontem habitarunt successionem hæreditariam tenentes.*

(a) Sic quoque illa exponit Ægydius Camartus hic sup. n.1239

Carmeli Ordo à S. ELIA originem & successionem habet.

1253. DIDACUS JEPESIUS Ordinis S. Hieronymi, Episcopus Turiasonensis eruditione, & pietate valdè spectabilis, tractans de Carmelitani Ordinis institutione (b) sic paucis, & clarissimis verbis multa comprehendit: *Ducit ista Religio, suam originem à monte Carmelo; parentes habuit* ELIAM *& Eliseum sanctos Prophetas: ac Matrem perpetuam Virginem sacratissimam: jacta fuerunt ejus fundamenta 923. annis ante Christi Domini nativitatem, atque ipsa conservata est Filiorum Prophetarum successione, cum magno rerum terrenarum despectu, cœlestiumque, ac divinarum desiderio, quantùm per ea sæcula licebat.*

(b) In vita S. Teresiæ l. 1. c. 1.

1254. DOMINICUS GRAVINA Ordinis Prædicatorum (c) *Mons* (Carmeli) *verè celeberrimus, in quo fructuosus ille palmes* ELIAS *commoratus solitariam, ab hominum consortiô semotam professus est vitam: quem primum colendæ virginitatis authorem Patres & Doctores appellant, obedientiæ, & paupertatis prototypum.* Consequenter de ejus discipulis Filius Prophetarum, dicit *eos orationi, & contemplationi vacantes, ad quos Eliseus post* ELIÆ *translationem, ejusdemque pallij receptionem se recepit. Ex Lirano. Permanserunt verò hi Prophetarum Filij usque ad tempora Apostolorum, ex Eusebio.* Ibi consequenter refert, quomodo isti posteri & sequaces ELIÆ *in primordiis Ecclesiæ Oratorium, seu Capellam ad honorem B.V.M. in Carmelo construxerint*: & exindè succinctè tradit Ordinis successionem donec in Europam traduceretur.

(c) In lib. Vox turt. p. 2. c. 15.

S. Elias Author virginitatis, prototypon paupertatis, & obedientiæ.

1255. DOROTHEUS vetustus Pater describens vitam S. ELIÆ (a) *Hic primus ex hominibus est, qui hominibus cursum ad cœlum submonstravit; primus ex hominibus unam Angelorum, & hominum vitam ostendit:* videlicet propter vitam virginalem, & abdicationem omnium rerum temporalium. Conformiter loquitur S. Chrysostom. hic supra. (b)

(a) In Synop. Proph.

(b) N. 1248.

1256. S. EPIPHANIUS (c) explicans illa verba: *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum,* subjungit: *velut* ELIAS *in veteri Testamento.* Ità quoque Tertullianus, S. Anastasius Sinaita, S. Ephrem Syrus, & cum eo Salianus, & alij referunt S. ELIAM inter *Spadones* seu *Eunuchos,* seu illos *qui semetipsos spontaneè castraverunt propter regnum cœlorum.* Istos enim esse qui virginitatem, seu castitatem servant ex aliquali voto communiter tradunt Patres, & Interpretes. Vide Bellarminum lib. 2. de Monachis cap. 23. ubi ista de Eunuchis spiritualibus: *Ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum; non enim est Eunuchus, qui solùm continet se, sed qui non se continere non potest.* Alij nuncupant ELIAM *Virginem sacrum, & virginitati sacra primùm studuisse.* Virginitas autem votô sacratur. Eadem est ratio paupertatis (quam summā amplexatus est ELIAS) & obedientiæ. In istis autem tribus ratio essentialis Monachatûs consistit. Cæterùm ELIAM tria illa servasse ex voto latiùs declarabitur infra. (d)

(c) Hæresi 58. & hæresi 63.

(d) In Synops. 2. Scuto 6.

FLORENTIUS SCHILLING (e) Germanus Clericus Regul. Congregationis S. Pauli, vulgo Barnabitarum imperialis parœciæ S. Michaelis Viennæ Austriæ Ecclesiastes: *Excelsus est Carmeli mons, verū excelsior in eo fundata Religio à SS. Vate Elia, institutore ac Generali omnium Religionum, eorumq; Fundatorum.* Et paucis interpositis: *magna est celsitudo, eximia dignitas, sublimis sanctitas, ac prærogativa hujus Ordinis, qui ab* ELIA *mille annis ante Servatoris ortum institutus fuit.*

(e) In Mariali, serm. de Scapulari Partheno Carm.

FRANCISCUS CARRIERE Ord. Minorum (f) tractans de Carmelo, & illum olim incolentibus, ac multis miraculis celebrem reddentibus, ac creditum istic sibi gregem discipulorū foventibus, instruentibus, roborantibus SS. Prophetis ELIA, & Eliseo, subjungit: *Ex quibus qui hodie claret Ordo ejusdē nominis Deo deserviens, sub auspiciis B. Virginis ortum duxisse testatur omnium penè Gentium constans, & perpetua traditio, & tam recentes, quam veteres historiæ, & antiqua monumenta. Accessit huic ab* ELIA *& Eliseo prædicti Ord. propagationi aperta declaratio Pontificum.*

(f) Commentario in univers. scrip. ad c. 17. libri 3. Regum.

1257. FRANC. SUAREZ è Soc. JESU (g) *Certùm est,* ELIAM *vitam Eremiticam coluisse, ubi cum magna corporis austeritate, diuturnam animi contemplationem conjunxit, quamvis interdùm divino jussu, & propter Dei honorem, & proximorum salutem, ad prædicandum, & docendum descenderet. Totum hoc colligitur ex Scriptura à cap. 17. lib. 3. Reg. usque ad c. 2. lib. 4. Cum enim ante hæc loca nulla facta fuisset mentio* ELIÆ, *nec superioris vita ejus, neque ortûs, aut parentum illius, quasi ex abrupto introducitur* ELIAS *magnâ libertate prophetizans coram Achab: & statim subjungitur vocatio Dei illum vocantis ad solitariam, & eremiticam vitam.*

(g) De Relig. to. 4. tr. 9. l. 2. c. 10.

Mixtæ vitæ contemplationis, & prædicationis in S. ELIA.

RECEDE

RECEDE HINC ET VADE CONTRA ORIENTEM, ET ABSCONDERE IN TORRENTE CARITH, QVI EST CONTRA JORDANEM, ET IBI DE TORRENTE BIBES, CORVISQVE PRÆCEPI VT PASCANT TE. *Quem locum luculenter ad hoc propositum expendit Ioan. Ierosf. libro de Institutione primorum Monachorum à cap. 3. usque ad 9.* Peculiariter de ejusdem Patriarchatu in Ordine Carmelitano, ibi consequenter tradit: *Est autem valdè recepta, & satis antiqua traditio, Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signatim ab ELIÆ institutione, suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit: quam traditionem, ut veram suscipimus; præcipuè quia septem Summi Pontifices Sixtus IV. Ioan. XXII. Iulius II. Pius V. Gregor. XIII Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini concessis, de professoribus hujus sacri instituti ità loquuntur: [tanquam Religionis Speculum, & exemplar charitate fulgentes, sanctorumq; Prophetarū ELIÆ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem S. Carmeli, juxta ELIÆ fontem habitarunt, successionem hæreditariā tenentes &c.] Vndè Sixtus V. huic Religioni concessit, ut ELIAM, & Eliseum, tanquam suæ Institutionis Patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaq; officia in eorum memoriam recitā do: quod ipsa Religio studiosè servat, & in ipso officio nomen, & solemnitatē Patroni ELIÆ tribuunt.*

Traditio antiqua de origine, & success. Ord. Carmelit. à S. ELIA.

1258. GASPAR SANCHEZ etiam Societ. JESV (a) tractans de ELIA Propheta, & cœtu Discipulorum ejus, ad marginem notat: *Carmelitarum Ordo ab ELIA ortus.* Et rationes præcipuas sic paucis complectitur. *Quod ut credam, facit non solùm illius Ordinis, sed & omnium penè gentium constans, & perpetua traditio. Et quidem si ab hac mea cogitatione nihil staret præter traditionem omni memoriā superiorem satis putaretur habere præsidij; quia communis, conspiransque consensio, nullo interrupta tempore, eam habet auctoritatem, quam nulla nisi magna fides convellere, aut infirmare posset. Quâ de re nos pluribus in nostro libello de adventu S. Iacobi in Hispaniam tract. 2. Sed præter traditionem, quæ, ut diximus, constans existimatur, atq; perpetua, sunt alia multa, quæ ad hanc cogitationē plurimùm afferunt momenti, Doctorum nimirùm, non tantùm ex illa religiosa familia, quorum ingens numerus, sed externorum, quos longum esset numerare, gravis auctoritas: & tàm veteres quàm recentes historiæ, & sacri Ordinis antiqua monumenta. Accedit ad hæc à Pontificum judicio gravissimum pondus, qui sacrum hunc Ordinem ab ELIÆ disciplina, atque Instituto exordium habuisse testantur. Ità sanè apertè in suis Bullis Sixtus IV. Iulius II. Gregorius XIII. Clemens VIII. qui dicunt Carmelitana familia viros ab ELIA, atque Eliseo hæreditariam successionem tenere. Hæc mihi gravissima sunt.*

(a) In cap. 17 lib. 3. Regum.

Imò traditio perpetua omnium gentium.

Pontificum authoritas eandem confirmat.

1259. GILBERTVS GENEBRARDVS Ord. S. Bened. (b) tractans de Carm. Ord. primâ origine, cum Polydorum illam ad tempora Aymerici circa an. Dom. 1141. referentem adduxisset, ejus sententiam corrigens, suam subiicit his verbis: *Eorum* (Carmelitarum) *origo altiùs repetenda est, nempè à Prophetis ELIA, & Eliseo, qui Carmelum montem Terræ S. primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura FILIOS PROPHETARVM appellat.* Scribens (c) de S. ELIÆ hærede, ac successore Eliseo; *Manavit Institutum, & loci Religio ad posteros.* De votis, & variis institutis istorum agens RELIGIOSORVM VITA ET VOTA, ET INSTITVTA VARIA. *Filij Prophetarum in Bethel, in Iericho, & l. 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 9. ELIAS vir pilosus, zonâ pelliceâ accinctus, & Eliseus hanc vitam illustrarunt. 3. Reg. & 4.*

(b) Chronogr. l. 4. ad an. 1180.

Carm. Ordo ab ELIA.

(c) ad an. mundi 3272

1260. S. GREGORIVS NAZIANZENVS: (a) *ELIÆ Carmelum animo agitabam.* Et: *Pulchra res solitudo, & quies, idque me docet ELIÆ Carmelus.* Plura ex eodem de ELIA, & Carmelo videri poterunt in *Vinea Carmeli* (b) Ipsum ELIÆ sectatorem in ipso Carmelo aut circa, stabilitur in Annalibus Carmelitanis (c) Id certum, quod per XIII. annos cum S. Basilio vitam monasticam egerit. Ita in *Officio Ecclesiastico ad diem IX. Maij.*

(a) In Oratione 5. de vita monastica. Et Orat 13.

(b) N. 165.

(c) To. 2. ad an. 324. 352.

1261. GREGORIVS XIII. SVMMVS PONT. in Bulla: *Vt laudes* data an. 1577. *Nos igitur ipsum Ordinem, illiusq; personas, militantes, tamquam Religionis exemplar, speciali charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum ELIÆ, Elisei, & Enoch, nec non aliorum sanctorum Patrum qui montem sanctū Carmeli, juxta ELIÆ fontem, habitarunt, successionem hæreditariam tenentes, specialibus favoribus, & gratiis prosequentes &c.* Idem an. 1584. specialiter approbavit Breviarium Ord. per Bullam: *Vt Breviarij,* in quo Officia sanctorum ELIÆ, & Elisei veluti Fundatorū Ordinis continentur. Ille *Enoch*, cujus mentionem facit præfatus Pontifex non est ille de quo Genesis 5. sed *Enoch de Amathim, de quo vide hîc supra.* (d)

Carm. Ord. successio à S. ELIA.

(d) N. 539.

1262. HENRICVS ENGELGRAVE Theologus Societatis JESV, (e) FESTVM S. ELIÆ PROPHETÆ. *Primo ac Principi Carmeli Patriarchæ:* ubi discurrens circa ista verba (f) *Currus Israël, & auriga ejus*, dicit: *Est triplex currus Domini. Primus currus vehit virginitatis Principem, ac primipilum ELIAM; sic ut vobis, venerandi Patres, ac Virgines Carmeli, propriissimè competat, quod Doctor maximus ad Paulinum, ubi ostendit omnes viros militares, Philosophos, Poetas, Historicos, sibi Duces, ac Principes, quos æmularentur, proposuisse* (g) [*Habet unumquodque propositum Principes suos: Romani, Duces suos imitentur Camillos, &c. Ac tandem concludit: Et ut ad nostra veniamus: habemus propositi nostri Principes, Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macharium; & ut ad Scripturarum auctoritatem redeamus, NOSTER PRINCEPS EST ELIAS.*] *Quô manifestè patet* MONACHORVM PRINCIPEM, *divinum ELIAM extitisse, & virginitatis florem, in mundum induxisse.* Id cum ibi consequenter aliorum gravium Scriptorum authoritatibus confirmasset, de *Filiis Prophetarum*, & eorum sequacibus, subjungit: *Hos autem filios, ac filias Patriarchæ ELIÆ extitisse, disertè tradit Hieronymus scribens ad virginem Eustochium* (h) [*In veteri Lege sola erat benedictio liberorum: quia vacuus erat orbis; paulatim verò crescente segete, messor immissus est: virgo namq; ELIAS, virgo Eliseus virgines multi Filij Prophetarum*] *& filiæ Carmeli, quæ in lege Christi uberiùs germinarunt. In hoc argenteo curru pudicitia & castimonia supereminet Virgo MARIA virginum Carmelitarum mater ... Mirum illud, & fortè multis inauditum, quod gravissimus auctor Dionysius Carthusianus, Bergomensis aliique asserunt ipsam Virginem MARIAM, monasterium centum & quinquaginta Monialium egit vi tam insti-*

(e) In præclaro opere *Cœlum Empyreum* part. 2. ad 20. Iulij.

(f) 4. Reg. 2

(g) Hieron. Epist. 4. ad Paulinum.

(h) De servanda virg. Epist. 22.

Maria Virgo Deipara Monasticam

instituisse, ejusque curam habuisse; cùm verò nullum tunc institutum Monasticum viguerit, præter illud quod ELIAS profitebatur, non vana conjectura est, etiam ipsam Virginem huic sese dedidisse, ac præfuisse; cui ad ipsum Carmeli montem, sacellum jam olim dedicatum fuit, ut (a) Iosephus Antiochenus lib. de perfecta militia primitiva Ecclesiæ, tradit, dicens: Perfectorum militum Christi, id est Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi viri, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum ELIÆ & Elisei sequaces &c. Sed libet hæc infallibili è Petri cathedrâ confirmare oraculo: ita namque Ioannes XXII. Sixtus IV. Iulius II. & Gregorius XIII. locuti fuisse leguntur. [Sacrum hunc Ordinem sub invocatione B. Mariæ de monte Carmelo confirmamus, quem gloriosissima Virgo Maria omnibus virtutum floribus insignita produxit, & edidit, proprij que nominis titulo voluit insigniri.]

(a) De isto Josepho Antioch. vid. supr. nu. 209. & 212.

1263. S. HIERONYMVS (b) in præcedentibus sæpè relatus, tractans de primis Auctoribus Monachorum (Monachus ipse) Vt ad Scripturarum auctoritatem redeamus, noster Princeps ELIAS: & alibi (c) Discipulos S. ELIÆ Filios Prophetarum Monachos in veteri Testamento, nuncupat.

(b) Vid. supr. n. 163.

(c) N. 126.

HIPPOLYTVS MARACCIVS Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, variis operibus Marianis hactenùs editis Orbi notus, in libro De fundatoribus Marianis, primum tribuens locum S. ELIÆ, hunc capiti primo titulum præfigit: De S. ELIA Propheta Carmelitarum Authore: & in capitis contextu multus est in confirmando Patriarchatu ejus in hoc Ordine.

1264. HUGO DE S. VICTORE (d) per illa Psalmographi verba: Pinguescent speciosa deserti, intelligens Monachos, inter eos recenset, & cæteris præponit ELIAM: Per speciosa deserti, convenienter intelligunt Sanctis viros solitarios, qui à mundi strepitu remoti, in saltibus nemorum, & locis desertis habitantes, & eadem loca suâ sanctâ conversatione decorant, & adornant: ex his speciosis deserti ELIAS extitit.

(d) Serm. 62 Institut. monast.

1265. JACOBVS LOBBETIVS Societatis Jesu in lib. cui Titulus: Gloria Patriarcharum tractans de S. Teresia. Carmelitarum Ordo, ut antiquissimus, ita & sanctissimus, Originem habuit ab ELIA: Nomen à monte Carmelo? Sanctitatem à Regula: Cœleste præsidium à Virgine Dei Matre, à qua & SCAPVLARE accepit, vel insigne singularis tutelæ, vel arrham Virginei in eum Ordinem amoris. Famam denique à Viris, & doctrina, & sanctitate Orbe universo nominatis: quos inter hi fuere principes: Dionysius Pont. Max. qui & Sabellij hæresim editis scriptis impugnavit, profligavitque .... S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Cœlestini Papæ, pro damnanda Nestorij hæresi, in Concilio Generali Ephesino Legatus: S. Spiridion Cypri Episc....B. Simon Stock Anglicus, qui de Virginis manu SCAPVLARE excepit, & in Ordinem suum, imò & in totum terrarum Orbem intulit, ingenti hujus, & illius bono, ac solatio. Sanctos alios plures ibi recenset.

1266. JACOBVS SALIANVS etiam è Societ. JESV, veteris Testamenti Annalista, in pereleganti Epitaphio, seu Elogio S. ELIÆ, ejusdem Primatum Monasticæ conversationis, & Patriarchatum Ordinis Carmelitani sic paucis complectitur: Per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum, & Religiosorum in Carmelo, totâque Chananitide manipulos, sui æmulos atque imitatores instituit, ad cœlestem vitam, mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit, tot seculis suarum precum, quasi facularum ardore, calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumque varietates, constantes reddidit magni sui Patriarchæ sectatores. Et aliquantò pòst subjungit: Ac nè quis nostrum hoc benevolentiæ potiùs erga religiosissimum Carmelitarum Ordinem, quàm veritatis testimonium putet, quòd eos sanctissimi ELIÆ discipulos, atque imitatores agnoscamus, audiat is Sixti quarti Romani Pontificis Constitutionem, anno à sacro-sancto Christi natali 1477. editam, ubi inter alia: [Ordinem, inquit, ipsum, atque illius personas, sub Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros regularium Ordinum professores, in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum ELIÆ & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta ELIÆ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes.] Ista ibi consequenter latiùs prosequitur.

Successio continuata Ord. Carm. à S. ELIA.

Afferta etiam à Summis Pontif.

JACOBVS TIRINVS ex eadem Societate JESV (a) agens de Carmelitano Ordine conformiter scribit: Sacrum hunc Ordinem, suum ab ELIÆ atque Elisei disciplina institutioneque exordium habuisse. Quod & Sixtus IV. & Iulius II. & Gregorius XIII. & Clemens VIII. & alij Pontifices suis Bullis (ut historicos, & alios auctores nunc omittam) apertè profitentur.

(a) In cap. 17. libri 3. Regum.

1267. ILDEFONSUS DE FLORES similiter Soc. JESV: (b) Etenim cùm videam hanc nobilissimam familiam à temporibus Prophetarum, & signatim à sanctissimi ELIÆ institutione suam trahere originem, & quasi hæreditariam successionem; idque septem Pontificum Sixti IV. Ioannis XXII. Iulij III. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. authoritate roboratum animadvertam. Cum præfatorum Summorum Pontificum verba retulisset, subjungit: Et quidem vel unum ita scripsisse Pontificem sufficisset, nedùm tot, tamque doctissimos, ut nemo prorsùs de veritate ambigeret. Sed quantò id meritò affirmarint, operæ pretium erit judicare. Transit deindè ad alia probationum fulcimenta.

(b) ad cap. 24. Eccli. p. 3. sect. 36.

1268. INNOCENTIVS VIII. SVMMVS PONTIFEX (c) tradit: Sacrum Ordinem Dei genitricis Virginis Mariæ de monte Carmelo ... & illius personas sanctorum Prophetarum ELIÆ, & Elisei, ac aliorum Patrum qui montem sanctum Carmeli, juxta fontem ELIÆ inhabitarunt, successionem hæreditariam tenere.

(c) In Bulla: Dum attentâ data an. 1484.

1269. S. INQVISITIONIS SENATVS SVPREMVS IN HISPANIA post magnam gravissimorum Theologorum consultationem, & re maturissimè in judicio contradictorio examinatâ, in urbe Matrito, die nonâ mensis Decembris anni 1639. coram illustrissimo Domino Archiepiscopo, Inquisitore Generali, unà cum Dominis Regij concilij sanctæ Generalis Inquisitionis: inter alias propositiones, approbavit, & imprimi permisit quatuor sequentes:

I. Quòd

In Lege vet. vota virginitatis, obed. & pauperi. & verus Monachatus

I. *Quòd in Lege scripta, fuit votum castitatis, & virginitatis perpetuæ.*

II. *Quòd in Lege scripta fuit votum obedientiæ perpetuæ.*

III. *Quòd in Lege scripta fuit votum paupertatis voluntariæ.*

IV. *Quòd in Lege scripta fuit verus Monachus, & Religio.*

Sed non cum solemnitate & perfectione, ut modò.

Additur autem in Decreto approbatorio illarum propositionum, illas sic accipiendas, *Dummodò declaretur, non fuisse Monachatum in Lege scripta cum solemnitate, & perfectione, & cum potestate clavium, sicut in Lege gratiæ; quia istius in tota sua perfectione Author, & Institutor fuit Redemptor noster Christus* JESUS, *& illius in Lege scripta fuit causa exemplaris & meritoria.* Atque ità sapientissimus ille Senatus mediam stravit viam inter duas oppositas de statu monastico in veteri Lege sententias, quarum una aliquid justò plus, altera minus tribuebat. Decretum istud integrum & Hispanicè (prout de mandato ejusdem Sacræ Inquisitionis Matriti impressum fuit) & Latinè redditum, extat initio Historiæ Carmelitani Ordinis per R. P. Philippum à SS. Trinitate Generalem Carmelitarum Discalceatorum. Ven. P. Lezana etiam in Annalibus Ordinis hujùs tomo 1. (a) præfatas propositiones adfert ex eodem Decreto: cujus etiam meminit Joannes de Sylveira hîc infrà cap. 4. *num.* 1349. Franciscus de Aravio Episcopus Segoviensis (b) ELIAM *& Eliseum veri Monachatûs fuisse professores, Sanctissimum supremæ inquisitionis Tribunal novissimo decreto nono Decembris, anno 1639. expedito, defendi ut antea, & excudi permisit.* Nec non Hieronymus Garçia Ordinis S. Hieronymi, (c) qui cum retulisset *sententiam affirmantem in Lege scripta verum extitisse Monachatum,* subdit: *Hæc opinio ut minimùm debet censeri probabilis, & talem illam censuit sanctum Inquisitionis Tribunal anno 1639.* Hinc infert: *Proindè si quis hodie assereret, non esse probabilem, punietur à sacro illo Tribunali tanquam contumax, refractarius, ac decretis, atque mandatis ejus repugnans.* Ita Antonius à S. Spiritu in Directorio Regularium. In eodem Decreto declarantur quoque propositiones sequentes (pro antecedentibus & subsequentibus etiam ad propositum nostrum, & ideò occasionaliter hîc apponuntur) de virtutibus, & excellentiis, ac prærogativis S. Prophetæ ELIÆ.

(a) In Appar. c. 4. sub fin.

(b) In 1. 2. q. 99. disp. 4. sect. 3.

(c) In Politica reg. Tract. 1. disp. 4. dub. 1.

S. Elias pertinet ad Legem gratiæ.

PRIMA PROPOSITIO: *Quòd sanctus Propheta* ELIAS *magis pertinet ad Legem gratiæ, quàm ad Legem scriptam: & quòd in toto rigore est sanctus novi Testamenti, & non veteris: Potest currere, sublatâ negativâ hâc; & non veteris.*

Apostolus Christi erit.

SECUNDA PROPOSITIO. *Quòd* ELIAS & ENOCH *erunt veri Apostoli, quandò venient Præcursores adventus Christi Redemptoris nostri, cum potestate concessa per ipsummet Christum: ad gubernandum Ecclesiam tempore suæ prædicationis: Currat: addendo quòd ista potestas erit subordinata Summo Pontifici, inferior, & inæqualis ejus potestati Pontificiæ.*

Euangelium prædicabit in toto mundo:

ET TERTIA ET QUINTA: *Quòd Enoch, &* ELIAS *prædicabunt Euangelium in toto mundo, & convertent illum ad Christum, & facient magna miracula in confirmationem illius.* Et *quòd* ELIAS *& Enoch viderunt Christum Redemptorem nostrum oculis corporeis, & ab ipso fuerunt instructi in mysteriis fidei: Possint sic, & eodem tenore currere.*

Adæquat sanctitatem Ioannis Bap.

Et quantùm ad propositiones de sanctitate Prophetæ ELIÆ: Dixerunt; quòd prima; *Quòd sanctus Propheta* ELIAS *adæquat in sanctitate magnum Baptistam.* Et secunda: *Quòd æqualis est in sanctitate Apostolis. Possint currere, & currant liberè.* Quoad comparationem S. ELIÆ cum S. JOANNE BAPTISTA aliquoties tractatio fuit in antecedentibus. (a) Quantùm ad potestatem extraordinariam S. ELIÆ, & quòd tempore Antichristi erit verus Apostolus, videri poterit in ejus vita.

(a) Nu. 54. & 58. nec non 823. & 824.

1270. JOACHIM Abbas Ordinis S. Benedicti (b) *Per* ELIAM, *sicut per Solem, designatur Ordo Monasticus, propter claritatem, & constantiam vitæ contemplativæ.* Plura ex eodem habes hîc supra num. 764.

(b) In cap. 6. Apoc. ad v. 5.

1271. JOANNES BOLLANDUS, & GODEFRIDUS HENSCHENIUS Operi suo magno, Ecclesiæ Dei, & Reip. Christianæ multifariè utilissimo ACTIS SANCTORUM inserunt, & approbant, Notisque illustrant vitam S. TELESPHORI PAPÆ, *ad diem 6. Ianuarij,* in qua sub initium ista: *Sub Antonino Imperatore, florescente Ecclesiæ statu, floret quoque vetustum Prophetici, seu Eliani Ordinis Institutum monasticum.* Et paulo infrà: *sub hoc itaque Imperatore pacifico non tantùm Christi fideles feliciorem aspiciebant statum Ecclesiæ, sed & Prophetici, seu Eliani Ordinis florebat institutum Monasticum, quod vetus Carmelitarum Religio à tempore magni* ELIÆ *Prophetæ usque in præsens, licèt variè temporatum, Hereditaria successione, ut plures loquuntur Romani Pontifices, continuatum servat.* De Ordinis hujus *Hereditaria successione à S. Propheta* ELIA asserta à Romanis Pontificibus jam frequens sermo fuit, & erit (*vide num.* 1299) Quod autem *Florescente Ecclesiæ statu,* videlicet temporibus Apostolorum, & proximè post *Floruerit quoque vetustum Eliani Ordinis institutum* habetur ex dictis *num.* 207. *& sequentibus* atque etiam antecedentibus, nec non 778. *& sequentibus* 913. *& sequentibus* 974. *& sequentibus* atque alibi. Cæterùm, quod discipuli, & posteri S. ELIÆ in Carmelo, & aliis Terræ S. locis solitariis successivè, & continuò perstiterint, habetur ex decursu totius *partis primæ Speculi hujus,* & ex plerisque dictis *in hac parte secunda*: peculiariter autem reflectatur *in parte prima ad libri* 3. *cap.* 3. *&* 4. ac præcipuè ad 5. (*num.* 116) cujus hic est titulus: *Quòd multi hujus Religionis Patres, tàm veteris, quàm novæ Legis, sunt jugiter conversati Monasticè in monte Carmeli, ad imitationem* ELIÆ: *& quâ ratione omnes hujus Religionis professores appellentur Carmelitæ; quamvis non omnes manserint in Carmeli monte.*

à tempore ELIÆ *continuata Carmeli Religio.*

1272. Hîc etiam ad propositum sunt ea quæ isti Patres Agiographi scribunt *in Tomo 2. Ianuarij, ad diem XVII. in Commentario prævio ad vitam S. Antonij §. 3.* cujus titulus est: *Exercitatio prima monastica in Ægypto,* ubi hæc de Essæis: *Exordium eorum* (Monachorum) *ab Essæis, ex Philone lib. de vita contemplativa, repetunt S. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, in Marco &*

& Philone, S. Epiphanius hæresi 29. Eusebius, Cassianus, Sozomenus, Nicephorus, Beda aliique. Et infrà: *ex horum posteris fuit S. Frontonius apud Nitriam Abbas septuaginta Fratrum, tertio decimo anno imperij Antonini Imperatoris, circiter an. Chr. 150. integro ante ortum S. Antonij sæculo. Monachi itaque Ægypti soboles sunt Essenorũ de quibus Philo.* Istis conformia sunt, quæ identidem inculcat Cardinalis Baronius, Monachos antiquos, in primis post Christum sæculis fuisse Essenos, seu descendentes ab Essenis, de quibus luculenter Philo. Ita quidem *ad annum Christi* 188. ubi de S. Eugenia: *Virili habitu delituit inter Monachos quos* ESSENOS *à Philone dictos esse superiùs demonstravimus.* Istos autem Essenos fuisse Eliani Prophetici Monastici exercitatores, successores, continuatores, & propagatores, imbutos à S. Marco institutis Christianæ perfectionis, luculenter declaratur à Lezana tomo 1. & 2. Annalium, peculiariter *tomo* 2. *in Apparatu cap.* 4. Sufficiat hîc reflexisse ad dicta hic supra *num.* 959. & dicenda *in Synopsi* 2. *Scuto* 7. nec non in *parte* 3. *Speculi hujus cap.* 3. per totum. Itaque ex mente istorum RR. Patrum, nec non Eminentissimi Cardinalis Baronij. *Exercitatio prima monastica*, & *exordium Monachorum ab Essæis*, videlicet in nova Lege: cùm autem *Essæi*, seu *Esseni* (ista enim passim apud Authores promiscuè de iisdem supponuntur) fuerint tenaces instituti Eliani, & ELIÆ posteri; (sicut jam ante dictum est) hinc in veteri Lege, & absolutè *primus Monachorum Princeps* ELIAS, sicut eum indigitant S. Hieronymus (aliquoties jam ante auditus) dùm de se, & Monachis ait: *Noster Princeps* ELIAS, atque ita alij.

Esseni Monachorum propagatores.

1273. Præterea ex iisdem ACTIS SANCTORUM hæretici, Monasticês osores, fallentes, & nonnulli Catholici errantes, dùm Monasticês antiquitatem intra periodos S. Antonij, & S. Hilarionis coarctant (undè sequeretur S. ELIAM non fuisse Principem, & primum Authorem Monachorum, ab ipso continuatâ serie procedentium) manifestè falsitatis convincuntur; dùm in illis exhibentur, & illustrantur Acta, & Martyria S. Juliani, & decem millium Monachorum, qui passi sunt sub Diocletiano apud Antiochiam. De istis agitur *ad diem IX. Ianuarij*: & de triginta octo Monachis in monte Sina à Saracenis interfectis, circà, aut aliquantò post annum Christi CCLXXXIV. tempore imperij ejusdem Diocletiani *ad diem XIV. Ianuarij*: & *ad diem XXIII. Martij* de S. Nicone, & centum nonaginta novem Monachis etiam martyribus, eodem ferè tempore passis in Sicilia. In iisdem ACTIS, *in Commentario prævio ad vitã S. Antonij* §. 3. agitur de præfato S. Frontonio Patre septuaginta Monachorum tempore Imperat. Antonini, circa an. Christi CL. & sparsim alibi referuntur alij plures Monachi, qui claruerunt etiam antequam vel nati essent SS. Antonius & Hilarion. Igitur non illi primi Monachorum Principes; cum ante ipsos Monachorum numerosissimi greges extiterint. Undè ergo Monasticæ conversationis exordium? In Lege Euangelica à S. Joanne Baptista, qui vixit *in Spiritu & virtute* ELIÆ (ideo passim à Patribus etiam dicitur *Princeps Monachorum*) & ab Essenis (ut ex proximè dictis patet) qui cum fuerint æmulatores, & posteri S. ELIÆ; in hunc ultimatè Primatus Monasticæ vitæ refunditur. Idq; ex iisdem ACTIS SANCTORUM confirmatur *cap.* 3. *vita S. Antonij* ubi dicitur S. Antonius in Monastica conversatione ELIAM habuisse ut *exemplum* & *Speculum*: verba ibi relata adducta sunt hic supra *n.* 967. Alia autem (in quibus solis Monasticæ conversationis perfectissimæ Idæa à S. ELIA desumpta resplendet) sunt ista (*cap.* 2. *ejusdem vitæ* juxta distributionem in istis ACTIS SANCTORUM) *Meminerat quoque* ELIÆ *Prophetæ dicentis*: VIVIT DOMINUS CUI ADSTO HODIE ANTE IPSUM: *& differebat cur* HODIE *esset appositum*; *quia non computabat* ELIAS *tempus præteritum*: *sed tamquam quotidie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati ejus.* En Monasticæ, & sublimissimæ perfectionis exemplar à S. ELIA primò exhibitum, & à S. Antonio sibi propositum: cui quicunque Religiosus se conformare studuerit, finem Monasticæ vitæ assequetur. Et ista (inter cæteras) eximia illius operis ACTA SANCTORUM est utilitas; quòd, sicut ex illis contrà hæreticos manifesta redditur Monastici instituti antiquitas, ita quoque aliæ veritates latentes, aut minùs notæ ex iisdem innotescant: & etiam Ecclesiæ dogmata, ac traditiones quàm maximè illustrentur, & confirmentur. Vide quoque ad hoc propositum hîc infrà *in Synopsi* 3. *cap.* 3.

Acta Sanctorum antiquitatem Monastices contra hæreticos demonstrant.

Perfectionis celsissimæ pro Religiosis exemplar.

Acta Sanctorum magnæ sunt utilitatis.

1274. Patriarchatum S. ELIÆ in Ordine Carmelitano, & ab eo successionem hæreditariam confirmant quoque quàm maximè, ea quæ dictus R. P. Henschenius in secunda editione vitæ S. Petri Thomæ, Antuerpiæ anno 1659. adfert, & approbat ex Joanne Hildeshino, Arnoldo Bostio, Balduino Leersio, &c. de *revelatione facta S. Petro Thoma oranti pro patrocinio, & conservatione Ordinis sui*: (quem aliqui opprimentes, delere intendebant:) *Cui Virgo* MARIA *Dei Genetrix apparuit, consolans, & prædicens, ne hoc timeret; quia statutum est apud Deum, quòd Ordo suus manebit usque in finem sæculi. Nam & ELIAS primus* PATER *Carmelitarum, cum esset in monte Thabor cum filio meo* JESU CHRISTO, *petijt quòd Ordo suus, quem in monte Carmelo inchoavit, permaneret usque adventum suum contra Antichristum: quod & eidem promissum est.* Alij ista Virginis SS. ad B. Petrum Thomam verba sic referunt, *Petre, ne timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio nostra; nam & pro eâ supplicavit etiam filio meo primus Ordinis Patronus* ELIAS *in Transfiguratione, & impetravit.* Ista sunt verba, quæ *in Analectis* R. P. Henschenius ad istam vitam *cap.* I. adducit, quibus similia sunt *cap.* 4. *num.* 14. In Canonico Officio *ad diem* 29. *Ianuarij* à S. Congregatione Cardinalium approbato, legitur: ELIAS EIUS Ordinis INSTITUTOR. (Sed *Pater* ratione spiritualis generationis, seu institutionis, & *Patronus* activè ac *Institutor* idem sunt, sicut mox dicetur;) Ecquid clarius, aut efficaciùs adferri posset

posset (Testimonio ipsius SS. Virginis, Cæli Reginæ) pro roborando patriarchatu S. ELIÆ in Ordine Carmelitano. De ista revelatione plura vide hîc suprà *num.* 661. & 663. & *sequentibus* : & infra *in parte* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 12. Quanti ponderis, & quantæ certitudinis sit istud MARIÆ Virginis Testimonium (plurium authoritatibus à præfato R. P. Henschenio ibi adductis stabilitum) perpendetur jam statim *num.* 1285.

1275. JOANNES BONIFACIVS (a) *Mirabiles quidam*
(a) De hist. Virgin. lib. 2. cap. 7. *solitudinis amatores*, ELIÆ & *Elisei vestigia persecuti, rerum divinarum meditationi se totos dederunt: ad quorum tamen aures cùm Apostolorum prima de Christo mundi per crucem Servatore Euangelica voces pervenissent, continuò veteri Legi nuncium remittentes, sese ad novam transtulerunt; neque solùm se Apostolorum benevolos, & dociles auditores, sed etiã adjutores prabuerunt, & cùm ex Carmelo descendissent &c.* Plura de S. ELIÆ posteris ad Christi fidem perductis dicta sunt in antecedentibus. (b)
(b) N. 264. & seq.

1276. JOANNES CARAMVEL multijugæ eruditionis notissimus Scriptor ex Ordinis Cisterciensis Abbate Episcopus &c. (c) *Carmelitani Ordinis spiritus intenditur successu temporis, qui aliàs remitteretur, nisi Deus illum manu teneret gratia particulari.* ELIÆ *Institutori successit Eliseus, cujus spiritus fuit duplò major: in gratia lege Ierosolymitano Ioanni Albertus, isti Theresia; fortè, & Theresiã videbimus majores alios.* Consequenter ex, & cum doctissimo Suario, Sanctio, & aliis, quos citat, tradit: *Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signanter ab* ELIÆ *institutione suam ducere originem, & quasi hereditariam successionem in monte Carmelo; è quo nomen etiam accepit: quàm traditionem ut veram suscipimus.*
(c) In Theol. Reg. to. 1. num. 346 Impress. Lugdun. an. 1665.

JOANNES CASSIANVS scribens de Institutis
(d) Lib. 1. cap. 2. Monachorum (d) *Qui in veteri Testamento hujus professionis fundavere primordia*, ELIAM *scilicet, & Eliseum, divinarum Scripturarum auctoritate demonstratur.* Alibi (e) docet ELIAM, *Eliseum, ac reliquos ejusdem propositi viros* (scilicet Filios Prophetarum, & Essenos) *non fuisse sub Lege, sed Legis præcepta supergressos*, scilicet in observantia castitatis, paupertatis &c. (f)
(e) Collat. 21. cap. 4.
(f) Vid. sup. n. 57.

1277. JOANNES GILLEMANVS Ordinis Canoni-
(g) In Hagiologio ad XV. & XVIII. Kal. Iulij. corum Regularium (qui obiit anno 1487.) (g) ferè eadem de raptu ELIÆ habet, quæ Molanus (mox adducendus) & *ad diem* 14. *Iulij* de S. Eliseo: *Sancti Elisei Prophetarum præcipui: qui primus post* ELIAM *quadraginta, & tribus annis sacra Religionis Carmeli Pater extitit, & auriga.* Et infrà: *Quarto Kalendas Septembris: Decollatio S. Ioannis Baptistæ, Domini nostri* JESV *Christi, & ejusdem in spiritu & virtute* ELIÆ *Præcursoris. Hic vitam eremiticam, ab* ELIA *Propheta institutam, adhuc puer assumpsit.* Plura ex eodem vide hîc infra in parte 3. sub finem libri Arnoldi Bostij *de Patronatu B. V. Mariæ.*
S. Ioan. Bap. egit vitam eremit. à S. ELIA institutam.

(h) In Martyrol. ad XV. Kal. Iulij. JOAN. MOLANVS (h) *Raptus in cœlum S.* ELIÆ *Propheta Domini & Carmelitanæ Religionis Patriarcha; qui tantam invenit coram Domino gratiam, ut verbo clauderet & aperiret cœlum.*

1278. JOANNES PAPA XXII. in Bulla cujus initium est: *Sacratissimo uti culmine* de Carmelitano Ordine tradit, cum *per* ELIAM, & *Eliseum in monte Carmeli inchoatum.* Eadem habentur in Bulla Alexandri V. quæ incipit: *Tenore cujusdam*, quâ præfata Joannis Bulla confirmatur, & tota inseritur.

JOANNES TRITHEMIVS Ord. S. Benedicti Abbas hanc statuit, & probat assertionem: ELIAS *Propheta Domini eximius rectè & catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur*, & originem atque successionem Ordinis hujus ab ELIA integro libro præcedenti confirmat.

JOSEPHVS ANTIOCHENVS, qui vicinus temporibus Apostolorum vixit de posteris S. ELIÆ *Propheta, cum Apostolis fidem Christi prædicantibus, & Capellam in Carmelo Salvatoris Matri construentibus* quæ scribit, aliquoties audivimus (a) N. 209. & 522.
in præcedentibus. (a)

1279. S. ISIDORVS (in anterioribus etiam quandoque auditus) (b) tractans de origine (b) Vide n. 52. & 763.
vitæ Monasticæ, & primis ejus Auctoribus: *Vndè* (inquit) *ad Monachos studium defluxerit paupertatis? vel quis conversationis hujus extiterit Auctor?* Respondet: *Quantùm attinet ad authoritatem Scripturarum, hujus propositi Princeps* ELIAS.

JVDOCVS CLICHTOVEVS insignis è Sorbonæ gremio, & schola Theologus (c) *Videnda* (c) Serm. cujus initium: *Cum dixerint vobis filij vestri.*
est hujus Religionis excellentia, ob primos eam instituentis, utpotè ELIÆ *dignitatem.* Et paulò antè: *Qui primam Carmelitano Ordini præstiterunt originem* ELIAS, & *Eliseus ex Iudæis nati.*

1280. JVLIVS II. SVMMVS PONTIFEX in Diplomate: *Ad sacrum Ordinem* ijsdem verbis quibus SIXTVS IV. (cujus Bullam confirmat, & suæ integram inserit) tradit: *Ordinem Beatæ semper Virginis Mariæ de monte Carmelo, ejusque Professores, sanctorum Prophetarum* ELIÆ, *Elisei, & Enoch, nec non aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta* ELIÆ *fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenere.*

1281. JVSTINVS MIECHOVIENSIS Polonus Ordinis Prædicatorum: (d) *Cùm* ELIAS *Pro-* (d) Super Litan. Lauret. disc. 232. n. 6. Tom. 2.
pheta profundâ oratione ad cœlestia mentem intenderet, repentè in latere montis Carmeli nubecula quadam apparuit, quæ, ut sacer textus ait, quasi vestigium hominis descendebat de mari. Hæc nubecula, juxta mentem Sanctorum Patrum, Deiparam Virginem præfigurabat, & ELIÆ *Propheta apparuit, ut intelligeret locum illum designari pro se, suisque Sectatoribus Carmelitis, qui speciali honore, cultu, ac veneratione prosequerentur futuram Virginem Dei Matrem, quam nubecula illa præmonstrabat:* de Ordinis hujus origine à S. Propheta ELIA, ut causâ efficiente, & à SS. Virgine, ut causa exemplari & finali peculiariter actum est *in parte prima libro* 6. *cap.* 1. & 2. (e)
Nubecula visa ELIÆ significabat B. V. Mariam.
(e) N. 215. & 217.

1282. LAVRENTIVS BEYERLINCK vasti multorũ voluminum operis Auctor in Theatro vitæ humanæ: (f) *Constat ex superiori titulo de antiquitate hujus Ordinis, quomodò primæva sua fundamenta ad* ELIAM, & *Eliseũ referat, tandemq; per filios eorum spirituales creverit instar lucis splendentis, & ad perfectum diem paulatim devenerit. Siquidem ab Apostolis Christi Euangelium edocti illius sectatores primordiis nascentis Ecclesiæ supra illum candelabrum etiam positi fuere, normamque ab* ELIA *præscriptam & à Filiis Prophetarum tot seculis observatam, strenuè sibi servandam existimarunt, adjectis illis, quæ lege Euangelica addenda censuerunt viri*
(f) Theatr. vit. hum. lib. 16. verbo Religio.

viri sancti, & Apostoliti. Ista omnia pleniùs descripta videri poterunt in Speculi hujus parte primâ, libris quinque prioribus.

1283. S. LUCAS (a) scribit de S. Joanne Bap. *Erat in desertis*: & paulò antè: *In spiritu, & virtute* ELIÆ. Indè Patres, & Doctores concludunt, *Ioannem Bap. fuisse Eremitam, Monachum, & illorum Principem in novo Testamento*, ejusdem Instituti sicut ELIAS (Vide hîc paulò ante verba (b) Bellarmini Cardinalis, & Joannis Gillemani.) Pari igitur, aut majori ratione S. ELIAS in desertis Carmeli, Oreb, & Carith conversatus, & discipulos, ac posteros ejusdem disciplinæ habens, *Eremita, Monachus, & horum Princeps* à SS. Patribus Hieronymo, Isidoro (hîc paulò ante) atque aliis dicitur. Plura ad hoc propositum alibi.

(a) Cap. 1. Euangelij.
(b) Hic sup. n. 1244. & 1278.

1284. MACHARIUS ABBAS, magni Antonij discipulus (c) *ELIAM, & Eliseum, ac filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos, imitari curate.* Plura ex eodem præcesserunt superiùs. (d)

(c) In serm. ad Monachos.
(d) N. 964

1285. S. MARIA DEI GENITRIX VIRGO Eliani Patriarchatûs testimonium perhibet, his Pontificem Joannem XXII. alloquens verbis: *Istam gratiam, & amplam meo sancto, & devoto Carmelitarũ Ordini confirmationem debes praeconcedere, per* ELIAM *& Eliseum in monte Carmeli inchoato.* Prout ipsemet testatur in Bulla cujus initium est: *Sacratissimo uti culmine*, ab aliis Pontificibus confirmata: de qua quædam dicta in Appendice ad partem primam (e) atque iterùm sic affata S. Petrum Thomam: *Durabit in finem Carmeli Religio nostra; nam & pro ea supplicavit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus* ELIAS *in Transfiguratione, & impetravit.* Seu ut alius Auctor scribit: *Elias primus Pater Carmelitarum.* Plures verò, atque etiam Officium à S. Congregatione Cardinalium approbatum habent: *Elias ejus Institutor.* Vide suprà in *Defensorio Ioannis Hildesheimensis cap. 5. & ibi in Notis* (f) Ista autem tria: *Patronus* scilicet activè: *Pater* videlicet ratione spiritualis generationis, & *Institutor* idem sunt. Cum autem ista Revelatio Scriptorum plurimorum tradita calamis, atq; inter eos Joannis Hildesheimensis præfati S. Thomæ discipuli, & tunc præsentis quandò contigit, (g) divino Officio inserta sit; hinc illa tàm certa, & indubitata habenda, quàm istæ de S. Francisco: *Quod visus fuerit sustinere Ecclesiam Lateranensem*: de S. Thoma Aquinate: *Quod ei orante ante crucifixum dictum sit*: *Benè scripsisti de me Thoma*, & S. Ignatio: *Romæ vobis propitius ero.* Istæ revelationes multorum assertæ sunt scriptis, & insertæ Divinis Officiis. Eadem, & par omninò ratio ad minùs est de ista revelatione factâ S. Petro Thomæ. Haud opus est ista ulteriùs hîc premere: sufficient, ut etiam protervum quemlibet convincant, antiqui Scriptoris verba (utpotè qui D. Hieron. anterior fuit) Arnobij *lib. 1. contra gentes*, multùm post medium, ubi sic habet (hîc appositè ad intentum) *Vultis vera esse quæ in vestris comprehensa sunt scriptis: & quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini necesse est, esse vera.*

Testimoniũ Mariæ Virg. de ELIA *Authore Ordinis Carm.*
(e) Nu. 535. & 541.
(f) Nu. 661 663. & 664
(g) Vide supr. n. 661 & 663.
Revelationes factæ S. Petro Thomæ, S. Francisco, S. Thomæ Aq. S. Ignatio.

1286. MARTYROLOGIA: ROMANUM ad diem 20. Julij: *In monte Carmelo S. Prophetæ* ELIÆ, dicitur *in monte Carmelo*; eò quòd S. ELIAS cum suis discipulis Filiis Prophetarum præcipuè ibi habitare, & Monasticã vitam agere consueverit. MARTYROLOGIUM GALLICANUM ad diem 20. Julij. *Raptus* ELIÆ *Prophetæ Ordinis Carmelitarũ Institutoris, hac die solemnis est in ipso universo Ordine.* MARTYROLOGIUM ANTIQUUM ORDINIS CARMELITANI ad XVIII. Kal. Julias: *Raptus magni* ELIÆ *Prophetæ, Carmelitanæq; Religionis Patriarchæ.* MARTYROLOGIUM ORDINIS (quod modò legitur) insertum Ordinali seu Ceremoniali (a) ad diem 20. Julij: *In monte Carmeli S. Patris* ELIÆ *magni Sacerdotis, & Prophetæ Dei, primi solitudinis incolæ, totius perfectionis Monasticæ Patris, & omnium Eremitarum, ac Religiosorum Institutoris, ut S. Hieronymus, Isidorus, Bernardus, Macharius, & alij plurimi attestantur.* Ex MARTYROLOGIIS Joan. Molani, & Joan. Gillemani vide hîc supra *num.* 1274. & 1275. & ex Martyrologio Ægyptio n. 1240.

(a) Lib. 1. sub. 35.

1287. MICHAEL PALAIN, Gradensis, Ordinis S. Hieronymi (b) *Sufficiet Carmelicolis* HELIAM *esse Doctorem sapientissimum, Prophetarum Prototypon, Deo maximè charum, signis potentem, meritisque felicem, quem Deus olim grandioribus auxit .... Quis impio dente corrodat hunc Ordinem sacrum? Quis Carmelides existimet indegnos, quod appellentur Fratres B.*^mæ^ *Dei Genitricis, & Matris? Habuit* HELIAM, *& Heliseum hac sacra Religio fundatores, & Principes.*

(b) Comment. in Euangel. in Tract. Append. de Ioan. Cass.

1288. PAULUS MORIGIA Ordinis Jesuatorum in uberi Opere, *de origine Religiosorum* libro 1. cap. 30. per totum, originem Carmelitani Ordinis referens ad ELIAM, plurimis innixus authoritatibus ELIAM *Institutorem* ostendit.

S. PAPHNUTIUS in vita S. Onuphrij testatur, ipsum S. Onuphrium, & alios veteres Monachos pro vitæ Eremiticæ, & Monasticæ exemplari inspexisse S. ELIAM.

PAULUS SEHENTNER Soc. *Iesu* de Carmelitani Ordinis origine tractans, scribit. (c) *Sed & Carmelitana Religio, ex* ELIA *sanctissimo Vate, ejusque asseclis, hæreditariâ quasi successione originem suam trahit; quod non tantùm copiosis rationibus Carthagena adstruit, sed etiam diversi Pontifices diversis Bullis confirmant.* Ibidem tradit discipulos ELIÆ post ejus raptum in Carmelo perstitisse usque ad ipsa Christi Servatoris tempora, ac deindè per Apostolos ad fidem Euangelicam, sacraq; Christiana tractos (prout latiùs hîc supra (d) & quòd *voluntaria paupertate, castimoniâ, obedientiâq; sese Deo adstrinxerint in arctius ejusdem obsequium; auspicaturi simul & religiosæ vitæ exemplar, & daturi aliis pulchræ imitationis occasionem.*

(c) In Promontorio malæ spei lib. 3. §. 13.
(d) Parte 2. lib. 5. c. 6. & 7.

1289. PETRUS COURCIER Societatis JESU in libro cui titulus: *Negotium sæculorum* MARIA, impresso Divione anno 1662. (e) ELIAS *Thesbites, Propheta præclarus, virtutibus & prodigiis insignis, ut patet ex lib. 3. Reg. cap. 17. Commendabilem hunc fuisse castitate notat Ignatius Martyr epistola 6. ad Philadelphenses. Celebris ejus habitatio fuit in monte Carmelo, ubi Filios Prophetarum, id est, sanctioris vitæ socios congregarat, qui se posteà Carmelitas dixêre de quorum cœtu Beatissima Virgo putatur extitisse; creditúrque à pluribus ob eam rationem, quòd communiter Religiosi Carmelitæ nuncupantur Fratres B. Virginis.*

(e) Ad an. mundi 3079.

PE-

PETRUS DAMIANUS, scribens *de origine vita Eremiticæ*: (a) *Hujus vitæ normam, ut anteriora prætercam*, ELIAS *cœpit*, *Eliseus verò, aucto discipulorum collegio, dilatavit.*

(a) To. 3. de orig. vitæ Eremit. c. 2.

1290. PETRUS VALDERAMA Ordinis Eremitarum S. Augustini in *Theatro Religionum* sermone de S. ELIA, cui præfixus est titulus, *de magno Patriarcha Fundatore Ordinis nostræ Dominæ de monte Carmeli*, hæc habet: *Illustrissime Patriarcha, antesignane, & primum caput Religionum! felices amici tui: Beati sunt qui te viderunt*, &c. *Beata Religio tua sacra, quæ tali Patre, & Fundatore fruitur .... Cum voto tamen, sine dubio*, ELIAS *fuit primus, qui virginitatem servavit*, *& docuit eam servare in veteri Testamento, suos Religiosos.*

PHILIPPUS ABBAS JERAPOLITANUS (b) tradit *Religionem Carmelitarum à modico fonte* ELIÆ *principium habuisse ... Fundatorem habere adhuc in Paradiso viventem.* Vide suprà *nu.* 972.

(b) In cap. 1. Evangelii S. Joannis.

PROSPER STELLARTIUS Ordinis Eremitarum S. Augustini in erudito opere *de tonsuris* Patrum & Scriptorum plurimorum authoritatibus demonstrat (c) *S. Prophetam* ELIAM *Monachorum Patrem, & Ordinis à se denominati Fundatorem.* Et de S. Eliseo, quòd ELIÆ *sublato succenturiatus, sibi, suisque magno numero quotidie crescentibus, monasteriola fabricatus sit.*

(c) Lib. 2. cap. 13.

1291. REGUM LIBER I.us ET 2.us ET ALIA SCRIPTURÆ LOCA: Ex libris Regum (junctis aliis Scripturis) tàm apertè eruitur Religiosa, Eremitica, Monastica vita S. ELIÆ, & discipulorum ejus Filiorum Prophetarum, ut propterea passim Patres disertè asserant: *Scripturarum authoritate* ELIAM *Principem Monachorum*, & *Filios Prophetarum Monachos veteris* Testamenti. Hinc etiam suprà adductus Doctor Franc. Suarez: (d) *Certum est* ELIAM *vitam eremiticam coluisse, ubi cum magna corporis austeritate, diuturnam animi contemplationem conjunxit. Idque jussu Dei ipsum ad solitariam, & eremiticam vitam vocantis* videlicet per illa verba: (e) *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith.* Plura ad hoc propositum vide hîc supra *in parte 1. Speculi hujus libro 1. cap. 2.* ubi ista: *Propheta Dei* ELIAS *Monachorũ Princeps primus extitit* &c. *Quod evidenti Sacra Scriptura testimonio comprobatur*, nempè per præfata verba: *Recede hinc .... abscondere in torrente Carith* &c. quæ ibi consequenter latissimè explicātur. Hinc idem Franc. Suarez jam dicto loco addit: *Patres sæpè indicant* ELIAM *vitam eremiticam fuisse professum*: *ad hoc enim alludens Hieronymus epist. 13. ad Paulinum dixit*: [*Noster Princeps* ELIAS, *noster Eliseus*, *&c.*] *Significat autem id colligi ex Scripturis*, *cùm præmittit*, [*& ut ad Scripturarum authoritatem redeam, &c.*] *ubi Marianus Victor.* ELIAM (*inquit*) *& Eliseum deserta, ac montes solitarios incoluisse res est notissima. In eodem sensu dixit de Basilio Nazianz. in quadam oratione.* [*Solitudinem cum* ELIA, *& Ioanne, qui admodùm philosophi fuerunt, mirè amplectebatur.*] Et post alia ad idem propositum: *Ex altiori quoque providentia missus est, ut separatus ab hominibus jugiter, & perfectè Deo vacaret, & mirabilem vivendi rationẽ inter homines inchoaret; quòd autem satis fuerit illa vocatio, dicti Patres sentiunt, & indicat Ambrosius epistola ad Vercellenses prope initium dicens.* [ELIAS *quem Dominus ad virtutis erudiebat perfectionem.*] Hæc ibi Suarez. Consequenter tradit ELIAM permanentem suam habitationem vitæ eremiticæ præcipuè habuisse in monte Carmelo. Ibi igitur ista: *Estque multùm recepta opinio, & locutionibus Patrum conformis: ad illam enim alludens Basilius in epist. ad Chilonem discipulum dixit*: [*Hic mons celeber Carmelus, in quo* ELIAS *demoratus, perplacuit Deo.*] *Sic etiam ait Nazianz. orat. 16. de pauperum amore initio*, [*pulchra res solitudo, & quies, idq; me docet* ELIÆ *Carmelus.*] *Vbi Nicetas exponit* [id est, ELIAS *in Carmelo degens quemadmodùm 3. Reg. liber narrat.*]... *Et quidem hoc posterius de mansione* ELIÆ *usque ad suam translationem, insinuatur in Martyrologio Romano; dum 20. die Iulij dicitur.* [*In monte Carmelo* S. ELIÆ *Prophetæ*:] Ibidem plura habet ad hoc intentum.

Religiosa monastica vita in libris Regum clarè relucet.

(d) Tom. 4 de Relig. lib. 2. ca. 10.

(e) Lib. 3. Reg. c. 17.

Id tradunt Patres, & Doctor Suarez.

Carmelus Religiosæ vitæ incunabula.

1292. Quòd autem ELIAS, Eliseus, & Filij Prophetarum paupertatem, castitatem, & obedientiam coluerint, & quidem ex voto, declarabitur in Synopsi 2. Et illa satis eruuntur ex iisdem libris Regum. Hinc Paupertatem summã ELIÆ, atq; etiam Elisei, ad unius ELIÆ vocu lam (instar Apostolorum) omnia relinquentis, magnoperè deprædicant Patres. Paupertas quoque discipulorum eorundem Filiorum Prophetarum etiam patentèr relucet in libro 4. Reg. cap. 4. & 6. undè habetur eos pauperes vixisse in communi ex eleëmosynis, & *polenta*; *ac herbis agrestibus victitasse.* Vide hîc suprà. (a) Hinc Cornelius à Lapide in dictum *caput* 4. *libri* 4. *Regum* sub finem agens de Filiis Prophetarum, colligentibus pro cibo herbas agrestes, & in communi, ex eleëmosynis viventibus, ait: *Hinc disce studium paupertatis*, scilicet Filiorum Prophetarum, de quibus ibi. Infrà ad illa verba: *Infunde turbæ*, subdit: *Notat Theodoretus* (b) *Filios Prophetarum nil proprij possedisse, sed vixisse in communi, ut jam faciunt Religiosi.* Quòd autem ex eleëmosynis viverent, præter ea, quæ suprà dicta sunt de S. ELIA nunc mendicatim à vidua eleëmosynam poscente, nunc ab Angelo, nunc à corvo victum accipiente, & de S. Eliseo eleëmosynis mulieris Sunamitidis refocillato; de Filiis Prophetarum etiam idipsum indicat Scriptura cap. 6. lib. 4. Regum, ubi refertur *virum quemdam attulisse viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera.* Ista autem eleëmosyna inter Filios Prophetarum distributa fuit, & ad eorum sustentationem miraculosè multiplicata. Quoad paupertatem ELIÆ, Elisei & Filiorũ Prophetarum (si ex aliis Scripturis etiam jam dicta liceat confirmare) Doctor Angelicus, Theodoretus Cyrensis Episc. vetustus Pater, Haymo Episcopus Halberstatensis, Theophilactus Archiepisc. Bulgarorum, & alij plures ista S. Pauli *ad Hebræos XI.* verba. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes &c.* exponunt de SS. ELIA, Eliseo, & Filiis Prophetarũ, qui ita erant pauperes, & *egentes*, ut nè *domos quidem haberent, sed ligna excidentes sibi tuguria, casasq; construebant*, inquit Theodoretus, polentâ ac herbis agrestibus victitantes. Ita quoque passim recentiores, quos inter nominatissimos Scripturæ Interpretes præfatus Cornelius:

Paupertas, castitas, & obedientia ELIÆ, *& discipulorum in libris Regum expressa.*

(a) N. 126. & 169.

(b) Quæst. 19.

Ex eleëmosynis conventualiter vivebant.

S. Paulus Apost. paupertatem ELIÆ, *& discipulorum deprædicat: & indè etiam alij Patres.*

Rr 2 Notat,

Notat, inquit, *Paulus* Eliam. Et infrà de eodem, & ejus discipulis: *Hi viri Sancti tanta dignitatis erant, ut mundus eos habere non mereretur* (videlicet ob despectum rerum terrenarum,& contemplationem cælestium) *Nota*, addit, Eliam, *Eliseum*, *& Filios Prophetarum communiter in montibus versatos esse, ac præsertim Carmelum adamasse. Versabantur enim uti animo in cælestibus, ita corpore in sublimibus, infima fastidientes; quod etiam in Christo licet observare.* De istorum paupertate plura habes hic suprà *num. 169.* Quòd Filij Prophetarum in communi vixerint, hoc est conventualiter, sub unò Superiore, satis liquet ex capite 2. libri 4. Regum, undè habetur, quòd in Galgalis, in Bethel, in Jericho fuerint Collegia Filiorum Prophetarum, in quibus simul conventualiter habitabant, de quibus Collegiis ibi Cornelius à Lapide. *Multa jam erant Collegia in Galgalis, Bethel, Ierisho, Carmelo* &c. *ab* Elia, *& aliis instituta, ideoque* Elias *ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, & aspero vitæ eremiticæ instituto confirmaret.* Ita ille. *Capite 4. libri 4. Regum* dicitur: *Filij Prophetarum habitabant coram eo* (Eliseo) & iterum *cap. 6. versu 1.* hæc: *Habitamus coram te*, scilicet regente, & docente, tamquam Superiore. Habitabant igitur Filii Prophetarum simul, in eodem loco conventualiter, & cum eis Eliseus quandoque in Galgalis, aut in solitudine Jordanis, sed sæpiùs in Carmelo. Castitatem eorum ex sacris litteris etiam colligunt Patres. Hinc Hieronymus (a) *Virgo Elias, virgo Eliseus, virgines multi Filij Prophetarum*, & S. Chrysostomus libro de Virginit. loquens de SS. Elia, Eliseo, & Joanne Baptista (estque eadem ratio de Filiis Prophetarum) *Virginitatem autem fuisse, quæ tales eos reddiderit* (similes Angelis) *ex eo perspicuum est. Nam si uxores habuissent, & liberos, haud facilè adducti essent, ut & in solitudine viverent, & suas familias contemnerent, & reliqua, quæ necessaria essent ad vitam non compararent:* Obedientiam quoque Eliæ, & Elisei Patres commendant, & colligunt ex ijsdem libris Regum. Quo-ad Filios Prophetarum illorum obedientiã Patres & Doctores eruunt ex istis capitis 2. libri 4. Regum verbis: *Adoraverunt eum proni in terram*, veluti Superiorem, & patrem loco Eliæ: quem suum ipsi Superiorem, & spiritualem patrem agnoscerent in ejus pallio, qui priùs eodem officio fungebatur, inquit Salianus. (b) Quòd autem ipsi Eliseo obedientiam præstiterint, satis apertè indicatur capite 6. lib. 4. Regum; ubi licentiam ab ipso petunt, ædificandi novum Collegium propè Jordanem. Hinc eorum obedientiam peculiariter commendat Franciscus Sonnius *libro demonstrationum Euangelicarum capite 2.* ubi ista: *In hac perfecta obedientia Filij Prophetarum itidem illustres facti sunt in Scripturis.* Quòd autem ex aliquali voto declarabitur infrà. (c)

(a) In Epist. ad Eustoch.

(b) Lib. 4. Annal. ad an. mundi 3139.

(c) In Synopsi 2. Sectio 6.

1293. Cæteras quoque monasticas virtutes, solitudinem, sequestrationem à sæculari conversatione, silentium, fraternam charitatem, & pacem satis apertè exprimunt Sacræ Litteræ *Isaiæ cap. 32.* his verbis: *Iustitia in Charmel* (id est in Carmelo) *sedebit, & erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Et *Michea 7.* dicuntur *habitantes soli in saltu, in medio Carmeli.* Notanda singula: *Habitantes soli*, id est separati à vulgo: *in saltu*, id est, in solitudine, saltus est locus incultus propter silvas: *in medio Carmeli*, ubi erat præcipua eorum mansio, & caput Ordinis. Mansiones tamen etiam suas, & Collegia habebant in solitudine Jordanis, in monte Ephraim (ut testantur libri Regum) & in locis solitariis aliis. Ex ijsdem libris Regum colligitur, quòd discipuli S. Eliæ, & S. Elisei nuncupati *Filij Prophetarum*, fuerint in magno numero, & quidem libro 3. Regum cap. 18. referuntur centum ex illis sustentati ab Abdia (ut jam dictum.) Istos enim Eliæ discipulos, seu primis religiosæ monasticæ vitæ rudimentis ab eo imbutos, tradit Sanctius *in cap. XVII. libri 3. Regum ad versum primum*, ubi ista: *Illos porrò notos fuisse, atque adeò* Eliæ *familiares ex eo fit probabile, quia cap. 19. vers. 10. à Deo interrogatus respondit: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, nempè ex illo Prophetarum cœtu, quos ipse Religiosis disciplinis ad veram sanctitatem excoluit.* Ibi consequenter declarat: quam Monachorum istorum fuerint numerosi greges. Deinde ostendit, quòd multis in locis fuerint discipulorum Eliæ excitata cœnobia. *Libro 4. Reg. cap. 2.* referuntur Filij Prophetarum discipuli Eliæ in Bethel (quos ante raptum suum visitabat) ei obviam processisse, similiter & ex Jericho: undè etiam quinquaginta viri de Filiis Prophetarum secuti sunt. Undè patet, quòd Collegium istud Filiorum Prophetarum fuerit numerosum, & capite 4. ejusdem libri scribitur de Cœnobio seu Collegio Filiorum Prophetarum, habitantium *coram eo* (Eliseo) quod in eo morarentur centum. De multitudine discipulorum S. Eliæ vide plura hìc suprà (a) & infrà (b) Ex dictis concludimus, manifestam esse veritatem juxta mentem Patrum ex libris Regum, quòd Religiosa, Eremitica, Monastica vita à S. Elia, Dei jussu inchoata, & ab eo tradita Eliseo, ac aliis, atque ab illis practicata resplendeat in augusta Regum historia (junctis Scripturis aliis) indè enim jam audivimus divinam jussionem factam Eliæ, ut à reliquo populo se sequestrando, in solitudinem se reciperet, & de vocatione ac sequela Elisei ad Propheticam Monasticam disciplinam. Nonne in habitu pauperis melotis (pro tunica) zonæ & pallij, à profana multitudine indicat discrimina? numquid & eorundem, & discipulorum (Filij Prophetarum dicebantur) exhibet in victu jejunij, silentij, solitudinis, zeli, pœnitentiæ specimina? in cellulis lectuli, mensæ, sellæ, candelabri tenuem suppellectilem? in omni demum vita paupertatis, obedientiæ, castitatis, sodalitij (verbo absolvam) totius Ascetici expressissimam Ideam.

Silentium solitudinem, charitatem fraternam colebant Filij Prophetarum;

Qui erant multi numero.

(a) Num. 1239.

(b) Num. 1344.

Regum libri expressissimã ideam Monasticæ proponunt.

1294. Memoratu dignissima animadversio. Ex jam proximè dictis (etsi obiter dumtaxat, nam luculentiùs illa declarare, & firmiùs adhuc stabilire haud difficile foret) nonne apparet Religiosa, Eremitica, Monastica

stica vita, in ipsis Sacris Litteris altissimis defixa radicibus? Id signanter tradiderunt Patres, cum ex præfatis Scripturæ locis Eliam, & ejus discipulos non tantum *Monachos*, sed *Principes Monachorum authoritate Scripturarum* disertè adstruunt. Quòd hæretici, Monasticês osores, id non advertant, & ideo Monasticen *rem novellam* nuncupent, haud ita mirum; cum etiam passim Catholicæ fidei dogmata, ab universa Ecclesia semper recepta, & meridianæ lucis (ut ita loquar) radiis collustrata, ipsis tenebræ sint, ita ut in illis, tamquam in nocte cœcutiant. Sed an non mirum, quosdam Catholicos, eruditionis, etiam in Sacris Litteris, famâ celebratos, hôc eruditissimo seculo, quo penè innumeri in Scripturam Sacram Commentarij prodeunt, ita cœcutire, ut existiment, & scribant in Sacra Pagina de Religione, & vita Eremitica, Monastica Eliæ nihil expressum reperiri? An igitur illuminatissimi Patres id tam apertè adstruentes, & Eliam, Eliseum, ac Filios Prophetarum *Monachos* (ita plurimi) *veraciter Monachos* (ita S. Macarius, & alij) *Principes Monachorum: qui Monastica conversationis fundavere primordia* (sic S. Hieronymus, S. Isidorus, Cassianus & plures alij) & ideò cæteris omnibus eos proponentes tamquam *exemplar*, & *Speculum* (ita S. Antonius, S. Macarius, S. Chrysostomus, & alij.) An, inquam, Patres isti Scripturam non intellexerunt, aut isti moderni Patribus oculatiores? Ponderet æquus Lector: sed ista obiter. Audiamus autem Jurisconsultum, sermonem nostrum suscipientem, ac dein reliquos.

Patres asserunt Monasticam vitam in Scripturis clarè exprimi.

1295. Renatus Choppin celebris Juris-consultus in supremo Parisiorum Senatu in opere suo inscripto Monasticon seu de ivre Coenobitarvm variis locis istas statuit assertiones (quæ in propriorum nominum elencho littera H. verbo Helias, sic simul junguntur) Helias Thesbites, *Anachoretica vita in Carmelo institutor.* (a) Helias *Thesbites, Carmelitana Religionis Patriarcha.* (b) Helias *Thesbites, Carmelitani Ordinis signifer.* (c)

(a) Libro 1. tit. 3.
(b) Lib. 1, tit. 2.
(c) Lib. 1. tit. 5.

Richardvs Armachanvs Hiberniæ Primas *ex fide dignis historiis* coram venerando cœtu Cardinalium referens: *à tempore Eliæ, & Elisei in monte Carmeli eorum sequaces perstitisse usque ad tempora Salvatoris*, adductus est in antecedentibus. (d)

(d) Nu. 523.

Rvpertvs Abbas Tvitiensis Ordinis S. Benedicti: (c) *Et dixit* Elias Thesbites *de habitatoribus Galaad ad Achab*: Vivit Dominus Devs Israel, in cvivs conspectv sto, &c. *Hac dixit, & hac fecit ille primus auctor, & Institutor eorum, qui dicti sunt Filij Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri Testamento consentit auctoritas Patrum Venerabilium.* Alia ex eodem vide hîc supra. (f)

(e) In cap. 4. Cantici Cantic.
(f) Nu. 67. & 241.

1296. Sixtvs IV. in Bulla, cujus initium est: *Dum attentâ meditatione*, clarissimis verbis tradit Religiosos Ordinis hujus *Sanctorum Prophetarum* Eliæ, *& Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta* Eliæ *fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Vide hîc supra. (g)

(g) N. 533.

Sixtvs V. per Bullam: *Eximium quod in vobis* data an. 1589. concessit Officia propria Sanctorum Ordinis inter quæ sunt SS. Prophetarum Eliæ, ac Elisei, veluti Fundatorum Ordinis. De approbatione eorundem Officiorum per sacram Cardinalium Congregationem dictum est jam ante.

1297. Sorbonici, seu Parisienses Doctores Lvdovicvs Bail, & C. Patv, nec non Andreas Savssayvs nuncupatus Beda Gallicanus, (a) Jurium Doctor, Consiliarius Regis Christianissimi, & Vicarius Generalis Archiepiscopi Parisiensis *Sancte Pater* Elia, *qui Eremi vias & aperuisti primus, & complanasti: qui inimicos legis Dei, in Carmelo flammis justitia, filios tuos flammis charitatis incendisti. Sancte Elisea, Deserti, & Spiritus Patris hæres.* Itâ in libro *Litaniarum, Elogiorum, & selectorum exemplorum SS. Eremitarum*, per præfatos non tantùm specialiter approbato, sed & plurimùm commendato. Animadvertendum autem, quòd in septem distinctis exercitiis per modum Litaniarum, pro singulis hebdomadæ diebus distributis, cæterorum omnium Monachorum, & Eremitarum elogiis, & suffragiis semper præponantur ista de S. Elia, tamquàm primo vitæ Monasticæ, & Eremiticæ Principe, & Anthore, qui primus vitam Eremiticam, & Monasticam auspicatus fuit, & seipsum cæteris omnibus exemplar præbuit. Cur autem ista toties repetantur ratio est, ut Elianum spiritum renovent, & ad igneam ejus charitatem extimulent.

(a) Theophil. Rayn. to. 7. pag. 249. col. 2.

1298. Stephanus Binet, Societatis Jesv (b) sub compendio repræsentans præcipuos Fundatores Ordinum Religiosorum, primum tribuit locum S. Prophetæ Eliæ, sub hoc titulo: S. Elias Propheta Thesbites, *Filios Prophetarum cænobiticam docuit, Carmeli solitudinem coluit: raptus in paradisum, Antichristum vivens expectat.* Et immediatè post: *En Lector hominem Dei, Patrem, & Patriarcham Eremitarum, & Religiosorum, hominem totum igneum, & verè Seraphicum. Dicitur Thesbites, à patria Thesbe, de tribu Aaron:* (c) *Visus adhuc infans à viris candidis salutari, & igneis fasciis involvi, ac igne cibari (ut refert S. Epiphanius) quô præsignabatur futurus seraphicus, corde, animâ, verbis, totus igneus. Adstruitur virgo, vita Angelica, amans solitudinis, austeritatis, meditationis, & sublimis perfectionis. Discipulos habuit, dictos Filios Prophetarum, quos exemplo, & verbo in eodem vitæ genere instruxit. Eorum erant diversi cœtus, in Carmelo (à quo Ordini huic nomen inditum) & alibi in observantia votorum paupertatis, castitatis, & obedientia . . . Deus illum honoravit privilegiis, quibus alium neminem. Ad ejus honorem die 20. Iulij auctoritate Sedis Apostolica dicitur Missa: quod ulli adhuc viventi concessum numquàm.*

(b) In Epitome Vitarum Fundatorum præcipuorum Ordinum Religiosorum.
(c) Ita Metaphr. Surius, &c. in vita S. Eliæ.

1299. Svmmi Pontifices (jam ante sigillatim auditi) Gregorius XIII. Innocentius VIII. Julius II. Sixtus IV. disertè adstruunt *sacrum Ordinem B. Mariæ de monte Carmelo, & dicti Ordinis personas sanctorũ Prophetarum* Eliæ *& Elisei successionem hæreditariam tenere.* Clemens VIII. *sanctorum Prophetarum* Eliæ *&* Elisei *hæredes*

Romani Pontif. tradunt originem, & successionem Ordinis Carmelit. à S. Elia.

hæredes esse. Joannes XXII. & Alexander V. Ordinem illum *per* ELIAM *& Eliseum in monte Carmeli inchoatum.* Possentne clarioribus verbis Elianum Patriarchatum in Carmelitano adstruere? Præterea Gregorius XIII. & Sixtus V. De S. ELIA tamquam Patriarchâ, & Fundatore Officium, à Cardinalibus examinatum celebrari permittunt. Argumentum hoc ab authoritate tot Pontificum quanti ponderis, & authoritatis, non opus est hîc ulteriùs expendere, dum expendunt alij. *Quamvis autem* inquit Carthagena (capite sequenti adducendus) *prædictorum Pontificum testimonia, non id tradant tamquam rem fide divinâ credendam; infrà limites tamen humani testimonij, nullum majus, aut firmius proferri potest, quàm tot Summorum Pontificum testificatio.* Hinc meritò Gaspar Sanchez, istis relatis, subjungit: *Hæc mihi gravissima sunt.* Idipsum ponderant Cornelius à Lapide (a) Franciscus Suarez (b) Henricus Engelgrave (c) Jac. Salianus (d) & consequenter Tirinus, Ildephonsus de Flores, atque alij.

(a) N. 1252. (b) N. 1257. (c) N. 1262. (d) N. 1266.

1300. S. THOMAS AQUINAS (e) Resoluit *Licere Religiosis vilioribus uti vestibus quam cæteri, & secularia tractare negotia ob causas pias*, exemplo ELIÆ & Elisei. Censet igitur ipsos Religiosos, seu Monachos; alioqui argumentum nil concluderet, ut consideranti patebit. Alibi (f) cum Chrysostomo ELIAM *Monachum* nuncupat.

(e) 2. 2. q. 187. art. 2. & 6. (f) 2. 2. q. 184. a. 4.

VINCENTIUS BARON Ordinis Prædicatorum (g) ELIAS *tempore Legis scriptæ cæpit practicare eminentiorem perfectionem Evangelicam. Vota fecit castitatis, & voluntariæ paupertatis, & (ut ait S. Hieronymus) primus vexillum erexit vitæ Monasticæ: Nubeculâ (figurâ Deiparæ) prænunciante Prophetæ isti virginitatem futuram fæcundam, & parituram Deum. Ista eum induxit, ut virginitatem voveret: & is fructus fuit quasi anticipativè exempli Virginis Sanctæ.*

(g) To. 2. Homiliar. serm. de S. Teresia. Vota S. ELIÆ.

1301. WERNERUS ROLEVINCK Carthusiensis: (h) ELIAS *Propheta, auriga Israel, & origo Religionis Carmelitanæ Eliseo vivente rapitur.* Testimonia ejusdem de continuatione Ordinis in Carmelo à tempore S. ELIÆ usque ad annum à Christo nato 1291. adductum est hîc suprà (i) ubi ad propositum hujus loci ista: *Ordo Carmeliticus mellifluus locum ex toto perdidit, in quo à tempore ELIÆ & Elisei Prophetarum, duobus millibus ducentis viginti & uno annis perstiterant.*

(h) In Fasc. temp. ad an. circiter 923. ante Christ. (i) N. 459.

1302. Præter eos, quos jam adduximus, etiam alios ex gravioribus adfert Lezana. (k) *Imò in infinitum progredi esset*, inquit, *eorum omnium testimonia referre*, qui scilicet S. ELIAM disertè *Monachum*, aut *Principem* nuncupant *Monachorum*, aut (quod idem est) tradunt quod *veteres Monachi* ELIAM *æmulati fuerint tamquam primum Monastices exemplar & ideam.* Et his etiam satis manifestè adstipulatur CARDINALIS BARONIUS Annalistarum vertex, qui (l) agens de Monachis in primis post Christum sæculis, his verbis *Summum vivendi genus* (scilicet Instituti Monastici) *instar* ELIÆ *ac Ioannis* &c. satis innuunt, Monachos tunc * pro vitæ suæ exemplari, & norma sibi propositum habuisse S. Prophetam ELIAM, & (ejusdem spiritus, ac similis conversationis) S. JOANNEM BAPTISTAM: hunc in nova, istum in veteri Lege *Principem Monachorum.* Ita quoque Scriptor inter illustriores è Societate JESU *Heribertus Rosweydus*, magni & ardui operis *Acta Sanctorum* nuncupati, primus delineator atque utilissimi illustrator, ac primævo nitori suo restitutor, libri seu librorum) VITÆ PATRUM: in eo, antiquitatis Ecclesiasticæ scientissimus ille vir, Monachatum, & Primatum in Monachatu variis in locis magno ELIÆ Prophetæ adstruit. Videri poterit in Indice verbo ELIAS Ibi igitur: ELIAS *exemplum vitæ Monasticæ*: Variis autem locis ista repetit: ELIAS, & JOANNES BAPTISTA *Principes vitæ Monasticæ*: id variorum authoritatibus probat *in Notatione ad vitam S. Pauli primi Eremitæ.* Conformiter scribunt PETRUS CANISIUS, JACOBUS SYRMONDUS, BARTHOLOMÆUS CASSANÆUS, PETRUS CALVUS, ALARDUS GAZÆUS &c. apud Lezana (a) & alij plures: quibus omnibus referendis haud facile reperire esset finem; ideo ulteriori recensui supersedentes facimus finem.

(k) Tom. 1. Annal. in Appar. c. 5. n. 27. (l) Ad an. 342. * Vid. sup. n. 967. & 968. (a) Loco citato.

Ex dictis totô hôc capite concludimus, vera, & quasi evidentia illa tria asserta. I. Clementis PP. VIII. (b) *Romanos inter Pontifices traditio est: Carmelitanæ Religionis professores habuisse sui Instituti Authores sanctos Prophetas* ELIAM *& Eliseum.* Id constat ex antedictis. II. Gasparis Sanchez (c) *Carmelitarum Ordinem ab* ELIA *ortum, non solùm illius Ordinis, sed & omnium penè gentium constans, & perpetua traditio est.* III. Hanc propositionem: S. PROPHETA ELIAS EREMITA, MONACHUS, PRINCEPS MONACHORUM, PATRIARCHA, ET FUNDATOR ORDINIS CARMELITANI EST, *tantis esse stabilitam gravium authoritatum ponderibus: atque ità tam esse certam, & evidenter veram, ut vix ulla de præteritis (revelatis exceptis) certior, aut evidentior videatur:* idque confirmabitur ex jam dicendis, tribus sequentibus capitibus: si illa unà cum præcedentibus, hoc capite adductis, in æqui judicij staterâ appendantur.

(b) N. 1250. (c) N. 1258.

CAPUT II.

Scriptores exteri, qui de Primatu ELIÆ *in vita Monastica, & Ordinis Carmelitani origine, ac successione ab eodem, libros, seu Tractatus integros ediderunt: & quædam ex eis excerpta.*

1303. MAGISTER GERARDUS AB EDAM versibus heroicis, sui temporis poësi, libellum scripsit *de antiquitate, habitu, titulo, & regula Ordinis Carmelitani.* Extat in volumine MS. Codicis Mechliniensis, exarati anno Domini 1484. Hinc patet deceptos nonnullos Opusculum istud attribuentes Joanni Balæo: qui tunc dicto anno nondùm natus, aut certè non nisi infans esse potuit. Cæterùm istius Gerardi ab Edam meminerunt Lezana in Anna-

(a) Ad an. 1251. n. 8. Annalibus (a) *Circa hoc tempus* (an. 1485.) *florebat Gerardus ab Edam, ex quo, quia nobilis Poëta fuit quatuor vi singulariter versus feruntur:* quos ibi ex hoc Opusculo adfert: Et Wastelius libro 1. Vindiciarum (b) qui hæc de eodem scribit: (b) Sect. 5. art. 1. fol. 113. *Harlemensis Gerardus Edamus, libello versuum heroicorum de antiquitate & successu Ordinis Carmelitarũ cap. 2. eundem Sanctum* (Simonem de quo ibi agitur) *accepisse à Virgine Deiparâ privilegiatũ Ordinis Scapulare; sic sui temporis poëti canens:*

Post (Innocenti Papa sub tempore Quarti)
Sanctus vir Simon Stock &c. prout hîc infra cap. 2. Ex isto Gerardi libello en pauca hæc magis ad propositum.

CAPITVLVM PRIMVM. *De Ordinis Carmelitarum ab* ELIA *institutione, & continuata successione.*

1304. *Tanta est Carmeli Fratrum de monte vetustas,*
Quòd mentem superet cunctorum penè virorum;
Namque per ELIAM *datur Ordo fuisse Prophetam*
Hic primò inceptus ——————

Qui postquam curru raptus fuit in paradisum
Flammato, successit ei vates Eliseus.
Condita quinque virûm ter claustra fuere per illum.
Quem post, affirmant Ionam fuisse Prophetam:
Cui successerunt Abdias, atque Michæas,
Et plerique alij, quos non memorare necesse est.
(c) Vide sup. n. 185. *Tempore nam Christi montem* (c) *Baptista Iohannes*
Carmeli, Andreas & Apostolus incoluerunt,
Nathanael ——————

(d) Vid. n. 242. *Tunc in honore pia fuit* (d) *ara sacrata Mariæ*
Monte in Carmeli primò, structumque virorum
(e) Vid. n. 690. *Tunc in Ierusalem claustrum fuit* (e) *Aurea porta.*
Ast ubi capta Polis fuit (f) *Accon in pede cujus*
(f) Vid. n. 448. *Est mons Carmeli, Syriamque, Asiamque coacti*
Linquere sunt Fratres, & in Europam Ludovici
Translati Regis Francorum sunt ope sancti.

ANNOT. Tanta est Carmeli &c. *Istos versus à Baleo in librum* de origine Ordinis Carmelitani. *translatos adducit Lezana tomo 1. Annalium in Apparatu cap. 6. n. 28. Ista autem omnia luculentius descripta sunt in parte prima, atque etiam in libris hujus partis 2. De destructione civitatis Accon, perditione Monasteriorum in Terra S. & translatione Ordinis in Europam agitur peculiariter in parte 1. libro 9. cap. 8. & in antecedentibus.*

CAP. II. *De Habitu:*

1305. *Pelliceum priscâ Fratres ætate ferebant*
(g) Vide sup. n. 269. *Zonam, & pelliceam, cum mantello simul* (g) *albo;*
(h) Vid. n. 265. & seq. (h) *Ipse sibi in somnis vidit candore nitentes*
ELIÆ *genitor: vidit resonare salutem:*
Cui dixêre sacri præsagâ voce prophetæ:
Sabacha pater ELIÆ videt in somnis viros albos se salutantes. *Filius instituet Sabacha cum Ordine quosdam,*
Album laturos mantellum relligiosos.
Hic habitus legitur variatus sæpè fuisse;
(i) Vid. n. 273. (i) *Homar enim Arabiæ cum Rex Syriæque dedisset*
Qui sibi servirent portare fideliter album
Mantellum, nostris præcepit Fratribus arctè,
Nè post hâc habitu, veste aut tali fruerentur;
Nemo satellitibus Fratrum quò par foret ipsis.
Hinc posuêre togam Fratres concorditer albam:
Pallia, quâ positâ, barrata fuere recepta:
Tresque habuere plicas nigras, & quatuor albas.
Post (Innocenti Papæ sub tempore Quarti)
(a) Sanctus vir Simon Stock, Ordinis & Generalis, (a) Vid. n. 599. S. Simon Stock Scap. accepit à B. V. Maria.
Virginis intactæ sumsit, monituque Mariæ
Anglorum gratâ Scapulare recepit in ora
Quæ memoratur vi dixisse habitum capitulii:
Quòd moriens in eo salvus dubiò procul esset.

ANNOT. *De Habitu Ordinis, & varia ejus mutatione accuratè actum est in parte 1. libro 8. per totum. De Scapulari in Anglia, tempore Innocentij Papæ IV. (anno 1251) à SS. Virgine Maria tradito B. Simoni Stock Generali quadam dicta sunt in antecedentibus, plenior tractatio de eodem erit in parte 3.*

CAP. III. *De titulo, seu nomenclatura Ordinis.*

1306. *Virgine de, nomen capiunt, titulumque, Maria,*
Monte & Carmeli, Fratres nostri Ordinis almi
ELIÆ *precibus quia fons scaturivit ibidem*

Tempore Ephesinum quò Concilium fuit actum:
Tunc (b) Cyrillus ei Cælestini vice Papa (b) De S. Cyrillo vid. supr. n. 590 & 616.
Concilio præerat: qui Nestorium superavit
Contendendo malis, hæresi plenum quoque, sectis;
Est argumentis ausus qui dicere vanis
Virgo beata Dei, quòd non genitrix foret Alti.
Sede ub Apostolica qui tunc Cyrillus, ut Ordo
Obtinuit noster tali titulo frueretur.

Hinc Carmelita non legitimâ sine causâ
Appellant Fratres se Virginis intemeratæ,
Iure igitur talem lætentur habere patronam
Est quæ siderei regina, parens & olimpi:
Hæc afflictorum spes est, & scala reorum,
Profugium miseris, & consolatio cunctis.

ANNOT. *De nomenclatura Ordinis ex SS. Virgine Mariæ pleniùs actum in antecedentibus.* (c) (c) N. 1003. & seq.

CAP. IV. *De Regula:*

1307. *Lege fruebantur Moysi quondã Ordinis hujus*
Fratres, pauperiem supêraddentesque pudorem,
Et parêre: sacra nodos tres relligionis.
Horum describit Hieronymus ipse pudorem.

Lege novâ primò doctrinæ discipulorum
Quos habuit populus vivaciter incubuerunt:
Et susceperunt, illis cum, pneuma beatum:
De quibus est dictum sunt isti RELLIGIOSI
Ierusalem qui in urbe viri fuerant residentes.

ANNOT. *De Regula Ordinis peculiariter actum est in parte 1. libro 8. per totum; de transitu à Lege veteri ad novam libro 5 per totum.*

1308. VLRICVS DE HERBIPOLI Theologus, Ordinis Carthusiensis rythmicè libellum edidit de Fundatore, Institutione, ac laude Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmeli, qui in supra-nominato Codice MS. Carmeli Mechliniensis exarato anno Christi 1484. extat folio CXCV. & seq. cujus initium est:

Laus & honor summo Deo
Toto conor corde meo,
Qui virtutis dedit viam,
Et salutis per ELIAM
Pandis nobis aditum.

Casti-

S. Elias primus castitatem, & paupertatem coluit, & docuit.

Castitatis qui insigne,
Paupertatis, ac benignè
Cælibatum nos instruxit,
Ter beatum & adduxit
Eliseum inclytum.
Prophetarum adjunxerunt
Cœtum clarum: qui vixerunt
In rigore disciplinæ,
Et amore vitæ trinæ,
Veri, recti, optimi.
Charitatem, spem, & fidem,
Honestatem, atque quidem
Fundant Patres almi verè:
Quorum Fratres hi fuere
Ionas, Abdias primi.

Carmeli encomia.

O Carmeli mons insignis,
Viam cœli monstras dignis
Te Elias *consecravit,*
Sanctas vias demonstravit
In te mira faciens.

Alia quædam peculiariter hîc ad intentum ex illo Tractatu adferentur infra *parte* 3. *in libro Arnoldi Bostij de Patronatu B. Virginis Mariæ cap.* 2. §. 2. & 3. Carolus etiam Phernandus, natus Brugis in Flandria, Ordinis S. Benedicti: *Velut alter Homerus poëta, musicus, philosophus, & Orator celeberrimus, divinarum quoque Scripturarum sagacissimus interpres, vitâ & conversatione integerrimus:* (Ita de eo Trithemius libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*) librum edidit intitulatum: *Laudes Ordinis Carmelitarum*, cujus initium est: *Dum tela vertis Parthus.*

1309. Joannes de Carthagena Homiliographus notissimus Seraphici Ordinis Minorum, binos scripsit Tractatus, *de antiquitate Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmelo* editis operâ R. D. Joannis Hamelarij Canonici Antuerpiensis &c. qui etiam in majoris operis voluminibus extant libro 17. Homilia 1. & 2. In primo Tractatu, Ordinis à magno Elia institutionem perspicuis, & firmis testimoniis comprobat, in altero Adversantium objecta egregiè refellit. Ista opera cùm passim obvia sint, excerpta pauca dumtaxat hîc sufficient. Tractatu primo ferè sub initium, (& similiter Homilia 1.) sic exorditur: *Prophetam* Eliam *primum sacræ hujus Carmelitanæ Religionis Institutorem fuisse* (*B. Virgine specialiter ad ejus conservationem posteà cooperante*) *primaque ejus fundamenta instar peritissimi architecti jecisse, probatione non indigebat, cùm tamquam rem notissimam sancti Patres testentur, Sacri Pontifices ei subscribant, ac diversarum traditionum monumenta confirment; solùm supercilio si negent, invidi inficientur, historiarum ignari discredant; & si qui viri perdocti, ac sapientes inficias ierunt, argumentum hoc non ex professo, sed per transennam, & obiter attigerunt .... Nolo, quamvis facultas mihi suppetat, sermonem protrahere in antiquorum Doctorum variis monumentis referendis, qui omnes uno ore testantur, sanctissimum Patrem* Eliam *totius vitæ religiosæ ducem, ac celebrem auctorem esse: paucis tamen veritas hæc patebit, si essentialia Religionum vota, obedientiam, castitatem, & paupertatem esse, in mentem revocaverimus.* Ibi consequenter Eliæ, Elisei, & discipulorum obedientiam, paupertatem, & castitatem ex Scriptura Sacra, & Patribus comprobat.

Fundator Carmelit. Religionis S. Elias.

1310. Tractatu 2. cap. 8. & Homilia 2. objectione 7. de præfatorum Eliæ, Elisei, & Filiorum Prophetarum votis hæc habet notatû dignissima: *Ac tandem* Eliam, *ejusque successores, tam paupertatis votum, quàm reliqua substantialia religionis emisisse, vel illa una ratio nervosè satis suadet: Quòd si* Elias, *ejusque successores Monachorum institutum amplectentes, Deo se consecrarunt, castitatem, paupertatem, & obedientiam colentes; certè cum prædicti Patres non ignari essent fore Deo gratissimum, longèque magis meritorium, propositum suum voto firmare (hoc enim ut supra præmisimus, in veteri Lege notum, compertumque fuit) & præterea cum apertè scirent plurimùm valere hanc votorum emissionem ad voluntatem nostram, quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bonô firmandam, & in officio continendam; non est dubium quin hoc votorum adminiculô ad prædictos fines juvarentur. Accedit ad hæc illius societatis viros, selectos ex grege Iudaico, sapientiâ, & acumine ingenij, cæteram plebem longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non poterat, & multò minus* Eliæ, *& Eliseo vitæ monasticæ Ducibus, qui ex frequenti cum Deo colloquio, & lectione Scripturarum, divitias, & uberrimos thesauros, qui in votis monasticis latibant, facilè cognoscere potuerunt: quare existimo Scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse viros illos divino lumine ductos, institutum Monasticû tribus votis firmasse; maximè cum* Elias *speciali Dei revelatione, monasticæ professioni initium dederit, ut testantur S. Isidorus libro 2. de divinis officiis cap. 15. Sozomenus lib. 1. Eccles. hist. cap. 12.* &c. Hactenus ex Carthagena.

Qui essentialia vota Monastices emisit.

1311. Aubertus Miræus Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Decanus Ecclesiasticæ antiquitatis, & historiæ Monasticæ egregius illustrator, inter plurima singularis diligentiæ monimenta librum scripsit cui titulus est: *Ordinis Carmelitani ab* Elia *Propheta primùm inchoati, ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano vita Regulâ temperati, à B. Teresia virgine Hispana ad primævam disciplinam revocati, origo atque incrementa.* In quo sub initium Ordinis hujus institutionem, & successionem sic brevi, & eleganti epitome complectitur. *Anno ante Christi ortum circiter nongentesimo tricesimo* Elias *Propheta clarissimus in Carmelo Syriæ monte, quem cultu suo fecit insignem, prima instituti Monastici fundamenta jecit; qua gravissimorum Patrum consensio est. Postquàm enim Dei jussu primogenitum suum, & ex asse paterna laudis hæredem Eliseum, ex agricultura evocatum sibi sociavit; plurimos alios excelsum, & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos Filios Prophetarum appellatos Scriptura Sacra demonstrat) in agmine illo primævo recensuit: qui ejus domum post raptum, in Oratorium tanti Vatis nomine decoratum in Carmelo dedicarunt ... Illi verò Prophetarum Filij, Esseni ve Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni posteà in Ægyptum traducti) miris exemplis captam institutionem, usque ad Virginis partum produxerunt ... Nec sanè decuit Prophetæ tanti posteritatem ignaviâ torpescere, cùm densas orbis terrarum tenebras lux nova discuteret: sed antiquum pietatis cultum cum novo potiùs conciliare*

Aubertus Miræus librum scripsit de orig. & success. Ord. Carmelit.

Elias in Carmelo Monastici Instituti fundamenta jecit.

Esseni, & Filij Prophetarum posteri Eliæ.

MARIA Virgo titulum, & Scapulare dedit Ordini Carmelitano

ciliare .... Strenuam ergo primæ Christi sementi, & Virginis laudi cum ELIÆ posteri operam navarent, illustrissimum cognomentum adepti sunt, ut Virginis Fratres appellarentur. Quem sanè honorificum titulum clementissima Regina, & visis, & miraculis, uti rem invidiosam propugnavit; multisque aliis prærogativis gentem auxit (inter quas superhumerale, seu Scapulare, temporis processu B. Simoni Anglicano donatum mirificè elucet.) Nova igitur Christi agmina concepto fidei orthodoxæ calore validiùs dimicantia Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus cælestibus jam viris, quam plantis fæcundior, cœpit animos excelsos procreare, ac in hunc modum, non tam scripto, quam traditione instructus usque ad annum à Christi natali quater centesimum perduravit.

1312. *Creverat mirum in modum nova Virginis proles, quam scriptis jam legibus temperari opus erat: quamobrem Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha quadragesimus quartus (quem Molanus inter Sanctos refert) regulam è Scriptura sacra consiliis, & veterum Patrum, qui ab ELIÆ tempore Carmelum incoluêre, documentis contextam ei præscripsit. Series verò longa, sub ea Regula, per annos plurimos excurrit, multisque laboribus, & infestationibus Carmelus afflictus est: ad annum quippe sexcentesimum usque numerosa proles increvit: ac postbâc persecutionibus gravissimis Ecclesiæ hostium exagitata in patrio monte, quò se velut in asylum tota recepit, usque ad octingentesimum annum perseveravit. Post eum verò annum Pontifices Summi (à Leone illo, qui Pontificatum ad annum 848. gessit, usque ad Gregorium VII.) statum rerum adversarum commiserati, gentem afflictam privilegiis augere perrexerunt. Verùm interlapsis annis aliquot, Aymericus Lemovicensis, Antiochenus Patriarcha, & Apostolica Sedis in Oriente Legatus, institutionem ELIÆ penè collapsam conspicatus, regulâ Ioannis è Græco in Latinum traductâ & à multis Latinis, qui eò commigraverant exactiùs perceptâ, dejectos animos in avitam observationem erigere studuit: & Eremitas Carmeli ad communem vitæ rationem Latinorum Monachorum moribus consentaneam, induxit. Refecit pius Patriarcha sedulitate, ac auctoritate suâ Carmeli vires, ut aliquandiu vigerent: at post nonnullos annos, cùm multa intellectu difficilia è Ioannis regula emergerent, quæ explanatione indigebant, Albertus Ierosolymorum Patriarcha breviorem quandam regulam compendio, & perfectione laudatam edidit.* En brevi in compendio inclusa præcipua pleraque hactenùs in prima, & secunda hac parte tradita, peculiariter verò continuatam Ordinis successionem ab ejus per S. ELIAM institutione usque ad tempus Regulæ per Albertum Patriarcham Jerosolymitanum ex Ioannis itidem Jerosolymitani Antistitis libro in compendium traditæ circa annum Christi MCCV.

Cujus successio texitur usque post annum Chr. MCC.

CAPUT III.

Carmelitani Scriptores de sui Ordinis institutione per S. Prophetam ELIAM ex professo tractantes.

1313. DOmesticos huc in Testes advocari posse, imò comprimis debere, in antecedentibus aliquoties audivimus. (a) Plura ad hoc propositum videri poterunt apud Lezana in Annalibus Ordinis (b) ubi, inter cetera, ista: *Cum unusquisque (teste Aristotele lib. 1. moral. c. 3.) ea rectè judicet, quæ cognoscit, ambigendi locus non erat, quin unius familiæ, seu Reipublicæ homines de iis, quæ in ipsa acciderunt cæteris aptiùs judicare possint, ac proindè veluti legitimi testes testimonium de ipsis proferre.* Ibi consequenter variis juribus, & rationibus ostendit: *Ordinum quorumcunque historicos in rebus ad ipsos spectantibus veluti germanos testes audiri debere, & non nisi à torvo spiritu reprobari posse.* Et apud Thomam Aquinatem à S. Josepho (c) *Si illi potissimùm assumendi sunt testes, qui eadem negotia tractarunt, quis neget Carmelitas res sui Ordinis, & tractare, & compertissimas habere? .... Certum enim, & indubitatum est testem quemlibet eò esse magis idoneum ad testandum, quò majorem certioremque notitiam habet, aut habere potest ejus rei, de qua testandum est illi: atqui Carmelitæ majorem, & perfectiorem habent, aut habere possunt notitiam suæ primæ institutionis primique illorum institutoris, ex quo fit consequens, illos esse magis idoneos,* minorem sic probat: *Duæ potissimùm viæ sunt, quibus id, quod in illa propositione positum est, innotescere potest: altera est traditio à majoribus per manus accepta & ad posteros transmissa; altera diligens antiquorum monumentorum, frequensque pervolutatio, quas vias nemo, meo judicio, negaverit Carmelitis ipsis notiores, & compertiores esse; utpotè qui illius familiæ, & cœtus membra sint, in eoque degant, in quo hujusmodi traditio accipitur, & asservatur, & quibus antiqua monumenta sint faciliùs ad manum.* Hinc appositè, Wastelius (d) *forsitan verum esse comperiemus quod vulgato proverbio jactatur:* PLUS SAPERE STULTUM IN DOMO SUA, QUAM SAPIENTEM IN ALIENA: *& quod Palæstinæ aquè proverbio ajebat Dominus: Ipsos* VIDERE LUMEN QUI DOMUM INGREDIUNTUR. Ad hoc propositum etiam præclare scribit Arnold. Bost. in Prologo ad Spec. Histor. hîc suprà. (e) Domestici autem Patriarcham, & Institutorem Ordinis Carmelitani universaliter tradunt, & constanter asserunt. Illos autem omnes, aut plerosque qui de Patriarchatu ELIÆ in suo Ordine Libros, seu Tractatus speciales elucubrarunt, aut occasionaliter eadem in suis scriptis tradiderunt, huc adducere majoris esset laboris, quàm utilitatis. Satis igitur erit præcipuos qui de ejusdem Religionis à S.P. ELIA primariâ institutione, & hæreditariâ successione Libros, seu Tractatus integros scripserunt, indicasse, ac deindè aliorum quorundam præcipuorum testimonia quædam exhibuisse.

(a) Vide suprà num. 718. & 1134

(b) Tom. 1. Annal. in Appar. c. 10 n. 1. 2. & 3.

(c) De Patriarchatu ELIÆ part. 2. sect. 4.

Domestici in quibus causis testes esse possint.

(d) Lib. 1. Vindic. sect. 5. art. 1. §. 2.

(e) N. 1134 & 1135.

Carmelitæ universi S. ELIAM sui Ordinis Institutorem tradunt.

1314. JOANNI JEROSOLYM. XLIV. EPISCOPO (seu PATRIARCHÆ) jure primus hîc

 debe-

debetur locus; utpote qui claruit ab hinc annis ferè mille trecentis, magnis cumulatus, & celebratus encomiis à Summis Pontificibus S. Anastasio, & S. Zosimo, nec non à S. Augustino, Idatio, Eusebio, Theodoreto, Nicephoro, Molano, Bollando, Henschenio, & aliis (Vide hîc suprà *nu*. 1. 2. 3 *& seq. pag*. 1. 2. *&* 3.) Is ex Carmeli Patre, seu Archimandrita assumptus (sicut hîc suprà *n*. 289. refertur) librum scripsit *de Institutione primorum Monachorum* (de quo peculiariter actum est etiam hîc suprà *nu*. 4. 5. 6. *& seq. pagina* 2. 3. *&* 4.) in quo etiam agitur *de primaria institutione Carmelitani Ordinis* à S. Elia, & de norma vitæ, quam ipse S. Elias servavit, & discipulis suis servandam tradidit. Is liber fuit, & est in hoc Ordine valdè venerabilis; utpote qui per octo secula habitus, & servatus fuerit locô Regulæ, sicut constat ex dictis supra *nu*. 290. *&* 291. & Regula moderna inde desumpta est (Vide suprà *num*. 336. *& seq*.) In illo autem libro ista statuitur, & ex sacris litteris confirmatur assertio: *Hic Propheta Dei* Elias *Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta primæva institutio exordium sumpsit*. Consequenter agitur de ejusdem paupertate, & abdicatione proprietatis, & propriæ voluntatis, castitate, solitudine, silentio, & quòd ipse S. Elias tàm factis quàm verbis exemplar monasticè vivendi se suis discipulis præbuerit, & *quidquid perfectionis est in Monachorum vita, ab* Elia *tamquam à primo exemplari originem trahat* (Vide suprà *n*. 85. *& seq*.) Consequenter agitur de Carmelo in quo Religiosa Monastica vita inchoata, & fundata, ac continuata (Vide *n*. 98. *& seq*. nec non 116. *& seq*.) De successione Elisei, & cæterorum (*n*. 153. *& seq*.) de identitate Ordinis à S. Elia instituti sub veteri & nova Lege, & qualiter ejus alumni Euangelicam fidem amplexati fuerint, & cum Apostolis prædicaverint (Vide sup. *n*. 181. *& seq. per octo sequentia capitula*.) Hoc unicum testimonium pro Ordinis hujus Patriarchatu asserendo S. Eliæ, ex isto tam venerabilis antiquitatis libro (per octo secula, ut jam dictum est, habiti locô Regulæ, cujus veluti epitome est Regula moderna) an non sufficiens videtur? Interim juvabit etiam audivisse alios, qui eadem tradunt: quos inter sunt S. Cyrillus (hîc suprà *nu*. 289. *& seq*.) Joannes Grossi Generalis, Joannes de Hildensheim, Joan. Bacho, Bernard. Ollerius Generalis, Thomas Bradley, Baptista Mantuanus Generalis, Joannes Palæonydorus, Arnoldus Bostius (quorum libri *in hac parte* 2. *Speculi* præcesserunt) & alij plurimi: ex quibus aliquot præcipuos, juxta alphabethi seriem procedendo, succinctè referemus.

1315. Ægidius Faber Bruxellensis, Doctor Lovaniensis, Maximiliano Imperatori à consiliis: de quo Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis ista, inter cætera: *Erat in eo, ut illis temporibus, eximia doctrina, divina memoria, summa cùm sacra, tùm prophana historia cognitio; atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas, & integritas*. Scripsit (præter alia multa) *Carmelitani Ordinis* Chronicon. Claruit circa an. 1500.

Arnoldus Bostius Gandensis *Breviloquium tripartitum* insertum Vineæ Carmeli, *Speculum Historiale*. & alia; vide hîc suprà (a) liber ejusdem *de Patronatu B. V. Mariæ*, sequitur in parte 3. in quo etiam primatum S. Eliæ in Ordine Monastico, & ejusdem Patriarcharum in Religione Carmelitana tradit, & confirmat variis locis, præsertim autem cap. 2. Ad Christum migravit an. 1499.

(a) Num. 1119. & seq.

Balduinus Leersius Atrebatensis *Collectaneum exemplorum*, in quo etiam de Ordinis processu à S. Elia. Illud sequitur in parte 3. Speculi hujus. Obiit ipse anno 1483.

1316. Baptista Ferrariensis *vir eruditissimus, & Theologiæ professor egregius* (ut ex Petro Lucio habet Possevinus) scripsit, inter cætera, *Chronicon Ordinis*, circa an. Christi 1492.

Baptista Mantuanus Generalis totius Ordinis electus an. 1513. *Apologiam pro Ordine*, insertam Speculo huic hîc suprà. (b)

(b) Num. 846. & seq.

Bernardus à Montesa Hisp. Provinciæ Aragoniæ, vir religione præcellsus, & litterario labore assiduo adamantinus anno Christi 1469 Vicarius Generalis super omnes Hispaniæ Provincias, elucubravit, *Elucidationes in librum Ioannis Ierosolymitani de institutione primorum Monachorum, & in libros Philippi Riboti*.

Bernardus Olerius, sic communiter, sed rectiùs Ollerius, Hispanicè Oller (atque ita minùs benè *Olensis* à nonnullis cognominatur) Generalis *Librum*, seu *Tractatum* scripsit *de Ordinis origine à* S. Elia, *confirmatione &c*. Habetur hîc suprà num. 737. & seq. Quo ad patriam ejus ea *Minorissa* vulgò *Manrressa* nobilis urbs Cathaloniæ. Hinc corrigenda in nonnullis lectio *Minorica* (vulgò *Menorca*) aut *Majorica* (quæ insulæ sunt circa Hispaniam *Baleares* nuncupatæ.) Et ista obiter.

1317. Blasius Palucius Polonus (in exemplari quod in Belgio habemus, estque ejus initium: *Multos pressit, premitque ignorantia sacri Ordinis: nuncupatur Blasius Hoitius Palatius*) librũ edidit: *De ortu & progressu sacri Ordinis Prophetici* Eliæ *Patris gloriosissimi cum declaratione provinciarum, & Conventuum ferè totius Ordinis*, circa annum Christi 1625.

Camillus Ausilius Italus *Summarium antiquitatis Carmelitanæ lib*. 1. excusum Neapoli, & Venetiis anno 1602. & 1607.

S. Cyrilus Constantin. sanctitate, & doctrinâ clarus circa an. Christi 1200. scripsit Tractatum, seu librum de processu, & variis Regulis Ordinis. Insertus est Speculo huic parte 1. lib. 8. cap. 1. 2. & 3. & lib. 7. cap. 7. Ibi capite primo identidem reperitur *Religionem hanc institutam à* S. Elia *Propheta*. Et liber ille (à nonnullis nuncupatus Epistola; quia per modum epistolæ directus fuit ad Eusebium Priorem montis Neroij) unum ex præstantioribus antiquitatis monumentis in hoc Ordine, cujus processum à S. Elia succinctè tradit, & continet Regulam Ordinis primitivã, pro ut ab Alberto Patriarcha Jerosol. (viso priùs libro Joannis Jerosol. de quo hîc supra num. 1314. cujus epitome Regula hæc est) scripta, & tradita fuit; cum enim in Carmeli Monasterio per Saracenos igni tradito, igne etiam consumptũ sit Originale ipsum, aut in transmigratione Ordinis in Euro-

Europam interierit, copiam primam ex originali per S. Cyrillum factam, & huic libro inferiam, servatam gaudet Ordo. Plura de isto libro vide hîc suprà. (a)

(a) Vid. n. 289. & seq.

1318. Didacus Coria Hispanus elucubravit luculentum opus, distributum in libros undecim *Dilucidarium, seu Demonstratio Chronicorum, & antiquitatis Ordinis Carmeli*, sub ann. 1590.

Dorotheus à S. Renato Gallus, Provinciæ Turoniæ eruditum edidit *Commentarium Theologico historicum super libros Regum, & Apocalypsis*: in quo magnalia, & virtutes heroicas SS. Prophetarum Eliæ & Elisei illustrat, atque unà monasticæ vitæ, & Carmelitanæ religionis initia ad ipsos refert. Opus istud impressum est Parisijs an. 1656.

Eman. Romanus Hispanus edidit *Elucidationes antiquitatis, & dignitatis Ordinis Carmeli* circa an. 1630. Filocalus Cap. vide Philoc.

Franciscus à S. Angelo Hispanus Ordinis sui *Chronica* sub an. 1598.

1319. Franciscus Bonæ Spei Flander (cursu integro Philosophico, & Theologico, quibus nostri Studiosi utuntur, atque aliis variis in publicum datis, notus) quo-ad historiam Carmelitanam præter *Carmeli Armamentarium* (de quo peculiariter hîc infrà in Synopsi 2. sequenti) etiam edidit librum, cui titulus: *Magni Prophetæ* Eliæ *Sacri Ordinis Carmelitarum Fundatoris visio de Immaculata Deipara Virginis Conceptione à Carmelitis omnium primò culta ac propugnata*, in quo peculiariter etiam, & luculenter tractatur, *de Ordinis Carmelitarum à S. Patriarcha* Elia *institutione*, ejusque hinc *omnium verè & perfectè Monachorum Primatu*. Binos etiam edidit Tractatus pro asserenda authoritate libri *de Institutione primorum Monach.* Adhuc vivit (Provincialis Flandro Belgicæ) & alia ad prælum parat anno quo hæc scribimus 1671.

Francisci Bonæ Spei quæ de Car. Ord. scripserit.

Franciscus Martini Cathalanus, eruditione clarus in Ordine circa an. Christi 1376. & sequentes *Compendium gloriæ Carmelitarum.*

1320. Franciscus à S. Maria Hispanus S. Teresiæ consanguineus ex parte matris, pietate pariter, & doctrinâ præclarus Carmelitarum Discalceatorum, Bœticæ Provinciæ Provincialis, Historiographus eorundem generalis, volumina aliquot Historiæ Ordinis elucubravit, inter quæ primum sub titulo *Historia Prophetica* de fundatione, & successione Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli à S. Elia Patriarcha usque ad Christum, quod Opus à nonnullis impugnatum tandem victoriosè triumphavit. Obiit anno 1649. ætatis suæ 82.

Franc. Voersius, *Italus Chronicon Ordinis, & Hortum Thesauri spiritualis Religionis Carmel.*

Gaspar Rinckens Prior Carmeli Antuerpiensis librum *de antiquitate Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli à S.* Elia *fundati* typis editum an. 1621.

Genesius Rosanus Lombardus *Encomium Ordinis Eliadum* an. 1564.

1321. Guilielmus Conventriensis Anglus, peculiariter celebratus à Pitseo libro de Scriptoribus Angliæ *omni laude ad æternitatem dignissimus* inquit, inter multa ingenij ejus monimenta ibi recensita est *Scutum Carmelitarum libri tres*, atque etiam alia de Ordine ibi expressa. Floruit an. 1360.

Guilielmus Grenæus seu Viretus, Anglus Carmelitanæ historiæ studiosissimus indagator, circa annum à Christo nato 1470. totam ferè Angliam peragravit, scrutaturus Bibliothecas, tandemque confecit opus egregium *Hagiologium Carmelitarum.*

Guilielmus de Sanvico (seu Samuco) Carmeli incola & Prior, ac Terræ S. Provincialis, circa an. Christi 1290. scripsit *Chronica Ordinis librum unum.* Insertus est Speculo huic *parte* 1. constituens librum nonum. (a)

(a) Vide hîc suprà num. 400 (pag. 95) & seq.

1322. Henricus Marionowensis, Germanus, variâ eruditione spectabilis Episcopus. *Historiarum Ordinis Carmelitani, librum unum.* Floruit an. 1440. Alia ejus scripta recensent Possevinus, Lezana & alij.

Joannes Bacho Anglus Opuscula varia de Ordine, de quibus hîc suprà. (b)

(b) N. 713. & seq. 727 & seq.

1323. Joannes Baptista de Lezana Hispanus doctrinâ variâ, & æstimatione eximiæ virtutis valdè conspicuus Romæ in Archigymnasio vulgò *Sapientia* annis multis ad extremum vitæ, publicus Lector, S. Congregationis Indicis consultor, & beneficiorum examinator, atque Procurator Generalis Ordinis, inter omnes optimè meritus de Carmelitana historia: quam ab ipsa Ordinis institutione, per magnum Prophetam Eliam, usque ad an. à Christo natum MDXVII. natalitium Seraphicæ Virginis Teresiæ Eliano spiritu plenæ, ordinatissimè, graviter, & solidè tradidit in *quatuor tomis Annalium* Romæ approbatis, & excusis. Titulus tomi primi est: *Annales Sacri Prophetici, & Eliani Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmeli ab* Elia *primo ipsius Patriarchâ usque ad Christum Servatorem per Prophetas, Filios Prophetarum, Rechabitas, Essenos, & Assidæos in Carmelo, & Syria locis perenniter propagati.* Tomorum verò subsequentium iste: *Annales* &c. (sicut in priore) *Post Christi Servatoris Euangelium per Ascetas, Therapeutas, Essenos, Monachos, Anachoretas, & Eremitas in Carmelo, Syria, Ægypto, & aliis orbis Christiani locis propagati.* Scripsit quoque alia plurima Theologica, Juridica, & Ascetica, Romæ similiter approbata, ibidem, Venetiis, ac alibi typis edita. Obiit Romæ anno 1659. die 29. Martij.

Ioan. Bap. Lezana, doctrinâ, & pietate eximius.

Annal. Car. tomus 4. edidit Romæ.

1324. Joan. de la Court Brabantinus S. Th. Doctor, Prior Carmeli Antuerp. (cujus Ecclesiæ augustæ fabricam inchoavit, & ad fastigiũ perduxit) Flandrico idiomate edidit *historiam originis & successionis Ordinis Carm. à S. Prophetâ* Elia *& vindicias libri de institutione primorum Monachorum per Ioannem Patriarcham XLIV. Ierosolymitanum* Obiit anno 1622.

Joan. de Ciminеto Gallus, *Speculum institutionis Ordinis*, de quo peculiariter hîc suprà, ubi excerpta quædam ex eodem *num.* 885.

Joannes Geerbrandus, Batavus, Harlemensis Conventus, scripsit (inter cætera) Historiam Ordinis. Sunt qui putant Speculum Historiale (de quo hîc suprà num. 1129. & seq.) esse fœtum hujus Joannis; eò quod

sub finem operis adscriptū sit: *Completū est* &c. Sed istud intelligendum de exscriptione, non compositione. Hinc passim à Lezana, & aliis attribuitur Bostio. Vid. hic sup. n. 1130. & 1187.

1325. JOANNES GLUEL, Aquisgrani natus, vir in Divinis Scripturis egregiè doctus, & secularis litteraturæ non ignarus, excellentis, & præclari ingenij, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula *Volumen de origine, & profectu Ordinis sui.* Ità Trithemius. Possevinus, & alij. Vivebat anno à partu Virginis 1377. Initium libri est: *Notandum hic de origine.*

JOANNES GROSSI Tholosanus, Generalis electus an. 1389. & iterum anno 1411. Scripsit *Viridarium Ordinis*. Habetur hîc suprà. (a)

(a) Vid. sup. num. 550 & seq.

JOANNES HILDESHEIMENSIS Germanus *Defensorium Ordinis*. Habetur hîc suprà (b) fuit discipulus S. Petri Thom. circa an. Christi 1351.

(b) N. 643. 644. & seq.

1326. JOANNES HORNEBIUS Anglus Doctor Theologus Cantabrigiensis, ex ingenij, doctrinæque thesauro protulit: *Determinationes solemnes pro Carmelitis & Defensorium antiquitatis Ordinis sui*: Claruit anno post plenitudinem temporis 1374. Ità Pitseus, & alij, cætera ejus scripta recensentes.

JOANNES JEROSOLYMITANUS. Vide supra num. 1314.

JOANNES DE MALINES *Speculum Historiale Ordinis Carmelitani*: de quo vide hîc suprà. (c)

(c) N. 901. & seq.

1327. JOANNES MARIA POLUTIANUS Italus Theologus Bononiensis *Vexillum Carmelitarum* ann. 1498. Ità Possevinus, & alij, alia ejus opera referentes.

JOANNES PALÆONYDORUS Batavus, Fasciculum Tripartitum (qui hîc præcessit. (d)

(d) Vide n. 930. & seq.

JOANNES DE VICTORIA Lusitanus *Hierarchiam Carmelitanam*, circà an. 1631.

JOANNES DE VINETA Armoricus S. Theologiæ Magister, Provincialis Franciæ: *Chronicon Ordinis*. Illud præcessit in hac parte. (e)

(e) N. 869. & seq.

JOSEPH A FALCONIBUS seu ALFACONICUS Italus *Chronica Carmelitana Religionis*, typis edita Placentiæ anno 1595.

1328. LAURENTIUS BURELLUS Divionensis elaboravit opus celeberrimum in laudem S. ELIÆ Carmelitarum Patriarchæ, prænotatum *Heliadem*. Vide plura de Authore, & hoc ejus opere hîc suprà (f) & apud Possevinū *in Apparatu*.

(f) N. 1126.

LUDOVICUS A S. TERESIA Gallus Carmelita Discalceatus diligens, & accuratus Author scripsit Gallico idiomate tomum Parisijs excusum *De successione Ordinis B.V. Mariæ de monte Carmeli à S. Propheta* ELIA, quam ab ipso fonte descendendo per singula secula ad usque hoc præsens, ad oculum demonstrat.

1329. MARCUS ANTONIUS ALEGRE DE CASANATE. Librum scripsit cui *Paradisus Carmelitici decoris*, præfixus titulus in variis non apposité conveniens operi; quippè in Chronologia, & in non paucis aliis haud satis conformis historicæ veritati. De hoc monendus hîc Lector videbatur, ut si illius utatur authoritate, eam præviè lapide lydio aliorum Scriptorum probet; nè forsan alicubi errantem inconsideratè sequens, erret: quod in exteris nonnullis Scriptoribus advertimus.

Paradisus Carmel. decoris *cautè legendus.*

1330. MARTINUS A IESU MARIA Carmelita Discalceatus *Apologiam Historiæ Propheticæ*, quâ Religiosus Monasticus status, sub tribus votis, & Patriarchatus S. Prophetæ ELIÆ authoritatibus Patrum, & Doctorum, ac Scriptorum plurimorum vindicatur. Ejusdem subjecti, & tituli Tractatus ediderunt quoque SIMON A SPIRITU S. PETRUS A CONCEPTIONE, JOSEPH AB INCARNATIONE, THOMAS A S. VINCENTIO. (a)

(a) Vide Directorii Regularii Antonij à S. Spiritu Tract. 3. disput. 1. sect. 1.

MARTINUS ITALUS Tractatum *de titulo, Sanctis, & Doctoribus Ordinis Carmelitani* cujus initium est: *Etsi dicendi*. Confectum illud fuit ante annum Christi 1484. nam circa annum 1485 illud descriptum fuit in Codice MS. Conventûs Mechliniensis folio CLXXVI. in quo Codice aliorum plurimorum de Ordine Carmelitano libri, & Tractatus continentur.

1331. MATHIAS A S. IOANNE Provincialis Turoniæ, ac deindè Vasconiæ Gallico idiomate eruditè, solidè & valdè luculenter in aliquot voluminibus *Historiam panegyricam Ordinis Dominæ nostræ de monte Carmelo à suo Protboparente* ELIA *continuatis* conscripsit, & Parisijs typis edi curavit, Tomum 1. anno 1658. & 2. an. 1665.

MICHAEL A PONTE Hispanus *Compendium historiarum Ordinis* anno Christi 1625.

1332. MICHAEL MUÑOZ Cordubensis *Propugnaculum* ELIÆ, *& propaginis Carmelitanæ* Romæ à Magistro S. Palatij approbatum & inibi typis excusum an. 1636.

NICOLAUS AURIFICUS Italus, Senensis, eruditione, & variorum operum partu celebratus *Institutionem Carmeliticam* an. 1592. Alia ejus opera refert Possevinus.

NICOLAUS CANTILUPUS (Ita Pitseus. In Indice habet *Cantilupus*; ita etiam Possevinus. Lezana scribit *Cantalupus*) Anglus, Doctor Cantabrigiensis *Encomium Ordinis* librum unum. Obiit an. 1441.

1333. NICOLAUS KENTONUS Anglus Doctor Cantabrigiensis Provincialis Angliæ, omni virtutum, & scientiarum genere instructissimus, inter plurima cætera scripsit *Historiam S. Elisei, & aliorum Sanctorum Ordinis*. Sanctissimè obiit Londini an. 1468. Ita Pitseus libro *de Illustribus Angliæ Scriptoribus.*

NICOLAUS LINNENSIS Anglus: *De Ordine Carmelitarum librum unum.* Claruit an. 1370.

NICOLAUS DE LUCA Italus, eruditione, & authoritate insignis, *Victoriale Carmelitarum*, & *Ordinis hujus ab* ELIA, *& Eliseo deductam originem.* Floruit an. 1380.

NICOLAUS SIMONIS, Hollandus, Harlemensis (*doctissimus, & honorabilissimus* deprædicatus) circa an. 1495. *Historiam Ordinis Carmelitani* edidit inter cætera litterarum monimenta: quæ referunt Valerius Andreas, Possevinus & alij.

1334. PAULUS AB OMNIBUS SANCTIS Carmelita Discalceatus, Definitor in Germania, variorum Carmelitanæ Historiæ librorum parens, & nutritius. Ejus enim studio, & operâ, recusa in Germania *Dissertatio* Thomæ Aquinatis à S. Josepho (de qua hîc paulò infra.)

Paulus ab omnibus SS. de Carmelit. historia optime meritus.

Opera

Opera Joannis à Jesu Maria, & diversorum opuscula quibus titulus præfigitur *De ortu & progressu ac viris illustribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semper Virginis* Mariæ *de monte Carmelo*, Coloniæ anno 1643. quibus etiam ipse Tractatus aliquot inseruit. Varia etiam alia ipse edidit, videlicet *Carmelum Thaumaturgum, Thesaurum Pharthenο-Carmeliticum* variis locis typis editos, *Clavem auream*, Viennæ impressam anno 1670. & alia, in quibus etiam occasionaliter Patriarchatus Eliæ in hoc Ordine, asseritur. Hinc meritò P. Lezana noster eum nuncupavit (a) *diligentem valde in Ordinis historiis scriptorem* & alius: *Iurium Carmeli peritissimum*. Adhuc vivit & scribit hoc anno 1671.

(a) To. 4. Annal. ad an. 1337. pag. 1042.

Petrus a S. Andrea Carmelitarum Discalceatorum Definitor Generalis, inceptam à P. Isidoro a S. Josepho complevit *Historiam Generalem Congregationis* S. Eliæ in qua, librô primô totius Carmelitanæ Religionis origo, & successio ab ipso S. P. Elia deducitur; Opus illud Romæ approbatum & typis editum est anno 1668.

Petrus Brunus Gandensis *Tabulare Ordinis* recusum in hac parte 2. Speculi Carmelitani (b) impressum fuit Alosti an. 1474.

(b) Hic sup. num. 888. & seq.

1335. Petrus Lucius Bruxellensis edidit (inter alia) *Compendium historiarum Carmelitani Ordinis, Bibliothecam Carmelitanam*, & *Apologeticon pro libro Ioannis Trithemij Abbatis*, in quo multorum testimoniis declarat Carmelitanæ Religionis ducem, & Principem S. Prophetam Eliam.

Petrus Wastelius Flander Doctor S. Theologiæ, Provincialis Belgicæ optimè meritus de Carmelitana historia, pro eius primario monumento, libro de Institutione primorum Monachorum, & illius authore (de quibus hîc paulò ante num. 1314.) Apologeticum edidit, impressum Bruxellis an. 1611. exinde indefesso studio ex antiquis MSS. librum istum Joannis Jerosolymitani (& alia ejusdem Authoris opera) suo restituit nitori, Notationibus illustravit, & tribus Vindiciarum libris suo Authori asseruit. In primo (peculiariter sectione 5.) præcipua Carmelitanæ historiæ, & originis, ac successionis à S. Propheta Elia fundamenta eruditè & solidè confirmat. Opus istud typis prodiit anno 1643.

Philippus Metius Germanus, Strabingensis, varia de Ordine hoc elucubravit opuscula, inter quæ vitæ illustrium aliquot Sanctorum Ordinis FF. B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, compendiò conscriptæ. Ibi cap. 1. peculiariter tractat de S. Elia *Propheta Patriarcha Carmelitarum.*

Philippus Riboti Cathalanus, Auctor *voluminis insignis decem librorum* (quod totum continetur in parte prima Speculi hujus.) (c) anno Christi 1370. Alia ejus opera recensent Trithemius libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Lezana *tomo 4. Annalium Carmelitarum.*

(c) Incipit nu 14. pag. 7. & finitur n. 498. pag. 114.

1336. Philippus a SS. Trinitate Generalis Carmelitarum Discalceatorum, inter plurima ad posteritatem transmissa variæ eruditionis testimonia scripsit, & Romæ approbatum typis excudi curavit volumen, cui præfixus titulus: *Theologia Carmelitana, sive Apologia scholastica Religionis Carmelitanæ pro tuenda sua nobilitatis antiquitate*. In qua *Ordinis fundatio ab* Elia *Propheta sanctissimo, & continuata successio hæreditaria* demonstrantur. Aliud quoque opus edidit inscriptum *Historia Carmelitani Ordinis*, nec non tomum de Sanctis Ordinis, cui titulus *Decor Carmeli.*

Philip. à SS. Trin. varia opera de Ord. Carm.

Philocalus (seu Filocalus) Caputus Sacri Theologici Collegij Universitatis Neapolitanæ Decanus binos edidit libros inscriptos *Mons Carmelus*, ubi etiam de Ordinis in Carmelo per S. Prophetam Eliam institutione, ac successione: circa an. Christi 1636.

1337. Segerus Pauli Coloniensis, Carmelitanæ historiæ, & antiquitatis diligens scrutator, ac illustrator plurima scripsit, in quibus Patriarchatum Eliæ confirmat: Ex illius lucubrationibus Vita S. Telesphori Papæ inserta est à PP. Bollando, & Henschenio *Actis Sanctorum* ad diem 5. Januarij: in qua de eodem occasionaliter agitur.

Sibertus de Beka Gelriensis, Provincialis Alemaniæ Superioris, & Inferioris *Tractatum super Regulam Ordinis* insertum huic Speculo *parte 1. libro 8. cap. 5. & 6.* In divinis Scripturis eruditissimus claruit circa annum Christi 1330 Alias ejus lucubrationes referunt Trithemius, Lezana, & alij.

1338. Thomas Aquinas a S. Josepho Gallus Carmelita Discalceatus inter cæteros ingenij sui, & eruditionis partus edidit librum cui titulus: *Dissertatio historico-Theologica in qua Patriarchatus celeberrimi Ordinis Carmelitarum sanctissimo Propheta* Eliæ *vindicatur, totius Monastices principatus eidem Prophetæ adseritur, ex SS. Patribus.* Is primùm Parisijs prodiit, deinde ab Authore recognitus, & multis accessionibus locupletatus, recusus fuit Coloniæ.

Thomas Bradley Anglus, Episcopus Dromorensis *Chronicon Ordinis*, & bina alia Opuscula, de quibus hîc supra (a) ubi ea inserta sunt.

(a) Nu. 757. & seq 817. & seq. 827. & seq.

1339. Thomas a Jesu Carmelitarum Discalceatorum per Belgium Provincialis, & Vicarius Generalis, pari doctrinâ, & pietate celebratus, inter plura, eruditione variâ plena, ad posteritatem transmisit *librum de antiquitate Ordinis Carmelitani, à S.* Elia *originem, & successionem tenentis*, nec non in erudito opere *de variis Regulis Ordinis hujus*: in quo etiam eadem probat cap. 1. sub isto titulo: *De* Elia *Ordinis Carmelitarum authore.*

Præfati omnes (& ex illis plerique singulari eruditione spectabiles) atque alij etiam plures prætermissi (nè longior recensus tædium pariat) Libros, seu Tractatus integros scripserunt de historia Ordinis, & ejusdem Institutione per S. P. Eliam, ac ab eo continuatâ successionis serie. Notandum, quòd præfatorum plerique etiam alia scripserint, quæ hoc loco referre non erat ad propositum. De vetustioribus agunt Trithemius, Possevinus, Lezana in Annalibus, & alij.

CAPUT IV.

Sanctitate, aut singulari eruditione conspicui, occasionaliter assertores Patriarchatûs Eliani in Ordine Carmelitano.

EX plurimis, qui occasionaliter Ordinis hujus Patriarcham, & Auctorem S. P. ELIAM factis, verbis, aut scriptis tradiderunt, paucorum aliquot, sanctitate, aut præstanti doctrinâ illustrium, meminisse sat erit, nec fastidiosum. Prætermissis autem vetustioribus; à tempore instaurati Ordinis post recuperatam Terram sanctam sub finem undecimi, & initium duodecimi seculi à Christo nato, occurrit primus.

1340. S. BERTHOLDUS, primus sub nomine *Prioris Generalis* (nam antea Superior Ordinis *Pater*, seu Hebræo nomine (a) *Abba* nuncupari solebat:) is S. ELIAM Ordinis Patronum agnoscens, in ejus, nec non nubeculæ, in typo Virginis Deiparæ ab eo in Carmelo visæ, venerationem, septenas quotidiè preces in vertice Carmeli effundere consuevit, sicut in vita ejus, & in Annalibus Ordinis (b) refertur.

(a) Vide supr. n. 306. & 307.

(b) Ad an. 1146. n. 3. & 4.

1341. S. BROCARDUS etiam Generalis Ordinis, immediatus S. Bertholdi successor sub annum 1191. in Statutis tunc compilatis, sub initium id disertè adstruit verbis supra adductis: Propterea jam moriturus, Fratribus suis adstantibus istud, loco Testamenti, tradidit monitum: *Vitam ad ELIÆ & MARIÆ formam componite.* De S. Cyrillo ipsius S. Brocardi successore dictum capite præcedenti: quod scilicet identidem repetat. *Religionem hanc institutam à S. ELIA Propheta.*

SS. Bertholdus, Brocardus, Cyrillus S. ELIAM Ordinis sui Patriarchā venerantur.

1342. S. ANGELUS in Carmelo sub ea tempora habitans, posteà Martyr, identidem occasione oblatâ, dicere consueverat: S. PATER ELIAS, S. PATER NOSTER ELISEUS, videlicet ratione spiritualis generationis, & propagationis ab illis, prout latiùs videre licebit in vita ipsius S. Angeli. (c)

(c) Cap. 6. & 8.

S. PETRUS THOMAS, de quo aliquoties in antecedentibus (d) non solum tradidit Carmeli Religionis Institutorem S. ELIAM, sed à Beatissima Virgine MARIA (quam inter, & ipsum, singularissima maternalis & filialis dilectio intercessit) revelatione istud se accepisse testificatus est. Istam revelationem habes hic supra (e) atque etiam infra in parte 3. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 12.

(d) N. 660. & 661.

(e) N. 661. 663. & 664.

1343. SERAPHICA TERESIA sic etiam in libro de fundationibus Monasteriorum cap. 27. *Caverna speciem referebat ejus, in qua Pater ELIAS delituit.* Ità quoq; alibi. Hinc eodem libro cap. 13. sic suas hortatur: *Versentur nobis ante oculos veri nostri Fundatores, qui sunt sancti illi Patres, à quibus descendimus.* Et cap. 28. *Vestros ad stirpem, & propaginem, è qua descendimus, Sanctorum, inquam, illorum Prophetarum, oculos semper conjicite.* Quod ipsa in se præmonstravit, *ceu vera sui Patris ELIÆ filia repleta luminibus, qua ille possidet,* ut de ea testatur magnus ille in Hispania Episcopus Joannes de Palafox in Notis ad litteras, & monita S. Teresiæ. Hi sex testes sanctitate conspicui, & ut tales Ecclesiastico Officio celebrati, an non pro assertione, & traditione de Patriarchatu S. P. ELIÆ in suo Ordine etiam soli isti sufficerent? Sed tamen etiam alios quosdam singulari eruditione claros audire libet.

S. Teresia sui Ordinis fundatorem asserit S. ELIAM.

1344. Inter domesticos Scriptores quos hactenùs protulit Ordo Carmeli (qui occasionaliter in suis Scriptis tractant de Ordinis ab ELIA primâ institutione) magnæ apud omnes authoritatis habetur THOMAS WALDENSIS præclaris elogiis à multis celebratus: sic quidem ab Antonio Possevino in Apparatu: *Thomas Waldensis, Anglus, Carmelita, & sui Ordinis Prior Generalis in Anglia, Confessarius autem Henrici quinti Anglorum Regis, qui & sui temporis hæresum expugnator, ac deinceps exortarum eversor fuit, à Martino V. Pontifice Maximo commendatus, cui Opus suum dicaverat, à nostri autem avi Scriptoribus, præsertim à Ioanne Cochlæo, atque Stanislao Hosio Cardinali magnopere celebratus, qui mortuus est non sine opinione Sanctitatis, ac Rothomagi in Normania sepultus an. 1430. tertio nonas Novembris, scripsit Opus insigne, quod inscripsit* DOCTRINALE ANTIQUITATUM FIDEI, ET ECCLESIÆ CATHOLICÆ, distinctum tribus tomis (ibi consequenter alia ejus opera recenset.) Iste igitur *Tomo 1. libro 3. artic. 1. cap. 4.* probat, *Monachos, Religiosos habuisse, Institutores, & Antesignanos* ELIAM, *Eliseum, Filiosque Prophetarum.* Ibi consequenter declarat, qualiter ELIAS primò vocaverit, & instituerit Eliseum, ac deindè alios plures, qui in tantùm multiplicati fuerunt, ut Carmeli spatiosum desertum eis non sufficeret: ac proindè in aliis Eremis, montibus, & suburbiis propagatos, regulares tractasse observantias: atque hanc Religionem Propheticam continuò manasse, usque ad adventum Christi. Sed libet ipsummet loquentem audire: *Inclinavit, inquit, omnis populus cervices suas ritibus Idolorum, in tantùm quod exclamaret* ELIAS *coram omni multitudine: Ego, inquit, remansi Propheta Domini solus, Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta, & Prophetæ lucorum quadringenti sunt viri* 3. *Reg.* 18. *Ideo zelans multiplicare Religionem Prophetarum Sanctorum, solicitè huic rei operam dedit. Eliseum primò instituens, & pallio suo induens, & demùm alios post eum magno numero, providens ab intento, ut sancta Religionis successio semper staret, secundùm quod Sapiens* ELIAM *alloquens, dixit:* PROPHETAS FACIS SUCCESSORES POST TE, QUI RAPTUS ES IN TURBINE IGNIS, *Ecclesiastici* 48. *Primùm quidem statuit eos multos, & post eum Eliseum in monte Carmelo, qui ad tantum numerum devenerunt, ut spatiosum illud desertum non posset eis sufficere. Unde venientes ad Eliseum præceptorem suum, dixerunt: Ecce locus, in quo habitamus coram te angustus est nobis, eamus usque ad Iordanem, & tollamus singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum; qui dixit: Ite* 4. *Reg.* 6. *Et sic tandem multi manserunt*

Thom. Waldensis hæresum eversor.

Author operis celebratissimi: DOCTRINALE FIDEI.

In eo probat S. ELIAM Authorem vitæ Monasticæ.

Eumquomodò instituerit, & propagarit.

Discipulos habuit multos.

ferunt ibidem juxta littus Iordanis. Quidam autem manserunt in Carmelo; quidam in monte Ephraim; multi etiam in suburbiis civitatum Regulares tractabant observantias, maximè autem in Galgala, quem locum frequentabat Samuel. In Bethel quoque multi manserunt; In Ierusalem, in Sarepta, in Samaria & Iericho, seu Ierichunte, Civitatibus, ut processivè patet 3. Reg. & 4. & mansit hæc Religio Prophetarum continuò usque ad adventum Christi, & deinceps facti sunt Principes religiosæ militiæ Christianæ.

Religio eorum continuata usque ad Christi adventum.

1345. Tomo 3. (qui est *de Sacramentalibus*) titulo 9. cap. 89. rescribens ad contumelias Witcleff *de novitate Religionum* cum ex S. Bernardo confirmasset, quòd *hæc novitas non sit novella vanitas: sed res antiqua Religionis, fundata in Christo* à quo perfectionis complementum accepit, peculiariter antiquitatem Monasticæ vitæ probat ex vetustatè Religionis Carmelitanæ sub his titulis, seu summariis: *Carmelitani Ordinis vetustas: Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus Regulam Græcè scriptam tradidit: ELIAS cum MARIA comparatur: Nubecula ELIÆ visa quid significet: Carmelitæ primi quomodò castitatem perpetuam voverunt. Et quare Carmelitæ appellati: ELIAS primus hominum virgo perpetuus, & Maria inter fœminas.* Ibi igitur Waldensis consequenter ista: *Iam dicat Witcleff vanitatem suam, quam diligit &c. Nolo dicat cum perfidis Iudæis: tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: sed testetur amicus Armachanus in sermone de Conceptione B. Virginis Mariæ, quem prædicavit anno Domini 1342. in Conventu Carmelitarum Avinione, & habet exordium: AVE. An non meritò dicimus illi AVE, quæ sic erat illustrata virtutibus in origine? utique hanc illustrationem in suo ortu hic sanctus, ac peculiaris, & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu: qui hoc festum ipsius singulariter solemnizat, candorem habitus sui, ut existimo prudenter, & devotè referens ad hoc factum. Miramini forsan, quia dixi Ordo suus peculiaris & antiquus, cùm, veritate attentâ, nullatenus sit mirandum; quoniam, ut dicunt fide digna historiæ, à tempore ELIÆ & Elisei, qui sæpius morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conversi, & in uno latere montis ipsius primò Ecclesiam, sive Oratorium in honorem B. Virginis construxerunt.*

Armachani Hiberniæ Primatis testimonium de Authore & Patrona Ordinis Carmelitani

Post ista, & alia ex Armachano, pergit Waldensis sic de Ordinis institutione & successione: *A Prophetis SS. ELIA & Eliseo priùs incepit: post Salvatoris adventum cum Apostolis in Euangelio sollicitissimè laboravit, à Ioanne Patriarcha Ierosolymitano primò Carmelitæ, Regulam vivendi Græcè scriptam accepit, quam pleniore post sub Alberto itidem Patriarcha formâ digestam inspexit.* Et post alia: *Virgo primus ELIAS inter mares, Virgo prima inter fœminas MARIA quam contemplatus est idcirco procul ELIAS 3. Reg. 18. ELIAS autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem inter genua sua, & dicit ad puerum suum. Ascende, & prospice contra mare: qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait, non est quidquam. Rursum ait illi: revertere septem vicibus, in septima autem vice, ecce (a) nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.... Sequitur. In septima, inquit, vice ecce nubecula parva, scilicet Beata MARIA, quasi vestigium hominis descendebat in Carmelum, quæ ideo visa fuit, quasi vestigium hominis ascendere, quia in hoc spirituali ascensu non feminam, quam imitaretur, sed hominem habuit (b) in exemplum. Sequitur. Nemo autem unquam ad hanc ascendit, circumcisionis scientiam, priusquam ELIAS & puer ejus, scilicet cœtus Filiorum Prophetarum discipulorum ejus ascendit. Ipsi namque primi virorum seipsos Domino per virginitatem perpetuam sponte dedicasse, castrantes prorsus venereis voluptatibus suas mentes, & propterea appellati Carmelitæ, quod modò interpretatum est, scientes circumcisionem: quia hoc quod Circumcisio indicat, sciverunt adimplere perfectè.*

Successio Ordinis Carm.

(a) De ista Nubecula vide plura parte 1. lib. 6. cap. 1. 2. & seq. nu. 214. & seq.

(b) Circa ista vide sup. n. 232.

Carmelitæ idem quod sciens circumcisionem.

1346. Ex istis Thomæ Waldensis habetur succinctè tota ratio institutionis religiosæ Monasticæ vitæ, & Carmelitani Ordinis à S. ELIA in Carmelo, & ab eodem hæreditariæ successionis, Ecclesiæ in Carmelo Virgini Deiparæ dicatæ, Regulæ à Joanne Jerosolymitano Antistite Græcè scriptæ, & post octo circiter secula ab Alberto Patriarcha magis determinatę. Quæ omnia pleniùs sunt tractata in parte prima.

1347. Ex Anglia in Franciam properantibus occurrit ille Ordinis, ac disciplinæ regularis Zelosissimus Instaurator JOANNES SORETH (de cujus sancta conversatione, & singulari eruditione quædam sunt dicta superiùs) (c) Is in Tractatu *super Regulam Carmelitanam,* sub initium, hæc inter alia de Ordinis ab ELIA institutione, & successione: *Sacratissimæ Religionis Fratrum Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo, firmius fundamentum nemo aliud ponere potest præter id quod positum est. Ejus enim fundamenta in montibus sanctis. Fundati quippè super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum sunt hujus Ordinis Professores: quod ostendit Hieronymus in Epistola ad Paulinum dicens: Noster Princeps ELIAS, noster Eliseus, nostri duces Filii Prophetarum.* Et infrà: *Ille (ELIAS) cæpit facere, & docere Regulam hujus sacræ Religionis, & quidem perfectè; scilicet quoad esse suum essentiale, divinâ revelatione edoctus.* Et post alia: *Nonnè, Fratres, jam videtis sub compendio Regulam nostræ professionis fuisse divinitùs patri nostro ELIÆ, traditam? quam ejus imitatores Eliseus, Ionas, Abdias, Michæas, cæterique Filii Prophetarum, & eorum successores adusque Christi adventum diligenter observarunt.*

(c) Num. 1108. & 1111.

Ven. P. Joan. Soreth de Ord. Carm. origine, & successione.

1348. Isti in pietate, Zelo, & eruditione compar, aut suppar fuit (seculo uno posterior) HIERONYMUS à MATRE DEI, seu GRATIANUS, ex Hispania oriundus S. Teresiæ charus, quem Franciscus Ribera, Doctor Theologus è Societate Jesu in Vita S. Teresiæ lib. 3. cap. 4. nuncupat *Virum magnum & sanctimoniâ illustrem.* Et ipsa S. Teresia in suis Scriptis eundem *virum egregiè doctum, summi ingenii, continuum virtutum omnium cultorem,* appellat. Is in libro ejusdem subjecti (in Regulam Carmelitanam) atque in aliis eadem tradit, peculiariter in sermone, cui titulus est: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron:* ubi etiam illa: *ELIAS primus tria Religionis vota professus est.*

Nec non V. P. Hieronymus Gratianus.

1349. Inter

1349. Inter illustriores ejusdem Carmelitani Ordinis Scriptores hoc seculo celebratur JOANNES DE SYLVEIRA Lusitanus, in Euangelicum textum, ac Apocalypsim passim notus Commentator: qui ELIAM Monastici Instituti Principem, & Carmelitani Ordinis Patriarcham adstruit variis locis. Sufficient nobis hic quæ tomo primo libro 2. (a) (explicans illa verba Mathæi 2. *Nazaræus vocabitur*) scribit: *Et quia*, inquit, *de Nazaræorum voto fecimus mentionem, non erit abs re hîc inculcare, quòd in Lege veteri in aliquibus hujusmodi dabatur votum, sicut & religiosus status; licèt tamen semper per respectum, ac imitationẽ ad Christum D. ac B. Virginem* MARIAM, *tanquã ad causam principalem, ac exemplarem, ad cujus vivendi modum ex divinâ revelatione acceptum illi antiqui Patres se maximè conformare intendebant; & ità S. Methodius homilia de purificatione, seu de Simeone, & Anna, tom. 3. ait.* [*Puritatis tuæ* (*scilicet Virg.* MARIÆ) ELIAS *Propheta præscius, atque imitator in spiritu cum esset vita illius ignifera, sibi coronam colligavit: Te quoque ejusdem successor Eliseus à sapiente Magistro his sacris initiatus, tamquam jam existentem præfigurans*] *Hoc posito dico, quòd* ELIAS, *Eliseus, ac Filij Prophetarum votum virginitatis, obedientiæ, ac paupertatis emiserunt.* Plures autem ibi refert tribuentes S. ELIÆ præfata vota, ac inter eos *M. Petrum Cornejo in publicis conclusionibus habitis in Capitulo Generali Romæ anno* 1613. Deindè ibi consequenter ista confirmat rationibus, quas inter una est: *Illi antiqui Patres* (ELIAS, & Eliseus &c.) *ut notat Franciscus Costerus Dom. 1. post nativitatem, intelligebant opus pium ex voto factum longè melius esse, Deoque magis placere, quàm sine voto, & ideo multoties vovebant, & aliundè* ELIAS *fuit præscius, & imitator puritatis Virginis, ut ait D. Methodius citatus. Ergo &c. Et hanc sententiam de votis, ac Monachatu in Lege veteri liberè posse evulgari judicatum est à Supremo Senatu sanctæ Inquisitionis Madriti hoc præsenti anno* 1639. *die* 9. *Decembris. Et loquimur hîc de votis secundùm se; nam solemnitas voti, sicut & excellens potestas clavium, propria est legis gratiæ, quibus modò, cum omnimoda sua perfectione, ac integritate status religiosus est firmatus.* Quoad resolutionem, & decretum in supremo Senatu sanctæ Inquisitionis Madriti anni 1639. illud relatum est hîc supra nu. 1269.

(a) Cap. 9. quæst. 10. n. 36.

Veterum monasticorũ in Lege veteri causa exemplaris B. V. MARIA.

Patres Legis veteris noverant votorum præstantiam.

Vota Monastica qualia in Lege veteri.

1350. Quoad prædictum M. PETRUM CORNEIUM, in Salmaticensi Academia publicum S. Theologiæ professorem, inter præcipuos sui temporis Theologos, ejus in prædictis Conclusionibus assertiones (inter cæteras DE ELIA VNICO CARMELITARVM PATRIARCHA ut habetur in titulo) sunt istæ: *Locus in quo præcipuè habitavit, & ubi se mirabiliorem exhibuit, fuit mons Carmelus, non Carmel Nabal in tribu Iuda, sed Carmelus mons maris in tribu Isachar in quo totius Monastici Instituti fundamenta stravit... Forma monastica disciplinæ sub observantia trium essentialium votorum non est novum inventum in Ecclesia, sed ab eo primordialiter emanavit, & ad hæc usque tempora perseverat imitatione in omni Ecclesia Monachatu, hæreditariâ successione in Carmelitis... Figura nubeculæ parva ei ostensa Virginem Deiparam nascituram, virginitatis in novo Testamento primiceriam, monasticique sui instituti Protectricem præsignabat, in cujus honorem Carmelitæ primum orbis B. M. Virginis Sacellum in Carmelo in* * *Semnionis* ELIÆ *loco post Deiparæ assumptionem erexêre.... Nomen Carmelitarum à monte Carmelo ortum habuisse certum est, quò semper à temporibus* ELIÆ *ad hæc usque tempora sunt gavisi, licèt aliquando etiam Eliotæ, Eliseni, vel Esseni, Rechabitæ, Filij Prophetarum, & Monachi sint appellati, sicut etiam modò Dominicani, Prædicatores; & Franciscani, Minores justissimis de causis simul appellantur.* En paucis expressam Religiosi Monastici, & Carmelit. Ordinis originem & successionem.

Petri Cornejj asserta de S. ELIA PATRIARCHA ORD. CARMEL.

* Semnion nomen Oratorij in Carmelo ab ELIA constructi: Vide supr. parte 1. L. 2. cap. 3.

CHRISTOPHORVS AVENDAGNO Catholico Regi à concionibus variis locis eadem tradit, videlicet *Monasticæ vitæ Institutorem, & Carmelitani Ordinis Fundatorem S. Prophetam* ELIAM: & in sermone *de* S. JOANNIS BAPTISTÆ *decollatione* scribit: *Originem primam Carmelitarum esse à* S. ELIA, *secundam verò à* S. JOANNE BAPTISTA *Eliani Instituti sectatore.*

Christoph. Avendagno de S. ELIA.

1351. Ut rursùs in Galliam redeamus, inter Doctores Theologos, strenuos Ecclesiæ pugiles adversùs hæreses an non seculo præcedenti sibi jure locum vendicare poterat THOMAS BEAVXAMIS? Iste in insigni opere *Euangelicæ Harmoniæ*, seu *Concordiæ* explicans ista Lucæ 4. verba: *Multæ viduæ erant in diebus* ELIÆ, & sequentia, hanc statuit assertionem, & Patrum authoritatibus confirmat: ELIAS *pater Monachorum, maximè Carmelitarum.* Opera ejus recenset Possevinus in Apparatu. Etiam in Gallia LEO à S. JOANNE Provincialis Turoniæ, & aliis primariis in Ordine functus officiis, librorum variæ eruditionis, & politæ elegantiæ partu fœcundus, Elianum Patriarchatũ tuetur in suis concionibus, & in libro cui titulus *Typus, seu pictura vestis Religiosæ*, & in *Delineatione observantiæ Rhedonensis*: in quo, sub initium, hæc inter cætera: *Constat monastici, sive Religiosi Instituti Principes viros extitisse* ELIAM, *& Eliseum ... Ab his porrò Carmelitarum familiæ primordia, per continuam sæculorum successionem deducenda sunt. Ita enim suadent, cum traditio per manus ad nos usque hæreditaria, tùm perennis, & immemorabilis possessio.*

Thomas Beauxamis.

Leo à S. Joanne.

1352. MATHIAS à CORONA, Leodiensis Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis: prægrandis, voluminum aliquot, parens operis, cui titulus præficitur iste: *Sanctitas Ecclesiæ Romanæ in* S. ELIA *Propheta Carmelitarum Protoparente figurata*: in quo, inter cætera, Tomo 1. (a) ELIAS *Carmelum elegit pro sui Ordinis institutione.* Et Tomo 2. (b) ELIAS *per totum Orbem diffusi Carmelitici Ordinis Patriarcha, & fundator existit.* Id consequenter authoritatibus variis confirmat. Alibi etiam eadem prosequitur. Sic quoque R. P. MICHAEL A S. AVGVSTINO Provinciæ Belgicæ, ac dein Flandro-Belgicæ iteratò Provincialis, in sublimis Carmeliticæ perfectionis libro inscripto: *Introductio in terram Carmeli*, sive ut in 2. editione, *Introductio ad vitam mysticam*: ubi in Tractatu 2. titulus Capitis XXII est, *Carmelitæ magnifacere debent Regulam suam; quia exprimit vitam, & virtutes Sanctorum Patrum* ELIÆ *& Elisei.* Et ad oculum sigillatim osten-

Mathias à Corona.

(a) Tract. 2. charact. 11. pag. 94.

(b) Tract. 1. cap. 7. pag. 10.

ostenditur quòd Regula hujus Ordinis sit *expressissima Imago Vitæ* S. Eliæ. (Ad hoc propositum vide hic supra nu. 294.) Capitis XXIII Titulus est, *Regula Carmelitarum testimonium perhibet, quod habeant successionem hæreditariam à sancto Propheta* Elia. Istud ibi consequenter accuratè declaratur.

1353. Eundem S. Eliæ Patriarchatum adstruunt, & propugnant ex utrâque PP. Carmelitarum Discalceatorum Congregatione benè multi: è quibus aliquot nominavimus capite præcedenti. Aliquot prætereà præstantioris meriti, & doctrinæ hîc audivisse sat erit. Primus occurrit Joannes a Jesu Maria Congregationis S. Eliæ Generalis (cujus pietatem incorruptio corporis in hodiernum usque diem, atque alia sanctitatis indicia testantur) hæc de primis Monasticæ vitæ initiis tradens: (a) *Anno ante faustissimum Christi ortum nongentesimo, circiterque trigesimo* Elias *Propheta clarissimus in Carmelo Syriæ monte, quem cultu suo fecit insignem, primâ instituti Monastici fundamenta defodit quæ gravissimorum Patrum consensio est.* Conformiter scribit Ferdinandus a S. Maria ejusdem Congregationis tertiò Præpositus Generalis, in Præfatione præfixa Apostolicis privilegiis ab illo in unum corpus collectis, & Romæ editis. *Prima ætas (Ordinis Carmelitani) sub Principe* Elia, *& Eliseo, ac Filiis Prophetarum fuit quos ille primùm, decretâ iis Carmeli sede, Eremiticâ imbuit disciplinâ ... hæc institutionis nostræ primordia, seu quasi infantia, in Euangelicæ Legis tempora, & secundam ætatem se produxêre, quâ per Ioannem, Apostolosque ad perfectiorem fidem, & præstantiorem vitæ rationem traducta est* Eliæ *proles: quin etiam ipsi Carmelitæ Christi præcones evasêre universâ ferè Galileâ, Samariâ, Palæstinâ.* (b) Exindè ad hæc usque tempora Ordinis successionem continuat. Antonius a S. Spiritu lusitanus, in erudito opere *Directorium Regularium* peculiarem habet tractatum, seu Quæstionem, *de Essentia, & origine status religiosi*: ubi istas habet, & authoritatibus, ac rationibus confirmat assertiones, *In lege scripta fuit verus status religiosus cum tribus votis essentialibus. Illius author fuit* Elias *Propheta* SS. Et infra: *Constans, & ab immemoriali tempore recepta Traditio Ordinis Carmelitarum est, Sanctissimum Vatem* Eliam *ejus esse Fundatorem*; Eadem tradunt Hieronymus a S. Josepho Congregationis Hispanicæ Historiographus, *in vita Ven.* P. Joannis a Cruce sub initium: Gregorius Nazianzenus a S. Basilio *in Adoptione Parthenia parte* 1. *cap.* 21 *& seq.* veritatem illam multis argumentis, ac testimoniis confirmans, nec non Elias à S. Teresia in opere inscripto: *Legatio Ecclesiæ triumphantis ad militantem* variis locis. Joseph a Jesu Maria *in Historia SS. Virginis Mariæ, seu Declaratione excellentiarum ejusdem.* Et Emmanuel a Jesu Maria quondam Viennæ Austriæ Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Ecclesiastes, & hoc anno 1671. Provinciæ Neapolitanæ Provincialis in suo Opere inscripto: *Fructus Carmeli, sive Discursus morales in Regulam primitivam B. V. de monte Carmeli* excus. Romæ an. 1667. *Discursu* 9.

Ioan. à Iesu Maria Generalis Discalc.

(a) Initio vitæ S. Teres.

Ferdinandus à S. Maria etiam Generalis.

(b) Vide supr. n. 207

1354. Hic tandem convenit id quod Ordinis historiographus Lezana ponderosè scribit: (a) *Hoc unicum animadvertere operæ pretium duximus, hanc scilicet communem nostrorum sententiam de successione hæreditaria ab* Elia *repetenda antiquam semper Ordinis traditionem fuisse, adeoque firmam, & constantem, ut nunquàm alius præter ipsum titulô Fundatoris aut Institutoris creditus, vel nominatus reperiatur. Quod magni argumenti loco apud prudentes haberi oportet; nec enim vel leviter suspicari licet tot viros sanctitate, & doctrinâ conspicuos, qui in Ordine nostro, Dei gratia, omni sæculo claruerunt, in hac re vel incuriâ seductos, vel ambitione seductores extitisse.*

(a) In Annal tom. 1. in Appar. cap. 6. n. 28.

Id argumentum est valdè efficax, & solidum.

Conclusio, et assertio fundatissima *adversùs hæreticos, aliosque Impugnatores antiquitatis, & sanctitatis Monasticæ.*

1355. Ex hactenùs dictis in hac Synop. nonne evidens est, fundatissimâ esse istam assertionē: S. Propheta Elias vitam Monasticam Eremiticam egit primus, et aliis tradidit in Carmelo: ideò primus est Princeps Monachorum, et Patriarcha Carmeliticæ Religionis. Id enim altissimis defixum est radicibus in sacra Pagina (*Vide num.* 1291 1292. *& seq.*) & confirmatum à Patribus, S. Hieronymo, S. Isidoro, Cassiano, & aliis expressissimè adstruentibus authoritate Scripturarum, Eliam Principem Monachorum, qui monasticæ professionis fundavit primordia (*vide n.* 1265 1276 1279 *& sparsim toto cap.* 1) Traditum à Summis Pontificibus (*vide nu* 1299) probatum a S R Ecclesiæ Cardinalibus, peculiariter a nominatissimo Bellarmino, ut mox dicetur (*vide n.* 1247.) Assertum à præstantioribus & illustrioribus Scriptoribus ac Doctoribus Joanne Molano, Judoco Clichtoveo, Gilberto Genebrardo Chronographo primariæ authoritatis, & aliis (*vide sparsim toto capite* 1. *&* 2.) & peculiariter è Societate Jesu præfato Bellarmino Cardinale celeberrimi nominis, adstruente Eliam Principem Eremitarum (*vide nu* 244) & approbante cum aliis Cardinalibus officia, ac omnium nomine subscribens, in quibus Patriarchatus Eliæ in Ordine Carmelitarum clarissimè asseritur (*vide nu* 1247.) Francisco Suarez qui Doctorum sui sæculi non immeritò princeps reputatur (*n.* 1257. nec non *n.* 1291.) Jacobo Saliano cui laus debetur præcipua Historiæ sacræ veteris Testamenti (*vide n.* 1266.) Cornelio à Lapide notissimo Commentatore in S Scripturam (*vide n* 1252.) Heriberto Rosweydo Maximi Operis primo quasi authore (*vide n.* 1302.) Atque aliis, sic ordine Alphabetico recensitis, Gaspare Sanctio, Henrico Engelgrave, Jacobo Tirino, Ildephonso de Flores, Jacobo Lobbetio, Joanne Boll & Godefrido Henschenio, Paulo Seheniner, Petro Courcier Doctore, Stephano Binet, & aliis quos Lezana, & alij referunt Hoc ipsum etiam est stabilitum cœlestibus oraculis per SS. Virg. Mariam (*n.* 1285. *&* 1274.) conservatum in toto Carmelitano Ordine universali firmâ, & constanti traditione (*vide cap.* 3. *&* 4. *per totum*)

Fundatissima assertio est: S. Proph. Elias est Princeps Monachorum.

Præterea notissimum est. quòd unumquodque Propositum, seu Institutum suos habeat principes, & inter eos *unum primum.* Præcipui in Religioso Monastico Statu Principes seu *Patriarchæ* sunt SS Ignatius, Franc. Dominicus, Bernard. Bruno, Norbertus: sed non primi; quia anterior S. Benedictus: & hunc præcessit S Augustinus: quem etiam prævivit S Antonius, nec non S. Hilarion: ante istos quoque numerosissimi extitere Monachorum greges (*de quibus hic supra nu.* 1273) Isti autem processerunt ab anterioribus Essenis (*Vide n.* 1272) & à S. Joanne Baptista *Principe Monachorum* (ut Patres tradunt; *in nova Lege*: qui *in spiritu & virtute* Eliæ, vitam Eremiticam ab eo institutam ducens, sic conversationis similitudine Eliam expressit, ut à Judæis Elias ipse putaretur, & etiam a Christo dictum de eo: *Ipse est* Elias. Hic igitur Elias absolutè primus est Princeps Monachorum, à quo in cæteros derivata est Monastica professio: quæ consequenter sanctitatem, & antiquitatem accepit ab eodem SS Propheta Elia: sed omnimodæ perfectionis complementum accepit à Christo Domino, (*Vide hic infra.* (a)

(a) N. 1358.

SYNOPSIS SECVNDA

CONCLVSIONES

Quæ sunt instar Scutorum, quibus tutò excipiantur quævis in Carmelitanam historiam evibrata tela

EX

CARMELI ARMAMENTARIO

Authore R. Ad. P. FRANCISCO BONÆ SPEI, Ordinis FF. B.mæ Virg. Mariæ de monte Carmeli, in alma Vniversitate Lovaniensi S. Th. Professore emerito, iteratò Provinciali Provinciæ Flandro-Belgicæ. *

* In compendium redactæ per P. F. DANIEL. A V. M.

Notatio Prævia.

1356. IVstiniani Imperatoris (a) *verissimum effatum, seu querimonia est*: nihil esse in rebus humanis usque adeò semotum ab omni controversia, tametsi maximam cum justitia conjunctionem habeat, quod dubitationem, ac controversiam non recipiat, si subtiliter animi curas intendas: *quibus consonant illa Seneca* (b) si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, silentium indicetur: pauca enim admodùm sunt sine adversario. Cætera etiamsi vincunt, litigant: *Peculiariter verò contradictionibus subjecti sunt Scriptores historiarum; difficillimum enim est, scribere, quod à nemine carpatur, aut controvertatur: imò impossibile est scribere, quod omnibus placeat*: Nec à detrahentium dicacitate ullus immunis est, *inquit S. Hieronymus* (c) nisi qui nihil scripsit. *Non tamen ista disceptationes, & contradictiones, seu objectiones suâ carent utilitate.* Sicut enim ex collisione silicis, & ferri ignis excitatur, ita ex collatione argumentorum, seu fundamentorum contrariorum cujusvis sententiæ, sive assertionis, etiam in historiis, veritatis lumen resplendet, dùm hâc ratione singula magis examinantur, & illustrantur. *Idcircò in scholis fiunt disputationes, & thesium, etiam certissimarum, impugnationes. Id clarissimus, & eruditissimus vir Consularis Boëtius sic paucis exprimit*, (d) Esse operæ prætium rationes invicem collidere: quòd ex hujusmodi conflictatione pulcherrima quædam veritatis scintilla dissiliat.

(a) Const. 44.

(b) Natural. qq. l. 4. c. 5.

Scribere quod omnibus placet, difficile.

(c) Præfat. in Chron. Eusebij.

(d) Lib. 3. de consolat. Philos.

1357. *Hac etiam locum habent in historiis; propterea historiographorum munus est, non tantùm suas proferre, illustrare, & confirmare narrationes, sed & dubiis, aut oppositis, satisfacere; sicut in scientiis Theologicis, Philosophicis, & cateris, thesim, seu assertionem quamlibet authoritatibus, ac rationibus confirmasse non satis est, nisi etiam ea qua objiciuntur, refellantur. Hinc mearum partium esse censui, post tradita hactenùs Carmelitana originis, & successionis à SS. Propheta* ELIA *antiqua monumenta, & plurimorum authoritates, tandem etiam satisfacere argumentis oppositis. Verùm cum id plenissimè, & solidissimè jam ante præstiterit* R. Ad. P. FRANCISCUS BONÆ SPEI *in* CARMELI ARMAMENTARIO *ubi subministrantur omnis generis scuta, sive sacra Scriptura, Summorum Pontificum, sanctorum Patrum, Historicorum, Geographorum, & Doctorum, tam antiquorum, quàm recentiorum authoritates, & rationes, quibus argumenta quavis, in Ordinis Carmelitani antiquitatem, & originem enervantur; Nè actum agam eò remitto Lectorem; cui tamen, si opus istud ad manum non sit, aut non vacet, aut libeat ea qua ibi prolixè tractantur, percurrere; en indè concinnatam, & huc translatam* SYNOPSIM, *& ante illam* PROTESTATIONEM *juxta mentem præfati R. P. Francisci Bona Spei, in dicto* ARMAMENTARIO *aliquoties expressam.*

Historiographorum munus.

PROTESTATIO.

1358. DEinceps dicenda (sicuti & hactenùs dicta) de Religioso Monastico statu in veteri Lege, intelligenda, & accipienda sunt conformiter Decreto S. Inquisitionis, de quo hîc suprà. (a) *Non fuisse Monachatum in Lege scripta, cum solemnitate & perfectione, & cum potestate clavium, sicut in Lege gratiæ: quia istius (in tota sua perfectione) author, & Institutor fuit Redemptor* JESUS CHRISTUS, *& illius in Lege scripta fuit causa exemplaris, & meritoria: non quidem à Monachatu, & Religione veteris Legis excludendo tria paupertatis, castitatis, & obedientia vota, aut veritatem Monachatûs, sed ea qua Christus tribus istis votis, ac vero Monachatui suâ authoritate adjecit, nimirùm quòd nunc in ejus professione obtineatur integra remissio omnium criminum, & peccatorum, ut proindè à Patribus, & Doctoribus Baptismo penè comparetur,*

(a) Num. 1269.

Monachatus in veteri Lege non fuit cum solemnitate, & perfectione, ut modò.

pareatur, & secundum Baptisma nuncupetur. Deindè jam obtinetur per eam influxus multò uberioris gratiæ; insuper sponsalia contracta, & etiam matrimonium ratum dirimit. Denique (præter alia nonnulla) cum Lezana (a) *addimus hunc Legis veteris Monachatum, illiusque vota talia solùm fuisse qualia illius Legis imperfectio postulabat. Hâc ratione Monachatus, & Religio sub veteri Lege quodam sensu dici potest umbra, & figura Religiosi Monastici statûs sub Lege gratiæ; quatenùs præfatis, & aliis prærogativis informati, & perfecti.* Verumtamen substantialiter tunc Monachatus erat perfectus.

(a) To. 1. Annalium Carmelit. in Appar. c. 4. sub fin.

1359. PANEGYRIS ELIÆ DEI PROPHETÆ SANCTISSIMI. (Ex *Carmeli Armamentario*) Excellentia Institutoris, eximia est commendatio Institutionis: cùm verò hîc Carmelitarum Ordinis ab ELIA Dei Propheta Sanctissimo Institutionem defendere, protegere, & commendare intendam, ab excellentia ELIÆ Institutoris exordium sumo, ejusque panegyrim dicendis præmitto. Illa autem excellentia colligitur 1. AB AVTHORITATE SACRÆ SCRIPTVRÆ: Ecclesiastici 48. habetur elogium admirabile S. ELIÆ: sic incipit. *Et surrexit* ELIAS *Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat; qui induxit in illos famem, & irritantes illum, invidiâ suâ pauci facti sunt, non enim poterant sustinere præcepta Domini; verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter, sic amplificatus est* ELIAS *in mirabilibus suis: & quis potest similiter sic gloriari tibi? qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo: qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum; qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini conciliare cor Patris ad filium & restituere tribus Iacob. Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt; nam nos vitâ vivimus tantùm; post mortem autem non erit tale nomen nostrum.* ELIAS *quidem in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus.* Ponderetur hoc elogium infallibile, & verum, à Spiritu sancto factum, ELIÆ; & vix invenietur quid simile de alio in sacra Scriptura; maximè si attendantur hæ duæ sententiæ: *Quis potest similiter sic gloriari tibi? Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt;* Numquid quasi in hoc videtur eum aliquâ ratione æquiparare Christo, qui loquens de seipso dixit Apostolis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis?* Alia plura possent adduci ex sacra Sriptura, & ex SS. Patribus ad declarandum ELIÆ sanctitatem, sed hoc elogium sufficit.

Pag. 1. & seq.

S. Proph. ELIÆ excellentia colligitur.

Ab authoritate S. Scripturæ.

1360. A SIMILITVDINE QVADAM ELIÆ AD CHRISTVM, quam plures sancti Patres, & Expositores prosequuntur: videatur Augustinus *Sermone 201. de Tempore*, ubi hanc similitudinem in duodecim perfectionibus exprimit; & Drogo Episcopus Ostiensis *in Sermone de Sacramento Dominicæ Passionis*, & tandem Salianus *ad annum 3139. à numero 33. usque ad 45.* Quæ similitudo, ELIÆ ad Christum, ex multis potest attendi, tùm ex excellentiâ vitæ virginalis ELIÆ, tùm ex magnitudine, & facilitate miraculorum; tùm ex continuâ Oratione, pœnitentiâ, solitudine, jejunio quadragenario; tùm in morte, resurrectione, & gloriosa in cœlos Ascensione; nam ut habetur *Apocalypsis* 11. in ipsamet Civitate Jerusalem, ubi Christus Dominus crucifixus est, occidetur, corpus ejus in mediâ Civitatis plateâ triduò jacebit, sicut corpus Christi triduò jacuit in sepulchro, deindè à Domino suscitabitur, percutiet regnum Antichristi, & cunctis videntibus, ac mirantibus in cœlum gloriosus ascendet: undè ab ipsa ejus generatione non enarrata in Scripturis usque ad ejus Ascensionem per omnes ejus actiones, & successus, perfectissimus Christi typus attentè considerantibus apparet.

A similitudine ad Christum.

1361. AB ETYMOLOGIA NOMINIS: ELIAS idem est, quod DOMINVS DEVS, ut testantur S. Athanasius *de fuga sua*, Hieronymus *de nominibus Hebraicis, Malachiæ* 4. Isidorus in libro *de Patribus veteris Testamenti*, qui subdit rationem dicens: *Quasi humanitatis nihil haberet, sed totus quasi Deus*: vel ELIAS idem est, ut ait Pagninus, ac *Deus Domini*; quasi ELIAS fu[illegible]t constitutus Deus Achab Regis, & Domini, sicut Moyses fuit constitutus Deus Pharaonis.

A nominis etymologia.

1362. AB OFFICIIS, quæ Sanctissimus Dei Propheta ELIAS à Deo habuit, habet & habebit. Nam primò, fuit *Patriarcha*, non tantùm fidei, sed etiam Religionis, sive vitæ Religiosæ strictè sumptæ, cum ipse fuerit primus Religiosi statûs cum tribus votis essentialibus Institutor, & id expressò Dei mandatò. Unde meritò S. Hieronymus ipsum vocat Principem, ac primum Patriarcham Religionis, quæ in Carmelitis directè continuatur hactenùs, & ad alios Ordines derivata est. Secundò: fuit insignis *Propheta*, ut sæpè legitur in S. Scriptura, & communiter asserunt SS. Patres, & omnes Catholici; imò D. Thomas sic loquitur in cap. 17. Matthæi juxtà intentum conclusionis; ELIAS *omnibus Prophetis sanctior fuit.* Futurus est *Præcursor Christi*, quantùm ad secundum ejus adventum. Hoc Officium Præcursoris habetur de ELIA expressum apud Malachiam: *Ecce ego mittam vobis* ELIAM *Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Futurus est *Apostolus Christi*, ut asserit Ambrosius in 1. ad Corinth. 9. exponens illa verba: *Puto, quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos.*

Ab Officiis.

Patriarcha.

Propheta.

Christi Præcursor, & Apostolus futurus.

1363. A PRIVILEGIIS, ET PRÆROGATIVIS ELIÆ PRÆCIPVIS. Primò ut dictum est, in uno ELIA concurrunt omnia Officia, & ordines Sanctitatis, quæ in aliis sparsa reperiuntur: nam fuit *Patriarcha*, *Propheta*, erit *Præcursor*, *Apostolus*, *Martyr*, *Doctor*, & *Virgo* usque in finem. *Primus* qui in sacra Scriptura legitur *suscitasse mortuos*. Fuit triumphali curru ad Paradisum terrestrem, aut alium secretiorem locum devectus .... Speciali modò

Virgo, Doctor, Martyr:

Triumphali curru vectus in Paradisum,

modò quasi Christi vicarius, aut locum tenens electus ad debellandum Antichristum. Fuit electus à Christo testis suæ transfigurationis &c.

1364. A COMPARATIONE EIVS CVM S. JOANNE BAPTISTA. *Lucæ* 1°. dicitur de S. Joanne Baptista: *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute* ELIÆ, *ut convertat cor Patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Matthæi 11. dicitur: *Si vultis recipere, Ioannes ipse est* ELIAS, & Capite 17. ELIAS *jam venit*, loquebatur autem de Joanne. Ex quibus Scripturæ locis sequens ratio deducitur: Tam similis est S. Joannes Baptista S. ELIÆ in modo vivendi, in rigore pœnitentiæ, in spiritu, in Officio Præcursoris, in sanctitate &c. quòd dicatur venisse *in spiritu & virtute* ELIÆ, imò dicatur ipsemet ELIAS. Ergo ELIAS est æqualis in sanctitate S. Joanni Baptistæ..... S. Augustinus: *Veniet*, inquit, *in spiritu & virtute* ELIÆ; *parem ergò* Joannem ELIÆ *ostendit.* Et concludit: *Dominus dicit, nemo major inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista: non dixit, omnibus major, sed nemo illo major est: hoc est, æqualem habet, majorem non habet.* ELIAS *ergo par illi est.*

S. ELIÆ & S. Ioan. Bap. comparatio.

De quæst. vet. & novi Testam. q. 26.

ANNOT. *Pauca ista de excellentia SS. P.* ELIÆ *hic delibata, cui non sufficiunt, adeat ipsum* CARMELI ARMAMENTARIVM: *in quo multò plura, intentum confirmantia, reperiet. Eadem luculentiùs differuntur in ejusdem vita sub nomine* PHOENIX SÆCVLORVM: *in qua parte* I. *cap.* I. *ex Sacris litteris & cap.* 2. *ac sequentibus, ex Patribus ejusdem excellentia, & prærogativa declarantur parte* 2. *Gesta ejus tempore Achabi; parte* 3. *Triumphalis illius curru igneo in Paradisum translatio; parte* 4. *Gesta ejus planè admiranda tempore Antichristi, Christiforme martyrium, & gloriosus in cœlum ascensus describuntur, & illustrantur: quodque in rebus maximis, & plurimis fuerit perfectissimus Christi typus.*

1365. SCVTVM PRIMVM *Sanctissimus Dei Propheta* ELIAS *in antiqua Lege spiritu Prophetico novit perfectionis Religiosi status in lege nova futuri substantiam.*

(a) To. 6. lib 4. contra faust. c. 2.

Probatur .... ex S. Augustino (a) *Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est; quandoquidem nec ipsos illius temporis Sanctos, & spirituales viros, Patriarchas, & Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus: intelligebant enim, revelante sibi Spiritu Dei, quòd tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res gestas, & dictas, futura figuranda. & prænuncianda decerneret, magisque desiderium eorum, de novo Testamento erat.* Quæ maximè sanctissimo Prophetæ Dei ELIÆ conveniunt; juxtà illud ejusdem Augustini. (b) *Sicut dicitur spiritus* ELIÆ, *qui est spiritus Dei, cujus particeps factus est* ELIAS. Unde meritò Metaphrastes in Sermone de ELIA, ELIAM vocat *Sacrosanctum, & Divinum, qui à Deo accepit omnium maxima.*

(b) Lib. 2. in Exod. q. 65.

1366. Præterea, si ex S. Hieronymo. (c) S. Job fuerit: *Vir ante Euangelia Euangelicus; & Apostolicus, ante Apostolica præcepta, discipulus Apostolorum*: Si idem S. Job *vidit Euangelium ante datam legem*, (juxta Chrysostomum) (d) *omnia reliquerit, in corde servans præceptum Euangelicum, priusquam emicuerat*, (juxtà S. Gregorium (e) Si Joseph *præceptum Domini de diligendo inimico suo observarit ante Euangelium*, juxtà Ambrosium (a) Si David *Christi præcepta audierit in spiritu, & quasi Christi discipulus* juxtà eundem Ambrosium, (b) & *ad Euangelicæ Philosophiæ fastigium pervenerit, animi moderatione*, (juxtà S. Chrysostomum (c) non est, cur à fortiori, (ut patet ex dictis in ELIÆ Panegyri suprà). ELIÆ sanctissimo Dei Prophetæ consiliorum Euangelicorum cognitionem, & observantiam quispiam deneget....

(c) Epist. ad Demetriad.

(d) Homil. de Job & Abrah.

(e) Lib. 1. Moral. c. 4.

(a) De Josepho c. 1.

(b) Serm 11 ad v. 6. in Psal. 118.

(c) Homil. 3. de Davide, & Saule.

1367. Confirmatur: quia, quòd Joannes Baptista spiritu Prophetico in Lege veteri noverit Perfectionis Religiosi status in lege nova futuri substantiam, negari non potest; cùm Joann. 1. de seipso dicat; *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini: &c.* undè *viam Domini* meliùs *dirigi* non posse, quàm Religioso statu, & votis secundùm consilia Euangelica, ipse indubiè novit, cùm *directionem viæ Domini* prædicarit: id autem clamasse dicitur, *in spiritu, & virtute* ELIÆ. Quamobrem Joannes Carthagena lib. 17. Homiliarum homil. 1. *Sine dubio Ioannes vitam egit in desertis illis inter Filios Prophetarum tunc dictos Essenos, qui* ELIÆ *Disciplinam profitebantur.* Et Dominicus Soto (d) *Essenorum institutum secutus est Ioannes Baptista*: Atqui indè clarè deducitur, etiam sanctissimum Dei Prophetam ELIAM novisse perfectionis Religiosi statûs in lege nova futuri substantiam, juxta illud nostri Thomæ à Jesu, Ordinis Carmelitarum Discalc. illustrissimi sideris. (e) *Ostensuri Ordinem nostrum à magno illo antiquatæ legis vate* ELIA *ortum habuisse, oportuit præmittere totius Monasticæ vitæ institutum à viro hoc emanasse, eumque Euangelicæ legis consilia divino, ac Prophetico spiritu prævidisse, primoque omnium observasse.* Ergo &c.

(d) Sot. in 4. Sentent. dist. 30. q. 2. art. 1.

(e) P. 1. de variis Regul. Carm. c. 1. §. 1.

1368. ANNOT. *Eadem aliorum Patrum, & Doctorum authoritatibus, ac indè deductis rationibus confirmantur in isto primo Armamentarij Scuto. Peculiariter autem illa stabiliuntur ex Visione* ELIÆ *de qua libro* 3. *Regum cap* 18. (*descripta, & profundè explicata in Speculi hujus parte* 1. (e) *& ex S. Methodio (homilia de Purificatione, seu* DE SIMEONE, ET ANNA) *sic B. Virginem* MARIAM *alloquente.* PVRITATIS TVÆ ELIAS PROPHETA PRÆSCIVS, ATQVE IMITATOR IN SPIRITV, CVM ESSET, VITÆ ILLIVS IGNIFERÆ SIBI CORONAM COLLIGAVIT. ELIAS *igitur à Deo illuminatissimus Propheta scivit Divinâ revelatione, & imitatus fuit Virginis Deiparæ puritatem. Eadem est ratio paupertatis, & obedientiæ atque aliarum Monasticarum virtutum. Disertè adstipulantur Abbas Trithemius hìc supra* num. 1202. *Ioannes Carthagena* num. 1310. *& alij.*

(f) Lib. 6. cap. 1. n. 214. 215 & 217.

1369. SCVTVM II. *Vota etiam castitatis, de qua potissima difficultas, non fuerunt in Lege veteri prohibita.*

Probatur primò: quia Levitici cap. 27. generaliter vota approbantur, & incipit: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filiis Israël, & dices ad eos: homo, qui votum voverit & spoponderit Deo.* Deuteronomij cap. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Psalmo verò 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* Eccles. cap. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim*

Vota in veteri Lege visitata.

ei

ei infidelis, & stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Quæ omnia absque ulla limitatione indifferenter extenduntur ad obedientiam, paupertatem, & castitatem.

1370. Probatur 2. ex Isaia cap. 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum &c. nomen sempiternum dabo eis.* De istis verò Eunuchis sanctus Hieronymus libro 15. in Isaiam capite 56. dicit. *In Eunuchis, illi intelligendi sunt qui se castraverunt propter regnum Cœlorum, quales erant Apostoli.* Hi autem castitatem vovisse nullus negat. Concordat sanctus Athanasius Sinaita. (a) *Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, hi sunt in lege nova Apostoli, & Monachi in Lege veteri,* ELIAS, *Daniel, & alij multi.* S. Ephrem, & post ipsum Salianus ad ann. 3173. *S. Ephrem Syrus* ELIAM *& Eliseum, & Ioannem, & Apostolum Paulum, in eorum numero recenset, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Idem ferè Epiphanius libro 2. hæresi. 63. Item hæresi 58. *Quinam igitur Eunuchi? generosi Apostoli &c. Monasticam vitam degentes, & deinceps Virgines in novo Testamento,* ELIAS *in veteri Testamento* &c. Et hæresi 79. ELIAS *ab ortu suo virginitatem perpetuò servavit.*

(a) In quæst. super Scrip. q. 66.

EVNVCHI *juxta communẽ phrasim scripturæ casti ex voto.*

1371. Probatur denique ex concordi Doctorum, tum Sanctorum, tum aliorum, sententia; nam ut rectè ad intentum noster celeberrimus Lezana (b) *Nullum enim præceptum in Lege veteri fuit de non servanda castitate. Ita enim habent non solum Ignatius, Hieronymus, Epiphanius, Damascenus, Isidorus, & alij Patres, dum plures cœlibes in ea lege commendant, sed in posterioribus Abulensis . . . Sotus . . . Suarez . . . Vasquez . . . &c. . . .* Addit autem (c) *Quemadmodum ad specialem dignitatem Legis Euangelicæ non spectat, quòd ante ipsam non fuerint in Lege veteri vera Sacramenta, vera Sacrificia, ceremoniæ, verusque cultus Dei, quoad essentiam, & substantiam ipsorum, sed solùm quòd ante illam non fuerint perfecta, & consummata: multò minùs ad eandem Euangelicæ Legis dignitatem spectabit, quòd ante ipsam non fuerit aliquale exercitium votorum, etiam castitatis, aliqualisque Religionis instar status, proportionatè quidem ad veteris Legis imperfectionem, ac imbecillitatem. Et sanè nulla assignabilis est ratio, quare in hominibus perfectis illius status fuerint excellentissima, & perfectissima dona, & charismata Prophetiæ, miraculorum, martyrij, & similium, non autem aliqualis Religionis, etiam imperfectæ: aut quare hoc solùm reservatum est Legi Euangelicæ, & non aliæ, (præsertim cum* MARTYREM ESSE *perfectiùs videatur, quam* RELIGIOSVM ESSE, *juxta illud:* MAIOREM CHARITATEM NEMO HABET; VT ANIMAM SVAM PONAT *&c. pro quo audiendus celebris Doctor Bartholomæus Medina in Primam Secundæ.* (d) Ubi post aliqua de imperfectione veteris Legis dicta, subjungit: *Sed ex hoc non inferat Theologus, quòd viri justi & Sancti in antiquæ Legis statu non haberent ex instinctu Spiritus sancti consilia à Deo, tum Virginitatis, tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti, & forti amplectebantur.* Et post pauca addit Lezana: *Sed pro temporis ratione non omninò consummata, atque absoluta. Quò nostra sententia satis expressa videtur. Vota ergo Virginitatis castitatis, seu Religionis, & status Religiosus, seu Monasticus, quæ* ELIÆ *instituto concedimus, proportionata sanè fuerunt Infantiæ Legis veteris; ac proinde, ut sæpiùs inculcavimus, majoris claritatis gratiâ, imperfecta, & inchoata, perfectibilia, & consummanda per Christum, & ipsius discipulos tempore Legis gratiæ (quæ vocatur propterea ad Galatas 4. Vers. 4.* PLENITVDO TEMPORIS) *Tùm doctrinâ, & exemplo ipsius Christi, & discipulorum; tùm quia tunc, & non priùs, potuerunt esse cum eâ solemnitate, quæ modo viget in Ecclesia, & quæ ab Apostolis cœpit,* ut habet S. *Thomas* (a) *& cum traditione sub potestate Superioris, habentis jurisdictionem spiritualem clavium in subditos, quæ non fuit in Lege veteri; tùm quia tunc non haberent eas prærogativas, & excellentias, quas modò habent, quales sunt, quòd per Professionem Religiosam, Baptismi instar, remittatur tota pœna temporalis; item quod dissolvatur Matrimonium ratum præcedens, & irritetur matrimonium futurum, cum aliis ipsius privilegiis.* Hactenus Lezana: quæ conformia sunt protestationi superiùs factæ.

(b) Tom. 1. Annal. Car. in Appar. c. 4. n. 17

(c) Ibid. n. 22.

Dignissimus notatu discursus ex Lezana.

(d) Q. 108. art. 4. 5. *Vt tamen.*

Monachatus sub veteri & nova Lege differentia.

(a) 2. 2. q. 88. a. 7.

ANNOT. *Eadem aliis Scripturæ, Patrum, & Doctorum auctoritatibus confirmantur in ipso: Carmeli Armamentario.*

1372. SCVTVM III. *Sanctissimus Dei Propheta* ELIAS *obedientiam paupertatem, & castitatem opere servavit.*

ANNOT *Ex Scripturis, Patribus, & Scriptoribus paupertas, castitas, & obedientia sancti* ELIÆ *stabiliuntur in isto Scuto; Sed quia passim in hactenùs dictis ista satis sunt declarata, & ex dicendis confirmabuntur, haud opus est diutiùs istis hic immorari. Videre ad hoc propositum poterunt dicta in parte prima libro 1. cap 2. & sequentibus, quibus declaratur norma vitæ Religiosæ Monasticæ, quam Deus inspiravit, & expressè tradidit* ELIÆ, *& ipse servavit, ac servandam verbo, & exemplo alios docuit. Ista autem vitæ Monasticæ norma à Deo tradita fuit* ELIÆ *istis verbis:* Recede hinc, *scilicet à rebus caducis mundi, & transitoriis:* & vade contra Orientem: *id est contrà Originalem tuæ carnis cupidinem:* & abscondere in Torrente Carith, *ne in urbibus morbris simul cum turbis:* Qui est contrà Jordanem, *ut scilicet per charitatem sis divisus à delictis: His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conscendit* ELIAS, *scilicet* per abrenuntiationem terrenarum possessionum (*id est paupertatem*) propriæ voluntatis abnegationem (*hoc est obedientiam*) sui ipsius castrationem spiritualem (*scilicet castitatem*) & charitatem Dei ac proximi: *Quæ omnia dicto libro primo luculenter disseruntur. Quomodò autem* ELIAS *ista quatuor exercere inceperit, & tàm factis quàm verbis exemplar Monasticè vivendi se suis discipulis præbuerit, per exercitium istarum, atque aliarum Monasticarum virtutum declaratur ibi consequenter libro 1. cap. 1. 2. & 8 Videatur præsertim n. 46. & seq. & n. 85 86. & seq.*

Monastica vitæ norma à Deo inspirata. & expressè tradita S. ELIÆ.

1373. SCVTVM IV. *Sanctissimus Dei Propheta* ELIAS *Filios Prophetarum, Essenos, &c. habuit sibi in obedientia, paupertate, & castitate successores: quorum fuit fundator, Patriarcha, & Princeps.*

Probatur: ex Scriptura Ecclesiastici 48. *Qui Prophetas facis successores post te.* Unde è nostris gravissimus Author Thomas Waldensis in *doctrinali fidei libro 3. art. 1. cap. 4.* ait: ELIAS *zelans multiplicare Religionem Prophetarum Sanctorum sollicitè huic rei operam dedit; Eliseum primò instituens, & pallio suo induens, & demùm alios post eum magno numero providens ab intento, ut*

sancta

sancta Religionis successio semper staret, secundùm quod Sapiens ELIAM *alloquens, ait:* PROPHETAS FACIS SUCCESSORES POST TE. De Eliseo autem sic scribit Genebrardus lib. 1. Chronographiæ ad annum mundi 3272. *Eliseus miris & insuetatis operibus insignis 4. Regum 12. &c. construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine: manavit institutum, & loci Religio ad posteros; fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentia incredibilis.*

1374. De Essenis autem istis sic scribit Adrianus Adrianius lib. de Origin. Monasticees cap. 2. *Iudaeorum meliores* ELIÆ *atque Elisei discipuli, Esseni appellati sunt.* Et post pauca: *Unde liquet hos Essenos, vel Hessenos, ipsos esse Filios Prophetarum, de quibus cap. anteced. dictum fuit: qui quidem diversis in locis, temporum decursu, admodùm multiplicati, usque ad Christi Domini tempora, in prima sui institutione, vitaque spiritualis amplexu multis annorum centuriis constantissimè perstiterunt.* Tum ex Carthagena lib. 17. *homiliarum homil. 2. object.* 8. ubi sic: *Necessariò fatendum erit, Essenos, etiam ab* ELIA *& Eliseo, sive Filiis Prophetarum, eorum successoribus, promanasse: quod præterea nominis demonstrat Etymologia; nam licèt demus Essenos à vita Sanctitate esse nuncupatos, quod voluit Chrysostomus homilia 44. in Acta Apostolorum, idque Philo in libro, cujus titulus est.* [Quod liber sit probus] *apertè significat; tamen, si nominis Etymologia attentè consideretur, Essenos sive Essaos, ut alij volunt ab Eliseo potius dictos, quasi* Elisenos, *verius apparet: quæ denominatio placuit etiam doctissimo Henrico Henriquez nostri temporis Authori gravi ac perdocto in secundo tomo lib. 12. cap. 5. in Glossa litterâ B.* Hæc Carthagena: Paucis sic idipsum exprimit Honufrius Manescal tom. 1. Concionum in Concion. B. Mariæ de monte Carmelo, loquens de Instituto seu Religione ab ELIA inchoata: *Continuata est per Prophetarum Filios, aut per eos Religiosos, qui* ESSENI *ab Eliseo appellati sunt.*

ELIÆ, & Elisei discipuli continuati usque ad Christi adventum.

ESSENI ab Eliseo sic dicti quasi ELISENI.

ANNOT. *Quòd Filij Prophetarum, Esseni &c. in observantia paupertatis, castitatis, & obedientiæ successores fuerint S.* ELIÆ, *aliorum multorum Patrum, & Scriptorum testimoniis corroboratur in eodem Scuto. Ad hoc intentum videri poterunt dicta in antecedentibus: & quidem in parte 1. libro 2. cap. 8. lib. 3. cap. 5.*

1375. SCUTUM V. *Filij Prophetarum, Esseni &c. obedientiam, paupertatem, & castitatem in antiqua Lege opere servaverunt.*

ANNOT. *Ista ex Theologis, & historicis Christianis, ac Iudæis comprobantur in hoc Scuto. Sed quia in decursu hujus Speculi illa satis sunt declarata, supersedemus ulteriori confirmationi.*

1376. SCUTUM VI. *Sanctissimus Dei Propheta* ELIAS *tria essentialia Religionis vota obedientiam, paupertatem, & castitatem emisit.*

Probatur primò: Quia *Scuto* I. efficaciter probatum est, Sanctissimum Dei Prophetam ELIAM in antiqua Lege spiritu Prophetico, novisse perfectionis Religiosi status, in lege nova futuri, substantiam. *Scuto II.* Vota, etiam castitatis, non fuisse in Lege veteri prohibita, & *Scuto III.* ELIAM sanctissimum Dei Prophetam obedientiam, paupertatem, & castitatem opere servasse. Atqui, istis præsuppositis, & attentis ELIÆ prærogativis, *Scuto I.* incredibile est ELIAM absque voto, obedientiam, paupertatem, & castitatem servasse: ac proindè tria essentialia Religionis vota non emisisse: Ergo &c. Major tenet ex locis citatis. Probo minorem: suppositâ majori, lumen naturæ dictat, esse Deo gratius, nec difficilius, obedientiam paupertatem, & castitatem servare cum voto, quàm sine voto; virum autem Angelicum, sanctissimum, & Divinum quærere id, quod Deo gratiùs, nec eo, quod reipsâ facit, difficilius; dictat similiter. Consequentia verò ex illis præmissis est legitima. Hanc sententiam latè docet P. Franciscus de S. Maria tom. 1. historiæ Propheticæ lib. 3. cap. 20. Ita diligenti studio, celeberrimus noster in Textum Euangelicum Commentator Joannes de Sylveira tom. 1. lib. 2. cap. 9. n. 36. ubi addit; *Qui omnes, & alij multi, optimè ex factis* ELIÆ, *ac Elisei hanc assertionem deducunt, & ego eam in multis publicis conclusionibus magno applausu defendi.* Ibidem autem nu. 39. *Et hanc sententiam de votis, ac Monachatu in Lege veteri, liberè posse evulgari, judicatum est à supremo Senatu sanctæ Inquisitionis Madriti hoc præsenti anno 1639. die 9. Decembris* * Concordat de toto Ordine nostro optimè meritus P. Lezana Annal. Ordinis tom. 1. Apparatûs cap. 4. n. 2. *Cum totum fermè Israël ob impijssimum Achabi, & Iezabelis exemplum, in idololatriæ barathrum demersus jaceret, excitatur à Deo, vir omni eloquio superior, incomparabilis, & admirabilis inter Prophetas* ELIAS, *qui ad Dei cultum firmiùs stabiliendum, salutem animarum curandam, perfidiamque scelestissimam idololatrarum confundendam, ex Samuelis discipulis, ex quibus ipse unus erat, ac ex aliis sibi ascitis sociis, Numinis instructu, vita Eremitica, ac norma Religiosa per trium votorum obedientiæ, castitatis, & paupertatis observantiam, talia qualia in eo statu umbratili, & imperfecto veteris Legis esse poterant, primus author fuit.* Et ibidem n. 5. ELIAS *vitæ Monasticæ, & Eremiticæ, ac qualitercumque Religiosæ, per observantiam trium votorum, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, qualia (ut dixi) in eo statu esse fas fuit, fundamenta jecit.*

Vota paupertatis, cast. & obed. fecit ELIAS.

* Vid supr. n. 1269.

Monastica vita quando & cur à S. ELIA.

1377. Probatur 2. quia alioqui, ELIAS, qui est *spiritus Dei, sacrosanctus & Divinus* ex dictis; ex speciali Dei instinctu (ex præmissis) fuisset amplexatus vitam Monasticam omni ad Deum devotione vacuam, juxta illud D. Thomæ (a) *Non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Atque id asserere de Propheta Deo devotissimo est contra omne prudens judicium. Ergo &c.

Probatur 3. Quia alioqui in sanctissimo Propheta Dei ELIA, Virginitas, obedientia paupertas non fuisset virtus, juxta illud D. Thomæ (b) *Virginitas*, & sic de obedientia, & paupertate, *secundùm quod est virtus importat propositum voto firmatum integritatis perpetuò servandæ.*

(a) 2. 2. q. 186. art. 2. ad 6.

(b) 2. 2 q. 152. art. 3. ad 4.

1378. Probatur 4. Quia (præterquam quod etiam incredibile sit, quod alioqui sequeretur) ELIAM Dei Prophetam, præclarissimis ornatum prærogativis, suprà mentionatis, Filios Prophetarum, Essenos &c. tales fecisse, uti proba-

probavimus *Scuto IV.* Successores post se, qui vota emitterent, prout emisisse *Scuto VII.* probabimus, quæ ipse non emisisset, ab eoque manasse Religiosi Ordinis sub tribus votis essentialibus institutum, quod in substantia non servasset, cùm id evidenter repugnet rationi causæ exemplaris qualis ipse erat. Sanctissimum Prophetam Dei Eliam tria essentialia Religionis vota emisisse habes ex illustrissimo homiliographo Joanne de Carthagena (a) (quo vix clarius aut solidius quid desiderari hic posset pro astruendis Monachatu & votis Monasticis in Lege veteri) & Ouando (b) *notum erat Iudæis, tàm ex lege, quàm ex Prophetis, tàm exemplo Iacob Genes. 28. quàm multorum; quòd vota Deo placebant, & quòd idem opus factum ex voto erat laudabilius; utpote procedens ex voluntate magis firmata in bono: notum etiam erat eis, Deo placere virginitatem & castitatem; alioquin non illam servassent. Imo ex Isaia 56. habetur laus Eunuchorum supra conjugatos, eorum videlicet, qui se castraverunt voluntate suâ [propter regnum cœlorũ: Non dicat Eunuchus &c.] & Sapientia 3. [Fœlix Spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, dabitur enim ei fidei donum, &c.] Quare igitur ante adventum Messiæ non se conformarent per votum etiam illis, qui castitatem & virginitatem servaturi erant post Messiam.* Ita quoque alij plures.

(a) Hic supra n. 1310.

(b) In 4. dist. 3. propos. 8.

1379. Probatur 5. Efficaciter *Scuto IV.* probatum est, Eliam paupertatem, castitatem, & obedientiam servasse: Ergò vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emisit. Probatur consequentia, de voto castitatis ex S. Augustino lib. de S. Virginit. cap. 23. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit?* Jesus Christus *dicit, eos qui piò proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare se propter regnum cœlorum &c.* Atqui sicut à castitate propter Regnum cœlorum servatà valet consequentia ad votum castitatis: ita à paupertate, & obedientia propter Regnum cœlorum servatis valet consequentia ad vota paupertatis, & obedientiæ, juxta illud Sapientissimi P. Suarez Tom. 3. de Relig. cap. 2. nu. 14. *Sicut paupertas* (idem est de castitate & obedientia) *ipsa bonum supererogationis est modo à nobis declarato, ita etiam illam voto promittere, & Deo consecrare, opus consilij, & optimum esse: quòd quidem ex principiis positis de voto in communi evidenter concluditur; nam actus vovendi per se bonus est, & cadit sub consilium* (tam in veteri Lege, ut patet ex præmissis, quàm in nova). Sic argumentor ex P. Suarez loco citato: sicut in veteri Lege, jam mundo satis multiplicato, paupertas, obedientia, & castitas erant bonum supererogationis, ita etiam illas voto promittere, & Deo consecrare, opus consilij, & optimum erat. Nam actus vovendi per se bonus est, & cadit sub consilium, etiã in veteri Lege &c. ut vidimus suprà: ergò si cadat in materiam debitam, & proportionatam Divino cultui &c. juxta doctissimum Suarez, erat in Lege veteri tale de illis votum sub consilio: cùm ergò pateat, voluntariam paupertatem, castitatem, & obedientiam in veteri Lege esse hujusmodi materiam, evidenter concluditur votum illius in veteri Lege, licitum fuisse, & consulendum, per se loquendo: undè ex ijs verbis, quibus Deus in veteri Lege castitatem, & sic de paupertate, obedientia, & quavis materia debita, & proportionata Divino cultui, eâ ratione, quâ votum in communi consuluit, cujus illa est materia determinata, etiam votum de illis consuluisse colligendum est; quia si illas consuluit; ergò & perpetuitatem earum; ergo & immobilitatem, seu firmitatem, propter quam votum adhibetur. Item: consuluit votum propter perfectionem; ergò multo magis perfectionem ipsam voti paupertatis, castitatis, & obedientiæ: hæc autem voto consecrata Deo, perfectiora sunt, & magis ad perfectionem conferunt, quam vota de imperfectioribus aliis, aut quàm ista sine votis. Unde etiam meritò doctissimus Suarez (a) *Multi viri sanctissimi in illa Lege Virginitatem ut meliorem coluerunt.* Waldensis *Maria prima Virgo fœmina Propheta* Eliæ *in virginitatis perpetua voto successit.* Clictoveus tom. 2. Homil. 2. *Virginitatis perpetua votum ab* Elia, *primo ejus institutore, imprimis actum.* Dominicus Gravina lib. *vox turturis* p. 2. cap. 5. Eliam, *primum colenda Virginitatis Authorem, Patres & Doctores appellant obedientia & paupertatis prototypum* Valderama in *Theatro Religionum* Serm. de Elia: *Cum voto tamen sine dubio* Elias *fuit primus, qui virginitatem servavit, & docuit eam servare in veteri Testamento suos discipulos.* Sic docet Isidorus lib. 2. de Orig. offic. cap. 43. S. Hieronymus, lib. 1. contra Jovinianum, & Cassianus lib. 1. de instit. Monach. Ludovicus Episcop. Dertusanus in Serm. de S. Teresia: Elias *fuit primus homo, qui castitatem vovit, ut infert Hieronymus & Isidorus.* Petrus de Ribadeneira Augustinianus, etiam in Serm. de S. Teresia: Elias *fuit primus mortalium, qui in carne humana se Deo spontè ac voluntariè consecravit in perpetuâ virginitate.* Hugò de S. Charo Tomo 6. cap. 9. Lucæ: *Eliseus* &c. *Religionis votum fecit*: Idem à fortiori de Elia dicendum ex quibus patet nostram esse plurimorum Sanctorum Patrum, & celeberrimorum Doctorum sententiam, quæ SS. Patrum & Doctorum integrum judicium dici possit juxta illud *cap.* extra conscientiam, *Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.*

Argumentũ efficax ex doctrina Francisci Suarez pro votis Monasticis in veteri Lege.

(a) Tom. 2. in 3. p. q. 28 art. 4. disp. 6. sect. 1.

ANNOT. *Illa de votis* S. Eliæ, *aliorum Patrum, & Doctorum testimoniis, ac rationibus in Scuto isto confirmantur. Nonnulli ex illis vota adstruentes jam ante adducti fuerunt, in Synopsi prima cap.* 1. *&* 2. videlicet Camartus *num.* 1239. Cœlestinus à monte Marsano *nu.* 1251. S. Epiphanius, & alij *num.* 1256. Consequenter Genebrardus, Vincentius Baron. Joannes Carthagena, atque alij: quibus adstipulatur S. Inquisitio Hispanica, Vide suprà *num.* 1269.

1380. Scutum VII. *Filij Prophetarum, Esseni practici, de quibus Philo Iudæorum disertissimus in libro* quòd omnis probus sit liber, *& Theorici, de quibus in libro* de vita contemplativa, *quos ibi Therapeutas vocavit, tria essentialia Religionis vota in antiqua Lege emiserunt.*

Esseno-

Essenorum perfecta renuntiatio.

Essenorvm Theoricorvm mores; ex Philone:

De perfecta eorvm renvntiatione, *præ immortalis, beataque vitæ cupidine, quasi jam hâc morte defuncti, facultates suas relinquunt.*

Cella, & monasteria.

De cellis, monasteriisqve eorvm: *Demigrant autem, non in aliam Civitatem, sed extrà mœnia degunt in hortis, aut villis solitariis, amantes solitudinem, non hominum odiô, sed ad cavendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere. Singuli autem habent sacras ædiculas, quas* Semnea *vocant, sive* Monasteria; *ubi solitarij Sanctæ vitæ mysteriis dant operam.*

Divina officia, studia:

De Divinis Officiis, qvotidianis exercitiis, et stvdiis: *Perpetuam habent Dei præsentiam. Non solùm contemplantur, sed etiam Cantica, Hymnosque in Dei laudem componunt vario Metrorum, carminumque genere, rythmis concinnatos in augustiorem, ac Religiosam speciem.*

Collecta:

De freqventiori Collecta, septimo quoque die, id est, Dominicis celebrari solita: *Per sex dies, seorsùm quisque in suis illis modò dictis monasteriis Philosophantur: non progredientes foras, imò ne prospicientes quidem. Septimâ verò conveniunt in cœtum communem, & juxtà ætatis Ordinem consident decenti habitu.*

Frugalitas.

De Frvgalitate victvs, et vestitvs: *Temperantia, tamquam fundamento in anima jacto, virtutes cæteras superstruunt. Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum. In cibatu utuntur pane simplici, sal vicem supplet absonii: qui delicatiores sunt, hyssopum pro condimento adjiciunt. Potum è fluentis hauriunt. Edunt igitur, ne esuriant; bibunt, ne sitiant: saturitatem cavendo, ut inimicam animo pariter & corpori. In veste autem eadem apparet simplicitas ad arcendos calores, & frigora.*

1381. Essenorvm practicorvm Mores: ex eodem Philone.

Nec Palæstina, Syriaque deest hoc genus hominum, virtutem sectantium, cujus Regionis non parvam partem populosa Iudæorum gens incolit. In his quidam nominantur Essæi *circiter quatuor millia à Sanctitate dicti, qui summâ Religione Deo serviunt.*

Non mactando victimas, sed suasmet-ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam. Hi vicatim habitant, urbes fugiunt, propter familiaria civibus eorum vitia, gnari non minùs periculi esse ab eorum convictu, quam ab aëris intemperie pestiferâ, propter contagium incurabile.

Pietatis erga Deum argumenta præ se ferunt plurima, castitatem in tota vita perpetuam.

Vnum est promptuarium, unde vestitus & mensa communis sumitur.

1382. ANNOT. *His, atque aliis, è Philone delibatis Essenorum institutis, Monasticæ conversationis perfectissimam ideam exprimentibus, Author Armamentarij quædam Bivarij commenta circa Essenos, refellit, & S. Hieronymum, atque alios Patres (ab eodem Bivario malè correctos) defensat: ac tandem propositam Conclusionem:* Filii Prophetarvm Esseni &c. Tria essentialia religionis vota in antiqva Lege emiservnt, *his (inter cæteras) rationibus demonstrat.*

Probatur primò: Quia Filij Prophetarum fuerunt de Eunuchis, & Nazaræis, & Esseni de Filiis Prophetarum, quorum tàm hi quàm illi, in antiqua Lege, obedientiam, paupertatem, & castitatem reipsâ servaverunt, ut patet ex dictis *Scuto V.* Atqui Eunuchos, & Nazaræos vovisse efficaciter probatum est *Scuto II.* Ergo &c. Consequentia majoris & minoris est legitima. Probatur prima pars de Filiis Prophetarum: quia ex dictis *Scuto II. Eunuchi sunt, qui se castraverunt propter regnum cœlorum;* Nazaræi autem, qui ad castitatem Deo insigni voto se manciparunt: atqui Filij Prophetarum utrumque executi sunt. Ergo &c. Major patet ex ibidem dictis.

1383. Probatur secundò: ex antiquissimo Authore Cajo Solino: (a) *Interiora Iudææ Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplinâ recesserunt à ritu gentium universarum &c. Nullus admittitur, nisi, quem fides castitatis, & innocentiæ meritum, prosequatur:* juxta illud Cedreni in Compendio historiæ sub Claudio Imperatore, ubi de Essenis loquens ait; *Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam.* Et Nicephori libro 2. histor. cap. 16. *Vitam Propheticam flagranti, atque ferventi fide imitari student.* Atqui *per fidem* ibi votum intelligitur: ergo &c.

(a) In Polyhist. cap. 36

Probatur tertiò: Quia illi erant veraciter Monachi, ut patet ex S. Hieronymo in Epistolâ ad Rusticum: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus:* Sancto Machario; (b) *Quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos* Ruperto in Expositione cap. 4. Cantic. *Quos fuisse Monachos in veteri Testamento consentit authoritas Patrum venerabilium.* Atqui veri Monachi fuisse non possunt, nisi per tria illa vota. Ergò &c.

(b) In Serm. ad Monachos.

1384. ANNOT. *Author Armamentarij de Essenis hoc loco luculenter tractat, & ipsorum, ac Filiorum Prophetarum vota variis rationibus aliis confirmat, variorum hallucinationes præoccupat: sapienter Essenos divisit in Practicos, & Theoricos: & disserit, ac declarat, an & qui ex Essenis hæretici; Sed cùm in Apparatu ad Tomum 2. Annalium à P. Lezana auctoritatibus Scriptorum, atque Historicorum præstantiorum Iudæorum, Ethnicorum, & Christianorum cujusvis ferè seculi à Christo nato usque in præsens, Theologorum quoque, & Scripturæ sacræ Interpretum, demonstratum sit, illos fuisse* sinceræ & probatæ fidei *(exceptis nonnullis Samaritanis hæreticis, de quibus in Armamentario num. 55 & 60.)* veri nominis Monachos, posteros, & successores SS Prophetarum Eliæ & Elisei, ejusdem instituti cum Filiis Prophetarum sectatores, Religiosorum, ac *Monachorum* novæ legis, Duces, ac Antesignanos, & ab Apostolis instructos, effectos magna ex parte Christianos, ac Christianorum primitias, atque Prophetici Eliani Ordinis continuatores, & propagatores: *& eadem etiam valde luculenter prosecutus fuerit idem Lezana tom. 2. Annal. Carmelit. in Apparatu per plura capita, ideò opus non est, plura hoc loco de Essenis adferre. Nonnulla etiam de iisdem in antecedentibus dicta sunt* n. 957 & 959. *Vndè etiam habetur, illos fuisse S.* Eliæ sectatores, & posteros: *ad hoc propositum plura dicentur in sequentibus, in parte 3. in libro Arnoldi Bostij* de Patronatu cap. 3. *Porrò ex paucis illis de Essenis ex Philone jam adductis, & cum illis quæ de Filiis Prophetarum parte 1. libro 2. & sequentibus sunt dicta, collatis, satis apparet hos & illos ejusdem instituti.*

1385. Scvtvm VIII. *Sanctissimus Propheta Dei* Elias *suum Filiorum Prophetarum, Essenorum &c. Ordinem Religiosum fundavit in monte Carmelo.*

ANNOT.

ANNOT. *De Carmelo, & Ordine hoc ab eo nomenclaturam habente, abundè dictum in antecedentibus parte 1. libro 3. cap. 2. & 4 ac 5 à num. 98 ad 113. Item libro 4. cap. 7. per totum libro 5 c. 8 libro 6. c. 1 & 3. ac sequentibus libro 8. c. 1 & 2. per totum, & cap. 3. sub initium (num. 318.) libro 9 cap. 1 2 & 3 ac 6. & peculiariter cap. 8. sub finem, & alibi sæpiùs. Item in parte 2. n. 553. n. 585. & sequent. num. 656. 716. & alibi sæpiùs. Ideò superfluum esset de Carmelo ulteriùs quidpiam hic adducere.*

1386. SCUTUM IX *Filij Prophetarum, Esseni, &c. veri nominis Monachi (uti satis probatum est Scuto V. & VII.) floruerunt saltem usque ad tempora Christi.*

SCUTUM X. *Filij Prophetarum, Esseni &c. veri nominis Monachi (uti satis probatum est suprà Scuto V. & VII.) Sacrosanctum Iesu Christi Euangelium audierunt, acceptarunt, baptizati sunt, & in disseminandâ fide Euangelicâ coadjutores Apostolorum fuerunt.*

ANNOT. *Illa etiam quæ utroque isto Scuto traduntur in antecedentibus sufficienter sunt descriptæ, peculiariter parte 1. libro 5. per totum. Videantur quoque num 443. 459 481. & 522. 523. nec non parte 2. n. 555. & alibi sæpiùs.*

1387. SCUTUM XI. *Regula primitiva à S. Alberto Carmelitis tradita, illa fuit quam Sanctissimus Dei Propheta* ELIAS *Filiis Prophetarum, Essenis &c. servandam verbo & exemplo docuit.*

Probatur primò: collationibus observantiarum, quas de illis referunt Philo Judæus, Josephus, Eusebius, & alij primitivæ Ecclesiæ Historici, cum observantiis in dictâ Regulâ præscriptis. Dicit primò Albertus Patriarcha in Regulæ Carmelitarum Prologo; *Dilectis nobis in Christo Filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub ejus obedientia, juxtà fontem in monte Carmeli morantur.* Quia, ut patet ex *Scuto VIII.* ibi S. ELIAS Ordinem Carmelitarum, sive Filiorum Prophetarum, Essenorum &c. fundavit, & indè nomen Carmelitarum acceperunt, ut patebit ex Scuto XIV. dicendis.

Scilicet in Carmelo: vid sup. n. 98. & seq.

1388. Item: *Quia autem requiritis à nobis, ut juxtà propositum vestrum tradamus vitæ formulam, quam tenere imposterum debeatis.* Propositum autem illud, aliud non erat, quàm vita, & Institutio ELIÆ per allegorias, pro qua de Essenis Philo Iudæus in lib. *Quòd omnis* &c. *pleraque per figuras more veterum Philosophorum, sunt eis tradita.* Undè Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus in libro *de Institutione Monachorum* &c. qui pro prima Regula scripta inservierat, variis etiam utitur allegoriis; cujus compendium Albertus fecit. *Dixi propositum autem illud, aliud non erat, quàm vita & Instructio* ELIÆ &c. juxtà illud Damiani, serm. 1. De S. Joanne. *Ejus vita est Monachorum propositum, Anachoretarum principium, totius Religionis assertio*: B. Joannis Soretij Ord. Reformatoris Zelosissimi in Præfatione ad Regulam S. Alberti: ELIAS *itaquè cœpit facere, & docere Regulam hujus sanctæ Religionis* &c. Theophilus autem Raynaudus è Societate Jesu tom. 8. pag. 378. contrà Sectarios probat ex eruditissimo P. Henschenio in Præludio ad vitam S. Antonij à §. 8. ad 12. *Sanctum Antonium proposuisse legem vitæ sanctam & perfectam, non legem dumtaxat, quæ in Actu signato lex dicatur, sed legem vivam, & animatam, ut Philo loquitur lib. 1. de Abraham, appellans Sanctos, leges rationabiles, & animatas ostendentes opere, & in Actu exercito regulantes aliorum vitam melius & commodius, quàm id præstent Leges scriptæ. quarum commentarios ait esse vitas Patrum.* Undè ad rem nostram prædictus Joannes lib. citato cap. 21. *Omnes quippè hujus Religionis viri sectatores, tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes; profitentur se humiliter sequi illam sanctam vitam, & Propheticam justitiam vitæ Monasticæ, quam Propheta Dei* ELIAS *servavit, & instituit, ac quam esse sequendam ipse, secundùm formam à Deo sibi creditam, & verbo pariter & exemplo discipulis suis tradidit, & in Eremo montis Carmeli residendo docuit maximè ac demonstravit.* Abbas Trithemius ex Ordine S. Benedicti in peculiari libro de laude & Institutione Ordinis Carmelitarum cap. 3. idipsum sic tradit: *Quamvis* ELIAS *Carmelitis Regulam scriptam non dederit, eis tamen exemplo conversationis, vivendi norma fuit*: Et cap. 4. sequenti: *Sancti etenim Patres, qui in monte Carmelo, juxta fontem* ELIÆ *ante Christi nativitatem habitabant Regulam conscriptam habuisse non leguntur: sed ipsi norma & Regula sibi fuerunt, qui exemplo* ELIÆ *concorditer vivebant.*

Regula monastica viva, & animata S. Proph. ELIAS & S. Antonius.

1389. ANNOT. *Consequenter in hoc Scuto accuratissimâ collatione inter se expenduntur Regula Ordinis hujus tradita ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano cum institutis & observantiis Essenorum, descriptis à Philone & Iosepho. Ratio hujus collationis est*, ut indè evidenter appareat, Regulam illam Alberti primordialiter non ab ipso Alberto, nec à Joanne Antistite Jerosolymitano XLIV. (cujus librum in compendium traxit Albertus) sed à SS. PP. ELIA, ut causa exemplari, fluxisse, & quòd Regula illa Alberti, eadem sit in substantia, quam S. P. ELIAS Filiis Prophetarum, Essenis &c. verbo, & exemplo servandum docuit. *Sed de identitate Regulæ Ordinis hujus primùm à S. P. ELIA verbo, & exemplo tradita, deindè à Ioanne præfato historicè descripta, ac pro Regula octo ferè seculis observata, ac tandem magis compendiosè, & determinatè à prædicto Alberto exarata, videantur dicta parte 1. libro 8 cap. 1. 2. 3. & 4. Sed specialiter reflectatur ad num. 294.*

1390. SCUTUM XII. *Propter mitigationem primitivæ Ordinis Carmelitarum Regulæ immeritò Carmelitæ Regulam primitivam non observare censentur.*

ANNOT. *Id, si intelligatur de mitigatione factâ per Innocentium IV. (de qua peculiariter actum est hic suprà in parte 1. libro 8. cap 6. & 7.) verissimum esse perspicuè declarat Ven. P. Thomas à* JESU de variis Regulis Carmelitani Ordinis, *ubi ista*: Meritò usque nunc Regula Innocentij primitiva à Summis Pontificibus passim nuncupatur. *Illud autem etiam locum habere in mitigatione posteriore per Eugenium IV. Armamentarij Author his probat rationibus.*

1391. Primò; quia tota mitigatio implicitè continetur in ipsa Regula, & solùm expressè facta est, ad removendum scrupulos timoratorum Superiorum, ob primitivæ Regulæ exceptiones in ea contentas. CAP. 2 *de mansione in cellis, die, ac nocte, vel juxta eas* &c. *nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Et CAP. 10. de

de jejunio, nisi infirmitas, seu debilitas corporis jejunium solvi suadeat. Item ibidem *de esu carnium, nisi pro infirmitatis, aut nimia debilitatis remedio sumantur.* Cum enim Carmelitæ essent inter quatuor Ordines Mendicantes adscripti; & propterea ex Eremis ad urbes in obsequium populi vocati: experti sunt in obsequio isto insolitas necessitates excurrendi ad infirmorum visitationes, ac foràs ad continuas conciones, & admittendi extrà cellas populum, eorum consilia, directiones, & consolationes perquirentem, ac alia similia obsequia ei præstandi: Undè ab Eugenio IV. facta est declaratio primæ exceptionis. Item cùm ob prædicta obsequia communiter, *singulis diebus &c. jejunantes*, experirentur *infirmitates*, & *debilitatem corporis* ab eodem facta est declaratio secundæ exceptionis, & sic de tertia. Atqui ille, qui observat declarationes exceptionum, in primitiva Regula expressatum, legitimas; censetur primitivam Regulam observare: Ergo &c. Probatur minor: Quia qui observat declarationes primitivi Juris naturæ, in utroque corpore Juris Canonici, & Civilis, factas, censetur primitivum jus naturæ observare, ut omnes fatentur: atqui mitigationes, sive declarationes Eugenij IV. non aliter se habent ad dictas exceptiones in primitiva Regula expressas, quàm Corporis utriusque juris declarationes ad primitivum jus naturæ, ut consideranti patebit: Ergo &c. *Hactenùs ex* Carmeli Armamentario, *ubi plura ad idem propositum.*

1392. SCUTUM XIII. *Omnes Religiosi, & Eremitæ, Filij Prophetarum & Esseni, Carmelitæ sive Fratres D. Virginis de monte Carmelo, & sancti Antonius, Pachomius, Basilius, &c. fuerunt unius, ejusdemque Filiorum Prophetarum, Essenorum &c. Ordinis Religiosi, donec sancti Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus &c. suos dicerent, quos in vita Religiosa instruxerant, ita ut dicerentur in populo specialis Ordinis S. Antonij, S. Pachomij, S. Benedicti, &c. respectivè diversi.*

In primis post Christum seculis Monachi omnes ejusdem instituti ELIANI.

Probatur primò: Quia, sicut omnes Christiani unius Ecclesiæ fuerunt, antequam diceretur in populis: *Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ*; & demùm postquàm unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur: ita omnes Filij Prophetarum, Esseni, Monachi, Eremitæ, &c. unius Ordinis Religiosi erant, antequam diceretur in populis, *ego sum Antonij, ego Basilij &c.*

Sequela antecedentis tenet à pari: hoc tamen excepto, quòd sentiamus Sanctos illos Fundatores, ex speciali Dei inspiratione (non ita tamen per sacram Scripturam intimatâ, & certificatâ, prout sanctissimo Dei Prophetæ ELIÆ, ut vidimus *Scuto I.*) suis Regulam dedisse, à norma Filiorum Prophetarum, Essenorum, Carmelitarum &c. in accidentalibus saltem distinctam, & ex eâdem inspiratione consequenter illos, quos sibi subjecerant, putasse suos, & hos è converso, jam de tali inspiratione instructos, benè dixisse propter aliquam restaurationem; *Ego sum Pauli, ego Antonij, ego Pachomij, ego Basilij, ego autem Benedicti*, prout ita dicebatur in populis....

1393. *Dic primò*: ad probandum Ordinem Carmelitarum esse à sanctissimo Prophetâ Dei ELIA institutum, & fundatum, non esse necessarium probare Generalium istius Ordinis ininterruptam successionem.

Dic secundò: non obstante eô, quòd quisque dicere poterat suos illos, quos suæ Regulæ, aut Religiosè vivendi normæ subjecerat, & obindè post ELIAM, & Eliseum non fuerint necessarij Generales ad Ordinis Prophetici, sive Filiorum Prophetarum, Essenorum, &c. subsistentiam: fuisse tamen semper in Carmelo per hæreditariam successionem * Priores, qui suos dicerent illos, quos suæ Religiosè vivendi normæ ab ELIA, sine mutatione ab Antonio, Pachomio, Basilio, Benedicto &c. inducta, subjecerant;

** Id est Superiores, olim nuncupatos Abba, deindè inditum est nomen Prior.*

Dic tertiò: Omnes Religiosorum Ordinum Fundatores, & alios, qui ante Ordinum divisionem, verè Monachi fuerunt, consequenter fuisse Ordinis Prophetici. Undè Leander Granatensis Ordinis S. Benedicti in vita S. Gertrudis in principio, de Carmelitarum Religione loquens, ait: *Existimo, quòd optimè, & verissimè ad hanc Religionem reduci queant omnia Ordinis Cœnobia, omnes viri illustres sanctitate, & doctrinâ, qui ex illis prodierunt, omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui Orientalem Ecclesiam rexerunt, hi enim quasi omnes Religiosi fuere.* &c. Expendat Lector illud *optimè, & verissimè.*

ANNOT. *Plura ad hoc propositum reperiet Lector in ipso* CARMELI ARMAMENTARIO, *qua non est opus huc transferre; cùm jam ante num. 965, 966. & sequent. luculenter declaratum sit* Monachos, & Anachoretas omnes in quatuor primis post Christum seculis fuisse magni ELIÆ Prophetæ sectatores, & ejusdem instituti tenaces, *quosdam* imitatione, & successione, *alios verò* dumtaxat imitatione.

1394. SCUTUM XIV. *Monachi sive Eremitæ, qui in antiquo Testamento vocabantur Filij Prophetarum, Esseni &c. prout Carmelitas fuisse probavimus Scuto VIII. & XI. in primitiva Ecclesia leguntur vocati de monte Carmeli, Fratres B. M. Virginis de monte Carmeli, Carmelitæ: sed specialiter sub initium seculi quarti, postquam inceperunt nominis Ordinum distinctiones, sive postquam sancti Antonius, Pachomius, Basilius, & alij, illos, quos ad Religionem induxerant, suos vocarunt, & sic fuerunt vocati in populo tamquam filij Ordinis ab eis instituti, & specialiter distincti ab Ordine Filiorum Prophetarum, Essenorum* &c.

ANNOT. *De istis titulis, seu nomenclaturis* Filij Prophetarum, Esseni, Carmelitæ, & Fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, *accuratè, & luculenter tractatum est in antecedentibus.* (a)

(a) Nu. 59. & seq. 64. & seq. 234. & seq 244. 246.

SCUT. XV.

1395. SCUTUM XV. *Non solùm nongentis circiter annis, ante Christi Nativitatem Monasterium in Carmelo, Palæstinæ monte, habuerunt Filij Prophetarum, & indè sunt nominati Carmelitæ, ab* ELIA *Sanctissimo Dei Propheta erectum, & fundatum, ut constat ex præmissis Scuto VIII. & XIII. Sed & alia fuerunt in Europa, extra Palæstinam & Syriam, à viris Religiosis è Carmelo descendentibus erecta, ante SS. Bertholdi & Alberti tempora.*

Probatur primò: Quia (præterquam quòd satis constet ipsos tempore ELIÆ habuisse, præter Carmeli montis propheticum, monasteria in Bethel, Carith, & Jericho; imò & (a) Vide parte 1. nu. 115. Item num. 196. Jerosolymis Christi tempore (a) ex præmissis noster S.Elpidius fundavit monasterium Carmelitarum Toleti in Hispania anno Christi 40. seculo primo juxtà Luitprandum, qui claruit anno Christi 1000. & fragmento 118. sic scribit: *S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit: & in prima Petri concione conversus ad fidem, cum sociis multis venit in Hispaniam, & Toleti fundavit monasterium Virginum, & Monachorum.* Numero autem 286. de eodem S.Elpidio dicit: *S. Elpidium & ejus socios, Episcopos fuisse de numero Religiosorum Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones, Monachatum introduxerunt. Istos vocat Eusebius lib. 2. cap. 3.* PROPHETICI ORDINIS.

Conventus Ord. Carm. in Hispania an. Christi 40.

1396. Probatur secundò: Quia anno Christi 743. circa Florentiam, celeberrimam Italiæ urbem, jacta fuêre fundamenta, & erecta Ecclesia Carmelitarum monasterij eremitici, de quo postmodum intra urbem translato hæc Episcopi Florentini an. 743. facta protestatio: Nos THOMAS MISERATIONE DIVINA &c.

Florentia an. 743.

ANNOT. *Litteras istas de Florentini Conventus fundatione habet Lector hic supra in Appendice ad partem 1. §. 2.* (b) *De monasteriis aliis antiquis in Europa agitur ibi consequenter* (c) *De antiquis autem monasteriis tàm in veteri Lege, quàm Evangelicâ, videatur in parte prima hujus Speculi, libro 9. caput secundum* (d) *De eisdem sigillatim, & accuratè tractatur hic infra, parte 3. sub initium, in* Collectaneo *exemplorum Balduini Leersij cap. 1. & in libro subsequenti, Arnoldi Bostij* de Patronatu &c. *cap. 6. §. 1.*

(b) N.506. (c) N.509. (d) N. 408. 409. 410.

1397. SCUTUM XVI. *Carmelitæ moderni monasterium in S.Carmeli monte ab* ELIA *Sanctissimo Dei Propheta fundatum, & successivè restauratum, hucusque per hæreditariam successionem tenuerunt, & inhabitarunt.*

Probatur: Quia illud fuisse semper usque ad tempora Christi per hæreditariam successionem retentum, & inhabitatum à Filiis Prophetarum, Essenis &c. constat ex præmissis (c) Regulam autem S. Alberti, quam hodie servamus fuisse illam ipsam quam Filij Prophetarum, Esseni &c. juxta traditionem ab ELIA sanctissimo Dei Propheta acceptam, servarunt, ac proinde, Filios Prophetarum, Essenos, & nos Carmelitas esse, & fuisse ejusdem ordinis Prophetici, sive Carmelitani, patet ex præmissis *Scuto XI. & XIII.* . . . . Quantumvis tamen, toto isto sævissimarum persecutionum tempore Carmelitæ suum Carmeli montis primæ Institutionis Conventum non inhabitassent, non ideò illius possessionem, & hæreditariam successionem amisissent, ut patet. *Primò*: Quia legitima possessio non amittitur, nisi alienatione, aut præscriptione, ut unanimiter docent Juristæ; non solùm verò evidens est, ipsos Conventum illum non alienasse, sed nec bonæ fidei in ullâ ullâ præscriptione procedere potuisse; cùm sævissimæ persecutiones, omnibus notoriè, invincibiliter impedirent, nè jus suū tuerentur. *Secundò*: Quia nulla fuit omninò præscriptio, cùm solâ Barbarorum sævissimâ in Christi fideles tyrannide inceperit, & terminata sit, quæ nullatenùs bonæ fidei esse potuit... Nullus sanè, quantumvis exiguæ mentis, diceret cæteros Carthusianos, qui in Carthusia numquàm, aut cæteros Benedictinos, qui in monte Cassino numquàm, in Carthusia, aut Cassino amittere hæreditariam successionem, si incolæ ab illis violenter expellerentur, & per nefas extrà vivere cogerentur; cum locus non faciat Ordinem, licet interdùm, & det nominis appellationem, quæ non mutat Ordinem, & manifestum est in Ordine S. Benedicti, qui unus idemque cum hęreditaria in monte Cassino successione indivisus stat, propter normam, quam ubique servant à S.Benedicto in monte Cassino acceptam; licèt ipsorum, alij *Cassinenses*, alij *Camaldulenses*, alij *Cluniacenses*, & in Belgio nostro alij *Vedastini*, alij *Amandini*, alij *Affligemienses*, vocitentur: sed Ordinem facit servata vitæ Monasticæ norma ab uno Fundatore accepta, quamdiu S.Sedi eundem Ordinem in plures Ordines, (prout nostrum in nos & Discalceatos, & sic de aliis) divisit, dividere non placuerit: quò casu diversus non erit à diversitate primæ Originis, primitivę religiosè vivendi normæ, aut Fundatoris; sed à diversitate Capitis Generalis cujusque membri, alioqui ejusdem Ordinis.

(c) Vide num.116.

Cassini, Carthusiæ, sic & Carmeli amissio non tolleret Ordinum ibi institutorum successionem hæreditariam.

ANNOT. *Ista omnia authoritate S.Cyrilli, & aliorum pleniùs in eodem Scuto declarantur. Quo-ad mansionem posterorum, & successorum* S.ELIÆ *in Carmelo, tempore veteris, & novæ Legis, ea satis patet ex dictis hactenus, peculiariter parte 1. libro 3. cap. 5. cujus titulus est:* Quòd multi hujus Religionis Patres, tam veteris quam novæ Legis, sint jugiter conversati Monasticè in monte Carmeli, ad imitationem ELIÆ: & quâ ratione omnes hujus Religionis professores appellentur Carmelitæ; quamvis non omnes manserint in Carmeli monte. (a) *Et lib. 8. cap. 1. & 2. libro 9. cap. 1. & præsertim cap. 8. n. 449 ac 459. Quòd autem omnes intereà eandem vitæ normam, verbo & exemplo à S. Elia traditam observaverint habetur ex dicto cap. 5. lib. 3. & cap. 1. libri 8. nec non libro 9. cap. 2. sub finem, & cap. 3. sub finem, ac utrobique in Notis.* (b)

(a) Vide n. 116. & seq.

(b) N.407. & 415.

1398. SCUTUM XVII. *Ratum & fixum videtur, Sacrum Carmelitarum Ordinem, quoad rem ipsam, quidquid de isto nomine sit, ab* ELIÆ *Dei Prophetæ Sanctissimi in votis Essentialibus institutione, annis circiter nongentis ante Christum, primam accepisse originem.*

Probatio prima ex SS. Patribus, [*Vide n.*1263. 1279.1283.]

Probatio II. ex Bullis Pontificium [*Vide supr. n.*1299.]

Probatio III. ex Martyrologiis [*Vid. num.*1240. & 1286.]

Probat. IV. Ex Canonicis officiis à S. Rituum Congregationes approbatis [*Vid. nu.* 1247.]

Probatio V. ex historicis, &c. [*Vide nu.* 1259. 1266. 1301.]

Probatio VI. ex traditione tam exterorum, quam ipsius Carmelitarum Ordinis. [*Vide nu.* 1257. 1258.

1399. Probatur sextò à Traditione. Primò ex Joanne XLIV. Patriarcha Jerosolymitano sub an. 400. *de Institutione Monachorum* sæpe citato: *Sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores ante nos intellexerunt, & nobis tam in veteri, quàm novâ Lege doctrinis, & exemplis philosophati sunt.* Sed de hujus, & aliorum Seniorum Ordinis nostri traditione fusiùs suprà (*in Synopsi prima cap.* 3. & 4.)

Secundò ex Societatis Jesu S. Theolog. Doctore, Suarez hujus seculi, verè doctissimo (a) *Est autem valdè recepta, & satis antiqua traditio, Religionem Carmelitanam à temporibus Prophetarum, & signatim ab* Eliæ *institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem . . . quam traditionem ut veram, suscipimus.*

(a) Tom. 4. de Relig. tit. 9. lib. 2. c. 10.

Tertiò ex Gaspare Sanchez, etiam Societatis Jesu, sacræ paginæ Expositore clarissimo. (b) *Quod, ut credam (videlicet* Eliam *Ordinis Carmel. Institutorem) facit non solùm illius Ordinis, sed & omnium penè gentium constans & perpetua traditio.*

(b) In cap. 17. lib. 3 Reg. n. 12.

Confirmationes. Confirmatur primò ex testimonio Universitatis Cantabrigiensis.*

* Vid. sup. num. 517.

ANNOT. *Pleraque istarum Probationum adducta sunt passim hinc indè in decursu totius operis, præsertim in Synopsi præcedenti. Testimonium, seu Decretum Universitatis Cantabrigiensis integrum est etiam in Speculi hujus parte 1. in Appendice* §. 5. *num.* 517. & *sequent. Præfatas authoritates Francisci Suarez, & Gasparis Sanctij pleniùs relatas habes supra num.* 1257. & 1258.

1400. Scut. XVIII. *Traditio de S. Carmelitarum Ordinis ab Eliæ Dei Propheta Sanctissimi in votis essentialibus institutione annis circiter nongentis ante Christum, videtur omninò irrefragabilis infra fidei, & ab Ecclesia universali receptas traditiones.*

Probatur primò ex dissertatione eruditissimi Patris Thomæ Aquinatis à S. Josepho. (c) Nullum est vitæ alicujus singularis institutum, nullum vitæ, & professionis Religiosæ speciale propositum, quod suum Principem, Parentem, & Institutorem non habeat, & agnoscat, ad quem unusquisque in tali instituto propositove aspicere, eumque, ut instituti, & propositi illius perfectionem adipiscatur, imitari debeat: Atqui Sacer Carmelitarum Ordo est vitæ singularis institutum aliquod, & Religiosæ professionis speciale in Ecclesia propositum. Nec potest cum aliquâ veritate assignari alius Ordinis illius Princeps, Parens, & Institutor. Quamobrem concludendum est eum Ordinem habere debere aliquem Principem, Parentem, & Institutorem. Totum argumentum clarum est: majorem probo primò: egregiis D. Hieronymi, Doctoris sanè maximi, verbis, quæ habentur lib. 2. Epistolarum illius Epistola 14. quæ est ad Paulinum de Institutione Monachi. *Habet* (inquit Hieronymus) *unumquodque propositum Principes suos.* Minor pro prima parte à nemine negatur: pro secunda autem patet ex hucusque præmissis, & à nobis confirmabitur infra eneruatione solidâ Telorum Amicorum diffidentium. Ergo &c.

(c) De Patriarchatu Eliæ p. 2. sect. 2.

Institutum seu propositum quodlibet suum habet Principem, ac Institutorem.

Talis respectu Ordinis Carm. est S. Elias.

1401. Probatur secundò: ratione desumptâ ex historia Carmelitanâ (a) Traditio communis Doctorum, ac prudentum benè fundata, sicut præsens, tanti est ponderis, & authoritatis, ut S. Joannes Chrysostomus homil. 4. in Epistolam ad Thessalon. dixerit. *Traditio est, nihil aliud quæras.* Ista ratio uno dilemmate sic corroboratur: vel traditio communis Doctorum, & prudentum benè fundata simpliciter, & absolutè admitti debet; vel nullæ Traditiones historiales consultò, præterquam ex S. Sedis decreto admittuntur.... Subsumo: Atqui Traditio, pro quâ nunc contendimus, est communis Doctorum, & prudentum, benè fundata in S. Scripturâ, authoritatibus SS. Patrum, ac Bullis Summorum Pontificum, receptis Sanctorum revelationibus variis, ac Universitatis Cantabrigiensis in Judicio contradictorio, diffinitiva sententia, uti huc usque comprobatum est: (b) Major videtur evidens: minor constat ex præmissis: Consequentia, illis præsuppositis, est legitima.

(a) R. P. Philippi à SS. Trinit. l. 4. c. 11.

Dilemma urgentiss. pro Patriarchatu S. Eliæ in Ord. Carm.

(b) Vide in Synopsi 1. caput 1.

1402. Prætereà Traditiones duplicis generis sunt agnoscendæ: aliæ in materia Fidei de verbo Dei non scripto, quæ ab omnibus Orthodoxis, tam non scriptæ, quam scriptæ recipi debent: aliæ in materiâ historiæ Ecclesiasticæ, de his, quæ ad Ecclesiam spectant: atqui sicut illæ tam non scriptæ, quam scriptæ tamquàm veræ, & fidei, recipi debent; ita & hæc tamquam veræ, & Historiæ Ecclesiasticæ. Major quoad primam partem, est de fide, & à solis Libertinis Hæreticis sine ullâ ratione repudiatur; cum illis constare non possit, verbum Dei, & non alterius esse scriptum, quam ex traditione non scripta. Secunda pars probatur; quia alioqui receptissimæ corruent plurimæ Historiæ Ecclesiasticæ, de Petro sedente Romæ, &c. Probatur minor, quoad primam partem: quia, ut jam probatum est, nequidem de verbo Dei aliter nobis constare potest, quòd sit scriptum, quàm ex Traditione non scripta; imò neque, etiam supposito verbo Dei scripto, de formâ, materiâ, & numero Sacramentorum, Scriptura vera, aut Apocripha, Scripturæ veræ sensu genuino, aut erroneo ante S. Sedis definitionem. Unde, rejectâ traditione pars infidelium fiet optima.

Traditiones duplicis generis.

Quoad secundam partem verò: sequitur à pari.

Deni-

1403. Denique si quis Traditionem illam fundatissimam(vt ex dictis habetur)de S. Elia Patriarcha, institutore, fundatore Ordinis Carmelitani non admittat, sustinens solis auctoribus æqualibus, aut supparibus credendum, operam lusisse, Æthiopem dealbare voluisse, diverberasse nebulas censendi essent, Iosephus Iudæus in describendis Historiis antiquis veteris Testamenti à Moyse non descriptis, S. Epiphanius, S. Isidorus describentes vitas Patrum veteris Testamenti, & plurima asserendo, quorum ne verbum quidem ne *Grÿ* nec *My* legitur in antiquis, quæ Christi adventum præcesserunt, monimentis nunc extantibus. Si nullus nisi solis æqualibus aut supparibus Scriptoribus asserenda sit auctoritas, plurima contemnantur, necesse erit, quæ à S. Hieronymo, S. Isidoro, Sigeberto Gemblacensi, & Henrico Gandavensi, in libris de Scriptoribus Ecclesiasticis tradita sunt; tùm quoad peculiares quasdam circumstantias, ad auctorum vitas, qui eos duobus & ampliùs sæculis antecesserunt, pertinentes... Qui tetricæ illius Dialecticæ Regulas sequi voluerit, descriptas multâ cum curâ à Simeone Metaphraste plurimorum Sanctorum vitas, nullo labore dispunget; quia Simeon Metaphrastes multorum Sanctorum, de quibus disserit, æqualis non fuit, vel tempore proximus. Dicam amplius: quisquis in huius Dialectice verba iuraverit, innumeros ex Sanctorum albo beatos viros *ἀ θανάτοις τοῖς ὀρανὸν εὐρὺν ἔχοντας*, levi brachio eradet, qui in veteribus Martyrologiis S. Hieronymi (ut vulgò creditur) Bedæ, Vsuardi, Adonis, percensentur: propterea, quòd eorum auctores, à ferendo de illis beatis hominibus, illorumque depositionis die, testimonio, per ætatem impediuntur. O incommodam Dialecticam; quæ publica Ecclesiæ Instrumenta (Martyrologia, & approbatas Sanctorum vitas intelligo) maximam partem reijciendi methodum præscribit: quæ in multis rebus scrupulosos fidelium animos efficit: quæ timoratas conscientias austeritate suâ offendit. De eâ sanè licet nobis hæc S. Hieronymi in *libro 1. adversus Pelagianos* verba usurpare: *hæc argumentatio tortuosa est, Ecclesiasticam simplicitatem inter Philosophorum spineta concludens.* Denique sic multæ Traditiones ab æqualibus, aut supparibus non scriptæ, & tamen receptissimæ, non essent admittendæ, vt sunt de Christi Transfiguratione in Monte Thabor, de apparitione Christi dilectissimæ Matri suæ ante alios, de impressis Oliveto monti vestigiis Christi, & similes, quos qui exploderet, non immeritò Ecclesiæ traditionum impugnator, & de perversa similium impugnatorum fide suspectus haberetur, vt omnes fateri debent, præsertim cùm Ioannes Evangelij cap. vlt. dicat: *sunt autem & alia multa, quæ fecit* IESVS, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Et Augustinus *lib. 7. de Baptismo* contrà Donatistas cap. 7. *Multa quæ non inveniuntur in litteris Apostolorum, neque in Concilijs posteriorum: & tamen quia, per vniversam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur, quamquam scripta non inveniantur.*

Traditio de S. Elia institutore Ordinis Carm. fundatissima.

quæ si non admittatur, Ecclesiastica historia plurima censenda pari ratione futilis.

Id qui diceret tetrica Dialectica professor esset.

ANNOT. *Authoritates, & rationes nervosæ aliæ ad idem propositum subministrantur in ipso Carmeli Armamentario.*

TELA AMICORVM DISSIDENTIVM.

FORTITER ET SVAVITER REPVLSA.

EX EODEM CARMELI ARMAMENTARIO.

PRÆFATIO. *

* R.P. FRANCISCI BONÆ SPEI.

1404. MIraberis fortè, quòd à me, & toto Ordine nostro, Dissidentes, vocem AMICOS: sed immeritò; nam à Nominalibus Reales, à Thomistis Scotistæ, & ab vtrisque Patres Societatis IESV, in plerisque dissident, verùmtamen sunt *amici*: AMICVS etenim est ALTER EGO. Ego autem pro veritate argumentis, siue Scutis toto Armamentario nostro contentis, pugno; pro illâ quoque pugnant ipsi obiectionibus, sive telis totâ cuiusque suorum Pharetrâ comprehensis. Veritas quidem sibi adversa esse non potest, nec proindè adversas coronare pugnas: sed cùm Iudex simul, & Actor iustus esse non possim, de illa iudicium iis, quorum interest, iustè relinquo; contentus dicere cum Apostolo 1. ad Corinth. 13. *Charitas non æmulatur* &c. *non quærit quæ sua sunt* &c. *non Gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*: pro qua indubiè stat Supremi S. Inquisitionis Hispanicæ Senatus decretum anno 1639. (a)

AMICI vocantur Dissidentes à Carmelitana Historia, & cur.

(a) Vide sup. num. 1269.

ANNOT: * *Conformiter istis, hic consequenter cum illis, quorum obiectiones proponentur, tamquam cum* AMICIS *tractabitur, & Tela eorum in Carmelitanam Historiam evibrata, suaviter cum Christianâ charitate, & modestiâ religiosâ repellentur. Primo loco convenienter ponit Author Armamentarij Decretum Sacræ Inquisitionis Hispanicæ, approbantis, seu imprimi permittentis propositiones* de votis castitatis, paupertatis & obedientiæ, *deque* vero Monachatu sub veteri lege (*Vt indè evidens sit, quàm immeritò aliqui istas assertiones vt improbabiles censuraverint*) *Sed istud iam antè præcessit, & prò sequentibus quandoque serviet; ideò ad illud reflectendum.*

* F. Dan. à V. M.

(b) In Synops. 1. cap. 1. num. 1269.

1405. PHARETRA 1ª. *

* R.P. Francisci Salinæ.

(*Author Armamentarii circa Pharetram primam*)

Non intendo huius Pharetræ, & aliarum sequentium tela reiicere, quasi in me, aut scopum

scopum meum, immeritò projecta essent; quia scio R. P. Franciscum à S. Maria, ejusque Historiam Propheticam, illis directè impeti: sed quatenùs, juxta nostram, nonnullis hinc indè mutatis, verbis, accommodationem, à viris parùm attentis, in scopum meum projici possent, & obesse justitiæ, ac veritati. Quod velim pro deinceps hic dicendis benè notatum.

* F. Dan. à V. M.

ANNOT. * *Igitur non directè impetitur Carmelitana historia in plerisque subsequentibus Telis: & ideò illa dumtaxat obiter (prolixitatis non necessariæ vitandæ causâ) annotabuntur præcipua. Author verò Armamentarij valdè convenienter etiam illa quæ directè historiam Propheticam impetunt; sed indirectè vergunt (aut à parùm attentis sic intelligi possint) adversùs hujus Ordinis à S. Elia originem, & verum sub veteri Lege Religiosum statum; ideò accuratè discutit, & minutim ad singula respondet; ut sic plena sit Telorum omnium retorsio.*

1406. Telum primum (a) *à silentio S. Scripturæ de* Eliæ *Religione.*

(a) Ex Exposit litterali Salmæ in c. 2 Jonę q. 35. n. 40. tomo 2.

Author Armamentarij; Respondeo primò: Virginitatem religiosam, & Monachatum implicitè laudari ac nominari *Eccli.* 48. dum de Elia dicitur: *Qui Prophetas facis successores post te.* Id est Monachos; nam Prophetas Eliæ successores sibi ædificasse monasteria legitur 4. Regum cap. 6. *Dixerunt autem Filij Prophetarum ad Eliseum: ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis. Eamus usque ad Iordanem, & tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum...* Super quo Hieronymus Epist. 4. *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casas propè fluenta Iordanis, turbis urbium derelictis.* Et Epist. 13. *Habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* De votis autem illorum satis constat. Eliam imprimis in antiqua Lege obedientiam, paupertatem, & castitatem opere servasse, probatum est ab authoritate communi sanctorum Patrum, & antiquorum Doctorum *Scuto III.* De his verò tria essentialia Religionis vota emisisse, à simili authoritate comprobatum est *Scuto VI.* Deinde per *Prophetas*, quos Elias *fecit successores post se*, intelligi Filios Prophetarum, non solùm evincit litteralis sensus istius loci, non obscurè verificatus per illud Actorum II. *In illis autem diebus supervenerunt Ierosolymis Prophetæ Antiochiam...* Imò quantumvis novi Testamenti Scriptura sacra satis expressè paupertatem, castitatem & obedientiam propter Deum amplecti consulat, quod sine votò fieri potest; non expresiùs tamen de illarum votis, sive tribus essentialibus votis Religionis, loquitur, quàm S. Scriptura antiqui, locis ibidem citatis: hanc proindè ad intentum nostrum sufficere putamus, juncto communi SS. Patrum, ac Doctorum sensu.

Scriptura S. testimonia de Religione Eliæ.

Nota Plura ad propositum hoc vide suprà n. 1291. & 1292. & seq.

Patres Eliam *Monachum nuncupantes se fundant in Scrip.*

Respondeo 2. Commentatorem non præsumpturum dicere tot Doctores, ac SS. Patres pro antiquæ Legis castitate religiosâ, & Monachatu scribentes, vanas, & ridiculas sui solius cerebri scripsisse sententias, aut ipsos secundùm illas de industria vanè, & ridiculè sacram Scripturam esse commentatos.

1407. Respondeo 3. Aut Commentatori constare, nihil plus à sanctis Prophetis scriptum, quàm antiquum contineat, prout hodie nobis prælegitur, Testamentum, aut id ei dubium esse. Quòd constet, non credimus, nisi efficaciter probet: quia incredibile est, tot seculis ab Elia usque ad Christum, omnia omnium Prophetarum scripta omninò conservata esse, ex iis nihil periisse &c. Nam imprimis S. Epiphanius in historia brevi de Prophetarum vita, & S. Isidorus Hispalensis in libro de ortu & interitu Patrum, etiam antiqui Testamenti, multa de his & illis scribunt, quorum *nè Grij aut Mij* legitur in veteris Testamenti scripturis; ista tamen è solo digito fuxisse, parùm est verosimile. Deindè: quia Eusebius lib. 4. Historiæ Eccles. & S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis varia S. Justini Martyris opera, S. Militonis libellum de Christiano dogmate, Tatiani multa volumina, Egesippi Historiam Eccles. in quinque libris, & sic alia S. Irenęi, Clementis Alexandrini, Julij Africani, Origenis (qui, referente, & celebri famâ Epiphanio hęresi 64. sena millia voluminum scripsit) S. Cornelij Papæ, S. Dionysij Alexandrini, S. Methodij Tyrensis Episcopi, Lactantij Firmiani, & aliorum scripta recensent, quæ modò non extant. Numquid fortè, uti tot illorum opera, & volumina perierunt, similiter non perierunt aliqua tot dictorum Prophetarum sacra scripta? Affirmat Bellarminus (a) aiens: *Nam multi libri verè sacri, & canonici perierunt.* Igitur dicendum: dubium esse, prout reverà est: an non plus à SS. Prophetis, scriptum, quàm antiqui contineat Scriptura Testamenti. Hôc autem datò. Quęro: undè ipsi constet, quòd in deperditis Prophetarum scriptis expressior facta non sit voti religiosæ castitatis, & Eliæ Monachatûs mentio, quàm aliis locis pręcitatis? Factum suadent tot de religiosa castitate, & Monachatu antiqui Testamenti Doctorum testimonia à nobis allata; aut certè alioqui ea protulisse ex traditione.

Scripta, & libri etiam Sacri *non pauci perierunt.*

(a) Controv. to. I. lib. 4. c. 4.

1408. Respondeo 4. Quòd si vim habeat istud argumentũ à silentio S. Scripturę: sequitur, benè Lutheranos, Calvinistas, & alios Acatholicos, Ecclesiæ Sacramentorum numerum, formas pręcisè essentiales, & talium effectus ex opere operato unà cum traditionibus explodentes, pro illis nos ad sacram novi Testamenti Scripturam remittere; quòd tamen Sancta Dei Ecclesia meritò explodit. Primò: quia de una, eademque Scriptura, ac unius, ejusdemque Scripturę sensu, inter nos, & ipsos est controversia, uti in plerisque manifestum est .... Nec aliter eos, quàm per dictam traditionem in illis convincere possumus; idque etiam concludet pro controversia altera de vera Christi Ecclesia, an ipsi, an nos in illa simus. Secundò: Quia Ecclesia Catholica & Apostolica, priùs novi Testamenti Scripturam, illiusque verum sensum à Christo, & Apostolis verbali traditione, quàm scripturâ, accepit: traditiones autem omnes, à Christo, & Apostolis accep-

Traditionũ admittendarum, necessitas, & urgentis. argumentum.

acceptas, non esse in novi Testamenti Scripturâ contentas, patet ex ipso Evangelio Ioannis cap. vltimo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, &c.* Quidni igitur S. Propheta Dei ELIAS, & Prophetæ, quos *fecit successores post se*, ad ipsius imitationem (prout Apostoli illi ad Christi exemplum) doctrinæ suæ, ac Monachatûs traditione, verbo non scripto, etiam contenti fuissent? (fuisse autem non obscurè insinuat S. Basilius Epist. 146. ad Libanium Sophistam scribens: *Nos quidem, ô præclare vir, cum Moyse, aut* ELIA *similibusque beatis Viris, versamur, qui nobis barbaricâ voce doctrinam suam tradunt, & nos, quæ ab illis audiuimus, loquimur, sensu quidem vera, verbis autem rudia.* Nisi malis dicere, Eliæ scripta iam periisse.

1409. ANNOT. *Ista omnia aliis authoritatibus, & rationibus perspicuis ab Authore* ARMAMENTARII *stabiliuntur. Cæterùm de religioso Eremitico statu à S.* ELIA *instituto, & à filiis Prophetarum discipulis eius exercitato, & continuato, evidentia etiam in Sacris litteris testimonia extare habetur* ex dictis parte 1. (a) *& hac parte* 2. num 1291 & seq. *Hinc S. Hieronymus, S. Isidorus, & alii Patres disertè adstruunt* Scripturarum auctoritate ELIAM, Eliseum & filios Prophetarum, Monachos & Principes, ac Duces Monachorum; *An dicere quis audeat, istos S. Scripturam non benè interpretatos? Absit.*

(a) lib. 1. c. 2. num. 22.

1410. TELVM II. *à perfectione legis novæ præ antiquâ.* Ex D. Thoma. *Lex nova est alia à veteri; quia lex vetus est, quasi pedagogus puerorum, vt Apostolus dicit ad Galatas* 3. Lex autem noua, est lex perfectionis.

Lex vetus quo sensu sit imperfecta comparatiuè ad novam

Respondeo primò: S. Thomam loqui de lege novâ, & veteri secundùm totum corpus suum. Non verò secundùm quamlibet istius corporis partem, uti clarè sequitur ex S. Leone Papa serm. 6. de ieiunio decimi Mensis: *Evangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum authoritatis* (in Margine *vtilitatis*) *præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad nouam observantiam transferantur, & ex ipsa Ecclesiastica devotione demonstratur, quòd Dominus Iesus Christus non venit solvere legem, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Salvatoris nostri prænuntiabatur adventus, & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea, quæ ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum, ratio pietatis instituit, in eâdem apud nos formâ, in quâ cõdita sunt, perseverant, & quæ vtrique Testamento congrua erant, nullâ sunt commutatione variata.* Imò totum Decalogum esse ipsâ lege novâ confirmatum, communis est Ecclesiæ sensus, contra Lutherum, (c) perversè explicantem illud ad Galat. 2. *lege mortuus sum*, ac etiam contra Calvinum (d)

(c) lib. de libertate Christiana (d) lib. 3. Institutionum. c. 19.

1411. Respondeo 2.° S. Thomam in his: *Lex vetus est quasi pedagogus puerorum* loqui ad sensum Apostoli ad Galat. 3. *Priusquam veniret fides*, vtique de Christo, & doctrinâ eius, *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat; itaque lex pedagogus noster fuit in Christo*, id est lex vetus in ceremonialibus adumbravit Christum venturum, redemptionem per Christum futuram, & iustitiam, ac salutem per eundem præstandam; cùm pedagogi sit, pueris perfectiora adumbrare futura. Non verò velle, legem charitatis, de qua paulò ante, & Decalogum totum, esse pedagogum puerorum.

Respondeo 3°. S. Thomam loqui de lege veteri cum hac exceptione (e) *Fuerunt tamen aliqui in statu veteris Testamenti, habentes charitatem, & gratiam Spiritûs Sancti, qui principaliter exspectabant promissiones spirituales, & æternas, & secundùm hoc spectabant ad legem novam.* Cuius rationem, & confirmationem dat præcitatus S. Leo Papa serm. 17. de ieiunio septimi Mensis: *Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum noverat, vt legem non solveret, sed impleret, ità veteris Testamenti decreta distinxit, vt quædam ex eis sicut erant condita, Evangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent observantia Christiana.* Per *facta observantia Christiana quæ erant consuetudinis Iudaica*, intelligi Monachales observantias veteris Testamenti, suadent de ELIÆ Monachatu sanctorum Patrum, ac Doctorum authoritates, & traditio, allatæ *Scuto XVII.* Ipsáque id ipsum persuadet ratio; nam si qui in statu veteris Testamenti habuerint charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, & principaliter expectarint promissiones spirituales, & æternas, secundùm hoc spectantes ad legem novam, maximè tunc, uti nunc, Monachi: & si quæ consuetudinis erant Iudaicæ, facta sint observantiæ Christianæ, maximè istius temporis observantiæ Monachales, vt consideranti patebit.

(e) Ibid. art. 1. adz.

ANNOT. *Alia ad hoc propositum vide infrà in Synopsi 3 cap. 1.*

TELVM III. *& IV. imbecilla omninò demonstrantur ab Authore Armamentarii, & retorquentur.* TELVM V. *exaggerationis excessu ad oculum patens, similiter retorquetur.* TELVM VI. *remissiuè soluitur* TELVM VII. *ostenditur extra scopum directum.*

1412. TELVM VIII. *& IX. à præcepto nuptiarum in lege veteri, & à maledictione sterilitatis.*

ENERVATIO. Respondeo: præterquam quòd expressè Abulensis q. 22. sub illud Num. 30. *Mulier si quidpiam voverit.* dicat: *non enim erat aliquid illicitum Virginitas in veteri Testamento, cùm aliqui viri, & fæmina eam observarint.* Nos longè plures SS. Patres & doctores, pro non præcepto & libertate nuptiarum in lege veteri, saltem pro tempore sufficientis hominum multiplicationis, citauisse *Scuto II. VI. & XVII...* Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium: *Vacuus erat Orbis, & sola erat benedictio liberorum: paulatim verò increscente segete, messor missus est, virgo* ELIAS, *virgo Eliseus, virgines multi filii Prophetarum. Maledictum* apud SS. Patres, ac Scripturæ Interpretes solùm intelligi potest argumento à contrariis, quòd ex populari errore dumtaxat concludit; nam Deus D. Virgini, & aliis SS. Virginibus S. ELIÆ, & aliis sanctissimis viris, varias benedictiones concessit, quas vtriusque sexus aliis minùs sanctis negavit: sed hos vel has fuisse obindè apud Deum de maledictione, & opprobrio conscios, nullus orthodoxus vmquam dixit, nec aliter, quam ex solo errore populari dici potest. Quæ-

Virginitas illicita non fuit in lege veteri.

1413. *Quæstiuncula.* Quæres fortè: quomodò cum his, & præmissis, concilietur dictum Ioannis XLIV. de Instit. Monach. cap. 36. *Sicut Religiosi Carmelitæ sunt primicerii virginum virorum, ità B.* MARIA *est fœminarum virginum voto primicerια:* Si; Virgines Sybillæ, Vestales, & aliæ, in voto Virginitatis quoad executionem præcesserint. Respondeo: posse conciliari: dicendo, nullos viros in voto virginitatis, aut castitatis, vnà cum duobus aliis votis substantialibus Religionis, quoad executionem ELIAM & filios Prophetarum præcessisse. Item nullas fœminas in voto virginitatis, aut castitatis, vnà cum duobus aliis votis substantialibus Religionis, quoad executionem B.V.M. præcessisse. Nam ELIAM imprimis, vitam religiosissimam in castitate, paupertate & obedientia egisse, probavimus *Scuto IV.* etiam cum tribus votis essentialibus *Scuto VI. & XVII.* De B. Virgine autem eandem egisse, probat ipsemet P. Salinas nu. 61. ex Cornelio à lapide cap. 4. in Cantica vers. 3. *Rursùm B. Virgo vitam egit religiosissimam, in summa castitate, paupertate, & obedientia.* & ibidem *num.* 62. ex eodem *cap.* 8. *Proverb. vers.* 8. dicente *Vide nostrum Hieronymum Platum libro I. de bono statûs religiosi cap. 24. vbi ostendit B. Virginem primam omnium, vitam religiosam in paupertate, castitate, & obedientia egisse, eiusque exemplar posteris dedisse, atquè adeò illam Ordines omnes excitasse, idq; nominatim de Carthusiensi, Carmelitano, Dominicano, Franciscano, Oliuetano, Hieronymiano, ac Societatis Iesu, ex ipsorum Chronicis demonstrat.* Quæ ita intelliges, vt posteris exemplar executionis dederit, anteris verò Carmelitis, siue Ordini Eliano ac Prophetico, intentionis dumtaxat, cùm executionis dare non potuerit, vt patet.

Maria Virgo quâ ratione Primicerια Virginũ, licet Sybillæ, & Vestales præcesserint

Religiosam vitam in paup. cast. & obedient. egit.

1414. Adde ad maiorem istorum intelligentiam: nihil esse notiùs, quàm posse artificem formare idæam domûs sibi faciendæ, formatam communicare alteri, vt suam secundùm illam sibi fabricet, quam fabricatam ipse artifex postmodùm imitetur, suam sibi fabricando: vbi domus alterius commendatio, primariò & principaliter, siue in esse exemplaris intentionis, debetur artifici; secundariò verò, & minus principaliter, sive quoad esse executionis, alteri: sic enim D. Virgo, Christus, & Apostoli in Dei præscientia formarunt idæam Consiliorum Evangelicorum à se servandorum, & promulgandorum; Deus autem hanc sic formatam idæam spiritu prophetico, ac speciali revelatione communicauit ELIÆ, vt suam, & suorum Discipulorum vitam, secundùm illam institueret, ac instrueret, quam B. Virgo, Christus, & Apostoli postmodùm imitati sunt: vel potiùs (vt absit invidia verbo, & qualemcumque verbi indignitatem fugiamus,) quam posteriori tempore sunt secuti; eô sensu, quô Christus tempore secutus est legẽ Decalogi, dicens in Evangelio: *Non veni solvere legem, sed adimplere,* vitam Decalogi observantissimam peragendo, imò per religiosissimam Consiliorum, à me additorum executionem, perficiendo.

Christus & B.V.M. quo sensu prima exemplaria Religiosa vita.

ANNOT *Plura, quoad vtrumque Telum videri poterant in Authore Armamentarii.*

1415. TELUM X. & XI. *à voti virginitatis* MARIÆ *primatu.*

Respondeo primò: manifestum videri ex præcedentium Telorum eneruatione S.Scripturam R. P. Salinæ nullô modô favere; nostræ autem Thesi multùm. Telum illud dici potest eius principale, & ceterorum, quæ propter illud in nos vibrat, fortissimum: indirectum tamen est, & per illationem dumtaxat ex hoc antecedenti: D. Virgo prima omnium vovit castitatem: ergo S.Propheta Dei ELIAS illam non vovit: ergo verè, & propriè, Religiosus non fuit: ergo S. Ordinem Carmelitarum non instituit. Sed contra: imprimis hoc antecedens quoad lij *prima* in S. Scriptura non exprimitur. Deindè omnes penè SS.Patres, quos pro isto antecedenti citat, oppositum consequentis docent, vt videre est ex illis, sparsim in toto Armamentario citatis: vndè licèt fauerent P. Salinæ antecedenti, opponuntur tamen consequenti, & nobis favent, non ipsi. Denique non solùm, attentis omnium SS. Patrum authoritatibus; sed etiam his propositionibus: *In lege scripta fuit votum castitatis, & virginitatis perpetuæ: In lege scripta fuit verus Monachatus, & religio,* à Supremo S. Inquisitionis Senatu, relato supra (a) approbatis, evidens est antecedens illud non posse intelligi ad sensum R. P. Salinæ, de voti virginitatis primitate reali temporis, & quoad executionem: sed vel de sola primitate causæ exemplaris, & quoad intentionem, vel de primitate voti castitatis, quàm in ullo hominum ante ipsam Deiparam fuerit; utpotè quæ, ne vel minimâ contra castitatem imperfectione ab illo vnquam defecerit: vel de primitate ab excellentia conditionis voto adiectæ, sic vt pro quocumque eventu, cuiusuis necessitatis, etiam conceptionis, & partûs manere vellet virgo, in quâ indubiè videtur fuisse prima etiam primitate temporis, & executionis, hocque abundè sufficit ad commendandum supra omnes D. Virginis voti castitatis excellentiam.

(a) num. 1267.

Primatus virginitatis quâ ratione competat B. Virg. MARIÆ.

1416. Respondeo prætereà: absolutè etiam falsum esse, quòd omnes ferè Ecclesiæ Patres doceant B. Virginem ante omnes viros, non obstante quouis eis factô Sancti Spiritûs instinctu, primam, tempore veteris legis, emisisse votum castitatis, sive virginitatis perpetuæ. S. Dorotheus martyr in Synopsi Prophetarum tomo 7. Bibliothecæ scribit: ELIAS *hic primus ex hominibus cursum ad cælum subministravit, primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum viam ostendit.* Chartusianus ad cap 4. Lucæ: ELIAS *terrestris Angelus, homo cælestis.* Ambrosius lib. de Elia cap. 2. ELIAS *cælestem vitam in corpore, & superna usum conversationis exhibebat in terris.* Athanasius in vita S. Pachomii. *Vitam cælestium in terris gessit* (hæc enim omnia sine votis Deo gratissimis ægrè admodum intelligi possunt) Anastasius Sinaita (b) ait. *Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum calorum, hi sunt in lege noua Apostoli, & Monachi; in lege veteri,* ELIAS, *Daniel & alij multi.*

(b) In qq. super Scrip. q. 66.

S. Epi-

S. Epiphanius lib. 2. hæref. 58. *Quinam igitur Eunuchi Generosi Apostoli*, &c. *Monasticam vitam degentes*, *& deinceps virgines in novo Testamento*; Elias *in veteri Testamento* &c. Idem ferè habet hæresi 63. & hæresi 79. Elias *ab ortu suo virginitatem perpetuò servavit*. S. Ephrem Syrus in Resp. ad quendam Monachum. *Secularibus permisit legitimè matrimonio jungi; at qui seculo se abdicarunt, hos continere, & quidem legitimè se continere, voluit: quandoquidem si verba illa quosvis concernerent*, melius est nubere, quam uri, *nemo hanc ipsam virtutem excoluisset; non* Elias *Thesbites, non Eliseus, non Ioannes, non quicumque se castraverunt propter regnum cœlorum, castamque suam carnem servarunt Deo*. Ambrosius libro 1. de Virginibus cap. 5. Elias *nullius corporei coitûs fuisse permistus cupiditatibus invenitur* &c. S. Hieronymus in Epist. ad Eustochium: *Virgo namque* Elias: S. Isidorus Hispalensis libro 2. de officiis Eccles. cap. 15. *Quantum pertinet ad vetus Testamentum*, Elias, *Ieremias*, *& Daniel, castitatis, & continentia bonum constituisse dignoscuntur*. Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus lib. de Instit. Monach. cap. 9. Elias *seipsum virginitate perpetuâ primus hominum spontè decoravit*. Et cap. 41. *Primus inter homines studuit virginitatem perpetuam spontè inchoare*. Eunuchos autem, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, emisisse votum perpetuæ castitatis, concors est omnium Patrum ac Scripturæ Interpretum sententia: Imò Em. Card. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 23. ait: *Ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum; non enim est Eunuchus, qui solùm continet se, sed non se continere non potest*. Gaspar Sanchez in 3. Regum. 17. num. 6. *Eliam virginitatem coluisse perpetuam communis est veterum Patrum constansque sententia*. Salianus ad an. 3173. *S. Ephrem Syrus*, *Eliam & Eliseum*, *& Ioannem Baptistam, & Apostolum Paulum in eorum numero recenset, qui castraverunt se propter regnum cœlorum*. Suarez Tomo 1. in 3. p. q. 28. art. 4. disp. 6. sect. 1. *Multi viri sanctissimi in illa lege virginitatem ut meliorem coluerunt*. Nec recedit Albertus Magnus in 4. dist. 38. art. 13. *Ab initio fuerunt modi approbati à Synagoga, vel Ecclesia sicut modus Iuris Nazaræorum, qui votum vovebant perpetuum, & Rechabitarum, & hujusmodi illi modi erant loco Regulæ*.

Eliam Virginem ad-struunt PP. & Doctores.

NOTA. Ad hoc propositũ vide plura hic supra *Scuto VI.*

1417. Respondeo denique: Varios quidem SS. Patres docere D. Virginem, ante omnes fœminas primam tempore veteris Legis emisisse votum perpetuæ virginitatis ... Aliquos etiam SS. Patres docere, Christum esse in virginitate primum omnium virorum, & D. Virginem omnium fœminarum. Sed tantùm abest, ut obstent illi doctrinæ nostræ de Eliæ & Filiorum Prophetarum voto castitatis perpetuæ, ex speciali Dei instinctu priùs tempore emisso, quàm B. Virgo illud emiserit; quin potiùs in Quæstiuncula post Respons. ad *Telum VIII*. à nobis dicta confirment, & à nobis datam stabiliant expositionem. Primò: quia, cùm Christi dignitati non officiat, B. Virginem ex speciali instinctu Spiritûs sancti, priusquam Christus esset, castitatis perpetuæ emisisse votum; minùs D. Virginis dignitati officiet, Eliam sanctissimum Dei Prophetam ex speciali instinctu Spiritûs sancti, priusquam D. Virgo esset, castitatis perpetuæ emisisse votum: siquidem Christus longè magis B. Virginis, quàm B. Virgo Eliæ Dei Prophetæ sanctissimi, excedit dignitatem; undè meritò P. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 6. sect. 3. *Quòd verò ante ipsam* (scilicet B. Virginem) *nullus hoc* (scilicet castitatis perpetuæ votum) *fecerit, ad ejus commendationem non admodùm refert*: deinde etiam *Dici potest prima, quæ præposita est Dux & exemplar hujusmodi voti, & hunc existimo esse sensum SS. Patrum*.

Virginitatis primatus quomodò cõpetat Christo:

1418. Ne tamen negotium mihi fortè sit cum homine præoccupato: Quæro: an sequentia Scripturæ loca intelligi debeant de Christi Primatu ordine executionis, & temporis, an de Primatu ordine intentionis? *Primogenitus omnis creaturæ*, ad Coloss. 1. *ut sit in omnibus primatum tenens*. Ibidem: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*. Ad Ephes. 1. *Qui est caput omnis principatûs, & potestatis* ad Coloss. 2. Si dicat: debere intelligi de Primatu ordine intentionis; eò quòd constet, ante Christum ipsum ipsâ rei executione natum fuisse alias creaturas re-ipsâ natas, Ecclesiam, principatus, & potestates. Sic argumentor: Primatus D. Virginis in votis minùs clarè in Scriptura, & Patribus exprimitur, quàm Primatus Christi in primogenitura omnis creaturæ, *in omnibus, super omnem Ecclesiam, omnis principatûs & potestatis*. Atqui per ipsum ille Primatus intelligi debet de ordine intentionis, & non potest de ordine executionis: ergo D. Virginis primatus in votis intelligi potest de ordine intentionis, & non debet de ordine executionis. Probatur consequentia à fortiori. Accedit, quòd Christo similia Deiparæ Virgini attribuantur: *Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. D. Thomas super Ave Maria. *Deus possedit me in initio viarum suarum antequàm quidquam faceret à principio*: In Missa de Concept. & Nativit. *Ab initio & ante secula creata sum*: In Officio communi de Beata. *D. Virgo vadit post agnum proximior, quocumque ierit*: S. Ildefonsus *serm. 1. de Assumpt*. Profectò cùm hæc omnia salvari possint, nec aliter possint, quàm de Primatu ordine intentionis, non apparet ulla necessitas in votis specialiter urgendi D. Virginis Primatum ordine executionis, & temporis; maximè cùm primò & principaliter Primatus ille Christo competat, & tamen compatiatur in ipsa D. Virgine in votis Primatum ordine executionis: ac proindè, licèt magis, primò, & principaliùs D. Virgini, quàm Eliæ, Primatus ille competat, compatietur tamen in Elia & Elianis Primatum ordine executionis. Undè non est, quòd ultrà studeant diffidentes amici congregandis authoritatibus infinitis pro Primatu D. Virginis, quem ei ultrò concedimus; nec aliquam facilè reperient, quæ evincat, non fuisse Eliæ, uti D. Virgini, specialiter à Deo inspiratum, ut vota illa emitteret, nec Eliam Christo priùs tempore illa emisisse, prout D. Virgo emisit.

Videlicet ordine intentionis.

Non executionis.

Ita quoque in B. V. Maria.

1419. ANNOTATIONES AD TELA VIII. IX. X. XI. *Author Commentarij in Ionam magno apparatu probare contendit* (a) In veteri Lege fuisse praeceptum nuptiarum, *&* maledictionem sterilitatis *atque variis locis identidem inculcat*: In Lege veteri, status virginitatis probrosus: reprehensione digni qui tunc servare vellent virginitatem: Lege prohibebatur coelibatus antiquorum: virginitas tempore legis probrosa, defecta virginitas in Lege veteri: res maledicti: Illisque temporibus virgines abominabiles. *Sed contra opponimus Sapientissimi Doctoris Francisci Suarez assertum* (b) Dicendum verò ulteriùs est, in Lege veteri nullum fuisse praeceptum quod omnes, ac singulos obligaret, ad generandum filios, quodve Castitatem prohiberet. *Et ibi consequenter probant asseris propositum virginitatis non tantùm bonum fuisse, sed melius (matrimonio scilicet) quod sic declarat*: Confirmatur haec veritas; quia multi viri Sanctissimi in illa lege virginitatem ut meliorem coluerunt, ut de Jeremia, ELIA, & aliis testatur Ignatius Epist. ad Philadelphenses, & de ELIA Ambrosius. *Ita quoque alter celebris Doctor (uterque è Societate Iesu) Gabriel Vasquez, qui peculiariter argumentum istud illustravit, & veritatem indagavit, ac manifestavit, scribens* in tertiam partem D. Thomae Tom 2. disp. 124. cap. 3. *cujus titulus est iste*: Apud Judaeos Virginitas in magno honore habita est: *Id ibi sic declarat*: ostendimus hactenùs Virginitatem in antiqua Lege vetitam non fuisse, neque praeceptum matrimonium: *& paulò infrà*: In confirmationem ejusdem demonstremus, virginitatem non tantùm sine ignominia & infamiae nota, sed etiam in magno honore apud Judaeos fuisse: *Id probat exemplis ELIAE, Elisei, Danielis, trium Puerorum, S. Ioannis Baptistae: & deindè confirmat ex illo Sapientiae 3. verbis*: Quoniam felix est sterilis &c. *& Isa 56.* Haec dicit Dominus Eunuchis &c. *Quae explicata sunt superiùs, ubi ex illis colligitur votum castitatis in Lege veteri, sicut ex illis similibus Matthaei 19.* Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum, *Patres & Doctores inferunt votum Castitatis à Christo commendatum. Magno autem in honore fuisse apud Hebraeos Virginitatem, confirmat quoque Cardinalis Baronius* (c) Magni pretij fuisse apud Hebraeos virginitatem; *& paulò post*; laudabantur in hac parte apud eos Esseni qui ducentes vitam sine uxore, perpetuae se continentiae mancipabant *Idem scribit* (d) Aequè apud omnes virginalis vitae, maximè omnium esse habitam rationem: quandoquidem (quod pluribus docet Hieronymus scribens contra Jovinianum) apud Graecos & Barbaros pariter, apud omnes tàm poeticis quàm historicis litteratum monumentis, semper ante omnia reperitur virginitas commendata. *Igitur longè abest eam fuisse* probrosam, abominabilem &c.

(a) Tom. 2 num. 104 & nu. 119.

(b) To. 2. in 3. part. quaest. 28. art. 4. disp. 6. sect. 1.

Matrimonij praeceptum in Lege veteri an fuerit?

Virginitas apud Iudaeos in magno fuit honore olim.

(c) In apparatu ad Annal. nu 58.

(d) Tom. 1. ad an. Chr. 11.

Etiam apud Gentiles.

1420. *Idem Commentator magnâ contentione agit pro voti Virginitatis MARIAE primatu quo ad tempus.* At medium ponunt, & moderantur praefatus Doctor Suarez (e) & Ordinis hujus Historiographus Lezana (f) Ad hanc quaestionem: *Utrùm B Virgo in servanda, & vovenda Virginitate prima fuerit? Respondentes*: Quaestio intelligi potest, vel de Ordine temporis, vel de dignitate, & perfectione castitatis. *Quoad ad Ordinem temporis, asserunt inter alia: Non admodùm ad Deipara laudes pertinere, quòd ipsa fuerit in tempore prima in vovenda castitate*; Quòd enim, *inquiunt*, ipsa perfectum Virginitatis votum emiserit ad perfectionem ejus pertinet: quòd verò ante ipsam nullus hoc fecerit, ad ejus commendationem non admodùm refert. *Contra objicitur* Patres Deiparam nuncupant, Virginitatis primiceriam, primipilam, Magistram, principem; reginam virginum, virginitatis exemplum: quaeque virginitatis vexillum extulerit: ergo alij ante ipsam virginitatem non servarunt, aut certè non voverunt. *Sed respondemus ex, & cum iisdem Suarez & Lezana*: Dici posse primam, quae proposita est, tamquam Dux, & exemplar hujusmodi voti: *Addunt*: Et hunc existimo esse sensum Sanctorum Patrum. *Declarant autem in quo consistat Major dignitas, eminentia, & perfectio voti Virginitatis; ut propterea* Virginitatis Primiceria *dicatur*. Quia virginitas *Mariae* quoad propositum, & animum, fuit tantò efficacior, & vehementior, quantò ex Majori charitate, & gratiâ procedebat: quoad immobilitatem, habuit hoc propositum perfectò voto confirmatum: quò ad intentionem verò, tam perfectè illud servavit, ut omni prorsus motu contrario, aut repugnante caruerit: Imò alios etiam ad castitatem provocaverit. Deindè caruit omni contrario, quod virginitatis perfectionem possit minuere: Nam & ipsum conjugium, quod in alijs ad Virginitatem tollendam ordinari solet, in illa fuit ad ejus custodiam, testimonium, & honorem institutum; habuit deindè comitantes omnes virtutes temperantiam, humilitatem, & alias, quae illius perfectionem possent augere. Fuit denique ejus virginitas propter altissimum finem à Deo ordinata; nam & ad filij generationem ordinata est (quod est admiratione dignissimum) & ad consecrandum Deo thalamum, ex quo factus homo nasceretur, quo nihil potest perfectius, ac excellentius intelligi. *Itaque quòd Patres, & Doctores Deipara tribuant* primatum virginitatis, *asserantque*; quòd sola sine exemplo placuerit Domino Jesu Christo, *& similia non tàm intelligenda sunt de Ordine temporis, quàm dignitatis, eminentia, & perfectionis. Addimus ex S. Bernardo* (a) *Virginitatem Mariae singulariter extollente, ob conjunctam foecunditatem* ut longè gloriosior fiat, & virginitas ex foecunditate, & ex virginitate foecunditas; ac mutuis sese radiis illustrare haec duo sydera videantur, *& serm 4. de assumpt. Sic de eadem*: Unum est in quo nec primam sim lem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore; Mariae privilegium est, non dabitur alteri. *Conformiter ecclesia in Missa Conceptionis, & Nativitatis in secreta oratione dicit*: Christum Matris integritatem sacrasse. *Quòd autem Virginitas S. Propheta ELIAE voto consecrata fuerit, authoritates praellata Patrum, & Doctorum*, S. EPIPHANII *& aliorum* (n. 1256.) CAMARTI (n. 1239) COELAESTINI à MONTE MARSANO (nu. 1251.) DOMINICI GRAVINA (n 1254) GENEBRARDI (n 1259) S INQUISITIONIS HISPANICAE (nu. 1269.) CARTHAGENAE (n. 1210.) THOMAE WALDENSIS (n. 1345.) *atque aliorum plurium Sed illa maximè confirmantur hic supra* (Scuto VI. *& ibi in Annotatione.*) *Ad hoc etiam propositum idem Waldensis* in Doctrinali fidei *tomo 1 libro 3. ubi ostendit, in quo consistat essentia Religionis*: Religio Christi, *inquit*, perfecta, est specialis, & stricta regula charitatis, voti solemnis emissione professa, vel aequivalenter. *Quid sit* aequivalenter *ibidem superiùs sic declarat*: Quid autem dicitur esse illud quod aequivalet voto? dico quòd est divinus instinctus immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis professor fuit ELIAS, talis etiam erat JOANNES BAPTISTA. *Ista de voto castitatis S. ELIAE etiam confirmantur ex dictis hic supra Scuto VI. per totum, & ibi consequenter in Annotatione. Plura etiam ad hoc propositum sunt dicta hic supra in parte 1. libro 6. cap 3. per totum, & ibi in Notis, à num. 225 ad 233. inclusivè. Ibi variorum authoritatibus, Dominici Soto, & aliorum declaratum est, quo sensu* SS. VIRGO MARIA exemplum in sua gente habuerit virginitatis colendae, *videlicet in* S. ELIA, & Filiis Prophetarum. Praecipuè autem reflectatur ad num 232.

(e) Loco cit. sect. 3

(f) Tom. 1. Annal. Car. in Apparatu c. 4.

Virgo prima Maria non ordine temporis, sed dignitate, & perfectione.

Id plenius declaratur.

(a) Homil. 2. super missus est.

Virginitatis Mariae privilegium singulare.

1421. TELUM XII. & XIII. *à defectu Traditionis apud SS. Patres, & Authores Catholicos de votis, & Monachatu* ELIAE.

ENERVATIO. Respondeo primò: A nobis efficaciter probatum, traditionem illam ità esse in S. Pagina fundatam ob praemissa *Scuto II. VI. & VII.* ac Responsis ad *Telum III. & IV.* ità Summorum Pontificum Bullis, Sanctorum, & Sanctarum revelationibus, Historicorum & Geographorum relationibus, ob praemissa *Scuto XVII.* ità communi SS. Patrum ac Doctorum antiquorum judicio confirmatam, ob eorum authoritates Responso 2.° & 3.° ad *Telum XI.* congestas, ut videatur à quovis sapiente admitti debere. Respondeo 2.°

Tradi-

Traditionem illam non esse conclusam intra domesticos parietes, satis patere ex probationibus allatis in Scutis & Responsis statim citatis, vbi pro illa de Exteris citavimus Summos Pontifices, S. Congregationes, revelationes, SS. Patres, & Theologos antiquos consentientes, Historicos & Geographos passim illam referentes (a)

(a) Vide Synopsi 1. n. 1257. 1258. 1302.

ANNOT. *Traditionem illam* de monachatu S. ELIÆ, & eius votis monasticis, nec non de Patriarchatu eius in Ordine Carmelitano; & ipsum illius esse Authorem, Institutorem, ac fundatorem, *esse generalem, & universalem per totum Ordinem Carmelitanum, atque etiam vigere apud exteros, atque ipsos Summos Pontifices abundè demonstratum habetur in Synopsi prima per totum, & in Carmeli Armamentario in plerisque Scutis.*

ANNOTATIONES ad duodecim Tela sequentia.

1422. TELA DVODECIM sequentia PHARETRÆ PRIMÆ, ab Authore Armamentarii, *probantur remissivè ex Scutis antecedentibus, aut declarantur* non esse ad rem, *aut* impertinentia ad præsens propositum; *propterea opus non est, diutiùs illis hic immorari. Sed obiter notandum quòd in præfato* Commentario in Ionam, *& in Indice verbo,* Carmelitæ, *& verbo* Trithemius *scribatur, & repetatur*: Liber de laudibus Carmelitarum non est Trithemii (*Liber ille habetur hic suprà* (b) *An iure, & verè id dictum, ponderet lector, dum viderit hic antè notationem pravam ad librum istum Trithemii* (c) *Deindè aliquoties impetitur Ioannes Ierosolymitanus Antistes XLIV. Sed pro responso sufficiet brevitati intenta, quòd is magnis, & singularibus magnorum virorum* S. Anastasii, *&* S. Zosimi Romanorum Pontificum, S. Augustini, Theodosetii, Nicephori, Idatii, Ioannis Molani, *& aliorum plurimorum, vallatus sit elogiis, ac sincera fidei testimoniis* (*Vide in principio huius Operis, in parte prima in titulo Prænotanda* (d) *Quo ad librum eius* de institutione primorum Monachorum, *haud minori fundamento, nec pauctoribus illustrium Scriptorum authoritatibus Ioanni isti asseritur.* (e) *Denique* (*ut omittamus cætera leviora*) *Carmelitani Ordinis successioni hæreditaria à S. Propheta Elia à variis Summis Pontificibus asserta, opponit in eodem Commentario.* Quòd non magis ab Elia, quàm ab Enoch descendant Carmelitæ, cùm Pontifices dicant eos successores ELIÆ, Elisei, & Enoch. *Ast malè supponitur, illum esse* Enoch *de quo Genesis 5. cùm sit alius aliquot millibus annorum posterior* Enoch de Amatim *de quo in antecedentibus aliquoties sermo fuit* (f) *Sed istis, aut aliis ulteriùs premendis supersedentes ad alia transeamus.*

(b) num. 1188. & sequ.

(c) num. 1188.

(d) pagina 1. & 2. n. 1. 2. 3 & seq.

(e) Vide etiam hic supra pag. 2. 3. & 4.

(f) n. 539. 975. & 978.

ANNOT. circa PHARETRÆ II. TELA. (g)

Pharetræ II. Tela *sanctissimum Prophetam Dei* ELIAM, *eiusque vota, & monachatum impetentia pleraque inania* (*ideò illis hic immorandum non est*) *demonstrantur ab Authore Armamentarii, & remissivè ad Scuta præcedentia efficaciter repelluntur. Quo ad depressionem S. Prophetæ* ELIÆ *infra alios Ordinum Religiosorum Fundatores, Author Armamentarii illam in suum retorquet Authorem: & ex Patribus, ipsisque Scripturis Sacris eximia S.* ELIÆ *merita, & sanctitatem ob oculos ponit; sed sufficient selecta, & considerata ea quæ suprà sub initium huius Synopsis dicta sunt in* Panegyri ELIÆ Dei Prophetæ Sanctissimi. *Præsertim ista à Spiritu sancto dictata*: Surrexit ELIAS Propheta quasi ignis *& sequentia: quæ tanta, tam singularia, & præcellentia sunt, ut simul omnia puro homini alteri competant nemini: ut propterea Spiritus sancti inspiratione sic eum alloquatur Ecclesiasticus* (h) Quis potest similiter sic gloriari tibi; *nec additur ulla responsio; quia nondum talem viderat Orbis.*

(g) Ex Theolog. Mariana R. P. Christoph. Vegæ.

(h) Eccli. 48.

ANNOTATIONES circa PHARETRÆ III. V. VI.
1423. TELA.

Pharetra III. V. *&* VI. *atque earum tela* R. P. Petri Redani, R. P. Mirandæ R. P. Francisci Bordoni; *aut Eiusdem ferè sunt rationis cum iam ante relatis, aut fundamentum solutionis habent in præcedentibus Scutis: in quibus excepta facilè, & fortiter repelluntur ab Authore Armamentarii.*

Quo ad Pharetram IV. *circa ea quæ de Ordine Carmelitano scripsit* R. P. Franciscus Suarez *sapientissimus Societatis* IESV *Theologus, & primi nominis Doctor, ita censet Author Armamentarii*: Quidquid ex ipso malè intelligant dissidentes Amici, & obindè ex ipso sua, non ipsius, Tela in nos vibrent; nobis favet. *Tomo 4. de Religione, vbi ista*: (a) EST AVTEM VALDE RECEPTA, ET SATIS ANTIQVA TRADITIO, RELIGIONEM HANC A TEMPORIBVS PROPHETARVM, ET SIGNATIM AB ELIÆ INSTITVTIONE SVAM DVCERE ORIGINEM, ET QVASI HÆREDITARIAM SVCCESSIONEM IN MONTE CARMELO, A QVO NOMEN ETIAM ACCEPIT: QVAM TRADITIONEM, VT VERAM ETIAM SVSCIPIMVS.... Ibi autem reflectendum ad illa verba *Religionem hanc*, quæ, sicut non est hæc Religio sine tribus votis essentialibus huius Religionis, magis quàm sit Petrus hic homo sine prædicatis essentialibus huius hominis ita doctissimus Pater Suarez *ut veram suscipit traditionem*, quòd Carmelitarum Religio in tribus votis essentialibus huius Religionis à temporibus Prophetarum, & signatim ab Eliæ Institutione, suam duxerit originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo.

(a) Tract. 4. lib. 2. c. 10.

ANNOT. *Nonnulla ex isto Doctore ab Amicis dissidentibus adducta, adfert, & illis satisfacit* Author Armamentarii, *& pleraque ex antecedentibus colligi possunt. Quædam ad propositum hôc locô adducta sunt hic supra in Synopsi prima* (b) *Sed nequaquam silentio involvenda ea, quæ* Armamentarii Author *scribit circa* Eminentissimi Cardinalis Baronii *verba de origine huius Ordinis sub Alexandro tertio, haud benè à variis intellecta; intelligenda enim sunt de origine non absolute primâ, & primaria, at de* Instauratione, ac reformatione, atque ita secundaria aliqua accidentali institutione *sicut benè* Armamentarii Author *demonstrat in hunc modum.*

(b) num. 1257. & 1291.

1424. PHARETRÆ VII. TELA * TELVM PRIMVM: *Circa originem Carmelitarum sub Alexandro III.*

* ex Eminentiss. Card. Baronio.

Respondeo primò verbis sapientissimi Patris nostri Lezanæ (*ea in ipso Authore* (c) *videri poterunt.*)

(c) Anal. tom. 4. ad an. Christi 1181. nu. 4.

Respondeo 2o. Attẽtis authoritatibus Summorum Pontificum, SS. Patrum & aliorum Doctorum irrefragabilibus, quibus *Scuto* III. *&* VI. probavimus eum obedientiam, paupertatem & castitatem servasse, & de illis tria vota essentialia verè & propriè dictæ Religionis secundùm se, & præcisè (siue præcisis solemnitate, perfectione & potestate clauium prout legis gratiæ) emisisse: *Scuto* IV. *&* XVII. eum fuisse Patriarcham, Institutorem, & Fundatorem Monachorum è monte Carmelo descendentium, ac sic Ordinis Carmelitarum: & iunctis Telorum, quæ contra huc-usque vibrarunt dissidentes Amici, Enervationibus... mihi omninò persuasum est Em. Cardinalem Baronium prorsùs evictum, vt his verbis, *duxitque in montem Carmelum* ELIÆ *habitatione egregiè olim nobilitatum*, significaret se ibi non agere de Ordinis Carmelitarum origine simpliciter, & absolutè primâ, à primæua, & primaria illius institutione, & fundatione desumptâ; sed de posteriori, & secundaria aliqua accidentali, à restauratione, reformatione, restitutione, aut positiuâ S. Sedis confirmatione acceptâ, quô solô sensu verum est. *

Baronii Card. mens circa originem Ordinis Carmelit.

* Id ex variis eiusdem Baronii verbis confirmat Author Armamentarii.

1425. Respondeo 3o. Em. Baronium ibi Ordinem sumere; non ab eius primæva Institutione, quam S. Eliæ tribuisse, satis constat ex præmissis: sed ad Elianorum, ob sæuissimas

Barbarorum persecutiones, monasteriorum comburia, personarum martyria & spolia (quæ totis ferè quadringentis annis duraverant, ut liquet ex Vinea Carmeli p. 3. cap. 25. 26. & 27. 28. & ipsomet Em. Baronio ad an. Christi 328. n. 16.) cum summâ confusione dispersorum *collectione*, ut patet ex his verbis: *Aymericus Patriarcha Antiochenus considerans, quàmplures ex Occidente, qui venerant vitam eremiticam acturi in Terra sancta, hinc inde dispersos, expositos Barbarorum incursibus, collegit eos in unum, duxitq; in montem Carmelum* suæ hęreditariæ successionis locum, ELIÆ *habitatione egregiè olim nobilitatum*, eò quod scilicet, ELIÆ vivendi normam profiterentur, ab ELIA in Carmeli monte primùm acceptam, ut patet.

1426. Respondeo 4.° Em.mum Baronium ibidem, originem similiter non sumere ab Institutione; sed à prędicta dispersorum *Collectione*; quia nusquam dicit Aymericum Patriarcham Antiochenum ipsos *instituisse*, aut *ipsis vivendi normam tradidisse*; sed *collectos promovisse, propagasse & custodisse*, ut patet ex his verbis: *Horum autem promotor, propagator, & custos, fuit ille, qui fungebatur in Oriente Legatione Apostolica Sedis, Aymericus Patriarcha Antiochenus.*

1427. Respondeo 5.° Non esse insolitum Em. Baronio, ab aliquo tali accidente Monasticês originem, imò & institutionem sumere: quia ad annum 328. n. 25. Ità scribit: *Negari quidem non potest, fuisse Monachismum seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilij, Gregorij, Chrysostomi, & alij, tam in Oriente, quàm in Occidente viri spectatissimi prodière, quorum omnium, qui Antonium magnum dixerit Patriarcham veritatis scopum attinget.* Quod de Patriarchatu, origine & institutione Monasticês quoad substantiam indubiè intelligere non potest, quin sibi, & SS. Patribus evidenter contradicat, ac signanter à se de eodem Antonio prędictis: *Complura condidit monasteria, Cœnobiticaque ipse primus vita jecit in Eremo fundamenta, adeò ut Cœnobitarum Monachorum idem Institutor sit habitus, vel potius restitutor.* (a)

(a) Ita ad an. 328. n. 16.

1428. Respondeo 6.° dici posse Em. Baronium non loqui de Ordinis Carmelitarum origine, sumpta à forma cœnobitici Instituti precisè secundùm tria vota essentialia, absque regula pręceptiva, de agendis, & practicandis conscripta, spectati (quale fuit Filiorum Prophetarum, Essenorum & Carmelitarum usque ad Aymericum, & S. Bertholdum, ab eo primum totius Ordinis Generalem per electionem factum, qui tunc S. Brocardo mandavit, ut talem Regulam conscriberet, quam conscripsit, & conscriptam S. Alberto Patriarchæ Constantinopolitano recognoscendam, ac corrigendam tradidit, & ab Honorio III. confirmata fuit) sed de origine sumpta à prolixiori forma Instituti cœnobitici, additâ tribus votis essentialibus Regulâ pręceptivâ de agendis, & practicandis conscriptâ, simili illis, de quibus idem Em. Baronius, scribens: *Sed hac quidem generatim ipse complexus est: cùm alioquin extent prolixiores de Institutione Cœnobitarum antiquorum forma conscripta.* (b)

(b) Vide infr. resp. 3. ad Tel. 2.

1429. Respondeo 7.° verosimiliter etiã Em. Baronium attendisse ad ipsam Ordinis Carmelitarum primam à S. Sede positivam confirmationem, quæ, teste Em. Bellarmino in sua Chronologia, adjuncta libro *de Scriptoribus Ecclesiast. ad an.* 1180. ab Alexandro III. facta est anno 1180. & hâc attentâ dixit: *Ordo Religiosorum Carmelitarum &c. sub eodem Alexandro III. Pontifice sumpsit originem*, puta Ordinis positivè à S. Sede confirmati.

1430. TELUM II. *circa S. Cyrilli Alexandrini Monachatum in Carmelo.*

Respondeo 1.° Cyrillum fuisse Monachum probatur authoritate ipsiusmet S. Cyrilli, qui se Monachum expresiè nominat, & indè concluditur fuisse Monachum Carmelitam, tom. 2 suorum Operum Epistola 1. juxta antiquiores impressiones, Basileensem anno 1566. & Parisiensem 1606. sic ait in pręfixo ejus titulo: *Cyrillus Presbyteris, Diaconis, Patribus, Monachis, & ijs qui solitariam nobiscum vitam exercent* &c. Quamvis autem recentiores impressiones, ut Parisiensis 1638. loco particulę *Nobiscum* habeant *Vobiscum*; antiquiora tamen monumenta solent esse puriora, ut posset multiplici inductione probari: nam in multis sanctis Patribus similes irrepserunt mutationes, ac corruptiones, fortè aliquorum malitiâ, vel saltèm ignorantiâ. *S. Cyrillus Alexandrin. Patriarcha antea Monachus.*

Secundò probatur aliorum authoritate: inter quos primus sit Isidorus Pelusiota Epist. 25 qui improperando ei vocat ipsum *Monachum*, sic autem ait: *Quid tibi utilitatis adfert Ioannis in locum desertum secessio, quam olim studiosè imitatus es?*

1431. Tertiò probatur universali, & antiquâ traditione nostrę Religionis Carmelitanę, & authoritate Ecclesię, suppositis prioribus fundamentis, quibus innititur traditio nostræ Religionis, quòd S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit ejus alumnus; undè à multis sęculis festum ipsius celebravit, & Officium recitavit, ut constat ex antiquis ejus Kalendariis etiam manuscriptis, pręsertim Carmeli Mechliniensis exarato in Codice pervetusto propterea S. Carolus Borromęus, quondam nostræ Religionis Protector, in ejus Capitulo Generali Præsidens anno Dom. 1564. approbavit, quòd Festum S. Cyrilli cum octava celebraretur. Summi verò Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. & Urbanus VIII. lectiones officij S. Cyrilli confirmarunt, sequenti tenore: *Cyrillus Episcopus Alexandrinus, claris parentibus, Theophili item Episcopi Alexandrini ex fratre nepos, à quo adolescens Athenas studiorum causâ missus, cùm plurimùm profecisset, ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum ut Christiana vita perfectione imbueretur, se contulit; cujus consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot pijs hominibus, illic degentibus, calestem vitam in terris aliquamdiu egit.* Quæ ultima verba nihil aliud videntur importare, quàm S. Cyrillum cum viris religiosis, in monte Carmelo viventibus, Monasticam vitam, exercitio virtutum omninò cęlestem, duxisse. Qui plures desiderat Authores pro nostra conclusione, legat Wastelium

Carmeli incola.

Id probat traditio, & authoritas Sum. Pontif.

ſtelium in defenſione Joannis 44. Jeroſolymitani, & Lezanam tom. 3. Annalium, qui eos magnò numerò referunt.

1432. Reſpondeo 2.° verbis ſapientiſſimi P. Lezanę Tomo 3. Annalium ad annum 444. num. 4. (*Illa valdè prolixa, videri poterunt in ipſo Lezana, aut Carmeli Armamentario.*)

Reſpondeo 3.° veriſimiliter, & benigniùs: Em. Baronium intelligi poſſe locutum de Monachis ſecundùm formam Inſtituti Monaſtici prolixiorem, ſimilem illi, quam ad annum 328. n. 28. Pachomio, Baſilio, Caſſiano, Climacho & S. Benedicto tribuit, aiens: *Hucuſque de his Monachis S. Hieronymus, qui hos ſimiles tradit Eſſenis à Philone atque Ioſepho deſcriptis, de quibus ſuo loco fuſiùs actum eſt: ſed hæc quidem generatim ipſe complexus eſt, cùm alioqui prolixiores de inſtitutis Cænobitarum antiquorum formæ conſcripta à Pachomio, Baſilio, Caſſiano, Climacho, atque demùm in Occidente à S. Benedicto, & aliis recentioribus ſanctiſſimis viris* ... Adducor autem, ut credam talem eſſe Em. Baronij, totius Ordinis Hiſtoriographorum Primatis mentem & ſenſum; eò quòd alioqui evidenter ſibi, SS. Patrum, Summorum Pontificum, & aliorum authoritati irrefragabili evidentiſſimè contradiceret.

1433. ANNOT. *Iſtas, & alias reſponſiones (quas omninò approbandas cenſemus) Author Armamentarij ex ipſo Baronio, & aliorum authoritatibus plurimis confirmat. Præfatas autem reſponſiones congruas, & amplexandas, tanquam conformes menti Cardinalis Baronij, perſuadet omninò*; quòd alioqui (*ſicut jam ſtatim dicebatur*) ſibi, & SS. Patrum, Summorum Pontificum, ac aliorum authoritatibus *adductis in Synopſi prima, peculiariter cap. 1* contradiceret. *Etenim ex Cardinalis Baronij ſententia Monachos antiquos, in primis poſt Chriſtum ſeculis fuiſſe S. Prophetæ* ELIÆ *ſucceſſores, aut imitatores, an non ſatis indicant iſta ejus verba*: (a) Summum iſtud vivendi genus (*ſcilicet Monaſticæ converſationis, de qua ibi agit*) inſtar ELIÆ, ac Joannis Baptiſtæ cunctis hominibus etiam Ethnicis & Imperatoribus ipſis venerandum, ſed & impiis quoque Hæreticis reverendum, atque adeò cæleſtibus Civibus admirandum; utporè qui ſe in terris concives habere lætantes, cum eiſdem tanquam gentilibus ſuis amicè aſſiduò verſarentur. *Dicit*: Inſtar ELIÆ, ELIAM *videlicet pro exemplari proſpiciebant. Conjungit* ELIAM & JOANNEM BAPTISTAM: *quos paſſim Patres* Monachorum & Eremitarum Principes *adſtruunt, & propterea eos in exemplum religioſæ Monaſticæ, Eremiticæ vitæ proponunt. Hinc ipſe Cardinalis* (b) *contra Centuriatores Magdeburgenſes dicit*: Eò devenerunt ſtultitiæ, vel potiùs meræ iniquitatis, ut malint corrumpere verbum Dei, & Joannem vitæ otioſæ, & delitioſæ infamare, quàm Monaſticam ab eodem Joanne dimanantem vitam, in Eccleſia altiſſimis defixam radicibus, Euangelicâ atteſtatione, ut ſurripi & evelli nequeat, adſtipulari, vel profiteri velle. *Eadem omninò eſt ratio de* S. ELIA, *imò major; ideò ipſe priore loco utrumque conjungit, &* ELIAM *præponit. Præterea variis locis disertè tradit, Monachos in primis Eccleſiæ ſeculis plures variis in locis extitiſſe, & fuiſſe eoſdem cum Eſſenis. De S. Eugenia ſcribit* (c) Delituit inter Monachos, quos Eſſenos à Philone dictos eſſe, ſuperiùs demonſtravimus. *Et alibi* (d) Porrò ipſum Monachorum inſtitutum non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe ex his, quæ ſcribit Philo de Eſſæis (*Eſſæos autem fuiſſe S.* ELIÆ *& Eliſei poſteros, ac ſucceſſores, habetur ex dictis hic ſuprà* (e) *Quòd Monachi iſti dicti Eſſeni floruerint etiam tempore Legis veteris Baronius tradit* in Apparatu ad Annales *num. 58. ubi ſcribit*: Virginitatem in magno pretio fuiſſe apud Hebræos: *& addit*: hæc in parte laudatos Eſſenos. *Veriſimile etiam eſſe aſſerit Eſſenos à Rechabitis deſcendiſſe*: Cæterùm *inquit* (a) haud incongruum erit dicere, Eſſenos à Rechabitis deſcendere: nam etſi Rechabitarum inſtituta ceſſaſſent; non tamen genus illorum extinctum eſt: de eis enim Dominus dixerat Hierem. 53. Non deficiet vir de ſtirpe Jonadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Meminit quidem Hegeſippus apud Euſebium hiſt. l. 2. c. 22 de homine Rechabita, qui interfuit neci Jacobi Juſti. *Rechabitas autem* ELIÆ, *& Eliſei ſectatores fuiſſe habetur ex dictis parte 1. libro 4. cap. 8. & ex S. Hieronymo Epiſtola ad Paulinum*: Noſter Princeps ELIAS, noſter Eliſeus, noſtri Duces Filij Prophetarum. *Et infrà*: De his ſunt & filij Rechab. *Conformiter quoque ad illa quæ eâdem parte prima lib. 5. præſertim cap. 8. & ibi in Notis ſunt dicta, eodem loco* (b) *ſcribit Baronius*: Et undè, rogo, tantopere poſt Euangelij prædicationem, teſtante Philone, longè lateque per Orbem auctus eſt numerus Eſſenorum; niſi quòd ijdem erant Chriſtiani, prædicatione Apoſtolicâ ubique gentium propagati? ... Satis ex his omnibus conſtare arbitror, ipſum Philonem, ſecundùm Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, & aliorum ſententiam, non niſi de Chriſtianis eſſe locutum. *Eſſeni igitur de quibus Philo ex mente Baronij, & præfatorum Patrum, erant Chriſtiani, & Monachi, ijdem ſcilicet, aut ejuſdem inſtituti cum Religioſis viris, de quibus dicto loco parte 1. libro 5 cap. 8. & ibi in Notis, ſicut conferenti dicta ibi, cum illis, quæ Philo habet de Eſſenis, pateſcet.*

Baronius cenſet Monachos veteres ELIÆ inſtitutum ſectatos.

(a) ad an. 342.

(b) Tomo 1. ad an. 31. num. 15.

Et eoſdem cum Eſſenis.

(c) ad an. 188.

(d) In Not. ad Martyr. ad 19. Oct.

(e) N. 959 Eſſenos primæ ætatis Eccleſia Chriſtiana.

(a) Ad an. Chr. 64. n. 7.

Et Eſſenos veriſimiliter deſcendiſſe à Rechabitis.

(b) Ad an. 64. nu. 11.

1434. *Ex iſtis omnibus ſimul junctis eruitur mens Cardinalis Baronij non fuiſſe, quòd tempore Alexandri III. Aymericus Patriarcha Antiochenus Ordinem abſolutè primò inſtituerit, ſed quòd tempore ſæviſſimarum perſecutionum numero Religioſorum, ac monaſteriorum valdè diminutum Ordinem, ac deindè per aggregationem Europæorum, non conformiter primariæ inſtitutioni viventium, nonnihil perturbatum, ſeu defformatum*, reſtituerit & reformaverit; *Quod evincunt etiam ipſa Cardinalis verba*: Horum autem promotor, propagator, & cuſtos, fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apoſtolicę Sedis, Aymericus Patriarcha Antiochenus. *Conformiter ſcribunt alij*: *Onuphrius Panuinus* (c) Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Malafaida, Lemovicenſe, Patriarchâ Antiocheno & Apoſtolicæ Sedis trans mare Legato in monte Suriæ Carmelo. *Et Lezana* (d) Maneat ergo ut inconcuſſa veritas, ſi adverſariis placuerit, Aymericum noſtri Ordinis reformatorem, non formatorem; reſtitutorem, non inſtitutorem; promotorem, & non Authorem appellandum jure fore.

(c) In chrō. Eccleſ. ad an. 1141.

(d) Tom. 4. Annal. ad an. 1142.

ALIORVM DISSIDENTIVM AMICORVM PRÆTENTIONES.

1435. PRÆTENTIONES * *contra Monachos, & monaſteria in Syria, aut Palæſtina, peculiariter in monte Carmelo ante S. Hilarionem.*

Reſpondeo primò fuiſſe in Syria, ſive Palæſtina, Monachos ante Hilarionem, conſtare: Primò; quia ELIAM fuiſſe Monachum efficaciter probavimus *Scuto III. & VI.* Monachorum Inſtitutorem *Scuto IV.* Carmelitarum Patriarcham *Scuto XVII.* Item Eliſeum, & Filios Prophetarum, & Eſſenos fuiſſe Monachos *Scuto V. & VII.* pro quibus D. Landtmeter ſufficere debuiſſet unus ſolus Hieronymus, cùm huic ſoli inſiſtat, Epiſt. 13. ad Paulinum, ubi ſic: *Nos autem habemus propoſiti noſtri principes &c. ſi ad Scripturarum authoritatem redeam, Princeps noſter eſt* ELIAS, *noſter Eliſeus, noſtri Duces Filij Prophetarum. Hujus etiam propoſiti in Euangelio Baptiſta Ioannes auctor extitit.* Secundò: ELIAM & Eliſeum, ac Filios Prophetarum, fuiſſe Monachos in Syriæ & Palæſtinæ monte

* Ex R. D. Laurentio Landtmeter. *Lib. 1. de veteri Cler. Monacho, &c.*

Monachi in Syria, ſeu Palæſtina ante S. Hilarionem.

monte, sive Carmelo, etiam efficaciter probatum est *Scuto VIII. & XVII.* Tertiò: quia idipsum fatetur author, cujus objectionem solvimus ibid. cap. 2. scribens. *Institutum Monachorum cœpit, ut ex Dionysio diximus, à temporibus Apostolorum*, de quibus cap. 1. ait: *Licèt Apostoli ex Christi ordinatione essent Clerici, monasticem tamen quoque profitebantur, ut meritò Bellarminus lib. de Monachis cap. 5. vocet eos primos Christianorum Monachos.* Quartò: Cassianus, ipsi Hieronymo coævus in operum suorum *Præfat. ad Castorem Pontificem*, in qua D. Hieronymi Opera numerat & extollit, dicit: *In eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo, ut si quid fortè non secundùm typum majorum antiquissimâ constitutione fundatum, sed pro arbitrio uniuscujusq; instituentis monasterium, vel diminutum vel additum in istis Regionibus comprobavero, secundùm eam, quam vidimus, monasteriorum regulam per Ægyptum vel Palæstinam* (nota, ibidem præmisit; *poscis, præcipisque ut instituta monasteriorum quæ per Ægyptum ac Palæstinam custodiri conspeximus* in monasteriis antiquitùs fundatis ut sequitur) *antiquitùs fundatorum.*

1436. Resp. 2.° fuisse in Syria, & Palæstina Eliæ, Elisei, Filiorum Prophet. Essenorum &c. monasteria ante Hilarionem, etiam constare. Primò: quia id omninò evincunt præmissa ad primum, sive in rigore grammaticali sistendo, *Monasterium* sumat pro unius Monachi statione, mansione aut habitaculo, quomodò videtur intelligendum illud Ruffini lib. 2. de vitis Patrum cap. 5. *In qua*, scilicet urbe Hiericho in Thebaide, *erant plura monasteria quàm domus, ut nec porta ipsa civitatis, nec turres, aut ullus omninò locus Monachorum habitatione vacaret.* Sive pro multorum Monachorum per modum unius habitaculo, juxta illud S. Augustini *super Psal. 132.* Ecce quam bonum: *Qui ergo sic vivit in unum, ut unum hominem faciat, ut sit illi verè cum fratribus anima una, rectè dicitur μονος, id est unus solus.* Et hoc sensu loquitur Hieronym. in Epist. ad Rusticum: *Mihi placet, ut habeas Sanctorum contubernium &c. ut doceam te, non tuo arbitrio, sed unius Patris disciplinâ, consortioque multorum.* Et Severus Sulpitius *Dialogo 1. cap. 5. & 11. Habitabant in uno loco plerumque centeni, quibus summum jus est, sub Abbatis imperio vivere, nihil arbitrio suo agere, omnia ad nutum illius, potestatemque pendere.* Evincunt inquam, saltèm pro 1. Parte, cùm indubiè Monachi isti non manserint sub dio, sed suas sibi habuerint speluncas, casas & habitacula, juxta illud Hieronymi in Epist. 13. ad Paulinum: *Noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudine, & faciebant sibi tabernacula juxta fluenta Iordanis*, &c. Item Epist. ad Rusticum: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis, polentâ & herbis victitabant.* Quoad 2. partem vero illud 4. Regum 6. *Ecce*, dicebant Eliseo Filij Prophetarum, *locus, in quo habitamus coram te angustus est nobis, eamus usque ad Iordanem, & tollamus singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum.* Quid, obsecro, *locus, in quo habitamus. & locum nobis*, aliud sonat, quàm multorum Monachorum per modum unius habitaculum, sive monasterium? Addit Waldensis (a) *Et sic tandem manserunt multi juxta littus Iordanis; quidam autem manserunt in Carmelo.* (a)

1437. Quoad istud S. Hieronymi de S. Hilarione: *Ille fundator, & eruditor illius conversationis, & studij in hac Provincia primùm fuit.* Respondeo non plus Hilarioni in Syria, & Palæstina, quàm Antonio in Ægypto concedi debet, quem Em. Cardinalis Baronius nuncupat *Cœnobitarum Monachorum Institutorem, seu potius Restitutorem.* De utroque autem ibidem infrà, *per eos fuisse innovata antiqua miracula Prophetarum, & Apostolorum*, utique Monasticæ institutionis. Verba ejus sunt: *Negari quidem non potest, fuisse Monachismum, seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilij, Gregorij, Chrysostomi, & alij, tam in Oriente, quam in Occidente, viri spectatissimi prodière; quorum omnium, qui Antonium magnum dixerit Patriarcham, veritatis scopum attinget: in quo mille signis, atque virtutibus, quàm sit Deo gratum, relictô seculô, &; quæ seculi sunt, vita concupiscentiis, Monasticam vitam diligere, ac profiteri, fuit evidentissimè declaratum, & in aliis ejusdem genus vitæ agentibus Domini calculô firmissimè stabilitum, ut in Pachomio, Hilarione, Machariis, Ioanne, Ammone, & aliis fermè innumeris, his similibus, in quibus sunt innovata antiqua miracula Prophetarum & Apostolorum.* Quænam hæc *miracula Prophetarum in istis innovata*? Nisi illa, quæ de istis Viris sanctis paulò ante ex eodem retulimus: quibus evidenter confirmat, ante Antonium, & hos omnes, Prophetas Dei Eliam & Eliseum fuisse Monachos, quorum *innovata* est vita Monastica in Sanctis istis enumeratis: & Antonium quidem fuisse Cœnobitarum Monachorum Patriarcham, Restauratorem, & Innovatorem; sed istos Prophetas, præsertim Eliam, fuisse illorum Patriarcham simpliciter & primævum. Etenim isti omnes, & cæteri Monachi, ac Eremitæ in primis post Christum seculis Eliam tanquam Monasticæ eremiticæ vitæ primum auctorem, principem, & exemplar prospiciebant, & ex illius instituto viventes, sicut idem Cardinalis Baronius scribens de Monachis circa annum Domini 340. adstruit istis (suprà ex eo relatis) verbis: (b) *Erat quidem in Oriente summum illud vivendi genus instar Eliæ, ac Joannis Baptistæ, cunctis hominibus, etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum.*

S. Hieronymi verba exponuntur.

S. Antonius S. Hilarion Monachorũ Innovatores, non Institutores.

(b) In Annal. ad an. 340. n. 8.

Respondeo prętereà in præfatis verbis S. Hieronymum, attentis persecutionibus, quæ ante Hilarionem in Palæstina & Syria contigerant, voluisse, post illas ultimas ante Hilarionem persecutiones, non fuisse ab alio restaurata inibi monasteria, nec repertos Monachos in illis unà habitantes: ac proindè Hilarionem primum illa restaurasse, & Monachos in unum collegisse, hócque sensu S. Hieronymus dixit: *Hilarionem fundatorem, & eruditorem illius conversationis & studij in hac Provincia primum fuisse.* Primum inquam, per quem vita Monastica perse-

persecutionibus diminuta, fuit restaurata in Syria, & Palæstina, sicuti in Ægypto per S. Antonium, qui divino afflatus Numine, dispersos per solitudinem Monachos in vnum collegit, & in diversis locis, tanquam in diversis alveariis apum examina, distribuit. Vndè scripsit S. Hieronymus in vita Pauli Thebani: ex parte eos verum dicere, qui Antonium adferunt propositi Monastici caput: *non tàm quòd ipse ante omnes, quàm quòd ab eo omnium excitata sint studia.* Est autem familiarissimum tum sacris, tum prophanis litteris, vt etiam is rei alicuius Author vocitetur, qui eam iam ab alio cœptam valdè perficit, & amplificat.

1438. ANNOT. Armamentarii Auctor *plenissimè ex antecedentibus deductis, & plurimorum authoritatibus adductis manifestum reddit*, quòd in Syria, seu Palæstina ante S. Hilarionem sicuti & in Ægypto ante S. Antonium quamplurimi fuerint Monachi, & Monasteria. *Et authoritati S. Hieronymi quæ contraria videtur indicare, satisfit ex aliis eiusdem S. Doctoris verbis adstruentibus* Monachos in Terra *S.* Eliam, Eliseum & filios Prophetarum: *quos* Monachos in veteri Testamento *asserit ipse. Quòd autem ante* S. Antonium in Ægypto, & S. Hilarionem in Syria & Palestina fuerint Monachi, & Monachorum greges copiosi *adeò certum est, & perspicuum in Ecclesiasticis historiis, atque actis Sanctorum, ut in luce meridianâ cæcutire dicendus esset qui id negaret, aut controverteret. Atqui ita S. Antonius & S. Hilarion nequeunt dici absolutè primi monasticæ eremiticæ vitæ Authores; sed potiùs instauratores, & promotores. Nonne ante S. Antonium, & S. Hilarionem erat circa annum Christi* 150. S. Fronto Pater septuaginta fere Monachorum *de quibus in vitis patrum: & sequenti seculo, tempore Diocletiani Imperatoris erat* Pater decem millium Monachorum S. Iulianus, eiusque uxor S. Basilissa mater sacrarum Viginum *de quibus ista in martyrologiis Venerabilis Bedæ, & aliorum ad diem 9. Ianuarii:* Apud Antiochiam S. Iuliani martyris, & Basilissæ coniugis. Hi itàque sanctissimo voto casti coniuges, aliquot annis pariter vixerunt, carnem suam virginem Christo servantes: & monasteria de rebus suis instituerunt; vt ad decem millia *Monachorum* pater Iulianus fieret; Basilissa vero multarum Virginum Mater. *Quoad locum* apud Antiochiam *ubi isti vixerunt, & Martyrium subierunt*, Syriæ Antiochiam *intelligunt Baronius* in notis ad *Martyrologium* Romanum *& Procopius* lib. 2 de bello Persico, *ac passim recentiores, uti notant PP. Bollandus, & Henschenius: in quibusdam autem Actis, & Martyrologiis* Antiochia Ægypti *adscribitur Circa idem fere tempus S. Nicon è milite Monachus, & cum aliis* 199. *Monachiis Christi Martyres effecti sunt: Itaque antequàm S. Antonius, & S. Hilarion visi, aut nati essent plura extiterunt monasteria, & copiosi fuerunt Monachorum greges in Siria, & Ægypto. Præfatorum* S. Iuliani, & S. Basilissæ *gesta atque decem millium Monachorum certamina ab oculatis testibus descripta, referunt præfati PP. Bollandus & Henschenius* in Actis Sanctorum ad diem XI. Ianuarii. Iidem ad diem XVII. Ianuarii io Commentario prævio ad vitam S. Antonii cap. 3. *de Monachis, & Monasteriis ante S. Antonium, & consequenter ante S. Hilarionem in variis Orbis partibus ista scribunt:* Inter Monasteria Ægypti quæ, priusquàm ulla, Antonius admirabilis suæ Philosophiæ collegia contraheret, erecta fuerunt, censeri possunt sancta monasteria à Juliano & Basilissa instituta, in quibus erat S. Iulianus S. congregationis cerciter decem millium Monachorum Pater, & per S. Basilissam fulgebat in virginibus, & mulieribus, castitatis excelsior victoriæ palma, ut refertur in eorum actis ab oculato teste conscriptis, supra IX. Ianuarii .... sed persecutione forsan Diocletiani eversa, quando centum quadraginta quotuor millia fidelium in Thebaide martyrio coronata sunt, & septuaginta in exilium acta, ... dedimus XIV. Ianuarii SS. Sabam, Esaiam, aliosque triginta sex Monachos sub Diocletiano, in Sina, Arabiæ monte, haud procul Egyptô occisos, omittimus eos, qui alibi terrarum vitam monasticam, & si non adeò illustri famâ, celebratam, tribus prioribus sæculis coluerunt. *Peculiariter quoad Palæstinam, nonne* Chariton ille celebris *in Palæstina, circa Sanctam civitatem, & vicina loca, Monasticam vitam duxit* in lauræ Monasteriis *cum sodalibus, etiam Monachis; seu Asceteis, antequàm Hilarion vel natus, vel agnitus esset mundo, prout ex eius historia apud Metaphrasten, Lypomanum, Surium & alios habetur?*

In Ægypto, & Syria Monachi multi ante SS. Anton. & Hilarion.

S. Chariton in Palæstina Monachus cum aliis ante S. Hilarionem.

1439. PRÆTENTIONES * Cōtra perfectionē Monachatus *S. Ioannis Baptistæ* OBIECTIO PRIMA: *Vota eius, si quæ emisit non solùm simplicia fuere; sed à nemine sub Ecclesiæ nomine acceptata.*

* ex R. P. Francisco Bivario. de Monachatu lib. 2. c. 1. nu. 10.

Respondeo primò. P. Bivarium ex suamet doctrina convinci à veritate deviare ex iis quæ ibidem scribit cap. 6. num. 35. & 36. ubi ista: *Quamobrem quærenti quando S. Paulus vota emisit Monastica, quando S. Benedictus? Respondendum est, sanè quando statum Monasticum arripuerunt, factô ipsô & opere contestati se ad omnia, quæ Monachorum erant, ex tunc verissimè, & ex animo obligatos fore, & esse, atque se, suaque omnia, transactione perfectâ Ecclesiæ tradidisse, ita vt deinceps ad observantiam votorum cogi possent, ab eius legitimis quoad hoc ministris; animoque incapaces redditos ineundarum nuptiarum, & dominii rerum, seu etiam illarum usus, qui sunt veri solemnis professionis fructus.* Atqui Ioannem Baptistam (& sic de Elia) fecisse, quod S. Paulo & Benedicto adscribit, nullâ ratione negari potest, saltem respectivè ad istius temporis legitimos Ecclesiæ veteris Superiores, ergo id non obstat, nè Ioannis Baptistæ (ac per consequens Eliæ) Monachatus fuerit tâm omnibus numeris quoad substantiam perfectus & absolutus, quàm S. Pauli, & Benedicti.

S. Ioan. Bap. & S. Benedictus quando cœperint esse Monachi.

OBIECTIO 2ª. à *necessitate ministri Ecclesiæ ad votum solemne* solvitur à falso supposito, &c.

1440. OBIECTIO 3ª. *Quòd Ioannes Magistrum non habuerit, & Elias nullos discipulos.*

Respondeo falsum esse quod scribit: *Eliam nullos habuisse discipulos:* constat ex ipsa S. Scriptura lib. 4. Regum cap. 2. *Accesserunt filii Prophetarum, qui erant in Iericho ad Eliseum, & dixerunt ei: numquid nosti, quia Dominus hodiè tollet dominum suum à te &c.* Infrà: *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum; Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga eius.* Et Ecclesiastici 48. *Qui prophetas facis successores post te.*

S. Elias discipulos habuit multos.

Respondeo (quoad Magistrum Ioannis) me non videre, quomodò Ioannis Baptistæ sanctitas impedierit, nè ab homine in Essenorum, seu filiorum Prophetarum instituto, & spiritu Eliæ erudiretur; cùm ipsemet Christus scientiam experimentalem ab hominibus acceperit, vt communiter docent Theologi. Deindè licèt tandem aliquando Ioannes Baptista par Eliæ fuerit, iuxta illud Augustini, ut aiunt, lib. qq. novi & vet. Testam. q. 26. *Dictum est à Spiritu Sancto ad Zachariam, cuius meriti futurus esset Ioannes, veniet, inquit, in spiritu & virtute Eliæ: parem ergo Ioannem Eliæ ostendit....*

B. Ioannis Bap. sanctitas non obstat, ne Magistrum haberet.

Non

Non fuit tamen talis in pueritia: nam Lucæ 1. de eo scriptum est: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu* vtique Eliæ, in quo venerat, *& erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Quibus desertis? nisi prope fluenta Iordanis, iuxta illud Abbatis Hieropolitani in cap. 1. Ioannis: *Habitabat Ioannes prope fluenta Iordanis in deserto ...* Numquid Ioannes Baptista in puerili ætate instructore indiguit? dubitare non debet P. Bivarius: nisi velit eum habuisse à pueritia antiquæ legis, & omnium quæ ad animæ salutem conducunt, scientiam infusam, quod probare deberet, & parùm credibile est, attentâ S. Scripturâ præcitatâ: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*, utique proportionaliter ad suam crescentiam. Vndè, quidquid P. Bivarius, verum illud puto Zegleri in descriptione Palæstinæ in monte Adumin fol. 38. *In huius solitudinis parte sedit Eliabu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetiæ imanavit institutio, & loci Religio ad posteros; fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi habitatum ab Essenis hominibus incredibilis continentia, sub quorum institutis educatus est Ioannes Zacharia, & habitus in Essenis vnus prædicata sanctitatis.*

1441. Obiectio 4ª. Quòd Ioannes discipulos non habuerit.

Respondeo: Ioannem Baptistam habuisse discipulos, videri ipsâ fide divinâ certum: nam Matth. 9. vers. 14. *Accesserunt discipuli Ioannis ad Christum dicentes: quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autē tui non ieiunant.* Item Marci. 2. vers. 18. *Et erant discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes, & veniunt & dicunt illi*, Christo vtique, *quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant.* Lucæ 5. vers. 33. *Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & observationes faciunt &c.* Ioannis cap. 1. vers. 27. de Ioanne Baptista dicitur: *Respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei; & audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.* Super quo Chrysostomus Homil. 17. *Non quòd Magistrum despicerent, sed quòd certam fidem eius adhiberent testimonio* Matth. 11. vers. 2. de eodem: *duos discipulos misit ad Christum.* Marci cap. 8. vers. 29. de eodem iam defuncto: *Attendentes discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.*

S. Ioannem Bap. habuisse discipulos, indubitatum

ANNOT. Ista omnia præfata luculentiùs plurimorum authoritatibus, & rationibus prosequitur Author Armamentarii, qui & obiectionem quintam, *Quòd scholam perfectionis erigere erat Christi*, & sextam, *Vndè Elias Monachorum Pater* remissivè ex antedictis, *refellit. De multis S. Propheta Elia discipulis vide parte primâ libro 2. per totum.*

1442. Prætentiones * *circa S. Bertholdum, & S. Cyrillum.*

* Ex Act. SS. ad diem 6 & 21. Martii.

De S. Bertholdo, an, & qua ratione dicendus *primus Prior Generalis Ordinis* S. Mariæ *de monte Carmelo: & an ante ipsum Religiosi in Carmelo?* Respondetur non solùm anno 1099. fuisse Carmelitas in Terra Sancta, sed & post Christum continuò usque ad annum 1291. & intra id tempus ipsos ab anno quo Terra S. amissa est, varias easque atrocissimas persecutiones esse perpessos. (a)

(a) Vide supr. n. 273. 291. & 400.

De S. Cyrillo, an *narrationes novæ* sint quæ in Annalibus Ordinis Carmelitani, & in Vinea Carmeli de illo scribuntur? Respondetur, Authores è quibus narrationes Annalibus, & vineæ Carmeli inseruntur S. Cyrillo, esse Abbatem Ioachimum, Oraculum Angelicum S. Cyrilli, & in illud Commentarium Abbatis Ioachimi ferè ab annis 500. scriptum; Chronicam de multiplicatione Carmelitarum per Provincias Syriæ & Europæ, & perditione Terræ Sanctæ, Guilielmi de Sanuico (aut Samuco vt alii) qui claruit Christi seculo XII. & S. Cyrillo coævus fuit, vbi inter alia cap. 3. hæc de S. Cyrillo habet: *revelante B. Cyrillo, Eremita montis Carmeli ... per beatum Cyrillum eis prophetice prædixit ......* Telesphorum de Cesentia, Presbyterum & Eremitam in libro de magnis tribulationibus & statu Ecclesiæ, (qui inter aliqua opera Abbatis Ioachimi impressus habetur Venetiis an. 1386. in quo varia de S. Cyrillo; de quo similiter Iacobus Silanæus Cistercienſis in Chronologia Ioachimi Abbatis) Baptistam Mantuanum in Apologia pro Carmelitis, & lib. 3. Fastorum ad diem 6. Martij, vbi sub compendio habet vitam S. Cyrilli: Ipsiusmet S. Cyrilli librum de progressu, & varijs regul. Ord. Carm. Ioannem Grossum, Arnoldum Bostium, & Ioannem Paleonydorum, qui seculo Christi XV. floruerunt, sive plusquam à 180. annis. Indè concluditur, non nova, sed ex antiquis Scriptoribus relata de S. Cyrillo.

De S. Cyrillo, & sanctitate eius Scriptores antiqui plures scripserunt

ANNOT. De SS. Bertholdo, & Cyrillo *frequens fuit mentio in antecedentibus. De S.* Bertholdo *quidem, qualiter & cur institutus fuerit Superior montis Carmeli,* atque *aliorum Omnium Monasteriorum Ordinis, primus sub nomine* Prior Generalis, *cui cura animarum cæterorum omnium totius Ordinis demandata fuit, audivimus parte 1. libro 8. cap. 2. n. 300. Sed pro eorum intelligentia, consulenda Annotationes in istud caput. De eodem* S. Bertholdo, *eiusque in Priorem Generalem institutione tractans Ioannes Grossi in* Viridario *hic suprà n. 561. & 592. Ioannes de Vinea in* Chronico *n. 878. Ioannes Paleonidorus in Fasciculo tripartito libello 3. cap. 1. vbi assignat rationes (ad propositum benè notandas)* cur primus Prior Generalis dicatur: *quæ, pro Carmelitana historia intelligentia notanda sunt: & conformia sunt iis quæ S. Cyrillus scribit hic suprà parte 1. libro 8. cap. 2. Quòd autem ante* S. Bertholdum à tempore S. Eliæ vsque ad annum Christi 1291. continuatâ successionis serie, Religiosi, posteri S. Eliæ fuerint, *confirmatur ex omnibus parte 1. dictis. Peculiariter reflectatur ad libri 3. caput 5. cuius libro 8. cap. 1 sub initium libri 9. cap. 8. num. 449. & 459. & 460. Eadem tradita, & confirmata sunt in omnibus libris huius partis secundæ. De S. Cyrillo, & eius libro, de variis* Regulis, & processu Ordinis Carmelitani, *variorum testimonia adducta sunt sub initium huius Speculi, in parte prima num. 9. & 10. De eodem vide num. 289 & 292. Sed peculiariter reflectendum ad ea quæ præfatus Guilielmus de Sannico circa annum Christi* 1280. *incola, & Prior montis Carmeli, de illo testatur hic suprà parte 1. libro 9. cap. 3. num. 416. Videantur quoque annotationes num. 419. De eodem S. Cyrillo vide in* Viridario *præfato Ioannis Grossi num. 594. & in Fasciculo tripartito libello 3. cap. 4. num. 1041.*

De SS. Bertholdo, & Cyrillo frequens mentio in antecedentibus

PRÆ-

* Ex libro cui titulus *Il præsidio Romano.* Authore R. D. Joanne Petro Crescentio.

1443. PRÆTENTIONES VLTIMÆ.*

Ante omnia notandum, quòd de filiis Prophetarum dicit: *Vivebant in communi sub disciplina* ELIÆ *in castitate, paupertate, & obedientia &c. Post cujus raptum exierunt ad adorandum Eliseum, quasi externo isto signo demonstrantes transferre se Generalatũ ad ipsum & authoritatem supremam in totam illam Congregationem.* Et addit: *Ex illis multi manebant in Carmelo, & juxta Iordanem.* Et: *Filiorum Prophetarum Nazaraeorum, & Essenorum Euangelicorum non interruptam unquam successionem ità feliciter in Eremo a S. Hieronymo continuatam, ut ipsemet Epist. 13 ad Paulinũ sui propria instituti Patres enumerando ducat.* NOSTER PRINCEPS ELIAS. Et probat ex Ferdinandez. Valentia, Saliano, Mendoza, Hugone Cardinali, Lyrano, Abulensi, Suarez, & ipsomet Hieronymo, ac aliis *Filios Prophetarum emisisse tria vota essentialia.* His præmissis sit.

PRÆTENTIO PRIMA. *Circa ista S. Hieronymi verba.* Noster Princeps ELIAS, noster Eliseus &c. *Author Armamentarij accuratè, & subtiliter respondet. Sed ea ibi videri poterunt; quia in hactenùs dictu, & dicendis illa quæ in ista prætentione differuntur sufficienter expedita sunt; ideò superfluum esset diutiùs hîc immorari.*

1444. SECVNDA: *Essenos, aut filios* ELIÆ *in Carmelo tempore Ioannis Baptistæ, negat.*

Respondeo 1.° Imprimis totam illam objectionem nihil contra nos concludere: quia ad intentum nostrum sufficit, quòd toto illo tempore, quocumq; in loco, reperirentur legitimi ELIÆ & Elisei successores in instituto ab illis è monte Carmelo accepto, sive qui hoc Institutum profiterentur; nam uti Carthusiæ mons præcisè non facit Carthusianum, alioqui omnes, qui eum non inhabitarunt, Carthusiani nõ essent; ità nec Carmeli mons præcisè facit Carmelitam, sed professio Instituti è Carmelo accepti. Id tamen (quòd S. ELIÆ posteri tunc in Carmelo fuerint) persuadet authoritas Josephi Antiocheni de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12. *Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores surrexerunt viri strenuissimi, solitarij, contemplationi dediti,* ELIÆ *& Elisei sequaces, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt:* & aliorum plurimorum in antecedentibus relatorum, de successoribus S. Prophetæ ELIÆ in Carmelo temporibus Apostolorum, & deinceps.

Carmelus temporibus Apostolorum cultus à successoribus ELIÆ.

1445. Nec obstat 1.° quod subdit de Claudij Imperatoris in Ptolemaide Colonia; quia à civitate ad montem, aut à parte Judeæ ad totam Judæam argumentatur.

Nec obstat 2.° (Quod asserit, & non probat) in monte Carmelo erectam à Claudio superstitionis aram, licèt hoc gratis dissimuletur; quia experimur, vel ipsos etiam Principes Christianos, Cathedram pestilentiæ in Galliæ, & Germaniæ locis permittere, in quibus erigunt Cathedras Catholicæ veritatis; & econtra Principes hæreticos Cathedras Catholicæ veritatis in Hollandia, & Provinciarum confœderatorum locis dissimulare, in quibus erigunt Cathedras pestilentiæ; idemque hodie constat de Mahometanis Imperatoribus, qui nostros, & Franciscanos in Terra sancta tolerant.

1446. Nec obstat 3.° id quòd adfert de Oraculo Vespasiani à Monachis montis Carmeli petito: quia, præterquam quòd videamus, & sciamus, vel ipsos etiam Christianos interdùm, licèt malè, & sacrilegè, à Magis, & Ægyptiis oracula sollicitare, ac proindè nihil obstare, nè Vespasianus à Monachis montis Carmeli verum Oraculum petierit: oppositum docet Eminentis. Baronius ad ann. 340. nu. 8. scribens: *Erat quidem in Oriente summum illud genus vivendi instar* ELIÆ *& Ioannis Baptistæ cunctis hominibus, etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum* &c. Ethnici quoque, inquit Lezana Annal. to. 2. ad an. Christi 69. n. 6. ipsi agnoscebant in Carmelo Dei veri cultum haberi, prout exprimit Abulensis in 3. Reg. 20. q. 10. Lyrani vestigia sequens. Et Genebrardus ad rem nostram proximius, Chronolog. lib. 1. ad an. 3284. ELIÆ *post mortem* (intellige raptum) *Synagoga, sive Sacellum in Carmelo monte, vulgato ipsius habitaculo, dicatum est, in quo vigebat Oraculum, de quo Suetonius in Vespasiano cap. 5.* Quod autem addit hîc Suetonius de sortibus, & Cornelius Tacitus lib. 2. hist. de inspectis extis à Basilide sacerdote, ex horum Ethnicorum malitia additũ est, ut satis colligitur ex Em. Baronio ad ann. 328. §. Quibus &c. *Nec mirari quis debet, si obscurè, neq; adeò dilucidè, Ethnicus scriptor mysteria nostra sit prosecutus, cùm idipsum sit observare in cæteris scriptoribus gentilibus omnibus, qui rerum Christianorum meminerunt: nam eadem obscurè, concisè, dubiè, haud usquequaq; fideliter in omnibus, quæ vera referre consueverunt, ut Suetonius, Tacitus, Lucanus, & alij.*

1447. Nec obstat 4.° Quod insuper scribit, ELIÆ filios alibi extra Carmelum sepeliisse Eliseum, Abdiam, & alios Prophetas: quia montis Carmeli Monachos extra sepeliri, prout extra proficisci, & in itinere, vel alio monasterio, mori, quotidiana probat Monachorũ morientium extra suæ mansionis monasterium experientia: debuisset enim D. Crescentius attendere ad illud Lyrani in Glossa ad 4. Reg. cap. 2. *In Bethel, & Iericho Filiorum Prophetarum virorum Religiosorum loca* ELIAS *ante suam translationem voluit visitare propter suorum congregationem discipulorũ.*

ANNOT. Auctor Armamentarij *variorum authoritibus confirmat, quòd* tempore Joan. Bap. & Apostolorũ fuerint Religiosi, posteri, & successores SS. Prophetarũ ELIÆ, & Elisei: *sed hoc copiosè tractatum est in hoc Speculo parte 1. lib 6 per totum. Quoad Ioan XLIV. Antistitem Ierosolymit. & S. Cyrillum malè notatos à Crescentio dictum etiam satis in antecedentibus præsertim parte 1.* (a)

(a) De Joanne nu. 1. & seq. De S. Cyrillo num. 9. & seq.

1448. TERTIA. *Quòd post* ELIAM *ejus discipuli non multo tempore in Carmelo persliterint.*

Respondeo primò: Nos argumentum illud præoccupasse, & longè melioris notæ Authores allegasse * Si verò illi non sufficiant, benè perpendat illud Isaiæ cap. 32. *Et erit desertum in Carmel, & Carmel in saltũ reputabitur, & habitabit in solitudine judicium & justitia in Carmel sedebit.* Et jungat illud Mich. 7. *Terra erit in desolationem propter habitatores suos & fructum cogitationum eorum.* Et infrà. *Pasce Domine pasce populũ tuum in virga tua*, juxtà illud Psaltis Regij Psal. 44. *virga directionis virga regni tui; gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli*

* Hîc paulò ante n. 1397 & alibi sup.

meli pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos. Undè celebris ille Author Myreus lib. de origine & increm. Ordinis Carmelit. sub initium: *Illi verò Prophetarum Filij, Esseniique Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni posteà in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem usque ad Virginis partum produxerunt.*

1449. Respondeo 2.° Post ELIAM, discipulos ejus multo tempore perstitisse, videri manifestum & certum ex sacra Scriptura Eccli. 48. ubi de ELIA dicitur. *Qui Prophetas facis successores post te.* Non enim ità absolutè, & simpliciter facit *successores post se* cujus progenies statim extinguitur. Unde Thomas Waldensis in Doctrinali fidei lib. 3. art. 1. cap. 4. ELIAS *zelans multiplicare Religionē Prophetarum, sollicitè huic rei operā dedit: Eliseum primò instituens, & pallio suo induens, & demùm alios post eum magno numero, providens ab intento, ut sancta Religionis successio semper staret.* (a)

(a) Vide sup. n. 1344

ANNOT. Armamentarii Auctor *plurimorum authoritatibus confirmat post* ELIAM *ejus discipulos usq; ad Christi adventum jugiter in Carmelo, & alibi perstitisse: sed ea jam ante præcesserunt; ideò non opus hic repetere. Ad hoc propositum videatur in parte 1. lib. 2. cap. 5 lib 5 cap. 1. & 8. Quoad hoc, quod prætenditur, Essenos, & Carmelitas fuisse Hieronymianos consequenter respondet, & satisfacit Auctor Armamentarij sic:* Licet Hieronymiana Congregatio verè fuerit filia ELIÆ, Elisei, & Joan Bap. imò & S. Antonij, aut Hilarionis: an obindè sola fuit Hieronymiana Congregatio, quæ ab istis Patriarchis restaurantibus, reformantibus, aut illustrantibus ELIÆ Prophetę Institutum, processit? *Istud pleniùs deducit.*

(b) Vide n. 590. 611. 685. 998. & seq.

Quoad quartam Prætentionem, *circa S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum ipsum Carmeli incolam fuisse habetur ex antecedentibus variis locis.* (b) *Ideò opus non est ea hic repetere.*

1450. QUINTA: *Ab authoritate negativa Scriptorum de continuatione Carmelitana in Carmelo.*

Argumentū ab authoritate negativa nil concludit.

Resp. 1.° notet sequentia: Illud sapientissimi, ac religiosissimi viri Carthagenæ *in sermone B. M. Virginis de monte Carmelo:* Nec valet: *in Euangelio anima Christi descensus ad inferos non habetur: ergo anima Christi non descendit ad inferos.* Et Em. Bellarmini lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 8. *Respondeo nihil concludi ab authoritate negativa: non enim sequitur Lucas, Paulus, & Seneca, non dicunt Petrum fuisse Romæ; igitur non fuit Petrus Romæ: non enim illi tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus* Adstipulatur Theophilus Raynaudus (lib. de Scap. Parthen. Carmel. p. 2. q. 1. *Mihi universa hæc ratiocinatio* scilicet ab authoritate negativa, *planè straminea videtur, & digna, quæ sibilis explodatur, ut sanè hâc argumentandi inanitate Anabaptistæ asseverant, narrationem de homine ad Piscinam probaticam sanato, fabulosam esse, & à falsario quodam intrusam in Ioannis Euangelium, cùm nulla unquam fuerit Ierosolymis Piscina probatica; quod probarunt, ducto argumento ex Iosephi de ea piscina silentio. Ridet eam argumentandi ruditatem Toletus in cap. 4. Ioannis annot. 3. Simili modo, homo parum sobrius Vlricus Velenus inde probabat, falsum esse Romanum S. Petri Pontificatum, quod S. Lucas tam minuta de Paulo recensens in lib. Actorum, siluerit tamen de S. Petri Romam appulsu, & collocutione cum Paulo, cum quo tamen non potuisset Petrus non agere, si ambo simul Romæ vixissent. Hac argumentandi futilitate, narratio de vita S. Alexij arguetur fabulositatis: quomodo enim tam clara luce Christianitatis, viventibus eô tempore, S. Augustino, S. Hieronymo, Paulino, Severo, aliisque innumeris, nemo inventus esset, qui tantū Dei opus, tam insigne exemplar calcati seculi, vel syllabâ exaratâ attigisset, ante Metaphrastem, multis seculis posteriorem. Qui vitam S. Alexij obindè esse figmentum effutiret, non sibilo, sed fuste esset excipiendus; quia nimirùm in ijs, quæ antiquâ traditione per manus acceptâ, nulli unquam petito, ac probo in dubiū sunt vocata, absurdè ad fidem faciendam, exposcitur Scriptor Synchronus.* Quæ omnia confirmantur ex Philosopho prioristicorum cap. 4. *Ex puris negativis nihil sequitur.*

Alioqui historia plures receptissimæ fabulositatis arguerentur.

1451. Respondeo deindè: Pro continuatione Carmelitana quoad rem ipsam præter Authores plurimos, in antecedentibus relatos, etiam præcitatas Scripturas eam satis indicare Ecclesiastici 48. de ELIA dicitur: *Facis successores post te:* Et Isaiæ 32. *Habitabit in solitudine, judiciū & justitia in Charmel sedebit: & erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* Secundò: quia ELIAS creavit Eliseum suum successorem Reg. 4. c. 2. *Videntes autem filij Prophetarum, qui erant in Iericho è contra dixerunt: Requievit spiritus* ELIÆ *super Eliseum, & venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terrā.* Unde ipsemet D. Crescentius sup. 1443. *Vivebant in communi sub disciplina* ELIÆ *in castitate, paupertate, & obedientia,* &c. *post cujus raptum, exierunt, ad adorandum Eliseum, quasi externo isto signo demonstrantes transferre se Generalatum in ipsum, & authoritatem supremam in totam illam congregationem.* Et addit: *ex illis multi manebant in Carmelo & juxta Iordanem.* Noster verò Wald. Doctr. fidei lib. 3. art. 1. cap. 4. ELIAS *zelans multiplicare Religionē Prophetarum, sollicitè huic operam dedit: &c.* (a)

(a) Vide hic paulò ante n. 1449.

ANNOT. *Ibi consequenter,* quòd ELIÆ Religio, sive Filiorum Prophetarum in Carmelo valdè multiplicata usque ad Jordanem ac aliis Palæstinæ locis, & postmodùm etiam in Ægypto, ac alibi propagata permanserit usque ad adventum Christi, & indè semper fuerit continuata usque in præsens, *stabilitur plurimorum authoritatibus: quarum pleraque præcesserunt.*

SEXTA: *Agitur de libro Ioannis XLIV.*

ANNOT. Auctor Armament. *hic consequenter (quod jam ante in Libro de* Visione ELIÆ *copiosè etiam præstiterat) nervosè, & sigillatim D. Crescentij circa librum Ioannis XLIV scrupulos removet. Cæterùm ad asserendum, ac confirmandum authoritatem istius libri sufficient dicta in antecedentibus parte primâ num. 4. 5. 6. & 7. (pagina 2. 3. 4.) nec non authoritates S. Cyrilli parte 1. libro 8. cap 1. num. 289. & seq. & aliorum multorum parte 2. Vide etiam hic infra num. 1459.*

1452. SEPTIMA: *ab authoritate insufficienti allegatorum ab Alegre, Coriâ, Saraceno &c. Quòd 20. imò mille Carmelitarum assertioni prævaleat unius S. Hieronymi authoritatis: quæ valet pro centum mille. Quòd coævorum authoritas necessaria: aut probent, illud quod dicunt, sit ipsis ab Angelis revelatum.*

Resp. 1.° Quid allegent Alegre, Coria, Saracenus & alij, me parùm, aut nihil attendere: sed quid à me allegari debeat solidissimū, ut meam Thes. stabiliā, & Amicis diffidentibus satisfaciā.

Resp. 2.° Manifestum esse ex Authoribus citatis, (b) eos à solis Carmelitis suam non derivare authoritatem.

(b) In Synopsi 1. cap. 1. & 2.

Resp. 3.° D. Crescentium satis præcipitanter scribere. *Scriptores Carmelitani, quamvis apud Saracenum sint supra 20. apud me, etiamsi forent mille, nihil probarent, quando rem à S. Hieronymo impugnatam dicerent.* Non enim credo quod ipse plus tribuat S. Hieronymo, aut Hieronymus sibi, quàm Augustino, aut Augustinus sibi: August. autem Epist. 19. ad Hieronymum sic scribit:

Ego

Scriptores omnes (Canonicis exceptis) errare potuerunt.

Ego fateor, solis libris Canonicis hunc honorem deferri, ut nullum eorum aliquid errasse firmissimè credam: *alios autem* (NOTA: sermo quoque ad Hieronymum dirigitur) *ità lego, ut quantàlibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserint, sed quia mihi, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint.* Et Epist. 11. iterum de libris Hieronymi, Athanasij, Ambrosij, ait: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divinô adjutoriô, vel ab aliis intellecta, vel à nobis.* Quod verò de aliis dixit, de seipso concludit, de dono perseverant. cap.21

Hinc se errasse aliquando fatetur, S. Augustin.

Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Et alibi iterùm: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.* Adstipulatur Tertullianus lib.de velandis Virgin. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non privilegium Regionum.* S. Hieronymus in cap. 1. Jonæ Prophetæ, sub finem: *In persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur* &c. Hanc exceptionem reiicit Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. Pro suicidio autem in illo casu nulla est lex, omnes Theologi contradicunt. Verumtamen D. Hieronymi authoritatē à D. Crescentio allegatam suspicio, ac veneror plurimùm, & ejus expositiones tres supra dedi, ipsi S. Hieronymo, authoritatibus ibi citatis, ac veritati consentientes. Undè nisi, D. Crescentius efficaciter probet, 20. aut mille Carmelitas, tueri sententiam, quam impugnat S. Hieronymus, frustrà omninò istud argumentum facit. Ad id quod Crescentius dicit: *Qualis igitur erit ipsorum*, scilicet Carmelitarum, *historia?* Respondeo talem, qualem vix ullam primitivæ Ecclesiæ habet Ecclesia moderna, tot SS.Patrum, & Doctorum, tum antiquorum, tum recentiorum authoritatibus, & suffragiis æque munitam, uti hactenus dicta consideranti patebit. (a)

Veritati non potest ab ullo aut umquam præscribi.

(a) Vide n. 1355.

1453. Quo ad hoc, quòd in historiis, ut fides adhibeatur, coævorum requiratur authoritas & quòd Authori, etiam antiquissimo, aliquid referenti, quod supparis, aut coævi authoritate sufficienti non probatur, non plus credendum, quàm singulari testi de auditu: quàm hoc sit ab omni ratione alienum, quàmq; enervet totam historiam Ecclesiasticam, patet ex dictis *Scuto XVIII.* Imò inde sequitur, Sanctorum secretis actis, & revelationibus, ab iis uni soli confessario, aut fideli amico relatis, &, juxta hanc relationem authenticam, insertis ipsorum vitis, nullam esse habendam fidem, quod est contra totius Ecclesiæ mentem. Undè ad D.Crescentium pertingere videtur illud Theophili Rayhaudi (b) *Ille bellum argumentatorem se ostendit, qui hâc unâ securi magnam partem lucubrationum de vita Sanctorum exciderit, & nominatim, quæ ex S. Hieronymo habemus, ab aliis intacta, ut, vitam S. Pauli Thebæi, & S. Hilarionis, ac narrationem de Malcho. Concidet etiam vita S. Antonij à S. Athanasio descripta, & inter figmenta reputabitur; quod nemo sanus, aut sobrius dixerit.*

(b) Lib. de Scap. p. 2. q. 1.

ANNOT. *Animadvertendum quòd D. Crescentius identidem se fundet in authoritate Alegre (de quo vide sup. num. 1319) & ex ejus erroribus, aut rationibus non sufficienter probantibus impugnet Carmelitanam historiam.* Quòd innumeræ sint historiæ a nullo coævo scriptæ quibus tamen fides adhibetur *luculenter probat, & ad oculum demonstrat Author Armamentarij vide hic supra Scuto XVIII.*

1454. OCTAVA: *Antiquos Carmelitas seculo octavo facit Hieronymianos.*

Respondeo primò: fuisse octavo seculo Carmelitas à nobis probatum est. Illos autem fuisse Ordinis S. Hieronymi, tunc distincti ab Ordine Filiorum Prophetarum, & Essenorū, reipsâ Carmelitarum (quidquid de nomine sit) per quos ab ELIA hucusque continuè nos hæreditariam successionem tenere defendimus, tamquam paradoxum negamus, utpotè quod nullus præter D. Crescentium asseruit.

Respondeo 2.º Hisce verbis Sixti IV. in Mari magno: *Sacrum Ordinem B. M. de monte Carmelo à Sede Apostolica, pluribusque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum* &c. *Sanctorumque Prophetarum ELIÆ & Elisei, & aliorum Patrum qui montem Carmeli, juxta ELIÆ fontem, successionem hæreditatem tenentes* &c. (quę verba etiam reperiuntur in Bullis Julij II. Gregorij XIII. & Clementis VIII.) Non solùm probari evidenter aliquod Ordinis Carmelitarum antiquitatis vestigium; sed & illius ab ELIA & Eliseo hæreditariam successionem.

ANNOT. *Ista, & alia Author Armamentarij eruditè, & luculenter prosequitur, & objecta in suum authorem retorquet, atque Summorum Pontificum authoritatem in suis Bullis, & resolutionibus, ac quæstionibus facti, tuetur.*

1455. NONA *contra Ecclesiam, seu Sacellum B. Virgini Mariæ in Carmelo à Carmelitis dicatam.*

Respondeo primò. Quoad Authores scribentes, tempore Apostolorum, fuisse in Carmelo dicatum Sacellum ad honorem D. Virginis, sunt Josephus Antiochenus (qui floruit anno Christi 130. teste Possevino in Apparatu) Speculi perfectę Eccl. primit. cap.12. *Perfectorum militum Christi ... qui de monte Carmelo descendentes ... in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri specialissimè servierunt.* Item Waldensis ... Ascensius Badius ... Petrus Oieda ... Joannes Bonifacius ... Joannes Carthagena ... Sylvester Marulus ... Beyerlinck ... Antiquissimum Romanorum Chronicon ... Armachanus Hiberniæ Primas ... Totius Ordinis recepta traditio. Accedit authoritas S. Rituum Congregationis sub Paulo V. an. 1609. subscribente Em. Card. Bellarmino, deindè sub Vrbano VIII. sequentis in Officio Comm. solemnis B. V. M. de monte Carmelo approbantis. *Primi omnium, in eo montis Carmeli loco, ubi ELIAS olim ascendentem nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerunt.*

Apostol. temp. Sacellum in Carmelo dicatū SS.V. Deiparæ authoritatibus plurimorum comprobatū.

xerunt. Ista sunt positiva argumenta, quibus thesis nostræ veritatem probamus, & confirmamus, quibus paria non habent quamplurimæ historiæ Ecclesiasticæ quæ passim ab omnibus, sine contradictione, recipiuntur.

Continuatio authoritatũ de eodem Sacello.

ANNOT. *Armamentarij Auctor designat loca ubi relati Scriptores agunt de ista Ecclesia, seu Oratorio, sive Sacello: cujus mentio frequens in hoc opere fuit (& erit in parte 3. variis in locis) illud igitur post Christi in cælos ascensionem constructum fuisse in Carmelo, tradunt præfatus Iosephus Antiochenus, istis temporibus vicinus (hic supra parte 1. libro 5 cap. 8 num. 209) Ioannes Ierosolymitanus Antistes (eadem parte 1. libro 6. cap. 5. nu. 240.) atque alij plures ibi consequenter in Notis relati. S. Cyrillus (libro 8. cap. 2 sub finem num. 303. testaturque illud suo tempore* fuisse renovatum) *S. Brocardus, & Richardus Armachanus (in Appendice ad partem 1. §. 2. nu 522. & 523.) In parte autem 5. omnes omninò (nè uno excepto) Authores, quorum libri in ea inseruntur, idem adstruunt* de Sacello, *seu* Capella in Carmelo B. Virgini Mariæ dicatâ. *Ioannes Grossi (nu. 553. & 555.) Ioannes Hildeshemensis (n. 684.) Ioannes Bache (nu. 718. & 733.) Bernardus Olerius (num. 739 742. in fine 750.) Thomas Bradley (781. & seq. 785 841) Baptista Mantuanus (nu 849.) Ioannes de Vineta (nu. 875.) Petrus Brunus (num. 897.) Ioannes de Malinis (nu. 916.) Ioannes Palaeonydorus (n. 1009) Abbas Trithemius (num. 1211.) Quibus junge Thomam Waldensem (num. 1345.) Gerardum ab Edam (n. 1304.) Quod D. Crescentius nuncupet* Trithemium, *seu librum ejus* fictum; quàm *id immeritò, perspicies Lector reflectens ad dicta num.* 1188. *& dicenda hic infrà num.* 1458. *&* 1459

1456. Decima. *De præcedentia aliorum Ordinum.*

Respondeo: præcedentiam cujusque Ordinis non esse assignatam, secundùm cujusque Ordinis majorem antiquitatem.

(a) N. 743.

(b) Litteræ illæ extant hic supra num 500 & seq 502. & seq.

ANNOT. *Circa præcedentiam illam videat Lector hic suprà. (a) D. Crescentius etiam adfert partem litterarũ Præsulum Terræ S. (quæ in Appendice ad partem primam §. 1 & 2 sunt exhibita) (a) ut indè probet Carmelitarum Ordinem non valdè antiquum, sed incæpisse ex militibus Godefridi Bullonij. Rectè respondet (inter cætera) Auctor Armamentarij ex ipsis litteris retorquens argumentum. Ibi repetitur* à prędictis Patribus, antiqua illorum subsidia, *sive* antiqua subsidia. *Item* à priscis Patribus: *ergo subsidia Patrum primitivæ Ecclesiæ, prout* per antiquos *seu* priscos Patres *passim intelliguntur antiqui testamenti aut primitivæ Ecclesiæ Patres. Circa præcedentiam aliorum Ordinum vide supra nu. 743. & plura* in Vinea Carmeli *num. 1141. & sequent.*

1457. Undecima. *Ab origine Ordinis circa seculum XII. & à cappis barratis. Congeruntur multorum authoritates.*

ANNOT. *Quæ ibi congeruntur de Origine Ordinis circa seculum XII. de cappis barratis, de defectu Regulæ, & alia nonnulla, ab Auctore Armamentarij sigillatim, & plenè refelluntur. Sed cùm illa omnia satis perspicuè tradita sint in antecedentibus, & in Vinea Carmeli parte 8 cap. 1. 2. 3. & seq. ulteriùs illis hic immorandum non est. Et quidem Ordinis initia antecessisse tempora Innocentij III. Summi Pontificis, nec non Alberti Patriarchæ Ierosolymitani, & Aymerici Patriarchæ Antiocheni habetur ex partis primæ libro 8. cap. 1. & 2. & ex omnibus libris antecedentibus, & plerisque hujus partis secunda. Et illa confirmabuntur ex dicendis hic infrà Synopsi 3. De habitu Ordinis, & mutatione palliorum in barrata, ac resumptione alborum, & causis mutationis plenè instruet lectio libri 7. in parte prima: & de Regula Ordinis libri octavi per totum.*

Duodecima *à mutatione habitus.* Solutio à falso supposito.

ANNOT. *De habitu Ordinis (peculiariter de Scapulari, seu Superhumerali, usitatâ veste in Ordine hoc tàm sub veteri, quàm nova Lege) dictum satis in antecedentibus parte 1. libro 7 cap. 2 3 4. 5. & seq. in parte 2. nu. 800. & seq. & alibi sæpè: atque ex istis omninò removentur scrupuli à D. Crescentio objecti.*

1458. Decima-tertia. *Adversus opera Ioannis XLIV. & Trithemij Librum falsum & suppositum.*

Respondeo: Nos veritatem libri Joannis XLIV. Patriarchæ Jerosolymitani sufficienter probasse suprà. Quoad librum Trithemij aliò titulo dici non potest falsus, quàm quia pleraque asserit contenta in libro Joann. XLIV. & tractatu S. Cyrilli Constantinopolitani *de processu & variis Regulis Carmelitarum*, quæ omnia hucusque ab authoritate, & ratione solidâ probavimus esse vera: cùmque eadem ferè asserant celeberrimi Authores, plurimi antiquiores ac recentiores; liber Trithemij non magis dici potest falsus, aut ab aliquo Carmelita ei suppositus, quàm omnia istorum opera sint falsa, aut ab aliquo Carmelita his supposita: optarem, quòd D. Crescentius citasset Carmelitam, qui librum istum Trithemio supposuit, aut aliquem Ordinis S. Benedicti (cujus ipse Ordinis fuit,) qui dicat, librum istum esse Trithemio ab uno Carmelita suppositum: etenim argumenta, quibus id contendit D. Crescentius sunt merè negativâ, ac proinde straminea.

Trithemij liber de Ord. Carm. impertinenter impetitus.

1459. ANNOT. Armament. Auctor *ista, & alia nonnulla similia ibi consequenter pleniùs prosequitur. De libro Ioannis aliquoties jam ante in hoc opere & alibi etiã scripsit, & ejus authoritatem omnimodè asseruit ac illustravit, & suo Authori vindicavit. Sufficiet hoc loco reflexisse ad dicta superiùs in parte prima sub initium num. 4 5 6 & 7. pagina 2. 3. & 4. Quoad librum Ioannis Trithemij Abbatis Benedictini* de origine & laudibus Ordinis Carmelitani (*qui habetur hic suprà*) *num. 1188. pagina 291 & sequentibus, quem identidem D. Crescentius nuncupat* falsum *aut* fictum. *Ad demonstrandum evidentèr, quòd liber uterque de Ordine Carmelitano, inscriptus Trithemio, sit verè ejus fœtus abundè sufficiunt ea quæ hic supra in Notatione præviâ ante istum librum (n. 1188.) adduximus, videlicet testimonium ipsiusmet Trithemij in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis sub finem referentis suas lucubrationes:* Scripsi pręter hoc opus ... Laudes Ordinis Carmelitarum libros duos: *& primi initium adjungit:* Precibus, & Instantiâ. *Idem testatur ejusdem discipulus Ioannes Duraclusius, & referunt, Ioannes Busæus, & Antonius Possevinus in cathalogis Operum Trithemij, nec non Ioannes Palaeonydorus, & Rutgerus Venray ipsi Trithemio synchroni: vide hic supra. (a) Vt sanè mirum sit, D. Crescentium in tam clarâ luce veritatis voluisse, aut potuisse cæcutire. Hinc patet, quòd quandoque exteri, Viri alioqui eruditi, volentes plùs in domo aliena quàm ipsi domestici, sapere, minùs sapiant.*

Librum illum esse fœtum Trithemij, qui negat cæcutit in luce merid.

(a) Num. 1188.

Stultus plus sapit domi quã Sapiens in aliena.

Par est ratio præfati libri Ioannis XLIV. Antistitis Ierosolymitani, toties à D. Crescentio in scenam producti, & impetiti. Cùm tamen liber ille venerabilis antiquitatis (vide hic supra n. 4. 5. & sequent.) & pietatis, ac eruditionis (judicet Lector, & perspiciat eundem in septem libros partiales distributum, & ita insertum, ac Notis nostris illustratum in Speculi hujus parte prima) (b) per octo secula in Ordine hoc habitus, & servatus fuerit loco Regulæ (videatur parte prima libro 8. cap. 1. nu. 290. item n. 294) & Regula quæ nunc in Ordine observatur, istius Libri Ioannis Ierosolymitani sit quasi compendium: ita quidem, quòd nulla, aut pauca in hac compendiosa Regula inserta sint, quæ non habeantur in præfato libro Ioannis, (c) & hæc quidem in hoc Ordine receptissima, & certissima sunt (videatur parte 1. libro 8. cap. 4. per totum, & inibi in Notis.) Interim ista omnia domesticis Carmelitis notissima, ignoravit, aut scire dissimulavit D. Crescentius. Cui, cæterisque Amicis dissidentibus plenè jam satisfactum videtur; idcircò ad alia progredimur.

(b) à n. 20. pag. 9. usque ad n 283 pag. 71.

(c) Vid. sup. nu. 336. & 348.

SYNOP. III.

SYNOPSIS TERTIA

Scrupuli quorumdam alij, Carmelitanæ historiæ obiecti, amoventur. Conclusio fundatissima: de S. Prophetæ Eliæ Primatu in Monastica vita, & Patriarchatu in Ordine Carmelitano.

CAPVT. I.

Aliorum quædam obiectiones, & earum solutiones.

1460. *Ioan. Carth. de Ord. Carm. quæ scripserit.* (a) n. 1309. & 1310. HOmiliographus inter primos meritò habendus Ioannes de Carthagena, de Carmelitano Ordine binos edidit Tractatus (vnde quædam libavimus hic supra) (a) in priore fundat Carmelitanam Historiam à sancto Propheta ELIA suam ducente originem, & successionem: in posteriore obiectiones varias, præsertim ex Hieronymo Romano, proponit & refellit. Plerisque in Carmeli Armamentario (in quo eadem, aut similia, ab aliis obiecta, adducuntur, & repelluntur) satis-factum est. Ideò, & quia eius opera passim sunt obuia, & in illis videri possint, nil opus est eas huc adducere. Prior Tractatus continetur in Homilia prima libri XVII. & alter in Homilia sequenti. Aliorum etiam quorundam obiectiones adfert, & refellit eruditus P. Petrus Wastelius libro 1. Vindiciarum sect. 3. 4. & 5. Vinea etiam Carmeli parte 8. per totam dubiis circa Carmelitanam historiam satis-faciendis occupatur. Similiter Antonius à Spiritu sancto in erudito Opere DIRECTORVM REGVLARIVM (b) scrupulos quorumdam remouet & obiectiones soluit: præcipuæ sunt istæ. (b) parte. 2. tract. 3. disp. 1. spect. 1.

1461. PRIMA: Christus fuit author status Monastici, vt constat ex illis verbis Matthæi 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* &c. ergo ELIAS non fuit author illius. Respondetur, concedendo antecedens, & negatur consequentia: nam etiam Christus fundavit Ecclesiam, & fuit caput Martyrum, & tamen ante Christum et fuit vera Ecclesia, & veri fuere Martyres: ergo licèt Christus fundaverit statum Religiosum, & sit princeps, & caput ipsius; ante ipsum potuit esse verus status religiosus. Vndè sicut Christus dicitur *Fundator Ecclesiæ. & Caput Martyrum*, qui fuerunt ante ipsum; quia fuit causa meritoria gratiæ, quæ dabatur in illa lege iustis; ita quoque potuit esse fundator status Monastici, qui fuit ante illum; quia fuit causa meritoria illius, quatenùs in virtute fidei Christi venturi dabatur illis Patribus, sicut & Martyribus gratia ad exercendos actus tam arduos Religionis, sicut dabatur Martyribus, ad exercendos excellentiores actus fortitudinis, & charitatis. *Christus Author Monastici status in ordine causæ meritoria.*

1462. SECVNDA: Apostoli fundarunt Monachatum, vt constat ex verbis Petri: (c) *Ecce nos reliquimus omnia &c.* ergo ante Apostolos non fuit Monachatus. Respondetur, distinguendo antecedens, fundarunt statum Monachalem de novo illum instituendo, nego antecedens: perficiendo illum, adiunctis certis cæremoniis, ritibus, vt solemnitate votorum, potestate clavium, &c. concedo: deindè negatur consequentia. Nec obstat, quòd Apostoli dicantur apud Patres fundasse Monachatum, seu statum religiosum: nam etiam dicuntur (a) fundamenta Ecclesiæ; *supra fundamenta Apostolorum &c.* & Apocalipsi 21. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina Apostolorum agni.* Et Ecclesia canit de beatis Petro & Paulo, fuisse *Principes Ecclesiæ, per quos religionis sumpsit exordium*, & tamen ante Apostolos fuit Ecclesia, vt est de fide: ergo idem dici potest de statu Monachali; nam sicut dicuntur fundasse Ecclesiam, quia illam maiori perfectione exornarunt, ità etiam & Monachatum. &c. (c) Matth. 19. *Apostoli quo sensu fundatores status Religiosi Monastici.* (a) ad Ephes. 2.

1463. TERTIA: Divus Paulus ad Hebræos cap. 7. vocat legem scriptam *imperfectam*, sed status Religionis est status perfectionis: ergo in illa non fuit verus status Religionis. Respondetur negando consequentiam: ad probationem respondetur, legem scriptam dici à D. Paulo *Imperfectam* negativè, quia scilicet carebat ea perfectione, quam nunc habet lex gratiæ: ità explicat hunc locum Suarez lib. 6. de legibus cap. 8. n. 9. aliam solutionem habes hic supra (b) *Lex vetus qualiter imperfecta.* (b) n. 1410. & 1411.

1464. QVARTA: idem ad Corinthios 10. & ad Hebræos 10. ait: *Omnia in figura contingebant illis*, ergo status Religionis illius temporis non fuit verus, sed omnia in imagine & figura illis contingebant. Respondeo, virtutes morales sanctorum Patrum veteris Testamenti dici figuras, non quoad essentiam virtutum moralium, sed quoad aliquid cæremoniale, quod in lege gratiæ repræsentabant, sicut mors Abel, & obedientia Isaac, fuere figuræ mortis Christi, & eius obedientiæ, in se tamen fuere vera mors & obedientia: sic ille status monachalis fuit figura status monastici legis gratiæ, non quoad esse status virtutis, sed quoad maiorem perfectionem accidentalem, quam nunc habet. *& figura nova legis.*

QVINTA: Quo-ad hoc quòd ELIAS non videatur habuisse votum obedientiæ: Respondetur ad hoc: Habuit votum obedientiæ, & eius exercitium eminenter erga Deum, & legis observantiam. Nonne habuerunt & habent alii fundatores Ordinum & supremi Superiores? Non minùs ELIAS, qui habuit ex impulsu Spiritus S. voluntatem promptissimam ad exactissimè, in omnibus obediendum Deo.

1465. SEXTA: Quòd B. Virgo MARIA fuit prima, quæ fecit votum castitatis, ergo ante illam in Lege veteri non fuit tale votum. Respondetur, ipsam fuisse primam in ordine intentionis, non tamen in executione; sicut Christus fuit primus prædestinatus, & *primogenitus omnis creaturæ*, non in ordine executionis, sed in ordine intentionis; undè Beata Virgo MARIA fuit exemplar virginitatis, non solùm in lege gratiæ, sed etiam in veteri Testamento, & in illo præfigurata in illa nubecula parva, quam vidit ELIAS in Carmelo; indè didicit, tanquàm à sua causâ exemplari hanc veritatem, quam filiis suis dereliquit, ut pignus inæstimabile; undè tantùm abest, quòd hoc cedat in minorem gloriam Virginis, quin potiùs magis eam exaltet; nam eò causa est perfectior, quò se extendit ad plures effectus: undè non tam excellens esset virginitas MARIÆ, extendendo se ad legem gratiæ tantùm, quàm extendendo se etiam ad Legem veterem, ut ex se liquet.

Maria V. prima in voto castitatis ordine intentionis & ut causa exemplaris.

ELIAS primus ordine executionis.

CAPUT II.

Scrupuli duo alij removentur.

1466. NOnnulli objiciunt: S. ELIAS Regulam Ordini Carmelitano non dedit: ergo ejus fundator, & Patriarcha non est. Abbas Trithemius libro *de ortu, & laudibus hujus Ordinis cap. 2.* sic appositè respondet: *Non est*, inquit, *vera conclusio quam contraria multorum consuetudo infringit. B. Dominicus Ordinem Prædicatorum instituit, & tamen Regulam S. Augustini non dedit, sed accepit. Sic Ordo Cisterciensis, sic Carthusiensis &c.* Id ibi consequenter variis exemplis demonstrat. (a) Aliter, & congruè sic scrupulum illum removent alij: animadvertendum triplicem Regulam (in substantia eandem) fuisse in hoc Ordine. PRIMA: annis ante Christi nativitatem ferè nongentis triginta: eaque erat instructio, & vita, & exemplum magni Prophetæ ELIÆ, in sacris Litteris expressum, & quasi per manus, jugi, ac continuatâ traditione, & successione derivatum ad posteros, usque ad annum Domini CCCCXII.

(a) Vid. sup. num. 1196.

Regula tres in Ordine Carmelit. in substantia una & eadem.

SECUNDA *Regula* præscripta fuit dicto anno Domini quadringentesimo duodecimo à Joanne XLIV. Jerosolymitano Episcopo, in libro cui titulus est: *Institutio primorum Monachorum in Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.* Ea Regula est expressissima vitæ Elianæ idea & imago, scripto expressa, potissimùm contexta est ex historia ipsius S. ELIÆ.

1467. TERTIA denique *Regula* ea est, quæ à S. Alberto Patriarchâ Jerosolymitano data fuit. Regula illa ex ista priore, per Joannem præfatum scripta, desumpta est, prout sigillatim quoad omnes articulos declaratum est parte 1. libro 8. cap. 4. Hinc ità concludimus: Regula Alberti desumpta est ex libro de Institutione Ordinis: sed liber ille (anteà habitus pro Regula) est expressissima imago, & quasi apographum vitæ S. ELIÆ: ergo Regula Alberti est illa, & eadem, quam S. ELIAS servavit, & suis tradidit. Plura circa hæc dicta sunt in *Synopsi 2.* ex *Carmeli Armamentario Scuto XI.* & *in parte prima Speculi hujus libro 8. cap. 1.* sub initium, & ibi in Notis.

1468. Verumtamen verisimile omninò censendum, Regulam primam monasticæ conversationis à S. ELIA non tantùm exemplo, sed etiam scripto traditam: prout declarat Joannes de Sylveira in caput XIV. Apocalypsis quæst. 18. ubi ista: ELIAS *primus scripsit Regulam Monasticam.* Quod in hunc modum confirmat. *Ipse primus extitit, qui Filiis Prophetarum tanquàm religiosam regulam tradidit: ut eruditè docet sapientiss. P. Hieron. de Guevara tom. 1. in Matth. ad cap. 1. v. 1. object. 16. num. 11. ubi ait:* [*Non renuam dicere* ELIAM (*qui prior Religiosorum parens, & vitæ Eremiticæ fuit Institutor*) *nonnullas regulas, seu vivendi formam uniformem illis Religiosorum Conventibus, qui in Carmelo erecti fuerunt, præscripsisse: quod jugi tenore omnes sacrarum familiarum Fundatores, qui illius sunt vestigia secuti, inviolabiliter observarunt.*] *Quibus forsitan consonat Tertull. lib. 4. contra Marcion c. 22. inquirens cur cum Christo Moyses, &* ELIAS *in monte apparuerint, sic ait:* [*Sed quid tàm Christus Creatoris, quàm gloriam suam communicare cum principalibus suis, quorum alter populi informator aliquando (Nimirùm Moyses:) alter reformator quandoque?*] *Nempè* ELIAS, *qui solutam hominum vitam, præceptis, & institutis ad religiosæ perfectionis altiorem gradum provehebat.* Et certè in veteri Lege aliquas etiam fuisse scriptas regulas colligitur quoque ex Joanne Jerosolymitano (a) cap. primo: ubi tractans de norma vitæ Monasticæ ista scribit: *Hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores ante nos intellexerunt; & nobis tàm in veteri, quàm in nova Lege, doctrinis, & exemplis philosophati sunt.* Et ex Philone libro de vita contemplativa hæc de Essenorum Institutis referente: *Habent priscorum commentarios, qui hujus sectæ authores multa monumenta reliquerunt.* Eadem habet Eusebius Cæsariensis, & addit: *Quibus tanquam archetypis usi, propositi ipsorum imitantur rationem, quibus posteri se accommodant.*

Regula Monastica scripto primùm S. ELIAS Proph.

(a) De instit. primor. Monachos.

1469. Denique Auctores *Monastici Anglicani*, sub initium operis opponunt, quòd Ordo Carmelitanus sit unus ex Ordinibus Mendicantibus: Lex autem vetus mendicare prohibebat: atque ità talem Ordinem ELIAS non instituit. Verùm quòd ipse quasi mendicatim, nunc à vidua, nunc à corvo, nunc ab Angelo cibum acceperit, habetur ex libro 3. Regum cap. 17. Similiter Eliseus apud Sunamitidem: & ipse ac discipuli ejus Filij Prophetarum ex eleëmosynis victitasse an non testatur liber 4. Regum cap. 6. Verumtamen, quòd Carmeli Religio sit una ex quatuor Mendicantibus, id non habet ex institutione ELIÆ, sed ipsius Ecclesiæ, & Summorum Pontificum, qui Ordinem ipsum à S. ELIA institutum, & hæreditariam successionem tenentem, & potissimè in eremis consistentem, atque in solitudine orationi, & contemplationi insistentem, ad publicum Ecclesiæ famulatum, & animarum salutem procurandum evocarunt; ut

Mendicantis Ordinis titulus, & ratio quando Carmelitis obtigit.

vt quod ante quandoque ex charitate proximis præstabant Ordinis huius Professores, ex alto contemplationis descendentes ad prædicandum, & docendum, nunc ex obligatione facere teneantur. Cùm enim hic Ordo suis pulsus sedibus, in Europa iam multiplicari cæpisset: sicuti etiam Ordo Eremitarum S. Augustini, in Africa ab eodem S.P. Augustino originem trahens, & olim ibi in desertis continuatus, indeque eiectus, in Europam transmeaverat: Innocentius Papa Quartus, deliberatione longâ præhabitâ, in Ecclesiæ Christi adiutorium, etiam his Ordinibus mendicitatis iugum, cum onere prędicandi ad extraneos, excipiendique ipsorum confessiones, imposuit: sed de his plura alibi. (a)

(a) parte 3. lib. 2. c. 7.

CAPVT. III.

Cur Ordinis huius origo nonnullis visa obscura.

Historia Carmelitana nonnullis visa obscura ob defectum monumentorum.

1470. QVomodò circa Ordinis huius originem (tantis, ut hactenùs audivimus, communitam rationum momentis, & stabilitam tam firmis authoritatum, in Synopsi prima adductarum, fundamentis, quo-ad processum à SS. Propheta Elia) sic variæ potuerunt esse opiniones? Respondeo, primam, & principalem causam, cur nonnullis historia huius Ordinis, quo-ad originem, & successionem à suo Protoparente ELIA, non ità perspicua fuerint visa, fuisse defectum, seu carentiam monumentorum Ordinis. Et ob non visa antiqua monumenta, ac authenticas historias Ordinis, nonnulli fuere hallucinati circa originem Ordinis. Hanc rationem variis locis allegat Wastelius noster libro primo Vindiciarum. (b)

(b) sect. 1. art. 1. & 2. sect. 5. art. 1.

quæ paucis cognita diu latuerunt.

1471. Cur autem paucis Scriptoribus exteris, præsertim ante usum typographiæ ea videre contigerit, rationem adfert, nimirum: Quòd inter pauperes fratres, illis potissimè temporibus quandò tanta erat librorum caritas, monumenta, & historiæ illæ in Conventibus Ordinis, nec tamen pluribus, & vix alibi reperirentur. Postquàm autem typhographica ars ad summam perducta est facilitatem, & perfectionem, cœpit etiam Ordinis huius historia, quasi tenebris involuta, clarescere: superiore seculo aliqua, plura in præsenti, quæ in bibliothecarum nostrarum scriniis latitabant, producta fuere. In quo studiorum suorum partem impenderunt Patres variarum Provinciarum Ordinis huius, eruditionis famâ celebres, nominati hîc suprà in *Synopsi prima cap.* 3. Inter omnes autem Ordinis huius historicos præcipuam laudem promeretur ipse Ven. P. Ioan. Bapt. de Lezana, qui multiplicibus scriptis Theologicis, Iuridicis & Asceticis editis, ponderosè quatuor Tomos Annalium elucubravit: quibus & totius Monasticès antiquitatem solidè vendicat, & perspicuè demonstrat: atque historiam Ordinis huius ab ELIA primo ipsius Patriarcha, per annos nongentos triginta ante Salvatoris adventum: & exinde per annos mille quingentos quatuordecim, ordinatè per annos continuatam, prosecutus est.

Et præcedenti hoc seculo in lucem paulatim prodeunt.

Et typis evulgantur.

1472. Non defuerunt etiam hoc seculo exteri scriptores percelebres, qui Carmelitanam historiam illustrarunt, & abdita, ac quasi in tenebris sepulta monumenta vetusta in publicam notitiam protulerunt. Sic S. Petri Thomæ Patriarchæ Constantinopolitani authentica vitæ historia, Apostolicorum virorum, & Legatorum perfectissimum prototypon, ab annis ferè trecentis, ab illustri viro Philippo Mazzerio, Cancellario Regni Cypri graviter scripta, demùm, Prolegomenis, & annotationibus illustrata, evulgata fuit per RR. PP. Bollandum, & Henschenium in Actis Sanctorum ad diem XXIX. Ianuarii. Sic quoque Sancti eiusdem altera ab hinc annis trecentis à Ioanne Carmessonio Sacræ Paginæ Magistro, Ordinis Minorum Terræ Sanctæ Ministro conscripta vitæ historia, postquam seculis tribus integris ferè absconsa latuisset, ab eodem R. P. Henschenio ac consorte scriptionis R.P. Daniele Papebrochio reperta, & nobis donata ante aliquod annos in publicum similiter prodiit. Eâdem etiam forte præclara alia non pauca Sanctorum Ordinis acta, & vetusta monumenta abdita: aut certè paucis nota, delituerunt: videlicet defensorium Ioannis Hildesheimensis, Chronicon Thomæ Bradleij, & bina alia eius opuscula, Speculum historiale Arnoldi Bostii, nec non eiusdem Bostii liber de Patronatu Beatæ Virginis, & alter de Viris illustribus, Collectaneum exemplorum Balduini Leërsii, vita primigenia S. Alberti conscripta à Tilmanno Aquensi reperta in chartophylacio Carmeli Coloniensis (ac indè transumpta, & ad me pridem missa à Reverendo Admodum Patre Iacobo Emans, quondam ibi Priore, ac eiusdē Provincię Provinciali, deindè Romæ Assistente Generali R. mi Patris Generalis) atque alia quæ nunc demum in lucem prodeunt, ac publicè spectanda in hoc Speculo proponuntur. Cæterorum verò contentorum in prima, & secunda huius Operis parte, semel dumtaxat anno 1507. Venetiis typis valdè incorrectis, editorum, exemplaria rarissima sunt, vix in paucissimis Ordinis huius Bibliothecis, seu scriniis extantia. Et hinc (ob non visa vetusta Ordinis monumenta, & authenticas historias) nonnulli exteri Scriptores circa originem, & successionem Ordinis huius à veritate aberrarunt, aut minùs perspectam habentes de ea dubitarunt.

Causa alia cur variis minùs visa perspicua historia Carmelitana.

1473. Præterea Ordinis huius originem omnium victrix obscuravit antiquitas; vetustas enim claritatem rebus eripit, & parit oblivionem. Quot fuerunt nobiles familiæ, quorum hodie memoria nulla est? Ipsa etiam antiquitas nimia Ordinis Historias minùs gratas, minùsque credibiles reddit; in iis enim verum est, quod Aristoteles dixit, in

Pro-

Problematibus: *Historias recentiores, & antiquissimas iniucundas videri. Has quidem, quòd propter vetustatem persimiles fabulis iudicentur; illas verò, quia, propter novitatem (cùm in promtu sint omnibus) non habent maiestatem. Quæ autem medii sunt temporis, plus placere*, Ità Mantuanus. (a) Deindè antiquitùs Ordinis huius alumni, magis in eremis, quàm in vrbibus conversantes, parcissimi fuere in scribendo: & quæ scripserunt monumenta, pleraque perierunt in transmigratione Ordinis è Terra S. & in gravissimis, quas ibi Ordo passus fuit persecutionibus, de quibus hîc suprà parte 1ª. libro 9: cap. 3. & sequentibus, ac præcipuè ibi cap. 8. Circa hæc plura videre licebit præclarè scripta à Ioanne Hildesheimensi in Defensorio cap. 1. & 2. ac vtrobique in Notis. (b)

(a) lib. 2. de patientia cap 27.

1474. Hæc etiam ratio allegatur à Petro Malpæo Ordinis Prædicatorum (cur scilicet multa in eo Ordine præclarè gesta, ignorentur) Is igitur in libro, cui titulus: *Palma fidei S. Ordinis Prædicatorum* ista sub initium. *Scilicet hîc vsu venit vetus illa, & pervulgata de maioribus nostris querimonia, dum passim incusamus, dolemusque, ob raritatem, oscitantiamve eorum quibus Ordinis monumenta litteris mandandi suscipienda fuerat provincia, argumenta quæ ad Ordinis decus egregiè fecissent, interiisse quamplurima . . . Ni piâ fortassis eos hac ratione excusandos putaveris, quòd nimirum heroicè agere, quàm aliorum præclara gesta celebrare satius esse duxerint . . . Quin etiam temporum iniuriâ, præsertim arte Typographicâ nondum repertâ, M.SS. Cod. absque numero plerisque in locis intercidisse haud omninò inficiandum: vti nec, gliscente posteà hæreticorum furore, quibus in primis solemne in Religiosos, eorumque loca desævire, totasque Bibliothecas aut dispergere, aut flammis abolere.* Quæ omnia æquè, & magis locum habent in Carmelitano Ordine, quoad suam originem, & successionem per bina millenaria & sex secula: inter sævissimas non annorum duntaxat, sed & seculorum persecutiones, de quibus hîc suprà (c) Plura ad hoc propositum videre licebit in præfato Defensorio num. 647. & 648. ac sequentibus.

(b) Hîc sup. à num 646. ad 655 pag. 146. 147.

(c) Num. 273. 291. 400. 410. 414 & præsertim n. 446. & seq.

1475. Adhæc etiam obscuritatem aliquam causat varietas, & multiplicitas nomenclaturæ; primitùs enim huius Instituti Professores dicti sunt Prophetæ, idest psallentes, *filii Prophetarum, Assidæi, Rechabitæ, Esseni, Essæi, Viri Religiosi, Therapeutæ.* Indè contingit, quòd propter diversitatem nominum, nonnulli existiment, distincta Instituta Sed, an non manente identitate Religionis, filii S. Dominici, nuncupantur *Dominicani, Prædicatores*, in Gallia *Iacobini*, à plateâ S. Iacobi in qua habitant Parisiis &c. & eiusdem Ordinis S. Francisci, *Franciscani, Minoritæ, Recollecti, &c.* Verum tamen est, quòd, cùm prædictorum nominum pleraque sint communia, etiam aliis Religiosis, ex indè quandoque non ità clarum sit, an sub istis nominibus agatur specialiter de Ordine Eliano, seu Carmelitano. Quod ex circumstantiis locorum & temporum prudenter est colligendum. De quo hæc Wastelius (d)

Nomenclaturæ varietas in Ordine Carm.

(b) lib. 1. vindic. sect. 4. art. 5 sub finem.

Porrò *summa dictorum est: quamvis fortassè antiqui Palæstinæ, aliorumve locorum, Monachi, Instituti Carmelitici, seu Monastica disciplina ab Elia instituta, non præcisè nominaverint se Carmelitas, potuisse eorum alios Sinaitas, Thaboritas, & aliis nominibus appellari, absque verorum Carmeli Incolarum vllo præiudicio, modò faterentur, imitari se cum illis, ex proposito, Eliæ disciplinam.* Et paulò antè, sub medium articuli: *Instabis denuò, si vnum omnium eorum, atque Carmeli Incolarum, fuit Institutum, quinam fiat, vt à Scriptoribus non sint dicti Carmelitæ? Si hoc importuniùs vrges: peto, vndè fiat, Monachos S. Benedicti nenunc quidem, dum tanta habetur ratio distinctionis, appellari Cassinenses à Cassino, vbi S. Benedictus fundavit primum Monasterium, Ordinis caput? Pars enim dumtaxat appellatur Cassinenses, alii verò Camaldulenses, alii Cluniacenses; & rursùs nominibus varia subdivisis, Afflighemienses, Marchienses, Aquicinctini &c. & à Sanctis ipsis, ductâ appellatione, Vedastini, Amandini, S. Petri, S. Bertini Monachi &c. Hâc tamen non obstante appellationum diversitate, vnius omnes manent Instituti, videlicet Cassini, à S. Benedicto fundati. Non igitur mirum videri debet, quòd vetustis illis, de quibus dixi, temporibus, dum pleraque adhuc essent indistincta, & incomposita, etsi multi Carmeliticis institutis adhærerent, sub vno Patrono* Elia *militantes, non tamen fortè ab vno Carmelo fuerint nuncupati.* Hæc & alia ad intentum ibi habet Wastelius.

1476. Denique Scriptores varii obiter dumtaxat Ordinis huius originem attingentes, & eius fundamenta non, aut leviter dumtaxat attendentes, nec lumen à domesticis mutuare volentes: sed in aliena domo plus sapere volentes quàm domestici ipsi, tenebras errorum effundunt in suis scriptis de Carmelitana origine. Coecutiant sanè necesse est, qui bis mille annorum tempore Eliætanæ Religionis varios status, casus multiplices, ac coecos fortunarum eventus non benè callet: & qui varias eius mutationes, formas multiplices, montium & vallium solitudines, ac speluncas: infidelium oppressiones, ignes, carceres, machinationes, vincula, invasiones, & lanienas pro Domino passas nostrorum, non altè tenet &c. Is enim aut defatigatione lassatus, assumptum deseret, aut abditarum rerum nostrarum varietate ignoratâ, præceps in errorum foveam decidet, negans concedenda, & neganda concedens. (b) Sed tandem ex omnibus ante dictis veram de Ordinis huius origine sententiam concludamus, ac firmiter stabiliamus.

(b) Ità Saracenus in vita S. Cyrilli.

CA-

CAPVT. IV.

Conclusio fundatissima : S. Propheta Elias primus est Princeps Monachorum : & Ordinis Carmelitani Patriarcha, ac fundator.

1477. S. Hieronymi effatum, in præcedentibus subindè adductum, verissimum est: *Habet vnumquodque propositum Principes suos: Romani, Duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëta æmulentur Homerum, Virgilium* : atque ita de aliis quibusuis scientiis, & artibus, ac propositis. Sic quoque in Ordinibus Religiosis nullus est qui non aliquem habeat Institutorem, fundatorem, Auctorem; nam si non aliquis instituerit, institutum nullum esset; cùm Institutum & Institutor sint correlativa: sicut Pater & Filius; etenim filius esse nequit sine patre: ità nec Ordo religiosus absque Institutore, seu Fundatore. Patres Benedictini S. Benedictum pro suo Patriarcha venerantur, Canonici Præmonstratenses S. Norbertum, Carthusienses S. Brunonem, Patres, & fundatores suos habent: atque ità de aliis omnibus. Habet igitur & Carmelitana Religio suum Institutorem, fundatorem, Patriarcham: sed alium quempiam numquàm agnovit, nisi S. Prophetam Eliam (*sicut habetur ex dictis in Synopsi prima hîc supra cap. 3. & 4.*) nec assignari potest alius.

Institutum, & propositum quodvis suum habet Institutorē, & Principē.

1478. Ex istis & omnibus antecedentibus sic tandem concludimus. *Illa assertio vt verissima censenda, & suscipienda est ab omnibus, quæ in Sacra Scriptura fundatur, iuxta intelligentiam, & interpretationem sanctorum Patrum: & Scriptorum grauissimorum, probatissimorumque, tum secularium, tum Religiosorum assertionibus, & constanti, perpetuaque Ordinis totius traditione, & Sacra Rituum Congregationis approbatione, ac Summorum Pontificum, nec non Deiparæ Augustissimæ testimoniis confirmata est: Atqui assertio nostra, quâ Monasticæ conuersationis primatum, & Ordinis Carmelitarum Patriarchatum Eliæ vendicamus tota est huiusmodi. Illa igitur vt verissima censenda, & suscipienda est ab omnibus. Maior procul dubiò à nemine sensato negari potest; & si huiusmodi assertio, sic stabilita, possit, sine temeritate, falsa censeri, & vt talis reiici: contendo ego, nullam futuram veritatem (revelatis exceptis) quæ falsa censeri, & vt falsa reiici non possit. Si quidem (iis exceptis) vix ulla est, solidioribus vallata testimoniis & tot probationum efficacium munita ponderibus.* Minor luculenter probata est in Synopsi prima cap. 1. 2. & seq. vbi adducta sunt *sacræ Scripturæ, Summorum Pontificum, Cardinalium, Patrum, & Scriptorum grauissimorum* testimonia, & asserta *de Monachatu S. Prophetæ* Eliæ, *primatu in conuersatione Monastica, & Patriarchatu in Ordine Carmelitano.* Ex quibus omnibus sic meritò infertur: *Hæc sanè ratio adeò clara est, adeò conspicua est, vt si cui fortè illa assertionis nostræ veritatem persuadere non possit, nec si Solem in manibus gestemus (vt loquitur Lactantius Firmianus) nec si Sol eam suis exscripserit radiis, quibus nil clarius, eam illi persuadere possimus.* Ità Thomas Aquinas à S. Iosepho *in Dissertatione Historico Theologica de Patriarchatu* Eliæ *in Ordine Carmelitano*, (a) vbi eadem latiùs declarantur.

Argumentū solidissimum pro origine Ordinis Carmelit. à S. Elia.

(a) In Dissertat. De Patriarchat. Eliæ p. 1. sect. 13.

1479. Ioannes de Charthagena (b) post adducta plurimorum testimonia & authoritates pro Patriarchatu S. Prophetæ Eliæ in Ordine Carmelitano, sic quoque concludit, iam dicta compendiò complectens: *Omnibus exploratum est; nullam esse Religionem, quæ non recognoscat aliquem suum authorem, à quo primordia sua acceperit: Carthusiensis S. Brunonem, Benedictina S. Benedictum, Dominicana, & Franciscana Patriarchas suos Dominicum & Franciscum recognoscit. At vniuersa Religio Carmelitarum semper venerata est* Eliam, *tanquam primum suum institutorem; nec aliquem alium Patronum vnquam coluit, quam* Eliam, *penèque innumeri Auctores tam vetusti quam recentiores, nec non sacri Pontifices in suis Apostolicis Bullis id ingenuè acceptant: ergo nemo, nisi cum ratione ipsa pugnare velit, id negare poterit.* & post alia, idem intentum corroborantia: *Fit etiam de eodem* Elia *in toto Ordine Carmelitarum commemoratio, quæ soli Patrono, ac Ordinis Auctori debetur; de ipso præterea Missæ sacrificium tanquàm patrono celebratur. Quis autem, nisi temerè, dicat Pontificem errare in approbando pro Patrono, & Fundatore alicuius Religionis eum, qui reverà nec Fundator, nec Patronus vnquam extitit. Certè vniversa nostra Hispania, non alio grauiori innixa fundamento, profitetur Apostolum Iacobum terram eius calcasse, quàm quòd Romani Pontifices speciali officio, in quo adventus eius in Hispaniam mentio fit, illum colendi facultatem Hispanis præbet. Atque hinc est quòd Molanus in suo Martyrologio die 17. Iunii, (quod ex variis aliis Martyrologiis concinnavit) hæc verba scripserit:* In Arabia raptus sancti ELIÆ Prophetæ Domini, et CARMELITANÆ RELIGIONIS PATRIARCHÆ.

(b) lib. 17. Homiliarū homil. 2. in resp. ad obiect. 6.

CONCLVSIO ALTERA

1480. *Sanctus Propheta* Elias *eâdem, nec minori ratione, Princeps est & primus Auctor Religiosæ Monasticæ vitæ; & Patriarcha, ac Fundator Carmelitanæ Religionis, quam SS. Augustinus, Benedictus, Bruno, Norbertus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, & cæteri sint Patriarchæ suorum Ordinum quos instituerunt.*

Princeps quid.

Quamvis ex omnibus hactenùs dictis satis perspicuum sit, S. P. Eliam Principem, & Authorem primum esse Religiosi Monastici Status, & Patriarcham, ac Fundatorem Ordinis Carmelitani: id tamen, tamquam fundamentum primum Carmelitanæ Historiæ, sic demùm manifestè concluditur, & firmiter stabilitur.

biliter. *Princeps* propriè idem est quod *primus & Auctor* (sive Author) *rei cuiuspiam & inventor; seu operis factor.* Authorem monasticæ conversationis, & Principem Monachorum esse, & meritò appellari S. Prophetam Eliam, inficiari potest nemo; cùm talem *Scripturarum auctoritate* esse tam disertè adstruant, & vocitent Patres, vt in antecedentibus sæpiùs audivimus (a) Fuit enim primus, qui paupertatem voluntariam, castitatem perpetuam, & obedientiam amplexatus fuit, servavit, & aliis tradidit: ità ut in huius conversationis ratione cęteris sit exemplar, & prototypon, *Patriarcham* quoque, *Fundatorem*, *Auctorem*, *Institutorem* Carmelitani Ordinis etiam nuncupant auctores celebres relati hìc suprà.(b)

(a) Vid. sup. in Synopsi prima per totam.

(b) etiam in Synopsi 1. per totam

1481. *quid Patriarcha.* Itaquè pro confirmatione asserti illius restat hìc declarandum, quid *Patriarcha*, quid *Fundator*, quòdque res ipsa S. P. Eliæ verè competat. *Patriarcha* nomen Græcum idem est quod *Princeps, Pater, & Caput familiæ.* Ità Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos (c) Abraham patrem, & caput totius populi Israëlitici nuncupat *Patriarcham*. Et Christus Dominus alloquens Iudæos, eumdem appellat antonomasticè eorum patrem: (d) *Pater vester Abraham*, inquit. Sic & S. Propheta Elias vocatus fuit *pater*, scilicet non generatione carnali, sed quòd *faceret Prophetas*: hoc est, Prophetici Instituti (e) *successores post se* Hinc Authores, & fundatores Ordinum Religiosorum (qui familiæ quædam sunt) dicuntur à suis filiis *Patres & Patriarchæ*. Nonnemo scribit, In quo ratio Patronatus Eliæ consistat, difficile esse explicatu. At facilè illud declaratur comparatione ad alios Patriarchas, & Fundatores Ordinum Religiosorum, & explicatione, ac applicatione rei per nomen *Patriarchæ* significatæ, non minori ratione competentis S. P. Eliæ, quàm cæteris Religionum Patriarchis, & Fundatoribus. SS. Augustinus, Benedictus, Norbertus, Bruno, Dominicus, Franciscus, Ignatius verè, & strictè loquendo sunt fundatores, & Patriarchæ Ordinum suorum.

(c) Hebr. 7.

(d) Ioan. 8.

(e) Eccli 48.

1482 *S. Augustinus, & S. Benedictus quâ ratione fundatores suarum Religionum.* S. Augustinus quidem Baptizatus, & in Africam reversus, familiam instituit Religiosorum: quibuscum victu communi, eodemque cultu utens, eos ad apostolicæ vitæ doctrinæque disciplinam diligentissimè erudiebat, & illis Regulam scripsit: ac deinceps varia in eremis, & urbibus monasteria sunt instituta sub eiusdem Regulæ præscripto, atque ita ex modico fonte mox flumina monasteriorum, & Religiosorum profluxerunt in Africa, & deindè etiam in Europam traducta. Ita quoque S. Benedictus in spelunca divinis vacans contemplationibus, & orationibus, delituit triennio solus: posteà erumpente eius sanctitatis famâ aliqui se illi instituendos tradiderunt: & quotidiè multis ad eum concurrentibus discipulis duodecim ædificavit Monasteria, eaque sanctissimis munivit legibus, in quarum observantia, hæreditariâ successione, eiusdem posteri, & spirituales filij, usque in præsentem diem persistunt, atque ita est author Ordinis istius. Ex eodem postea etiam sic processerunt Ordo Cisterciensis, atque alij.

1483. Similiter S. Norbertus relictis Ecclesiasticis proventibus amplis, arctam vitæ rationem assumpsit, pelliceâ melote & lacerâ veste incedens, & solo cibo quadragesimali utens. Deindè cum delectis tredecim sociis in Præmonstrato, loco deserto, eandem conversationem continuans Deo servire cœpit: & mox alij, atque alij, sese ipsi informandos tradidêre. Et hâc ratione fundator est Ordinis à loco nomenclaturam sortiti: qui mox ab Honorio secundo, & consequenter ab alijs Pontificibus confirmatus, in eodem loco, & in alijs plurimis perseverat, & floret. Ita quoque S. Bruno in Carthusianos secedens montes asperrimos, cum sex sociis, vitam ibi agens Eremiticam, fundamenta jecit, & Patriarchæ meruit nomen Ordinis Carthusiani: qui mox per omnes Europæ Christianas regiones propagatus fuit, & hactenùs continuatus. *Similiter S. Norbertus, & S. Bruno Ordinum suorum Authores.*

1484. Simili modo S. Dominicus & Seraphicus Franciscus sacros Ordines (de quibus in Concilio Lugdunensi, celebrato an. M.CC.LXXIV. & in libro 6. Decretalium (a) præclarum hoc exstat testimonium: quòd *evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniat*, inchoaverunt, instituerunt, fundaverunt, & duobus post sæculis S. Franciscus de Paula Ordinem Minimorū, ac denique S. Ignatius militiâ seculari relictâ, Sacræ se tradidit in monte Serrato, & mox Manresæ Evangelicam, pauperem & asperam ieiunijs, cilicijs, catenis ferreis, vitam agressus, post annos aliquot adscitis sociis novem, prima inclytæ Societatis Iesv fundamenta iecit in monte Martyrum propè Parisios: quę mirâ celeritate per orbem universum propagata continuatur. Eadē fuit ratio institutionis cęterorū Ordinum Religiosorum. *Et SS. Dominicus, Francisci duo, Ignatius & alij suorum,*

(a) titul de relig. dom. Cap. unico.

1485. Nunc propiùs ad propositum. Eadē omninò ratione S. P. Elias Dei iussu (b) *Recede hinc. . . . abscondere in Torrente Carith*, discessit à turbis hominum, ad solitudinem Carith. & ibi solitariam vitam agere cæpit in aliqua Spelunca: deinde Dei mandato in contubernalem, & successorem unxit Eliseum. Sanctitatis eius famâ attracti convenerunt quoque ad ipsum alii multi, quos in eâdem vitæ conversatione instruxit & in Carmelo statuit, ac deindè ad alia loca traduxit (c) Illi verò, eorumque posteri in Carmelo, & aliis Terræ Sanctæ locis iugiter continuati, (d) tandem etiam in Europam sunt traducti, & multiplicati (e) Igitur nil discriminis inter S. Eliam respectu sui Ordinis, atque alios Religionum fundatores. Atque ita eodem tantòque iure, quò isti suorum, etiam S. Elias Carmelitani Ordinis fundator & Patriarcha habetur, quia hanc Religionem inchoavit, ac fundavit: & ea ab ipso *hæreditariam successionem habet*, sicut liquet ex hactenùs dictis, & confirmant Pontifices in suis diplomatibus (f) Sed nunc de Ordinis huius Patriarcha, ac Fundatore dictum satis, deinceps de eiusdem Patrona singulari, & Matre amabili tractatio erit. *Eâdem ratione S. Elias fundator, Author, Patriarcha Ordinis Carm.*

(b) 3. Reg. 17.

(c) Vid. sup. num 98. & seq.

(d) Vid. n. 116. & seq.

(e) Vide in parte prima libro 9. cap. 3. 4. & seq. n. 416. & seq.

(f) Vid. n. 199.

FINIS.

Partis secundæ Speculi Carmelitani

SPEC.

